


2.F



SACROSANCTA
CONCILIA
AD REGIAM EDITIONEM
EXACTA

QUÆ NUNC QUARTA PARTE PRODIT AUCTIOR

Studio PHILIP. LABBEI, *&* GABR. COSSARTII,
Soc. JESU *Presbyterorum.*

TOMI XI. PARS II.

Ab anno M. CC. LXXXV. *ad annum* M. CCCC. XIII.



LUTETIÆ PARISIORUM,

Impensis SOCIETATIS TYPOGRAPHICÆ Librorum Ecclesiasticorum jussu Regis constitutæ.

M. DC. LXXI.

CUM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.


KING'S INNS
LIBRARY
DUBLIN.

SYLLABUS

EORUM QUÆ TOMI XI. PARTE II. CONTINENTUR.


*Quæ aſteriſco * notata ſunt, non erant in prioribus aliis editionibus : quibus vero hæc nota † impreſſa eſt, eorum incertus eſt annus.*

SYLLABUS PARTIS II.

TOMI UNDECIMI.

APPENDIX TOMI XI. 2329

Hac appendice continentur, cum multa alia, quæ ad annos suos singula in hoc Syllalo jam relata sunt, tum constitutiones Nicosienses, *pag.* 2326. *quarum corpus cum ad certum annum revocari non potuerit, earum partes, quibus aliqua temporis adscripta nota est, supra suo loco commemoratæ sunt.*





VITA HONORII PAPÆ IV.

Anno Christi 1285.



ONORIVS quartus, patria Romanus, ex illustri Savellorum familia natus, Iacobi nomine antea vocatus, Perusii pontifex electus est, quarto Nonas Aprilis, anno Domini 1285. tempore Rudolphi imperatoris. Adeo podagris & chiragris impediebatur, ut non nisi instrumentis ad id affabre compositis suffultus celebrare posset. Prudentia & consiliis nulli erat secundus. Excommunicationem contra Petrum regem latam renovavit, ideo quod omnibus conatibus regnum Neapolitanum affectabat. Parum etiam abfuit, quin Genuenses interdicto notaverit, quod Pisanos obstinate persequentes apud Lamellum ingentibus cladibus affecissent. Guidone Feltrano, a quo inquietabatur, mortuo, Flaminiam recuperavit. Carmelitarum ordinem, cappis eorum nigris in albas commutatis, una cum ordine Eremitarum, antea Parisiis exagitatum confirmavit: non quod illi celeberrimi ordines demum hujus pontificis ætate sua initia acceperint, sed quod ex obscuris Asiæ & Africæ latebris erumpentes magis innotuerint, ac in Italiam aliasque Europæ partes sese effuderint, feliciusque increverint, sub apostolicæ sedis clientela & patrocinio constituti. Etenim Carmelitarum ordo ab ipsis apostolorum temporibus in monte Carmelo inchoatus fuit, unde & nomen suum mutuo accepit. Temporis tandem progressu, numero hominum & domiciliorum multiplicatus est. Verum Saracenis irruentibus disjectus & dissipatus, nonnihil detrimenti accepit. Iis porro denuo ejectis, ordo circa ea tempora iterum refloruit. Eremitarum vero religio, ab ipso patre Augustino in nemore prope civitatem Hipponensem (teste Possidonio) fuit instituta: quæ vivo Augustino & mortuo, magna deinceps sumpsit incrementa. Post aliquot annos barbarorum irruptione cecidit. Hinc eremitis in Italiam adventantibus, aliis alio migrantibus, in varias provincias & Europæ partes sese protulerunt: donec omnes in unum corpus revocati, autoritate apostolica, loco, habitu conjuncti, ad Augustini regulam, norma & nomen arctius religati sunt. Insuper & in civitatibus habitare sunt jussi, ut episcopis, parochis, & aliis ecclesiæ pastoribus, tamquam subsidiarii sodales, auxiliarentur. Unde factum est, ut eremitarum nomen, quod ex solitudine ab initio habuit, etiam in mediis urbibus retineat. Ut ad Honorium sermo recurrat, toto pontificatus sui tempore unicum cardinalem creavit Ioannem Buccumatium episcopum Tusculanum. Alumnorum suorum, domesticorum, & famulorum suorum amantissimus erat, quorum salutis singularem curam habebat. Ad extremum vir bonus & integer, scientiæ & honestatis verus amator, quando Petri naviculam feliciter duobus annis & uno die rexisset, naturæ debitum in monte Aventino, in quo se continebat, persolvit, tertio Nonas Aprilis, anno Christi 1287. ac inde ad sanctum Petrum ad sepeliendum delatus est. Sedes propter cardinales diversis morbis exagitatos decem mensibus vacavit.

A

** CONCILIUM LANCICIENSE,

Adversus Henricum IV. Wratislaviæ ducem, ecclesiasticæ libertatis violatorem, anno Dom. M.CC.LXXXV. celebratum.

Anno Christi 1285.

Henricus IV. dux Vwratislaviæ ingentem pecuniæ vim Thomæ episcopo & clero Vwratislaviensi imperaverat: quam cum non penderent, episcopo sede sua pulso, ecclesiæ bona, decimasque omnes sibi attribuerat. Non tulit Iacobus Gneznensis archiepiscopus, Iac. Svvinka; sed, ut ait Michovius l. 3. c. 62. ad supplicationem & instantiam Thomæ episcopi Wratislaviensis, in synodo generali Lanciciensi, de consilio & assensu omnium episcoporum & prælatorum, Henricum IV. ducem Wratislaviensem, & omnes satellites, familiares, & adhærentes, præbentes ei auxilium aut consilium, excommunicavit: diœcesim autem Wratislaviensem interdicto supposuit, quod universæ ecclesiæ Wratislav. sæculares & regulares observarunt, præter fratres Minores ordinis S. Francisci, in monasterio S. Iacobi Wratislav. Cæteri ergo clerici omnes, episcopus, prælati, & fratres Prædicatores, expulsi sunt & in exilium acti.

B

** CONCILIUM RAVENNATE I.

C

Causa reformandæ ecclesiasticæ disciplinæ celebratum, anno Domini M. CC. LXXXVI. tempore Honorii papæ IV.

Anno Christi 1286.

Infrascriptæ sunt constitutiones, statuta, & ordinamenta, edita & facta per provinciale concilium sanctæ Ravennatis ecclesiæ, videlicet per venerabilem patrem dominum Bonifacium, Divina gratia sanctæ Ravennatis ecclesiæ archiepiscopum, & suffraganeos ejus sufficienter requisitos, & consentientes per se aut per idoneos procuratores.

D

CAPITULA.

Ne clerici joculatores vel histriones a laicis transmissos recipiant. Rubr. I.

NON sine temeritate consuetudines inducuntur, quæ lege damnantur. Cum igitur laicorum importunitate, qui clericis plurimum sunt infesti, consuetudo, quæ potius est dicenda corruptela vel abusus, videatur induci, non sine animarum clericorum provinciæ nostræ periculo: ut cum laici decorantur cingulo militari, seu nuptias contrahunt, joculatores & histriones transmittunt ad clericos, ut eis provideant, prout & idem laici faciunt inter se; ex quo contingit ut cum clerici de ecclesiarum communiter facultatibus sustententur, suo patrimonio proprio consanguineis re-

E

ANNO CHRISTI 1286.

servato, ipsas facultates ecclesiarum pia fidelium devotione collatas ecclesiis, ex quibus debent pauperes sustentari, distribuant, seu potius effundant in hujusmodi usus illicitos, propter quæ multum denigratur clericorum honestas. Talem autem & tantum volentes removere abusum: statuimus, ut nullus clericorum nostræ provinciæ, quocumque fungatur honore vel statu, a talibus joculatores vel histriones transmissos recipiat, seu provideat aliquid propter victum, etiam transeundo. Si quis autem contra fecerit, duplum ejus quod dederit joculatori vel histrioni, restituere ecclesiæ a qua habet beneficium, teneatur, per ipsum" in usus pauperum convertendum.

" Corr. ipsam.

De pauperibus alendis & vestiendis. Rub. II.

Doctoris illius præcipui prædicatoris egregii institutione freti, ad pietatis exercitium nostræ provinciæ clericos cum remuneratione thesauri Dominici invitamus, & præsertim prælatos, qui quanto plura a mundi autore accepisse cernuntur, tanto ad plurima tenentur obnoxii: quia cum dona augentur, rationes etiam crescunt donorum. Hoc non attendentes quamplures ecclesiarum prælati, quotidie epulantur splendide, & cibis delicatis superflue utuntur ad velle, ac quadruplicata sibi indumenta conservant: & ostiis clausis aforis, ex Christi pauperibus alii cupientes saturari de micis quæ cadunt de mensa ipsorum, clamant ad ostium, & nemo aperit; alii verecunde in eorum domibus se includunt, vel quia carnem suam vili etiam indumento cooperire non possunt, seu quia verecundum est eis, propter conditiones quæ insunt, publice mendicare, dum nemo illis manum porrigit adjutricem: isti semper esuriunt, & illi abundant, & cibi, quibus tales pauperes ali deberent, neglecti in domo corrumpuntur & dissipantur, & eorum indumenta tinea comeduntur. Quantum autem in præmissis excedant, cui Dominus plus discretionis donaverit, plus advertat, quia amplius requiretur ab eo. Porro volentes ipsos, tam pœnarum timore, quam præmiorum retributione excitare, & inducere ad opera pietatis: hoc laudabili concilio ordinamus, ut per provinciæ nostræ prælatos, & clericos universos, prout eis suppetunt facultates, necessaria pauperibus ministrentur. Is autem suffraganeorum nostrorum, qui per totam septimanam quatuor, semel in die, refecerit pauperes; abbatum, qui duos; archidiaconorum, præpositorum, archipresbyterorum, & aliorum prælatorum, qui unum; ac aliorum clericorum, qui semel in die, in septimana refecerit pauperes: de pœnitentiis injunctis eidem, unius anni indulgentiam habeat. Hanc etiam indulgentiam illi concedimus, qui novum pauperi dederit indumentum: si autem antiquum, quadraginta dierum indulgentiam de injuncta ei pœnitentia relaxamus.

De honestate & habitu clericorum. Rubr. III.

Licet sit canonica sanctione statutum, ut excommunicentur clerici arma portantes, & ut habitum, coronam, & tonsuram deferant cōgruentem, & sæpe ab ecclesiarum prælatis, jurisdictionem habentibus, clerici nostræ provinciæ moneantur, ne in præmissis excedant: eorum tamen parvi pendentes monitionem, non videntur de excōmunicatione curare. Volentes, prædictos spiritualia vincula contemnentes, temporali pœna ab his compesci, propter quæ non modice derogatur ecclesiasticæ honestati: statuimus, ut si quis de cætero post publicationem hujus concilii inventus fuerit publice arma portare, absque justa & manifesta causa, ac licentia sui diœcesani, pro quolibet armorum, a suo prælato jurisdictionem habente condemnetur in solidos quadraginta, ad minus: nec prælati ipsorum, ex quo sine causa & licentia sui prælati fuerint reperti culpabiles, possint omittere quin condemnent, & exigant, prout culpa ipsorum requiret: cum hoc statuamus in favorem ecclesiasticæ honestatis. Qui autem compertus fuerit, habitum, coronam, vel tonsuram incongruentem portare notabiliter: pro vice qualibet in quinquaginta solidos condemnetur.

De promotione habentium parochiales ecclesias. Rubrica IV.

Etsi ad regimen parochialium ecclesiarum assumpti, ante generale concilium Lugdunense, quod incipit, *Licet canon*, ex quo præfixo a canonibus tempore se non fecerint in presbyteros ordinari, de jure a ministerio sive ab officio eis commisso removeri possint & debeant, & aliis eorum ecclesiæ concedi: quia tamen in executione memorati juris se multi exhibent negligentes, nos ipsorum negligentiam hoc salubri concilio supplere volentes, statuimus: ut infra proximum festum resurrectionis Dominicæ se faciant in presbyteros ordinari. Quod si infra tempus præfatum, se in presbyteros promoveri non fecerint, nulla alia monitione præmissa, omni jure, quod in ipsis ecclesiis habebant, decernimus fore privatos. Licet generale concilium Lugdunense assumptos post ipsum concilium, ad regimen ecclesiarum parochialium, nulla etiam præmissa monitione, decernat esse privatos ipsis ecclesiis, nisi se fecerint a sibi commissi regiminis tempore in presbyteros ordinari: sunt tamen quidam, qui mentem dicti concilii circumveniunt, facientes se in fine anni, postquam privati fuerint, eligi iterato. Contra dolosos tales providere volentes, statuimus ut sive per dolum, sive per negligentiam steterint"; seu alio fraudulento modo quocumque, quod promoti non fuerint infra annum, ipso facto quoad rectorias ipsarum ecclesiarum, vel ad quas se neglexerint facere promoveri, quantum ad electiones, quæ in ipsis ecclesiis primo occurrerint faciendæ, inhibere * indicamus.

Concilium Lugdunense II. c. 1.

" Corr. steterit.

De

De quotidianis distributionibus. Rubrica V.

Dignum est, ut quos ad vitæ decora domesticæ laudis exempla non revocant, saltem correctionis medicina compescat. Sane relatu comperimus plurimorum, in nonnullis ecclesiis nostræ provinciæ consuetudine observari, & in aliquibus aliis constitutione firmatum, ut præter reditus beneficiorum, & præbendarum (de quibus nihil ad præsens volumus immutari) prout quotidie resident, reditus aliquos alios, tantum in ecclesia residentes, pro rata residentiæ, quam in ecclesia faciunt, percipiant: & quod ad hujusmodi consuetudinem & statutum, quidam prava interpretatione obaudientes, ac minus quæ Dei sunt cogitantes, in animarum suarum periculo, dum tamen in camera resideant, dato quod intrent in ecclesiam ad Divinum officium celebrandum tantum semel in mense, ipsos reditus specialiter ob favorem residentiæ deputatos, ut Deo & ecclesiæ serviatur, & Divinæ laudis organa in ipsa horis singulis decantentur, sibi usurpant: propter quæ generatur grande scandalum proximorum qui ecclesiæ militant, prout debent, ac refrigescit in eis laudabile propositum, quod habebant. Ne igitur culparum illorum efficiamur participes, ipsa prava interpretatione summota, ac tali consuetudine observata, statuimus declarando, & statuendo declaramus, ut illi tantum dicantur in ecclesia residentes, quoad præmissos reditus qui distribuuntur, prout quotidie resident, seu sit bladum, seu vinum, sive sint pecuniæ, vel alia bona, qui in ecclesia sua cum fratribus aliis horis debitis pensum servitutis nostræ, videlicet Matutinum, Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, Completoriumque persolverint: alioquin nihil percipiant ex ipsis reditibus, nisi prout servierint ecclesiæ, juxta ordinationem nostrâm infra proxime annotatam

Et ut hæc constitutio inviolabiliter observetur, volumus, & sub excommunicationis pœna mandamus, ut infra duos menses, a die publicationis præsentis concilii computandos, omnes & singuli clerici ecclesiarum nostræ provinciæ, ubi sunt plures clerici ordinati, & tales sunt reditus, de quibus supra præmisimus, hanc teneantur constitutionem sacramento firmare, & omnes etiam qui in posterum assumentur, antequam ad reditus admittantur. Ubi vero in ecclesia reditus tales non sunt, diœcesani locorum in synodis suis, quas eos contigerit celebrare, provideant, prout secundum Deum melius poterunt, ne in ipsis ecclesiis horis canonicis officium negligatur. Quod si major de capitulo, vel ubi omnes sunt pares, qui pro-

A ximo ipsis clericis præest, non fecerit hoc sacramentum præstari: sui beneficii periculo subjacebit, mulctandus per provinciale concilium, seu superiorem ipsius, vel per alium qui hoc possit.

Proximum supra scriptum concilium, in quantum rite possumus, ordinare & declarare volentes: statuimus ut infra duorum mensium spatium a die publicationis hujus concilii, ordinetur, quot & quantum habere debeat qui Matutino interfuerit, & aliis horis canonicis, ex reditibus de quibus supra proximo concilio est præmissum, ubi tales sunt reditus. Et quia in specie dare in hoc B doctrinam non possumus, cum aliquæ ecclesiæ plus abundent, aliæ vero minus: prout possumus, providemus hoc modo, videlicet, ut qui Matutino interfuerit, duplum ejus habeat quod habebit qui erit in Missa; qui autem Tertiæ & Sextæ, medietatem ejus habeat quod ei fuerit datum in Missa; & idem in Nona servetur, quod est in Tertia & Sexta præmissum; qui autem in Vesperis & Completorio, tantum habeat quantum qui Missæ interfuerit, secundum præmissa. Ut clare intelligas, suppone quod decem sint denarii distribuendi in dies pro quolibet canonico: de ipsis decem denariis dabis C ei qui interfuerit Matutino denarios quatuor; qui Missæ, duos; qui Tertiæ & Sextæ, unum; & unum qui interfuerit Nonæ; & qui interfuerit Vesperis & Completorio, dabis duos denarios, ut dedisti in Missa.

Verum quia nec sic est, secundum quod præmissum est, ad plenum contra dolosos provisum, qui venire possent ad horas canonicas, non tamen hora debita, & in hora debita, non tamen starent quousque officium compleretur: contra eos statuimus, ut is dicatur Matutino interesse, qui ad eccle- D siam venerit antequam Venite cum hymno cantetur, cum hymnus dicitur: alias cum dicetur, Venite, cum primo psalmo; ex quo hymnus tunc non cantatur; & steterit quousque Prima completa fuerit. Qui Missæ, antequam cantetur Kyrie eleïson, & steterit quousque fuerit finita Missa. Qui Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperis, & Completorio, antequam psalmi incipiantur, & steterint quousque fuerint dictæ horæ perfectæ. Aliter nihil percipiant. Quicumque autem contra fecerit, præter reatum perjurii, teneatur ad duplum illius quod perceperit re- E stituendum ecclesiæ, cui servitium debitum est subtractum, convertendum in ornamenta ipsius ecclesiæ.

In aliis autem ecclesiis, ubi reditus non sunt tales: locorum ordinarii, in quantum commode poterunt, remedium salubre adhibeant, ut ipsis serviatur ecclesiis, prout decet. Et ne per præsentes aliqua fiat fraus, ordinamus quod campanæ horarum in no-

ANNO CHRISTI 1286.

cte & die tantum pulsentur, quod omnes confratres se possint parare ad intrandum ecclesiam, nec incipiatur officium, antequam campana pulsare cessaverit.

Vt misericordia temperemus rigorem, statuimus & ordinamus, ut illi etiam residere dicantur, quoad suprascriptos reditus, dato quod non intersint horis Divinis, qui solennem medicinam receperint, per tres dies proxime subsequentes; & qui minutionem celebraverit, per duos dies; & alii etiam, qui infirmitate gravati, absque læsione gravi suæ personæ venire non possunt; illi etiam qui dicta de causa exeunt. Item vel illi qui ad superfluitatem corporis deponendam exeunt, dum tamen sic cito redeant, quod contra hujus concilii, & suprascriptorum conciliorum mentem non notentur fecisse. Et propterea volumus, & mandamus: quod omnes istæ tres constitutiones juramento firmentur, quod contra ipsas, vel earum aliquam, non committetur fraus vel dolus per eos.

De testamento usurariorum. Rubrica VI.

Concilium Lugdunēse II. cap. 27.

Cognoscentes salubrem constitutionem generalis concilii Lugdunensis, quæ incipit, *Quamquam usurarii manifesti*, ac volentes ipsam intra provinciæ nostræ terminos ab omnibus inviolabiliter observari: statuimus quod nullus notarius nostræ provinciæ, alicujus usurarii testamentum conficiat, seu ubi conficiatur, intersit: nisi presbyter parochialis sit præsens, cujus est parochianus testator: & ante omnia, si dictus presbyter postulaverit, quod forma fuerit dicti concilii observata.

Si quis autem notarius dictæ provinciæ contrarium scienter attentaverit, in ipsum per hanc nostram constitutionem excommunicationis sententiam promulgamus. Et ne parochiales presbyteri, in tenore prædicti concilii, aliquo decipiantur errore: volumus & mandamus, quod omnes præfati presbyteri tenorem dicti concilii teneantur habere, & quod locorum ordinarii in episcopalibus synodis annuatim per singulas diœceses celebrandis, per se, vel per aliam personam sufficientem, dictum concilium suo clero exponant, & aperiant ita clare, quod nullus habeat justam causam ignorandi ea quæ continentur in eo.

De decimis. Rubrica VII.

Cum jure Divino & humano decimæ debeantur, & in signum universalis dominii sibi ipsas Dominus reservaverit: exactionem ipsarum præterire non possumus nec debemus, absque animarum periculo nobis subjectarum, & ecclesiarum nostrarum læsione enormi. Proinde statuimus, ut A ecclesiarum prælati, & clerici universi nostræ provinciæ, quibus debentur decimæ de consuetudine vel de jure, sint soliciti exigere decimas ab iis qui eis tenentur; ac diœcesani ipsorum se pronos exhibeant absque damno moræ in monitionibus & coactionibus inferendis: ut videlicet, monitione præmissa canonica, excommunicent decimas non solventes; nec negligant nec retardent quæ in hoc casu fuerint facienda de jure. Quod si aliquis contemnens decimas solvere, excommunicationis fuerit ligatus sententia, & eam per mensem sustinuerit animo indurato: contra ipsum contumacem, B quoties diœcesanus fuerit requisitus, teneatur invocare cum effectu solicite auxilium brachii sæcularis. Si quis suffraganeorum nostrorum in executione hujus statuti fuerit negligens vel remissus: per suum metropolitanum, vel per concilium provinciale subsequenti tempore celebrandum, durissime redarguatur, & etiam puniatur.

De criminibus & delictis specialiter episcopis reservandis. Rubrica VIII.

C Ne ducatum præbeat cæcus cæco, casus, in quibus volumus solos adiri episcopos, per hanc nostram constitutionem ecclesiarum rectoribus nostræ provinciæ intimamus: districte eis sub excommunicationis pœna mandantes, ne de his se ullatenus intromittant, sed illos ad suum in his casibus diœcesanum remittant, qui in his, vel eorum aliquo, eis voluerint confiteri. Casus autem sunt hi: videlicet, cum quis petit absolvi ab excommunicatione majori lata, vel inducta ab homine, vel a jure: item incendio & crimine publico: sicut in blasphemante Deum, D vel sanctos: item in voto qualitercumque emisso: & cum illis, qui filios oppresserant ex proposito, sive casu: & cum quibuslibet homicidis & sacrilegis, falsariis, violatoribus ecclesiarum & immunitatum ecclesiasticæ libertatis, & sortilegis: item cum iis qui cum brutis libidine polluuntur: item cum incestuosis & corruptoribus sanctimonialium: & in omni occupatione, usurpatione & detentione rei alienæ, ubi cui restitutio fieri debeat non inveniri potest: item cum perjuris, & clandestine matrimonium contrahentibus, ex quo matrimonio dubitatio oriatur, vel oriri possit: & in omnibus E aliis criminibus, delictis & excessibus, in quibus de consuetudine generali vel speciali episcopis reservatur confessio.

De immunitate ecclesiarum Rubrica IX.

Quoniam quidam perditionis filii libertatem ecclesiæ attributam nituntur infringere, quin immo * esse assiduo plura ordinentur remedia, semper tamen de malo prola-

* f. licet assid.

ANNO CHRISTI 1286.

prolabuntur in pejus, ac in sua pertinacia durius confirmantur: oportet nos vigilanti studio intendere ad reprimendam ipsorum malitiam perversorum. Attendentes igitur, quod licet singuli qui statuta edita, & consuetudines introductas contra ecclesiæ libertatem servari fecerunt, vel fecerint, quive secundum eadem statuta, seu consuetudines, præsumpserunt, vel præsumpserint judicare, necnon statutarii & scriptores statutorum ipsorum, potestates, consules, & rectores locorum, ubi de cætero hujusmodi statuta vel consuetudines introductæ fuerint, editæ vel servatæ, majoris excommunicationis sint ligati sententia; hi tamen, ipsa excommunicationis sententia vilipensa, in ipsorum animæ detrimentum, perceptioni sacramentorum, & participationi fidelium se immiscent: hoc non valentes tolerare vel dissimulare diutius, absque ecclesiarum nostræ provinciæ læsione enormi, volumus & mandamus, ut annis singulis in nativitate & paschate resurrectionis Domini, ac in solennitate sanctorum omnium, coram fideli populo denuncietur publice in Missarum solenniis, omnes & singulos suprascriptos, in majoribus ecclesiis civitatum, castrorum, & aliorum locorum, ubi sunt conventuales vel collegiatæ ecclesiæ nostræ provinciæ, majoris excommunicationis vinculo fore ligatos. Insuper monemus potestates & rectores, antianos, consiliarios, & officiales, quibuscumque nominibus nuncupentur, civitatum, castrorum, & locorum provinciæ nostræ: quod ipsa statuta infra menses duos, a die publicationis præsentis concilii computandos, de capitulariis suis deleri faciant. Et quoniam contemptu crescente, pœna debet augeri: ad privationem omnium honorum, officiorum, gratiarum, immunitatum, privilegiorum omnium, ac insuper feudorum, & bonorum omnium aliorum, quæ ab ecclesiis nostræ provinciæ tenent, procedemus, prout crediderimus esse de jure: nisi ipsa statuta de suis capitularibus deleri fecerint, ut superius est præmissum, infra terminum suprascriptum. Quod si nec sic a tam nequam proposito curaverint resilire: a quocumque cujus intersit, denunciatione facta metropolitano, qui erit pro tempore, in sequenti provinciali concilio, ante omnia teneantur in concilio præsidentes, super hoc præmissis aliis, cura solicita providere.

Lectæ & publicatæ fuerunt prædictæ constitutiones, statuta, & ordinamenta, in choro superiori sancti Mercurii Foroliviensis, & ordinatæ & confirmatæ per suprascriptos venerabiles patres, dominum archiepiscopum & suffraganeos ejus, scilicet dominum S. episcopum Imolensem, dominum Y. Dei gratia episcopum Faventinum, dominum R. Dei gratia episcopum Foroliviensem, dominum Thaddæum Dei gra-

A tia episcopum Forlipopiliensem, dominum Aimericum Dei gratia episcopum Cæsenatensem, dominum Henricum Dei gratia episcopum Saxenatensem, & dominum B. Dei gratia episcopum Adriensem, & procuratores episcopi Bononiensis, episcopi Cerviensis, episcopi Mutinensis, episcopi Parmensis, sub anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, Indictione decimaquarta, die octava mensis Iulii, præsente multitudine clericorum.

Die prædicto in palatio populi communis Forilivii, quod inhabitat dominus comes Romandiolæ, venerabilis pater dictus dominus archiepiscopus commisit & mandavit domino Michaeli archidiacono Ravennati, ut in præsentia prædictorum episcoporum, & de ipsorum consilio definiret, quod per ipsum B dominum archiepiscopum deberet reiterari visitatio per provinciam ecclesiæ Ravennatis. Actum, &c. In nomine Domini. Amen.

Injuncti a domino nostro Bonifacio archiepiscopo Ravennate officii cura solicitat, ut his quæ a sanctis patribus instituta cognovit, studio vigilanti intendat. Cum ergo per omnes provinciæ ejusdem decretæ diœceses visitationem perfecerit, prout, Deo annuente, secure potuit, eique liceat visitationem per eamdem reiterare provinciam, suprascriptorum suffraganeorum requisito consilio: de speciali mandato & commissione ipsius domini archiepiscopi, nobis Michaeli archidiacono Ravennati facta, definimus visitatio- C nem per eamdem provinciam reiterari debere per dominum archiepiscopum suprascriptum. Facta fuit definitio, *&c.*

*** CONCILIUM BITURICENSE

ANNO CHRISTI 1286.

A Simone de Belloloco archiepiscopo cum suffraganeis celebratum, xv. Kal. Octobr. ann. MCCLXXXVI.

Ex codice MS. collegii Parif. Soc. IESV.

TITVLI CAPITVLORVM.

D

15. *Vt*

ANNO CHRISTI 1286.

PRÆFATIO.

QVoniam constitutiones conciliorum prædecessorum nostrorum diversas reperimus; sicque vagabundas, quod tanquam incertæ per totam provinciam vacillabant, ex quo inconveniens sequebatur, quod aliqui per constitutiones erant pœnis multiplicibus obligati, alii excommunicati, alii suis beneficiis privati, ignorantes pœnas, sententias, & præcepta, quæ in prædictis conciliis continentur: idcirco ad utilitatem, pacem, & tranquillitatem provinciæ, ne labilis hominum memoria possit ignorantiam prætendere in futurum, constitutiones antiquas scripto, ex assensu totius concilii, dignum duximus comprehendi, & sigillorum nostrorum munimine roborari: adjicientes constitutiones alias, & dubia quæ erant in prioribus declarantes: præcipientes, ut ab omnibus vocatis ad concilium habeantur, & ut semel in anno in synodis episcopalibus publice & perfecte legantur.

CAPITVLA.

I. *De corrigendis & dirimendis matrimoniis.*

IN primis ad instar prædecessorum nostrorum, nos archiepiscopus Simon, cum suffraganeis nostris, de consilio & assensu totius concilii, statuimus, quod judices ecclesiastici, ad quos spectat cognitio & definitio causarum matrimonialium, in corrigendis & dirimendis matrimoniis, cum omni maturitate & consilio peritorum procedant: & quod matrimonia illicite contracta, timore vel amore nullatenus sustineant, sed ad illa separanda, omni dilatione & excusatione A exclusa, procedant; capellani autem parochiales, matrimonia, quæ in suis parochiis illicite contracta cognoverint, studeant diœcesanis, aut eorum officialibus, quam citius commode potuerint, intimare: quod nisi fecerint, superiorum suorum arbitrio graviter puniantur.

II. *Ne matrimonia infra legitimam ætatem, vel clandestine, contrahantur.*

Item districte inhibemus, ne ante ætatem legitimam masculus vel fœmina matrimonium contrahant, & nisi in facie ecclesiæ, B atque bannis prius editis juxta morem, & ne aliqui in tali matrimonio interesse præsumant. Quod si infra ætatem legitimam matrimonium contrahere attentent: tam contrahentes, quam illi qui scienter & sponte interfuerunt, arbitrio ordinarii puniantur. Nec calumniose prætendant, quod malitia supplet ætatem: cum constet hujusmodi cognitionem ad ordinarium pertinere. Sed quantum ad contrahentes clandestine, & cooperatores & scienter præsentes: omnes, C statutum antiquum super hoc editum innovando, excommunicationis vinculo innodamus, sive sint clerici, vel laici, vel religiosi.

III. *Vt nemo cognitiones causarum usurpet extra loca suæ jurisdictionis.*

Sane quia nonnulli cognitiones causarum matrimonialium, necnon de sacrilegiis, aut aliis majoribus causis, usurpare nituntur, aut de aliis cognoscunt extra loca suæ jurisdictionis, in quibus non sunt cognoscere consueti: D statuimus & prohibemus, ne de cætero talia attentent, nisi de consuetudine præscripta, antiqua, & approbata, fuerit obtentum, aut nisi eis specialiter sit commissum, ab eo qui potestatem habeat committendi. Quod si factum fuerit, superioris arbitrio punietur. Et processus non teneat ipso jure: causam etiam non præbeat præscribendi.

IV. *Ne archidiaconi, &c. habeant officialem extra civitatem.*

E Item statutum renovantes antiquum, firmiter inhibemus, ne archidiaconi, archipresbyteri, seu alii jurisdictionem habentes ecclesiasticam, extra civitatem habeant officium*: sed extra civitatem in personis propriis officium suum fideliter expleant. Et si aliquis processus habitus fuerit coram talibus judicibus, quod fieri prohibemus: eum decernimus non tenere. Hoc autem intelligimus, nisi quatenus de antiqua, præscripta, & approbata consuetudine, fuerit obtentum. Illud etiam quod in contrarium ab eis

*leg. officialem

ANNO CHRISTI 1286.

eis attentabitur, causam non præbeat præscribendi.

V. *Ut parochi non gaudeant fructibus, donec sint in sacris ordinibus.*

Item statutum antiquum invenimus editum per hæc verba: Statuimus, ut clerici in majoribus ordinibus constituti, ad regimen parochialium ecclesiarum præsentati, in ecclesiis, per diœcesanum instituti, fructibus non gaudeant donec fuerint in sacris ordinibus: sed in utilitatem ecclesiæ, secundum quod diœcesano expedire videbitur, convertantur.

VI. *Ut clerici peregrini non admittantur, nisi comprobati.*

Item nullus presbyter, vel clericus peregrinus, ad celebrandum, prædicandum, vel officiandum publice populo in ecclesia, admittatur: nisi per diœcesanum, vel suos fuerit comprobatus.

VII. *Ut clerici focarias non habeant.*

Item nullus sacerdos, vel clericus beneficiatus; mulierem in domo habeat suspectam. Præcipitur autem archipresbyteris in virtute præstiti juramenti, quod per archipresbyteratus suos hac vice discurrant, & omnes mulieres suspectas a domibus presbyterorum & clericorum beneficiatorum expellant. Si quis autem prius canonice monitus, deinceps convictus fuerit concubinam seu fornicariam in domo propria habere: privetur ecclesia, seu beneficio, nisi prælatus ejus ex causa probabili dispensandum viderit cum eodem.

VIII. *Ut filii presbyterorum illegitimi, in eorum domibus non nutriantur.*

Filios autem illegitime natos presbyterorum, & clericorum beneficiatorum, nutriri in domibus propriis eorum penitus prohibemus. Quod si contra fecerint, puniantur arbitrio prælatorum. Presbyteri autem negotiatores publici, & tabernas frequentantes, seu aleatores, pœna simili puniantur.

IX. *Ut clerici qui per annum in excommunicatione fuerint, beneficio priventur.*

Item statuimus, quod clerici beneficiati, qui per annum in excommunicatione perstiterint, si negligentes in petenda absolutione fuerint, beneficio omni jam adepto priventur: nisi cum eis per diœcesanum fuerit dispensatum.

A

X. *Ut ecclesiarum rectores descripta habeant nomina excommunicatorum, & eos festis diebus denuncient.*

ANNO CHRISTI 1286.

Quoniam excommunicati, communioni hominum irreverenter se ingerunt; & nonnulli etiam cum excommunicatis participare non formidant in periculum animarum: ne aliquis per ignorantiam super his se excusare valeat, statuimus quod singuli ecclesiarum rectores, & eorum loca tenentes, habeant rotulos quilibet suum, in quo scribant omnia nomina excommunicatorum

B suæ parochiæ, & quorum autoritate, & ad quorum instantiam, sunt excommunicati, & tempus excommunicationis; & eos sic excommunicatos denuncient publice in suis ecclesiis, diebus Dominicis & festivis, donec de absolutione constet eis evidenter. Inhibeant nihilo minus parochianis suis, ne cum eis participare præsumant; alioquin noverint quod contra eos durius procedetur.

XI. *Ut habeant iidē & legant constitutionem Gregorii X. & aliam Simonis legati, contra impedientes iurisdictionem ecclesiasticam.*

Præcipimus etiam sub pœna suspensionis,

C quod omnes parochiales presbyteri habeant illas duas constitutiones: Videlicet Gregorianam, quæ incipit, *Quicumque*; & Simonis legati, quæ incipit, *Cum iuris utilitas*, contra impedientes jurisdictionem ecclesiasticam, in Gallico seu vulgari suo, & Latino; & eas legant saltem semel in mense, & eas diligenter exponant populo, quod nullus sæcularis possit se super hoc prætextu ignorantiæ excusare. Quarum constitutionum tenores immediate sequuntur.

D *Constitutio edita in concilio Lugdunensi a Gregorio papa decimo.* c. 31.

QUicumque pro eo quod in reges, principes, barones, nobiles, bailivos, & quoslibet ministros eorum, aut quoscumque alios, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententia fuerit promulgata, licentiā alicui dederit occidendi, capiendi, seu alias in personis, aut bonis suis, vel suorum, gravandi eos qui tales sententias protulerint, sive quorum sunt occasione prolatæ, vel easdem sententias observantes, seu taliter excommunicatis communicare nolentes: nisi licentiam ipsam re integra revocaverint, vel si ad bonorum captionem, occasione ipsius licentiæ, sit pro-

E cessum: nisi bona ipsa fuerint intra octo dierum spatium restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa: in excommunicationis sententiam incidant ipso facto. Eadem sint quoque sententia innodati omnes, qui ausi fuerint prædicta licentia data uti, vel aliquid præmissorum, ad quæ committenda licentiam dari prohibemus, alias committere suo motu. Qui autem in eadem sententia permanserint duorum mensium spatio, ex tunc ab ea non possint nisi per sedem apostolicam absolutionis beneficium obtinere. Datum Lugduni Kal. Novemb. pontificatus nostri anno tertio.

ANNO CHRISTI 1286.

A

Constitutio Simonis legati facta in concilio Bituric.

Concil. Bitur. an. 1277. c. 16.

CUm juris utilitas tot & tantis excogitata vigiliis, sufficienter nequeat prosperari, si processus ministrorum justitiæ contingat iniquorum machinationibus impediri: ut illorum audaciam, quos amor Divinus a malo non revocat, saltem rigor ecclesiasticæ coerceat disciplinæ: sacri concilii duximus provisione statuendum, quod si quis, cujuscumque dignitatis & conditionis existat, nuncios aut executores ecclesiasticorum judicum, aut alios litteras eorumdem actave judiciaria deferentes, hac occasione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, mutilare, aut, quod gravius est censendum, interficere, litteras vel acta prædicta personis memoratis auferre, seu ea rumpere, cancellare, aut alias destruere quoquomodo, vel sic ablata celare, præsumpserint; aut ut ista fiant, procuraverint, vel facientibus consilium, vel opem duxerint adhibendam: excommunicationis sententia, quam ex nunc proferimus, subjaceant ipso facto, a qua, nisi prius tam judici, cujus autoritatem contempserint, quam passo injuriam, & cæteris quorum intererit, prout excessus postulabit atrocitas, satisfaciant competenter, nullatenus absolvantur. Ad quorum memoriam observandam, & præmissorum testimonium, sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum in eodem concilio anno Domini MCCLXXVII. Romana ecclesia vacante.

B

XII. *Ut observetur constitutio Gregorii X.* Quia nonnulli *de rescriptis.*

C

Item illam constitutionem de rescriptis, *Quia nonnulli*, ab omnibus præcipimus arctius observari, in omnes transgressores scienter, excommunicationis sententiam promulgantes. Ne autem de constitutione hujusmodi, sive de iis quæ continentur in illa, prætendi possit ignorantia, & diversi modi in ea constitutione contenti, quibus plerique litteris apostolicis abutuntur, ex ipsius constitutionis inspectione plene pateant: tenorem constitutionis ipsius de verbo ad verbum, prout proxime & immediate sequitur, duximus inserendum.

D

Extra de rescript. c. quia non nulli.

QUia nonnulli diversis modis, litteris apostolicis abutuntur, statuimus ut quicumque obtentas sub uno nomine litteras aliis ejusdem sui nominis tradunt, qui quos volunt indebite fatigant per easdem, & qui eas tali modo recipiunt, quique illos contra quos nihil habent actionis * faciunt in judicium evocari, aut litteras ipsas ad futuras trahunt controversias, quæ nondum fuerant tempore impetrationis exortæ, seu quemquam super uno negotio, vel etiam maliciose super pluribus personalibus actionibus, quæ sub uno judice possent tractari commodius, per varias litteras coram diversis trahunt judicibus, ut reus sic laboribus fatigatus & sumptibus, compellatur componere, vel cedere juri suo, aut actorem reus eodem tempore ad diversa loca vel indeterminate ad villam quæ commune cum pluribus ejusdem provinciæ villis habet vocabulum, citari procurat, ut si non comparuerit, excommunicetur quasi contumax; & sic eum a sua intentione repellat: earumdem litterarum commodo careant: & adversariis, in moderatis expensis ac damnis, quæ propter eos pertulisse constiterit, condemnentur.

* al. quæstionis

E

XIII. *Ut omnes semel in anno confiteantur.*

ANNO CHRISTI 1286.

Item statuimus quod presbyteri parochiales admoneant parochianos suos proprios, ut saltem semel in anno de omnibus peccatis suis confiteantur eisdem; & quod nomina sic confitentium in scriptis redigant, quibus in festo Paschæ viaticum dent: aliis autem denegetur condemnantibus confiteri modo prædicto proprio sacerdoti, aut alicui de licentia ipsius, vel episcopi. Et si anno quo decesserint, confessi non fuerint, ut præmittitur, eis sepultura ecclesiastica denegetur: nisi adeo morte præventi fuerint, quod possint legitime excusari, & signa pœnitentiæ in ipsis apparuerint evidenter. In prædictis autem confessionibus diligenter inquirant a subditis, si jurisdictionem ecclesiasticam impediunt, seu etiam impediverunt. Quod si confiteantur, ad diœcesanum, vel ad ejus mandatum, mittantur absolvendi, vel ad sedem apostolicam, secundum quod negotii qualitas postulaverit.

XIV. *Ut rectores ecclesiarum legant constitutiones pontificum, de proprio sacerdote, & de privilegio regularium.*

Præcipimus etiam sub pœna excommunicationis, universis ecclesiarum capellanis curatis, quod habeant in vulgari & Latino, constitutionem Innocentii III. editam in concilio generali, quæ incipit, *Omnis utriusque sexus*; & constitutionem Clementis papæ, quæ dirigitur fratribus Prædicatoribus; & incipit, *Quidam temere sentientes.* Item habeant illam constitutionem Martini, quæ dirigitur fratribus Minoribus; quæ incipit, *Ad fructus uberes*: & eas diligenter intelligant, & populo exponant: quod ipsis prædicantibus districte præcipimus observare. Tenores autem dictarum constitutionum hic per ordinem inseruntur.

Constitutio Innocentii III.

Concil. Later. IV. c. 21.

OMnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha eucharistiæ sacramentum: nisi forte de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejusdem perceptione duxerit abstinendum. Alioquin vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur; & moriens Christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ex ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat a proprio sacerdote: cum aliter illum ipse absolvere non possit nec ligare. Sacerdos autem sit discretus & cau-

ANNO CHRISTI 1286.

tus, ut more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati: diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati. Quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum. Caveat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo, prodat aliquatenus peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotis officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam pœnitentiam perpetuam in arctum monasterium detrudendum.

Constitutio Clementis.

Data ejusdem exempli littera ad generalem ordinis Minorum.

CLemens servus servorum Dei, dilectis filiis, magistro & fratribus ordinis fratrum Prædicatorum, salutem & apostolicam benedictionem. Quidam temere sentientes, & ad sobrietatem sapere nescientes, imprudenter præsumunt asserere, quod de licentia, vel commissione aut concessione Romanorum pontificum, vel legatorum apostolicæ sedis, seu ordinariorum locorum, vos sine sacerdotum parochialium ecclesiarum licentia & assensu non potestis libere prædicare populis, audire confessiones, absolvere confitentes, ac pœnitentias injungere salutares. Nos igitur volentes assertionem tam temerariam penitus confutare, & elucidare in talibus veritatem: deliberatione provida declaramus, quod si vobis detur licētia, committatur, seu concedatur, a legatis prædictæ sedis, aut ordinariis locorum, (nedum a Romano pontifice de quo procul dubio esset erroneum dubitare, quin in omnes sine alicujus consensu, immo etiam invitis quibuslibet, hujusmodi possit concedere potestatem) populis, legatis ordinariis subditis eisdem, libere prædicare potestis, audire confessiones, absolvere vobis confitentes, & pœnitentias vobis confitentibus injungere salutares, aliorum inferiorum prælatorum, & rectorum ecclesiarum, & sacerdotū parochialium assensu, nullatenus requisito: illis casibus exceptis, qui de jure, consuetudine, seu retentione ab eis specialiter facta, prædictæ sedis legatis, & ordinariis prædictis specialiter relinquuntur: ad quos non licet vos manus extendere, nisi vobis specialiter committatur. Ideoque autoritate apostolica districtius inhibemus, ne quispiam super iis, vel eorum quolibet, vos, vel aliquem vestrum, aut etiam confitentes vobis, vel ad prædicationes vestras forsitan accedentes, contra præmissæ declarationis formam aliquatenus molestare præsumat: decernentes nihilo minus irritum & inane, &c. Datum, &c.

Constitutio Martini.

Data litteræ ejusdem exempli ad generalem & provinciales ordinis Prædicatorum.

MArtinus servus servorum Dei, dilectis filiis generali ministro & provincialibus ministris ordinis fratrum Minorum, salutem & apostolicam benedictionem. Ad fructus uberes, quos in agro Dominico, prædicando verbo pariter & exemplo, confessiones audiendo, & per alia virtutum exercitia, sacer ordo vester, & ordinis ipsius humiles professores, produxerunt hactenus, & in futurum sperantur Deo auspice producturi, attentæ considerationis aciē convertentes: ut fratres ejusdem ordinis, prædicationis & audiendi confessiones officia eo liberius & efficacius exequi valeant, quo certius de ipsorum circa eadem autoritate constabit: tibi, fili, ministro generali per te, vobis vero provincialibus ministris cum diffinitoribus in provincialibus vestris capitulis congregatis, committendi autoritate apostolica fratribus ejusdem ordinis, in sacra pagina eruditis, examinatis, & approbatis a vobis, prædicationis officiū; audiendi vero confessiones, absolvendi confitentes, & injungendi eisdem pœnitentias salutares, etiam fratribus alias idoneis, concedendi; eisdem quoque supradicti ordinis fratribus, quibus dicta officia per vos taliter commissa sive concessa fuerint, quod eadem libere valeant exercere; plenum damus & concedimus autoritate præsentium facultatem: districtius inhibentes, ne quis fratres ipsius ordinis, quibus dicta officia per vos taliter concedenda duxeritis, ut præmittitur, aut etiam committenda, in exercitio aut executione officiorum ipsorū audeat quomodolibet impedire. Nulli ergo hominum liceat hanc paginā nostrę cōcessionis & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Quod si quis attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Sabinam IV. Idus Februarii pontificatus nostri anno primo.

XV. *Ut parochi observent eos qui communicant cum excommunicatis.*

Item statuimus, ut injungatur capellanis, quod si viderint aliquem participare cum excommunicatis in mensa, vel in domo, aut commerciis, vel consulendo, moneant ipsos, alio mandato non expectato, ut nomina diœcesanis vel officialibus eorum per suas litteras mittant. Circa quod capellani solicite & diligenter se habeant, certi quod si in hoc inveniantur remissi & desides, graviter punientur.

XVI. *Ne quis excommunicatum, ab ordinario non absolutum, absolvat, aut tradat ecclesiasticæ sepulturæ.*

Sane prospeximus quod nonnulli religiosi, & alii, motui sui sensus potius innitentes, quam considerare volentes, quam grave sit periculum, aliquid attentare, potissime trāsgrediendo terminos quos posuere majores; quod posse vergere videatur in contemptum clavium, & fractionem nervi ecclesiasticæ disciplinæ: plerumque aliquorum corpora tradere præsumunt ecclesiasticæ sepulturæ, qui ab ordinariis suis excommunicati, culpis exigentibus eorundem, per tempora multa in sua contumacia & rebellione persistunt, claves ecclesiæ, & censuram ecclesiasticæ potestatis graviter contemnendo, in detrimentum nimium animarum suarum, & in scandalum plurimorum: sicque, absolutione a præfatis ordinariis non obtenta, quin etiam nec petita, finiunt dies suos, colore assumpto aliquoties a prædictis qui talium corpora sepulturæ ecclesiasticæ tradere non verentur, quod antequam eos sepeliant, ipsos intelligant fuisse per aliquem presbyterum in gravi infirmitate aliqua absolutos, qua evasione utuntur, ne dum si non plene constet eisdem quod in eo illi positi essent articulo ut debuerit ipsis absolutionis munus impendi; immo etiam etsi non suffi-

ANNO CHRISTI 1286.

sufficienter cōstet eisdem, quod prædicti rebelles ab aliquo sacerdote fuerint absoluti. Advertere etiam præsumptores hujusmodi non curantes, quod certis ex causis, quandoque illis quibus absolutionis beneficium impensum est, & qui cum signo veræ pœnitentiæ obierunt, iuste denegatur sive differtur ecclesiastica sepultura. Nos igitur, inter alia quamplurima quæ suadent, circa hujusmodi congruum debere remedium adhiberi, considerantes quod sepultura dilata defuncto non nocet................. ecclesiasticæ vero tradere sepulturæ excommunicatum, nimis perniciosum existeret ac damnosum: præsentis autoritate concilii, salubre istud remedium adhibemus, statuentes & districtius inhibentes, ne aliquis presbyter, aut religiosus, vel quicumque alius, cujuscumque status & conditionis existat, excommunicatos autoritate ordinaria, præterquam in articulo mortis, absolvat, aut tradat ecclesiasticæ sepulturæ, donec ab ordinario defuncti obtenta fuerit licentia specialis. Si vero in contrarium desuper defunctis aliquid attentetur a quibuscunque, cujuscunque conditionis existant: tam in eos, quam cooperatores, & qui opem vel consilium seu consensum dederint, & qui expensas ministraverint, & qui præsentes scienter hujusmodi fuerint, excommunicationis sententiam promulgamus. Capellanis autem ecclesiarum parochialium districte præcipimus; quod de hujusmodi statuto & tenore ipsius, plene & publice certificent illos, qui vellent talia attentare: ne fortassis ignorantia prætendatur.

XVII. *Ne usurarii ad sacramenta & sepulturam ecclesiasticam admittantur.*

Eisdem *pœnis qui usurarios publicos, quos autoritate præsentis concilii excommunicamus, & excommunicatos publice nunciari mandamus, in suis cœmeteriis sciēter sepelire præsumunt. Præcipimus etiam universis presbyteris parochialibus, ut singulis diebus Dominicis denuncient, usurarios publicos testari; nec posse, nisi de usuris satisfaciant, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum præstent vel promittant idoneam cautionem; nec posse per constitutiones tradi ecclesiasticæ sepulturæ. Cum hoc etiam præcipimus observari, & per capellanos curatos ecclesiarum parochialium in eorum ecclesiis publice recitari, constitutionem domini Simonis legati, quæ incipit, *Licet regularis observantiæ professores*: Cujus tenor est talis.

Deest, subjicimus eos, vel quid simile.

Licet regularis observantiæ professores, & alios quos sedes apostolica exemptionis seu libertatis majoris decoravit titulis, & privilegiis insignivit, attollere condignis favoribus intendamus; ipsorumque privilegia, quantum ad nos attinet, observare penitus illibata: sic tamen eos suis manere contentos juribus affectamus, quod privilegiorum suorum limites in aliorum injuriam non excedant. Proinde sacro approbante concilio duximus statuendum, districtius inhibentes, ne deinceps religiosi quicumque vel etiam sæculares, exceptionis sive libertatis sedis apostolicæ privilegiis communiti, excommunicatos publice, vel nominatim interdictos, seu usurarios manifestos, ad Divina seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam, scienter admittant. Qui si contra fecerint, præter pœnas a jure statutas, ingressum ecclesiæ eo ipso sibi noverint interdictum, donec prolatoribus sententiarum hujusmodi, quorum autoritatem contempserint, & aliis, quorum interesse contigerit, de prædictis excessibus & omnium interesse ac damnis, satisfecerint competenter.

Concil. Bituric. an. 1267. c. 15.

ANNO CHRISTI 1286.

XVIII. *De disciplina regularium.*

Quia vero id solum bene agitur ut vita hominum corrigatur, ac in nostra provincia multos in religione................ reperimus contra substantiam ordinis sic errantes, quod religione penitus deficiunt: statuimus, ut in choro, capitulo, refectorio, & dormitorio, regula observetur, nullus cameram singularem habeat, præterquam infirmarius, nisi necessitas officii id exposcat: in qua sibi jacere, & non comedere licebit, nisi de abbatis licentia speciali: quod raro & ex causa fiat. Eisdem vestibus, & ejusdem coloris, quilibet religiosus in suo loco utatur.

XIX. *Ne monachi habeant proprium.*

Item inhibemus, ne monachi, nisi sint in administratione constituti, habeant sub aliquo colore proprium, etiam de licentia abbatis: cum licentia in iis non valeat suffragari eisdem. Si abbates contra hanc inhibitionem nostram fecerint, graviter puniantur.

XX. *Ne prior mutuetur ultra 60. solidos Turon.*

Prohibemus etiam, ne aliquis prior contrahat mutuum ultra summam sexaginta solid. Turon. nisi de consensu & autoritate abbatis sui, vel alterius superioris. Hæc constitutio in parochiis prioris publice nuncietur. Si quis vero contra inhibitionem & denunciationem nostram mutuaverit prioribus: sciat priores tali mutuo non teneri, nisi evidenter constare possit, pecuniam in utilitatem ecclesiæ conversam fuisse. Caveant etiam diligenter abbates, quod dum prioratus suos visitant, domos prioratuum faciant congrue reparari.

XXI. *Vt ab ecclesiis amoueantur arcæ, & similia.*

Præcipimus etiam de ecclesiis omnibus, tam prioratibus, quam parochialibus ecclesiis, arcas & grana penitus amoveri: quæ si anno

ANNO CHRISTI 1286.

anno elapso amota non fuerint, ea faciemus in usus pauperum converti.

XXII. *Vt in ecclesiis choreæ non fiant.*

Choreas in omnibus ecclesiis fieri penitus inhibemus.

XXIII. *Ne monachi minores 20. annis, morentur in prioratibus non conventualibus.*

Inhibemus, ne monachi, minores viginti annis, ad prioratus foraneos non conventuales mittantur moraturi ibidem. Hoc autem ab abbatibus sic præcipimus observari, quod in futuro concilio contra constitutionis hujusmodi transgressores intendimus durius procedere per suspensiones & excommunicationes, & aliter: quantum justitia suadebit.

XXIV. *Ne mulieres morentur in domibus regularium.*

De mulieribus autem in domibus monachorum, & aliorum religiosorum, non morandis, hoc idem statuimus, quod de presbyteris & clericis beneficiatis est statutum.

XXV. *Vt decimæ non accipiantur a laicis.*

Item, quia nonnulli religiosi recipiunt decimas a laicis sine consensu diœcesanorum, & aliqui clerici & laici in præjudicium ecclesiarum parochialium, jura prohibitionis contemnentes: sancto approbante concilio ordinamus, quod rectores ecclesiarum, vel eorum vicarii, publice semel, secundo, & tertio, diebus Dominicis, astante plebe, in ecclesiis suis moneant & prohibeant, ne tradendo vel recipiendo de cætero talia attentare præsumant. Quod si post monitiones contra fecerint: tam tradentes, quam recipientes, nisi ex causa justa & rationabili super hoc defendi valeant, excommunicationi subjaceant ipso facto. Quam excommunicationem præcipimus in ecclesiis parochialibus nunciari, & nomina excommunicatorum diœcesano vel officiali suo in scriptis dari: qui contra constitutionis hujus violatores procedat, quantum fuerit rationis.

XXVI. *Vt mortuis, vel amotis prioribus, prioratus non vacuentur.*

Quia vero tam abbates, quam priores conventuales, mortuis, vel amotis prioribus ex causa, bona quæ in eorum ecclesiis inveniunt, capiunt & apportant: prohibemus, ne de cætero talia attentent, nisi tantum dimittant de bonis ejusdem, quod usque ad fructus sequentes valeat competenter domibus & prioratibus provideri. Si vero contra fecerint, diœcesani arbitrio puniantur.

XXVII. *De testamentis non occultandis.*

Cōcil. Turon. an. 1233. c. 7.

Statutum vero quondam antiquum editum invenimus in provinciali concilio Bituricensi per hæc verba: „Ne decedentium voluntates, quas pium est executioni demandare, per aliquorum maliciam supprimi valeant vel etiam occultari: statuimus, quod infra decem dies a tempore obitus testatoris, ad episcopum, vel archidiaconum, vel ad illos qui loco ipsorum super hoc fuerint deputati, vel ad illos qui jurisdictionem episcopalem habere noscuntur, accedant, secum testamentum, si scriptum fuerit, delaturi; vel, si scriptum non fuerit, per sacramentum ipsorum, quod testator disposuit, probetur: ut ex tunc præfati testatoris voluntas in formam publicam redigatur. Injungimus autem episcopis, & archidiaconis, & aliis jurisdictionem habentibus ecclesiasticam, ut si executores testamentorum in exequenda decedentium voluntate invenerint negligentes, voluntatem ipsorum fideliter executioni demandent. Quibus prælatis & executoribus, sub interminatione Divini judicii firmiter inhibemus, ne quidquam de bonis decedentium in proprios usus convertere vel etiam detinere præsumant: statuentes, quod si executores aliqui, id quod sibi deberi asserunt, propria autoritate usurpandum duxerint, illud restituere compellantur; actione, si qua eisdem super eodem debito competierit, sint hac sua temeritate privati: nisi restituerint, ex quo super hoc moniti fuerint competenter.“

XXVIII. *De executoribus testamentorum.*

Item statuimus, quod executores, titulo emptionis, vel alio, nihil de bonis retineant testatoris: nisi ab ipso testatore legatum sibi expresse fuerit vel concessum. Quod etiam sine autoritate judicum non poterunt retinere. Et si quid contra præsumpserint attentare, precium amittant: si causa venditionis præsumpserint retinere, & alia causa, judicis arbitrio puniantur.

XXIX. *Vt episcopi exequantur testamenta, si executores sint negligentes.*

Quia vero nihil est quod tam hominibus debeatur, quam quod supremæ eorum voluntates executoribus mandant; nec est, quod negligentius persolvatur: idcirco injungimus prælatis, & universis jurisdictionem habentibus specialem, ut si executores, seu heredes, in exequendis decedentium voluntatibus inveniuntur negligentes, ipsas fideliter executioni demandent, prout in sanctis constitutionibus est statutum.

ANNO CHRISTI 1286.

XXX. *Ut testamenta fiant coram proprio sacerdote.*

Attendentes autem primum spectare ad salutem animarum illorum qui testamenta sua condere volunt, sive ultimas voluntates, ut capellani ecclesiarum quarum parochiani existunt, & à quibus recipere debent ecclesiastica sacramenta, intersint testamentis & ultimis dispositionibus, inducendo eos ad emendanda forefacta & restituenda illicite acquisita, & alia ordinanda, quæ ad salutem pertineant animarum: unde etiam ex præsentia sacerdotis testamentum per canones redditur efficacius approbatum. Considerantes insuper, quod initio, & executio testamentorum, ad pontificalem pertinet autoritatem, secundum civiles & canonicas sanctiones: statuimus, & statutum hujusmodi præcipimus publicari, ut quicunque testari voluerint, proprium sacerdotem & curatum, aut aliquem ordinarium [a], ad testamenti sui factionem advocent, in cujus præsentia manifeste appareat de testatoris libera voluntate.

[a] leg. ecclesiasticum.

XXXI. *De compellendis excommunicatis ut faciant se absolvi.*

Statuimus, ut singuli qui per annum & amplius sustinuerint publicam excommunicationis sententiam, moneantur diligenter, ut infra duos menses a tempore monitionis, faciant se absolvi, denunciando eis, quod si id commiserint ullo modo, parcetur eis de emenda novem librarum Parisiensium, quod integre leventur ab eis. De qua monitione, denunciatione, & die, fiant litteræ, illorum per quos monebuntur nomina continentes, cum adhibitione testium, qui similiter inscribantur. Et si elapsis duobus mensibus prædicti excommunicati moniti, eandem sententiam excommunicationis sustinuerint: prædictæ litteræ mittatur diœcesano, vel eius officiali, qui procedant contra eos hoc modo. Monebunt sæculares potestates, & compellent, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam, ut eos excommunicatos redire compellant ad ecclesiæ unitatem, injiciendo manus in personas & bona eorum. Item monitione competenti præmissa, excommunicabunt participantes cum eis. Item vocabunt excommunicatos ad proximam synodum tanquam suspectos de fide. Et si comparuerint, procedatur contra eos prout diœcesano videbitur. Si autem non comparuerint, procedatur contra eos tanquam suspectos de fide, & excommunicabuntur, & nihilo minus citabūtur ad sequentem synodum, nisi interim faciant se absolvi. Et tunc procedatur contra eos secundum formam canonum. De his

A autem qui minus anno sustinuerint excommunicationem, juxta qualitatem personarum & temporis, levetur emenda, secundum consuetudinem seu usum diœcesis.

ANNO CHRISTI 1286.

XXXII. *Ut religiose festa serventur.*

Præcipimus etiam, quod dies Dominici, & festa, (ea scilicet quæ continentur, extra de feriis, cap. *Conquestus*, & ea quæ consuevit quælibet ecclesia solemniter celebrare) cum omni cura & diligentia præcipiantur ab omni servili opere observari: & quod sa-
B cerdotes, sub pœna suspensionis, contra venientes denuncient ordinariis, qui eos puniant, prout viderint faciendum.

XXXIII. *Ut suffraganei, & inferiores judices, appellationibus deferant.*

Item præcipimus, ut suffraganei, & officiales ipsorum, & alii inferiores judices, humiliter appellationibus deferant, quibus fuerit deferendum: nec propter hoc partium advocatis bona fide appellantibus molesti existant, nec aliquam pœnam infli-
C gant. Qui scienter ac malitiose contra fecerint, ab ingressu ecclesiæ per mensem noverint se suspensos. Advocatos, qui se scienter ac malitiose contra statutum hujusmodi subtraxerint, aut ex favore illicito, excommunicationis vinculo innodamus.

XXXIV. *Ut officiales archiepiscopi non impediant iurisdictionem suffraganeorum, & aliorum.*

Item præcipiendo statuimus, quod offi-
D cialis noster Bituricensis, & alii judices nostri, jurisdictionem suffraganeorum, & aliorum ecclesiasticorum judicum subditorum nostrorum, scienter per malitiam non impediant. Alioqui per mensem ab ingressu ecclesiæ noverint se suspensos. Advocatos autem, qui malitiose contra hujusmodi statutum, contradictum fieri procuraverint, excommunicationis vinculo innodamus.

XXXV. *Ut quivis ordinarius requisitus, mandet executioni sententiam latam in eos qui minuunt iurisdictionem ecclesiasticam.*

E Item statuimus, quod si judex ecclesiasticus excommunicat bailivum, præpositum, servientem, aut alium quemcumque jurisdictionem temporalem exercentem, pro eo quod jurisdictionem ecclesiasticā minuunt aut enervare nituntur: quod omnes episcopi, & officiales eorum, & alii ordinarii, qui super hoc fuerint requisiti, illam sententiam executioni demandent. Et si super hoc fuerit appellatum ad nos, vel officialem nostrum: statuimus, quod officialis non admittat hujusmodi appellationem, pronunciet nullam, & sententias ordinariorum executioni

ANNO CHRISTI 1286.

executioni demandet, nisi causas sufficientes quare appellans admitti debeat, alleget.

Hæc siquidem, quæ superius præmittuntur, inviolabiliter volumus observari: statutis utilibus antiquis hic non transfusis, in suo robore nihilo minus duraturis. Datum in concilio Bituricensi, anno Domini MCCLXXXVI. die Iovis ante festum B. Matthæi apostoli.

ANNO CHRISTI 1286.

** HÆRETICÆ QVÆDAM OPINIONES per dominum * archiepiscopum Cantuariensem declaratæ & damnatæ.

* Ioannem

Ex MS. in registro principali archiepisc. Cantuar. nuncupato Peckam edidit collector Anglicanus tomo II.

IN nomine Domini, amen. Anno ejusdem MCCLXXXVI. Indictione quartadecima, ultimo die mensis Aprilis. Reverendus in Christo pater dominus Ioannes, Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, pro tribunali sedens in ecclesia beatæ Mariæ de Arcubus Londini, assidentibus sibi venerabilibus patribus, dominis, Olivero Lincolniæ, Godefrido Vvigorniensi, & Richardo Herefordiensi, episcopis; præsentibus etiam venerabilibus viris magistris, Gilberto de sancto Leofardo officiali curiæ Cantuariensis, Herveo de Saham cancellario universitatis Oxonii, Petro de sancta Maria archidiacono Surreyæ, Henrico de Nassington officiali Lincolniæ, Rogero de Sevanak officiali Herefordiensi, Roberto de Lacy juris civilis professore, Iacobo de Moun, & aliis pluribus solennibus & venerabilibus personis, in multitudine copiosa: infra scriptos errores, quos de novo audierat in sua provincia suscitatos, tanquam hæreses declaravit, & pronunciavit esse damnatos, in scriptis proferens sub hac forma.

Hi sunt articuli noviter divulgati, quos inter hæreses, damnatas in se vel in suis similibus, numerandos esse credimus: & hæreticos esse censemus, pertinaces, eorum omnium & cujuslibet defensores, tanquam falsarum & novarum opinionum causa inanis gloriæ sectatores.

Primus articulus est, quod corpus Christi mortuum nullam habuit formam substantialem, eandem quam habuit vivum.

Secundus est, quod in morte fuit introducta nova forma substantialis & nova species, vel natura, quamvis non nova assumptione vel unione Verbo copulata: ex quo sequitur quod filius Dei non fuerit tantum homo, sed alterius speciei.......

Tertius est, quod in illam formam vel naturam de novo introductam per mortem facta fuisset transsubstantiatio panis, virtute verborum sacramentalium; scilicet, Hoc est corpus meum, si in triduo mortis fuisset facta consecratio.

Quartus articulus est, quod modo, scilicet post resurrectionem Christi, virtute verborum sacramentalium convertitur totus panis in totum corpus Christi vivum, ita quod materia panis convertitur in materiã corporis Christi, & forma panis convertitur in formã corporis, scilicet in id quod est anima intellectiva, secundum quod forma corporis est, & dat esse corporeum, & hoc virtute verborum sacramentalium.

Quintus est, identitatem fuisse numeralem corporis Christi mortui, cum ejus corpore vivo, tantummodo propter identitatem materiæ, & dimensionum interminatarum, & habitudinis ipsarum ad animam intellectivam quæ immortalis est. Esse insuper identitatem numeralem corporis vivi & mortui, ratione existentiæ utriusque in eadem hypostasi Verbi.

Sextus est, corpus cujuscumque sancti vel hominis mortuum, antequam sit per putrefactionem mutatum in auras vel elementa, non esse idem numero cum corpore ejus vivo, nisi secundum quid, scilicet ratione materiæ communis, sicut sunt unum quæ invicem transmutantur, ut caro & vermis, & ratione accidentis communis, scilicet quantitatis: simpliciter autem esse diversum corpus mortuum a vivo, specie & numero.

Septimus est, quod qui vult ista docere, non tenetur in talibus fidem adhibere autoritati papæ, vel Gregorii, vel Augustini, & similium, aut cujuscumque magistri: sed tantũ autoritati Bibliæ, & necessariæ rationi.

Octavus est, quod in homine est tantum una forma, scilicet anima rationalis, & nulla alia forma substantialis: ex qua opinione sequi videntur omnes hæreses supradictæ.

Istos igitur octo articulos, hæreses esse damnatas, in se vel suis similibus, & blasphemias, firmiter agnoscentes: omnes eorum affirmatores pertinaces, publice vel occulte, sub quocumque verborum pallio, excommunicatos esse & anathematizatos denunciamus: & præcipimus, tam in actibus scholasticis, quam in aliis, ab omnibus arctius evitari, sub interminatione anathematis, quod poterunt formidare non immerito ex certa scientia contrarium facientes.

Illos insuper, qui contra inhibitionem prædecessoris nostri & nostram, ac venerabilis fratris Lincolniensis episcopi, de consilio Oxoniensium magistrorum, spretis inhibitionibus nostris opinionem de unitate formarum defendere præsumpserunt, pronuntiamus incidisse in pœnas, a prædecessore nostro hujusmodi præsumptoribus impositas, & a nobis postea confirmatas; quas pœnas iisdem imponi volumus indilate. Et nihilo minus illos, qui super talia fundamenta, prædictas hæreses seminarunt, ut dicitur, cum convicti fuerint vel confessi, volumus, prout justum fuerit, in forma canonica subjici ecclesiasticæ disciplinæ.

ANNO CHRISTI 1287.

ARTICVLI OBSERVANDI PER RECTORES & vicarios Cantuariensis diœcesis & jurisdictionis.

Ibidem ex eodem MS.

FRater Ioannes, &c. dilecto filio......archidiacono Cantuariensi salutem, gratiam, & benedictionem. Quamvis cura animarum nihil sit preciosius in hoc mundo, cum pro hac sola Christus in cruce obtulerit semetipsum; nihil tamen iis temporibus apud multos vilius reputatur. Sunt quidem innumeri, qui fructus ecclesiarum audacter rapiunt, metunt carnalia, ubi nunquam spiritualia, sed potius scandala seminarunt. Quo sacrilegio quia nullum est damnabilius coram Deo: ei, ut possumus, remedium apponentes, vobis in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus articulos illos, quos vobis mittimus, litteris præsentibus interclusos, in omnibus ecclesiis vestræ jurisdictioni subjectis, in nostra Cantuariensi diœcesi, ad perpetuam rei memoriam, faciatis scribi lucide & aperte in Missali, vel alio libro solemni, & publice recitari, ut frequenter occurrant memoriæ ministrorum, & visitantibus ostendantur. Inhibentes sub pœna excommunicationis, in quam incidere volumus omnes contrarium facientes; ne quis articulos ipsos, in toto vel parte sic scriptos, audeat abolere. Quid autem circa hoc feceritis, nobis ubicumque fuerimus, in nostra diœcesi vel provincia rescribatis, per vestras patentes litteras harum seriem continentes, citra festum Assumptionis Virginis gloriosæ. Datæ apud Otteford VIII. Idus Iulii an. Dom. MCCLXXXVII. Ordinationis nostræ nono.

Consi-

ANNO CHRISTI 1287.

Consimiles litteræ emanarunt commissario Cantuariensi, & singulis decanis exemptæ jurisdictionis.

Nos frater Ioannes, permissione Divina Cantuariensis ecclesiæ minister humilis, totius Angliæ primas, universis rectoribus, vicariis, & quibuscumque curam animarum habentibus, sive in nostra diœcesi, sive in locis aliis, nostræ immediate jurisdictioni subjectis, præcipimus articulos inferius annotatos, in virtute obedientiæ, & sub debito præstiti juramenti inviolabiliter observari.

Primo, quod faciant ecclesiastica officia, cum reverentia & decentia qua poterunt, per honestos ministros opportunis temporibus continue celebrari.

Secundo, quod provideant fideliter gregi sibi commisso, in spiritualibus; utpote in prædicatione verbi Dei, & sacramentis ecclesiæ dispensandis, & specialiter in confessionibus audiendis: & ubi ipsi non sufficiunt ad hoc, vocent in sui adjutorium viros sanctos, ad hoc specialiter deputatos.

B

Tertiò, quod pauperibus & egenis, præcipue curæ suæ, in corporalibus necessitatibus provideant, juxta quod sufficiunt ecclesiæ facultates, saltem de his, quæ supererũt suis necessitatibus, & ministrorum suorum: & hospitalitatem etiam servent prout dictant canonicæ sanctiones.

Quarto, quod nullum ineant contractum, clam vel palam, cum quacunque litterata vel illitterata persona, in quacunque curia, qui possit in temporalibus vel spiritualibus parare præjudicium successoribus eorumdem, quo minus prosequi valeant ecclesiæ suæ jura.

C

Quinto, quod ædificia rectoriæ, vel vicariæ, in statu decenti conservent, prout sufficiunt ecclesiæ facultates.

Sexto, quod bona ecclesiæ contra jus commune alienata, & libertates etiam quascunque, secundum Deum & justitiam revocare teneantur.

Septimo, quod bona & jura ecclesiæ sibi concessæ, pro viribus, absque alienatione & detrimento quolibet notabili studeant observare.

Octavo, quod fructus ecclesiarum suarum non vendant simul & in summa, sine nostra licentia speciali: quoniam hujusmodi venditio, firmæ similis, omnia evacuat officia pietatis, & facit decimas nundinales, quæ debent in domo Dei pauperum necessitatibus providere.

D

Item istos articulos scribi præcipimus in qualibet ecclesia, in Missali, vel libro alio potiori, palam, lucide, & aperte: ut frequenter occurrant memoriæ ministrorum, & visitantibus ostendantur. Facientes aliter, graviter puniantur.

*** SYNODUS EXONIENSIS

A Petro Quivil episcopo, Exonii congregata, finita XVI. Cal. Maii, anno Domini, MCCLXXVII.

Ex Tomo II. collectionis conciliorum Britannic.

E

PRÆFATIO.

Altissimus de terra medicinam: eccl. 38. Quod primo & principaliter intelligitur de medicina animæ, cujus medicus est Christus. Secundo animæ morbus est peccatum, juxta illud Prophetæ: *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Et hæc spiritualis medicina animam curat per verborum sanctæ synodi efficaciam, juxta illud propheticum: *Misit verbum suum, & sanavit.* Et non solum sanat per verborum efficaciam, sed per operationes sacramentorum, fluentium de fontibus Salvatoris, id est, Christi vulneribus. Hic est medicus, de quo loquitur Augustinus: Venit magnus medicus, quia ubique jacebat ægrotus: de cujus medicina dicitur in ecclesiastico: *Vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & unctiones conficiet sanitatis.* Et sicut dicit Augustinus, ipse fuit medicina, qui sufficiebat omnibus, & contra omnem morbum. Hic est Samaritanus, id est, Christus, qui infundit vinum, id est Salvatoris punctiones verborum, & oleum sacra-

Psalm. 40. Psal. 106. Eccl. 38.

ANNO CHRISTI 1287.

sacramentorum, sauciato, id est, per peccatum vulnerato. Cujus prætextu, nos Petrus miseratione divina Exoniensis episcopus, vices quodammodo gerentes in terris, licet minus digne, prædicti altissimi Samaritani & unguentarii Iesu Christi, pro nostro modulo Pauli doctoris gentium sequentes vestigia, qui apud Miletum synodum convocavit, vos fratres nostros & filios in Christo, dignum duximus convocandos ad hanc sanctam synodum in ecclesia nostra Exoniæ celebrandam: ut aquam sapientiæ hauriamus cum gaudio de fontibus Salvatoris: a quibus cum virtutes sacramentorum effluxerint, a sacramentis sumat tractatus noster synodalis exordium.

I. *De Sacramentis in genere.*

Quoniam ecclesiastica sacramenta ad salutis remedia sunt divinitus instituta, in quorum dispensatione præcipuum consistit ministerium prælatorum: omnibus quibus animarum cura incumbit, sacramenta ipsa sane intelligere, ac scire plebi sibi commissæ rite conferre, expedit & oportet; & tanto circa eorum collationem cautius se habere, quanto utiliora sunt, & magis necessaria ad salutem. Quæ igitur sint, & quot, & quæ necessaria, & quæ non, ac quæ collata valeant iterari: ab initio propter simpliciores breviter exponamus. Sunt autem VII. Baptismus scilicet, qui est janua omnium sacramentorum, & dicitur ingredientium, eo quod ingredientes sanctificat, & tam ab originali quam actuali peccato hominem exuit & emundat: unde, prima tabula ducens ad portum salutis post naufragium, appellatur. Secundum vero sacramentum nuncupatur confirmatio, & dicitur pugnantium: quoniam per baptismum sanctificatos contra antiqui hostis insidias corroborat, ut insultibus fortius resistant humani generis inimici, tanquam leo rugiens mundum circuire non desinens, prædam quam devoret quærens in hominibus. Est & tertium sacramentum progredientium: ideoque viaticum seu Eucharistia appellatur, ingenti caritate & rationabili institutum. Quartum vero sacramentum est redeuntium, eo quod redeuntibus datur: propter quod secunda tabula post naufragium appellatur pœnitentia. Est & quintum sacramentum, scilicet extrema unctio, & dicitur exeuntium, quod tam ad infirmitatum corporis alleviationem, quam peccatorum remissionem, noscitur salubriter institutum. Est & sextum sacramentum, scilicet matrimonium, quod fuit institutum in paradiso, & ante peccatum: post vero peccatum, & extra paradisum, fuit institutum ad remedium; videlicet, ut carnalis concupiscentiæ vitium cohiberet, & fornicationis labes per legitimum conjugium concluderetur. Est & septimum sacramentum, scilicet ordo. Nam sicut in veteri testamento, sacrificia offerebantur, non per quoscunque, sed vocatos a Domino: ita nec in novo, nisi per ipsos, qui ad hoc sacros suscipiunt ordines, ecclesiastica sacramenta poterunt dispensari.

Cum igitur sint VII. sacramenta ecclesiastica: primum quidem est baptismus, quod omnibus est necessarium; sine quo ad regnum cælorum minime pervenitur. Pœnitentia vero necessaria est adultis, qui post baptisma in crimen actuale inciderunt. Cætera vero tria, scilicet confirmatio, eucharistia, & extrema unctio, non ita necessaria ut præcedentia: quoniã absque eis, potest esse salus: dum tamen haberi nequeunt, & ex contemptu minime omittantur. Duo vero ultima,

A scilicet, conjugium & ordo, voluntaria sunt & spiritualia; quia liberum unicuique ipsa percipere, vel non percipere: hoc excepto, quod qui curam habent animarum, compelli ad ordines, vel curam susceptam dimittere, sacri canones decreverunt. Per ista duo sacramenta peccatum non dimittitur, sed per matrimonium, fornicationis juvatur vitium: per ordinem, si digne conferatur & rite, virtutes augentur & munera gratiarum. Horum autem VII. sacramentorum quædam sunt irreiterabilia, ut baptismus, confirmatio, & ordo: quæ semel collata, minime reiterantur. Cætera vero quatuor licite poterunt iterari, solemni pœnitentia duntaxat excepta, quæ quia sacramentalis est, iterari non debet. Præmissis tam breviter quam leviter in genere expositis, ut per hoc ab initio corda
B simplicium cautius illustremus: ad singula sacramenta, qualiter unusquisque curam habens animarum, in ipsis suum debeat impendere ministerium, per ordinem descendamus: nostri progressus, quem Deus dirigat & conservet, a baptismo sumentes exordium.

II. *De Baptismo.*

Baptismi sacramentum adeo est necessarium, quod sine eo nõ est salus, nec aliis quam baptizatis regni cælestis janua aperitur. Quapropter sacerdotibus, quibus cura animarum incumbit, districte præcipimus, quod formam baptizandi parochianis suis exponant sæpius in vulgari: videlicet, quod tempore partus
C aquam habeant promptam, in quam, si oportuerit, baptizandum immergant, dicentes: Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Sæpius enim accidit, quod propter mortis periculum, per alium quam per sacerdotem oportebit parvulum baptizari. Propter causas hujusmodi emergentes, expedit & oportet ut quilibet formam baptizandi intelligat & sciat: quam, cum inevitabilis casus emerserit, valeat observare, quæ si penitus observata non fuerit, parvulus de integro baptizetur. Quoniam ex quo duo sunt necessaria in baptismo, scilicet verbũ & elementum: utroque vel altero deficiente, nihil est quod agitur. Sacerdos insuper suos instruat parochianos, quod non solum sacerdotes, verum etiam clerici & laici, insuper pater & mater, in necessitatis articulo absque [a]
D copula conjugali, suos parvulos valeant baptizare. Cum igitur contigerit parvulum domi propter mortis periculum baptizari, si postea convaluerit, ad ecclesiam deferatur; ut si rite fuerit baptizatus, non ipsa submersio, nec ipsa præcedentia, sed subsequentia duntaxat per sacerdotem, ut convenit, suppleantur. Vas vero in quo puer domi fuerit baptizatus, comburatur, vel ad usus ecclesiæ reservetur: ac aqua, in qua puer immersus fuerit, in baptisterium effundatur, vel saltem projiciatur in ignem ob reverentiã sacramenti.

[a] *Add.* absque dirimenda cop. conj. *vel quid simile.*

Et ne ob parentum imprudentiam ullatenus absque baptismo decedat: præcipimus, ut per sacerdotes parochiales prægnantibus mulieribus injungatur, in tem-
E pore partus sui aquam habeant promptam ad manus, ut si ingruerit repentini casus necessitas, puer saltem a parentibus, si alii non assint, in forma quam præmisimus baptizetur. Ita quod peccata sua, cum tempus partus instare crediderint, sacerdoti confiteantur: ne, cum ipsis in puerperio laborare contigerit, impedientibus pariendi doloribus, confiteri cum valuerint, adimatur facultas.

Ad hoc præcipimus, quod sacerdotes parochiales, parochianos suos moneant diligenter, ut pueros suos diebus sabbati proxime ante Pascha & Pentecosten, ad baptismum solemniter celebrandum a sacris canonibus deputatis, ad ecclesiam studiosius deferant baptizandos, cessante cujuscunque periculi suspectione.

ANNO CHRISTI 1287.

In levatione pueri de fonte sacro, per quam compa- A ternitas spiritualis contrahitur: præcipimus, ut in levatione maris, duo mares & una fœmina, in fœminæ vero levatione, unus mas & duæ fœminæ abhibeantur. Plures non possunt esse compatres, sed tanquam testes.

Ne autem alicujus dubietatis prætextu, non baptizatus quispiam relinquatur, quod in infantibus expositis, & aliis domi baptizatis extra formam superius traditam, de facili posset contingere: præcipimus, quod in hujusmodi dubio baptizentur sub hac forma verborum: Non intendo te rebaptizare: sed si non es baptizatus, ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Nec tum dubietas talis facit sacramentum baptismatis iterari: quoniam non monstratur iteratum, quod nescitur esse factum.

Panni vero chrismales, quorum candor, innocentiam vitæ, & puritatem Christianam designant, nusquam in usus profanos, sed ecclesiæ, convertantur. B

Baptizandus vero nisi de legitimo matrimonio fuerit procreatus, a sacerdote exactissime inquiratur de parentum nominibus: ut, quanquam parvulo baptismus non debeat denegari, parentes tamen ejus pro commixtione illicita puniantur.

III. *De Confirmatione.*

QVoniam in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam: eo quod nobis est magna & gravis colluctatio adversus principem tenebrarum. Quapropter sacerdotibus parochialibus districte præcipimus, ut parochianos suos sæpius moneant, quatenus parvulos suos, quos prius baptizatos esse constiterit, procurent quam citius poterint confirmari. Et ne ob parentum negligentiam ipsos contingat absque confirmatione diutius remanere: statuimus, ut parvuli infra triennium a tempore ortus sui, confirmationis recipiant sacramentum: dum tamen proprii vel alieni episcopi copia habeatur. Alioquin parentes ex tunc qualibet sexta feria in pane & aqua jejunent, donec pueri confirmentur. C

Adulti vero ad confirmationem minime offerantur, nisi peccata sua prius fuerint confessi eodem die.

Confirmandi secum deferant ligaturas mundas, latitudinis & longitudinis competentis, quas post confirmationem per triduum portare, deinde igne comburi præcipimus, & confirmatos ultra baptisterium per manus sacerdotis, vel saltem diaconi, ablui. D

Sacerdotes autem, suos instruant parochianos, ne pater aut mater, vitricus vel noverca, puerum suum; nec vir, fœminam; nec fœmina, masculum; aut qui confirmatus non fuerit, ab episcopo teneat confirmandum.

Item inter tenentes pueros ad confirmandum ex parte una, & ipsos confirmatos & parentes eorum ex altera, sicut in baptismo, cognatio contrahitur spiritualis: propter quam ad invicem matrimonium contrahere prohibentur.

Et quia hujusmodi sacramentum iterari non debet, ut prædiximus: moneantur parentes per locorum presbyteros, ut pueris suis de confirmatione tempore infantiæ suæ recepta, postquam ætatem excesserint, innotescant. Vnde & pueros suos per hoc certificare, & parentes certificare oportet. E

IV. *De Eucharistia.*

SAcramentum Eucharistiæ omni veneratione dignum, solis sacerdotibus licet conficere, qui secundum ecclesiæ claves rite fuerunt ordinati. Sacerdotes igitur, priusquam accedant ad ministerium tam sublime, vitæ suæ vias examinent diligenter, verbum Apostolicum sæpius in animo revolventes: *Qui manducat* 1. Cor. 11. *& bibit indigne*, &c. Et similiter illud Evangelii, cum Dominus intinxisset panem, & dedisset Iudæ Iscarioti: *Post buccellam intravit in eum satanas*: quia manducavit indigne. Quod si forte alicujus peccati mortalis læsam conscientiam habuerint: (in quo tum, quantum ad se, suspensi existunt) ad dictum ministerium accedere non præsumant, donec conscientiæ suæ vulnera alicui patefecerint sacerdoti, & pœnitentiam inde receperint salutarem.

Provideant igitur sacerdotes, quod oblatas habeant confectas de simila frumenti, & aqua dumtaxat: ita quod nihil immisceatur fermenti. Sint & oblatæ integre candidæ, & rotundæ: nec per tantum tempus custodiantur, quod in sapore vel aspectu abominabiles habeantur. Vinum habeant purum: vinum vero in acetum conversum rejiciatur omnino.

Missam celebraturus sacerdos infundat calici plus de vino, & parum de aqua: nec Missæ, nisi in altaribus & super altaribus consecratis, aliqualiter celebrentur. In quarum celebratione duo saltem luminaria habeãtur, tam ob reverentiam sacramenti, quam extinctionis casu fortuito: quorum semper altera sit de cera.

De parochianorũ eleemosynis sacerdotes procurent duos fieri tortisios in canone Missæ ardentes, prout in ecclesiis multis hactenus fieri consuevit. Vt autem ad idẽ efficiamus subditorum animos promptiores: omnibus parochianis nostris contritis & cõfessis, qui in hac parte manus porrexerint adjutrices, quindecim dies de pœnitentia sibi injuncta misericorditer relaxamus.

Quia vero per hæc verba, *hoc est enim corpus meum*, & non per alia, panis transsubstantiatur in corpus Christi: prius hostiam non levet sacerdos, donec ipsa plene protulerit verba, ne pro creatore, creatura a populo veneretur.

Hostia autem ita levetur in altum, ut a fidelibus circumstantibus valeat intueri: per hoc enim fideliũ devotio excitatur, & fidei meritum suscipit incrementũ. Parochiani vero solicite exhortentur, ut in elevatione corporis Christi, nedum reverenter se inclinent, sed genua flectant, & creatorem suum adorent, omni devotione & reverentia, ad quod per campanellæ pulsationem primitus excitentur: & in elevatione ter tangatur campana major.

Habeat sacerdos parochialis, propter infirmos, semper hostias consecratas, quas ultra VII. dies conservari firmiter prohibemus: sed proximo die Dominico sequente, ante calicis ablutionem, a sacerdote Missam celebrante, vel ab alio, dum tamen digne & devote, sumatur. Quo die, juxta parochianorum diffusionem, plures vel pauciores consecrentur: aliæ innoventur per subsequentem hebdomadam duraturam.

Cum ergo Eucharistia ad infirmum fuerit deferenda: superpelliceo & stola induat se sacerdos, nisi loci distantia & aeris intemperies hoc fieri minime patiatur. Sit corpus Dominicum repositum in bursa mundissima, & ipsa includatur sub serura in pyxide mũda & honesta, argentea vel eburnea, vel alia convenienti, quam ad pectus deferat sacerdos, ipsum præcedente lucerna, eo quod portatur candor lucis æternæ. Præcedat etiam tintinnabulum, ad cujus sonitum excitentur fideles ad orandum corpus Dominicum, se humiliter inclinando, &, si fieri potest, genua flectendo. Et ut eorũ in hoc labor meritorius habeatur: iis omnibus, si hoc fecerint corde puro pariter & devoto, tredecim dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Ne quis reputet onerosum, suo creatori tantum impendere famulatum, unde instigante diabolo ulla solicita dubitatio de corpore Christi mentes occupat laicorum. Priusquam communicent, instruantur per sacerdotes, quod illud accipiunt sub panis specie, quod pro illorum salute pependit in cruce: hoc susci-

ANNO CHRISTI 1287.

suscipiunt in calice, quod effusum de corpore Christi: & ad hoc inducantur per exempla, rationes, & miracula, quæ hactenus evenerunt.

V. *De pœnitentia.*

Admiranda & multiplex Dei misericordia, humanis lapsibus ita subvenit, ut non solum per baptismi gratiam, sed per pœnitentiæ medicinam, spes vitæ reparetur æternæ: ut qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent. Mediator enim Dei æterni & hominum homo dominus Iesus Christus, præpositis ecclesiæ hanc tradidit potestatem, ut sacerdotes confitentibus pœnitentiæ satisfactionem darent, juxta illud Evangelii: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur, &c.* Item: *Ite, ostendite vos sacerdotibus, &c.* Verum, quia in gravibus peccatis quis positus, dum in suis premitur, aliena non diluit: revocent se prælati intus ad conscientiam, ut crimina propria prius corrigant, & tunc aliena reprehendant. Curet igitur sacerdos, ut sapiens medicus & perfectus, primo peccata sua diluere, & postea aliena tergere & sanare: & ut liberius & commodius hoc valeat adimplere, præsentis synodi approbatione statuimus, ut locorum archiepiscopi*, qui de sacerdotum prudentia & moribus pleniorem habent notitiam, de quolibet decanatu, unum vel duos eligant confessores, quos ad hæc scientia & meritis crediderint magis idoneos; qui vice nostra, decanorum ruralium, rectorum, vicariorum, & parochialium sacerdotum audiant confessiones: pœnitentiarii nostri generalis autoritate in omnibus salva; ad cujus arbitrium in dubiis & gravioribus recurratur, nisi forte talis emergat articulus, qui nobis inconsultis nequeat expediri.

Ioan. 20. Luc. 17.

* Corr. archidiaconi.

Et quia prælatis ecclesiarum, quibus animarum cura incumbit, in se bonos existere non sufficit ad salutem, nisi subditorum mores & vitam corrigant & reformēt, quorum sanguis de eorū manibus requiretur: moneāt parochianos suos, & crebris prædicationibus inducant, quod quilibet eorum ter in anno, scilicet ante Natale Domini, Pascha, & Pentecosten, vel ad minus in Quadragesima, in ipsius initio confiteantur, ne ecclesiæ careant suffragiis, quæ fiunt tunc tēporis, peccata sua integre proprio sacerdoti, vel alteri de ipsius licentia, confiteantur. Licentia vero petita, & assignata rationabili causa, non denegetur: alioquin pœnitentes frustra se detegerent alieno, cum ipse absque licentia eos absolvere non poterit vel ligare, nisi de mandato superioris. Hoc fiat, vel in peregrinatione, seu vinculo, seu mortis articulo pœnitens fuerit constitutus. De confessione vero facta alteri per ipsius assignationem, fidem faciat proprio sacerdoti: alioquin pro confesso nullatenus habeatur.

Quod si quispiam confessus non fuerit & communicaverit semel in anno: vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens ecclesiastica careat sepultura.

In pœnitentiis vero injungendis, sacerdotes peritorum medicorum inhæreant vestigiis, ut sciant vinum & oleum infundere vulneribus sauciati, & juxta qualitatem criminum & contritionem confitentium, adhibere propria & proficua medicamenta. Etenim non omne quod sanat oculum, sanat calcaneum. Qualitatem igitur & contritionem confitentium diligenter attendant; audiant quicquid dixerint, ac eos supportent in spiritu lenitatis; ne verbis exasperent, nec aspectu; sed solicite inducant, ut integre confiteantur. Vagos non habeant oculos, sed pronos in terram; non respicientes faciem confitentis, nisi quatenus ipsius cordis contritionem & erubescentiam, quæ est maxima pars pœnitentiæ, valeant æstimare, quæ non tam verbis, sicut vultu & aspectu poterunt deprehendi. Mulieres in aperto, & extra velum confiteantur: non ut audiri valeant, sed videri. Et quæ partui sunt vicinæ, tunc confiteantur, prout supra decrevimus in titulo de baptismo.

Caveant insuper sacerdotes, ne maritis, aut eorum uxoribus, pro pœnitentia quicquam injungant, per quod inter ipsos de enormi crimine sinistra valeat oriri suspitio & ex hoc odium generari. Qualitate tum criminis commissi, & illius universis circumstantiis ponderatis, talis injungatur pœnitentia confitenti, quæ satisfactionem inducere & proficere valeat ad salutem.

Præterea statuimus, & sub pœna præcipimus concilii generalis, ut medici corporis, cum ipsos ad ægrotos vocari contigerit, ante omnia infirmis persuadeant, ut medicos advocent animarum: cum nonnunquam infirmitas corporalis proveniat ex peccato, propter quod Dominus præcepit languido, quod abiret & amplius non peccaret, ne deterius sibi contingeret. Et cum sic fuerit ægroto de spirituali salute provisum, ad medicinæ corporalis remedium salubrius procedatur. Medicus ægroto nihil suadeat, quod cedat in animæ detrimentum, cum multo preciosior sit anima corpore, & per consequens salus unius est alterius saluti merito præponenda.

Infirmi confiteri non tardent, sed pro sacerdote confestim mittant, & de die, propter diversa pericula quæ de nocte potuerint evenire. De quorum vero convalescentia desperatur, Dei tunc misericordiæ commendentur: nec est eis præcise pœnitentia injungenda, sed notificanda potius quæ debetur; ut si convaluerint, perficiant eam. Si decesserint, pœna æterna quæ debetur, in pœnam Purgatorii transitoriam commutatur occulto Christi judicio arbitrandam.

In pœnitentiis dandis diligenter attendat sacerdos qualitatem delinquentis, quantitatem delicti, locum, tempus, causam, perseverantiam in delicto, pœnitentis devotionem, & signa contritionis ipsius; nec inquirat de propriis nominibus personarum, cum quibus quis peccaverit, sed in genere. Vt si mulier fuerit, quæ peccavit: quærat ab ea, utrum cum clerico vel laico, religioso vel sæculari, sacerdote, vel diacono, vel subdiacono, coniugato vel soluto, consanguineo vel affine. Si vero vir, aptas & consimiles de mulieribus sibi faciat quæstiones: ita tamen, quod maiora & notoria pœnitentiario nostro reservet, & pœnitentem sibi transmittat, cum litteris causam delicti & circumstantias ipsius continentibus. Pœnitentes iterum cum litteris pœnitentiarii, absolutionis & pœnitentiæ modum continentibus, ad suum redeant sacerdotem revertenti aliter non credatur. Hæc nedum in foro pœnitentiali, sed iudiciali, præcipimus firmiter observari.

Et quoniam spiritus & carnis in dies singulos crescente concupiscentia, & refrigescente caritate multorum, nedum usitata crimina multiplicantur, sed excogitantur nova, & inaudita pariter perpetrantur: nostro pœnitentiario indulgemus, ut si in capite jejunii ad suscipiendum, & audiendos publice pœnitentes, se solum sufficere non crediderit, socium unum vel plures, juxta pœnitentium numerum, sibi adjungat.

De peccatis quæ communiter sunt in usu, a sacerdote inquiri poterit singillatim: de aliis inusitatis non inquirat, nisi per circumstantias, & a longe inquirat; ut per hæc, expertis, dum eorum recensetur memoria, detur materia confitendi; inexpertis, dum celantur incognita, occasio delinquendi non pandatur.

Caveant igitur sacerdotes, ne ex ardore avaritiæ pœnitentias laicis exponant venales: quarum prætextu ipsis laicis remittatur corporalis pœnitētia, quæ debetur,

ANNO CHRISTI 1287.

tur; & ipsis sacerdotibus quicquã temporalis lucri accrescat, cum æterno supplicio & brevi fructu. Nullum etenim crimen tam grande quis timeret committere, quod per pecuniam conspiceret se posse redimere. Hujus criminis reos, si qui inventi fuerint sacerdotes, (quos ipso facto suspensos ac simoniacos declaramus) si postea Divina celebrare, immo verius profanare præsumpserint, a nostra diœcesi, absque spe redeundi, in perpetuum decrevimus expellendos.

In rebus vero nefarie acquisitis, sacerdotes injungant parochianis pœnitentibus, ut damnum passis, omnino, si supersint, ablata restituant: alias autem in eleemosynarum quarumcumque largitiones ablata hujusmodi nullatenus convertantur.

Confitenti se criminalia perpetrasse, quamvis mentiendo dicat se abstinere non posse, curiose suadendum est & consulendum, ut abstineat: & quamquam vera pœnitentia dici non debeat, admitti tamen debet ipsius confessio, & crebris & salubribus monitis sibi est pœnitentia indicenda.

Nullus omnino sacerdos crimina sibi confessata revelet, vel verbo, vel signo, vel quovis alio modo, specialiter vel generaliter. Sed si in dubiis prudentiori consilio indiguerit, illud absq; ulla expressione certæ personæ caute requirat: quoniam sic detegentes deponendos esse & in arctum monasterium detrudendos, ad perpetuam pœnitentiam peragendam, apostolica decrevit autoritas.

Custodes carcerum, incarceratos sustineant libere confiteri. Quod si de cætero quispiam confessionis gratiam inhibuerit carcerato, nisi vivens de hoc condigne satisfecerit, moriens ecclesiastica careat sepultura.

Et quia de rebus transitoriis nihil superest quod animarum saluti debeat anteponi: præcipimus, quod cum fratres Prædicatores & Minores, tam in Quadragesima, quam extra, cum transitum fecerint per parochias, confessiones fidelium libere audiant, & pœnitentias injungant: qui, si voluerint confiteri, proprii sacerdotis licentia requisita, & ecclesiæ parochiali oblationibus consuetis & debitis prius solutis, & si sedes apostolica eis amplius indulserit, vel indixerit indulgendum, hoc ab omnibus observetur. Et quoniam ipsorum Fratrum prædicatio & sancta conversatio in ecclesia Dei produxisse fructum non modicum dignoscitur, ubicumq; per nostram diœcesim trãsitum fecerint, honorifice admittantur & procurentur honeste.

VI. *De extrema unctione.*

SAlubre utique tam corpori, quam animæ, unctionis extremæ perpenditur sacramentum, ad alleviationem corporum, remissionem peccatorum, dignoscitur alimentum. Quapropter inter cætera sacramenta istud non minimum præcipimus venerari, & sacerdotes parochos, quandocumque fuerint requisiti, ad visitandum infirmos se promptissimos exhibere. Et qui difficiles se exhibuerint in hac parte, & infirmis pœnitentibus & petentibus, gratis absque ulla exactione pecuniæ sacramentum hoc non contulerint: cum gratia sit gratis data, & non pretio conferenda, convicti super hoc, juxta canonicas sanctiones puniẽtur cõdigne.

Præterea præcipimus, quod rejecta omni negligentia, parochiales presbyteri, circa curam sibi commissã vigiles sint & soliciti, extra suam parochiam absque causa rationabili nullatenus provocantes: & tunc loco suo alium dimittant idoneum, qui ea quæ animarum curæ incumbunt, sciat & valeat adimplere.

Quod si quemquam juvenem vel senem, culpa, negligentia, vel absentia sui sacerdotis, quod absit, absq; baptismo, confessione, Dominici corporis perceptione, ac extrema unctione præveniri morte contigerit: sacerdos super hoc convictus, a celebratione Divinorum protinus suspendatur: cujus suspensio minime relaxetur, donec tam grande crimen pœnitentia condigna meruerit expiari.

Et quoniam quidam laici imperiti, de hoc sacramento nequiter sentientes, illud abhorrent in tantum, quod vix velint illud suscipere etiam in extremis, fatue æstimantes, quod post ipsius susceptionem, carnis esum, nudis pedibus incessum, copulam carnalem etiam cũ uxore legitima, sibi fore penitus interdicta: præcipimus parochialibus presbyteris, ut ubi noverint tantam hæresim pullulare, contrarium prædicent, parochianis notificantes inter cætera, hoc sacramentum posse licite iterari; & quod uncti, si ab infirmitate postea convaluerint, carnes comedere, nudis pedibus ambulare, &, si conjugati fuerint, uxores suas cognoscere, occasione hujusmodi omittere non tenentur.

VII. *De matrimonio.*

CArnalis concupiscentiæ vitium ex inobediẽtia primorũ parentum contractum, ita transivit in posteros, ut quanquã homo baptismi gratia renovatus, confirmationis robore solidatus, & sacro viatico recreatus existat, non est tamen per omnia priori innocentiæ restitutus: immo prioris concupiscentiæ fomes adhuc remanens, ipsum inquietare non cessat, per quã colaphizatur stimulo satanæ, incessanter nitẽtis hominem per hoc sicut per cæteros nocendi modos ducere ad interitum. Homo tamen, si legitime restiterit, propter certaminis hujus victoriam majus meritũ cõsequetur. Ad vitandum igitur hujus concupiscẽtiæ malum, matrimonii sacramẽtum ab Apostolo post peccatũ hominibus est concessum, quod a Deo in paradiso & ante peccatum, ad officium fuerat institutum. Hoc per sponsalia de futuro initiatur, per mutuum consensum de præsenti ratificatur, per carnalem copulã consummatur. Debet igitur hoc sacramentum, cũ discretione magna & reverẽtia celebrari, in locis honestis, & tẽpore congruo, cũ omni modestia, & maturitate: nõ in tabernis, potationibus, & comessationibus, nõ secretis horis, latebris, & suspectis, sed palã & sobrie celebretur.

Et ut in ipsis contrahendis forma de cætero observetur, a qua vidimus quamplurimos deviare, & nonnulla animarum evenisse pericula: præsentis synodi autoritate statuimus, ut nullum matrimonium, nulla sponsalia, nisi in præsentia rectoris ecclesiæ, seu sacerdotis parochialis, & trium fide dignorum, in posterum contrahantur, qui, si super forma & modo contractus lis inter contrahentes oriri contigerit, valeant super hoc veritati testimonium perhibere. Cõtrahentes vero extra formam prædictam, & præsentes in contractu, per locorum ordinarios graviter puniantur. Licet per legitimum viri & mulieris cõsensum, legitima matrimonia contrahantur: quantum ad ecclesiam necessaria sunt verba vel signa, consensum exprimentia de præsenti. Ex quo manifeste liquet, quod sine autoritate ecclesiæ, cujus judicio approbandus vel reprobandus est contractus, non sunt matrimonia contrahenda: quãquam alias contracta propter hoc minime dissolvãtur.

Et quia ex insolentia contrahentium sic alias nonnũquam ecclesiastici judices nimium perturbantur, & perplexitates inextricabiles in causis matrimonialibus sæpius inducuntur: statuta canonum exequentes, statuendo præcipimus, quod cum matrimonia, modo supradicto contracta, fuerint solemnizanda, trina denunciatio in ecclesiis, in quarum parochiis habitant copulandi, diebus Dominicis & festivis per presbyteros parochiarum, publice proponatur; quarum quælibet octo dierum contineat spatium, ut supra illũ terminum, qui voluerint, & valuerint, legitimũ impedimentum apponant. Presbyteri etiam quod per se ipsos potue-

Anno Christi 1287.

potuerint investigare, & quod per se vel per alios invenerint, illud litteratorie significent quibus incumbit solemnitates contractuum celebrare. Quod si contra copulam contrahentium appareat probabilis conjectura; contractus interdicatur expresse, donec quid super iis fieri debeat, canonice dijudicetur. Si vero aliquis impedimentum apponat, cui fama viciniæ non consentit, juret statim quod illud non obivit malitiose: injungatur sibi quod coram loci ordinariis, certis die & loco compareat, impedimentum objectum legitime probaturus: qui si jurare noluerit, vel juraverit, & non comparuerit, vel in probatione defecerit objectorum, ex tunc procedatur in negotio, oppositione hujusmodi non obstante. Opponens vero, quia matrimonium legitimum impedivit, canonice puniatur.

Præterea quia quidam diabolicæ fraudis instinctu, legitima matrimonia, contra præceptum Domini, dissolvere satagentes, cum diversis in diversis provinciis contrahere non verentur: sub pœna excommunicationis firmiter inhibemus, ne aliqua extranea & ignota persona, ad contrahendum matrimonium, in nostra diœcesi ullatenus admittatur, donec per litteras loci ordinarii, in cujus jurisdictione moram traxit diutinam, constiterit matrimonium legitime bannatum fuisse, & se posse contrahere absque ullo impedimento docuerit evidenter. Idem fiat, etiamsi contrahentes fuerint nostræ diœcesis: dum tamen diversorum archidiaconatuum, vel parochiarum. Sacerdotes solemnitatem matrimonii aliter celebrantes, nec non & ipsa contrahentes, puniantur pœna concilii generalis.

Cum autem matrimonium in facie ecclesiæ fuerit solemnizandum, palam & in ostio ecclesiæ sacerdos interroget contrahentes, si igitur invicem consentiant, ab ipsis singillatim. Si suspecti sint, nihilominus investiget, an ad contrahendum vi metus vel violentia sint inducti. Et si de hoc per utriusque vel alterius eorum confessionem constiterit, ulterius non procedat: alioquin eos instruat in vulgari, quod se invicem accipiant sub his verbis: Accipio te in meã, & ego te in meum: eo quod per hæc verba vel consimilia, legitima matrimonia contrahuntur. Vbi vero sponsalia contrahuntur, quæ sunt futurarum nuptiarum repromissio, ut puta sub his verbis vel consimilibus: Accipiam, vel habebo te in meam, & ego te in meum: vel qualitercumque clam vel palam matrimonium fit contractum, solemnitate minime subsecuta, in utroque casu ipsis contrahentibus carnalem copulam interdicimus, donec trinæ denunciationes factæ fuerint, & solemnitas in facie ecclesiæ adimpleta. Qui prius inter se commiscent, graviter puniantur, quanquam aliud non superfuerit impedimentum.

Ad hæc, quia propter clandestina & interdicta matrimonia, nonnulla animarum pericula contingit pluries evenire, cum non appareant legitimi testes per quos contractus posset probari: multotiens evenit, ut conjuncti legitime, separentur, & illegitime conjuncti cum suarum tolerentur periculo animarum, eo quod ecclesiasticus judex nequit in dubiis certam ferre sententiam. Omnes talia matrimonia contrahentes, ab ingressu ecclesiæ [a]: salva nihilominus pœna concilii generalis soboli imposita ex talibus nuptiis procreatæ. Sacerdotes parochiales, si talia conjugia nedum celebrare præsumpserint, vel contempserint prohibere, vel quiscunque regularis ipsis præsumpserit interesse, suspendendum ab officio per triennium declaramus, pœnæ subdendum nihilo minus graviori, si culpæ suæ qualitas id postulaverit suscipiendum.

[a] *Deest* arceantur

Circa fornicariarum abjurationes hanc formam de cætero præcipimus observari, ut delinquentes juramento præstito se astringant. Quod si ipsos contigerit pati postea recidivum, pœnam corporalem, absque ul- A la contradictione subibunt, quæ ipsis arbitrio sui judicis imponetur. Quam si postea incurrerint, & super hoc convicti fuerint, vel confessi: tunc delinquentes sine juramenti exactione contrahant sub hac forma: Ego ex nunc accipio te in meam, si de cætero carnaliter te cognoscam: & ego te in meum, si a te de cætero carnaliter cognita fuero. Quem quidem contrahendi modum redigi præcipimus in scripturam: ut per ipsam, in dubio, rei gestæ veritas comprobetur. Quod si contrahentes postea se carnaliter cognoverint, & super hoc fides facta fuerit in judicio: compellantur matrimonium, ante sic contractum, in facie ecclesiæ solemnizare, infra certum tempus arbitrio judicis moderandum.

Anno Christi 1287.

B Studeant mariti juxta verbum apostoli uxores suas diligere, eisque debitum reddere conjugale, & ipsis juxta substantiæ suæ vires vitæ necessaria exhibere: ad quæ, cum oportuerit, eosdem decrevimus compellendos. Advocatus necnon & procuratores, qui de cætero in causis matrimonialibus, quicquam malitiose opponunt, quo minus legitimum matrimonium, debitum sortiatur effectum, vel ut in cæteris causis ecclesiasticis processus judicialis contra justitiam diutius remaneat in suspenso, præsentis synodi approbatione excommunicamus: & nihilo minus super hoc convictos a suis officiis per annum decrevimus suspendendos.

Causæ vero divortii postquam fuerint examinatæ, & plene instructæ, ad officialem nostrum cum toto processu habito remittantur, per ipsum canonice decidentæ, sicut hactenus fieri consuevit. C

VIII. *De Ordine in genere.*

CVm ad spiritualia officia exequenda assumendi sint tales, qui possint digne sacramenta Dominica pertractare, quæ per alios, quam per illos, qui ad hoc sacros ordines susceperunt, nequeunt dispensari: cum omni reverentia venerandum est Ordinis sacramentum, per quod cætera ministrandi solis clericis est attributa facultas. Quicunque igitur qui ad tam dignum accesserunt sacramentum, præcipue sacros ordines suscepturi, cum omni munditia corporis & cordis, facta confessione, & recepta pœnitentia, idem assumant. Quibus ex causis, ad ordines suscipiendos accedentes, diligenter attendant, prudenter advertentes, D an sint legitimi, nec dum legitimati; an irregularitatem notam ex aliqua causa contraxerint, ut puta quia fuerint homicidæ, judices, advocati, dictatores, scriptores, executores in causa sanguinis; an simoniaci, vel interventores simoniacæ pravitatis, vel simoniæ vitio infecti; aut an ab hæreticis, schismaticis, vel nominatim excõmunicatis scienter promoti. Item an bigami, corruptarum mariti, vel sacrarum virginum violatores; an excommunicati, vel furtive ordines adepti, vel in susceptis taliter ordinibus ministrantes. Item an sacrilegi, sortilegi, dæmonibus immolatores, incendiarii, ecclesiarum effractores; an conscientiam habeant peccati mortalis, vel consimilibus criminibus fuerint irretiti, quæ irregularitatem inducunt. Quos omnes E suspẽsos esse ab executione sui officii declaramus, & a receptione ordinum superiorum, donec super defectibus vel criminibus hujusmodi cum eis canonice fuerit dispensatum, omnino decrevimus repellendos.

Item ad propriam recurrant conscientiam, quo fine ad ordines aspirent, ut Deo & ecclesiæ virtuosius & gratiosius famulentur, non pro temporali quæstu, nec beneficiis a suis ordinatoribus extorquendis, quoniam tales simoniacos reputamus.

Caveant ad sacros ordines promovendi, ut titulum habeant sufficientem, sine quo omnibus ad sacros ordines accedere interdicimus facultatem: alioquin ipsos

ipsos tanquam furtive promotos decrevimus reputandos, eo quod intentionis nostræ non est aliquos aliter ordinare.

Et quoniam quidam promovendi, advertentes se non posse absque titulo ordinari, cum clericis beneficiatis vel laicis paciscuntur, ut eis per chartam nomine tituli conferant spirituale aliquod vel temporale, eandem chartam ab eisdem post susceptos ordines recepturi: hujusmodi beneficiatos, & taliter ordinatos, tanquam simoniacos, ab officio & beneficio decrevimus suspensos. Laicos vero pactionis hujus mediatores, conscios tantæ fraudis, excommunicationis majoris sententia innodamus....

Religiosis ac sæcularibus clericis districte præcipimus, ne aliquos de confratribus suis ad sacros ordines nobis audeant præsentare: nisi eis ante ordinum susceptionem in sufficienti & perpetuo titulo velint & valeant providere. Alioquin sicut ordinatos, ita præsentatores eorum, suspendendos decrevimus a Divinis.

Nullus etiam, etsi de sufficienti titulo sit provisus, absque sui archidiaconi litteris patentibus super natalibus & honesta conversatione, ad huiusmodi ordines suscipiendos accedat: religiosis & beneficiatis duntaxat exceptis.

Cum abbates, priores, vel saltem subpriores, aliquos de confratribus suis ad ordines recipere contigerit: sub pœna excommunicationis districte præcipimus, quod nullum ante annũ probationis effluxum, vel factam professionem, nobis præsentent absque suis patentibus litteris: ne ipsis forsitan ad sæculum revertentibus, nos vel successores nostros super eorum provisione fatigari contingat.

Ad hæc, quoniam quidam extranei se oriundos de nostra diœcesi, ac servi se liberos multotiens mentiuntur, ad quod probandum conductitios testes & falsos producunt: nos tam ipsos, quam testes eorum, pro huiusmodi fraudis commento, excommunicationis vinculo innodamus.

Item quia quidam ecclesiarum rectores, cum eos ad ordines suscipiendos contigit evocari, se asserunt in sacris, cum non sint, ut sic nobis valeant & officialibus nostris illudere, sicut alii, qui cum sint autoritate concilii privati, se procurant, absque nostra conscientia, inter cæteros ordinari: tam hos, quam illos, ab officio suspendimus & beneficio, donec primi super illusione hujusmodi nobis satisfecerint, & in sacris ordinibus fuerint constituti; secundi vero beneficia sua dimiserint vacua, aliis libere conferenda. Alioquin, si ipsa præsumpserint postmodum retinere, fructus, si quos ex ipsis perceperint, quos constat non esse suos, cum integritate restituere compellantur: quos si retinere contenderint, tanquam rei ecclesiasticæ invasores excommunicationis sententia percellantur.

Clerici ab alieno episcopo ordinati, non prius ad executionem sui ordinis in nostra diœcesi admittatur, donec de eorum ordinatione, litteratura, conversione, moribus, nobis vel locorum archidiacono fidem fecerint manifestam.

Rectores vero ecclesiarum parochialium, ad ordines quos beneficiorum suorum cura requirit, infra constitutum tempus se faciant promoveri, & resideant personaliter in eisdem, si pœnam generalis concilii voluerint evitare: nec ecclesiis ipsis per vicarios, sed per seipsos deserviant, nisi dignitates forte annexæ fuerint, vel præbendæ; in quo casu ipsos habere vicarios canonice constitutos, a jure novimus esse permissum.

IX. *De ecclesiis, capellis, & oratoriis construendis & reparandis.*

QUoniam ecclesiarum ordinatio, a quocunque constructæ fuerint, non in construentis potestate, sed loci diœcesani, consistere dinoscitur, prout utriusque juris sancta & salubris decrevit autoritas; nec liceat cuiquam ecclesiam, vel capellam de novo construere absque episcopi sui licentia speciali: præcipimus, quod nullus ecclesiam vel capellam in nostra diœcesi de novo fabricare præsumat, nisi nostro primitus requisito & accedente consensu; nec in eisdem Divina aliqualiter facere ministeria, nec ipsa sine nostro consensu totaliter diruta renovare.

Capellæ vero cum fuerint sic constructæ, nihil in eis fiat quod in matricis ecclesiæ cedat præjudicium. Illa etenim nonnũquam, de rectoris assensu, mediante justitia conceduntur: hoc adjecto, ut id fiat absque juris præiudicio alieni. Quo casu statuimus, ut sacerdotes in dictis capellis ministrantes, universas oblationes, quas in ipsis offerri cõtigerit, ecclesiæ matricis rectori cũ integritate restituant. Et ut sibi super hoc salubrius consulatur, dictos sacerdotes ad idem religione sacramenti præcipimus obligari. Libertatem etenim, quæ de concedentis benignitate processit, in suam læsionem nolumus redundare. Hoc nedum de construendis, sed de jam simili modo constructis, firmiter præcipimus observari. Si quis autem restituere contempserit, præter reatum perjurii, ipsum suspensionis vinculo, donec restituerit, innodamus. Si vero laicus restitutionem impedierit, ac post trinam admonitionem non destiterit ab impedimento: hoc ipso maioris excommunicationis incurrat sententiam.

Inhibemus etiam, ne in capellis quæ proprios parochos nõ habent, parochianis matricis ecclesię, nec aliis quibuscunque, sacramenta vel sacramentalia ministrentur: nisi aliquibus aliis amplius fuerit indultum. Nec sit in ipsis fons baptismalis, nec in eisdem nuptiæ vel Divina celebrentur: nisi fundationis tempore, vel postea, majori donatæ fuerint libertate, & ob hoc matrix ecclesia honorem receperit competẽtem. Obventiones tamen earum, quas prædictis personis contigit provenire, rectori, ut prædiximus, reserventur. Idem de oratoriis, quæ in aliquorum domibus construuntur, statuimus observari.

Ad hæc, onus huiusmodi constructionis & reparationis, cancelli matricis ecclesiæ, ad ipsius ecclesiæ rectorem; navis vero ecclesiæ, ad parochianos; volumus & præcipimus pertinere, consuetudine contraria non obstante.

Verum onus capellæ quæ distinctam habet parochiam, ad ipsos capellæ parochianos totaliter pertinebit, eo quod ob ipsorum favorem & commodum fuit constructa: & nihilominus matrici ecclesiæ, si refectione indiguerit, iuxta discretionem locorum archidiaconi, ipsos decrevimus pervenire.

Quia domini terrarum in diversis parochiis terras possidentes, & in una illarum tantummodo perendinantes, ad onera ecclesiæ, in cuius parochia non inhabitant, sed sui famuli & servientes, ipsis parochianis incumbentia contribuere contradicunt: ut huiusmodi calliditati in posterum obvietur, præsentis synodi autoritate statuimus, quod domini huiusmodi, onus reparationis ecclesiæ & cœmeterii, secundum portionem terræ quam possident in eadem parochia, sicut cæteri parochiani agnoscant & persolvant totaliter in futurum; & ipsi ad id faciendum, si necessarium fuerit, per illarum ecclesiarum prælatos, per omnimodam censuram ecclesiasticam, de cætero compellantur.

Si quis vero altare cum parietibus & tecto in ecclesia, ex devotione velit construere: hoc fiat, prius a nobis

ANNO CHRISTI 1287.

a nobis petita licentia & obtenta, ac assignata perpetua & sufficienti sustentatione ad reparationem hujusmodi ædificii, cum indiguerit: ita quod parochiani propter hoc procedente tempore non graventur.

Onus oratoriorum, quæ in privatis domibus construuntur, & etiam capellarum proprios non habentium parochianos, ad ipsorum duntaxat pertineat fundatores; item ecclesiæ & capellæ: quæ si fuerint superfluæ vel dirutæ, an debeant reparari, vel aliis uniri, an totaliter destrui, ordinandi potestatem nobis de cætero reservamus, juxta canonicas sanctiones.

X. *De dedicatione ecclesiarum.*

SIcut nos iræ filii de natura, per baptismatis sacramentum facti sumus templum Domini universi: ita privata domus a cæteris materiali subjecto non differens, per invisibile dedicationis ministerium, Domiminicum templum efficitur: in quo, cum tanquam homines fragiles & imbecilles excesserimus, a Deo misericordiam imploramus, & veniam delictorum. In hoc loco, & non alibi absque causa honesta, & necessitate magna, hostia salutaris viva & vera, offerri habet manibus sacerdotum, sicut liquet omnibus quibus præcepta sunt nota novi & veteris testamenti.

Idcirco officii nostri debitum exequi cupientes, singulis ecclesiarum rectoribus nondum dedicatarum præcipimus: quod ecclesias suas curent taliter parare, ut ipsas dedicare possimus, cum vacaverit nobis tempus. Et ne quæque probabilis ignorantia nos circumveniat in hac parte, decanis ruralibus injungimus, ut de ecclesiis non consecratis nec......; & de aliis, de quibus dubium est an fuerint consecratæ (eo quod certa consecrationis indicia non apparent) nos vel officialem nostrum, citra festum Nativitatis beatæ Mariæ, non omittant reddere certiores: alioquin ipsos velut inobedientes graviter puniemus.

Et ut matri a filiis honor debitus impendatur, statuimus, ut anniversarius dedicationis dies, a parochianis omnium ecclesiarum, & etiam capellarum adjacentium non dedicatarum, velut dies natalis Domini solemniter celebretur: & quod parochiani ipsam, velut matricem, suis oblationibus venerentur. Parochiani capellarum dedicatarum & non dedicatarum, prædicto die, & die festi sanctæ matricis ecclesiæ, ad ecclesiam matricem accedant, honorem debitum qui a filiis matri debetur devotis precibus impensuri: non ut parochiani capellarum dedicatarum offerant, nisi velint, eo quod oblationes suas in capellis dedicatis ipsos facere oportebit.

Vt autem consecrationis impensæ memoria perpetuetur: præcipimus, quod dotis quantitas quæ in dedicatione ecclesiæ est collata, dies dedicationis & annus, nomen consecrantis, numerus dierum indulgentiæ a consecrante concessæ, in Kalendare ecclesiarum conscribantur.

XI. *De cœmeteriis capellarum, de matrice ecclesia longe distantium, dedicandis.*

QVia propter locorum distantias, & viarum discrimina, ac inundationes aquarum, nonnunquam capellæ infra parochiarum limites constituuntur, certos parochianos, & distinctos fines habentes, de quibus rectores omnia percipiunt emolumenta: advertentes per hoc viventibus parochianis salubriter fuisse provisum, sed in nullo mortuos relevari, statuimus, ut ubi defunctorum corpora, propter impedimenta prædicta, nequeunt absque nimia difficultate & periculo ad matricem ecclesiam tumulanda deferri, si capellæ distent a suis ecclesiis per duo milliaria, vel sint minoris distantiæ, dum tamen aquarum nimia inundatio tale præstiterit impedimentum, rectores ecclesiarum,

A si locus superfit, faciant ibi sumptibus parochianorum, cœmeteria præparari: ut cum per loca ipsa transitum fecerimus, ea benedicere valeamus, in quibus corpora parochianorum earundem, ad vitandum hujusmodi pericula (absque matricis ecclesiæ præjudicio) reponantur.

ANNO CHRISTI 1287.

Dedicentur capellæ ecclesiæ ipsæ: cum orationes in locis dedicatis efficaciæ sint longe majoris.

XII. *De ecclesiarum ornamentis, & eorum custodia.*

VT ornamenta ecclesiarum, quibus quasi propriis instrumentis sacramenta ecclesiastca ministrantur, sint fulgida & honesta, exemplum nos docet doctissimi Salomonis, dum vasa domus Dei ex auro

B purissimo constituit fabricari. Quapropter præcipimus, quod quælibet parochialis ecclesia, & etiam capella distinctam habens parochiam, munda & decentia habeat ornamenta.

Sit in aliqua ecclesia saltem unus calix argenteus, purus vel deauratus: scyphus argenteus vel stanneus pro infirmis, ut postquam Eucharistiam assumpserint, loturam digitorum suorum sacerdos sibi præbeat in eodem. Sint duo corporalia munda & integra cum repositoriis: duo paria vestimentorum, plenare unum, festivale, aliud feriale: quatuor tuellæ ad majus altare, quarum saltem duæ sint benedictæ, & una illarum cum parura.

Item ad quodlibet altare, cum contigerit Missam inibi celebrari, sint superpellicea duo, & unum rochetum: velum quadragesimale: velum nuptiale: palla

C mortuorum: frontellum ad quodlibet altare: Missale bonum, graduale, torparium, manuale bonum, legenda, antiphonale, psalteria, ordinale, venitare, hymnare, collectare: præsens synodus scripta habeatur in singulis ecclesiis citra festum S. Michaelis: cista ad libros & vestimenta: pyxis argentea vel saltem eburnea, ad Eucharistiam, cum serura: chrismatorium stanneum cum serura: asser ad pacem: pyxis ad oblatas: tres phialæ: sacramentarium lapideum, & immobile: thuribulum: vas ad incensum: vas ad aquam benedictam: heia ad tenebras: candelabrum Paschale: duæ cruces, una fixa, & alia portabilis. Imago beatæ Mariæ virginis, & sancti loci ejusdem: cereus paschalis: duo cerei processionales: celatura super altare: campanella deferenda ad infirmos, & ad

D elevationem corporis Christi: lucerna boeta: campanellæ ad mortuos: feretrum mortuorum: baptisterium lapideum bene feratum: fenestræ vitreæ sufficientes in cancello & navi ecclesiæ.

Qualiter hæc sunt necessaria in ecclesia Dei ad explendum cultum Divinum, usus nos instituit quotidianus. Quædam istorum, prout utilitas exposcit in majoribus ecclesiis quæ sufficiunt, duplicentur, vel triplicentur, in quibus sint hæc amplius quam aliis: diaconus & subdiaconus, capa chori, tunica, dalmatica, duo phylacteria ad cornu altaris, & unũ ad patenam.

E Onera omnium ornamentorum prædictorum, parochiani, sicut hactenus, ita de cætero supportabunt, libris matutinalibus, unico scilicet psalterio, fenestris vitreis in cancello, & celatura super majus altare, duntaxat exceptis: quæ rectores vel vicarii supportabunt, prout in nostra diœcesi hucusq; fieri consuevit.

Ornamenta ecclesiæ, securæ custodiæ committantur: non tamen sub custodia laicorum, nisi id necessitas major expostulaverit. Nec tunc sacra contingere, nec in ecclesia loco clerici aliqualiter ministrare præsumant.

Et quoniam audivimus, quod quidam nobis & locorum archidiaconis illudentes, cum sibi ecclesiastica deficiunt ornamenta, tempore visitationis exhibent

aliena

aliena pro suis, mendaciter afferentes illa sua esse, quæ ab aliis accommodarunt: hanc fraudem sub pœna excommunicationis de cætero fieri prohibemus.

Ad hæc, cum ornamenta ecclesiæ incursu latronum contigerit asportari: si propter defectum cancelli, ornamentorum amissorum periculum, ad rectorem; si navis ecclesiæ, ad parochianos statuimus pertinere: ut per hoc, tam hi, quam illi, ad supplendos tales defectus potius animentur.

Et quoniam inter ecclesiarum rectores & suos parochianos contentiones in ecclesiis sæpius suscitantur, dum parochiani ipsi propria autoritate truncum affigunt in ecclesiis, vel extra, pro fidelium eleemosynis colligendis; & præsumunt, ut audivimus, publice prædicare majorem fore eleemosynam, ad truncum ipsum offerre, quam in manibus proprii sacerdotis: unde evenit, ut tam ab oblationibus debitis, quam ex devotione consuetis, corda insipientium avertuntur, & ecclesiarum rectores in utriusque damnum incurrunt non modicum, & jacturam. Audivimus etiam, quod quidam laici oblationes candelarum, quæ in festo Purificationis beatæ Mariæ Virginis, & aliis festis per annum, ex laudabili consuetudine fieri consueverunt, ne dum rectores recipiunt, sed aliquando capiunt de manibus offerre volentium: scelus hujusmodi palliantes, quod ex cera inde collecta, velint facere cereum coram cruce, vel alibi. Has duas laicorum præsumptiones, tanquam nefarias, detestantes, statuendo præcipimus, quod omnes tales trunci in ecclesia affixi, seu cœmeteriis, vel juxta, citra festum Nativitatis Ioannis Baptistæ, ab ecclesiis ipsis penitus amoveantur; nec iterum apponantur, absque nostra, archidiaconi, vel saltem ipsius rectoris, licentia speciali: ad quos truncos si parochiani prædicare præsumpserint, perpetuo amoveantur, & ipsi nihilo minus canonice puniantur. Si vero prædictum citra terminum amoti non fuerint: ex tunc ecclesias in quibus remanserint, donec amoveantur, suspendimus a Divinis.

Et quia laudabilis consuetudo erga sanctam ecclesiam pia devotione fidelium introducta, commutari non debet, sub consueto colore canonicæ pietatis: omnes impedientes debitas oblationes & devotas in ecclesia Dei, & rectores ecclesiarum, quo minus de ipsis libere disponere liceat, excommunicamus, donec de injuriis, eisdem rectoribus satisfecerint competenter.

Item audivimus, quod propter sedilia in ecclesia rixantur multoties parochiani, duobus vel pluribus unum sedile vendicantibus: propter quod grave scandalum in ecclesia generatur, & Divinum sæpius impeditur officium. Statuimus, quod nullus de cætero quasi proprium sedile in ecclesia valeat vendicare, nobilibus personis & ecclesiarum patronis dumtaxat exceptis: sed qui orandi causa primo ecclesiam introierit, juxta propriæ voluntatis arbitrium sibi eligat orandi locum.

Præcipimus insuper, quod de ecclesiarum instauro, ipsius custodes, coram rectoribus vel vicariis ecclesiarum, seu saltem capellarum parochialium, & quinque vel sex parochianis fide dignis, quos ipsi rectores, vicarii, vel capellani, de hoc duxerint eligendos, quolibet anno compotum fideliter reddant, & redigatur in scriptis. Quam scripturam præcipimus loci archidiacono, cum visitat, præsentari: nec ipsum instaurum in alios usus, quam ecclesiæ, ullatenus convertatur. Unde si parochiam pro defectibus ecclesiæ, seu pro aliis demeritis, amerciari contigerit, de proprio satisfaciant, instauro ecclesiæ integre remanente.

Et quia nonnunquam certus redditus & instaurum cantariis, altaribus seu luminaribus assignatur: præcipimus, quod ipsa in alios usus ecclesiæ minime convertantur, nisi necessitas vel saltem æquitas aliter suadeat ordinare, loci archidiaconi vel saltem rectoris accedente concessu.

XIII. *Ne in ecclesiis, vel cœmeteriis earum, mercata vel placita sæcularia teneantur, vel ædificia sæcularia construantur.*

Pius & misericors Dominus, qui dum pro peccatis nostris irascitur, misericordiæ recordatur, templa Dominica construi & Divinis precibus consecrari voluit & præcepit: in quibus plebs fidelis ab omnibus forinsecis & sæcularibus operibus abstinens, per oblationes & pacificas hostias, devotæ præcipue orationis, iram judicis mitigaret, ipsius clementiam humiliter postulando. Quod idem omnium Dominus tam verbis, quam operibus, specialiter volens designare, flagello facto de funiculis ementes & vendentes ejecit de templo: asseverans domum suam domum fore orationis, & per tale commercium factam fuisse speluncam latronum. Ne igitur ubi delictorum est venia impetranda, delicta delictis gravius accumulentur: districte prohibendo statuimus, ne in quibuscumque ecclesiis nostræ diœcesis, atriis earum, vel cœmeteriis, mercata seu placita sæcularia de cætero teneantur: nec ullas negociationes quisquam exercere præsumat: nec ædificia sæcularia inibi construere, nisi pro communi utilitate, & hostilitatis tempore, necessitas id exposcat. Et si quæ hactenus constructa fuerint, ipsa præcipimus demoliri.

Et quia in cœmeteriis dedicatis multa sanctorum & salvandorum corpora tumulantur, quibus debetur omnis honor & reverentia: sacerdotibus parochialibus districte præcipimus, ut in ecclesiis suis denuncient publice, ne quisquam luctas, choreas, vel alios ludos inhonestos, in cœmeteriis exercere præsumat: præcipue in vigiliis, & in festis Sanctorum, cum hujusmodi ludos theatrales & * ludibriorum spectacula introductos, per quos ecclesiarum coinquinatur honestas, sacri ordines detestentur. Quod si aliqui, post factam denunciationem, ludos hujusmodi (quanquam improprie dictos, eo quod ex eis crimina oriuntur) exercuerint: prædicti sacerdotes eorum nomina loci archidiacono, vel ipsius officiali, denuncient, ut ipsi pro suis demeritis canonice puniantur.

XIV. *De cœmeteriis claudendis, & arboribus crescentibus.*

Sacra loca ab omnibus venerari, tam juris civilis est ratio, quam sacrorum canonum jubet autoritas. Idcirco ecclesiarum cœmeteria, cum quia sancta, tum quia sanctorum reliquiis sanctificata existunt, ab omni immunditia præcipimus custodiri: maxime ne brutorum animalium sordibus maculentur.

Hinc etiam, quod omnibus, quibus ipsa claudendi onus incumbit de jure & consuetudine, injungimus & mandamus: ut circumquaque muro vel fossato ipsa totaliter claudant & conservent clausa, ne bruta animalia, porci præcipue, ingrediantur. Quod si rectores ecclesiarum vel presbyteri parochiales, ad quos cœmeteriorum custodia dignoscitur principaliter pertinere, propria animalia, vel aliena, ibidem depascant, vel depasci permittant: ipsos per locorum ordinarios decrevimus graviter puniendos. Et ne ex aliena culpa propriam negligentiam in posterum valeant excusare: compellendi parochianos suos quacumque censura ecclesiastica, decenter & honeste sua cœmeteria claudere, præsentis synodi autoritate ipsis plenam committimus potestatem.

Et quia inter rectores ecclesiarum & suos parochianos, super arboribus in cœmeterio crescentibus altercationes oriri sæpius intelleximus, utrisque ad se ipsos pertinere contendentibus; hujus altercationis dubium

ANNO CHRISTI 1287.

dubium declarare juris * ſcripti potius quam ſtatuto decidere æſtimamus. Nam cum cœmeteriũ, maxime dedicatum, ſolum ſit eccleſiæ; & quicquid plantatur ſolo cedat: ſequitur neceſſario, arbores ipſas debere inter facultates eccleſiaſticas annumerari: de quibus, laicis diſponendi nulla eſt attributa facultas; ſed, ſicut ſacra ſcriptura teſtatur, ſolis ſacerdotibus diſpoſitionis cura indiſcuſſe a Deo commiſſa docetur. Verum, quia arbores ipſæ, propter ventorum impetus, ne eccleſiis noceant, ſæpe plantantur: prohibemus, ne eccleſiarum rectores ipſas præſumant proſternere indiſtincte, niſi cum cancellus eccleſiæ neceſſaria indigeat refectione: nec in alios uſus aliqualiter convertantur, præterquam ſi navis eccleſiæ indiguerit ſimiliter refectione, & rectores propter parochiæ indigentiam, eis caritative de arboribus ipſis duxerint largiendum. Quod fieri non præcipimus: ſed, cum factum fuerit, recommendamus.

XV. *De immunitate eccleſiarum, perſonis & rebus earum.*

SAnctam matrem eccleſiam, quæ nemini claudit ingreſſum, vel gremium redeundi, non ſolum patres apoſtolici, ſed etiam Romani principes in unitate multiplici decorarunt: ut ſit ipſa tanquam pia mater, quæ in ſinu ſuo recolligit univerſos: ita ſinguli boni, ſive mali, ad ipſam confugientes, ſub ipſius chlamyde proteguntur illæſi. Hanc libertatem eccleſiaſticam bonæ memoriæ Othobonus, quondam in Anglia ſedis apoſtolicæ legatus, prudenter attendens, decrevit ſtatuendo: ut ſi quis aliquem, ad eccleſiam, cœmeterium, vel clauſtrum confugientem, inde abſtraxerit, vel neceſſarium victum ſibi prohibuerit miniſtrari; aut res alienas in prædictis locis depoſitas, hoſtiliter vel violenter aſportaverit, vel aſportari fecerit; aut abſtractionem aut prohibitionem ſuo nomine factam, vel a ſuis familiaribus, ratam habuerit; aut talia præſumentibus auxilium, conſilium, vel conſenſum præbuerit, publice vel occulte: fore ipſo facto, vinculo excommunicationis innodatos, a quo non prius abſolventur, donec eccceleſiæ damnum paſſæ ſatisfecerint competenter. Hæc digna æmulatione ſequentes, adjiciendo ſtatuimus: ut nullus in prædictis locis, etiam laicus in laicum manus injiciat temere violentas, vel ad palliandam propriam injuriam vel alienam, locum ſacrum præſumat affirmare profanum, vel aliam perſonis eccleſiaſticis, rebus earum, aut familiæ, contra immunitatem a ſanctis canonibus eis indultam, injuriam irroget, vel gravamen. Alioquin contravenientes vinculo excommunicationis concilii innodamus: cæteris pœnis in ſtatuto ipſius legati enumeratis, in ſuo robore nihilo minus induraturis.

XVI. *De eccleſiarum domibus conſervandis & reparandis.*

INgratitudinis vitio & avaritiæ labe quorundam ſtatum " novimus quamplurimum dejugari ": qui, cum beneficiis eccleſiaſticis ſuis nonnulla percipiant emolumenta, onera incumbentia negligunt ſupportare, ædificia eccleſiarum integra conſervare, & reſtaurare dirupta non curantes: immo, aut bona percepta in ſinu avaritiæ abſcondunt; aut velut prodigi, inutiliter conſumere non verentur.

" *Deeſt forte* eccleſiaſticum
" *f.* denigrari

Hinc eſt, quod ſtatuendo & monendo diſtricte præcipimus, ut clerici univerſi, eccleſiarum ſuarum cancellos, domos, & cætera ædificia deſtructa, de novo conſtruere, & ruinoſa fulcire, prout indiguerint, non omittant: ut cum nos, vel locorum archidiaconos, per loca ipſa tranſire contigerit, valeamus ibidem hoſpitare honeſte. Qui ſi moniti per nos vel dictos archidiaconos, præmiſſa per duos menſes facere detrectaverint: ex tunc, juxta prædicti legati ſtatutum, tantum de eccleſiarum ſuarum fructibus plenarie " præcipimus, quantum ad refectionem hujuſmodi ſufficiat peragendam.

" *f* pendere præcipimus.

XVII. *De vita & honeſtate clericorum.*

VT clerici a vulgari vita reclusi, mundi voluptatibus non intendant, ſacris eſt canonibus diffinitum: quorum etiam vita aliis exemplare, cæteros morum gravitate & cõverſatione laudabili decet præcellere. Ne igitur clerici ad gubernationem poſiti populorum, per vitam malam & geſtus incompoſitos efficiantur ruinæ, tam propriæ, quam multorũ: ſtatuendo præcipimus, quod clerici univerſi, quorum opera lucere debent coram hominibus, vita bona, converſatione honeſta, & ſanctis moribus ſe exornent; ut non ſolum verbo prædicationis, ſed vitæ propriæ integritate, errantes ad viam veritatis revocent & ſalutis.

Et ne in ipſis ſuperbiæ vitium, quod omnis peccati & perditionis " fuit, prædominetur: præcipimus, quod pannis ſericis vel viridibus, aut rubeis, ſeu ſubtelaribus manicis, ſolutaribus conſutitiis, caligis aliis quam nigris, frænis, ſellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut alio quocunque ornatu ſuperfluo non utantur, ſed habitu & inceſſu corporis, Deo & hominibus ſtudeant complacere.

" *Add.* origo *vel quid ſimile.*

Omnes perſonæ in dignitate, necnon rectores eccleſiarum in ſacerdotio conſtituti, ac parochialium eccleſiarũ vicarii, capis & ſupertunicis utantur clauſis, & maxime in civitatibus, via, & in plateis, coram ſuis prælatis & conventibus clericorum. Hoc idem faciant ſacerdotes, quanquam minime beneficiati, ſi ſibi ſuppetant facultates: quæ ſi defuerint, volumus tamen & præcipimus, quod tam ipſi, quam cæteri clerici omnes conſtituti in ſacris ordinibus, ſuperindumentis ſaltem utantur clauſis, ut in omni caſu, per habitum exteriorem, per quem interior deſignatur, clerici a laicis diſcernantur.

Induant ſe clerici veſtibus unius coloris, & non varii, nec permixti: quoniam omnis ornatus ad jactantiam adhibitus, eſſe debet a clericis alienus. Et ſicut nec fulgidis veſtibus ſe ornare ", ita non ſordibus deturpare. Nam ut exquiſitæ deliciæ, " nec affectatæ ſordes, laudes.

" *Deeſt* debent,
" *f.* ita nec affectatæ ſordes, laudabiles.

Clerici veſtes habeant, nec longitudine nec brevitate nimia ridiculoſas: nec fibulas, nec annulos deferant, nec corrigias ſericas, auri vel argenti habẽtes ornatum. Circa capitis tonſuram, honeſtatem oſtendant, ut comam nullatenus nutriant, ſed crinibus & patentibus auribus incedant, coronas habentes ſphæricas & decentes, quas infulis cooperire, ſub pœna ſtatuti legati Othoboni penitus prohibemus. Moribus & verbis pudorem indeſinenter oſtendant: ad quod deſignandum, prædicatores turturi comparantur. Et quoniam in compoſitione corporis, qualitatem indicant mentis: & inceſſu clerici debent eſſe ornati, ut gravitate itineris, mentis maturitatem oſtendant.

Item a pravorum conſortiis ſe abſtineant. Sæpe etenim pravorum conſortia bonos mores corrumpunt, & diutina converſatione ſubvertunt. Lectionibus & orationibus intendant aſſidue.

Item clerici modeſti ſint & ſobrii, abſtinentes ſe a crapula & ebrietate. Nam, ut ait Gregorius, gula nihil turpius eſt, cujus fœtor eſt in ore, pallor in facie, tremor in digitis; in cujus corde nullum latet ſecretum. Vt inter clericos & hiſtriones, ſicut eſt, ita appareat in omnibus diſpar profeſſio: diſtricte præcipimus, ut ad convivia non accedant, maxime ſacerdotes: niſi a domino domus ſpecialiter fuerint invitati. Quod ſi invitari contigerit, ſeſe non ingurgitent, ſed protinus poſt prandium, ad propria ſobrii revertantur. Nuſquã tabernas exerceãt, niſi perigrinationis cauſa in itinere con-

ANNO CHRISTI 1287.

constituti: sed ita modeste & sobrie vivant semper, ut in omni tempore inter sanctum & profanum, mundum & immundum, discernere sciant & valeant, sicut decet.

Præcipimus ut clerici histrionibus & joculatoribus non intendant; ad aleas vel ad taxillos non ludant, nec aliis ludentibus sint participes, aut inspectores; nec ad spectacula publica, spectandi gratia, præsumant accedere. Avibus nec canibus venatoriis non utantur. Hæc & alia plurima sunt clericis interdicta, quorum conversatio a laicorum actibus est remota, quos sicut loco, ita religione debent præcellere.

XVIII. *De clericis concubinariis, & concubinis eorum puniendis.*

Libidinis ardorem, quo decor & honestas clericalis sæpius scandalizatur, & habetur pluribus in derisum, extinguere cupientes: clericos universos beneficiatos, & alios, ab* omni incōtinentiæ vitio præcipimus caste vivere & honeste, præcipue in sacris ordinibus constitutos. Et ne eorum honestatem, mulierum consortia dehonestent: præcipimus, quod *in domibus suis nec alienis detineant publice concubinas: & si qui hactenus habuerint, ipsas infra mensem a se prorsus amoveant, illas vel alias de cætero nullatenus retenturi. Alioquin secundū statuta dominorum Othonis & Othoboni, cōtra eos edita in hoc casu, puniantur condigne: quæ juxta formam statuti* Radingiæ promulgati, præcipimus annis singulis publicari.

* f. absque omnis.

*Deest forte, nec

*Ann. 1279. vide supra.

Et licet ecclesiastici, quidquid vitæ suæ necessitati eis superfuerit de patrimonio suo Iesu Christi, in usus pauperum, quorum dispensatores existunt, teneantur ex debito erogare: quidam tamen eorum, ut audivimus, de quo dolemus, bona ecclesiæ, non in pauperum usus, at suarum concubinarum convertunt, eisdem terras, redditus, seu res alias, de pecunia ecclesiæ comparando, vel ad comparandam pecuniam ministrando: immo quod deterius est, præsumptione tam damnabili non contenti, in extremis laborantes, & de superno lumine cogitantes, in suis ultimis voluntatibus, quas in malum exemplum omni tempore continuarunt, bona ecclesiæ suis concubinis relinquere non formidant; aliquando directe, aliquando, ut pallient scelus suum, persona tertia mediante. Hanc damnabilem præsumptionem in clericis perfecto odio prosequentes, damnamus pariter & reprobamus, autoritate præsentis synodi: statuentes, ut clerici beneficiati in nostra diœcesi, concubinas suas, si quas hactenus habuerunt vel habituri sunt, quod absit, terras, redditus, domos emere, vel ad emendum pecuniam ministrare, aut in solo laicali de bonis ecclesiasticis ædificia construere, seu fructus ecclesiasticos in laico feodo reponere, amodo non præsumant. Quod si aliqui contra hoc statutum venire præsumpserint: ipsos pro tanto temeritatis excessu excommunicationi decrevimus subjacere, donec læsis ecclesiis emendam præstiterint sufficientem.

Et quanquam ultimis decedentium voluntatibus favor maximus debeatur: in odium tamen incontinentium clericorum & concubinarum suarum præcipimus, quod si clericos suis concubinis aliquid legare contigerit, legato tali, velut invalido, totaliter careant. Quod si vel aliis suppositis personis solvi contigerit: executores illud, tanquam indebitum, repetant, & ecclesiæ, de cujus processit patrimonio, restituere non omittant: alioquin de proprio satisfacere compellantur.

Ut autem incontinentiæ vitio circa clericos cautius obviemus: pœnis temporalibus, cum perpetuas non formidant, decrevimus succurrendum: statuentes, quod beneficiati, qui amodo concubinas suas publice detinent, eo ipso ab officio & beneficio sint suspensi, ita quod de beneficiis, donec omnino ipsas amoverint, se nullatenus intromittant. Alioquin majoris excommunicationis incurrant sententiam: qua dum sint ligati, si Divina præsumpserint celebrare, a suis beneficiis perpetuo amoveantur. Qui vero beneficiati non fuerint, ab officio suspensi remaneant: gravius puniendi, prout culpæ qualitas hoc exposcit.

Presbyteri vero, qui in illis fornicantur, quas baptizaverint, vel susceperint ad pœnitentiam: si beneficiati fuerint, hoc ipso facto a suis beneficiis sint amoti. Alioquin ab officio tamdiu suspensi remaneant, donec ad arbitrium superioris condigne pœnituerint. Clerici vero, qui adulterium commiserint vel incestum, præter pœnas supradictas, graviter puniantur. Qui vero de incontinentia publice fuerint diffamati, nec voluerint aut valuerint canonice se purgare: pro convictis habentes, decrevimus puniri.

In detestatione autem incontinentiæ vitii clericorum & presbyterorum, publicas concubinas eorum ab ingressu ecclesiæ, & susceptione suspendimus sacramentorum. Quæ si monitæ, a sua fœditate non recesserint, ipsas excommunicationis vinculo innodamus: quas, in majorem utriusque ruborem, a suis fornicariis presbyteris, tales præcipimus publice nunciari. Et si adhuc incorrigibiles forte permanserint: invocetur contra eas, si oportuerit, auxiliū brachii sæcularis.

Caveant igitur clerici, & prudenter attendant, ut si ipsos cum suis concubinis taliter excommunicatis, amplius fornicare contigerit, ne majoris excommunicationis incurrant sententiam, criminosis in eodem crimine communicando.

Et ne impietas sub pietatis specie pallietur: præcipimus, ne clerici, in sacris maxime ordinibus constituti, ullas consanguineas, dummodo suspectas, in domibus suis alimentorum gratia præsumant recolligere: sed si tales habeant quæ indigeant, in domibus alienis, procul ab eis, vitæ necessaria subministrent.

Et quia mulierem quam bene conspicimus conversantem, mente debemus diligere, & non frequentia corporali: inhibemus, ne clerici ecclesias monialium, vel sororum sæcularium, vel regularium, sine honesta & legitima causa, frequentare præsumant, aut cum eisdem frequenter familiare habere colloquium.

Ut autem incontinentiæ vitium, tam a laicis, quam a clericis, detestabile magis imposterum habeatur: præcipimus, quod sacerdotes parochianis suis, sæpius & publice prædicent, omnem carnalem commixtionem inter virum & mulierem, extra legitimum conjugium, mortale fore peccatum, & æternam gehennæ pœnam inducere, nisi in hac vita vera confessione & pœnitentia purgetur.

XIX. *De residentia ecclesiasticorum presbyterorum, habentium plura beneficia.*

Pastoralis curæ solicitudo hoc habet in se propriū, ut oves pastoris vocem audiant & sequantur, ut mutua inter eos habeatur cognitio. Sicque curæ gregis sibi commissi, præsentialiter oportet pastorem intendere, & errantes crebris clamoribus ad ovile Dominicum revocare: ut grex [qui curam animarum] boni pastoris sequatur vestigia, & non mercenarii, qui dimittit oves & fugit, eo quod non est sibi cura de ovibus. Statuimus, ut rectores ecclesiarum parochialium, quibus, ex suscepta cura regiminis, residendi onus incumbit, in ipsis personaliter resideant, iis duntaxat exceptis, quorum absentia per institutos vicarios fuerit excusata; vel quorum ecclesiæ, dignitati vel præbendæ sint annexæ, vel cum quibus ad obtinendum plura beneficia a sede apostolica dicitur dispensatum. Quorum beneficiorum numero & eorundem facul-

Abundant voces tres uncinis inclusa.

ANNO CHRISTI 1287.

ANNO CHRISTI 1287.

facultatibus prudenter pensatis, modo in uno, modo in alio, plus vel minus residentiam faciant personalem. Quibus injungimus, districte praecipientes, ut dispensationes, si quas habeant, per quas tot beneficia licite valeant personaliter retinere, nobis citra proximum festum S. Michaelis, quem terminum ipsis peremptorie assignamus, non differant exhibere. Quas, si justo impedimento cessante, intra praedictum tempus non exhibuerint: ex tunc ipso jure vacare eadem beneficia declaramus, secundum verbum & intellectum concilii generalis aliis idoneis personis libere conferenda.

Circa vicariorum institutionem & residentiam, statutum dominorũ Othonis & Othoboni, per omnia praecipimus observari. Et ne quam habeat unde quis ignorantiam, vel negligentiam excusabilem praetendere valeat: ipsa summatim duximus notificanda. Statuit dominus Otho *, ut nullus ad vicariã admitteretur, nisi in presbyterum ordinatus, vel saltem diaconus in presbyterum proximis quatuor temporibus ordinandus: qui renuncians aliis beneficiis curam animarum habentibus, juraret residentiam facere, & per seipsum ibidem faceret continue corporalem: alioquin ipsam institutionem nullam fore decrevit, & vicariam alii conferendam. Cui statuendo superaddit dominus Othobonus, ut si quis contra praedictũ statutum vicariam teneret, fructus suos non faceret sic perceptos: sed illorum medietas una, ecclesiae, cujus est vicaria, traderetur, in ipsius utilitatem modis omnibus convertenda: pars vero una alterius medietatis, inter pauperes ipsius parochiae distribueretur, & altera loci archidiacono applicaretur, qui annis singulis super his inquisitionem faceret diligentem, ut praedictum statutum faceret firmiter observari.

* *Legebatur* Othobonus, *sed falso.*

Hoc, & caetera quae in praedictis statutis latius continentur, tam ab his archidiaconis, quam vicariis, inconcusse praecipimus observari: ita quod nulla valeat in his negligentia vel culpa notari.

XX. *De inquisitione facienda super litteratura ecclesiasticarum personarum.*

OMnium mater errorum ignorantia, praecipue sacerdotibus est vitanda, qui in populo Dei docendi officium susceperunt: quorum opus in praedicatione & doctrina consistit, ut aedificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina. Ne igitur per caecitatis ignorantiam, dum ducatum praestant populo Christiano, ambo in foveam delabantur: singulis locorum archidiaconis injungimus, ut diligenter inquirant, qui rectores, vicarii, aut sacerdotes, in litteratura enormem patiuntur defectum: & postquam eis de hoc constiterit, nobis denunciare quam citius non omittant.

De parochialibus sacerdotibus frequenter assumant experientiam, an habeant & sciant decalogum, id est, praecepta legis Mosaicae, ipsaque subditae plebi exponant, & solicite praedicent observanda. An etiam sciant septem peccata mortalia, ipsaque praedicent populo fugienda: sciant etiam septem sacramenta ecclesiastica, & qualiter habeant conferri, ut supra diximus, unumquodque: & an articulorum fidei Christianorum saltem simplicem habeant intellectum, prout in psalmo, Quicunque vult, & in utroque symbolo continentur; ni * quilibet, qui fidem catholicam firmiter non crediderit, salvus esse non poterit.

* *f.* nam quil.

Sacerdotes autem, si quos invenerint, circa praemissa, nimia ignorantia laborare, ipsos protinus suspendant ab officio sacerdotali, maxime a regimine animarum, ad quos quidem Divinus sermo dicitur: *Tu vero scientiam repulisti, & ego te repellam, ne fungaris mihi sacerdotio.* Osee 4.

Ut autem quilibet sacerdos, cui animarum cura incumbit, melius sciat & intelligat, qualiter debeat in ipsa versari: praecipimus, quod quilibet, cui parochialis ecclesiae regimen incumbit, quandam summulam plurimum utilem, immo verius necessariam, a diversis tractatibus extractam sub compendio: (quae summula sub eisdem * verbis incipit) quilibet, & praesentem synodum, citra festum S. Michaelis, habeant scriptam, & ipsam sane intelligant, ac ea utantur sub poena unius marcae, loci archidiacono applicandae. Quam si archidiaconus remiserit, & ipsam vel ipsius partem quartam levare poterit, & recipere praetermiserit: eundem archidiaconum, in duabus marcis, fabricae ecclesiae Exoniensi volumus obligari.

* *Iisdem nimirũ verbis, a quibus incipit haec synodus: nempe,* Altissimus de terra creavit, &c. *Eam summulam vide ad calcem hujus concilii.*

XXI. *De Divino officio nocturno, pariter & diurno.*

MInistri ecclesiarum, qui ecclesiasticis sustentantur stipendiis, prompti debent esse & soliciti circa Divinum officium peragendum: ut in vinea Domini viriliter laborantes, praeter stipendia temporalia, quae hic percipiunt, aeternae retributionis denarium mereantur percipere post laborem: quos circa ipsum officium propheticus sermo instruit, & informat, dum per prophetam dicitur: *In matutinis meditabor in te:* & alibi: *Septies in die laudem dixi tibi.* Psal. 62. Psal. 118.

Hinc est quod singulis ecclesiarum ministris in virtute sanctae Trinitatis injungimus, ut secundum formam concilii generalis, Divinum officium, nocturnum pariter & diurnum, corde & voce simul studiose celebrent, & devote, & plane, & plene, absque syncopa psallendo seu cantando singula quae incumbunt. Caveant igitur psallentes, ut in medio versiculi pausent pusillum: nec unus sequentem versiculum prius incipiat, donec alter plene dixerit praecedentem: & sic psallendo sese intelligant, ut dum voce unus psallat, animus affectu simul psallere videatur.

Et quia canonicę horae secundũ temporum interstitia, in ecclesiis parochialibus, sicut in cathedralibus & collegiatis, nequeunt decantari: praecipimus, ut presbyteri parochiales ab ecclesiis suis recedere non praesumant, donec festis diebus ante Missam, vel post, canonicas horas decantaverint; vel saltem legerint absque cantu, cum dies fuerit feriandus: proviso, quod Missam sacerdos prius non celebret, donec matutinas & primam solverit creatori.

Praecipimus etiam, quod parochiales presbyteri, omni die, praeterquam in Paschatis tempore, & festis Sanctorum, * novem lectionum, & in vigiliis eorundem, decantent Placebo & Dirige, & commendationem. Haec tamen * tempora non excipimus, dum tamen id velint facere ex devotione.

* *leg.* officium recitent novem lect.
* *f.* haec enim tempora.

Ad haec districte prohibemus, ne presbyteri circa potationes & inutiles confabulationes, noctes ducant, quasi insomnes, sicut fieri audivimus aliquando: quod cubant * sobrii tempestive, ut mane surgentes post plenam digestionem, habiliores sint ad Divinum officium exequendum. Quo incepto, exteris collocutionibus laicorum amplius non intendant: sed donec illud impleverint, aures intentas jugiter porrigant ad Divina.

* *f.* sed cubent

Praeterea audivimus quandoque, quod presbyteri quanquam fuerint absentes, forte ex illicita causa, tanquam praesentes essent, ad horas canonicas faciunt campanas pulsari: quarum sonitu populus excitatus, dum ad ecclesiam, Divinum officiũ audiendi & orandi causa, accedit, presbyterum non inveniens, clerico praesente, ubi sit inquirunt, & responsum accipiunt, non est hic; jam recessit: & sic parochiani illusi recedunt, & ecclesia defraudatur obsequiis. Hanc tam fraudem, quam injuriam .... cedere minime dubitatur, evellere cupientes: statuimus, ut si talis sacerdos

Anno Christi 1287.

perpetuus fuerit, veluti rector, seu vicarius, per mensem vel amplius, superioris arbitrio ab ingressu ecclesiæ suspendatur: si vero conductitius fuerit, & temporalis, ut vere dici possit, jam recessit; ipsum a nostra diœcesi præcipimus amoveri.

Præterea præcipimus, quod nullus sacerdos bis in die Missam celebrare præsumat, præterquam diebus Nativitatis Domini, & Resurrectionis Dominicæ; & cum in ecclesia propria corpus fuerit tumulandum. Quibus casibus in Missa priori presbyter ablutionem calicis aut digitorum non assumat.

Statuimus insuper, quod parochiales presbyteri annalia vel triennalia non recipiant, per quæ parochiales ecclesiæ careant obsequiis debitis, & quotidianis. Alii vero capellani conductitii, diebus Dominicis & B aliis solemnitatibus, non prius celebrent, donec Missa parochiæ fuerit celebrata.

Et quoniam audivimus, quod quanquam rectores ecclesiarum, metu pœnæ statuti, infra annum a tempore suscepti regiminis, ... & fecerint in presbyteros ordinari, Missarum tamen solemnia differunt celebrare per tempora diuturna; per hoc excusare volentes, quod in prædicto statuto nihil cautum de Missarum solemniis reperitur: hanc excusationem (qua se accusant potius quam excusant) frivolam reputantes: statuimus, ut saltem infra dimidium annum post ordinum susceptionem, nisi canonicum habuerint impedimentum, Missas celebrare non omittant. Alioquin beneficiorum suorum fructus decrevimus sibi subtrahendos, donec quod dictum est devote compleverint: C nec postquam semel celebraverint, incipiant tunc cessare; sed sub pœna prædicta frequenter studeant celebrare.

Et cum in ecclesia Dei, secundum inferiores & superiores ordines, officia sunt destituta *, ne inferior usurpet officium superioris, & promiscuis actibus contingat ecclesiastica officia perturbari: firmiter inhibemus, ne diaconi confessiones audiant, pœnitentiasve injungant, vel sacra ministrent, aut aliqua officia exerceant, quæ solis sacerdotibus sunt concessa.

* f. instituta

Laicos aut in cancello stare, vel canes secum in ecclesia detinere, aut in navi ecclesiæ tumultum facere, dum in ipsa Divinum officium celebratur, firmiter inhibemus: & ipsos a tali præsumptione per locorum D rectores, vicarios, & parochiales insuper sacerdotes, censura ecclesiastica statuimus coercendos: inhibentes clericis conjugatis, quantumcumque litteratis, ne altari præsumant ministrare, cum ipsos studere oporteat qualiter uxoribus suis valeant complacere: sicque eis, quæ Dei cultum respiciunt, animum ex toto nequeunt applicare.

XXII. *Quod parochiani frequentent ecclesiam diebus Dominicis.*

TAm veteris quam novi Testamenti pagina, septimum diem ad humanam requiem deputavit. E Unde Iudæi secundum litteram, diem Sabbatum, nos secundum litteræ intellectum, Dominicum, a manuali opere custodimus: quo, in ecclesia conveniens populus Christianus, tam Divina obsequia audiant, quam vivendi normam addiscant. Et quanto variæ sæculi operationes, parochianos non sinunt cæteris diebus Divinis officiis interesse; tanto his diebus singuli curiosius tenentur adesse, ut dum pro pane materiali in singulos dies perituro, sex diebus laboraverunt, septimo saltem die, cibo spirituali, qui non perit, verbo prædicationis salubrius refocillentur.

Idcirco parochialibus presbyteris præcipimus universis, ut parochianos suos moneant diligenter, & efficaciter inducant: ut ecclesiam suam festis diebus, præsertim Dominicis, studeant frequentare, Divinum of- A ficium audituri, & recte vivendi instructionem humiliter recepturi. Qui si ex consuetudine se absentaverint, per locorum ordinarios puniantur. Et ut absentandi se occasio auferatur: sub pœna excommunicationis firmiter prohibemus, mercata Dominicis diebus in nostra diœcesi celebrari, præterquam de victualibus quæ in his sicut cæteris licite vendi possunt: Missa tamen primitus celebrata. Aliter & alia vendentes, & ementes, gravi pœnæ decrevimus subjacere.

Anno Christi 1287.

XXIII. *Qualia Festa debent indici, & observari.*

CIrca festa indicenda errare novimus quam plurimos sacerdotes, dum unus in sua parochia festum aliquod indicit solemniter celebrandum, alius idem festum penitus prætermittit: sicque in una parochia homines cessare a laboribus, in alia communiter laborare sæpe contingit. Quod absurdum admodum reputantes, inhibemus, ne sacerdotes alia festa in parochiis suis præcipiant solemniter celebrari, quam ea quæ in sacris canonibus sunt expressa, vel quæ cum clero & populo solemniter duximus veneranda.

Ut festorum celebrandorum inter omnes subditos nostros eadem observantia habeatur: festa solemniter celebranda, cum clero & populo, præsenti synodo duximus inserenda.

In mense Ianuarii: Circumcisionis Domini, Epiphaniæ Domini, Conversionis S. Pauli.

In mense Februarii: festum Purificationis B. Mariæ, Cathedræ S. Petri, S. Matthiæ apostoli.

In mense Martii: festum S. Gregorii, Annunciationis S. Mariæ.

In mense Aprilis, S. Georgii, S. Marci evangelistæ.

In mense Maii: sanctorum Philippi & Iacobi, Inventionis sanctæ Crucis, S. Ioannis ante portam Latinam, S. Augustini Anglorum apostoli.

In mense Iunii: S. Barnabæ apostoli, Nativitatis S. Ioannis Baptistæ, apostolorum Petri & Pauli.

In mense Iulii: Translationis S. Thomæ martyris, sanctæ Mariæ Magdalenæ, S. Iacobi apostoli majoris.

In mense Augusti: Ad vincula S. Petri, S. Laurentii, Assumptionis B. Mariæ, S. Bartholomæi apostoli, Decollationis S. Ioannis Baptistæ.

In mense Septembris: Nativitatis beatæ Mariæ, Exaltationis S. Crucis, S. Matthæi apostoli, S. Michaelis Archangeli.

In mense Octobris: S. Lucæ evangelistæ, apostolorum Simonis & Iudæ.

In mense Novembris: Omnium Sanctorum, S. Martini, S. Catharinæ, S. Andreæ apostoli.

In mense Decembris: S. Nicolai, Conceptionis B. Mariæ, S. Thomæ apostoli, Nativitatis Domini per octo dies, Paschæ per quatuor dies, Ascẽsionis Domini, Pentecostes per quatuor dies. Temporibus suis, festum Sancti loci, & dedicationis ecclesiæ.

XXIV. *Ne clerici negotiatores existant, vel sæculares administrationes recipiant.*

A Turpis lucri quæstibus, quæ ex cupiditatis labe procedunt, cujuscumque gradus clericos se abstinere Apostolica sententia patenter insinuat; qua cavetur: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Inhibemus igitur cunctis clericis, religiosis, & aliis, ne quis eorum negotiator existat, vel sæcularia commercia, verum inhonesta maxime, exercere præsumat. Oportet tamen prælatos, negotiorum sæcularium habere notitiam: ut eorum cautela, ecclesiæ serventur indemnes, & subditis non solum spiritualia, sed etiã carnalia subsidia, cum indiguerint, subministrent.

2. Tim. 2.

Et

ANNO CHRISTI 1287.

Et quanquam clericis sit interdicta negotiatio: illa negotiationis species in ipsis præ cæteris, ubi tempus venditur quod omnibus est commune. Unde ipsis inhibemus, sub pœna suspensionis officii & beneficii: ne cuicumque dare præsumant suam substantiam ad usuram. Alioquin super hæc convicti, suis beneficiis privandos decrevimus: & ad dignitates ecclesiasticas amplius minime admittantur.

Inhibemus etiam ipsis, ne vilius emant, aut carius vendant, pro dilectione temporis non venalis.

Item quia absurdum est clericis, immo probrosum, si forensium disceptationum executores existant: districtius inhibemus, ne clerici aut in sacris ordinibus constituti, laicorum ministri aut procuratores existant; aut quascumque ballivas ab ipsis recipiant, per quas sibi ad ratiocinia obligentur: maxime a talibus, qui per sæcularem potentiam, ipsorum bona, immo verius ecclesiæ, de facto valeant occupare.

Item ne judicia sanguinis tractare eisdem, nec interesse, nec sententiam sanguinis dictare, scribere aut proferre, seu sanguinis vindictam exercere, seu ubi exercetur interesse, ullo modo præsumant: alioquin ipsos ad beneficia ecclesiastica retinenda inhabiles fore decrevimus.

XXV. *Ne dignitates vel officia ulli tradantur ad firmam.*

IN subversione Iudæorum & gravamine subditorum redundare dignoscitur, cum officium conducitur prælaturæ: ut justitia, quæ gratis est cuilibet impendenda, interventu pecuniæ redimatur. Ideo etenim personis ecclesiasticis certa sunt stipendia constituta, ne dum sumptus quam prædo.......... Districte igitur inhibemus, ne dignitates vel officia ecclesiastica, seu spiritualis jurisdictionis exercitium, seu quorumcumque sacramentorum proventus, modo ad firmam aliqualiter concedantur. Alioquin convicto super hoc deliquisse, pœna Oxoniensis concilii infligatur. Si tamen certus redditus dignitati vel officio sit annexus: dari ad firmam licite poterit, petita a nobis primitus licentia, & obtenta, sicut de aliis beneficiis decrevimus consequenter.

Item cum laboranti in vinea Domini, & non alii, retributionis denarius debeatur: statuendo decrevimus, ut nulla ecclesiastica beneficia, quocumque quæsito colore, tradantur vel recipiantur ad firmam, absque licentia nostra speciali: quam si honesta causa aliquibus gratiose concesserimus, ut puta longæ peregrinationis forsitan vel studii causa, circa nostram concessionem, fraudem fieri prohibemus: statuentes, ut causa cessante, seu indulto a nobis terminato tēpore, cesset firmæ traductio", & ipsius conductor confestim ab ea recedat, ac locator ad suum beneficium revertatur, in ipso facturus residentiam personalem. Alioquin primo per fructuum subtractionem, deinde sumptus * continua causa hoc exegerit, per sui beneficii amissionem, ad id, si necesse fuerit, compellatur.

*f. traditio

Et quia audivimus, aliquando, quod dolentes referimus, laicis ecclesias conjuncti " ad firmam, sub nomine ballivorum, in quarum domibus præsumunt cum suis uxoribus & familia habitare, in grave scandalum & dispendium ecclesiarum: nos, id de cætero fieri prohibemus, sub pœna excommunicationis, quam in dantes proferimus & recipientes: sub pœna eadem nihilo minus interdicentes, ut terra libera ecclesiarum, decimæ, vel quæque alia ad ecclesias pertinentia, propter pericula quæ de facili exinde possent contingere, sub annuo censu ad firmam laicorum non committantur.

*f. concedi

XXVI. *De prohibita ecclesiasticarum rerum alienatione.*

ECclesiasticarum rerum alienationes, non solum sancti patres Romani pontifices, sed etiam principes sæculares, grandi devotionis affectu interdicere studuerunt: ne per ipsas incaute factas, in rebus ecclesiæ temporalibus graviter læderentur. Hinc est, quod omnibus viris ecclesiasticis, religiosis, & aliis, cujuscumque eminentiæ aut gradus existant, quascumque rerum ecclesiæ immobilium alienationes facere prohibemus: ut nec ipsas extra formam canonis, vendere, donare, impignorare, permutare, aut in perpetuam emphyteusim concedere, nullo modo præsumant. Contrarium vero facientes, pœna canonis, aut constitutionis Romanæ, seu saltem Oxoniensis concilii, decrevimus esse plectendos. Si vero res ecclesiæ hactenus alienaverunt, juris forma minime observata: illi iidem, si supersint, alioquin successores eorum, alienata celeriter studeant revocare: cum tales alienationes viribus careant, & sint iritæ ipso jure.

Qui vero res alienatas receperit, nisi monitus ipsas restituat, excommunicationis sententia percellatur: a qua, priusquam restituerit, nullatenus absolvatur.

XXVII. *Ne clerici de bonis ecclesiasticis in solo ædificent laicali.*

VT clericos nobis subjectos ab omni lasciviæ specie, quatenus possumus, cohibeamus: statuimus districtius inhibentes, ne de bonis ecclesiasticis ædificia sibi in solo construant laicali, in quibus præter ecclesiarum rerum dispendia, nonnullos clericos in animarum suarum periculum, & laicis perniciosum exemplum, multa turpia & inhonesta audivimus perpetrasse. Verum in solo ecclesiæ ædificia sibi necessaria studeant ædificare: & si necesse fuerit, ad idem, ut supra præmisimus, compellantur; in quibus, absque ulla vagatione honeste se recolligant, & ecclesiarum suarum fructus reponant, ut sic semper sub ecclesiasticarum personarum potestate consistant, & laicorum jurisdictioni nullatenus subjiciantur.

XXVIII. *De quantitate vicariarum, & stipendiis sacerdotum.*

LAborantibus in vinea Domini, sicut inhumanum est, victum necessarium denegare: ita nimias divitias elargiri, quibus impinguati, incipiant insanire, reprehensibile judicamus. Vt igitur circa utrumque moderationis temperiem adhibeamus, & ex duobus contrariis faciamus optimum temperamentum, illum imitantes, qui ait: *Divitias & paupertatem ne dederis mihi Domine: sed tantum victui meo tribue necessaria*: statuimus, ut in parochialibus ecclesiis quælibet vicaria perpetua certas portiones habeat sibi assignatas, valentes ad minus pretium unius capellani stipendia", quinque marcas; de quibus ipse vicarius juxta suæ substantiæ modulum valeat hospitalitatem tenere: & si in ægritudinem, senectutem, vel aliam impotentiam inciderit, sustentari, ecclesia propter hoc debitis obsequiis non carente. In ecclesia 40. marc. secundum verum valorem, vel circiter, præcipimus hoc observari. In aliis vero æstimationis majoris, juxta oneris quantitatem, & nostræ discretionis arbitrium, vicariarum portiones volumus ampliari: ita quod in utroque casu rectores vel vicarii onera ordinaria vel extraordinaria, prout ipsa posuerimus istis vel illis, agnoscant; & de illis satisfaciant absque partis incommodo sine norma. Quod si pars ab hujusmodi onere libera, propter normam partis oneratæ damnum incurrat: præcipimus damnum, quod acci-

Prov. 30.

*f. stipendii

ANNO CHRISTI 1287.

dit sine culpa, a parte culpabili plenarie reservari. Ubi autem inter rectores & vicarios onerum divisio non est facta: juxta modum facultatis utriusque agnoscant ambo onera supradicta.

Ad hæc, ne parochiales sacerdotes in vituperium clericalis ordinis oporteat mendicare, aut turpius facere, lucri quæstibus inhiare; seu in habitu indecenti incedere, propter eorum inopiam compellantur: statuimus, ut a rectoribus ecclesiarum quibus deserviūt, annuatim percipiant pro stipendiis xl. solid. sterlingorum. Et si cum eisdem convenerint, pro quantitate minori: præsentis tamen synodi autoritate decrevimus suppleri quod deest: fidei interpositione juramenti rei insolutum receptæ minoris valoris, vel alterius cujuscumque generis vinculo, quod in fraudem B præsentis statuti inter contrahentes interponi contigerit, a quo absolvimus partem totaliter obligatam, minime obsistente. In majoribus ecclesiis, nisi propter majus onus pro majori quantitate conveniri contigerit, conventionem ipsam ratam habemus pariter & acceptam. Nec rectores in hoc reputent se gravatos: cum liberum sit eis, ad quod non tenentur, propriis ecclesiis personaliter deservire; & sic se a parochialium sacerdotum stipendiis exonerare.

Sacerdotes vero auxiliarii, non minus percipiant quam quinquaginta solidos, quanquam cum eisdem conveniri contigerit pro minori: alioquin quod deerit, suppleatur sub forma superius annotata.

XXIX. *Ut beneficia aquæ benedictæ solis scholaribus assignentur.*

A Nostris majoribus sæpe audivimus recitari, beneficia aquæ benedictæ, intuitu caritatis, fuisse ab initio instituta, ut ex eorum proventibus, pauperes clerici exhiberentur in scholis, ibidem taliter proficerent, ut aptiores & magis idonei fierent ad majora. Ne igitur, quod tam salubriter exstitit institutum, per tempus redeat in abusum: statuimus, quod in ecclesiis quoque a scholis civitatis vel castrorum diœcesis, ultra decem non distantibus miliaria, aquæ benedictæ beneficia solis scholaribus assignentur.

Quia vero in rectores & vicarios ecclesiarum, ac suos parochianos, super collatione hujus beneficii lites nonnunquam audivimus suscitari; quas, sicut D cordi nobis est amputare, debemus destruere: statuimus, ut rectores & vicarii, quorum magis est scire, qui clerici ad hujusmodi officium idoneiores existent, tales clericos in beneficiis prædictis præficere studeant, qui sunt juxta corda eorum, & sciant & valeant in Divinis officiis sibi congrue deservire, & suis velint mandatis obtemperare. Quibus si parochiani malitiose subtrahere velint eleemosynas consuetas: ad ipsas sibi largiendas solicite moneantur, &, si necesse fuerit, compellantur.

XXX. *Ne clericus clericum coram sæculari Judice conveniat.*

Cum nec volens nec invitus clericus valeat sibi laicum constituere judicem: inhibemus, ne clericus clericum super re spirituali, aut quacumque actione personali sibi competente, vel suis, trahat in causam correctionis coram judice sæculari. Alioquin illum qui hoc facere attentaverit, causam perdere declaramus.

Et quanquam non suo nomine, sed alieno, ad vetitum examen clericum trahi procuravit: nihilo minus eum qui taliter in fraudem legis committit, prædictis pœnis decrevimus involutum. Si quis autem clericus contra laicum actionem se habere crediderit: illam, nisi de re spirituali fuerit, vel aliter conventum fuerit inter partes, sæculari coram judice prosequatur.

A Si quis vero laicus clericum cujuscumque gradus duxerit esse pulsandum, coram ecclesiastico judice eas proponat quas se habere existimat occasiones.

Hunc ordinem legibus consentaneum illa regula manifestat, quæ perficit [a] actorem sequi forum pulsati. Qui vero hujus ordinis violator extiterit, si clericus fuerit, gravi subjacet ultioni: si vero laicus, puniatur [b] violator ecclesiasticæ libertatis, ac sic in generalem excommunicationis sententiam, qua violatores hujusmodi innodantur, incidisse publice denuncietur. Et ne laicis ulla detur occasio, clericos apud non suos judices fatigandi: præcipimus, quod si inter hujusmodi diversæ professionis homines litigium oriatur, cum celeritate qua convenit, laicis ipsis plena justitia impendatur.

[a] *f.* præcipit
[b] *Add.* ut

Ad hæc, sub pœna excommunicationis inhibemus, ut nullus parochianus noster clericum aut laicum nostræ diœcesis, contra quem nihil juste habet quæstionis, coram extraordinario judice malitiose fatigare præsumat laboribus & expensis: ut sic pro redimenda vexatione valeat a convento pecuniam extorquere.

Si quis vero laicus clericum ad forum pertrahit sæculare, super actione maxime personali; & judex sæcularis clericum coram se compellat respondere; vel quia non respondit, ipsum gravare propter hoc præsumat: tam ipsum judicem, quam totaliter pertrahentem, autoritate præsentis synodi sacrosanctæ, excommunicationis, ac speciales interdicti sententias & generales, cæteraque remedia ecclesiastica, contra eosdem fore procedendum nihilo minus decernentes, donec gravamen hujusmodi revocaverit, & clerico in hoc læso satisfecerit competenter. C *Mendosus locus.*

XXXI. *De celebratione capitulorum ruralium.*

Principis apostolorum doctrina nos instruit & informat, ut, qui omnibus præesse volumus, singulos iuvemus, singulos relevemus: eo quod onera singulorum nostris humeris supportare incumbit. Iuxta igitur pastoralis curæ solicitudinem, quieti subditorum prospicere cupientes: statuimus, ut archidiaconi, & eorum officiales, capitula sua studeant celebrari in locis, ubi sacerdotes & clerici facilius & cum minori gravamine poterunt convenire; & remotiores primo expediant, eosq; protinus abire dimittant, qui de parochiarum suarum ecclesiis fuerint expediti: nec capitula usque in crastinum continuent, ne sacerdotes sic coacti, extra suam parochiam, non absque periculo animarum, oporteat pernoctare.

De mense in mensem capitula celebrentur, nisi festa vel alia impedimenta quæ occurrunt hoc minime patiantur.

De consistoriis nostris hæc eadem præcipimus observari.

Et quia iuxta beatum Isidorum, nullam reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat: præcipimus, quod si laicus convictus fuerit super crimine, propter quod publica sit ei pœnitentia injungenda, illam non in pecuniariam commutet, nisi scandalum, vel alia honesta causa, exegerit aliter ordinare. E

Solemnis pœnitentia, quæ sacramentalis est, in aliam nullatenus commutetur.

Quia vero clerici eam subire non debent: statuimus, ut si tale crimen commiserint, & de eo convicti fuerint iudicialiter, propter quod esset laicis solemnis pœnitentia injungenda: ab executione sui officii suspendantur, donec per nos, vel superiorem nostrum, secum fuerit dispensatum. Huiusmodi autē criminosi clerici, sive laici, ad nostrum pœnitentiarium transmittantur: ut præter pœnam in foro iudiciali eis inflictam, propter scandalum, in foro pœnitentiali ob ipsum delictum pœnitentiam recipiant salutarem.

XXXII.

ANNO CHRISTI 1287.

XXXII. *Quod alii quam publice diffamati, ad capitulum non vocentur.*

DAmnabilis apparitorum præsumptio, adeo his diebus, illicitis ausibus aditum patefecit, sicut ex frequenti clamore didicimus plurimorum: ut quandoque motu proprio, nulla infamia præcedente, ad capitula vocare præsumant super crimine innocentes, ut aliquid extorqueant a vocatis, vel a suis votis * quasi de licentia commendetur. Huic morbo quale possumus remedium adhibere volentes: firmiter inhibemus, ne quis officialis, decanus, aut apparitor, quenquam ad capitulum evocet, vel faciat evocari, super crimine de quo publice non fuerit prius defamatus. Alioquin super hoc convicti, a suis commoveantur * officiis.

* *f.* amoveantur.

In indicendis purgationibus defamatis, quinquenarium numerum principali personæ pro levi crimine, pro majori & horribili duodenarium, judices non excedant. In imponendis vero mulctis, onerosi subditis non existant: ne pastoris solum fungentes nomine, velut lupi rapaces præsumant gregem subditum sibi dilaniare.

XXXIII. *Ut litigantes, impune a lite recedant.*

SAlvator noster, pacis amator, ipsam vivens nobis dedit, & reliquit discedens: quam qui impedit aut perturbat, in pacis committit autorem, ipsius donum evacuare moliens, pariter & relictum. Ne igitur judices ipsius judicium impedire præsumant, cui a patre omnia judicia sunt concessa: statuimus, ut quandocumque a lite recedere voluerint litigantes, & pacis inter se fœdus inire, hoc eis libere liceat, absque pœna, nisi de alterutrius injuria constiterit evidenter: si tamen talis sit lis, quæ compositione amicabili valeat terminari.

Et quoniam cupiditas omnium malorum radix, nonnunquam mentes judicum tanta involvit caligine, ut justum putent quicquid eis cedit ad lucrum: districte prohibemus, ne cum judex aliquis partem ad debiti solutionem condemnat, pœnam statuat sibi solvendam, si intermedio solutionis faciendæ minime fuerit satisfactum. Et si quis contra hæc venire præsumpserit, id quod hoc modo perceperit, in duplum restituere compellatur.

XXXIV. *De juramento advocatorum.*

SAnctione legali ab olim provide novimus institutum ut advocati lite legitime constituta, in omni judicio & coram quocumque judice, tactis sacrosanctis Evangeliis juramentum præstarent: omni virtute sua omnique tempore, quod justum & verum æstimarent, suis inferre clienticulis, & nihil in hoc studii relinquere, quod sibi esset possibile: & si causam, quam in sua fide susciperent, vel improbabilem scirent, vel penitus desperatam, vel certamine procedente talem eam cognoscerent, amplius eidem minime procurarent, sed tali communione sese totaliter separarent. Quæ tam sancta & salubris provisio in desuetudinem abierat, sicut vidimus; & hoc superest testimonium sapientis, dicentis: Quod si narretur, lege cavetur, sed consuetudine non habetur: Felicis recordationis Gregorius papa X. sanctionem prædictam novæ constitutionis suffragio renovavit *, ipsam & ad procuratorum personas latius extendendo, & tam sanctionis prædictæ, quam suæ constitutionis novæ, certas pœnas violatoribus infligendo. Quæ quidem constitutio, quamvis tempore recens existat, antiqua tamen videtur per abusum & desuetudinem, sicut alias habuisse.

* Concil. Lugdun. tit. c. 19

Quapropter advocatorum & procuratorum malitias in dies singulos excrescere conspicientes, adeo ut prædictæ constitutionis observantia magis sit utilis & necessaria futuris temporibus, quam transactis: prædictam consuetudinem per pœnas in eadem insertas districte præcipimus observari: adjungentes, ut advocati & procuratores, quanquam a judice vel a parte minime fuerint requisiti, tamen juramentum prædictum ultro se offerant præstituros. Alioquin a foro, in quo facere prætermiserunt, eo ipso per annum sint a suo officio suspensi.

Iudices oblatum juramentum non respuant, sed confestim admittant: cum illud nedum in favorem judicii, sed partium, fuerit adinventum. Ad hoc tamen causæ spirituales, per canones habeant terminari. Inhibemus ne quisquam laicus, maxime illitteratus, ipsius advocationis assumat officium, sed sibi omnino silentium imponatur, per pœnam quam iudex fuerit arbitraturus.

XXXV. *De captione excommunicatorum.*

AB uno & eodem principio vices & potestates quibus mundus regitur processerunt, scilicet sacerdotalis & regalis potestas: quarum prima gladio spirituali, alia materiali utitur in rebelles. Et quanquam Divino aspectu secunda * major existat, utraque tamen pro qualitate temporum alterius eget auxilio: sicque propter obstinatorum malitiam compescendam nonnunquam maior compellitur adiutorium minoris implorare: ut potestas sæcularis brachia sua in ipsos extendat, quos ecclesiastica nequit coercere.

* *Corr.* prima

Hinc est quod singulis archidiaconis, eorum officialibus, ac cæteris iurisdictionem habentibus ordinariam, districte præcipimus: ut * pro excommunicatorum captione a sæcularibus potestatibus impetranda, nobis crediderint esse scribendum, ob quam causam, & qua autoritate, ordinaria scilicet, an delegata, fuerint invocati, nos suis litteris reddant certiores. Cum autem ad supplicationem nostram excommunicati capti fuerint per auxilium brachii sæcularis: ipsius ecclesiæ ingressum, & communionem fidelium, ac sacramentorum participationem penitus interdicimus. Et ne ab satisfactione congrua & inspectis super hoc nostris seu saltim litteris excommunicatorum testium alibi liberentur, sub pœna excommunicationis incurrenda hoc ipso penitus prohibemus.

* *f.* ut cum

Locus mendo. *m.*

XXXVI. *Ne presbyteri primo ordinationis suæ anno parochias regant.*

CUm sit ars artium regimen animarum: illud iuvenibus & inexpertis committere valde reputamus absurdum, donec per merita virtutum & experientiam diutinam digni efficiantur ad tanti oneris sarcinam supportandam. Quapropter statuimus, ne quisquam presbyterorum, primo ordinationis suæ anno, ad curam parochiæ ullatenus admittatur: illis tamen dumtaxat exceptis, qui tenentur propriis ecclesiis deservire. Sed cum post annum ad curam huiusmodi contigerit se admitti, in ipsa se exerceant studiose: sic etenim per exercitium, eorum artificium suscipiet incrementum. Si vero prius, contra prohibitionem nostram admissi fuerint: tam admissos, quam admittentes, tamdiu ab officii executione suspendimus, donec per nos vel officialem nostrum suspensio huiusmodi fuerit relaxata.

XXXVII. *Ne aliena ordinationis presbyteri sine examinatione, & litteris dimissoriis, admittatur.*

QUia clerici criminosi, vel in natalibus patientes defectum, vel inhabiles ad ordines suscipiendos, nonnunquam a suis diœcesanis fugiunt, ut ab alienis episcopis ordines consequantur, quibusne dum suos celant defectus, sed quod detestabilius est, sæpe mentiuntur

ANNO CHRISTI 1287.

tiuntur ordines se habere, vel maiores habere quam habeant: sancti patres proinde statuerunt, ne quisquam episcoporum, alterius diœcesis clericos ordinaret absque sui episcopi licentia, & litteris commendatitiis: alioquin tam ordinatores, quam ordinatos, ab executione sui officii suspenderunt.

Hinc est, quod districte prohibemus, ne archidiaconi, vel quisquam alius, clericum quemcumque nostræ diœcesis, ab alieno episcopo ordinatum, ad celebrandum in nostra diœcesi prius admittant, donec litteras commendatitias sui inspexerint ordinatoris, per quas constet eis totaliter" ordinatum, a nobis prius litteras dimissorias habuisse. Aliter etenim suspensus remaneat ordinatus, quousque secum duxerimus dispensandum. "f. taliter

Cum vero ordinatus, fuerit alterius episcopatus, & ordinationis similiter alienæ: statuimus, ut absque litteris commendatitiis sui episcopi, & examinatione diligenti super honestate & litteratura, ad parochias custodiendas vel celebranda Divina, peregrinando nullatenus admittatur, vel remissius procedatur in ipsis, sub pœna excommunicationis.

Interdicimus ne a quocumque sacerdote quicquam detur, vel recipiatur pro licentia celebrandi.

Inhibemus etiam, ut nullus sacerdos celebrare præsumat, donec loci ordinario fuerit præsentatus, & per ipsum, ut convenit, approbatus. Quod etiam de capellanis magnatum intelligi volumus, quibus confessiones audire, pœnitentias dare, aut alia sacramenta ministrare, firmiter prohibemus: nisi forte, quæ eis a jure in necessitatis articulo sunt concessa; & tunc non aliter, quam si talis articulus emerserit ex inopinato.

XXXVIII. *Ne pro spiritualibus officiis quicquam exigatur.*

QUanta sit labes simoniacæ pravitatis, sanctorum patrum decreta declarant, qui omnia crimina hujus comparatione, quasi pro nihilo reputant. Simoniacos etenim, præcipuos hæreticos, a cunctis fidelibus novimus respuendos, & ipsos Iudæ proditori comparandos. Nam sicut ipse Dei filium, ita isti Spiritum sanctum, Patri & Filio consubstantialem, vendere non formidant: & sic ejusdem rei facinorisq; portionis pro crimine erunt participes.

Ne igitur avaritia, quæ est idolorum servitus, ministrorum ecclesiæ corda ad tam grande" alliciat: districte inhibemus, ne ipsi pro sacris, vel quibuscumque sacramentalibus ministrandis, utputa sepulturis & exequiis mortuorum, benedictionibus inhabitantium, installationibus abbatum vel priorum, seu admissionibus clericorum in possessionem beneficiorum suorum, & consimilibus, quicquam præsumant exigere, cum id absque labe fieri non valeat simoniaca. Laudabilem tamen consuetudinem, si qua fuerit in hujusmodi pia fidelium introducta constitutione, cum de ipsa nobis constiterit, faciemus, Domino inspirante, firmiter observari, juxta traditam nobis formam in concilio generali. "Deest crimen

Ad hæc, in Dei nomine lacrymosis obsecramus suspiriis, ut locorum archidiaconi, & cæteri ecclesiarum prælati, sic studeant excessus subditorum corrigere, ut holocaustum pro peccato minime postulantes, lucro animarum pecuniam vel aliud nullatenus anteponant.

XXXIX. *Ne pro rectorum vel vicariorum delictis ecclesia suspendatur a Divinis.*

PEriniquum judicantes, quenquam alieno odio prægravari, cum pœna debeat suos tenere autores, nec ulterius progredi metas quam reperiatur in excedente debitum: districte prohibemus, ne pro rectorum aut vicariorum debitis" ecclesia a Divinis suspendatur; sed per suspensionis & excommunicationis sententias, in personas eorum canonice promulgandas, fructuum suorum sequestrationem, & si ecclesiæ fuerit, distractionem, aut cohibeantur a malo, aut ad bonum quod omiserunt facere, compellantur. "Corr. delictis

Parochianos similiter pro suis delictis, & in personis, statuimus puniendos: nisi omnes vel majorem partem constiterit deliquisse, & eorum proterviam aliter compesci non posse, nisi ecclesia a Divinis obsequiis suspendatur.

XL. *De visitationibus archidiaconorum, & procurationibus, & non visitando.*

AEterni largitor præmii, laborantibus panem manducare concessit, quem otiosis omnibus interdixit. Idemq; Dominus omnium, solis operariis in vinea sua laborantibus, retributionis dona est largitus: idemque ipse in sacro evangelio austeritati imputat dominantis, si tollat quod non posuit, & metat quod minime seminavit. Ex his sancti patres provide informati, in suis canonibus decreverunt, ne quisquam prælatorum, cui visitationis incumbit officium, procurationem ea ratione reciperet, nisi quando personaliter visitaverit, ut procuratio aliud non sit nisi sustentatio visitantis. Alioquin duplici infamia, negligentiæ scilicet & avaritiæ notaretur.

Hinc est quod singulis archidiaconis præcipimus, ut ab ecclesiis, quando personaliter non visitant, procurationes exigere vel percipere non præsumant: alioquin quod receperint, velut indebitum & non suum restituant.

Archidiaconatuum suorum singulis annis singulas ecclesias studeant visitare: quarum vestes, libros, utensilia, & cætera ornamenta, habeant in scriptis redacta; ut videant quæ a tempore proximæ visitationis per diligentiam personarum superaddita fuerunt, & quæ per earum negligentiā deteriorata medio tempore vel deperdita: proinde, an quælibet ecclesia, juxta suas facultates, decentibus fulgeat ornamentis, & eorum habeat copiam, sicut est superius diffinitum. Libros monasteriorum abjectos, a parochialibus ecclesiis ipsis monasteriis appropriatis, abjiciant: qui cum non sint de communi usu, presbyteri & clerici per ipsos in ministeriis Divinis, errare coguntur, ac laici eorum ignorantiam, quanquam inculpabilem, intuentes, eosdem tanquam fatuos incipiunt deridere. Et adeo temporalis lucri commodum appetitur, in supplendis hujusmodi defectibus cura negligitur & correctio impetranda. Statuimus ut non per pœnas pecuniarias, sicut hactenus fieri consuevit, sed per coercitiones canonicas, contra eos quibus reparandi & supplendi ipsius defecti onus incumbit, amodo procedatur. Et si forte contra præsentis statuti decretum præsumptum fuerit: pœna ipsa, si committatur, non ipsis visitatoribus, sed potius ecclesiæ visitatæ usibus applicetur. Alioquin recipientem" aliter, præter pecuniæ receptionem, restitutionem" in duplum pœnæ appositæ, in subsidium fabricæ ecclesiæ nostræ Exoniensis, præsentis synodi autoritate decrevimus puniendos. "f. dantem & recipientem "Corr. restitutione

Inquirant etiam diligenter, numquid parochiales sacerdotes circa Divinum officium, nocturnum pariter & diurnum, sicut in concilio generali, ut supra cavetur, suum devote exerceant officium ut tenentur; & ut invenerint, pœna condigna castigent.

Et quia peccata hominum Christum a sua sede, quæ est in anima justi, expellunt; operibus manifestant, ne juxta Apostolum, non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, quærere comprobentur. Solicite igitur inquirant de excessibus singulorum, quorum actus boni seu mali, de facili trahuntur a subditis in exemplum.

Majores

ANNO CHRISTI 1287.

Majores excessus nobis referant, illos maxime, super quibus criminosi nostra indigent dispensatione: cæteros corrigant, prout secundum suæ discretionis arbitrium, melius viderint expedire. Ita semper, ut animarum lucrum quæstui anteponant.

Possessiones ecclesiarum suarum & justarum" faciant plene conscribi: de alienationibus, si quæ fuerint, inquirentes, ut cum celeritate debita, ratione" prima revocentur.

"Corr & jus eatum
"f occasione prima

In aliis suis visitationibus conventionem " in concilio Lateranensi" statutam nullo modo excedant: sed in equis, familia, victualibus, & aliis necessariis, habeant per omnia moderate. Unde Oxoniensis concilii statuta sequentes, firmiter prohibemus: ne ad procurationem suam præsumant extraneos invitare. Si tamen pro ipsorum honore rectores hoc duxerint faciendum: hoc fieri minime prohibemus. Qui vero ibidem se ingesserint, si clerici fuerint, suspendantur; si laici, modeste corripiantur, & informentur se aliter abstinere.

" Corr. evectionem
"Later. III. c. 4.

Item nullas tales excommunicationes indebitas per se vel suos exerceant in subjectos; nec antiquas procurationes augere præsumant, seu ab exilibus ecclesiis, quæ propter sui tenuitatem, hactenus procurationes dare minime consueverant, procurationes aliquas extorquere.

Et quanquam solicitudinis cura per ipsos tanquam oculos nostros in quampluribus habeat relevari: nolumus tamen, quod præsumptione quadam terminos transcendant, quos sibi statuerunt patres nostri. Unde de sequestris nostris, clericis, non ordinatis, non residentibus, religiosorum excessibus, & aliis ad nostram jurisdictionem immediate spectantibus, ipsis interdicimus interponere partes suas: nisi saltem, ut nobis vel officiali nostro fideliter referant, quæ in hac parte sciverint corrigenda.

XLI. *Ne clerici obligent se districtioni fori secularis: vel in parcis vel vivariis magnatum furtum committant.*

Annis singulis & diebus, mundus iste nequam, labe plus solito corripitur peccatorum, & tanto ardentius conatur inventum, quanto quis sibi congregat cumulum delictorum. Ecce etenim rabies inaudita aliquorum, dum insurgunt filii in parentes, & ipsos nituntur subjicere servituti, per quos sunt ad vitam perpetuam regenerati, & servitute diabolica liberati. Quod apertius in laicis, qui clerum & ecclesiæ libertates nituntur subjicere suæ ditioni: quorum temerariam audaciam resecare tenemur potius quam fovere. Prohibemus igitur sub pœna excommunicationis, ne clerici, maxime beneficiati, pro debito proprio vel alieno, districtioni se obligent judicis sæcularis: cujus obligationis prætextu, laici de facto, quanquam de jure non valeant, clericos ad judicia sæcularia pertrahant.

Et sicut per clericorum contractus nolumus quod amplius id contingat: sic multo magis detestamur, si propter eorum debita id debeat evenire. Unde districte inhibemus, ne quisquam clericorum in foresta domini regis, vel parcis alterius cujuscumq; aut warennа, furtum committere venationis; vel in stagnis piscariis, vel vivariis, quodcũq; furtũ præsumat cõmittere.

Si quis autem clericorum contra has prohibitiones nostras venire præsumpserit: si quidem in contractu, ipsum a Divinis in triennium vo umus manere suspẽsum; si in delicto, ipso facto, vinculum excommunicationis incurrat. Et postea, si monitus a prælato suo, pro tam gravi culpa, ad ipsius prælati arbitrium satisfacere non curaverit: ex tunc, si beneficiatus fuerit, ipsum a beneficio suo decrevimus fore privandum. Si vero beneficiatus non existat, ab executione ordinum per quinquennium suspendatur: dicit etenim ratio, ut in quibus maior reperitur culpa, in ipsos gravior exerceatur vindicta.

XLII. *De forma liberandi bona clericorum a laicis male capta & retenta.*

Bona mobilia & immobilia clericorum, sicut ipsorum personas, sub protectione ecclesiastica consistere, sanctorum patrum decreta sanxerunt: ut neque laicis de ipsis statuendi seu disponendi quicquam ", ecclesiæ respiciat commodum, ulla sit permissa facultas: sed quicquid fecerunt in hac parte, firmum & stabile esse non poterit, donec ab ecclesia fuerit approbatum. Quanto minus sit eis licitum bona clericorum capiendi & detinendi, nemo est qui ambigat sanæ mentis.

"leg. quidquã, quod eccl.

Cum igitur clericorum, seu aliarum personarum, quæcumque bona a bailivis magnatum, seu aliis quibuscumque, capi & detineri contigerit: de iniuria propria, quod absque læsione ecclesiasticæ libertatis posse fieri non videtur, ad eorum liberationem taliter procedi statuimus & mandamus: ut per loci archidiaconum vel officialem ipsius, vel alium quem ipse assignaverit, moneantur ipsorum bonorum detentores primo, secundo, & tertio, sub testimonio trium vel quatuor clericorum, vel saltem laicorum, si clericorũ copia non habeatur: per quas monitiones possit probari, si de ipsis in dubium alias revocetur, quod bona ipsa clericis a quibus sunt ablata, restituant indilate, & si reddiderint, clericos ipsos sibi fore obnoxios, quod cõpareant in proximo loci capitulo, adversus eos suam prosecuturi actionem. Quem quidem terminum ipsis clericis assignari præcipimus, ut querelantibus respondeant in forma juris. Si vero factis monitionibus, detentores bona ipsa restituere per biduum detrectaverint: ex tunc qui illud monuit, in scriptis excommunicet detinentes cum suis complicibus & fautoribus: qui si " latam in ipsos sententiam adhæc " aliud biduũ bona ipsa restituere præposuerint ", locum in quo taliter bona detinentur, ecclesiastico interdicto supponat. Et si nec robur, nec fatigatio hujusmodi, adhuc sufficiant ad tantam obstinatorum malitiam compescendam: contra eorum complices & fautores, per inquisitiones legitimas, & sequentes excommunicationis sententias, censuras ecclesiasticas modis omnibus præcipimus aggravari. Deinde his remediis attentatis, nisi ad deliberationem proficiant, sustineamus patienter, ut ecclesia non habeat quid ultra faciat, quod is cujus bona detenta sunt, jus suum coram sæculari judice prosequatur. Hanc formam volumus observari, nisi clericus laicum feodum possideat: ratione cujus bona sua laico feodo capi contigerit. Nam quantum ad ipsum feodum pertinet, clerici sæcularibus obnoxii sunt legibus.

"leg. si post latam
" Corr. adhuc
"Corr. postposuerint,

Ad hæc, quoniam, ut ait beatus Gregorius, culpam vehementer me committere æstimo, si ea, quæ pro timore omnipotentis Dei sunt suggerenda, noluero: & alibi: cum increpare delinquentes non vult, eos procul dubio tacendo pastor occidit. Ut igitur valeamus cum Apostolo dicere & clamare: *Mundæ sunt manus meæ a sanguine ovium nostrarum*: Silere & impunitam " versutiam quorundam laicorum maxime bailivorum magnatum, nostra conscientia minime nos permittit. Ipsi etenim " frequenti querela didicimus, in tantam furoris audaciam modernis temporibus inciderunt, " quo magis contumelias, damna, & opprobria personis ecclesiasticis, & rebus eorum intulerunt, eo magis congaudent, & id potissime gloriantur. Heu miseri infelices, & in tenebris ambulantes! Nõne Deus pater noster est, qui vos creavit? ecclesiaq; mater est, quæ vos in baptismo regeneravit? Nonne in canone cantũ reperitur: Qui abstulit patri aut matri, & dicet quia hoc peccatũ nõ est, homicidii particeps est. Ergo qui pecunias ecclesiæ rapit, aufert, & defraudat: homi-

Act. 20.
" Deest, relinquere
"Deest, sicut
" Corr. ut quo

ANNO CHRISTI 1287.

homicida est. Nonne mirabilis insaniæ esse cognoscitur: si filius patrem, discipulus magistrum, sibi subjugare conetur, & iniquis obligationibus illum sub pœna subjicere, a quo credit non solum in terra, sed etiam in cælis sese ligari posse & solvi?

Quapropter in virtute sanctæ Trinitatis firmiter inhibemus, ne quisquam laicorum, clericum, cujuscumque conditionis vel ordinis, capere, vel incarcerare præsumat; aut aliter in eum injicere manus temere aut violenter, cum scriptum sit: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Quod de prælatis ecclesiarum & clericis intelligimus esse dictum: nisi pro ipsius clerici captione, velut excommunicati, scripsimus*, sed pro crimine homicidii, aut consimili enormi delicto, capiendus fuerit, tanquam violator pacis domini Regis* regni.

Psal. 104.

* f. scripserimus, qui pro cr.

* leg. & regni.

Quod si quis clericum aliter capere, detinere, & incarcerare præsumpserit, aut in eum manus injicere violentas: ipsum, candelis accensis, pulsatis campanis, in singulis ecclesiis archidiaconatus, in quo hujusmodi sacrilegus conversatur, excommunicatum a canone tamdiu publice nunciari, donec hanc injuriam pacis satisfecerit competenter, præcipimus, & cum nostrarum testimonio litterarum ad sedem apostolicam venerit, absolvendus.

Item quidam laici proprios terminos excedentes, inter sacrum sanctuarium & profanum minime distinguentes: solummodo quod sacrum est a manibus pontificum consecratum, sanctuarium appellant, dum ecclesiam & ipsius cœmeterium, sanctuarium tantum mendaciter asseverant. Quod nedum civilis, verum etiam canonica sanctio liquido contradicit, dum inquit: Nulli licet ignorare: *Omne quod Domino consecratur, sive fuerit homo, sive animal, sive ager, vel quicquid fuerit semel consecratum, sanctum sanctorum erit Domino*, & ad jus pertinet sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui a Domino & ecclesia cui competunt, aufert, vastat, invadit, & eripit, usque ad emendationem, ecclesiæque satisfactionem. Vel sacrilegus judicetur, & si emendare noluerit, excommunicetur. Depellenda est etenim illius usurpationis contumelia, ne prædia usibus cælestium cœtuum dicata, a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis præsumpserit, ut sacrilegus judicetur.

Hinc est quod omnes illos, qui nedum clericorum personas, sed res eorum mobiles, seu se moventes intra ecclesiam vel ipsius cœmeterium, aut in agro ad ecclesiam pertinente, vel alibi, absque rationabili causa rapiunt, capiunt, & abducunt, ipsis invitis quorum sunt bona, nisi celeri restitutione sibi prospexerint, ut inimicos Dei & ecclesiæ, ac sacrilegos, excommunicamus, & a sanctæ matris ecclesiæ liminibus sequestramus: necnon ad bonorum liberationem ipsorum procedi præcipimus, juxta formam superius traditam. Quandocumque pro eo quod clerici aut laici causam spiritualē, utputa* violenta manuum injectione in clericum (nisi ad correctionem rebus præmissis) vel matrimonio contrahendo, decimis, oblationibus, mortuariis, læsione fidei vel juramenti, & cæteris hujusmodi, de jure vel consuetudine ad forum ecclesiasticum pertinentibus, in foro ecclesiastico fuerint prosecuti, ipsos ad forum traxerint sæculare; necnon & judex sæcularis, qui eos ob hoc gravare præsumpserit: nisi post trinam admonitionem a gravamine destiterit inferendo, & satisfecerit de illata injuria, consimili excommunicationis sententia innodamus: firmiter præcipientes, ut rei judicatæ exceptionem judices sæculares admittant; rei dico, cujus cognitio ad ecclesiasticum pertinet judicem. Et ecclesiastici judices similiter, cum de re judicata per judicem sæcularem excipitur: admittere non postponāt, ubi jura canonica nō repugnāt.

* f. de violenta

XLIII. *De deliberatione in sententiis cum excommunicatione promulgandis.*

ANNO CHRISTI 1287.

Ecclesiarum prælati, qui claves Petri gestant in manibus, prudenter attendant, quanta sit eis a Christo commissa potestas ligandi & solvendi. Non enim, ait Chrysostomus, homo est qui ligat, sed Christus qui hanc potestatem dedit. Dominus fecit homines tanti honoris*. Et cum excommunicatio, æternæ mortis damnatio sit, nec nisi pro mortali debeat imponi crimine, ac illis dumtaxat qui aliter corrigi nequeunt: in ipsa ferenda judices oportet esse peritos, ut deliberatione provida & maturitate debita, ipsam studeant promulgare. Nam si quis fidelium excommunicatur injuste: ei potius oberit, qui ipsam tulit, quam ei qui ipsam injuriam patitur.

* Deest participes.

Cunctis ergo subditis nostris jurisdictionem habentibus, & cæteris omnibus quibus de ipsis in hoc commissa est potestas, districte præcipimus: ut cum ipsos oportet in aliquem proferre sententiam, sibi præcaveant, ne absq; causa rationabili, id est trina monitione præmissa, & præsentibus personis, per quas, si necessarium fuerit, possunt monitiones probari, ipsam promulgare præsumant, sicut statutū novimus in concilio* generali. Hanc autem causam expresse conscribant, & ipsam proferant in scriptis; cujus copiam tradant excommunicato infra mensem a die sententiæ, si fuerint requisiti. Et hæc eadem in suspensionis & interdicti sententiis volumus observari: sicut in alio concilio novimus esse cautum. Qui præter hanc formam quenquam excōmunicare præsumpserit, & super hoc convinci contigerit: pœnis expressis in præfatis conciliis, se noverit subjacere, quas faciemus dante Domino firmiter observari.

* Later. III. c. 47.

Quia vero communicans cum excommunicatis sciēter, innodatur simili sententia ipso jure, per quam sacramentorum participatione privatur: præcipimus, quod excommunicati, a singulis arctius evitentur, ut ne quisquam cum ipsis cibo, potu, osculo, salutatione, locutione, oratione, aut aliquo genere communionis, communicare præsumat. In foro ecclesiastico, aut civili, postquam eorum excommunicatio per patentes litteras constiterit, excommunicati ad agendum nullatenus admittantur: sed a cunctis legitimis actibus repellantur, donec fuerint absoluti, & super hoc litteras exhibuerint testimoniales.

Quicumq; autem excōmunicatum ad agendum aliter admiserit, autoritate præsentis synodi sacrosanctæ, excommunicamus: eundemq; sic ligatum, cum de hoc constiterit, præcipimus publice nunciari, ut prætextu ignorantiæ, excusationis causa omnibus auferatur. Sacerdotibus parochialibus firmiter injungimus, ut cum in ecclesiis major aderit populi multitudo, candelis accensis & pulsatis campanis, excommunicatorum nomina, & excommunicationum causas, ac qua autoritate fuerint sic ligati, omnibus innotescat.

XLIV. *Ne quis in propria causa quemquam excommunicet vel suspendat.*

Quemadmodum non decet, ita non licet, quenquā sibi esse judicem, vel in propria causa sibi jus dictare. Statuimus ergo, ut nullus pro proprio debito, vel pro injuria personæ suæ illata, quenquam propria autoritate suspendere vel excommunicare præsumat. Alioquin & debitum amittat, & pro injuria quā intulit, ab injuriarum cadat totaliter actione: alteri parti, super injusta sententia, salva nihilo minus quæstione.

Licebit autem prælatis ecclesiarum jurisdictionem habentibus, in ipsos qui eorum jurisdictionem notorie impedire contigerint, præhabita competenti monitione, suspensionis & excommunicationis sententias pro-

ANNO CHRISTI 1287.

promulgare: cum in jus dicendo, non tam suam, quam publicam exerceant utilitatem.

Licet igitur ecclesiarum rectoribus, vicariis, & parochiarum capellanis, pro mortuariis. decimis, oblationibus, & instauro ecclesiæ, & aliis juribus ecclesiæ suæ injuste detentis, in quorum possessione notorium est suas ecclesias extitisse, per semetipsos, trina tamen monitione præmissa, nominatim suspendere & excommunicare detentores: cum in hoc casu non injuriam suam, nec sibi debitum, sed ecclesiæ suæ potius, prosequi videantur.

XLV. *Quod absq; libelli donatione in causis matrimonialibus procedatur.*

Considerantes, in causis matrimonii, juris solemnitatem non esse per omnia observandam, quæ breves lites alio nomine appellantur, eo quod in ipsis breviter sit procedendum, id est, summarie debeant terminari: ne pro exiguis rebus maximas actiones homines sustinere cogerentur, statuimus in pecuniariis causis, in quibus litis æstimatio viginti solid. non excedit, absque libelli donatione cum celeritate debita prosequatur, sicut de consuetudine hactenus in nostra diœcesi novimus observatum. Volumus tamen, ut in illis factum ita dilucide exprimatur, ut sciatur qualis agenti competat....... & defensio ipsi reo.

XLVI. *Ut omnibus libere liceat appellare, & suas prosequi appellationes.*

Appellationis remedium non ad defensionem iniquitatum, sed innocētiæ præsidium, novimus institutum. De quo in canonibus cautum reperimus, ut omnis oppressus, libere, si voluerit, appellet judicium, & a nullo prohibeatur, sed ab aliis fulciatur, liberetur", & audiatur. *f. libenter*

Item a quibuscumque ecclesiasticis judicibus, ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major autoritas, provocatum fuerit: audientia non negetur. Et quia patet istud omnibus esse commune: statuendo præcipimus, ut archidiaconi, aut cæteri subditi nostri ordinariam jurisdictionem habentes, appellationibus ab ipsis ad nostram audientiam interpositis, sicut decet eos, deferant reverenter: appellantibus, vel suis, nullam ob hoc molestiam inferentes vel gravamen. Nec ipsos minis terreant, ut ab appellationum suarum prosecutione desistant. Terminum designent appellantibus, infra quem, coram nobis vel officiali nostro modo comparere valeant, appellationes suas legitime prosecuturi. Ac ipsis petentibus instanter concedant epistolas, in quibus, si a gravamine vel interlocutoria ab ipsis fuit appellatum, appellationis causam exprimant. Et si ipsam non duxerint admittendam: cur hoc, nobis expresse designent. Patienter etenim sustinebimus, si eorum appellationes admissæ non fuerint, quorum excessus, evidentia rei, vel ipsorum confessione, aut alio legitimo modo, notorii fuerint & manifesti; vel appellationes alias frustratoriæ evidenter exponant.

XLVII. *De quæstoribus eleemosynarum.*

Quot errores quantasque abusiones eleemosynarum quæstores hactenus prædicaverunt, populo Christiano satis per orbem novimus divulgatum. Ipsi etenim cum sint idiotæ, vitæ pariter communiter inhonestæ: confingentes se peritos, & vitæ sanctitatem exterius prætendentes, cum audacia quadam præsumpta prædicandi assumunt officium. Qui vero nusquam Divini verbi notitiam habuerunt, inter cætera erronea quæ proferunt, mendaciter asserunt se habere multo plures & majores indulgentias, quam habeant: ut sic simplicium alliciant animos ad majores eleemosynas largiendas, quas postea in ebrietatibus & luxuriis, in omni" conspectu prodigaliter consumere non erubescunt. Unde evenit ut veræ & fructuosæ indulgentiæ, a nonnullis sæpius contemnātur. *f. in omniū consp.*

ANNO CHRISTI 1287

Quapropter prohibemus subditis nostris, ne quæstorem eleemosynarum ullum admittant, nisi litteris nostris munitus existat: & tunc prædicare minime permittatur, sed capellis parochialibus ipsius negotia & indulgentias, prout a litteris papalibus vel nostris valeat elicere, evidenter plebi exponat fideliter. Nec credant schedulis falsis, quas ipsi sæpius porrigunt: nisi schedulæ prius per nos fuerint examinatæ, & approbatæ nostri impressione sigilli. Pecunia vero collecta, usque ad proximum loci capitulum integra custodiatur: tunc per loci ordinarium fideli nuncio assignanda. Qui vero aliter eos admiserit, vel ipsos prædicare permiserit, per nos vel officialem nostrum censemus graviter puniendum: nisi ipsis litterarum potestatem concesserimus ampliorem.

Cum vero ipsis contigerit indulgeri, clerum posse convocare (quod cum minori cleri commodo intellexerimus, esse intelligimus concessum:) statuimus quod hujusmodi convocationes alibi non fiant, nisi in plenis locorum capitulis, in quibus clerus commodius poterit convenire, & indulgentiæ concessæ melius examinari.

XLVIII. *De reliquiis, & veneratione sanctorum.*

Nonnumquam per malos, sicut per bonos, miracula facta sanctorum, sacra commemorat ecclesia. Idcirco ad sacrosanctam Romanam ecclesiam, (quæ per Dei omnipotentis gratiam, autoritate apostolicæ traditionis, numquam errasse probatur a tramite:) in hoc ideo est recurrendum, & expectandum ipsius decretum: ne quis hoc approbando, quod ipsa reprobat, a catholicis hæreticus comprobetur. Idcirco in concilio generali provide novimus esse prohibitum: ne quis reliquias de novo inventas publice venerari præsumat, nisi a Romano pontifice prius fuerint approbatæ. Quam prohibitionem inviolatam ab omnibus præcipimus custodiri: statuentes, ut nullus sanctorum reliquias venales exponat; sed nec lapides, fontes, arbores, ligna, vestes, aut res quascumque alias, ut sanctas, propter fictitia documenta, aliqualiter veneretur; cum illud hæreticam sapere pravitatem apostolica declarat sententia, & nulli licere docetur aliud, vel sentire, quam Romanam ecclesiam matrem omnium ecclesiarum sequi videtur & tenere. Si qui autem contra hoc venire præsumpserint, nisi moniti suum deponant errorem, tanquam hæreticos censemus graviter puniendos. *Later. IV. c. 62.*

XLIX. *De Judæis & eorum mancipiis.*

A Judæis regimen Dei ablatum, & datum genti justitiam facienti, scriptum in canonibus reperitur. Per quod liquet Christicolas libertate donatos, Judæosque subactos eorum perpetuæ servituti. Cum igitur scriptum sit: *Ecce ancillam & filium ejus, non enim erit heres filius ancillæ cum filio liberæ*: nimis reputamus absurdū, ut filii liberæ, ancillæ filiis famulētur. *Gen. 21.*

Quapropter Lateranensis concilii statuta sequentes, districte prohibemus ne Judæi sub obtentu alendorum puerorum suorum, neque pro servitio vel qualibet alia causa, in domibus suis mancipia habeant Christiana: ne forte per assiduam familiaritatem, ad eorum perfidiam simplicium animos valeant inclinare. Sæpe enim malorum consortia, bonos corrumpunt. Christiani qui contra hanc prohibitionem venire præsumpserint, excommunicentur: Judæi gravi subjaceant ultioni. *Later. III. c. 26.*

Prohibemus insuper, ne Judæi publicis fungātur officiis,

ANNO CHRISTI 1287.

ciis, quorum prætextu Christianis nimium sint molesti. Et quoniam cũ eis sumere cibum non licet: inhibemus, ne Iudæi ad Christianorũ, vel Christiani ad Iudæorum accedant convivia. Item si quis Christianus infirmatus fuerit, a Iudæo non accipiat medicinam. Item die parasceves, ostia & fenestras habeant clausas, quia Christianis . . . . . consueverant illudere illo die. Item prohibemus ne novas fabricent synagogas. Sed si erigant veteres quæ corruerint, vel ruinam minentur: si ipsas reædificare permittantur, ita quod ampliores vel preciosiores non faciant, ipsis satis novimus esse permissum.

Ad hæc, districte præcipimus, ut Iudæi utriusque sexus, super vestes exteriores, duas tabulas laneas habeant alterius coloris, ad pectus consutas: quarum latitudo digitorum duorum, & longitudo quatuor sit ad B minus: ut sic per diversitatem habitus, a catholicis discernantur; & damnatæ commixtionis excessus, inter hos & illos valeant evitari.

Ne autem ecclesiæ parochiales per ipsos suis juribus defraudentur: præcipimus, quod Iudæi de terris quas colunt, decimas solvere, vel possessionibus ipsis renunciare; & pro domibus quas inhabitant, parochialia jura ecclesiæ parochiali debita tribuere, arctius compellantur.

L. *De testamentis.*

Quanquam in jure canonico, & longe amplius in civili, de testamentis & legatis, grandis & diffusus habetur tractatus: propter simplices C tamen qui neutrius juris girarunt volumina, nec ipsorum habent notitiam, necessarium duximus super prædictis, quæ in quotidiano sunt usu, utilia quædam statuere; & pœnis statutorum refrænare, prout possumus, abusores.

Cum igitur extremis decedentium voluntatibus, favorem maximum impendere teneamur: statuimus, ut nullus, cujuscunque status aut conditionis existat, clericum vel laicum, liberum vel servum, de bonis quæ possidet tempore mortis, libere testari impediat quoquo modo, sub pœna excommunicationis, quam impedientes decrevimus incurrere ipso facto: cum, quantum ad ea quæ tunc possidet, liber quilibet censeatur, sicut de hujus regni consuetudine hactenus est pacifi- D ce observatum.

Quandocunq; igitur sano vel ægroto, libero aut servo, suum placebit condere testamentum: statuimus, ut pro rectore, vicario, vel capellano ecclesiæ parochialis confestim transmittat, ut in ipsorum præsentia & duorum vel plurium fide dignorum, de omnibus bonis suis mobilibus portionem suam contingentibus, disponat pro animæ suæ salute, sicut sibi placebit, & melius crediderit expedire. Vxoris & filiorum, si quos habuerit, portionibus per omnia salvis: expensis funeris exceptis, quæ ante omnem divisionem deduci statuimus de communi, debita quæ debet testator, solvantur.

Similiter de communi, portiones dividendæ inter E prædictas personas per omnia, sicut æquales portiones, ita ut pro una persona omnes filii computentur. Si vero testator alicui filiorum de propriis bonis prius sustentationem providerit; & sic aliis, & alii, cui vel quibus minime sit provisum: statuendo prohibemus, ut iis, quibus provisio facta est, similiter testatoris heredes (si tantundem habeant, de propria hujusmodi provisione, quantum tum foret sua portio, si ad divisionem cum cæteris admitterentur) nullatenus ad portionem dividendam inter filios admittantur: sed eo quod eis est provisum a testatore, vel successione juris, contenti remaneant, nec per ipsos aliorum portio diminuatur. Hæc quæ de marito statuimus, de uxore servari volumus, si decedat.

A Quæ autem ad usum testatoris specialiter sunt parata, utputa equi, arma, & cætera hujusmodi; vel quæ ad usum uxoris, utputa supellectilia, vestes muliebres, monilia, annuli: absque divisione utrique eorum, præcipua reserventur.

ANNO CHRISTI 1287.

Curet autem testator, fideles & locupletes nostræ diœcesis, & non aliunde, constituere executores: ac in scriptis, si fieri potest, suum condere testamentum. Quod, postquam factum fuerit, claudatur, & cum sigillo proprio, si habeat, alioquin alieno, protinus consignet: quod & præsentium sigillis faciat consignari. Alioquin contra testamentũ, testatoris [a] sigillo signatum, de facili præsumi queat: cum post mortem testatoris, possit testamentum aliud fabricari, & sigillo ipsius aliter consignari, prout audivimus fieri aliquãdo.

[a] Deest forte folius.

Facto autem testamento nuncupativo, vel in scriptis, & testatoris corpore tradito sepulturæ: ad loci ordinarium executores accedant, super testamento facto in scriptis fidem facturi, tam de præsentia consignantium, quam de signis. Super nuncupationem vero probationes dilucide monstrentur, super omni eo quod testator asseritur voluisse, & specialiter super omni relicto: ita quod inter testes, executores nullatenus admittantur.

Probato igitur testamento, & per judicem approbato, executores fideliter conficiant inventorium in præsentia fide dignorum, ad hoc specialiter vocatorum: in quo omnia bona quæ defunctus habuit tempore mortis, & quæ sibi debebantur, & quæ debuit aliis, conscribantur fideliter & expresse. Quo inventorio facto, tam ipsi executores quam præsentes eidem, sua appendant sigilla. Donec ista fiant (quæ fieri præcipimus infra quindecim dies, si fieri potest, a tempore sepulturæ) executores minime ministrent.

Cum ergo cœperint ministrare, protinus uxori & filiis, si supersint, suas assignare studeant portiones. De portione vero contingente defuncti legatum distribuant, debita eidem exigant, & exolvant aliis debita ab eodem; ad quæ tam uxor quam filii tenentur contribuere pro rata portionis cujusque.

Sed ne eorum portiones propter timorem, seu incertitudinem æris alieni, ab executoribus diutius detineantur: statuimus, quod æs alienum, de quo constat, ante restitutionem portionum, ab executoribus deducatur: pro dubio vero & incerto, recepta ab ipsis uxore & filiis cautione idonea de restituendo, quantum legitime apparere poterit ipsos pro suis portionibus ad id teneri, executores suas constitutas liberent portiones. Idem faciant litigatores de sibi relictis, sicut inferius & plenius continetur.

Et sic studiose suum curent executores officium exercere; ut infra anni spatium nihil remaneat exequendum. Alioquin compoto reddito de receptis, amoveantur omnino, & eorum loco alii magis idonei subrogentur, quod inferius statuimus, si prius suspecti probabiliter inveniantur.

Et quoniam propter malitias executorum, seu debitorum defuncti, seu fraudes fictitiorũ creditorum, decedentium voluntates vix debitum sortiũtur effectum: cupientes in hac parte remedium quale possimus adhibere, autoritate præsentis synodi sacrosanctæ, excommunicamus omnes executores, quousque modo impedimentum præstãt, nisi vel aliter recusantes in foro ecclesiastico a defuncti creditoribus conveniri, vel ipsis, sicut decet, inibi respondere.

Mendosus locus.

Item omnes illos, qui scientes se obligatos defuncto, patiuntur se per malitiam a suis executoribus conveniri, ut sic ipsis in probatione deficientibus, per sententiam absolvantur; vel impedimentum [b] quoquo modo, quo minus in foro ecclesiastico ab executoribus defuncti libere valeant conveniri.

[b] Corr. impediant.

Item

ANNO CHRISTI 1287.

Item omnes illos, qui ab executoribus defunctorum in judicio scienter exposcunt indebitum, & in sua petitione iniqua usque ad diffinitivam sententiam perseverant, quod a defunctis licet si superstites essent non peterent, vel de iure valere * non valerent.

* f. habere.

Vt autem executores circa suum officium exequendum promptiores reddamus, pariter & attentos: volumus, quod dum circa hoc laborant, de bonis defuncti expensas percipiant moderatas: cum suum officium sibi non debeat esse damnosum, nec debeant propriis stipendiis militare; quibus, sub pœna excommunicationis interdicimus, ne per se, vel interpositas personas, absque fide dignorum præsentia & rationabili...... quicquam de bonis defuncti emere sibi invicem vel donare, seu quovis alio titulo usurpare, seu sibi retinere præsumant, nisi quod eis relictum fuerit specialiter in testamento.

Si vero contigerit parochianum nostrum, hominem alterius diœcesis sibi constituere executorem: ille ad huiusmodi onus nullatenus admittatur, nisi de subditis nostris, locupletes & idoneos manucaptores inveniat ad fidele inventorium faciendum, & fideliter administrandum, vel ratiocinium reddendum, cum ipsum vel suos manucaptores super hoc contigerit interpellari: ad quod etiam executores nostræ diœcesis per corporale sacramentum, priusquam administrent, præcipimus obligari; omnibus executoribus interdicentes, ut cum verisimilis præsumptio habetur, defunctum nimis æris alieni pondere oneratum legatum nemini liberent, nisi recepta prius obligatoria sufficienti cautione, de restituendo quantum legis Falcidiæ ratio in hoc exposcit. Alioquin cum ad ratiocinia reddenda pervenerint, quæ supererogaverint, ipsis minime decrevimus allocanda.

Et quoniam cordi plurimũ debet esse veritatis cuilibet amatori, nequitiam reprimere falsariorum: nos præsentis synodi sanctæ approbatione, excommunicamus & excommunicatos publice denunciamus, omnes illos, qui postquam testator condito testamento in fata decesserit, testamentum aliud fabricare, aut præter testatoris conscientiam quicquam condere, addere, vel detrahere testamento priori, sibi vel aliis aliud describendo, seu fraudem quamcumque aliam committendo, contra testatoris præsumpserint voluntatem. Et si quos tantæ fraudis reos convenire contigerit ipsos decrevimus, tanquam falsarios puniẽdos.

Vt autem viris religiosis omnem evagandi materiã auferamus, quibus omnibus, cæteris derelictis, solius Dei incumbit inhærere ministeriis: statuimus, ut nullus religiosus in nostra diœcesi executionis onus aliqualiter in se suscipiat, absque nostra licentia speciali. Si quis autem contra hanc prohibitionem nostram venire præsumpserit: quod fecerit, & viribus careat, & ipse nihilo minus juxta nostræ discretionis........graviter puniatur.

In fine autem cujuslibet testamenti, hanc clausulam adjici volumus generalem: Cætera omnia bona mea, sive in rebus, sive in manibus fuerint debitorum, in hoc testamento non expressa, volo ut pro animæ meæ salute, per manus executorum meorum in pios usus distribuantur: & quod creditoribus meis per manus eorundem, similiter sit satisfactum.

Si qui vero laicorum decesserint intestati: de bonis eorum, per locorum ordinarios, taliter præcipimus ordinari, ut pro anima defuncti in pios usus totaliter erogentur.

LI. *Vt rectores, post mediam Quadrages. decedentes, libere legare valeant fructus autumni sequentis.*

SÆpe contigit nonnullos ecclesiarum rectores, vitam ducere * dissolutam, ut cum ad vitæ finem pervenerint, non habeant in bonis, de quibus ecclesiarum suarum defectus, tam in ornamentis quam in domibus, valeant reparari, vel creditoribus suis de eo satisfacere quod sibi debetur. Quapropter, laudabilem nostræ diœcesis consuetudinem approbantes: statuimus, ut quilibet beneficiatus nostræ diœcesis, si die Dominica Quadragesimæ, quacumque hora, vel postea decesserit, fructus beneficii sui subsequentis autumni liberam legandi habeat potestatem: fœno, prato, pastura, & cicera de dominico ecclesiæ duntaxat exceptis, quæ cum ad annum sequentem pertineant, ipsi futuro rectori statuimus reservari.

* for. adeo dissolutam

Et quoniam non est ferendus is, qui lucrum amplectitur, onus autem annexum contemnit: statuimus, ut de domibus prædictis defectibus, ac etiam ecclesiæ omnibus ordinariis, usque ad mediam Quadragesimam sequentem, executores satisfaciant ad plenum.

Item statuimus de quolibet qui fructus percepit autumnales, quandocumque ante tempus prædictum decedat, usque ad illud, ad omnia onera teneatur.

Si vero prædicto die Dominico, vel post, quis intestatus decedat: omnia bona testatoris, & fructus sequentis autumni, in solutionem debitorum defuncti prædictorum, & defectuum suppletionem, ac in alios pios usus, juxta nostræ discretionis arbitrium convertantur, ita quod circa suppletionem defectuum, per quantum tempus illud beneficium tenuerit, ratio habeatur.

Idem fiat, si ante prædictum tempus quemquam contigerit decedere intestatum, ut in utroque casu testamenti & executorum faciamus suppleri defectum.

Ab isto statuto, parochialium vicarios ecclesiarum dumtaxat excipimus. Nam cum ipsius virtute sacramenti præstiti, personalem residentiam facere teneantur: congruum est, immo verius necessarium, ut fructus & obventiones vicariæ suæ, protinus & cum integritate percipiant, de quibus valeant sustentari. Idcirco de bonis defuncti vicarii, quæ habuit tempore mortis, & debita sua solvi præcipimus, & prædictos defectus suppleri, ratione temporis considerata.

Præterea statuimus, quocunque tempore anni quis decedat, fructus terrarum quas seminavit superstes, sibi cadant, & in suos usus integre convertantur: hoc excepto, ut si decedat ante terminum supra prædictum, sumptus quos defunctus impendit in terris excolendis & seminandis, ipsius executoribus allocentur. Successor vero, si quem capellanum stipendiarium invenerit, ante terminum prænotatum, sive post ipsum, si idoneus fuerit, usque ad festum S. Michaelis proximo sequentis, nullatenus amovere præsumat: sed sub eisdem conditionibus ipsum retineat, quibus idem capellanus convenerat cum defuncto.

Ne igitur ecclesiarum vacantium terras jacere contingat incultas: statuimus, ut per locorum decanos fideliter excolantur, ita quod iidem decani a futuris executoribus sumptus percipiant competentes, quos loci ordinarius moderetur, si aliter inter se convenire noluerint.

LII. *De mortuariis.*

MOrtuariorum præstationem ex eo intelleximus salubriter sumpsisse initium, quod decimis majoribus & minoribus, ac cæteris juribus parochialibus per ignorantiam non solutis, læsis ecclesiis præstaretur, ut talis oblivio procedens ex incuria non solventis, posset saltem, per hoc, apud districtum judicem excusari. Et quanquam ista provisio esset aliqualiter fructuosa omnibus Christianis: quidam tamen, vel causam hujusmodi præstationis ignorantes, vel

Anno Christi 1287.

quod deterius est, de salute propria non curantes, ipsam mirabiliter subtraxerint, suam miseriam in posteros transmittentes; qua se nituntur modernis temporibus excusare, quod nec ipsi, nec majores eorum, hanc præstationem ullo tempore agnoverint. O excusatio misera & infelix, quæ dum sit in peccatis, suos ducit ad interitum excusantes. Unde sunt & alii, qui animæ suæ saluti provide consulentes, velut devoti ecclesiæ filii, præstationem ipsam agnoscunt, sicut majores eorum hactenus cognoverunt: sicque contingit, in una parochia solvi secundum melius averium pro defunctis; & in alia, penitus denegari.

Ut igitur a palea triticum separemus: statuendo præcipimus, ut in parochia, in qua talis solutio fieri consuevit, nullus ab ea se valeat excusare; sed in eadem fiat præstatio uniformis, cum eadem non debeat diverso jure censeri.

Parochianos aliarum parochiarum monemus & hortamur in Domino: ut spiritum assumentes consilii sanioris, tam salubrem præstationem agnoscant de cætero, & de ea satisfacere studeant sicut cæteri in futurum. Videntur namque rabie nefanda moveri, qui male detentis Deo & ecclesiæ satisfacere tunc non curant, quando quod debetur sibi nequeunt amplius retinere: sed ipsius subibunt judicium, cui in hac parte injuriam intulerunt.

In parochiis vero, in quibus secundum melius averium dari hactenus consuevit, illud legandi, donandi, assignandive in alios usus, decedentibus omnibus interdicimus facultatem. In executores, seu alios quoscumque detentores, nisi legitime moniti satisfecerint Deo & ecclesiæ de eodem, excommunicationis sententiam præcipimus promulgari.

Item præcipimus, si sint aliqui, qui secundum melius averium, falso & nequiter asserunt suum, vel partem ipsius, ut per hoc ecclesiam suo jure valeant defraudare: quorum assertioni nullatenus est credendum, nisi prius de suo titulo fecerint plenam fidem.

Et quia aliquando accidit, quod in bonis defuncti plura animalia inveniuntur, in quibus aliqui asserunt se habere partes, sicque nullum eorum in totum est defuncti: statuimus quod quanquam verum fuerit quod affirmant; si tamen defuncti partibus computatis, partes collectæ ad secundum melius se extendant, illud ecclesiæ liberetur: partiariis uni vel pluribus, pro partibus suis ab executoribus defuncti primitus satisfactum.

Et quoniam quidam in diversis parochiis diversa domicilia possidentes, in eisdem, pro suæ voluntatis libito, æqualiter commorantur: si in alterutra illarum parochiarum in fata decedant, dubitatur an illi infra cujus limites decesserint, integraliter, vel alteri ecclesiæ, pro indiviso, mortuarium ipsius defuncti sit præstandum: dubitationem hujus præsentis synodi autoritate enodantes, declaramus; quod illa ecclesia, ubi decessit, & viaticum recepit, mortuarium sibi debitum integraliter percipiat. Quod si talis dominus in aliena parochia, ubi nullam terram possedit, decedat: tunc illi ecclesiæ ubi larem fovet tempore mortis, hujusmodi mortuarium sit integre præstandum.

Cum autem tanta laboraverint paupertate, ut soluto ecclesiæ quod exigitur, æquivalens apud superstites nihil remaneat: præcipimus, quod cum de hoc constiterit, nihil eo nomine exigatur, nisi quod relictum ecclesiæ specialiter invenitur.

LIII. *De decimis.*

*Cuivis cuilibet

O Mira & ineffabilis caritas vestri quilibet*, in signum universale dominii, velut ille cujus est terra & plenitudo ejus, &c. decimas & primitias sibi reddi præcepit, non sibi sed sacerdotibus profuturas;

A ut illis sint cibus, qui in domo sua sibi ministrant, juxta illud Malachiæ prophetæ: *Inferte omnem decimationem in horreum meum, ut sit cibus in domo mea.* Idem tamen omnium Dominus, fructuum cunctorum largitor, pro decima quam recipere dignatus est, ipsam plene solventes quadruplici largitione remunerat, beneficio fructuum, sanitate corporis, indulgentia peccatorum, & regni cælestis gratia præmiorum. Nemo igitur pro avaritia, tot amittat beneficia, sed quilibet decimas placabiles Deo exolvat: ut sint cibus illis quibus ipse pro suo cultu eas concessit, ne maledictionem incurrant, quam Dominus per os Prophetæ protulit in non solventes.

Anno Christi 1287. Malach. 3.

B Quapropter ecclesiarum dispendiis & animarum periculis occurrere cupientes: universis parochianis nostris, sub Divini testatione judicii præcipimus; ut de omnibus fructibus totiens quotiens renovantur in anno, seu in annis, ecclesiis parochialibus persolvere decimas integre non omittant, sumptuum expensis nequaquam deductis.

Et quia decimæ debentur de omnibus quæ licite adquiruntur: præcipimus, quod nedum de segetibus decimæ persolventur, verum etiam pomis pressoribus, arboribus, herbis hortorum, apibus, jumentis, animalibus, lana, lino, canabo, melle, columbariis, caseo, butyro, piscationibus, pannagiis, silvis cæduis, ruscis, fœno, herba, prato vendito, pastura vendita extraneis parochianis, nisi de animalibus ibidem pascentibus, decima persolvatur: locatione boum facta extra parochiam locatoris, furnis, venatione, molendinis, granariis, absque sumptuum deductione. Sed & de fullonariis, velut de negotiationis lucro, decimam solvi præcipimus; argentariis, metallariis, lapidicinis; de negotiationibus, artificiis, & de instauro ecclesiæ, contraria consuetudine non obstante.

C

Quia vero aliqui, ut audivimus, etiam jure suo asserunt, partem prati pro decima fœni, ecclesiæ fuisse antiquitus assignatam: nisi hoc probaverint evidenter, ipsos in sua assertione decrevimus nullatenus audiendos.

Insuper, quod in quibusdam locis consuetudo pessima inolevit, scilicet, quod quidam laici integre solvere decimas contradicunt, nisi prius sibi vel suis a rectoribus ecclesiarum convivia præparentur, chirothecæ, seu quicquam aliud: quasi pro custodia decimæ suis debeantur servientibus. Nos vero hanc consuetudinem velut corruptelam, ac a jure contrariam decrevimus extirpandam: inhibentes, sub pœna excommunicationis, ne tale quid exigatur amplius seu præstetur: sed ecclesiarum rectores, suos parochianos per ecclesiasticam compellant censuram ad præstationem debitam decimarum, prædicta consuetudine, vel aliqua consimili, non obstante.

D

Ad hoc, quia propter appulsiones pecorum ad diversarum parochiarum pasturas, plures & quasi inextricabiles quæstiones inter ecclesiarum rectores sæpius oriuntur: nos, qui in lenitate pacis quiescimus, dum subditos pati perspicimus, pariter inquieti: sic statuimus, quod si oves a tempore tonsionis usque ad festum S. Martini, in parochia una depascantur & cubent: tunc de decima lanæ, casei, & butyri, ecclesiæ illius parochiæ persolvatur plene pro eodem tempore, quanquam postea amoveantur, & alibi tondeantur. Vulgariter enim dicitur, quod ante festum supradictū tantum crevit lana, quantum crescit anno eodem.

E

Et ne rector de decima per amotionem ovium defraudetur: præcipimus, quod priusquam oves amoveantur a pascuis, rectori sufficienter caveatur de solvendo dictam decimam lanæ, cum tempus venerit tōsionis. Si vero oves a festo S. Martini, usque ad festum Purificationis beatæ Mariæ Virginis, in una paro-

ANNO CHRISTI 1287.

rochia commorentur: decima agnorum illi ecclesiæ persolvatur: salva decima lanæ, alteri rectori, a cujus parochia amotæ fuerint, forma qua diximus. Quod si a tempore tonsionis usq; ad festum S. Martini, ad pascua diversa transferentur: quælibet ecclesia, pro rata temporis decimam percipiat earundem: ita quod, si in una parochia cubent, & pascantur ibidem per xx. dies vel citra, morentur, & non amplius, tam breve tempus dividatur.

Pullorum vero, equorum, vitulorum, & hœdorum, habita ratione ad loca diversa ubi gignuntur, eduntur, & nutriuntur, & ad moram quam contraxerunt in eisdem, inter rectores decima partiatur. Cum quis vero post festum S. Martini oves occiderit, vel alio fortuito casu moriantur: de decima vellerum ecclesiæ satisfiat. Si autem oves extraneæ in alicujus parochia tondeantur: idem rector decimam lanæ conservet, donec sibi constiterit alibi fuisse pro decima satisfactum.

Et quia inter rectores ecclesiarum & suos parochianos, contentiones sæpe oriuntur, eo quod nonnunquam in dubium revocatur, quid & quantum dari debeat pro decima, quãdo propter vaccarum vel ovium paucitatem caseus inde fieri non sufficit, & similiter propter modicitatem vitulorum, agnorum, hœdorum, pullorum, porcellorum, aucarum, vellerum, certa decima dari non potest, cum decem capita minime inveniantur: nos certam regulam super his tradere cupientes, cum hoc locorum consuetudini relinquere, potius esset litiũ augere materiam, quam auferre consuetudinem per negotiationem in dubium revocatam: statuimus, quod pro quolibet agno, hœdo, & porcello, infra numerum septenarium, detur pro decima, unus quadrans. Si vero fuerint septem, pro decima detur unus, & in sequenti anno, quod defecit de denario numero, in solutione decimæ allocetur, vel pro quolibet vitulo infra prædictum numerum detur obulus. Si vero tot fuerint, pro decima detur unus, & sicut in casu priori fiat allocatio. Pro pullo vero detur denarium. Si vero fuerint septem aucæ, pro decima detur una. Alioquin usque in anum sequentem decimæ solutio differatur. Item pro lacte cujuslibet vaccæ, caseo deficiente, detur denarium. Item pro lacte ovis matricis quadrans: pro lacte capræ, obulus.

Ad hæc, quia intelleximus, quod quidam molendina habentes in minutis particulis, quasi granorum pugillis; & totiens quasi singulis diebus, decimas de molendinis exsolverent: unde evenit, quod graviter in hoc ecclesia læditur, eo quod non patiuntur, rectores ibi habere cistas ad suas decimas colligendas. Nos sane considerantes, particularem solutionem & exactionem non minima habere incommoda: statuimus, quod in Kalendis cujuslibet mensis, de decima molendinorum de cætero satisfiat; vel saltem, quod rectores habere cistas inibi permittantur, in quas decima reponatur, quam, cum ipsis placuerit, libere valeant asportare.

Item quia quidam lac purum pro decima lactis, quod consuevit in caseo decimari, sicut hactenus est observatum in nostra diœcesi, de consuetudine approbata, ad ecclesiam deferunt malitiose; & quod scelerius [*] est, non invenientes ibi qui illud recipiat, in contumeliam Dei & ecclesiæ coram altari projiciunt. Quidam vero non sinunt rectores, decimas libere colligere & asportare, sed equos & boves suos, & subjugatos capiunt, & imparcant, & decimas ipsas depascunt propriis animalibus & alienis. Quidam decimas suas subtrahunt fraudulenter, vel in odium rectorum deteriorant scienter. Quidam magnates, nedum rectores in decimis percipiendis, sed jam rec. ptis, fraudare conantes, nonnunquam suos tenentes, plerunque alienos, & per minas impediunt & terrores, modo clam, modo palam, ne a rectoribus decimas suas audeant comparare: ut per hoc rectores, emptores minime invenientes, ipsis magnatibus duntaxat pro vili precio decimas suas vendere compellãt, aut alias damnificentur. Alii sequestrationem etiam archidiaconorum, in decimis interpositam infringere non formidant. Alii etiam beneficiis ecclesiasticis, absque institutione, per sæcularem potentiam se intrudentes, vel procurantes intrudi, decimas non suas violenter asportant, seu faciunt asportari. Nos, omnes hujusmodi molestatores, complices, & fautores eorum, autoritate Domini patris omnipotentis, & beati Petri principis apostolorum, patroni nostri, approbatione præsentis synodi sacrosanctæ, excommunicamus: donec pro commissis satisfactionem præstiterint competentem. Dictos intrusores (qui quod per judicis officium petere debebant, invadere præsumpserint) præter dictam excommunicationis sententiam, quam ipsos incurrere volumus ipso facto, pœnis in sacris canonibus, & præcipue in concilio Othoboni, quondam legati in Anglia, contra transgressores editis & statutis, decrevimus subjacere.

[*] *f.* scelera-tius

LIV. *De oblationibus.*

QVoniam oblationes fidelium, non solum a constitutionibus sanctorum Patrum, sed a lege Divina sumpsere originem, ad quarum præsentationem parochianus quilibet obligatur: statuimus, quod omnis adultus, videlicet quatuordecim annorum, quater in anno, in die natalis Domini, Paschæ, festi sancti loci, & festi dedicationis ecclesiæ suæ parochiæ, vel festi Omnium Sanctorum, si talis alicubi vigeat consuetudo, ecclesiam suam parochialem suis oblationibus veneretur: nisi fuerit parochianus alicujus capellæ, a matrice ecclesia dependentis; cui capellæ a suis parochianis similem statuimus impendi honorem. Statuimus insuper, quod obventiones & oblationes, quas fieri contigerit in capellis, ubi matrix ecclesia religiosis est appropriata personis, non ipsis religiosis cedant, sed vicariis duntaxat inibi canonice constitutis.

Quia vero ecclesia Exonii mater est omnium ecclesiarum diœcesis, omnibus parochianis nostris, per presbyteros parochiales solicite præcipimus suaderi: ut in signum debitæ subjectionis, oblationes suas Pentecostales ad ecclesiam antedictam deferant; vel saltem per suos presbyteros parochiales transmittant. Vt autem ad ipsorum corda cautius & facilius inducantur, ipsis parochianis presbyteris, ut indulgentias benefactoribus ecclesiæ concessas, per tres dies ante festum Pentecostes proximos & solennes, suis parochianis exponant; oblationes, quas fieri contigerit, recipiant, & ipsas secum deferant ad locum ubi processiones Pentecostales conveniunt, una cum propriis oblationibus ad quas ex more tenentur, collectoribus fide ad hæc data, integre restituri.

De statu & regularibus observantiis religiosorum ad præsens aliquid decernere, seu definire, nobis videtur supervacaneum, & onerosum potius, quam fructuosum. Per regulas etenim quas profitentur, insuper sanctorum Patrũ decreta, concilii domini Othoboni quondam legati in Anglia constituta provincialia, & correctiones quas facimus circa personas eorum in visitationibus nostris, quasi singulis annis: satis poterunt informari, qualiter in ordine suo & observantia regulari, quilibet debeat conversari.

Quæ autem in præsenti synodo sunt salubriter instituta, ab omnibus subditis nostris præcipimus observari inviolabiliter: nobis, vel officiali nostro metropolitano, super dubiis, si emerserint, reservata [*].

[*] *Deest,* judicãdi potestate, *vel quid simile.*

LV.

ANNO CHRISTI 1287.

LV. *De sententiis excommunicationis.*

VT autem subditorum nostrorum saluti cautius prospiciamus, ne excommunicationum sententias per ignorantiam incurrant aliqualiter ipso facto latas: excommunicationum sententias, tam Oxoniensis [a] concilii per dominum Stephanum quondam Cantuariæ archiepiscopum, quam in concilio Londoniensi [b] per dominum Othobonum, quondam legatum in Anglia, præsenti synodo duximus inserendas.

[a] An. 1222. [b] An. 1268.

In Oxoniensi concilio excommunicantur omnes illi, qui malitiose ecclesias suo jure privare præsumūt; aut per malitiam libertates earundem infringere vel perturbare præsumunt, & ad usus proprios retinere.

Item omnes illi, qui pacem & tranquillitatem domini regis & regni injuriose perturbare præsumunt, & qui jura domini regis retinere contendunt.

Item omnes illi, qui scienter & prudenter falsum perhibent testimonium, vel perhibere procurant; vel etiam qui tales testes scienter producunt, vel subornant, in causa matrimoniali, ubi scilicet agitur de matrimonio, vel ubi agitur de alicujus exheredatione.

Item advocati omnes, qui in causis matrimonialibus malitiose exceptiones opponunt, vel opponi procurant, ne matrimonia verum & debitum sortiantur effectum, vel contra justitiam causæ diutius suspendantur.

Item omnes illi, qui gratia lucri, vel favoris, & odii, vel quacunque alia de causa, crimen imponunt alicui, cum infamatus non sit apud bonos & graves, ut sic purgatio ei indicatur, vel alias gravetur.

Item omnes illi, qui vacante ecclesia malitiose opponunt vel opponi faciunt patronatus quæstionem: ut sic verum patronum illius ecclesiæ illa vice defraudent.

Item omnes illi, qui gratia lucri, odii, vel favoris, contemnunt exequi mandata domini regis contra excommunicatos, ecclesiæ mandata contemnentes.

In concilio Londoniensi excommunicantur omnes illi, qui aliquem, ad ecclesiam, cœmeterium, vel claustrum, confugientem, inde abstrahunt violenter; vel ei victum necessarium prohibent exhiberi; vel qui res alienas in locis prædictis depositas violenter asportaverint, vel asportari fecerint; aut abstractionem, prohibitionem, vel asportationem factam suo nomine, vel a familiaribus suis, ratam habuerint; aut abstrahentibus, prohibentibus, vel asportantibus, publice exhibuerint, vel occulte, auxilium, vel consilium & consensum.

Item omnes illi, qui de domibus, maneriis, vel grangiis, vel aliis locis, ad archiepiscopos, episcopos, vel alias personas ecclesiasticas, vel ad ipsas ecclesias pertinentibus, præter dominorum voluntatem vel custodum rerum earum, consumere, vel auferre, aut tractare præsumant: nec, donec satisfecerint, absolvantur.

Item omnes illi, qui pro impedimento pacis vel co........tionem litigantium objiciendo, quicquam receperint, donec restituant sic receptum donatori.

Item excommunicati sunt ab archiepiscopo Angliæ, omnes illi qui veniunt aut faciunt contra novam chartam: quæ sententia per sedem apostolicam pluries confirmata est.

Has excommunicationum sententias, sic proinde vulgatas; necnon & nostras quas supra criminosos tulimus & rebelles, prima Dominica in Adventu Domini, Dominica in Septuagesima, & Dominica proxima ante festum beati Petri ad vincula, intra Missarum solennia, cum major aderit cleri & populi multitudo, candelis accensis, pulsatis campanis, in singulis ecclesiis parochialibus nostræ diœcesis, per locorum presbyteros, & per decanum Christianitatis Exonii, in prædicto festo beati Petri cathedralis ecclesiæ Exonii, præcipimus solenniter publicari.

Ne autem per tempus elapsum, statutorum depereat memoria, sed recens omni tempore habeatur: præcipimus, quod in quolibet archidiaconatu, in proximis capitulis ante festum S. Michaelis, & post Pascha celebrandis, synodus singulis annis solenniter publicetur: ecclesiarum rectoribus & vicariis nihilominus præcipientes, ut citra festum S. Michaelis, in ecclesiis suis, sicut prædiximus, ipsam habeant scriptam; & tam ipsi quam cæteri sacerdotes parochiales, totiens quotiens illam respiciant & revolvant, donec quasi corde tenus eam intelligant, & sciant pandendam laicis facilius exponere in vulgari: ut ea quæ de præsenti synodo, pro communi utilitate statuimus, tam prælati, quam subditi, sciant & valeant observare. Quibus ea observantibus salus sit & vita æterna in Christo Iesu Domino nostro per infinita sæcula sæculorum.

Data Exonii XVI. Kal. Maii, feria quarta post Dominicam qua cantatur, Quasi modo geniti, scilicet officium. Anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo septimo, & consecrationis nostræ septimo.

SUMMULA SEU MODUS EXIGENDI CONFESSIONES, pœnitentiasque injungendi, ab eodem reverendo patre Petro episcopo Exoniensi, sacerdotibus suæ diœcesis ad observandum impositus in synodo Exoniensi.

OBSERVATIO COLLECTORIS ANGLICANI.

Summulā vocat in procemio, altero post inceptivū §. & videtur eadē esse de qua cavit in 20. c. suæ synodi, his verbis: "Præcipimus quod quilibet, cui parochialis ecclesiæ regimen incumbit, quandam summulam plurimum utilem, immo verius necessariam, a diversis tractatibus extractam sub cōpendio, (quæ summula sub eisdem verbis incipit) quilibet, & præsentem synodum citra festum S. Michaelis habeant scriptam, & ipsam sane intelligant, ac ea utantur sub pœna unius marcæ, loci archidiacono applicandæ. Quod si archidiaconus remiserit, &c." Vide synodum præcedentem, cui immediate subjungitur in MS. hæc summula, synodi pœnas denuo indicens.

ALtissimus de terra creavit medicinam. Eccles. 38. Iste est altissimus de quo canit ecclesia, dicens: tu solus altissimus Iesu Christe: & iste est medicus de quo in psalmo dicitur: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me Domine*, &c. Et si aliqui vulnerati corporaliter, multum desiderant habere medicum, ut dicit Origenes: anima quotiens, [a] totiens vulneratur. Et beatus Ambrosius dicit, quod nullus dolor major, quam hic qui mucrone peccati conscientias vulnerat. Sed dicet aliquis: quomodo poterit hoc esse, quia ego non sentio hujusmodi vulnera? Ad hæc respondet Origenes, & dicit: "Quando volunt medici incidere aliquos, vel urere, dant eis bibere aliquid, quod potum facit eos profunde dormire, ita quod amentes fiant, & sic non sentiunt: sic & amentes effecti propter cupiditates terrenas, quæ nos reddunt insensatos, ita quod non sentimus quanta sunt vulnera animæ." Et propter hæc quærendus est Christus, qui est altissimus medicus: quia non est opus valentibus, sed male se habentibus, medico. De isto medico dicit Ambrosius: "Audite me terreni homines, inveni medicum qui habitat in cœlis, & in terris parat medicinam. Nihil potest sanare vulnera mea, nisi ille qui...... sentit. Christus ergo medicus est altissimus,"

Psalm. 6.

[a] Deest peccat.

ANNO CHRISTI 1287.

tissimus, & dat dimissionem in contritione laxati. Nam medicinam, in confessione; diætam injungit, in observatione jejuniorum; balneum præcipit, in lacrymarum effusione; phlebotomiam injungit, in passionis Christi recordatione. Sed quid est medicina? utique pœnitentia, de qua dicit Augustinus: Pœnitentia non solum præteritum vulnus curat jejunio, sed animam ultra a peccato vulnerari non finit. Sed aliqui dicunt: Inveniemus misericordiam, & in fine pœnitebimus: quia dicit Dominus, nolo mortem peccatoris. Contra dicit Augustinus: Sic nullus debet spe misericordiæ in suis peccatis diutius remanere, sicut nec debet sibi vulnus procurare causa curationis futuræ: quia qui peccatori veniam promittit, diem crastinum non promittit.

Ex prædictis ergo patet, quod Pater & Filius & Spiritus sanctus, trinus & unus, medicus est: quam Trinitatem offendit peccator per peccatum. Peccatum vero morbus est: pœnitentia est medicina, quæ per tres sui partes, scilicet contritionem & confessionem & satisfactionem, mitigat iram Trinitatis, quam peccando offendit peccator.

Hæc ergo ego Petrus Exoniensis intime considerans, & insufficientiæ presbyterorum sacrorum confessiones audientium compatiens, quorum ignorantiam, proh dolor! sæpissime sum expertus: præsentem summulam eisdem assigno, ut eam sciant ad utilitatem suam & confitentium. Cum autem satisfacere debeat delinquens, non secundum arbitrium proprium, sed potius ad arbitrium ejus contra quem deliquit: misericordius volens agere nobiscum Dominus, sacerdotem posuit inter seipsum & nos, cujus in hoc arbitrium debemus sequi. Quem quidem ad nostram partem potius voluit declinare, tanquam infirmitate circumdatum: & propter hoc scientem compati iis qui ignorant, & ut iste sciat quid nobis injungere debeat. Nos inde omnia debemus confiteri, quia nostras non potest per se conscientias intueri. Et quoniam ad trāsgressionem decem dictorum mandatorum, tota reduci potest criminum multitudo: dicta mandata scire tenētur pœnitentes, & pœnitentias injungens: & sunt hæc.

Exod. 20. *Non adorabis deos alienos*, &c.

Recurrat igitur pœnitens ad primum mandatum, & solicite videat in seipso, si transgressus fuerit. An scilicet cultum soli Deo debitum, dæmoniis vel aliis creaturis exhibuerit; scilicet faciendo præstigia, id est, recurrendo ad conjurationes, sicut solet fieri pro furto, in gladio, in pelvi, & in nominibus scriptis & inclusis in luto, & impositis in aqua benedicta, & similia: vel recurrendo ad auguria sortiarii, vel si sortiarios pro talibus consuluerit, & dæmonibus sacrificaverit, id est, divinationes vel sortilegium fecerit, sicut faciunt quidam miseri pro mulieribus quas amant fatue.

Deinde videat, si transgressus fuerit secundum mandatū. *Non assumes nomen Dei in vanum.* Ut, si forte aliquo modo vacillaverit in fide, vel titubaverit. Et debent doceri simplices (quia forte non possunt scire omnia quæ credi debent) quod habeant apud se stabile cor & fixum, scilicet quod credant sicut credit ecclesia: vel si non fecerunt, & opera Christiana faciant: quia secundum Augustinum, non sufficit quod nomen Christi accepisti, si opera Christiana non fecisti.

2 Cor. 6. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Videat etiam si......nomen Dei in scriptis sacrosanctis, vel tactis, sicut sæpe fit, Assisis, & ibi doceantur mala perjurii: vel si juraverit sine causa, maxime nominando caput vel cætera membra Christi; & hæc ex consuetudine, contra consilium Salomonis, dicentis: Eccli 23. *Jurationi non assuescat os tuum.* Videat etiam si transgressus fuerit, quod fide data promisit.

Deinde videat si transgressus fuerit tertium mandatum, quod est, *Memento ut diem sabbati serves*, non faciendo in ea opera servilia: scilicet diebus Dominicis & solemnitatibus Sanctorum: vel peccata, quæ maxime sunt servilia. Tria vero præcedentia mandata, Deo debita sunt: septem sequentia, ad proximum referuntur.

Quarto considerandum est, si transgressus fuerit quartum mandatum, quod est. *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Quod non solum de patre carnali, sed de spirituali intelligendum est: sive parentibus, hoc est de patre & matre, in ipsos manus injiciendo, sive verbis probrosis, sive operibus injurias eis erogādo: vel forte si fuerint pauperes, si non subvenerit eis eleemosynis, secundum posse suum rationabile, ut si sint mortui & orationibus egeant, si non fecerit orare pro eis. Non tamen injungat sacerdos Missas a se faciendas, vel a suo socio, qui tale beneficium reddat ei.

Deinde videndum est, quod si transgressus fuerit quintum mandatum, quod est, *Non occides*, &c.

Quæ sequuntur, continēt examen in sequentia decalogi præcepta: deinde in septem peccata capitalia; denique in circumstantias. Quis, quid, ubi, &c. *Quæ quia nihil habent, quod non reperiatur in familiaribus confessionis formulis, quæ omnium teruntur manibus: idcirco hic prætermittenda visa sunt.*

Quia tamen quædam sunt peccata, propter quæ debet simplex sacerdos ad papam vel episcopum mittere pœnitentem: ea præsenti tractatui utique duximus inserenda: ut auditis talibus mittat sacerdos pœnitētem ad episcopum, vel ejus pœnitentiarium, ut ipso, audito pœnitente, discernat utrum ad episcopum absolutio pertineat, vel ad papam debeat ipsum destinare. Sunt autem hi ad papam mittendi, ad absolutionem suscipiendam, scilicet:

Percussores clericorum, vel religiosorum, sive clericorum sive laicorū, dum tamen sint in collegiis. Item incendiarii qui domos incēdunt. Violatores ecclesiarum. Sortilegi, & dæmonibus immolantes: & etiam aliud quam Deum adorantes. Item communicantes scienter & prudenter cum excommunicatis a papa, & etiam ab episcopo. Itē falsarii litterarum domini papæ, & etiam procurantes falsitatem ab alio fieri, & scienter & prudenter falsis litteris utentes. Item falsi testes. Item supponens partum, id est, faciens alienum partum, suum, ut alii exheredentur. Item partum suum necans, vel per injuriam suffocans. Item tonsores monetæ. Item impedientes legem domini Papæ. Item proditor domini sui, vel regni, vel alterius. Item sectans hæreses, id est, hæreticus, scilicet, qui fovet hæreticos. Item simoniacus, scilicet, qui emit vel dat aliquid, ut habeat aliquid spirituale; vel qui vendit spirituale, vel etiam spirituali annexum; vel etiam qui procurat aliud dare, ut ipse vel alius habeat aliquod spirituale, scilicet beneficium ecclesiasticum, vel etiam ordines. Item raptores rerum sacrarum. Item schismaticus, id est, recedens ab ecclesia Romana. Item invadentes possessionem ecclesiasticam. Item adiutores Saracenorum in armis vel aliis prohibitis. Item usurarius. Item iudex qui facit statuta contra libertatem ecclesiæ, vel qui favet talibus. Item qui suspensus, Divina celebravit. Item qui enormia contra naturam committunt circa luxuriam.

Et si forte non possit peccator induci, quod huiusmodi episcopo vel eius pœnitentiario ....adeat *f. confiteatur,* episcopum sacerdos, & exposito ei crimine, recipiat ab eo sacerdos potestatem absolvendi pœnitentem. Hi quidem, sicut dictum est, mittendi sunt ad episcopum, ut ipse quos absolvere poterit, absolvat: quos vero absolvere non poterit, ad papam mittat episcopus absolvendos.

ANNO CHRISTI 1287.

Consideratis his interrogationibus, suppleat discretus sacerdos ignorantiam pœnitentis, adhibita discretione prædicta in omnibus faciendis. Consideret autem sacerdos absolvere volens pœnitentem, si pœnitens sit Christianus, & si fidem habeat. Quo invento doceat eum sacerdos articulos fidei, quos ignorat. Deinde doceat eum quod habeat contritionem, & amaram corde & discretam cum moderamine, ne sit dolor irrationabilis, & perseverantem cum proposito se abstinendi, & generalem, scilicet pro omnibus commissis, & hoc præcipue propter Deum. Deinde videat & moneat eum sacerdos, quod habeat oris proprii confessionem veram & nudam, cum omnibus circumstantiis, & integram, quod omnia detegat & hæc omnia faciat propter Deum. Deinde moneat eum sacerdos, quod voluntarie satisfaciat, occulte pro occultis, & manifeste pro manifestis: & quod plenarie satisfaciat; moneat eum sacerdos, ut scilicet satisfactio omnibus corespondeat peccatis: & hoc totum fit propter Deũ.

In mutationibus antecedat sacerdos, quod tria sunt genera peccatorum. Quædam sunt peccata spiritus: ut superbia, ira, invidia, acedia. Quædam carnis: ut gula, luxuria. Quædam vero media: ut cupiditas, avaritia. Contra spiritus peccata, injungenda sunt maxime oratio, humilitas, mansuetudo, & similia. Contra gulam, & luxuriam, & cupiditatem, & avaritiam: injungenda sunt flagella corporis, jejunia, disciplinæ, & peregrinationes. Contra quidem media, injungenda sunt largitas eleemosynarum, & exercitium in operibus misericordiæ. Contra peccata quidem carnis; injungenda sunt flagella corporis, jejunia, disciplinæ, & peregrinationes. Fuerunt tamen quidam, qui docuerunt pro omni peccato, hæc tria esse injungenda: scilicet orationem, eleemosynam, & flagellum corporis, sicut prædictum est, scilicet in jejuniis & eleemosynis, & peregrinationibus. Quia, sicut credebant, in omni actu peccatorum habet aliquid de suo superbia vitæ, cujus medicina spiritualis est oratio: & hoc est forte genus dæmonii, quod non ejicitur sine oratione & jejunio. Aliquod habet de suo concupiscentia oculorum: contra est proprie eleemosyna. Habet aliquid de suo concupiscentia carnis: contra est flagellum corporis. Nec nos hæc reprobamus: dum tamen secundum quod peccatum est magis spirituale, vel carnale, vel medium, magis injungat sacerdos propriam medicinam. Et qui eleemosynam dare non poterit corporalem, det saltem spiritualem: scilicet compassionem, cum voluntate dandi corporalem si subesset facultas. Doceat etiam sacerdos pœnitentem quorumlicet spiritualium peccatorum remedia, secundum quod Dominus ei inspiraverit ex autoritate scripturarum. Nos enim non decernimus iis ad præsens onerare præsentem tractatum. Et secundum omnes diversitates horum, dicitur esse arbitraria pœnitentia.

Diligenter sunt hæc observanda: conditio scilicet pœnitentis, hoc est, si servus vel liber: & etiam sexus, id est, si est masculus vel fœmina: & status, ut si est dives vel pauper, juvenis vel senex: & ordo, ut si est clericus, vel laicus. Si vero clericus, cujus ordinis sit. Item complexio consideranda est: scilicet, si est sanguineus, vel phlegmaticus, vel cholericus, vel melancholicus, & consistentia quidem corporis, id est, si est æger vel sanus, vel debilis vel potens. Quæ consideret sacerdos: & secundum hæc, qualitatem & quantitatem injungendorum sacerdotis moderetur quidem discretio.

Circa ægrotos hæc observanda sunt a sacerdote, quod si laboret quis in extremis, vel alia sit gravis ægritudo: non injungat ei sacerdos pœnitentiam, quæ, si sanus fuisset, fuerit ei injungenda. Quam si voluerint amici ejus pro ipso suscipere, concedam: non tamen ipsis, nisi forsan languens hoc postulaverit, crimina languentis exponentur. Si convaluerit, veniat quidem ad ecclesiam, pœnitentiam suscepturus, & absolvat eũ sacerdos, monens eum, quod animo prompto Divinæ se subjiciat voluntati, sive in morte, sive salute animæ suscipienda...... & de omnibus aliis moneat eum, quæ circa salutem decrevit esse facienda. Quid autem prodesse debeat, si decesserit, pœnitentia quam amici ejus suscipiunt faciendam, Dei relinquatur clementiæ. Similiter in casibus in quibus mittendi sunt ad episcopum pœnitentes, in articulo mortis a sacerdote simplici absolvantur. Injungatur tamen eis, quod si convaluerint, episcopum adeant, impleturi quod eis duxerit injungendum.

Sunt autem articuli fidei, quos pœnitentem debet docere sacerdos, secundum quod quidam annumerant, subscripti. Quod Deus unus est in essentia, trinus in persona; scilicet Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; sine principio, sine fine: omnia creans ex nihilo. Et quod filius Dei carnem sumpsit ex Virgine: de ea natus, manente virgine: verus Deus & homo: Deus, quia idem filius Dei; & homo, quia idem filius Dei & Virginis. Crucifixus est, mortuus & sepultus: non tamen necessitate, sed sponte, ut nos redimeret. Quod idem Deus & homo a morte surrexit, carne glorificata post resurrectionem: & quod nos omnes resurgemus. Quod idem Deus & homo Iesus Christus ascendit in cælos in sua humanitate, iterum venturus judicare mundum. Est autem necessaria fides sacramentorum, & eorum effectus. Scilicet quod baptismus mundat ab originali peccato, & ab actuali ut adultum: sed necessaria est adulto contritio pro actuali. Quod confirmatio confirmat Spiritum sanctum in homine baptizato. Quod vera pœnitentia, delet peccatum actuale, mortale, veniale. Quod in sacramento altaris est verum corpus & verus sanguis Christi: verus Deus, & verus homo. Et quod idem sacramentum confirmat pœnitentem ne recidivet, reconciliando & sustinendo contra actuale peccatum. Quod ordines collati conferunt potestatem officiorum & sacramentorum celebrandorum. Quod matrimonium legitime cõtractum, excludit mortale peccatum in opere generationis virorum & mulierum. Quod extrema unctio alienat a pœna corporali & spirituali.

Debet autem sacerdos docere laicum, quod credat & sciat symbolum, *Credo*, saltem in lingua materna: Et quod sciat orationem Dominicam, scilicet *Pater noster*: & salutationem beatæ Mariæ, scilicet *Ave Maria*. Moneat etiam ipsum, quod solicite custodiat ne recidivet & quod sæpe revertatur ad ipsum: saltem ter in anno, sicut in conditionibus synodalibus continetur. Et si forte labatur in peccatum, statim post lapsum redeat ad sacerdotem, ut instructum pœnitentem sic absolvat, & in pace dimittat: melius tamen si sciverit, & si ei Dominus melius inspiraverit faciendum, faciat.

Hic tractatus habeatur in singulis, vel diversis parochialibus, sub pœna unius marcæ loci archidiacono solvendæ: vel minus, vel plus, secundũ facultatem sacerdotis ignorantis. Quod arbitrio archidiaconi in periculo animæ suæ committimus: reservando nobis potestatem puniendi archidiaconum, si negligens fuerit inventus, qui ad minus solvat ad opera beati Petri Exonii, vel episcopo, duas marcas pro qualibet negligentia. Quod singuli sacerdotes illum addiscant, & sciant: alioquin cum super hoc requisiti fuerint, causa, quasi insufficientes repellantur. (f beneficiorum causa,)

CONCI.

ANNO CHRISTI 1287.

** CONCILIVM REMENSE,

Nunc primum prodit ex apographo R.P. Iac. Sirmond. S I.

Concilium provinciale ecclesiæ Remensis celebratum circa annum Domini MCCLXXXVII. a reverẽdo patre domino Petro Barbet.

VNiversis præsentes litteras inspecturis, Petrus miseratione Divina Remensis archiepiscopus, Robertus Laudunensis, Thomas Belvacensis, Guido Noviomensis, Guillelmus Ambianensis, Galterus Silvanectensis, Iacobus Morinensis, & Michael Tornacensis, ejusdem permissione, episcopi suffraganei Remensis provinciæ, salutem in Domino sempiternam.

Add. quæ Ad fructificandum in ecclesia Domini, "ager Dominicus nuncupatur, sensibus nostris inesse debet illa solicitudo, ut quicumque" diversa negotia quæ nobis incumbunt ex officii debito, diversimode distrahant mentes nostras: ad illa tamen præcipue internæ considerationis oculos dirigamus, per quæ vitatur periculum animarum. Cum itaque inter nos, & viros religiosos fratres Prædicatores & Minores, occasione cujusdam concessionis, a felicis recordationis domino Martino papa quarto super confessionibus audiendis & injungendis pœnitentiis sibi factæ, gravis esset orta dissessionis materia, prout universitatem vestram credimus non latere: pro eo videlicet quod iidem fratres dicunt & asserunt, se intelligere eo modo quod dilucide obviant juri communi, conciliis, & constitutionibus Romanorum pontificum, & intentioni etiam concedentis: ex quibus assertionibus, præsumptionibus", temerariisque, quod dolentes referimus, multa scandala & animarum pericula in clero & populo sunt exorta, cum periculo subditorum nostrorum, quorum sanguis in districto examine de nostris manibus requiretur: præsertim cum nos in suscipiendo curam ipsorum nostras obligaverimus animas pro eisdem. Et licet plures contractus amicabiles cum fratribus habuerimus memoratis, per quos credebamus vitare scandala & pericula supradicta, & prædictos fratres amicabiliter inducere, ut resipiscerent ab inceptis, & quod ipsi non præsumerent pontificale officium usurpare: ipsos tamen ad id allicere nequeuntes, necesse habuimus super tam arduo & periculoso negotio provinciale concilium convocare, Deo propitio in eodem negotio salubre remedium quæsituri. Et demum venerabilibus fratribus nostris suffraganeis prædictis, procuratoribus capitulorum cathedralium, & aliarum collegiatarum ecclesiarum, abbatibus, prioribus conventualibus non exemptis, & aliis ecclesiarum prælatis præfatæ provinciæ, qui ad hoc vocati" fuerunt, vocatis per nos & archiepiscopum supradictum, Remis ad diem Lunæ in festo B. Michaelis archangeli, ad jam dictum concilium: ipsisque præsentibus in eodem concilio, deliberato statuimus, & nostrorum" omnium, necnon procuratorum venerabilium fratrum nostrorum Suessionensis & Cameracensis episcoporum, de quibus absentia tunc constabat (qui quidem procuratores ad hoc habebant speciale mandatum) multorum abbatum & prælatorum ejusdem provinciæ, consensu, & etiam voluntate, prædictum negotium in curia Romana, usque ad ipsius totalem expeditionem statuimus prosequendum, & decernimus autoritate concilii memorati.

Corr. quãtumcũque · *Corr. præsumptuosis* · *f. vocandi* · *leg. nostrũ*

Et quia causa ipsius prosecutionis necesse habemus expensas facere, necnon circa supplicationes (contra abusores litterarum apostolicarum, per quas tam clerici quam laici ejusdem provinciæ graves jacturas & damna intolerabilia patiuntur, & alia negotia sæpe dictæ provinciæ promovenda) summo pontifici faciendas: in eodem concilio, deliberatione provida statuimus, quod nos prædictus Remensis archiepiscopus, & unusquisque episcopus ipsius suffraganeorum, vigesimam redituum nostrorum omnium anni præsentis solvere teneamur infra instans pascha, pro eisdem negotiis prosequendis. Et quia paterna dilectio, & devotio filialis, illam insolubilem unionem inter se mutuo vendicant, quod Pater & filius, quicquid in hujus vel illius animo geritur, præcordialiter sentiunt & affectant: nec aliter quam ad semetipsum, opportunis temporibus recurrit alter ad alterum, cum hoc caritas innuat, & debitum exigat honestatis: in eodem concilio similiter duximus ordinandum, quod omnes abbates, priores, decani, capitula, parochialium ecclesiarum rectores, non exempti, Remensis provinciæ, centesimam redituum & proventuum suorum anni prædicti, infra prædictum terminum solvere teneantur, & apud illos deponere, quos in hac parte duxerimus ordinandos. Et nihilo minus quilibet episcopus in sua diœcesi, exigendi, colligendi, & recipiendi dictam centesimam a suis subditis, necnon compellendi eosdem ad id autoritate concilii, ad solvendum videlicet prælibatam centesimam, habeat potestatem. Illi vero qui centesimam alias impositam in toto vel in parte hactenus non solverunt, ad solvendũ eamdem, vel quod residuum fuerit, infra instãs festum Purificationis Virginis gloriosæ, autoritate prædicti conciliicompellantur. Et nihilo minus memorati episcopi, eos, postquam plane satisfecerint, poterunt absolvere, qui pro defectu solutionis dictæ centesimæ, excommunicationis sententiam incurrerunt.

In quorum testimonium & munimen, sigilla nostra una cum sigillis prædictorum Suessionensis & Cameracensis episcoporum, duximus præsentibus apponenda.

Nos autem Suessionensis & Cameracensis episcopi prædicti, præmissis omnibus, prout superius continentur, benignum assensum fauorabiliter impertimus, & ea in nostris diœcesibus, autore Domino, & quantum vires nostræ poterunt sustinere, promittimus nos facturos. Ad quorum evidentiam pleniorem, præsentes litteras, una cum sigillis reverendissimorum patrum supradictorum, sigillis nostris fecimus sigillati.

Datum & actum anno Dom. MCCXXCVII. in die festo B. Remigii, in capite Octobris.

ANNO CHRISTI 1287.

CONCILIVM HERBIPOLENSE,

Sub præsidio Ioannis legati sedis apostolicæ, in præsentia Rudolphi imperatoris multorumque principum celebratum anno MCCLXXXVII.

TITVLI CAPITVLORVM.

ANNO CHRISTI 1287.

14. *De beneficiorum susceptione de manu laicorum.*
15. *De benedictionibus & sepulturis quæ fiunt per pactum.*
16. *De cura capellarum.*
17. *De vicariis in ecclesiis parochialibus monasteriorum.*
18. *De habitu & conversatione monachorum.*
19. *De vita & habitu monialium.*
20. *De occupatoribus & invasoribus rerum ecclesiasticarum.*
21. *De laicis recipientibus beneficia ecclesiastica.*
22. *De advocatis ecclesiarum.*
23. *De usurariis.*
24. *De læsionibus ecclesiasticarum personarum.*
25. *De læsoribus nunciorum sedis apostolicæ.*
26. *De usurpantibus sibi bona ecclesiarum vacantium.*
27. *De visitatione per episcopos facienda, & de confirmatione.*
28. *De propugnaculis quæ fiunt in ecclesiis.*
29. *De debitis maritorum defunctorum.*
30. *De spoliatoribus stratarum.*
31. *De emptione seu venditione bonorum feudalium ecclesiæ.*
32. *De his qui capiunt bona ecclesiæ vel capituli propter debita singularis personæ.*
33. *De his qui invadunt bona ecclesiarum propter inimicitias advocatorum.*
34. *De apostolis reprobatis.*
35. *De laicis qui fabricæ ecclesiæ administrant.*
36. *De his qui prohibent ne quis coram ecclesiastico judice conqueratur.*
37. *De falsariis.*
38. *De observatione interdicti.*
39. *De conservatoribus monasteriorum.*
40. *De exigentibus nova passagia.*
41. *De observatione constitutorum.*
42. *De his quibus erat indultum quod excommunicari & interdici non deberent.*

CONSTITVTIONES IOANNIS TVSCVLANI episcopi, apostolicæ sedis legati.

PRÆFATIO.

Ioannes Divina miseratione Tusculanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, venerabilibus in Christo patribus universis, archiepiscopis, episcopis, & dilectis sibi in Christo clericis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpositis, archipresbyteris, & aliis ecclesiarum prælatis, capitulis, conventibus, & collegiis, Cisterciensibus, Præmonstratensibus, Cluniacensibus, sancti Benedicti, sancti Augustini, Carthusiensibus, Grandimontensibus, & aliorum ordinum, necnon prioribus hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitanarum domorum, militiæ templi beatæ Mariæ Teutonicorum, cæterisque personis ecclesiasticis regularibus & sæcularibus, exemptis & non exemptis, & per partes Alamaniæ, Bohemiæ, Daciæ, & Sueciæ regna, necnon Moraviæ, Marthiani, Poloniæ, Pomeraniæ, Prussiæ, Cassubiæ, & Livoniæ ac Russiæ ducatus constitutis, in perpetuum.*

DEus deorum Dominus rite ac æquo moderamine cuncta præordinans, ab æterno ingentes legis voluit esse conditores, ut se homines esse cognoscerent, & proprium sub legis limitibus arbitrium limitarent: in cæteri que propulsatis, in silentiis roboraretur, justitia vigeret, æquitas & candor magis enitescerent honestatis. Hæc tria, quasi conformia, & status prosperitatem asserentia possessoris, promptis (Locus corruptus.) A affectanda sunt desideriis, summis exequenda vigiliis, & solicitis studiis acquirenda. Hæc apta sunt & necessaria protinus singulis, maxime personis sublimibus, dignitate præcellentibus, ac in sacris officiis constitutis. Hæc sicut affectu nobis anxio appetimus, sic & ea subditis nostris libentissime propinamus, ut per æquitatis, justitiæ, honestatis, suæ tramites incedētes, adsit eis felicis status tranquillitas, & plena jucunditas libertatis. Vt igitur de commisso nobis per sacrosanctam matrem Romanam ecclesiam in partibus nostris plenæ legationis officio, & continuis nostris laboribus, quos libenter perferimus, & subditis nostris quietem pacis, & status commoda propinemus, fructusque percipiant optatos, pro salubri statu cleri, partium, regnorum, & ducatuum prædictorum, in sacro B Herbipolensi concilio, assidentibus nobis venerabilibus patribus, Moguntinensi, Coloniensi, Saltzburgensi, & Viennensi, archiepiscopis, & nonnullis eorum suffraganeis, & de ipsorum ac abbatum & prælatorum præsentium * quasdam constitutiones edidimus per eos in posterum inviolabiliter observandas, quæ a jure suadentur, æquitati deserviunt, & continent honestatem: mandantes autoritate qua fungimur, ut in qualibet, etiam cathedrali, conventuali, seu etiam collegiata, sub nostro sigillo penitus habeantur annuatim, prout in constitutione nostra contra usurarios actus inferius annotata expresse legitur, publicandæ. C Vos itaque has constitutiones devote suscipite, & eas tamquam amatores justitiæ inviolabiliter observate.

(* deest forte, cōsilio.)

CAPITVLA.

I. *De honesta vita.*

In nomine Domini, Amen. Vt Christi militia laudibus deputata Divinis, vita, gestu, moribus, & habitu, a malitia secernatur humana: cunctos archiepiscopos, episcopos, clericos, abbates, cæterosque inferiores ecclesiarum prælatos, & personas in digni- D tate sacri sacerdotii constitutas, quarum cura nobis committitur, autoritate hortamur in Domino, & paterna suadela monemus, ut pie, caste, munde, ac in splendore * vitæ vivere studeant, gravitate qua convenit, tam in habitu, quam in moribus incedentes: & ut dignitate præcellunt, sic & vitæ præfulgeant honestate: præsenti constitutione statuimus in posterum valitura, ut archiepiscopi, episcopi, abbates, in domibus eorum, clausa, & non nimia longitu- E dine vel brevitate, munda habeant indumenta.

(* Bin. Manuscr. vit. habet: forte legendum, virtutum)

II. *De vitandis tabernis ac ludis.*

Vsus tabernarum, præterquam in itinere constitutis, & ludos taxillorum, omnibus clericis & personis ecclesiasticis, præsertim in prælaturis & sacris ordinibus constitutis, omnino prohibemus: & qui contra fecerint, in publico, vel alibi laicis præsentibus, arbitrio ordinarii puniantur.

III.

ANNO CHRISTI 1287.

III. *De colloquio cum monialibus, vel de inordinato ioco.*

Abusum quoque ac suspicionem contagii a personis ecclesiasticis, maxime in dignitatibus & sacris ordinibus constitutis, paterna diligentia præcidere diligentes: personis hujusmodi frequentationem claustrorum, seu monasteriorum monialium, ac inhonestam collocutionem, & ludum noxium cum ipsis monialibus in cameris, vel publice, in hac edictali constitutione de cætero prohibemus: & qui contra fecerit, pœna " communionis puniatur per ordinarium.

*f. excommunicationis

IV. *De hastiludio clericorum.*

Hastiludia & torneamenta, clerici qui sunt in dignitatibus, personatibus, seu in sacris ordinibus constituti, hoc edicto perpetuo sibi noverint interdicta: ita quod nulla persona ecclesiastica in dignitate seu personatu, & in sacris ordinibus constituta, cum armis vel sine armis ipsa exerceat. Et si contra fecerit, anathematis vinculum eo ipso incurrat. Absolutionem tum " eorum episcopo metropolitano, ac aliis episcopis reservamus.

*f. tamen eor,

V. *De clericis concubinariis, vel manifestis cohabitatoribus.*

Concubinarios clericos, qui retinendo publice concubinas, & famam negligunt, & reverentiam maculant clericalem, more pii patris, non personas, sed personarum vitium detestantes, eorum saluti præsentis constitutionis tenore sic duximus providendum. Et quod si publice retinere præsumpserint concubinas, vel novas focarias acquirere earum loco, sint ipso facto beneficiis privati: quæ illi, ad quos collatio pertinet, conferre aliis personis idoneis teneantur.

VI. *De his qui beneficia per intrusionem arripiunt.*

Damnandæ ambitionis improbitas sic aliquorum animos occupat, quod in illam eos temeritatem impellit, ut quod prohibente jure nequeunt, præsumant per intrusionem arripere, ac præsumpta violenter retinere. Volentes igitur competens huic morbo remedium adhibere, hoc edicto perpetuo consultissime prohibemus, quod nullus clericulus ecclesiam vel præbendam aliquam, vel beneficium ecclesiasticum, aut proventus ipsorum, quæ ad eum de jure non pertinent, in alterius præjudicium recipere ac retinere præsumat. Qui contra fecerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat: nec possit sibi de absolutionis beneficio providere, nisi illi, cui super ecclesia seu beneficio & fructibus eorum hujusmodi injuriam fecit, satisfaciat competenter. Et nihilo minus si per mensem in occupatione, intrusione, seu violentia hujusmodi, animo steterit indurato, beneficiis, si qua habet in ecclesiis, ipso facto sit privatus; & sit extunc inhabilis ad dignitatem aliquam, seu ecclesiam obtinendam. Et, si laicus fuerit, sententiam excommunicationis incurrat.

VII. *De bina celebratione Missarum.*

Ad nostrum pervenit auditum, quod nonnulli presbyteri, ignari quanti terroris existat illicite tractare Divina, quæ sicut gloriam digne sumpta, sic & indigne præsumpta pœnam promittunt æternam, in eadem ecclesia nulla necessitate urgente, sed ad solum quæstum, Missam celebrant bis in die. Quod detestantes omnino, sub attestatione tremendi judicii, in quo ab eis, si contra fecerint, requiratur, hac edictali constitutione singulis presbyteris inhibemus, ut nisi unam Missam, aut duas in casibus a jure concessis, in die cantare aut legere cum sacrificii celebratione præsumant, & si secus fecerint, ordinarii arbitrio acriter puniantur.

VIII. *De portatione corporis Christi.*

Sanctissimum corpus Christi, cujus dignæ venerationi fragilitas humana non sufficit, cum ad infirmos, vel ad mulieres vicinas partui, extra corpus ecclesiæ deportatur, veneratione solita mandamus venerari: videlicet, ut presbyter indutus superpelliceo cum stola circa collum portet; nisi loci distantia, & temporis qualitas secus exposcat; clericus vero præcedens cum campanella & lumine, tintinnando; & obuiantes, donec sacerdos transeat, genuflectant, & dicant devote ter ad minus orationem Dominicam cum salutatione beatæ Virginis gloriosæ. Nos enim tam sacerdoti quam clerico deportantibus, & singulis vere pœnitentibus & confessis genuflectentibus, dummodo, ut dictum est, genuflectant, & orationem Dominicam cum salutatione beatæ Virginis dicant, decem dies pro vitæ qualitate de injuncta sibi pœnitentia, autoritate qua fungimur, relaxamus. Presbyter vero, qui aliter, tum occulte ipsum portare præsumpserit, ordinarii arbitrio puniatur.

IX. *De alienationibus rerum ecclesiasticarum.*

Licet alienationes rerum ecclesiastica-

ANNO CHRISTI 1287.

rum, maxime possessionum, librorum & vasorum, quæ Divinis cultibus sunt deputata, sacri prohibeant canones: quia tamen, ut nostris insonuit auribus: nonnulli prælati tam sæculares quam religiosi, sicut abbates & abbatissæ, & priores monasteriorum quæ sunt per priores solita gubernari, & alii ecclesiarum rectores, novo alienationis quæsito colore, bona ecclesiarum, quarum gubernatores existunt, fingentes se pro utilitatibus ecclesiarum suarum maximis debitis obligatos, consanguineis eorum, seu personis extraneis, bona alienant hujusmodi ad vitam, vel obligant possidenda, & per hoc, ipsis qui obligantur deficientibus, successores eorum, aut propter potentiam detinentium, aut ecclesiarum inopiam, non audent ea redimere, vel non possunt, & sic pastorum nequitia ecclesiæ propriis bonis defraudantur: nos indemnitati ecclesiarum providere volentes, ac alienationes hujusmodi edicto perpetuo prohibentes, omnino* alienātes in fraudem fine superiorum assensu, & aliter quam in casibus a jure permissis, bona ecclesiarum, quarum curam gerunt, pœna canonis puniantur.

X. *De habentibus duas vicarias.*

Presbyteris duas communicaturas recipere prohibemus omnino, cum impossibile sit quod sufficienter *possit ecclesiis servire duabus: & qui contra fecerit, prima vicaria ipso facto, & de secunda, quamdiu primam retinuerit, proventibus sit privatus, quos in utilitatem ipsius ecclesiæ decernimus per ordinarium convertendos.

*Deest forte unus

XI. *De ætate clericorum promovendorum.*

Præsenti perpetuo prohibemus edicto, ne de cætero archiepiscopi, episcopi, abbates & abbatissæ, seu alii ecclesiarum prælati, ad quos parochialium ecclesiarum collatio, seu præsentatio pertinet, parochiales ecclesias personis, quæ vicesimum quintum annum non attingunt, conferant; vel eas ad hujusmodi ecclesias repræsentent, vel repræsentatum talem admittant, vel instituant in eisdem. Si contra factum fuerit, premantur pœna illius canonis, *Licet canon. lib. 6.*

XII. *De præsentatione promoti.*

Ecclesiarum quoque patronos, seu illos, qui noscuntur in ecclesiis aliquibus jus patronatus habere, præsenti sanctione monemus: ut vacantibus ecclesiis de jure, & de facto, in quibus jus patronatus obtinent, personam idoneam & ætatis legitimæ, diœcesanis, seu illis, ad quos institutio in ipsis ecclesiis pertinet, infra tempus statutum a jure studeant præsentare. Et si per mensem ultra dictum tempus ecclesias ipsas detinere præsumpserint, ipso facto excommunicationi subjaceant: & ea vice præsentatione hujusmodi sint privati. Ac si superior non ecclesiam sic vacantem infra tempus a canone sibi præfixum conferat: a collatione beneficiorum sit per annum ipso facto privatus. Et si laici fuerint, & ordinarium providere volentem ipsi ecclesiæ impediverint: ipso facto sint sententia excommunicationis innodati.

XIII. *De observatione interdicti.*

Clericos tam sæculares, quam religiosos etiam, cujuscumque sint ordinis, qui constituti erunt in civitate, villa, seu castro, vel in aliquo loco qui subjaceat interdicto, in obsequiis mortuorum seu processionibus non debere cantare, aut publice celebrare, aut campanas ad horas pulsare, præsentis constitutionis oraculo volumus declarari, nisi haberent ex privilegio vel indulto *.

*facultate forte. In manuscripto tamen hæc vox deest.

XIV. *De beneficiorum susceptione de manu laicorum.*

Nullus de cætero clericus, vel ecclesiastica persona, ecclesiam seu ecclesiasticum beneficium de manu laici, vel alterius ad quem collatio non pertinet, recipiat, seu laicali favore vel potentia sibi existimet retinenda: & qui contra fecerit, nisi in manu diœcesani, vel ejus ad quem ecclesiæ, vel beneficii collatio, vel institutio pertinet, libere resignaverit, anathematis vinculo innodetur: nec absolvi valeat, nisi ecclesiæ sic obtentæ de fructibus per eum perceptis plenarie satisfiat.

XV. *De benedictionibus & sepulturis quæ fiunt per pactum.*

Obscœnam illorum abominationem præsentis constitutionis oraculo detestantes, qui vendere dicuntur benedictiones nubentium, & sepulturas mortuorum, talia de cætero fieri prohibemus omnino: & qui contra fecerit, cum Giezi in die tremendi judicii recipiat portionem. Nec per hoc intendimus, quod laudabiles consuetudines locorum, seu ecclesiarum habentium cœmeteria, infringi debeant, & quando *possint rectores earumdem ecclesiarum hujusmodi recipere licite, si nubentes post benedictionem, & consanguinei vel alii pro defunctis post sepulturam, aliquod offerre voluerint, devotionis intuitu, & etiam pietatis.

*f. quod non poss.

XVI. *De cura capellarum.*

Rectores, qui matrices habent ecclesias,

ANNO CHRISTI 1287.

a quibus depẽdent capellæ, circa ipsas in tali volumus cura versari, ut in ipsa capella, quæ subjacet curæ suæ, si facultates suppetant, vicarium idoneum statuant, qui resideat continue in ecclesia, & deserviat in Divinis, & parochianis spiritualia præbeat alimenta. Quod si fuerint in hoc remissi, vel se reddiderint negligentes, per ordinarios puniantur.

XVII. *De vicariis in ecclesiis parochialibus monasteriorum.*

Curent etiam & priores, cujuscumque sint ordinis, parochialibus ecclesiis quas obtinent, pleno jure per vicarios idoneos continue facere in Divinis obsequiis deservire, & parochianis ecclesiarum ipsarum spiritualia solicite ministrare. Alioquin abbas, seu prior qui parochialem ecclesiam hujusmodi sine rectore per mensem dimiserit a die novitiæ computando, & in ea non curaverit vicarium aut ministrum idoneum ordinare, præsentis constitutionis tenore sit extunc ab officio ipso facto suspensus, tamdiu in suspensione hujusmodi permansurus, quamdiu ecclesia ipsa sine vicario seu ministratore manebit: & provisio sive ordinatio ecclesiæ ordinarii arbitrio reservetur.

XVIII. *De habitu & conversatione monachorum.*

Volumus etiam, quod abbates, priores monasteriorum quæ per priores sunt solita gubernari, vestes non habeant, quæ in forma vel colore appareant sæculares, ac monachos eorum intra claustra eorum retineant, nec permittant eos sine manifesta, seu justa ac rationabili causa, frequenter in sæculo cum sæcularibus conversari: sed secundum statuta regulæ, in qua professi sunt, studeant Domino deservire: & si contra fecerint, per mensem per superiorem ab officio suspendantur.

XIX. *De vita & habitu monialium.*

Hanc circa monialium curam abbatissas, & priorissas monasteria monialium gubernantes, volumus adhibere cautelam, ut postquam monialis quindecimum annum ætatis exegerit, & post duodecimum aut quindecimum ætatis suæ annum probationem in monasterio fecerit, ultra annum professionis velum cogatur recipere, ac sibi capillos juxta scapulas amputare, quæ per substractionem præbendarũ * abbatissæ studiose arceantur. Item, sine manifesta vel rationabili causa, exitus claustri eisdem monialibus per eam quæ regit monasterium prohibeatur omnino. Cæterum ne prætextu inopiæ ipsis detur monialibus occasio mali-

A gnandi, abbatissa, juxta facultatem & quantitatem redituum monasterii, eis in victu honeste provideat & amictu, prout regula patitur earumdem. Super quo si dubietas emerserit, per ordinarium loci declaretur; & ipse ordinarius abbatissas contra facientes per administrationis privationem coerceat, vel alias, quo melius eas posse videbitur coerceri.

ANNO CHRISTI 1287.

XX. *De occupatoribus & invasoribus rerum ecclesiasticarum.*

B

Dignum arbitrantes & consentaneum æquitati, ut quos jugo legis forsitan premimus, ab oppressorum illicitis ausibus defendamus, & consultissima constitutione in posterum valitura sanciamus, quod nulla sæcularis vel ecclesiastica persona, quantacumque nobilitate aut præeminentia status præfulgeat (Christianissimo domino Romanorum rege semper augusto, ejusdemque Divina consorte, eorumque filiis dumtaxat exceptis) ecclesias & ecclesiastica bona, jura & jurisdictiones, & vassallos eorum, violen- C ter & autoritate propria publice usurpare, aut occupando invadere, vel scienter usurpare, aut occupatoribus, invasoribus, & scienter usurpantibus ecclesias & bona prædicta, præstare præsumant quomodolibet, per se, vel per alium aut alios, consilium, auxilium, vel favorem: vel quod si aliquis contra hujusmodi nostræ constitutionis tenorem facere vel venire præsumpserit, & requisitus, infra mensem ecclesiæ læsæ, aut prælato ipsius damnum non emendaverit, D ipso facto anathematis vinculo sit innodatus, & terræ ipsius ecclesiastico subjaceant interdicto: ac clerus terræ offensoris hujusmodi sola denunciatione prælati, seu cleri ecclesiæ læsæ servet, inviolabiliter interdictum: quod si celebrare præsumpserint, quamdiu offensor hujusmodi non emendaverit quod deliquit, ipso facto a Divinis officiis se noverint esse suspensos. Simili modo illos qui possessiones ecclesiasticas titulo pignoris detinent obligatas; a quibus jam receperint ultra sortem, si non restituant prælatis ecclesiarum quarum sunt, infra dictum tempus, volumus hac pœna mulctari.

E

XXI. *De laicis recipientibus beneficia ecclesiastica.*

Laicos, quantacumque status dignitate fulgentes, ecclesiastica recipere beneficia, aut occupata tenere, quæ debentur militantibus in Divinis, de cætero prohibentes: eos, nisi infra mensem a tempore occupationis inantea occupata beneficia ipsa dimiserint, ipso facto excommunicationis vinculo volumus esse innodatos.

XXII.

XXII. *De advocatis ecclesiarum.*

Nonnulli, qui ecclesiarum se asserunt advocatos, sicut tenentur, non solum ecclesias ipsas ab oppressoribus non defendunt, sed ecclesiarum ipsarum bona violenter diripiunt, ac personas ipsorum multipliciter inquietant. Et si advocatus quatuor pluresve habeat filios, quod est tamen intolerabile, omnes se reputant in direptionem bonorum ecclesiæ advocatos: sic quod per hoc ecclesiæ, unde sperant auxilium, frequenter sentiunt detrimentum. Quibus volentes salubre remedium adhibere, hac edictali constitutione sancimus, cunctos ecclesiarum advocatos infra nostræ legationis terminos constitutos, cujuscumque sint præeminentiæ status, eisdem juribus esse contentos; quæ ipsis, seu eorum antecessoribus fuerint concessa semper, quos advocationi hujusmodi præfecerint: & ecclesias, quarum advocati existunt, defensare studeant, & manutenere pro posse; & solum ille, in quem omnes concordant, aut major pars eorum, habeatur eorum de cætero advocatus. Alioqui si negligentes in defendendo & manutenendo personas & jura ipsarum ecclesiarum fuerint vel remissi, hujusmodi advocationis officio eos privatos esse volumus ipso facto: & si quid ultra debitum ab ipsis ecclesiis auferre, & contra hujus nostræ constitutionis tenorem venire præsumpserint, nisi infra mensem ecclesiis ipsis restituerint quod auferunt, vel emendaverint quod delinquunt, excommunicatos esse decernimus: & ad requisitionem personarum ecclesiæ injuriam passæ, excommunicatos mandamus denunciari omni mense.

XXIII. *De usurariis.*

Usurarios actus Divina & humana lege satis novimus exprobratos: & contra exercentes usuras novissima constitutio Lugdunensis concilii pœnas statuit exquisitas, quibus addendum aliquid non videmus. Sed quia novo quæsito fenerandi colore, nonnulli sub titulo venditionis exercent usuras, emendo pignus pro quantitate, quæ mutuo petitur, & vendendo eodem redemptionis tempore pro quantitate adaucta numero usurarum, huic fraudi sic prævidimus obviandum: quod constitutio sanctæ recordationis Gregorii papæ decimi contra usurarios edita in concilio *Lugdunensi, in singulis cathedralibus & collegiatis ecclesiis, una cum præsentibus constitutionibus nostris publicetur, statim lecto evangelio, semel in anno in quadragesima publice coram populo: & tunc feneratores hujusmodi, & alios qui contra tenorem hujusmodi di concilii Lugdunensis exercent usuras, & retinentes eos in domibus propriis, excommunicati nominatim publice nuncientur. Quod si ecclesiarum prælati, in hujusmodi publicatione, quam per seipsos & alios facere debent, negligentes fuerint vel remissi; & in dicto tempore publicatio ipsa non fiat: eos æterni mittimus judicis ultioni. Et si usurarius diem claudit extremum, qui occulte usuras exercuit, & trium aut duorum testium fide dignorum testimonio constiterit exercuisse usuras: nisi pro eo satisfactum fuerit de receptis usuris, nullus ipsum recipiat ad ecclesiasticam sepulturam. Alioqui si contra factum fuerit, præter pœnam latam in Lugdunensi concilio contra tales, volumus ut locus seu ecclesia, in cujus cœmeterio de voluntate prælati seu capituli sepulta fuerint corpora talium, ipso facto ecclesiastico subjaceant interdicto, quamdiu eadem corpora per eos non fuerint exhumata.

* an. 1274. can. 26.

XXIV. *De læsionibus ecclesiasticarum personarum.*

Eos qui Dei timore postposito clericos seu ecclesiasticas personas occidunt, vulnerant, mutilant, proscribunt, capiunt, & captas retinere præsumunt, etsi sententiam, quam incurrunt, latam a canone non verentur, adjectione hujusmodi pœnæ volumus coercere: videlicet quod prælati vel rectores ecclesiarum, in quibus captivantes & detinentes ipsi degunt, & captivati clerici capiuntur, & captivi tenentur, ipsos captivantes, & captivos detinentes excommunicatos denuncient publice singulis diebus Dominicis & festivis, nisi, postquam requisiti fuerint, eos infra octo dies dimiserint, & in locis, ubi capti clerici & personæ ecclesiasticæ tenentur, tamdiu scientes cessent a Divinis, quamdiu in locis ipsis fuerint sic captivi. Quod si contra fecerint, tanquam eorumdem maleficorum participes excommunicatos esse volumus ipso facto: salvis aliis quæ contra tales sunt in conciliis provincialibus constituta.

XXV. *De læsoribus nunciorum sedis apostolicæ.*

Si quis in tanti proruperit furoris audaciam, quod nuncios legatorum apostolicæ sedis de latere missorum ab ipsa, seu archiepiscoporum aut episcoporum, aut delegatorum, capere vel verberare, ac eos spoliare, seu litteras auferre, aut dilaniare, aut alias eos in jurisdictione eis commissa, per se, vel per alios aut alium, publice vel occulte, vel quomodolibet impedire præsumpserit, ipso facto sint excommunicationis sententia innodati. Eamdem pœnam nihilo minus contrahere volumus, qui venientes ad curiam

eorum

Anno Christi 1287.

curiam eorumdem, & abinde redeuntes eos in personis offenderint, vel eos bonis eorum, quæ secum habuerint, occulte vel publice spoliarint.

XXVI. *De usurpantibus sibi bona ecclesiarum vacantium.*

Nonnulli afflictis ecclesiis, quæ vacationis laborant incommodo, non verẽtes afflictionem addere, bona earumdem ecclesiarum diripere ac occupare nituntur. Ex quo grave ipsis ecclesiis in rebus earum provenit detrimentum. Nos super hoc vacantibus ecclesiis providere volentes, eos, qui vacantiũ ecclesiarum, & decedẽtium clericorum, bona immobilia seu mobilia de cætero usurpabunt, aut usibus propriis deputabunt, excommunicatos esse volumus ipso facto.

XXVII. *De visitatione per episcopos facienda, & de confirmatione.*

Curent archiepiscopi & episcopi commissas eis provincias omni solicitudine ab insidiis inimici humani generis, & qui circuit quærens quem devoret, per se vel alios custodire. Et quia ob defectum visitationis multos mares & mulieres quasi sexagenarios invenimus, nondum unctione chrismatis confirmatos: præsentis constitutionis tenore sancimus, ut singuli archiepiscopi, & episcopi, civitates & diœceses suas per se, vel per alium, aut alios, anno quolibet, vel ad minus de biennio in biennium, visitare studeant, confirmando confirmandos, & corrigendo quæ sunt corrigenda.

XXVIII. *De propugnaculis quæ fiunt in ecclesiis.*

Nonnullos, qui guerras habent vel inimicitias cum aliquibus ecclesiis sibi vicinis, campanilia sive domos ipsarum occupare audimus, ac armatis & ædificiis ad pugnandum incastellare, præter prælatorum assensum, & in ultiones contra votum. Et propter hoc inimici eorum incastellationes & munitiones hujusmodi occupare volentes, ecclesias plerumque occupant & comburũt. Quod omnino prohibere volentes, præsentis constitutionis tenore, omnes, qui de cætero ecclesias, seu domos, & campanilia ecclesiarũ occupare, incastellare, aut munire personis armatis, vel quibuslibet ædificiis præsumpserint, sub pœna excommunicationis, quã in eos per superiores fieri volumus, hoc edicto perpetuo monemus, ne contra assensum prælatorum audeant ecclesias munitionibus & incastellationibus hujusmodi molestare: & heredes eorũ, si in hujusmodi, paternæ violentiæ participes fuerint, eadem cum parentibus volumus pœna mulctari.

XXIX. *De debitis maritorum defunctorum.*

Nonnulli, sicut audivimus, pro maritorum seu filiorum debitis uxores seu matres excommunicant, ordinaria fulti jurisdictione. Quod juri & æquitati contrarium reputantes, id fieri de cætero prohibemus: nisi mater & uxor succedant in bonis mariti, seu filii, defunctorum.

XXX. *De spoliatoribus stratarum.*

Spoliatores stratarum, & raptores alios, qui transeuntes per vias aut stratas publicas, viduas, pupillos, & personas alias, eorum bona vi spoliant, eorum violentias, quæ perturbationem desiderandæ pacis inducunt, volentes de cætero coerceri: præter pœnas, quas eis sacratissimæ leges imponunt, tali volumus, nostro feriente correctionis gladio, pœna mulctari, ut tam ipsi, quam receptantes eos scienter, & dantes eis auxilium vel favorem, ipso facto, nodo anathematis sint innodati.

XXXI. *De emptione seu venditione bonorum feudalium ecclesiæ.*

Ementes bona feudalia, quæ ad ecclesias seu personas ecclesiasticas ecclesiarum nomine de jure directi dominii pertinẽt, ac vẽdentes, cum ea sine consensu ecclesiarum & personarũ hujusmodi alienari nequeant, ecclesiarum indemnitatibus providendo, tali volumus pœna mulctari: ut ementes & alienantes laici vel clerici, sive sint religiosi, vel clerici sæculares, qui sine consensu eorum, qui super hoc requirendi sunt, hujusmodi bona feudalia emerint vel alienaverint, ipso facto excommunicationi subjaceant, & bona ipsa ecclesiis, ad quas directum dominium pertinet, applicentur.

XXXII. *De his qui capiunt bona ecclesiæ vel capituli, propter debita singularis personæ.*

Prohibemus insuper, ut nullus propter debitum, vel fidejussoriatus obligationem, singularis personæ alicujus, vel ecclesię, bona ecclesiastica capiat, quæ ad ecclesiam vel capitulum ipsius ecclesiæ communiter pertinent. Et qui contra fecerint, nisi moniti, infra quindenam a die notificationis numerandam, restituerint ecclesiæ vel capitulo, ad quos pertinent, excommunicationi subjacere volumus ipso facto.

XXXIII. *De his qui invadunt bona ecclesiarum propter inimicitias advocatorum.*

Nullus de cætero, qui cum advocatis ecclesiarum guerras habebit, vel inimicitias, bona ecclesiarum, quibus advocati defensores existunt, prætextu guerræ, quam habet cum eis, subripiat, aut ecclesias ipsas, vel villas earum, & loca incen-

ANNO CHRISTI 1287.

incendio vel hostilitate devastet, aut homines earum spoliet bonis eorum. Et qui contra fecerint, ipso facto excommunicationem incurrant, nec absolvi valeant, nisi quod deliquerunt emendent.

XXXIV. *De apostolis reprobatis.*

Leccatores, seu reprobatos apostolos, in eorum reprobata regula remanere vetantes omnino: volumus quod nullus clericus, nulla sæcularis persona, intuitu religionis eorum, ac insolito habitu, eos de cætero recipiat, aut eis alimenta ministret. Et qui contra fecerit, arbitrio sui ordinarii puniatur. Quod & in vagis scholaribus tractandis observari volumus: & quod clericali privilegio coram sæculari judice nequeāt se tueri.

XXXV. *De laicis qui fabricæ ecclesiæ administrant.*

Laicos in nonnullis partibus, prætextu fabricæ ecclesiæ reparandæ, per laicos sine consensu prælatorum, seu capitulorum ecclesiarum hujusmodi, ad recipiendum oblationes, seu proventus alias concessos fabricæ, deputatos, præsentis constitutionis tenore, hujusmodi officio ex nunc esse volumus privatos: & alios laicos, vel clericos, sive[a] prælati, seu capituli ecclesiarum reparandarum assensu, prohibemus in posterum ordinari: cum ex privilegio, vel ex longinqua consuetudine approbata, vituperosum existat, ut laici, prælatis & capitulis ecclesiarum invitis, bona ecclesiæ administrent. Ideoque qui contra fecerint, ac per ordinarium loci moniti, infra mensem ab hoc officio non cessabunt, eos excommunicatos esse volumus ipso facto.

[a] Corr. sine

XXXVI. *De his qui prohibent ne quis coram ecclesiastico iudice conqueratur.*

Personas omnes, quacumque dignitate & status præeminentia præfulgentes, universitates civitatum & locorum, ac consules eorumdem, qui, ut nullus conqueratur, coram ecclesiastico judice prohibent, ac statuta condunt contra clerum seu clericos, & ecclesiasticam libertatem: hæc[b] edicto perpetuo tali pœna volumus puniri, videlicet, quod personæ talia de cætero committentes modo quolibet, excommunicationis; & universitates interdicti subeant sententias ipso facto.

[b] Corr hoc

XXXVII. *De falsariis.*

Falsarios litterarum, seu bullæ summorum pontificum, monetarum, aut litterarū, vel sigilli eorum, excommunicantes in scriptis: eos qui scienter receptaverint, aut eis præstiterint, quo minus capiantur, auxilium, consiliū vel favorem, publicum vel occultū,

A præsentis constitutionis tenore ipso facto excommunicationis esse volumus vinculo innodatos.

XXXVIII. *De obseruatione interdicti.*

Quotiens ex justa causa episcopus locum aliquem ecclesiastico supposuit interdicto, id observent, & observari faciant alii episcopi convicini: ut inter se compatientes, mutua caritate ad invicem, in tuitionibus ecclesiarum earumq; jurium, alter alteri alternis subsidiis suffragetur.

B XXXIX. *De conseruatoribus monasteriorum.*

Conservatores, qui personis religiosis & monasteriis maxime dari consueverunt, exemptis per summum pontificem, aut legatos ejus missos a latere, sub certa forma, cum additione illa, videlicet[c] attentius provisurus, ut eis & de his, quæ causæ cognitionem exigunt, & quæ indulta hujusmodi non attingunt, se nullatenus intromittant. Ipse enim summus pontifex, si secus præsumptum fuerit, tam litteras super hoc datas, quam processus earum autoritate habitos, omnino carere juribus, & nullius firmitatis esse docuerint * a tenore litterarū hujusmodi deviantes personas, quas illi, quibus conservatores hujus[d] conceduntur, convenire volunt, ad suam citant præsentiā, quantacumq; distantia sint longinqui. Quia eosdem conservatores non posse etiam citatos ad eorum venire præsentiā non *teneri, processusq; eorū cōtra citatos tales faciēdos nullius esse momēti, præsentis cōstitutionis serie declaramus.

[c] f. videlicet (attentius provisurus ut eis, &c.) de his.

[d] Corr. hujusmodi. Nam in Mss. illius ætatis, sæpe hujus pro hujusmodi.

XL. *De exigentibus noua passagia.*

D Cum imponentes & exigentes nova passagia, vel antiqua seu concessa augmentantes, singulis annis summus pontifex in cœna Domini anathematis vinculo denūciet subjacere: statuimus, ut ordinarii locorū, per se vel per suos vicarios singulis annis in cœna Domini solenniter coram populo eosdem, sive sint archiepiscopi, sive episcopi, seu abbates, aut alii inferiores prælati, aut laici, seu sæculares personæ, quocumq; nomine censeantur, pulsatis campanis, & candelis accensis, excommunicatos denuncient, usque ad integram restitutionem, tanquam excommunicatos ab omnibus evitandos.

E XLI. *De obseruatione constitutorum.*

Has nostras constitutiones in hoc sacro concilio promulgatas, in singulis cathedralibus ecclesiis in nostræ legationis termino cōstitutis, sub sigillo nostro haberi volumus & publicari, prout superius legitur, omni anno: & ut his nostris constitutionibus adhibeatur in perpetuum plena fides, eas appensione nostri sigilli fecimus communiri.

Actum Herbipoli ann. Dom. MCCLXXXVII. mense Martii, feria tertia post Lætare Ierusalem, pontificatus domini Honorii papæ IV. anno secundo.

XLII.

ANNO CHRISTI 1287.

XLII. *De his quibus erat indultum quod excommunicari & interdici non deberent.*

Hactenus, sicut & hodie fieri dicitur, nonnulli tam clerici quam sæculares, quibus erat & extitit indultum ex indulgentia summorum pontificum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, & quod terræ ipsorum non possint subjici ecclesiastico interdicto, hujus privilegio abutentes, multam nocendi & abutendi assumebant, &, tamquam eis sit licitum, assumunt audaciam & materiam delinquendi. Sanctæ recordationis Alexander papa IV. & Clemens papa IV. volentes super hoc salubriter providere, quia per hoc ordinatorum jurisdictio elidebatur, & condemnabantur a talibus omnia hujusmodi apostolica indulta, quibuscumq; personis concessa, in quantū per ea ordinariorū jurisdictio impeditur, restringitur, vel arctatur, totaliter revocarunt: ita quod iidem ordinarii in personis & terris (ipsis regibus & reginis, quantum ad regna sua tantum, & regnis ipsis, nec non & regum ipsorum filiis & fratribus, ac eorum uxoribus, & eorum filiorum, fratrum & uxorum terris exceptis) jurisdictionem suam, talibus indultis nequaquam obstantibus, valeant, prout ad eos pertinet, exercere. Nos itaque præsentis constitutionis oraculo revocationem hujusmodi, prout in eorumdem pontificum litteris, quas in Herbipolensi concilio publice legi fecimus, plenius continetur, volumus inviolabiliter observari: & declaramus, eorumdem privilegiorum autoritate ordinariorum jurisdictionem minime impediri.

NOTA SEVER. BINII.

Chronicon Hirsaugiense anno 1283. res in hac synodo gestas continet his verbis: Eodem anno Martinus papa IV. legatum de latere misit in Alemanniam episcopum Tusculanum: qui veniens ad Herbipolim in præsentia Rudolphi regis Romanorum, & multorum principum, episcoporum, abbatum, ducum, comitum atque nobilium, concilium celebravit: ubi inter alia legatus ipse nomine papæ contributionem decimi denarii a clero, & rex ab universo populo imperii, instantissime exigere cœperunt, multis principibus in eorum sententiam consentientibus. Siffridus autem archiepiscopus Coloniensis, & Henricus archiepiscopus Trevirorum, contra insolitam ac nimis gravem exactionem se fortiter opponentes, negotium penitus revocarunt. *Hæc Trithemius in prædicto chronico Hirsaugiensi. Ejusdem concilii meminit Eberhardus in suis annalibus anno* 1290. *his verbis*: Rodulphus rex apud Herbipolim, solemnem curiam habuit cum principibus Alemanniæ. Et eodem tempore Ioannes Tusculanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, ibidem celebravit concilium: & quod multa onera & graves expensas volebat clero imponere, a quibusdam episcopis adversus eum extitit ad sedem apostolicam appellatum, & propter hoc sua intentio & consilium, desideratum ab eo eventum non habuit: & ipse subito ad propria est reversus. Intellexerat enim prius aliis de morte domini papæ Honorii qui prius dicebatur Iacobus de Sabello, cui successit frater Hieronymus de ordine fratrum Minorum, & vocatus est Nicolaus. *Hæc de Herbipolensi concilio Eberhardus. In tempore Trithemius, Siffridus, & Eberhardus discrepant. Lectionem Eberhardi, quam habet manuscriptus, quamque approbat Siffridus, sectandam putavi.*

ANNO CHRISTI 1287.

CONCILIVM MEDIOLANENSE, In causa disciplinæ ecclesiasticæ habitum, anno Domini MCCLXXXVII.

C*Onstitutiones synodales hoc concilio promulgatas summatim recenset Bzovius in annalibus his verbis*: Mediolani porro eodem anno, autoritate summi pontificis, Otto archiepiscopus, indicta convocataque synodo provinciali in ecclesia sanctæ Teclæ, præsentibus quamplurimis episcopis, abbatibus, & reliquis ex clero, ad duodecimum diem Septembris multa saluberrima constituit.

I. In primis, constitutiones summorum pontificū, & Friderici olim imperatoris, contra hæreticos latas, inviolabiliter observari, & ex earum præscripto contra fidei catholicæ prævaricatores procedi, mandavit.

II. Abbates, monachos, & reliquos omnes religiosos, ut ex formula S. Benedicti & S. Augustini viverent, admonuit.

III. Ne moniales, quovis prætextu, septa monasteriorum, in quibus reclusæ, egrederentur, edixit.

IV. Aucupium & venationem universo clero, lata excommunicationis sententia, interdixit.

V. Alienandi bona, quæcumque, sive mobilia sive immobilia, ecclesiastici juris fuerint, potestatem omnibus abstulit, neve quis aut vendere, aut oppignerare, aut titulo donationis ea alicui concedere auderet, sub anathematis & nullitatis censura prohibuit.

VI. In detentores ecclesiasticorum bonorum gravissimas pœnas promulgavit.

VII. Falsi crimine obnoxios, a communione sacramentorum atque fidelium segregavit.

VIII. Legatorum piorum fraudatores cœtu Christianorum indignos esse judicavit.

IX. Potestatem ædificandi ecclesias, aut oratoria, penes solos episcopos esse jussit.

X. Rerum sacrarum ex testamento vel codicillis relictam administrationem, penes solos parochos esse voluit: aliaque pro ecclesiastica disciplina ex more prisco, sive revocanda, sive observanda, in eodem concilio sanctissime ordinavit.

VITA NICOLAI PAPÆ IV.

NIcolaus quartus, patria Asculanus, ordinis Minorum generalis, dictus ante Hieronymus, religionis & pacis amator, ex cardinale presbytero sanctæ Sabinæ, creatus est pontifex maximus octavo Kalendas Martii, anno millesimo ducentesimo octuagesimo octavo. Sub imperio Rudolphi imperatoris, seditionibus Romæ coortis discedens, Reate profectus, quosdam ibi cardinales ex omni fere religione creavit. Rebus tranquillioribus redditis, ad Vrbem rediit, ecclesiamque sanctæ Mariæ Majoris resarcivit, cardinalis Columnæ auxilio adjutus, partes quoque anteriores ecclesiæ Lateranensis reparavit. Certis adjectis conditionibus, Aragoniæ regum cum Neapolitano reconciliavit. Ptolemaidi per Soldanum obsessæ, bis mille & quingentos milites propriis expensis auxilio misit. Carolum duobus regnis Siciliensi & Neapolitano investivit. Legatos misit ad reges Franciæ & Aragonum, ut eos ad ferendas terræ sanctæ suppetias induceret. In quo cum frustra se laborare intelligeret, tristitia & amaritudine confectus, post annos quatuor, mensem unum, & dies octo administrati muneris pontificii, anno millesimo ducentesimo nonagesimo primo, mense Decembri, ut ait Trithemius in chronico Hirsaugiensi, Romæ mortuus, in ecclesia sanctæ Mariæ Majoris cum honore sepultus est: & vacavit sedes apostolica annis duobus, mensibus tribus, & diebus octodecim: idque propter discordiam cardinalium, hac de causa Perusii congregatorum.

A Nicolao hujus nominis quarto, non tertio, edita est illa constitutio decretalis tit. de verb. signific. in 6.

in 6. qua recte & bene definitur, sanctam, meritoriam, perfectissimam, & quandoque per Christum verbo & exemplo prædicatam esse, illam Minoritarum paupertatem, qua, solo usu sibi asservato, rerum dominia a se removent. *Bellarminus libro quarto de Rom. pont.*

ANNO CHRISTI 1288.

** CONCILIUM INSULANUM
A præsulibus Arelatensis provinciæ celebratum anno Dom. MCCLXXXVIII.

Ex codice MS. eminentissimi cardinalis Chisii nunc primum prodit.

Concilium per dominum Rostagnum Divina providentia Arelatensem archiepisc. II. apud Insulam celebratum.

TITULI CANONUM.

1. *Ut excommunicatus propter illatum damnum vel injuriam, non absolvatur donec satisfecerit.*
2. *Ut nullus sine causa beneficio spolietur a prælato.*
3. *Ut circa regulares nihil innovetur.*
4. *Ut pecunia legata ad arbitrium executorum dividatur in causas pias.*
5. *Ut presbyteri doceant populum, quomodo parvuli in necessitate baptizandi sint.*
6. *Ut in ecclesiis semper resideant presbyteri, aut saltem vicarii perpetui.*
7. *De celebranda octava sanctæ Trinitatis, & festo sancti Trophimi.*
8. *Ut parochiales presbyteri diligentissimi sint circa legata pia.*
9. *Adversus invasores bonorum ecclesiasticorum.*
10. *De injuriis & damno dato.*
11. *De iis qui clericum ceperint.*
12. *Ut serventur jura edita de Judæis.*
13. *Ne banna fiant adversus ecclesiæ libertatem.*
14. *De iis qui tradunt toxica, in mortem, vel abortum.*
15. *Ut bladum non transferatur, donec sit decimatum.*
16. *Ut ecclesiæ, & personæ earum, bannum solvere non cogantur.*
17. *Ut prætextu baptismi non donetur nisi sola alba.*
18. *Ut statuta priorum conciliorum observentur.*

PRÆFATIO.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi, ad omnia consilia & actus nostros progredimur, in quo vivimus movemur & sumus. Scriptum est enim: *Omnia quæcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias Deo agentes.* (Coloss. 3.) Testatur enim pagina veritatis, quod in exordio creationis humanæ, lex obedientiæ transgressionis vitium invexit, cum primarii parentes, sui conditoris prohibitione postposita, pomum, quod universalis & singularis Dominus speciali subjecerat interdicto, in totius posteritatis periculum attentarunt: sicque de corrupta radice corrupti ramusculi processerunt. Idem [a] autem fit proclivis cursus ad voluptatem, & natura vitiorum est invitatrix. Quamobrem convenit sanctorum patrum constitutionibus, generalium conciliorum & provincialium canonibus, ac singulorũ episcoporũ statutis synodaticis, sic perversorum coarctari molimina: ut appetitus noxii debitæ non excedant limites honestatis, sed inde Christiana professio liberius magis ac magis salutaribus proficiat incremẽtis. Sane cum plurima statuta in provincialibus conciliis per prædecessores nostros sint edita, quædam ex eis propter aliquorum incertitudinem non absq; animarum periculo evagentur, nonnulla propter varium recursum temporis mutatione seu reformatione nunc indigeant, cum dicat Augustini autoritas ad Bonifacium: omnia debent suis temporibus convenire. Nos Rostagnus miseratione Divina sanctæ Arelatensis ecclesiæ archiepiscopus, unanimi fratrum nostrorum consilio & voluntate concordi, videlicet domini G. Dei gratia episcopi Vasionensis, domini S. Dei gratia Aurasicensis episcopi, domini Rindi Carpentoratensis episcopi, D. B. Cavallicensis episcopi, ac M. Rostagni sacristæ Tolonensis procuratoris domini Ioannis episcopi, & G. præpositi & capituli Tolonensis, & magistri S. Falconis Tricastrini canonici procuratoris domini episcopi B. Dei gratia Tricastrini, & præpositi & capituli ejusdem ecclesiæ, ex justis causis absentium; & G. de Areis & Raolo & Ioanne Figuerie procuratoribus ecclesiarum cathedralium, & prioribus conventualibus Massiliensibus & Avenionensibus, necnon præpositis nostræ Arelatensis provinciæ, præsentibus, & aliis pluribus viris discretis, in provinciali concilio apud villam Insulæ Vanaissini Cavallicensis diœcesis constituti: attendentes quod injuriatur memoriæ frequenter oblivio, virorum prudentium cautela providit adversus oblivionem remedium de scripturæ certæ suffragio, ne aliqui de cætero prætextu ignorantiæ se valeant excusare, statuta prædecessorum nostrorum infra scripta, cum quibusdam aliis per nos editis, colligi & corrigi fecimus, ac ipsa præsente clero & populo publicari, & sub certo anno tali volumine seu libello, quem sigillo nostro & prædictorum fratrum nostrorum, ad æternam rei memoriam voluimus roborari, ut deinceps in Arelatensi provincia, in judicio vel extra, nulla exinde possit hæsitatio exoriri.

Autoritate igitur præsentis concilii præcipimus & ordinamus, quod prædictum volumen, seu libellus, & nostris suffraganeis, & omnibus abbatibus, præpositis & prioribus conventualibus Arelatensis provinciæ, infra instans festum Natalis Domini integraliter habeatur. Verum quoniam multorum statuta salubria, non sunt, sicut decuit, hactenus observata, propter quod in contemptum & oblivionem quasi totaliter devenerunt: ideo necessarium fore duximus, prædictorum conciliorum Arelatensium quædam magis utilia renovare statuta, quæ inferius continentur.

[a] Inde autẽ

CANONES.

I. *Ut excommunicatus propter illatum damnum vel injuriam, non absolvatur donec satisfecerit.*

IN primis igitur præsentis approbatione concilii renovamus, & de novo statuimus X. capitulum primi concilii [b] provincialis, per dominum Ioannem quondam Arelatensem archiepiscopum celebrati, quod incipit. Item statuimus, quod si quis propter damnum datum, vel injuriam irrogatam, excommunicationis vinculo fuerit innodatus, non ante absolutionis beneficium mereatur obtinere ipse qui damnum dedit, vel injuriam irrogavit, quam pro posse suo satisfaciat competenter. Quod si absque satisfactione debita fuerit absolutus, absolvens juxta superioris arbitrium puniatur.

[b] An. 1234. Vid. in Appendice hujus tomi.

ANNO CHRISTI 1288.

II. *Ut nullus sine causa beneficio spolietur a prælato.*

Item innovamus & de novo statuimus XXIV. capitulum concilii * prædicti D. Ioannis quod incipit. Item statuimus quod nullus ecclesiastico beneficio jam adepto, sine causæ cognitione a prælato suo aliquatenus spolietur. Quod si spoliatus intra mensem non fuerit restitutus, extunc cum de spoliatione constiterit, superior ex officio suo spoliatum restituere non postponat.

*Vide ibid.

III. *Ut circa regulares nihil innovetur.*

Circa regulares vero nihil novi duximus innovandum.

IV. *Ut pecunia legata, ad arbitrium executorum dividatur in causas pias.*

Ad hæc aliud Arelatense concilium renovantes, per dominum B. Maleferrati celebratum, quondam Arelatensem episcopum, innovamus & de novo statuimus secundum capitulum ejusdem * concilii, quod incipit. Cum autem testator legat certam pecuniæ quantitatem, vel res alias, pro forestis suis distribuendis arbitrio gadiatorum seu executorum testamenti sui, nec extant certæ personæ, quibus, seu inter quas, pecunia seu res sic legata distribuantur: statuimus, quod pecunia seu res prædictæ, per ipsos executores, de consilio tamen & assensu prælatorum, ne fraus aliqua per ipsos gadiatores valeat procurari, in pias causas dividantur. Et nisi testator tempus præfixerit ad hujusmodi persolvenda, dicti executores per diœcesanos locorum ea infra annum solvere per censuras ecclesiasticas compellantur.

*Vide sup. pag. 920.

V. *Ut prebyteri doceant populum, quomodo parvuli in necessitate baptizandi sint.*

Item innovamus & de novo statuimus II. capitulum provincialis Concilii per dominum Florent. * celebrati, tum Arelatensem archiepiscopum, quod incipit. Circa sacramentorum dispensationem, quoniam per quorumdam dispensatorum negligentiam multiplices subcreverunt abusus: statuimus ut presbyteri parochiales, in præcipuis festivitatibus, in plena ecclesia & publica populi allocutione & sermone, doceant parochianos suos qualiter & quibus verbis debeant uti, cum parvulos in casu necessitatis baptizant.

*Vide in append. hujus tomi.

VI. *Ut in ecclesiis semper resideant presbyteri, aut saltem vicarii perpetui.*

Item innovamus V. capitulum ejusdem concilii, quod incipit. Quia major pars ecclesiarum parochialium hujus provinciæ, ad monachorum vel conventuum regularium pertinet prioratus, de quorum collegiis aliqui consueverant in ipsis ecclesiis continue residere, in spiritualibus & temporalibus præsidentes; & de ipsis, prælatis suis rationem congruam opportune reddentes: nunc autem residentia sua ad hæc sola coarctatur tempora, quibus spiritualibus * spolia colliguntur, alicubi nullo prorsus sacerdote relicto, alicubi vero solo mercenario: ita quod plurimæ ecclesiæ, aut rectores & ministros non habent, aut per * .... reguntur mercenarios. Statuimus, ut in talibus ecclesiis deinceps, aut de ipsis collegiis ad quorum patronatum pertinent, aliquæ bonæ, sufficientes, & honestæ personæ resideant, quæ curam animarum loci recipiant a prælatis; aut si tales sunt patroni, qui curam habere non debeant, aut non velint, tantum accipiatur & sequestretur de bonis & dotibus ecclesiæ, quantum vicario perpetuo sufficienti & honesto, & in sacris promoto, ibidem residenti, & per patronum præsentato, & per prælatum instituto, ad victum honestum sufficiat & vestitum, & alia quæ ad officium vicarii pertinere noscuntur: & hujusmodi vicarius curam animarum loci recipiat a prælato. Quod si vacante tali ecclesia per mortem aut * successionem vicarii, non fuerit, intra tempus statutum a jure, alter vicarius sufficiens prælato loci per patronum præsentatus: ex tunc per ipsum prælatum vicarius competens constituatur ibidem, nec ultra mercenariis, nisi forte bonis & expertis, & hoc ad tempus, & ex causa, Dominicarum ovium regimina committantur: quia mercenariis gregem committi Dominicum, evangelica veritas summi pastoris ore promulgata graviter detestatur.

Vide ibid.

*f. quibus temporalia spol.

*f. presbyteros

*f. cessionem

VII. *De celebranda octava sanctæ Trinitatis, & festo S. Trophimi.*

Item VI. capitulum ejusdem innovamus, quod incipit. Statuimus etiam ut in octava Pentecostes celebretur solemniter officium sanctæ Trinitatis, & a vesperis sabbati Dominica agatur solemnitas, & per totam sequentem hebdomadam tres lectiones & tria responsoria singulis diebus, nisi festum IX. lectionum extiterit, de sanctæ Trinitatis historia per ordinem decantentur, usque ad vesperas sequentis sabbati, & tunc incipiatur historia. Festum autem B. Trophimi per totam provinciam solemniter celebretur, sicut de apostolis.

Vide ibid.

VIII. *Ut parochiales presbyteri, diligentissimi sint circa legata pia.*

Item approbante præsenti concilio innova-

ANNO CHRISTI 1288.

Vide app. hujus tomi.

novamus & statuimus, innovando nonum capitulum provincialis concilii per R. patrem bonæ mem. dominum B. de sancto Martino Arelatensem archiepiscopum celebrati, quod incipit. Verum quia parochiales presbyteri circa solutiones eorum quæ ad pias causas a decedentibus relinquuntur, negligentes existunt, præcipue ex quo in his, quæ ipsis proveniunt, eisdem fuerit satisfactum: statuimus, ut omnia legata ad pias causas ab ipsis testatoribus derelicta, omnes parochiales sacerdotes in scriptis penes se retinere procurent, ut sciant quid, a quo, & quibus [a] licitos esse præcipimus & intentos: statuentes, ut post obitum testatoris, infra quindecim dies, heres ab ipso parochiali presbytero requisitus, ipsius testamenti seu voluntatis ultimæ eidem sacerdoti dare transcriptum seu translatum, quoad pias causas, & piis usibus deputata, expensis legatariorum teneatur: ad quod ab eodem presbytero per censuras ecclesiasticas compelli valeat ipse heres. Insuper statuentes, ut legantur publice tunc, proxima die Dominica vel festiva, legata supradicta, ut quid cui legatum fuerit vel relictum, minime ignoretur: adjicientes, ut sacerdos qui hoc legerit, pro persona quæ legatum seu relictum hujusmodi fecerit, Dominum deprecetur, & ad rogandum pro ipsa persona subditos suos sive parochianos moneat, & inducat ut saltem orationem Dominicam dicant.

[a] *Aliquid hic deest cujus ultima syllaba* so. *Certo enim legendum* solicitos esse præcip. & int.

IX. *Adversus invasores bonorum ecclesiasticorum.*

Item innovamus & de novo statuimus, approbante sacro præsenti concilio, primum capitulum & omnia contenta in eo, secundi provincialis concilii Avinione celebrati per reverendum patrem B[b]. Divina providentia tunc Arelatensem archiepiscopum, nunc episcopum Portuensem, quod incipit. In primis igitur, quoniam aliqui suis finibus non contenti, passim aliena diripiunt, & ecclesiasticas libertates effringere non verentur: approbante præsenti concilio statuimus, quod quælibet persona, sæcularis aut ecclesiastica, nobilis aut alia, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, officii, conditionis, aut status fuerit, quæ vel ecclesiasticas capellas, seu earum cœmeteria, hospitalia, reclusoria, domos, possessiones, loca, villas, castra, census, [1] tascas, trezena, laudimia, [4] vintena, feuda, lesdas, pedagia, seu alia quæque utilia, seu etiam earum homines aut familias, animalia, sive bona quælibet, mobilia seu immobilia, sive domos religiosas, aut hospitalia, sive reclusoria, quomodolibet invadere, capere, occupare, detinere, pignorare, seu gadiare, necnon & qui contra ecclesias vel capellas, aut clericos sive personas ecclesiasticas, seu earum homines, loca, villas, castra, seu mansiones, aut contra libertates ecclesiasticas, vel domos religiosas, aut hospitalia sive reclusoria, quomodolibet edere vel facere quævis statuta, sive banna, vel præconizationes, aut novitates quascumque, sive quibuslibet ex prædictis directe vel indirecte violentias aut molestias irrogare, seu eis super bonis quibuslibet ecclesiasticis seu patrimonialibus, quæstas, aut talias, angarias sive parangarias, aut necessitates quaslibet aliqualiter imponere vel inferre, sive domos ecclesiarum, aut clericorum, seu personarum ecclesiasticarum, occasione quacumque, serrare seu claudere, vel ferrare seu placare, sive earum banna quæcumque bannire, seu etiam vias novas aliquas ubilibet adinvenire, vel facere, per quas ecclesiæ seu earum villæ, castra, vel loca, in pedagiis sive lesdis aut quibuslibet juribus aliis, possint in aliquo diminui, vel etiam pejorari, sive caminos aut vias, seu stratas publicas aut privatas, intra limites sive territoria vel districtus locorum, villarum, seu castrorum ecclesiasticæ ditionis, auferre, vel sibi quomodolibet appropriare, attribuere, seu etiam applicare, vel terminos eorum arare præsumpserit, seu attentaverit, per suam potentiam, aut violentiam, sive superbiam: [a] intra tres dies super his a die captionis seu invasionis, attentationis sive præsumptionis hujus, & eorum fautores, per emendam aut revocationem debitam, seu alias ut res exigit, plene satisfecerit, excommunicationi subjaceat ipso facto: quam ex tunc in attentatores & præsumptores hujusmodi, fautoresque eorum, consiliarios, & coadjutores quoslibet, ferimus in his scriptis. Et nihilominus si persona hujusmodi perstiterit in excommunicatione ipsa per tres dies: ex tunc loca quælibet ubi fuerit, ecclesiastico subjaceant interdicto. Quam siquidem excommunicationis seu interdicti sententiam, cum de præmissis, seu eorum aliquibus, cuilibet ordinario vel ejus officiali summarie constiterit aut de plano: volumus, & statuendo mandamus, executioni debitæ per ipsum quemlibet ordinarium, seu officialem ipsius, certificatum de plano, mandari per universas ecclesias Arelatensis civitatis, diœcesis & provinciæ, sicut viderit commodius expedire: super quo, tam in genere, quam etiam quascumque personas singulariter nominandas [b] plenam habeant facultatem. Et insuper etiam ad augmentandam hujusmodi sententiam, prout ei videbitur expedire: insuper mandamus & præcipimus firmiter & districte, quod super omnibus circa præmissa per quoslibet aboleri hactenus

[b] Bernardum *Vide supra pag.* 1051.

1 taxas, 2 decimū tertium quodque ex iis quæ venduntur 3 quinquagesimâ parte precii rei venditæ

debitam domino principali. *Lots & ventes*, 4 vigesimum quodque, 5 aliud servitii genus.

[a] *Deest* nisi

[b] *Corr.* nominandi

ANNO CHRISTI 1288.

„ attentantis, fiant post instans festum Pentecostes, per tres dies Dominicos continuos, monitiones in ecclesiis, videlicet generales: ut quicumque super præmissis, aut eorum aliquibus, aboleri contra ecclesias, & personas ecclesiasticas seu earum jurisdictionem & jura, prout superius sunt expressa, quicquid hactenus attentaverit, illud & illa quælibet, intra festum instans Assumptionis beatæ Mariæ, totaliter revocent & emendent, sive de ipsis satisfaciant competenter. Quod nisi fecerint, nos eodem approbante concilio, in quoslibet attentatores hujusmodi, seu etiam præsumptores, ex nunc ut ex tunc, excommunicationis sententiam similiter ferimus in his scriptis, & in eorum quoslibet coadjutores, consiliarios, & fautores. Quam excommunicationis sententiam, cum constiterit ordinario cuilibet, seu ejus officiali, de plano vel summarie, per officium vel alias aliter, de præmissis: volumus & mandamus per universas ecclesias civitatum & diœcesum publicari, singulis diebus Dominicis & festivis, prout per quemlibet ordinarium, seu officialem ipsius, fiet requisitio super eis.

X. *De injuriis & damno dato.*

Item innovamus sacro præsenti concilio approbante, & statuimus innovando secundum caput ejusdem concilii & omnia contenta in eo, quod incipit. (*Vide ibid.*) „ Insuper sacro approbante concilio statuimus, quod si contingat vel homines, vel res quaslibet, animalia quævis ecclesiarum, sive personarum ecclesiasticarum, sive hominum aut locorum suorum quorumlibet, abduci per aliquos aut aliquas in prædictam sive pignorationem aut represaliam: abductores hujusmodi, & eorum fautores, & autorizatores, excommunicationi subjaceant ipso facto. qui tamdiu per capellanos ecclesiarum civitatis & diœcesis, ubi prædicta commissa fuerint, autoritate præsentis concilii denuncientur excommunicati cum campanis pariter & candelis, singulis Dominicis diebus & festivis, quousque de damnis & injuriis irrogatis fuerit eas passis plenarie satisfactum. Et nihilo minus civitates, castra, loca, & villæ, in quibus prædicta hujusmodi recepta fuerint seu admissa, ecclesiastico subjaceant interdicto, si requisiti, qui fuerint inibi requirendi, a se noluerint abjicere prædicta eadem. Et ad hæc eadem exequenda, diœcesani singuli, & officiales eorum, se promptos exhibeant sine contradictione quacumque, ut idem faciant fieri per capellanos suos, cum per illum, in cujus civitate vel diœcesi res sic detestabilis commissa extiterit, fuerint requisiti. Et nihilo minus super iis etiam observetur attentante novella constitutio Gregoriana[a].

XI. *De iis qui clericum ceperint.*

Item IV. capitulum ejusdem concilii innovamus, & præsenti concilio approbante præcipimus observari omnia in eo contenta, quod incipit. (*Vide ibid.*) „ Ad hæc etiam approbante præsenti concilio statuimus, quod si officiales, vel locorum domini quilibet sæculares, seu eorum cursores aut bannerii, ceperint clericum aliquem; & requisiti per diœcesanum, vel officialem suum, quod clericum illum captum cum omnibus rebus suis restituant sibi confestim: si per unum diem destiterint illum restituere, quamquam ipso facto sint excommunicati, ex tunc officiales illi, seu domini, & quilibet detinentes atque cursores seu bannerii supradicti, denuncientur excommunicati nominatim & expresse, diebus singulis, cum campanis pariter & candelis. Et si denunciati per tres dies, clericum illum non reddiderint: ex tunc locus aut civitas, sive castrum, aut villa, ubi captus ille clericus detentus fuerit, ecclesiastico subjaceat interdicto. Nec teneatur aliquis fidem facere dictis officialibus, sive dominis aut detentoribus, sive quibuslibet aliis, quod captus sit clericus: cum sufficiat, ut illum constet clericum, in eo quod diœcesanus, vel officialis, seu locum tenens ipsius, asserat per litteras vel nuncium, clericum illum esse; nec super his fides aliqua sit laicis facienda. Hoc autem de tali clerico intelligimus, qui erat in possessione clericatus, tempore captionis.

[a] Concil. Lug. II. c. 28.

XII. *Ut serventur jura edita de Judæis.*

Item VI. caput ejusdem concilii innovamus, & præsenti concilio approbante præcipimus observari omnia in eo contenta, quod incipit. (*Vide ibid.*) „ Insuper etiam statuimus, ut jura edita de Judæis serventur: videlicet, in pectoribus appendentia vestimentis exterioribus dissimilia signa portent: talia siquidem, per quæ faciliter & distincte valeant a Christianis agnosci pariter & discerni. Sed neque teneant Christianos nutricios aut nutrices: carnes autem per eos occisas nullus vendat fidelibus Christianis. Ipsi quoque Judæi dies * excolant manifeste. In quadragesima carnes publice non manducent. Obviantes autem cruci, sive Christi corpori: vel penitus se recludant, aut cito recedant, vel reverentiam exhibeant ut Christiani. Alioquin Judæi quilibet contra facientes, per substractionem communionis fidelium, & Christiani per excommunicationis sententiam, per ordinarios, vel officiales, seu loca tenentes eorum, solicite compellantur.

XIII.

ANNO CHRISTI 1288.

XIII. *Ne banna fiant adversus ecclesiæ libertatem.*

Conc. Bituric. ann. 1276. c. 11. ad verbum

Item VII. caput ejusdem concilii innovamus, & statuimus innovando, quod incipit. Cum in jure canonico caveatur, quod " qui de cætero servari fecerit statuta, & con" suetudines introductas contra ecclesiæ li" bertatem, statutarii & scriptores statuto" rum ipsorum, necnon potestates, consules, " rectores, consiliarii locorum ubi statuta hu" jusmodi & consuetudines de cætero edita " fuerint vel servata, necnon & illi, qui se" cundum ea judicare præsumpserint, vel in " formam publicam scribere judicata, ex" communicationis sententiæ debeant sub" jacere : nonnulli propriæ salutis obliti, & " suæ verecundiæ non parcentes, juris sen" tentiam verborum amplexu non sine frau" de circumvenire nituntur : non statuta, ut " asserunt, banna tamen faciunt proclamari, " præcepta & prohibitiones inducunt, quæ " non est dubium in libertatis ecclesiasticæ " præjudicium redundare. Nos itaque frau" dibus malignorum, quas circa hoc adhibi" tas fuisse cognovimus, obviare volentes, " approbante præsenti consilio statuimus : ut " qui contra ecclesiæ cujuslibet libertatem, " banna, prohibitiones, sive præcepta, scien" ter fecerint, aut fieri procuraverint, seu fa" cientibus consilium vel opem duxerint ad" hibendam, ipsa, postquam per locorum or" dinarios, vel officiales eorum, super hoc " fuerint requisiti, absque cujuslibet difficul" tatis obstaculo indilate revocent, seu fa" ciant revocari, ad consimilia numquam de " cætero processuri : alioquin censura simili " sint adstricti. Qui vero contra ecclesiasticas " consuetudines antiquas, rationabiles, ap" probatas, & hactenus pacifice observatas, " statuta, banna, prohibitiones, aut præce" pta, scienter fecerint, aut fieri procurave" rint, sive jam facta servaverint, aut servari " fecerint, seu facientibus vel servantibus, " in hujusmodi consilium vel opem præstite" rint : per diœcesanos locorum, aut officia" les, præsentis autoritate concilii monean" tur, ut infra VIII. dies a tempore monitio" nis hujusmodi numerandos, statuta*, ban" na, prohibitiones & præcepta hujusmodi " debeant revocare, ad consimilia nunquam " ulterius processuri : alioquin excommuni" cationis sententia, quam in his scriptis ex " nunc ferimus, sint ligati.

* al. statuta deleāt, banna, prohibitiones, & præcepta revocent, ad cons.

XIV. *De iis qui tradunt toxica, in mortem vel abortum.*

Item statuimus, quod quicumque toxicare, aut opem ad hoc vel consilium dare, vel in mortem alterius toxicum dictare, seu vendere, seu quocumque modo tradere, aut aliter ministrare præsumpserit, vel quicumque tales sciverit & celaverit ordinario suo, neque diœcesano suo infra mensem revelaverit, vel archiepiscopo suo si diœcesanum non habuerit, non tanquam confessori, sed tanquam judici.... tas mortiferas, seu aliud mortiferum in mortem vel abortum cujusquam dederit, eo ipso majorem excommunicationem incurrat : & si per tres menses in eadem excommunicationis sententia animo steterit indurato, cum & participatione sacramentorum & communione fidelium sit privatus ipse ; & ejus liberi usque ad quartam generationem in Dei ecclesia non valeant ecclesiasticum beneficium obtinere, nec valeant assumi ad aliquas sæculares, vel ecclesiasticas dignitates. Et si clericus beneficiatus fuerit, illo sit privatus beneficio, ipso facto ; & ab omni ordine quem susceperat, degradetur, tradendus postea curiæ sæculari. Si vero beneficiatus non fuerit, similiter degradetur, & tradatur sæculari curiæ puniendus. Qui vero ex tali vel simili suspicione probabitur infamatus, & ex visibilibus præsumptionibus & perspicuis judiciis apud bonos & graves notatus : ad honorem, vel dignitatem ecclesiasticam vel sæcularem nullatenus admittatur : & nihilo minus ad detentionem personæ, prout sceleris immanitas suadebit, ad eliciendam veritatis certitudinem ; sicut officiali dicti domini visum fuerit, procedatur. Hoc autem statutum extendi volumus, tam ad præterita, quam præsentia & futura. Nolumus tamen, quod aliquis pœnam excommunicationis pro prædictis incurrat prædictam, nisi post unum mensem a tempore publicationis hujus statuti per nostram provinciam faciendæ.

XV. *Ut bladum non transferatur, donec sit decimatum.*

Item statuimus, quod aliquis bladum de decimaria alicujus ecclesiæ intra aliam decimariam transferre non audeat, quousque fuerit decimatum. Si quis vero contrarium fecerit, rectam decimam, scilicet decimam partem, integraliter ecclesiæ, de cujus decimaria bladum extraxerit, intra octo dies solvere teneatur. Quod si non fecerit, se noverit autoritate præsentis concilii excommunicationis sententia innodatum.

XVI. *Ut ecclesiæ & personæ earum, bannum solvere non cogantur.*

Item statuimus, quod nullus dominus temporalis audeat compellere ecclesias, vel personas earum, familiam, servientes, seu nuncios, solvere bannum seu banna pro animalibus suis quibuscumque, vel personis prædictis ; & si contrarium fecerit, pignorando, capiendo, vel detinendo, vel homines,

ANNO CHRISTI 1288.

mines, vel animalia, vel bona, per se id faciendo, vel factum per alios, ex quo sciverit, sustinendo, ipso facto sit excommunicationis sententia innodatus: a qua minime absolvatur, donec damnum passis satisfecerit competenter. Talam vero seu emendam ad arbitrium diœcesani præcipimus integraliter emendari.

XVII. *Vt prætextu baptismi non donetur nisi sola alba.*

Quia sæpe didicimus quod plures infantes sine baptismo ab hoc sæculo transmigrarunt, ex eo quod cum magna difficultate inveniri poterant qui eos possent baptizare, propter sumptus & expensas, consuetas & consuetos, per patrinos temporibus retroactis, & ita terrore dictorum sumptuum multa pericula evenerunt: statuimus approbante concilio, ad periculum animarum evitandum, quod aliquis vel aliqua de cætero infanti, vel matri, vel alicui personæ, tempore dicti baptismi, vel alio tempore, illo prætextu dare aliquid, nisi solam albam, non audeat attentare.

XVIII. *Vt statuta priorum conciliorum obseruentur.*

Item volumus, & approbante sacro præsenti concilio præcipimus statuendo, quod omnia statuta olim per venerabiles patres Arelatenses archiepiscopos prædecessores nostros, & per nos in conciliis provincialibus edita, in suo robore permaneant, sicut prius.

OBSERVATIO G. COSSARTII S.I.

Subjuncta huic concilio erant alia, provinciæ Arelatensis, ut admonuit præfatio: nempe

1. Concilium Ioannis archiepiscopi Arelatensis celebratum MCC. XXXIV. VI Id. Iul. Locus incertus.
2. Ejusdem concilium secundum, anno M. CC. LI. celebratum Insulæ in Venaissino comitatu, die Martis post festum Exaltationis S. Crucis.
3. Concilium I per Bertrandum Malferrati Arelat. archiepiscopum, anno M. CC. LXX. Idib. Iul. Avenione celebratum.
4. Concilium Florentini archiepiscopi, sine ulla loci ac temporis nota.
5. Concilium a Bertrando de S. Martino, archiepiscopo, Arelate habitum, sine die & anno.
6. Concilium a Bernardo de Anguiscello, qui ex archiepiscopo Arelatensi factus est episcopus Portuensis, cardinalis, celebratum Avenione, anno M CC. LXXIX. XVI. Kal. Iun. die Mercurii ante Pentecosten.
7. Concilium Bertrandi Amalrici, Arelat. archiepiscopi, Avenione habitum, anno M. CC. LXXXII.

Quæ partim edita superius & suos in annos distributa, partim, quia nondum in manus nostras venerant, aut certam temporis non præferebant notam, in appendicem servata sunt.

ANNO CHRISTI 1289.

** SYNODVS CICESTRENSIS

Ex editione Anglicana. Tom. II.

Constitutiones synodales D. Gilberti Episcopi Cicestrensis, lectæ & publicatæ in majori ecclesia Cicestrensi, in festo S. Fidis virginis, in concilio synodali ibidem celebrato, præsidente dicto domino Gilberto Cicestrensi episcopo, anno Domini MCCLXXXIX.

ANNO CHRISTI 1289.

TITVLI CAPITVLORVM.

CAPITVLA.

I. *De vita & honestate rectorum ecclesiarum.*

Rectores ecclesiarum, & alii quibus incumbit regimen animarum, plebes sibi commissas, exemplo bonæ conversationis, verbo exhortationis, in fide recta, & bonis moribus, diligenter instruant & informent. Vt autem liberius & efficacius officium impleant exhortationis, universi animarum curam habentes, ecclesiasticis officiis & aliis bonis studiis se exerceant, orationibus & lectionibus jugiter intendant. Sint pudici, virtutum operatione præclari, humilitate præditi, pacifici, evangelizantes pacem,

ANNO CHRISTI 1289.

annunciantes bona, dissensiones, rixas, & scandala resecantes. Ab illicitis spectaculis se abstineant, & præcipue a duellis, & torneamentis, luctis, & aliis ubi sanguinis effusio poterit formidari: tabernas & inhonesta convivia non frequentent; externarum fugiant consortia fœminarum, & omnium ex quarum cohabitatione sinistra suspicio poterit exoriri.

II. *De incontinentia eorumdem.*

Si quis autem de incontinentiæ vitio graviter diffamatus, non potuerit canonice se purgare: habebitur pro convicto. De convictis vero vel in jure confessis, beneficiorum vel stipendiorum fructus * subtrahantur, donec inde nostram gratiam consequantur. Cæteri in sacris sedibus constituti, juxta modum culpæ, canonice puniantur.

* al. fructus beneficiorum & stipendia

III. *De iis qui corrumpunt filias spirituales.*

Graviori autem sunt animadversione plectendi, qui proprias filias spirituales, quas baptizaverint, vel semel ad confessionem admiserint.

IV. *De rectoribus, qui corrumpunt suas parochianas.*

Et rectores, qui proprias parochianas corrumpere non verentur. Qui, secundum rigorem canonum, ab omni officio deponendi, peregrinando debent XV. annis pœnitere: & postmodum ad monasterium divertere, ac ibidem toto vitæ suæ tempore commorari.

V. *Ut prædicta ad cæteros presbyteros extendantur.*

Hæc autem quæ supra diximus de pœna presbyterorum, qui parochias regunt, ad alios extendi volumus, qui non regunt parochias: cum omnes pari voto continentiæ sint astricti, & omnes deceat par honestas.

VI. *De concubinis presbyterorum.*

Concubinæ vero presbyterorum, vel aliorum clericorum, qui in sacris ordinibus fuerint constituti, de quibus constiterit, per excommunicationis sententiam, ad agendam pœnitentiam compellantur: earumdem absolutione nobis, præterquam in mortis articulo, reservata.

VII. *De iis qui in excommunicatione pertinaciter perseverant.*

Si quis * autem excommunicatione contempta, animo obstinato, in peccato pertinaciter perseveraret *; coerceatur * brachio seculari; & in vita careat communione fidelium; & in morte, ecclesiastica sepultura talibus denegetur.

* al. quæ
* al. perseverent
* al. corripiantur

VIII. *Ne fornicariis, aut de incontinentia diffamatis, parochiæ regendæ committantur.*

Caveant insuper rectores ecclesiarum ne publice * fornicariis sacerdotibus, aut de vitio incontinentiæ convictis, seu diffamatis, parochias regendas committant, seu retineant *: quod si facere præsumpserint, lx. solidorum pœna, convertendorum in fabricam ecclesiæ Cicestrensis noverint se multandos.

* al. publicis
* al. retineant noviter diffamatos

IX. *De vestimentis presbyterorum.*

Sicut vita presbyterorum a vita vulgari debet esse sejuncta: ita decet, ut habitu & incessu a cæteris distinguantur *. Propter quod inhibemus, ne capis manicatis, vel aliis indumentis, levitatis & lasciviæ notam prætendentibus, utantur publice, contra constitutionem S. concilii ultimo apud Lambeth celebrati. Alioquin hujusmodi indumenta, fabricæ ec-

* al. distinguatur

A clesiarum, ubi degunt, vel quibus deserviunt, archidiaconi ministerio, cognitione summaria applicentur.

X. *Quales presbyteri eligendi a rectoribus ecclesiarum.*

Eligant itaque ecclesiarum rectores, presbyteros notæ ordinationis, & conversationis honestæ, potentes opere & sermone; qui exemplo vitæ, & verbo doctrinæ parare Domino valeant plebem perfectam; qui circa correctionem parochianorum vigilent incessanter, & excessus subditorum diligenter investigent, & corrigant quæ fuerint pœnitentialiter & familiariter corrigenda. Excessus autem, qui in publicam prodeunt notitiam sive famam, archidiaconis seu decanis, sive officiariis nostris, sine B mora denuncient rectores seu vicarii, corrigendos: ad quod, juramenti vinculo, antequam ad curam parochiarum accesserint, quasi voto fortissimo astringantur.

XI. *De denunciationibus.*

Ad hæc, præcipimus ut rectores, vel eorum presbyteri, singulis intersint capitulis, & excessus denuncient subditorum, & denunciationes, vocationes, & executiones nostras, seu officiariorum nostrorum, ac alia mandata, recipiant, quæ occurrerint variis temporibus injungenda.

XII. *De mittendis ad pœnitentiarium.*

C Nullus autem ad pœnitentiarios nostros pro aliquo delicto mittatur, de quo interim confessus fuerit, vel convictus. Enormia vero delicta nobis, vel pœnitentiario nostro ad hoc specialiter deputato, præterquam in articulo mortis, reservamus. Litteras autem archidiaconi, decani, vel officiariorum, ad pœnitentiarium, gratis concedi volumus & præcipimus pœnitenti. Et ut liqueat, qualis fuerit pœnitentia, & pro quo crimine specialiter injuncta: pœnitens, litteras pœnitentiarii referat ad mittentem. In singulis autem decanatibus, per capitulum duo eligantur presbyteri, qui moribus & scientia præditi, confessiones audiant sacerdotum.

XIII. *De taxandis stipendiis presbyterorum.*

D Ne per * levitatem stipendiorum, viliores honestioribus, vel imperiti peritioribus præferantur: stipendia presbyterorum unius anni, taxanda duximus quinque marcas, in locis quibus ecclesiarum sunt tenues, sive modicæ facultates. In ditioribus autem ecclesiis, juxta ipsarum facultates, presbyteris volumus & statuimus uberius provideri.

* al. pro levitate

XIV. *De presbyteris præficiendis.*

Rectores ecclesiarum, presbyteros suis ecclesiis non præficiant, donec ipsos archidiaconis, vel ipsorum officiariis repræsentent: de quorum ordine *, vita, & scientia, examinatione habita diligenti, illi qui inventi fuerint idonei, adjuncto tempore, & E stipendiorum quantitate, in rotulum publicum capituli redigantur: minus autem idonei, de quorum vita & ordinatione non constiterit, penitus repellantur. Ordinati vero à non suis episcopis, vel alias irregularitate canonica notati, ad nos mittantur pro gratia, si digni fuerint, obtinenda: si sit casus in quo, ex nostro officio possimus de jure misericorditer dispensare.

* al. ordinatione

XV. *De Divinis officiis rite celebrandis.*

Presbyteri sint seduli ad Divina officia, horis competentibus & statutis in suis ecclesiis celebranda: ne desidia vel negligentia argui sive puniri debeant

ANNO CHRISTI 1289.

debeant a prælatis. Quæ autem tractant vel legunt *, distincte proferant & aperte, non transiliendo, neque transcurrendo, vel syncopando; sed cum debita reverentia, ut ad devotionem excitent mentes seu animos auditorum.

* al. Quæ autem legunt, vel cătant,

A

XVI. *De visitatione infirmorum.*

Infirmos singulis diebus Dominicis vel festivis videant, & visitent diligenter. Caveant autem presbyteri, ne ad visitandum infirmos se exhibeant difficiles, quacunque hora fuerint requisiti. Quod si præsumpserint, canonicam non effugient ultionem: nec, sicut a quibusdam hactenus est præsumptum, mittant cum eucharistia diaconos ad infirmos, dum ipsi vel potationibus, vel aliis voluptatibus carnis vacant, sed personaliter infirmos adeant, & confessiones audiant solerter: crimina & circumstantias criminum investigent, & innotescant infirmis, quæ foret pœnitentia, ac injungant, quod pœnitentiam recipiant cum saluti fuerint restituti, cum pœnitentia non sit infirmis, secundum canones, injungenda.

B

XVII. *De pœnitentiis.*

Pro furtis & rapinis, seu damnis aliis irrogatis, Missarum solennia non injungant, rerum restitutione prætermissa, sicut solet fieri a quibusdam, qui salutem animarum non quærunt, sed compendium temporale: sed ante omnia rem restitui, & damna resarciri præcipiant defraudatis.

XVIII. *Quomodo deferenda ad infirmos eucharistia.*

C

Cum autem in urbibus & villis ubi sitæ sunt ecclesiæ, accedunt cum eucharistia ad visitandum infirmos: pro reverentia corporis Christi, superpelliciis sint induti, cum cruce, lucerna accensa, & campana; clerico, vel alio humiliter præeunte.

XIX. *De sepulturis.*

Ad hæc, firmiter inhibemus, ne communio corporis Christi cuiquam, vel morienti ecclesiastica sepultura, prætextu cujuslibet delicti occulti denegetur.

XX. *Ut nemo, nisi privilegio papæ munitus, audiat confessionem alieni parochiani.*

Nullus presbyterorum, alienum parochianum ad confessionem, vel communionem corporis Christi, præsumat admittere, sine licentia proprii sacerdotis, nisi privilegio audiendi confessiones, a summo pontifice sit munitus. Cum autem a sacerdote licentia petitur alteri confitendi, sacerdos personam designet cui debeat confiteri: ne quispiam tali velamine, nemini confitendo, pœnitentiæ diffugiat sacramentum.

D

XXI. *De sacris liberaliter conferendis.*

Ne autem presbyteri quæstum saluti præferant animarum, tractatum de decimis seu aliis temporalibus in confessionibus non permittant, sed diligenter exponentes confitenti, qualiter debeat confiteri, & quis sit pœnitentiæ fructus, expletis omnibus, tantum demum petant, quæ de decimis vel aliis ecclesiasticis * debebantur.

* al. vel aliis, ecclesiæ debebantur.

E

XXII. *Ut liberaliter detur in Pascha corpus Christi.*

Similiter in sacrosancto die Paschæ, sine ulla exactione decimæ, vel debiti, seu oblationis, liberatur * corpus Christi: ne una manu porrigendo eucharistiam, altera recipiendo pecuniam, nostræ redemptionis mysterium fiat venale. Quod si compertum sit fieri: præcipimus hujusmodi flagitiosum commercium severitate canonica graviter vindicari.

* al. liberaliter conficiant corp.

ANNO CHRISTI 1289.

XXIII. *De legato facto concubinæ clerici.*

Licet legitima testamenta clericorum decedentium velimus firmiter observari: nolumus tamen, quod concubinis suis in testamento suo quicquam relinquant, seu iis donent in extremis, mortifere laborantes. Quod si de cætero factum fuerit, totum illud in pios usus nostro arbitrio convertatur.

XXIV. *De matrimonio & clandestinis desponsalibus.*

Ad hæc, firmiter inhibemus, ne quis alienum parochianum ad matrimonium contrahendum recipiat, nisi tamen ibi ubi vir ejus conversatus fuerit: quin ubi fœmina degit, diligens scrutinium permittatur, & litteras referat sui prælati, quicquid per scrutinium appareat continentes.

XXV. *De matrimoniis clandestinis.*

Fidei donationes domesticas, etiam de matrimonio contrahendo, fieri prohibemus, nisi coram testibus fide dignis, & sub præsentia sacerdotis. Ac laici, qui talibus interfuerint clandestinis contractibus, propter perniciosum exemplum, pœna publica puniantur.

XXVI. *Ut archidiaconi, & alii jurisdictionem habentes, suis finibus sint contenti.*

Volentes autem ut unicuique quod suum est, conservetur legitime: statuimus, ut archidiaconi, & alii qui alicui jurisdictioni præesse videntur, taliter suis finibus sint contenti, ne quid in præjudicium episcopalis dignitatis nostræ, aut possessionis, seu consuetudinis Cicestrensis ecclesiæ, diu obtentæ, & approbatæ, temere audeant attentare.

XXVII. *De visitatione episcopi.*

Volumus etiam & statuimus, quod singulis ecclesiis civitatis Cicestriæ & diœceseos, ad nostram visitationem spectantibus, post susceptionem nostrarum litterarum de visitatione celebranda, omnes causæ integræ tum repertæ, necnon excessus non correcti, nostræ discussioni & correctioni principaliter reserventur.

XXVIII. *De processionibus.*

Quia vero exigentibus culpis nostris, fructus humanis necessitatibus cælesti miseratione provisos frequenter absorbet repentina calamitas tempestatum: orationum suffragiis est Christi misericordia, & precibus piis invocanda. Ideoque singuli presbyteri, cum aeris intemperiem viderint imminentem, non expectato nostro vel archidiaconorum nostrorum mandato, protinus ad processiones * & humiles orationes devotionem excitent subditorum: ne, dum jussionis nostræ autoritas expectatur, ultra quam expediat, deprecatio fidelium, morosa negligentia prorogetur.

XXIX. *De ornamentis ecclesiæ.*

Quia domum Dei decet ornari honore congruo, dicente Psalmista, *Domine dilexi decorem domus tuæ*: præcipimus, in vasis, vestimentis, libris, & aliis ad Divinum ministerium deputatis, ecclesiis honorifice provideri. Item ecclesiasticum fontem baptismalem, & chrisma, sub clavibus, curiosa diligentia & solicitudine custodiri. Si quis vero ea incaute relaxaverit * non signata, tribus mensibus ab officio suspendatur.

Psal. 25.

* al. reliquerit

XXX. *Quid faciendum de pannis chrismalibus.*

Panni etiam chrismales, in usus sæculares, seu profanos, minime convertantur; sed ad manutergia, seu superpellicia, seu pannos cæteros consuendos seu reficien-

ANNO CHRISTI 1289.

ciendos, dispositione discreti * sectoris cum omni reverentia catholica exponantur.

* al. dispositione sacerdotis

XXXI. *De firmis.*

Ecclesias viris religiosis ad firmam dari firmiter inhibemus, & illis præcipue, qui in eisdem obtinent jus patronatus: item multo fortius de laicis quibuscumque. Quod si contra præsumptum fuerit, fructus beneficiorum sequestrentur: & tam dantes quam accipientes, episcopi & * sui officiarii decreto canonico puniantur.

* f. aut

XXXII. *De decimis.*

Decimas autem nullus vendere præsumat, ante tempus, quo inde ex beneficio consuetudinis testandi habeat facultatem: sed nec laicus ullo tempore, donec fuerint a novem partibus separatæ. Indulgemus vero clericis in suis ecclesiis residentibus, aut in nostro servitio admorantibus, aut etiam de nostra licentia, causa studiorum absentibus, ut de fructibus terrarum ecclesiarum suarum, quas propriis sumptibus excolunt atque serunt, quacumque parte anni decesserint, testandi habeant facultatem.

XXXIII. *De vicariis.*

Religiosi, ad vicarias ecclesiarum quas habent in proprios usus, vicarios nobis idoneos præsentent: alioquin taxatione vicariorum præhabita *, de illis curabimus ordinare.

* al. prohibita.

XXXIV. *De pensionibus.*

Neu * conniventia nostra consensum inducat, & taciturnitas pariat culpæ reatum: nos synodali definitione, firmiter injungimus & monemus, ut ecclesiæ, decimæ, pensiones, & alia quæcumque * jura, quæ per vitiosum sunt usurpata ingressum, sine mora salubriter resignentur: cum vitia possessionum a prædecessoribus ad posteros, juxta juris exigentiam, cum suo vitio transmittantur. Et ne supradicta percipiantur, vel exigantur, sub obtestatione Divini judicii, firmiter inhibemus: cum ad paria judicentur, alienum invadere, & illicite detinere.

* al. ne autem conn.

* al. & alia ecclesiastica

XXXV. *De juramento fidelitatis.*

Illum autem abusum reprobamus penitus, quo religiosi a clericis ad beneficia præsentati, ante institutionem obtentam, fidelitatis exigunt juramentum. Qui autem tale sacramentum præstiterunt, beneficiis ipsis noverint se privandos. Nec exactores relinquimus impunitos, cum simoniacam contineant pravitatem.

XXXVI. *De pensionibus.*

Pensiones autem debitas, terminis statutis solvi præcipimus, sub pœna duplici ecclesiæ Cicestrensis fabricæ persolvenda. Simili pœna percelli volumus, qui synodalia, antequam a synodo recesserint, non persolvunt.

XXXVII. *De examinationibus.*

Quia causæ plerumq; matrimoniales, & aliæ, per indiscretos examinatores periclitantur & diutius protrahūtur: volumus, quod in singulis decanatibus, sex vel quatuor fide digni eligantur & discreti, qui testes producendos fideliter examinent, & dicta singulorū integre & fideliter redigant in scripturam: non sicut fieri consuevit, scribendo quod cum aliis concordet, vel per omnia idem dicat, cum talis sit obscuritas reprobanda. Ad hoc se obligent vinculo sacramenti: salario eis ob hoc, moderatione archidiaconi & capituli, constituto.

A

XXXVIII. *De exceptionibus causarum matrimonialium.*

Qui autem in causa matrimoniali falsas exceptiones vel opponunt, vel opponi procurant, vel qui in causa matrimoniali, ubi de exheredatione agitur filii, scienter prohibent testimonium, ut id fieri procurent, vel testes subornant: excommunicationis sententiæ se noverint subjacere.

XXXIX. *De iis qui mentiuntur habitum fratrum, & prædicant turpis lucri gratia.*

Quia, ut a fide dignis audivimus, quidam non veri fratres, nec veraciter de ordine quidem apostolorum

B

existentes, mutatis vicibus, ipsorum fratrum, scilicet apostolorum habitum & tonsuram, similitudinarie portantes, in plerisque ecclesiis & aliis locis nostræ diœcesis, prædicationis, & audiendi confessiones officium præsumptuose exercuerunt, & aliquoties eorum prædicationem, ad quæstum pecuniarium, & aliud lucrum turpe, florido colore subventionis, ad calicem, vel librum, vel aliud ornamentum ecclesiasticum, quo eos egere asserunt, converterunt, & a simplicibus per medium illum extorserunt: volentes ergo nostros subditos, a talibus fraudibus præmuniri, ipsis injungimus, ne tales falsos fratres, vel alios, titulum professionis a sede apostolica non habentes, in suis ecclesiis, vel alibi in suis parochiis, prædicare, vel conciones audire permittant. Et si quid lucri fortasse, pro hujusmodi prædicatione sibi adquisiverunt, illud ad fabricam & opus ecclesiæ, ubi id acceptum fuerit, statim deputare non postponant.

C

XL. *Qui sint excommunicati.*

Excommunicamus autem, qui pacem regis & regni perturbare, aut libertates ecclesiæ seu jura, præcipue hujus sacrosanctæ Cicestrensis ecclesiæ, infringere, ac possessiones ecclesiasticas invadere, aut ad bona ecclesiastica manus impias extendere præsumpserint, in præjudicium ecclesiasticæ libertatis. Item illos qui in beneficia ecclesiastica se intrudunt; & eos qui per laicalem potentiam, seu aliam violentiam, absque consensu seu conniventia prælati loci, ea detinent occupata: illos qui sequestrationem scienter de cætero violant, consimili sententia involventes. Eadem sen-

D

tentia etiam omnes illos innodamus, qui mandata regia pro coercendis excommunicatis a quibuslibet impetrata, gratia vel odio * alicujus personæ, seu alia causa, exequi malitiose differunt vel * evitant. Omnes etiam incendiarios, ecclesiarum fractores, veneficos * & veneficas, vacantes imprecationibus, magos, & hæc fieri procurantes, & qui immunitatem ecclesiæ violaverint, denunciamus excommunicationis sententiam incurrere ipso facto.

* al. velodio, seu lucri causa exequi

* al. diff. vel omittunt.

* al. veneficos, & magicis incantionibus utentes, & hæc fieri procurātes,

XLI. *De sententia excommunicationis.*

E

Prohibemus etiam, ne excommunicationis sententia in genere pro damnis vel injuriis proferatur in genere, quotiens dignosci poterit, quis adversus quem habeat actionem: nisi evidens utilitas id exposcat. Excommunicamus etiam omnes illos, qui odii vel lucri causa aliis crimina falsa imponunt, pro quibus mors, vel exilium, aut membrorum mutilatio, vel exheredatio, seu bonorum expoliatio, sequi debeat, si judicialiter convincantur. Istasque generales sententias in singulis parochialibus ecclesiis, per earum sacerdotes, sub pœna suspensionis a Divinis, præcipimus, quater in anno lingua materna publicari parochianis, distincte & aperte: videlicet Dominica in Adventu Domini, Dominica in medio Quadragesimæ, Dominica proxima

ANNO CHRISTI 1288.

xima ante festum Nativitatis Ioannis Baptistæ, & Dominica proxima ante festum S. Michaelis. Qui vero, ad defamationem alterius quid proponit, quod mores sugillet, nisi hoc probare valuerit, canonice puniatur: & ita injuriam passo, pro modo culpæ, satisfacere compellatur. Hæc autem salubria statuta, in singulis decanatibus ª, proximis capitulis post singulas synodos recitentur, & per illos qui capitulis præerunt, in singulis articulis exponantur, & ad eorum observantiam per censuram ecclesiasticam singuli districtius compellantur. Hæc autem, & a singulis libertatem prætendentibus districtius observari, & in suis capitulis publicari ᵇ.

ª *al.* in sing. decan. singulis capitulis generalibus quater in anno recitentur.
ᵇ *Deesse videtur* præcipimus.

A

ANNO CHRISTI 1289.

** CONCILIUM VIENNENSE,

Ex Gallia Christiana discimus, a Guillelmo de Valentia, Viennensi archiepiscopo, habitum esse provinciale concilium, die festo S. Lucæ ann. Dom. MCCLXXXIX. cui interfuerunt Ioannes Valentinensis & Diensis, Hugo Vivariensis, G. Gratianopolitanus, & Aymo Maurianensis, episcopi.

ANNO CHRISTI 1290.

** CONCILIUM NUGAROLIENSE,

Ab Auscitanæ provinciæ episcopis celebratum, præside Amaneo de Armaniaco, hujus nominis secundo, anno Domini MCCXC.

Nunc primum prodit ex amplissima bibliotheca illustrissimi archiepiscopi Remorum coadjutoris, Mauritii Tellerii.

TITULI CAPITULORUM.

PRÆFATIO.

Notum sit omnibus quod ann. Dom. MCCXC. die sabbati, post festum Assumptionis beatæ Mariæ virginis, venerabilis A ª. Dei gratia archiepiscopus Auscitanus, assistentibus apud Nugarolium in concilio provinciali venerabilibus fratribus nostris, Coseranensi, Olorensi, Tarbiensi, Lascuriensi, Adurensi, & sanctæ ᵇ Quiteriæ, episcopis, & vicariis ecclesiæ Convenarum, sede vacante, & procuratoribus aliorum suffraganeorum nostrorum ecclesiæ Auscitanæ, necnon cum procuratoribus omnium capitulorum, ecclesiarum cathedralium, collegiatarum ipsius provinciæ, & abbatibus Pessani, & Reulæ ᶜ Silvestrensis, & pluribus prioribus, præceptoribus, archipresbyteris, & aliis ecclesiarum prælatis diœcesis & provinciæ prædictarum, fuit concorditer ordinatum.

ª Amaneus
ᵇ Vasatensi
ᶜ *Corr.* Regulæ

ANNO CHRISTI 1290.

CANONES.

I. *Ut comes Fuxi restituat episcopo Lascuriensi civitatem Lascuriensem, & alia.*

Quod super violentia & spoliatione facta præfato episcopo & ecclesiæ Lascuriensi, moneatur nobilis vir & comes Fuxi & uxor ejus, & eorum cũt ª in Bearnio, per Tarbiensem & Olorensem episcopos, quod infra quindecim dies post monitionem ipsorum, restituant dicto episcopo Lascurensi civitatem Lascurensem, & castra, ac loca, & alia bona, in monitione super hoc confecta, contenta: alioquin excommunicationis sententia sint ligati. Et quod ad perpetuam rei memoriam inter statuta provincialia scribatur, ut si in futurum per aliquos principes contemptentur ᵇ similia, contra ipsos modo simili procedatur.

ª *f.* civitate
ᵇ *Corr.* attententur

B

II. *Excommunicatio in ....*

Sententia excommunicationis delata dudum in ª rectores manifestos provinciæ Auscitanæ, sit ratificata & confirmata.

ª *f.* raptores, *vel* retentores, cursi nempe, quæ prædicta sunt, *vel* rectores, manifestos concubinarios.

C

III. *De abusoribus litterarum.*

Quia per usum ª litterarum multi vexantur & affliguntur laboribus & expensis: in prædicto concilio extitit constitutum, quod tam clerici, cujuscumque conditionis aut status existant, qui litteris apostolicis abutuntur, vel litteris legatorum sedis apostolicæ, videlicet utendo falsis litteris scienter; vel qui litteras nomine suo vel nomine ecclesiæ suæ impetratas tradunt aliis pro adversariis fatigandis, & qui eas ad sic utendum recipiunt, & qui litteris vocatis, *ea quæ de bonis*, utuntur contra aliquos, contra quos de jure, secundum formam ipsarum, dictæ litteræ non procedunt vel possunt extendi, vel aliis litteris apostolicis generalibus, sententiam excommunicationis incurrant: & judices, qui scienter aliquos sic faciunt per suas litteras fatigari.

ª *Corr.* abusũ

D

IV. *Excommunicatio sortilegorum.*

Quoniam sortilegia idololatriæ comparantur, per quam animæ damnabiliter decipiuntur: omnes sortilegi fuerunt in dicto concilio excommunicationis sententia innodati.

E

V. *De sententia excommunicationis, & de leprosis.*

Fuit in dicto concilio institutum, quod clericus aut religiosus, cujuscumque conditionis aut status existat, qui clericum aut religiosum super actu particulari, vel super cri-

ANNO CHRISTI 1290.

crimine, in judicium vocari seu citari fecerit coram judice sæculari, excommunicationis sententiæ subjaceat ipso facto; & vocato seu sic citato de expensis & interesse satisfacere teneatur. Item quod leprosi super actionibus personalibus non conveniantur coram judicibus sæcularibus: & si conventi fuerint, non teneantur respondere coram ipsis: & ad interesse teneantur eisdem, qui eos sic procuraverint conveniri: & nihilo minus judices sæculares compellantur per censuram ecclesiasticam, ne ipsos super talibus actionibus respondere compellant. Item quod leprosi eundo ad villas, & per villas, & ad castra, signum portent consuetum in veste superiori, & non intrent nundinas vel mercata: alioquin quinque solidis currentis monetæ mulctentur, ordinario applicandis.

VI. *Diversæ pœnæ quicumque episcopum invaserit.*

Quia quod contra prælatos agitur, facile in subditos derivatur: dignum est, ut perpetrata contra ipsos emendatione debita corrigantur, ne concussis columnis ecclesiæ, ædificium diruatur. Idcirco statuimus, quod quicumque episcopum hostiliter malitiose cum armis fuerit insecutus, invaserit, percusserit, vel ceperit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, aut factum ratum habuerit, aut consilium dederit vel favorem, aut postea receptaverit aut defensaverit scienter: ejusdem excommunicationis sententiam incurrat ipso facto, a qua nequeat, nisi in articulo mortis, nisi a nobis vel a summo pontifice, liberari. Et si in mortis articulo quis absolutus fuerit, corpus sepultura Christiana*, donec de præmissis satisfecerint competenter. Nec ad tonsuram admittantur:* in domibus regularibus, alicujus prælationis sequantur* honorem. Si secus factum fuerit, sit irritum ipso facto, & omnibus feudis, locationibus, arrendationibus ecclesiarum, & beneficiis quæ ab ecclesia & monasteriis obtineant* in provincia, ipso jure perpetuo sit privatus, quæ ad ipsas ecclesias ipso facto libera revertantur. Et quod si quis prædictorum, filium vel filios habeat, beneficiatum, vel beneficiatos, quovis beneficio sit eo ipso privatus, spe promotionis eo ipso omnino sublata. Dentur cuncta eorum ædificia in ruinam, & nullo tempore reparentur. Et sit infamis perpetuo: & tam insecutor, quam alii supradicti, tanti mali participes, quamdiu in sua malitia perdurabunt, singulis diebus Dominicis & festivis, pulsatis campanis & candelis extinctis, per omnes illius loci ecclesias, in quo tantum facinus fuerit attentatum, & diœcesum vicinarum, ex-

* Deest privetur,
* Deest nec
* f. consequantur
* Corr. obtinebãt .... sint privati

A communicati publice nuncientur. Et loca ubi perpetrata prædicta fuerint, & ubi prædicta delinquentes hujusmodi recepti fuerint, usque ad congruam satisfactionem ecclesiastico subjaceant interdicto. In aliis quibuscumque locis, quamdiu ibi fuerint, cessetur omnino a Divinis, præter in casibus a jure permissis, & aliis pœnis super hoc vel concilia jure statutum nihilo minus in suo robore duraturo.

Mendosus locus, sed tamen intellectu facilis.

VII. *Idem in abbatibus & clericis.*

B Idem fit in abbatibus, prioribus, archidiaconis, canonicis ecclesiarum cathedralium, rectoribus: exceptis tribus pœnis, scilicet quod filii talium non perdent habita beneficia; & quod sua ædificia non dentur in ruinam; & quod non admittantur ad sacros ordines, tonsuram, vel beneficia ecclesiastica, nec ad honorem prælationis in domibus regularibus.

VIII. *De sententia excommunicationis cum interdicto.*

C Statuimus, quod si quis, vel si quæ, violenter occupaverit bona vel res ecclesiasticarum personarum, vel retinuerit occupata, vel mandaverit, vel suo nomine factum, ratum habuerit, vel consilium vel auxilium ad hoc dederit: ipso facto sit excommunicationis vinculo innodatus: & loca ubi fit violentia, vel ad quæ reducuntur, usq; ad satisfactionem condignã sint ecclesiastico interdicto supposita. Si castra, villa, vel locus ecclesiæ, vel monasterii, vel ecclesiasticarum personarum, occupentur: quamdiu stabit injuria, sit ipse locus suppositus ecclesiastico in-
D terdicto, & omnia loca terræ taliter occupantium, vel mandantium, vel ratum habentium, nisi requisiti infra octo dies emendaverint, usque ad condignam satisfactionem, ipso facto, ecclesiastico subjaceant interdicto.

IX. *Quod requisiti cessent a Divinis.*

Addimus quod rectores ecclesiarum, dum fuerint requisiti* personas ecclesiasticas vel
E clericos damnum passos de præmissis, cessent a Divinis, & servent contenta superius ex tempore*, nullo alio mandato a superiore suo expectato.

* Corr. per personas
* scriptum erat expre

X. *Excommunicatio contra infringentes libertatem ecclesiæ.*

Ad evitandum animarum periculum, & ecclesiarum indemnitatibus Auscitanæ provinciæ providendum, omnes & singulos utriusque sexus, cujuscumque dignitatis, conditionis, aut status existant, qui contra ecclesiæ libertatem, immunitatem, juxta* jurisdi-

* f. jura

ANNO CHRISTI 1288.

jurisdictionem & privilegia ejusdem, sive consistant * de spiritualibus, & temporalibus, modis quibuscumque acquisita, vel contra laudabiles consuetudines erga ipsas ecclesias pia devotione fidelium introductas venire nituntur, ipsa usurpando, aut ipsis ecclesiis & personis ecclesiasticis onera, præsertim gravia, imponere, aut contra præmissa, vel aliquod eorumdem, statutum, ordinationem, colligationem, conspirationem, confœderationem, pacta, promissiones inter se, clam vel palam, directe vel indirecte, jure "vel facere, super conciliis" expensas, vel sumptuum contributionem, vel alias quoquo modo adinvicem factis vel faciendis, perpetuo vel ad tempus: necnon omnes & singulos, cujuscumque conditionis aut status existant, qui prælatos, ecclesias, monasteria, capitula, collegia, vel conventus, seu alias personas ecclesiasticas, ad submissiones sibi faciendas bonorum immobilium, seu jurium ipsarum ecclesiarum, hactenus compulerunt, quocumque quæsito colore seu modo, vel alias quomodolibet, nisi infra duos menses a tempore hujusmodi inchoandos, de prædictis satisfecerint ecclesiis competenter, ipsa bona in pristinum diviserint, vel de cætero personas ecclesiasticas ad hujusmodi submissiones, ut præmittitur, faciendas compulerint, & quoscumque dantes in prædictis vel aliquo prædictorum, consilium, auxilium vel favorem, singulas personas, excommunicationis, collegia & universitates, interdicti sententiis ipso facto decernimus subjacere. Prælati vero, religiosi, clerici, & personæ ecclesiasticæ, qui vel quæ præsentem constitutionem, & alia jura super hoc edita non servaverint, pœnas super hoc inflictas ipso facto noverint incurrisse. Præsentem autem constitutionem per suffraganeos nostros in suis synodis semel, & per rectores ecclesiarum in suis ecclesiis quolibet anno, sub pœna ingressus ecclesiæ, quam, non parendo, ipso facto incurrant, præcipimus publicari.

" Corr. inire
" Corr. super communibus expensis, vel sumpt. contributione,

XI. *Interpretatio cuiusdam statuti.*

Sacro approbante concilio " statutum nostrum olim editum in concilio Nogarolensi quod incipit. Statuimus quod si quis vel „ si quæ violenter occupaverint bona, res ec„ clesiæ, vel ecclesiarum parochialium, vel „ retinuerint occupata, &c. declaramus, omnes & singulos utriusque sexus, qui post dictum statutum, bona, jura, vel res ecclesiarum, quæ eisdem competunt vel debentur, de consuetudine vel de jure, quoad proprietatem vel possessionem, aut quoad utrumque, qui retinuerint, requisiti occupaverint ea, subtraxerint prædicta, vel aliquod prædictorum, ipsis ecclesiis vel personis ecclesiasticis: ipso facto in pœnas dicti statuti incidisse. Mandantes dictas pœnas in dictis personis & locis, usque ad congruam satisfactionem, inviolabiliter observari.

" deest confirmantes, aut aliquid simile.

XII. *Excommunicatio contra occupantes bona uel res ecclesiarum.*

Statuimus quod quicumque utriusque sexus, bona, res, vel jura ecclesiarum, quæ eisdem de jure vel consuetudine competunt vel debentur, quoad possessionem vel proprietatem, conjunctim vel divisim, occupaverint, vel retinuerint requisiti, vel in præmissis dederint consilium vel favorem, eo ipso excommunicationis sententiam incurrant. Si autem domini locorum, vel eorum locum tenentes, consules, jurati, prædicta faciunt, ubi prædicta facta fuerint, vel aliquod de prædictis: nisi fecerint dari, restitui, vel emendari, requisiti, ipso facto sint suppositi ecclesiastico interdicto.

** CONCILIUM PARISIENSE.

ANNO CHRISTI 1290.

Ex chronico S. Dionysii, edito a doctissimo & religiosissimo viro R. P. Luca Dacherio Benedictino.

MCC. XC. Hoc anno missi fuerunt a curia Romana duo legati in Franciam, quorum nomina, domnus Girardus, & domnus Benedictus, qui convocatis omnibus prælatis ejusdem regni, tenuerunt concilium in ecclesia B. Genovefæ Parisius. *Hactenus chronicon.*

CONCILIUM SALTZBURGENSE

ANNO CHRISTI 1291.

de Hospitalariorum, Templariorum & Teutonicorum ordinibus conjungendis, celebratum anno Domini M. CC. XCI. tempore Nicolai papæ quarti.

Qua occasione hæc synodus indicta, quidque in ea gestum fuerit, Eberhardus hujus temporis scriptor in suis annalibus, apud Henrici Canisii primum tomum editarum antiquitatum extantibus, ita describit: Anno millesimo ducentesimo nonagesimoprimo, civitas Akaron, quam solum habebant Christiani in terra sancta, obsessa est per Soldanem Babylonensem, & per quadraginta dies & noctes sine intermissione impugnata, capta est, & ibidem multa Christianorum millia & capta sunt & occisa: aliqui autem per navigium fugerunt. Et quia multorum erat opinio, quod si fratres domorum ibidem, scilicet Hospitalarii, Templarii, & Teutonici, & reliquus populus omnino concordasset, civitas capta non fuisset: mandavit papa Nicolaus omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & aliis prælatis, ut concilia provincialia celebrarent, & deliberarent qua ope vel consilio eidem terræ possit subveniri. Et per concilium habitum Saltzburgæ, rescriptum fuit domino papæ & consultum, ut prædicti tres ordines counirentur ad unum ordinem, melioribus eorum observantiis in unum redactis: & quod ad succursum ejusdem terræ sanctæ, rex Romanorum cum principibus vocaretur. Qui nuncii antequam venissent ad curiam, papa mortuus est: & sic hoc negotium remansit infectum. *Hæc Eberhardus.*

Quæ sequuntur statuta Chunradi Saltzburgensis

ANNO CHRISTI 1291.

archiepiscopi, accepit Binius a Gretsero manuscripta, & in tomi tertii appendice collocavit. Cumque concilii locum aut tempus designatum non haberent, huic attribuenda concilio duxit.

Hæ sunt constitutiones domini Chunradi, venerabilis archiepiscopi ecclesiæ Saltzpurgensis.

I. *De contractibus matrimonialibus.*

Contractibus matrimoniorum, qui nonnunquam contra eorundem honestatem, ac juris prohibitionem, in grave animarum periculum clandestine celebrantur, salubriter occurrere cupientes: prioribus statutis super hoc editis adjicimus, & de consilio sacræ synodi statuentes, irrefragabiliter ordinamus, ut quandocumque sponsalia seu matrimonia contrahuntur, non minus quam sex personæ honestæ, ac fide dignæ, de vicinia & saltem parochia amborum, vel alterius contrahentium, aut loci in quo contractus agitur, inter quas ad minus tres virilis sexus habeantur. Et in ipso contractu debent pro testibus adhiberi, quæ non sunt de contrahentium familia, vel eisdem in una domo cohabitantes, seu domus, in qua fit contractus hujusmodi, inquilinæ. Quod si secus fuerit attentatum, contrahentes, operam dantes, sive scienter præsentiam exhibentes, & sponte in suis domibus hæc fieri patientes, sententiam excommunicationis, quam & in his scriptis in eos ferimus, incidant ipso facto; in quos etiam alias [a], pro justo nostri motus arbitrio, animadverti pœna, quæ plus timeatur, volumus & debemus. quam sententiam absolutionis nobis duximus reservandam. Volumus etiam, ut post contracta quocunque modo sponsalia, vel matrimonia, ipsi contrahentes, vel aliqui de ipsorum mandato speciali, contractum hujusmodi infra mensem, a die ejusdem numerandum, plebano vel plebanis ipsorum contrahentium, seu, si copia ipsorum haberi non poterit, vicariis eorundem, duabus vel tribus personis idoneis præsentibus, debeant publicare. Contravenientes, sententia excommunicationis, quam in his scriptis pronunciamus, involvi volumus ipso facto, alias, pro excessus gravitate, per nos acrius puniendos: eorundem absolutione nobis libere reservata.

[a] Corr. alia

II. *De clericis officialibus.*

Juris vestigiis inhærentes, in hac sacra synodo denunciamus publice, & sub pœna clericalis privilegii prohibemus, ne clerici religiosi vel sæculares, cujuscumque ordinis, vel prælaturæ, procurationes sæculares, sub quibuscumque principibus, vel aliis laicis assumant, seu ante assumptas retinere præsumant: ne sub nomine pignoris, vel quocumque colore quæsito, sint actores, procuratores, conductores, justitiarii, vicecomites, præpositi, administratores, officiales, quocumque vocentur nomine, in civilibus, vel ministri: quia nemo militans Deo se debet negotiis sæcularibus implicare. Si qui vero juris & nostræ prohibitionis transgressores, hæc vel aliquid horum de novo assumpserint, seu ante assumpta non deposuerint statim, per omnia, & in totum: ipso jure sententiam excommunicationis incurrant, absolutione nobis, si digne pœnituerint & satisfecerint, reservata. In qua excommunicatione si per mensem animo persistiterint indurato, ipsos ex tunc a beneficiis, dignitatibus, personatibus, & administrationibus ecclesiasticis quibuscumque, ac omni privilegio clericali, exutos & privatos esse volumus ipso facto, nec ad ea vel similia in posterum aliquatenus admittendos: punitionem illorum, qui ante hanc nostram ordinationem (quam extra Salisburgensem, Chiemensem, Boumbergensem, Gaizensem archidiaconatus extendi ad præsens volumus) hujusmodi prohibita illicite gerere præsumpserint, nostræ districtionis judicio reservantes.

III. *De secta vagorum scholarium.*

Licet contra quosdam sub vagorum scholarium nomine discurrentes, scurriles, maledicos, blasphemos, adulationibus importune vacantes, qui se clericos in vituperium clericalis ordinis profitentur, nonnulla pio zelo pro salubri eorum correctione emanaverint instituta: ex his tamen nullus fructus aut modicus jam provenit. Publice nudi incedunt, in furnis jacent, tabernas, ludos, & meretrices frequentant, peccatis suis victum sibi emunt, inveterati sectam suam non deserunt: sic ut de eorum correctione nullus remaneat locus spei. Ideoque prioribus statutis pro salute animarum suarum, quam quærimus, salvis: adjicimus & denunciamus in hac sacra synodo, sub pœna privilegii clericalis publice prohibentes, ne quis sectam vagorum scholarium reprobatam assumat, seu in ea permaneat, vel eam exercere præsumat. Alioquin eos, qui hujusmodi sectam ante hanc nostram constitutionem temere assumptam, infra mensem, a tempore promulgationis ejusdem constitutionis numerandum, penitus non dimiserit, & illos, qui nunc assumere præsumpserint, ipso facto statim omni privilegio clericali exui præcipimus & nudari: volentes, ut quandocumque a monasteriis, ecclesiis, vel clericis, cujuscumque rei importuni aut violenti fuerint exactores, ipsis eosdem liceat nostra autoritate capere, invocato ad hoc, si opus fuerit, brachio sæculari. Et eos captos nobis vel archidiaconis nostris assignari volumus, nostro carceri, ut nobis videbitur, includendos: ut sic reatus omne excludat privilegium in his, quos vilitas vitæ eo nec frui patitur, nec gaudere.

CONCILIUM LONDINENSE

De ejectione Judæorum, habitum anno Christi MCCXCI. tempore Nicolai papæ IV.

ANNO CHRISTI 1291.

De rebus in hac synodo gestis ita Bzovius: Bernhardo episcopo Grossetano, sedis apostolicæ legato, in Anglia nondum præsente, Londini ad VVestmonasterium celebratum est concilium. In hoc, in primis agitatum est de ejectione Judæorum, quorum erat per omnem Angliam ingens multitudo: quo sic oves ab hœdis segregarentur. Itaque publico jussum est edicto, ut infra paucos dies omnes abirent cum bonis. Illi jussis concilii parentes, alii alio discesserunt. Ita profuga gens de Anglia in perpetuum exivit, misera semper alicubi terrarum peritura, usque eo dum denique deleatur. Eodem in concilio Eduardus exposuit se cupere ire auxilio Christianis in Asiam: & quia res ad religionem pertinebat, voluit ut sacerdotes pecuniam suppeditarent. Postremo placuit regi, similiter atque principibus, illud injurium jure iterato statuere, ne cui hominum liceret dare prædia collegiis monachorum: neve liceret monachis, aut aliis sacerdotibus, emere possessiones. Supervenit tandem legatus, & una cum Joanne Beccano archiepiscopo Cantuariensi sibi adjuncto, regem iniquitatis atque impietatis redarguit, legemque abrogare, & ecclesiis, ecclesiasticisque rebus ac personis, libertatem restituere coegit.

CONCI-

ANNO CHRISTI 1291.

CONCILIUM MEDIOLANENSE,

Pro auxilio Terræ sanctæ ferendo congregatum anno Domini MCCXCI. tempore Nicolai papæ IV.

Acta hujus concilii ex Bernardo Corio Bzovius in annalibus describit summatim his verbis: Ad diem vigesimumseptimum mensis Novembris hujus anni, Otto archiepiscopus, Mediolani in ecclesia sanctæ Teclæ, synodo provinciali episcoporum & universi cleri congregata, multa ad ecclesiasticam disciplinam revocandam constituit, ac fratre Stephanardo ordinis Prædicatorum verba ad omnes faciente, plurimos Christi fidelium, ad auxilia terræ sanctæ a Saracenis oppressæ, autoritate summi pontificis cruce signavit. Dedit insuper istud salubre summo pontifici consilium, ut milites Hierosolymitani una cum Templariis & Teutonicis in unum ordinem congregarentur, iisdem institutis viverent, & unitis armis contra barbaros dimicarent: præfecto copiis Crucesignatorum, rege Galliarum. *Bernardus Carius historia Mediolanensis p. 2.*

SEDES VACANS.

ANNO CHRISTI 1292.

CONCILIUM ASCHAFFENBURGENSE

Provinciale, sub præsidio Gerardi Moguntini archiepiscopi celebratum anno Dom. MCCXCII. post obitum Nicolai papæ quarti, tempore interregni pontificii.

De hoc concilio ita Trithemius in chronico Hirsaugiensi: Anno præscripto Gerardus archiepiscopus Moguntinus synodum provincialem suffraganeis & prælatis suis in Aschaffenburg celebrandam indixit, ubi convenerunt episcopi Eistetensis, Spirensis, Augustensis, Herbipolensis, Bambergensis, Hildesheimensis, & Vvormatiensis, cum aliis multis abbatibus, præpositis, decanis, atque presbyteris, qui multa & varia in negotiis ecclesiasticis utilia statuerunt.

ANNO CHRISTI 1292.

** SYNODUS CICESTRENSIS.

Ex tomo II. collectionis Anglicanæ.

Statuta & adjectiones domini Gilberti Dei gratia Cicestrensis episcopi, publicata in majori ecclesia Cicestrensi, in synodo ibidem celebrata, in die S. Callisti papæ, anno Domini MCCXCII.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ne animalia ponantur in cœmeteriis ad pascendum.*
2. *Quod in oblationibus devotio populi non restringatur.*
3. *Excommunicati sunt ipso facto detentores decimarum.*
4. *Quod parochiani silentes audiant Missam.*
5. *Quod sepulturæ non fiant in ecclesiis & cancellis.*
6. *Ne trunci erigantur in ecclesiis sine episcopi licentia.*
7. *Ut hæ constitutiones quater in anno publicentur.*

CAPITULA.

I. *Ne animalia ponantur in cœmeteriis ad pascendū.*

Licet humana fragilitas quemlibet ad affectandum & assequendum bona temporalia diversis malis * [*f. modis*] A alliciat: ad hoc tamen homini a Deo datur discretio, ut eum auditus huius, maxime per ea quæ honestatem decent, a rationis tramite per devium non abducat. Cum ergo ecclesiarum sanctuaria, quæ populariter cœmeteria nominantur, sicut frequenter nostris auribus inculcatur, nec tantum per laicorum, verum etiam, quod detestabilius est, per rectorum, vicariorum, & sacerdotum parochialium, cupiditatem nefariam, porcis, equis, bobus, ovibus, & aliis animalibus, sub prætextu herbagii inibi crescentis, Dei & ecclesiæ reiecta reverentia conculcentur; & sanctorum forte corpora, quorum aliqua in iisdem cœmeteriis fas est credere sepeliri, execrabili effossione fœdentur (quod præsertim defunctorum parentibus & amicis merito cedere poterit in horrorem.) Nos igi- B tur, tantæ temeritatis & detestandæ cupiditatis audaciæ frænum moderaminis volentes imponere, sub Divinæ & nostræ maledictionis interminatione duximus * [*al. præcipimus statuendo.*] statuendum: ne quis litteratus, vel laicus, talia deinceps attentare præsumat: hoc tantum adiecto moderamine, quod rectoribus, vicariis, & sacerdotibus parochialibus, quibus non est aliunde pastura sufficiens, tempore quo agnos suos colligunt decimales; & ab illo tempore, tantummodo per quindenam, liceat eosdem agnos immittere nutriendos. Quod si forte secus contigerit fieri, ex contemptu, vel per negligentiam, aut malitiam eorum, quibus parochiali consuetudine claudendi cœmeterium, divisim vel coniunctim onus incumbit: ipsos, qualitercumque status C conditione præfulgeant, domino rege & eius liberis dumtaxat exceptis, a tempore notificationis præsentis statuti, excommunicationis sententiæ tamdiu volumus subiacere, quousque terminos vel limites clausuræ cœmeterii, qui ipsos contigerint, refecerint competenter.

II. *Quod in oblationibus devotio populi non restringatur.*

Habet hoc proprium antiqui hostis invidia, ut, ipso suadente, frequenter ea quæ ad animarum remedium pertinent & salubriter ordinantur, per malorum machinationes in noxam miserrime permutentur. Quod & his temporibus, (utinam futuris sæculis reserva- D tis) in hac nostra diœcesi, proh dolor! vulgariter asseritur inveniri: dum quidam maledictionis filii, in nubentium solenniis, in mulierum purificationibus, & aliis, in quibus ipse Deus in ministrorum suorum personis oblationum solebat libamine præclare * [*al. populariter hon.*] honorari, ad unius oblationem denarii devotionem populi restringere sunt moliti; residuum oblationis fidelium, suis, pro libito, vel alienis, usibus applicantes. Diversorum igitur his damnabilibus consiliis, salubre repagulum opponere cupientes, & in ipsos qui non resipiscunt, laqueum injicere, quem miseris misere tetenderunt: nil novum statuentes, sed antiquorum canonum sancita in medium deducentes, universos & * [*al. univ. hujusmodi inst.*] singulos instigatores, per quorum ne- E fanda consilia, ecclesiis, vel ipsarum rectoribus, vicariis, aut ministris ipsius, quicquam subtrahetur honoris vel commodi consueti, synodi declaratione præsentis pronunciamus, vinculo excommunicationis, ex concilio Oxoniensi damnatos, & involutos: reservata nobis absolutione eorum præterquam in mortis articulo, quousque ministerio in contrarium laborante, ecclesiis devotio popularis fuerit efficaciter restituta.

ANNO CHRISTI 1291.

archiepiscopi, accepit Binius a Gretsero manuscripta, & in tomi tertii appendice collocavit. Cumque concilii locum aut tempus designatum non haberent, huic attribuenda concilio duxit.

Hæ sunt constitutiones domini Chunradi, venerabilis archiepiscopi ecclesiæ Saltzpurgensis.

I. *De contractibus matrimonialibus.*

CONtractibus matrimoniorum, qui nonnunquam contra eorundem honestatem, ac juris prohibitionem, in grave animarum periculum clandestine celebrantur, salubriter occurrere cupientes: prioribus statutis super hoc editis adjicimus, & de consilio sacræ synodi statuentes, irrefragabiliter ordinamus, ut quandocumque sponsalia seu matrimonia contrahuntur, non minus quam sex personæ honestæ, ac fide dignæ, de vicinia & saltem parochia amborum, vel alterius contrahentium, aut loci in quo contractus agitur, inter quas ad minus tres virilis sexus habeantur. Et in ipso contractu debent pro testibus adhiberi, quæ non sunt de contrahentium familia, vel eisdem in una domo cohabitantes, seu domus, in qua fit contractus hujusmodi, inquilinæ. Quod si secus fuerit attentatum, contrahentes, operam dantes, sive scienter præsentiam exhibentes, & sponte in suis domibus hæc fieri patientes, sententiam excommunicationis, quam & in his scriptis in eos ferimus, incidant ipso facto; in quos etiam alias [a], pro justo nostri motus arbitrio, animadverti pœna, quæ plus timeatur, volumus & debemus: quam sententiam absolutionis nobis duximus reservandam. Volumus etiam, ut post contracta quocunque modo sponsalia, vel matrimonia, ipsi contrahentes, vel aliqui de ipsorum mandato speciali, contractum hujusmodi infra mensem, a die ejusdem numerandum, plebano vel plebanis ipsorum contrahentium, seu, si copia ipsorum haberi non poterit, vicariis eorundem, duabus vel tribus personis idoneis præsentibus, debeant publicare. Contravenientes, sententia excommunicationis, quam in his scriptis pronunciamus, involvi volumus ipso facto, alias, pro excessus gravitate, per nos acrius puniendos: eorundem absolutione nobis libere reservata.

[a] Corr. alia

II. *De clericis officialibus.*

JUris vestigiis inhærentes, in hac sacra synodo denunciamus publice, & sub pœna clericalis privilegii prohibemus, ne clerici religiosi vel sæculares, cujuscumque ordinis, vel prælaturæ, procurationes sæculares, sub quibuscumque principibus, vel aliis laicis assumant, seu ante assumptas retinere præsumant: ne sub nomine pignoris, vel quocumque colore quæsito, sint actores, procuratores, conductores, justitiarii, vicecomites, præpositi, administratores, officiales, quocumque vocentur nomine, in civilibus, vel ministri: quia nemo militans Deo se debet negotiis sæcularibus implicare. Si qui vero juris & nostræ prohibitionis transgressores, hæc vel aliquid horum de novo assumpserint, seu ante assumpta non deposuerint statim, per omnia, & in totum: ipso jure sententiam excommunicationis incurrant, absolutione nobis, si digne pœnituerint & satisfecerint, reservata. In qua excommunicatione si per mensem animo perstiterint indurato, ipsos ex tunc a beneficiis, dignitatibus, personatibus, & administrationibus ecclesiasticis quibuscumque, ac omni privilegio clericali, exutos & privatos esse volumus ipso facto, nec ad ea vel similia in posterum aliquatenus admittendos: punitionem illorum, qui ante hanc nostram ordinationem (quam extra Salisburgensem, Chiemensem, Boumbergensem, Gaizensem archidiaconatus extendi ad præsens volumus) hujusmodi prohibita illicite gerere præsumpserint, nostræ districtionis judicio reservantes.

III. *De secta vagorum scholarium.*

LIcet contra quosdam sub vagorum scholarium nomine discurrentes, scurriles, maledicos, blasphemos, adulationibus importune vacantes, qui se clericos in vituperium clericalis ordinis profitentur, nonnulla pio zelo pro salubri eorum correctione emanaverint instituta: ex his tamen nullus fructus aut modicus jam provenit. Publice nudi incedunt, in furnis jacent, tabernas, ludos, & meretrices frequentant, peccatis suis victum sibi emunt, inveterati sectam suam non deserunt: sic ut de eorum correctione nullus remaneat locus spei. Ideoque prioribus statutis pro salute animarum suarum, quam quærimus, salvis: adjicimus & denunciamus in hac sacra synodo, sub pœna privilegii clericalis publice prohibentes, ne quis sectam vagorum scholarium reprobatam assumat, seu in ea permaneat, vel eam exercere præsumat. Alioquin eos, qui hujusmodi sectam ante hanc nostram constitutionem temere assumptam, infra mensem, a tempore promulgationis ejusdem constitutionis numerandum, penitus non dimiserit, & illos, qui nunc assumere præsumpserint, ipso facto statim omni privilegio clericali exui præcipimus & nudari: volentes, ut quandocumque a monasteriis, ecclesiis, vel clericis, cuiuscumque rei importuni aut violenti fuerint exactores, ipsis eosdem liceat nostra autoritate capere, invocato ad hoc, si opus fuerit, brachio sæculari. Et eos captos nobis vel archidiaconis nostris assignari volumus, nostro carceri, ut nobis videbitur, includendos: ut sic reatus, omne excludat privilegium in his, quos vilitas vitæ eo nec frui patitur, nec gaudere.

ANNO CHRISTI 1291.

CONCILIUM LONDINENSE

De ejectione Iudæorum, habitum anno Christi MCCXCI. tempore Nicolai papæ IV.

DE *rebus in hac synodo gestis ita Bzovius*: Bernhardo episcopo Grossetano, sedis apostolicæ legato, in Anglia nondum præsente, Londini ad VVestmonasterium celebratum est concilium. In hoc, in primis agitatum est de ejectione Iudæorum, quorum erat per omnem Angliam ingens multitudo: quo sic oves ab hœdis segregarentur. Itaque publico iussum est edicto, ut infra paucos dies omnes abirent cum bonis. Illi iussis concilii parentes, alii alio discesserunt. Ita profuga gens de Anglia in perpetuum exivit, misera semper alicubi terrarum peritura, usque eo dum denique deleatur. Eodem in concilio Eduardus exposuit se cupere ire auxilio Christianis in Asiam: & quia res ad religionem pertinebat, voluit ut sacerdotes pecuniam suppeditarent. Postremo placuit regi, similiter atque principibus, illud iniurium iure iterato statuere, ne cui hominum liceret dare prædia collegiis monachorum: neve liceret monachis, aut aliis sacerdotibus, emere possessiones. Supervenit tandem legatus, & una cum Ioanne Beccano archiepiscopo Cantuariensi sibi adiuncto, regem iniquitatis atque impietatis redarguit, legemque abrogare, & ecclesiis, ecclesiasticisque rebus ac personis, libertatem restituere coegit.

CONCI-

ANNO CHRISTI 1291.

CONCILIUM MEDIOLANENSE,

Pro auxilio Terræ sanctæ ferendo congregatum anno Domini MCCXCI. tempore Nicolai papæ IV.

A*cta hujus concilii ex Bernardo Corio Bzovius in annalibus describit summatim his verbis*: Ad diem vigesimumseptimum mensis Novembris hujus anni, Otto archiepiscopus, Mediolani in ecclesia sanctæ Teclæ, synodo provinciali episcoporum & universi cleri congregata, multa ad ecclesiasticam disciplinam revocandam constituit, ac fratre Stephanardo ordinis Prædicatorum verba ad omnes faciente, plurimos Christi fidelium, ad auxilia terræ sanctæ a Saracenis oppressæ, autoritate summi pontificis cruce signavit. Dedit insuper istud salubre summo pontifici consilium, ut milites Hierosolymitani una cum Templariis & Teutonicis in unum ordinem congregarentur, iisdem institutis viverent, & unitis armis contra barbaros dimicarent: præfecto copiis Crucesignatorum, rege Galliarum. *Bernardus Corius historia Mediolanensis p. 2.*

SEDES VACANS.

ANNO CHRISTI 1292.

CONCILIUM ASCHAFFENBURGENSE

Provinciale, sub præsidio Gerardi Moguntini archiepiscopi celebratum anno Dom. MCCXCII. post obitum Nicolai papæ quarti, tempore interregni pontificii.

D*E hoc concilio ita Trithemius in chronico Hirsaugiensi*: Anno præscripto Gerardus archiepiscopus Moguntinus synodum provincialem suffraganeis & prælatis suis in Aschaffenburg celebrandam indixit, ubi convenerunt episcopi Eistetensis, Spirensis, Augustensis, Herbipolensis, Bambergensis, Hildesheimensis, & Wormatiensis, cum aliis multis abbatibus, præpositis, decanis, atque presbyteris, qui multa & varia in negotiis ecclesiasticis utilia statuerunt.

ANNO CHRISTI 1292.

** SYNODUS CICESTRENSIS.

Ex tomo II. collectionis Anglicanæ.

Statuta & adjectiones domini Gilberti Dei gratia Cicestrensis episcopi, publicata in majori ecclesia Cicestrensi, in synodo ibidem celebrata, in die S. Callisti papæ, anno Domini MCCXCII.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ne animalia ponantur in cœmeteriis ad pascendum.*
2. *Quod in oblationibus devotio populi non restringatur.*
3. *Excommunicati sunt ipso facto detentores decimarum.*
4. *Quod parochiani silentes audiant Missam.*
5. *Quod sepulturæ non fiant in ecclesiis & cancellis.*
6. *Ne trunci erigantur in ecclesiis sine episcopi licentia.*
7. *Ut hæ constitutiones quater in anno publicentur.*

CAPITULA.

I. *Ne animalia ponantur in cœmeteriis ad pascendū.*

LIcet humana fragilitas quemlibet ad affectandum & assequendum bona temporalia diversis malis * alliciat: ad hoc tamen homini a Deo datur discretio, ut eum auditus huius, maxime per ea quæ honestatem decent, a rationis tramite per devium non abducat. Cum ergo ecclesiarum sanctuaria, quæ populariter cœmeteria nominātur, sicut frequenter nostris auribus inculcatur, nec tantum per laicorum, verum etiam, quod detestabilius est, per rectorum, vicariorum, & sacerdotum parochialium, cupiditatem nefariam, porcis, equis, bobus, ovibus, & aliis animalibus, sub prætextu herbagii inibi crescentis, Dei & ecclesiæ reiecta reverentia conculcentur; & sanctorum forte corpora, quorum aliqua in iisdem cœmeteriis fas est credere sepeliri, execrabili effossione fœdentur (quod præsertim defunctorum parentibus & amicis merito cedere poterit in horrorem.) Nos igitur, tantæ temeritatis & detestandæ cupiditatis audaciæ frænum moderaminis volentes imponere, sub Divinæ & nostræ maledictionis interminatione duximus * statuendum: ne quis litteratus, vel laicus, talia deinceps attentare præsumat: hoc tantum adiecto moderamine, quod rectoribus, vicariis, & sacerdotibus parochialibus, quibus non est aliunde pastura sufficiens, tempore quo agnos suos colligunt decimales; & ab illo tempore, tantummodo per quindenam, liceat eosdem agnos immittere nutriendos. Quod si forte secus contigerit fieri, ex contemptu, vel per negligentiam, aut malitiam eorum, quibus parochiali consuetudine claudendi cœmeterium, divisim vel coniunctim onus incumbit: ipsos, qualitercumque status conditione præfulgeant, domino rege & eius liberis dumtaxat exceptis, a tempore notificationis præsentis statuti, excommunicationis sententiæ tamdiu volumus subiacere, quousque terminos vel limites clausuræ cœmeterii, qui ipsos contigerint, refecerint competenter.

*f. modis

* al. præcipimus statuendo.

II. *Quod in oblationibus devotio populi non restringatur.*

Habet hoc proprium antiqui hostis invidia, ut, ipso suadente, frequenter ea quæ ad animarum remedium pertinent & salubriter ordinantur, per malorum machinationes in noxam miserrime permutentur. Quod & his temporibus, (utinam futuris sæculis reservatis) in hac nostra diœcesi, proh dolor! vulgariter asseritur inveniri: dum quidam maledictionis filii, in nubentium solenniis, in mulierum purificationibus, & aliis, in quibus ipse Deus in ministrorum suorum personis oblationum solebat libamine præclare * honorari, ad unius oblationem denarii devotionem populi restringere sunt moliti; residuum oblationis fidelium, suis, pro libito, vel alienis, usibus applicantes. Diversorum igitur his damnabilibus consiliis, salubre repagulum opponere cupientes, & in ipsos qui non resipiscunt, laqueum injicere, quem miseris misere tetenderunt: nil novum statuentes, sed antiquorum canonum sancita in medium deducentes, universos & * singulos instigatores, per quorum nefanda consilia, ecclesiis, vel ipsarum rectoribus, vicariis, aut ministris ipsius, quicquam subtrahetur honoris vel commodi consueti, synodi declaratione præsentis pronunciamus, vinculo excommunicationis, ex concilio Oxoniensi damnatos, & involutos: reservata nobis absolutione eorum præterquam in mortis articulo, quousque ministerio in contrarium laborante, ecclesiis devotio popularis fuerit efficaciter restituta.

* al. populariter hon.

* al. univ. hujusmodi inst.

Anno Christi 1292.

III. *Excommunicati sunt ipso facto detentores decimarum.*

A Item decimas a quibuscumque debitas persolvi præcipimus integraliter, sub pœna excommunicationis, quam in non plene solventes ferimus: in his scilicet [a] declarantes cum decretali, non debere fieri, ante decimarum liberationem, saltem in prædialibus decimis, aliqualem deductionem culturæ, vel collationis, vel doni alicujus conferendi messoribus, clericis, bedellis, vel aliis communibus ministris quibuscumque, aut per animalia, aliove modo, consilio, auxilio, favore, aut conniventia: dictas debitas decimas, consumendas, dissipandas, vel minuendas esse, a quoquam clam vel palam, sub pœna eadem prohibemus. Qui autem secus egerint, partem cum Cain, cujus sequaces sunt, habebunt, & ut raptores ac sacrilegi, ab ecclesia & fidelium communione merito abjiciendi, atque adeo & hac sacra synodo maledicti. B

[a] al. in his sciptis

IV. *Quod parochiani silentes audiant Missam.*

Parochianos, diebus Dominicis saltem, & aliis solennitatibus festivis, præcipimus moneri diligenter, quod in ecclesia solenniter & devote morentur, saltem dum Missa cantatur, orationibus & aliis devotionibus jugiter insistendo, non discurrendo tumultuose, ut alicubi hactenus fieri consuevit, per cœmeteria & alia loca ecclesiis contigua, ex causa non necessaria, & multotiens inhonesta.

V. *Quod sepulturæ non fiant in ecclesiis & cancellis.*

In ecclesiis, vel earum cancellis non fiant sepulturæ indistincte, ad cujuslibet voluntariam electionem, corporum defunctorum: villarum dominis & patronis ecclesiarum, & illorum uxoribus, rectoribus etiam & vicariis exceptis, per quos, vel per quas accreverit honor illis ecclesiis notabiliter & perpetuo duraturus. C

VI. *Ne trunci erigantur in ecclesiis sine episcopi licentia.*

Hæc constitutio deest in quibusdam exemplaribus.

Ne subjectorum vicariorum seu sacerdotum parochialium simplicitate vel conniventia, quæ hactenus alicubi in nostra diœcesi fieri comperimus, trunci concavi de cætero in ecclesiis parochialibus vel capellis erigantur, per quod subtrahatur a Divina reverentia sive cultu devotio popularis, dum ex vero vel ficto parochianorum odio, eisdem truncis malitiose vel damnabiliter imponunt, quod Deo ministrantibus in altari devote consuevit offerri: hac sacra synodali constitutione sancimus, ne qui parochiani, rectores, vel vicarii, vel sacerdos parochialis ecclesiæ curam gerens, truncos hujusmodi, vel aliud pecuniæ receptaculum cum clausura, sine nostra vel officialis nostri licentia ..... erigant, aut consilium præstent erigentibus, aut juvamen; sed erectos amoveant ab ecclesiis in quibus fuerint, intra octo dies a tempore notificationis, vel publicationis præsentis edicti. Quod si ex contemptu, negligentia, seu quavis arte vel malitia, factum non fuerit vel omissum: extempore ipsam ecclesiam, in qua truncus huiusmodi fuerit, vel quid aliud, ut diximus, loco eius, sub interdicto manere volumus, quousque funditus evellatur & amoveatur ab ea. D

VII. *Ut hæ constitutiones quater in anno publicentur.*

Istas generales sententias in singulis parochialibus ecclesiis, per earum sacerdotes, sub pœna suspensionis a Divinis, præcipimus quater in anno lingua materna publicari parochianis distincte & aperte: videlicet Dominica tertia in adventu Domini, Dominica in medio Quadragesimæ, Dominica proxima ante festũ Nativitatis sancti Ioannis Baptistæ, & Dominica proxima ante festum sancti Michaelis Archangeli. E

Anno Christi 1294.

VITA
CÆLESTINI PAPÆ V.

CÆlestinus V. anachoreta, Eserninus, Petrus Moroneus ante dictus, qui in monte Marcella non procul a Sulmone solitariam vitam agebat, vir sanctissimæ conversationis, a quo Cælestinorum ordo sumpsit initium, post interregnum biennii & quatuor mensium, Divina tandem ordinatione in papam electus est Nonis Iulii, anno 1294. tempore Adolphi imperatoris. Ut Perusium proficisceretur cardinales suaserant: verum, quia aliam Caroli regis sciebat esse voluntatem, Aquilam se convertit: ubi receptus & coronatus est, incredibili hominum frequentia propter rei novitatem eodem confluente. Cardinales duodecim creavit, homines maximi meriti, inter quos duo eremitæ fuerunt. Verum cum & propter oneris magnitudinem & rerum inexperientiam parum idoneus huic fastigio sibiipsi videretur, abdicare se magistratu constituerat. Adeo namque facilis & benignus erat, ut nihil unquam ulli petenti recusaret, & quandoque duobus idem annueret. Quod abdicationis consilium tam vehementer urgebat & promovebat cardinalis Cjaetanus: ut tametsi Carolus rex Neapolim secum perduxisset Cælestinum, quo illum de ea sententia dimoveret, ille tandem sexto sui pontificatus mense propria sponte suæ dignitati cederet. Ad solitudinem excusso onere rediens, successoris mandato in arcem Famonis conjectus est, ubi mœrore animi confectus XIV. Kalendas Iulii obiit. A Clemente V. in sanctorum numerum propter miracula relatus est. *Hæc Platina & Trithemius.* Pergratum fuerit lectori, si quæ de hoc pontifice scriptor huius temporis Eberhardus refert in annalibus anno 1290. hic subiungam. Mortuo, inquit, Nicolao IV. vacavit sedes apostolica propter discordiam cardinalium plusquam tribus annis, & tandem iidem cardinales, ut creditur, nutu Divino concordaverunt in quemdam virum rectum & religiosum, qui in cella sua per quadraginta annos & amplius sub regula B. Benedicti strenue vixerat, qui electus, Cælestinus est vocatus: & cum educeretur e cella, nullum equum tunc & etiam postea ascendere voluit, sed tantum asellum, exemplo Domini venientis Hierosolymam, equitavit. In via etiam transeundo Dominus per eum multa miracula fecit; qui licet miræ sanctitatis existeret, tamen adeo simplex erat, quod petentibus concedenda & non concedenda concessit. Et cum consideraret quod consuetum silentium & abstinentiam, quæ in claustro servaverat, propter intolerabilẽ rerum curã, tenere nõ potuit in papatu: renunciare eidem præsulatui cogitavit. Et cum sapientũ esset opinio, quod papa non posset cedere, talem constitutionem edidit, quod papæ possint cedere, tam præsens, quam futuri: dicens quod de plenitudine potestatis eamdem constitutionem facere bene posset. Qua facta, statim cessit, & electus est post ipsum Benedictus cardinalis, qui vocatus est Bonifacius: qui statim post creationem suam omnes gratias & concessiones, quas prædecessor suus fecerat, revocavit. Et omnis populus, propter evidentem sanctitatem, prædictum Cælestinum libenter habuisset pro papa: sed dominus Bonifacius ipsum reclusit, ne schisma fieret, si a populo raperetur. Post autem duos annos idem Cælestinus mortuus est, & dicitur quod Dominus per eum multa miracula operetur, & sepultus est in monasterio sancti Antonii Ferentini.

CONCI-

Anno Christi 1294.

** CONCILIUM SALMURIENSE, Iam editum in metropoli Turonensi, & nunc collatum cum MSS.

Concilium apud Salmurum celebratum die Dominica post festum S. Michaelis in Monte Gargano, anno Dom. MCCLXXXXIV.

TITULI CANONUM.

PRÆFATIO.

AD honorem Dei, & ecclesiarum utilitatem provinciæ Turonensis, cui autore Domino præsidemus, necnon pro corrigendis excessibus subditorum, & moribus reformandis: vocatis venerabilibus fratribus suffraganeis nostris, capitulis, abbatibus, & aliis qui fuerant evocandi, concilium provinciale apud Salmurum, Andegavensis diœcesis, die Dominica post festum beati Michaelis in monte Gargano, cum diebus Lunæ & Martis sequentibus, duximus celebrandum: in quo, de prædictorum fratrum nostrorum consilio & assensu, ordinavimus capitula quæ sequuntur.

CANONES.

I. *Contra vestium superfluitatem.*

Carthag. IV. c. 45. SIcut in Carthaginensi concilio legitur, & habetur, clericus professionem suam habitu & incessu probet: & ideo nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat. Miramur sane quosdam monachos, abbates, priores, & alios etiam religiosos, qui secundum suorum instituta majorum, capas clausas, & de panno nigro deferre tenentur, transfigurato habitu honcias & clochas, nec de pannis nigris, sed coloratis, fulgidis & preciosis, deferre præsumunt, non absque gravi scandalo, & regularis disciplinæ & Divinæ majestatis offensa. Quapropter talia de cætero fieri prohibemus: contrarium vero facientes gravi animadversione per locorum ordinarios mulctari præcipimus & puniri.

II. *De absolutione ab excommunicatione in morte.*

Cum excommunicatis in mortis periculo constitutis absolutionis beneficium, secundum formam canonum non debeat denegari: quia tamen circa eorum absolutionem, propter sacerdotum simplicitatem & imperitiam, frequenter errari contingit: ut saluti morientium, & utilitati superstitum salubriter consulatur, formam juri consonam circa talium observationem præcipi- A mus observari: scilicet, ut si pro judicato, vel manifesta offensa, petens absolvi, excommunicatus fuerit, si de illis potest satisfacere in præsenti, non aliter relaxetur sententia, nisi prius de judicato vel offensa fuerit satisfactum. Si vero non possit satisfacere in præsenti, recepta cautione idonea, pignorum scilicet, vel fidejussorum de satisfaciendo de judicato vel offensa, sententia relaxetur. Si vero offensa dubia fuerit, recepta cautione idonea de satisfaciendo, si eam apparuerit esse manifestam: pro B simplici vero contumacia, recepta cautione juratoria de parendo juri, sententia relaxetur. Ubi tamen cautionem idoneam exigi supra præcepimus: juratoriam, si alia præstari non possit, in hoc casu sufficere declaramus. Qui vero forma præscripta non observata, excommunicatum pro judicato vel offensa absolverit: ei pro quo lata erat sententia, de suo satisfacere, autoritate præsentis concilii, teneatur.

III. *Contra redimentes peccata per pecunias.*

C Ex cupiditate, quæ omnium malorum radix est, procedit quod plerique archidiaconi, decani, & archipresbyteri provinciæ Turonensis, ecclesiastica jurisdictione utentes, & quod est verius, abutentes: pro corrigendis excessibus, & criminibus puniendis, videlicet adulterio, fornicatione, incestu, & aliis excessibus, in quibus maxime iidem archidiaconi & alii inferiores dispensare non possunt, a clericis & laicis pœnam pecuniariam contra canonum prohibitionem D exigunt & extorquent. Quæ de cætero fieri prohibemus, statuentes, ut ad jussum diœcesani sic exacta restituere teneantur: salvo tamen eis, si quid circa correctionem talium excessuum eisdem competat de consuetudine approbata.

IV. *De confessionibus audiendis contrahentium.*

Prohibemus etiam ne archidiaconi, decani, & archipresbyteri jurisdictionem ecclesiasticam exercentes, clericos cursores, & quasi exploratores, ad audiendas confes- E siones contrahentium, per archidiaconatus, decanatus, archipresbyteratus suos, de cætero teneant: nec ad relationem eorum, litteras sigillent, ac si in eorum præsentia factæ fuissent: decernentes, si aliter factum fuerit, tales processus & litteras nullius esse momenti.

V. *De decimis.*

Grave gerimus & molestum, quod pleriq, barones & alii nobiles, & ignobiles etiam, necnon baillivi, seneschalli, & alii sæcularem justitiam exercentes, ad decimas quas in signum universalis dominii universorum dominus sibi retinuit, easdē deputans Levitis

ANNO CHRISTI 1294.

& ministris in templo suo deservientibus, jure hereditario possidendas ad manus suas saisinant; & impedimenta varia, non sine Divinæ majestatis offensa, & in personarum ecclesiasticarum grave præjudicium, apponere non verentur. Quapropter autoritate præsentis concilii monemus omnes & singulos temporalem jurisdictionem exercentes, ut personas ecclesiasticas super decimis, de quibus ut de suis in possessione pacifica nomine beneficiorum suorum per annum extiterint, de cætero aliquatenus sine autoritate judicis ecclesiastici non molestent; nec impedimentum apponant, occupando, saisiendo, manum apponendo, vel alias inhibendo subditis suis ne recipiant ad firmam, vel alias impediendo quo minus decimas tales & earum fructus percipiant, donent, vel tradant ad firmam, vel vendant, secundum quod eisdem personis ecclesiasticis videbitur expedire. Qui vero post mensem a tempore publicationis præsentis concilii contrarium fecerint, ipso facto excommunicationis sententiam se noverint incursuros.

Datum apud Salmurum, die Martis post festum beati Michaelis in Monte Gargano, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto.

ANNO CHRISTI 1294.

VITA ET EPISTOLÆ BONIFACII PAPÆ VII. VVLGO VIII.

Bonifacius VIII. patria Anagninus, antea Benedictus Cajetanus vocatus, Neapoli ipsa vigilia Nativitatis, vir doctrina quidem insignis, & rerum experientia laudabilis, verum supra modum ambitiosus & arrogans, in locum Cælestini sese pontificatu abdicantis subrogatus est anno Christi 1294. tempore Adolphi & Alberti imperatorum. Nactus pontificatum, indulta & favores per prædecessores suos Cælestinum (quem metu futuri schismatis, teste Eberhardo, recludi mandavit) & Nicolaum concessa, abrogavit. Gibellinos persecutus, contra Columnenses implacabile odium concepit: ex quorum familia duo cardinales schismatici per ipsum denunciati sunt, & omnibus thesauris spoliati. Præneste obsidione cingit, ac diripit; idem quoque ad Zagalorum & Columnam fecit. Sciarra Gibellinorum patronus, pontificis furorem declinans, in piratas incidit. Omnium apostolorum & evangelistarum, item quatuor doctorum ecclesiæ, festa sub duplici officio celebrari instituit. Sextum librum decretalium compilari jussit. Eugubium, quæ Gibellinorum auspiciis ab ecclesia defecerat, recuperavit. Alberto Austriæ duci imperii confirmationem bis terque petenti denegavit. Reate existens, cum vehementi terræmotu multa ædificia ruinam passa fuissent, ipse sibi in medio prati domum ligneam construi jussit. Aliquot cardinales creavit. Anno 1300. mense Decembri annum Iubilæum instituit, quem annum sanctum vocant, ut centesimo quoque anno celebraretur. Hæresin Fraticellorum, sacramenta & potestatem ecclesiasticam contemnentiũ, promiscuos concubitus exercentium, animarum purgatarum beatitudinem ad extremum judicii diem usque differri docentium, condemnavit. Corpus cujusdam Hermanni, qui, ut scribunt Platina & Sanderus, Fraticellorum dux erat, Ferrariæ exhumari & cremari jussit, licet pro sancto coleretur. Patrimonii S. Petri administrationem Carolo Valesio comiti concredidit. Philippum IV. cognomine Pulcrum, Franciæ regem, ob violatum jus gentium juste excommunicavit. Nam cum Apamensem episcopum sedis apostolicæ legatum ideo in carcerem conjecisset, quod eum ad expeditionem Hierosolymitanam additis quibusdam minis exhortatus fuisset, monitusque a Bonifacio, ut sub pœna depositionis legatum dimitteret: rex, teste Antonino, non modo non paruit, sed etiam vias inter Franciam & pontificem interclusit. Convocatis prælatis & nobilibus Francorum rex coram abbate Cisterciense a sententia pontificis appellavit: sed abbas interpositam appellationem non acceptavit. Conducit ergo, injuriam sibi illatam ulturus, Sciarram Columnensem e manibus piratarum a se redemptum, eumque cum Nogaretio Gallo equite Romam misit: qui noctu Anagniam ingressus, pontificem nihil metuentem & pontificalibus indutum inveniens, Domino disponente, ob dignitatem sedis apostolicæ non est ausus mittere in eum manus, sed prædæ cum suis triduo vacans papam custodiæ commisit. Liberatus autem post triduum a civibus, Romam rediit, ubi confectus tædio & mœrore trigesimoquinto die post moritur, anno Domini 1303. v. Idus Octobris: cum sedisset annos 8. menses 9. & dies 17. in S. Petro sepultus est, in sacello quod ipse extruxerat. Pulpitum ipse quoque erigi in Laterano procurarat, ex quo excommunicationes die Iovis sancto publicabantur: ubi etiam Philippus & Columnenses anathemate notati fuerant. Et, ut ait Panuinus, decretum Gregorii X. de creatione pontificis approbavit: id quod etiam Cælestinus fecerat.

ANNO CHRISTI 1294.

Errat Binius. Tantum abest, ut Philippus juste excommunicatus fuerit, ut ne fuerit quidem excommunicatus. Vide inf. observationem nostram ad concil Rom. ann. 1302.

I. AD ROBERTUM ARCHIEPISC. CANTUARIENSEM.

Ut præsentet regi litteras quas sibi mittit pro Scotis.

Bonifacius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri archiepiscopo Cantuariensi salutem & apostolicam benedictionem.

Frequens & inculcata fide dignorum assertio, ac famæ divulgantis eloquium, nostro patefecerunt auditui excessus, molestias, turbationem, damna, injurias & jacturas, per carissimum in Christo filium nostrum Eadvvardum regem Angliæ illustrem, & officiales, ac gentem ipsius, contra regnum Scotiæ ac prælatos, & clericos, & personas ecclesiasticas, religiosas & sæculares, necnon ecclesias, monasteria, & alia religiosa loca, & habitatores & incolas dicti regni, & bona eorum etiam, attentata. Nosque nolentes, sicut nec debemus, talia sub dissimulatione transire, regem ipsum per litteras nostras, quas tibi mittimus per te præsentandas eidem, seriosas hortamur, ut episcopos, clericos, & personas ecclesiasticas dicti regni, quos adhuc tenere dicitur captivatos, restitui faciat pristinæ libertati, & officiales revocet, quos in eodem regno asseritur posuisse, atque ad præsentiam nostram suos mittat procuratores & nuncios, cum omnibus juribus & munimentis suis, si crediderit in præfato regno, vel aliqua ejus parte, ius aliquod se habere. Nihilominus lites, quæstiones, & controversias quaslibet, inter ipsum regem & prælibatum regnum Scotiæ, ac prælatos, clericos, & personas sæculares

res ejusdem regni subortas, & quæ possunt in posterum ex quibuscumque causis præteritis exoriri, totumque negotium ad decisionem & determinationem sedis apostolicæ, per dictas nostras reducimus litteras, & etiam reservamus: ac decernimus irritum & inane, si secus scienter vel ignoranter a quoquam in hac parte contigerit attentari. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta in virtute obedientiæ, & sub pœna suspensionis ab administratione spiritualium & temporalium, districte præcipiendo mandamus, quatenus præfatas litteras nostras eidem regi, sublato dilationis obstaculo, repræsentes: ac ipsum ad ea quæ sibi scribimus, ut in exhortationibus acquiescat, efficaciter animes & inducas. Diem quoque, quo sibi prædictas præsentaveris litteras, & quidquid feceris, quidve ipse responderit & fecerit in hac parte, nobis per tuas litteras patentes, harum seriem continentes, fideliter & seriosius intimare procures.

Datum Anagniæ, quarto Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno quinto.

II. AD EADVVARDVM I. ANGLIÆ REGEM.

Quod regnum Scotiæ pertineat ad ecclesiam Romanam.

Bonifacius episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Eadvvardo regi Angliæ illustri salutem & apostolicam benedictionem.

SCimus, fili, & longo jam temporis spatio magistra nos rerum experientia docuit, qualiter erga Romanam matrem ecclesiam, quæ te gerit in visceribus caritatis, regiæ devotionis affectus exuberat, reverentiæ zelus viget, quodque promptus sedis ejus verbis obtemperas, & beneplacitis acquiescis. Quamobrem firmam spem gerimus, plenamque fiduciam obtinemus, quod regalis sublimitas verba nostra benigne recipiat, diligenter intelligat, efficaciter prosequatur. Sane ad celsitudinem regiam potuit pervenisse, & in tuæ libro memoriæ nequaquam ambigimus contineri, qualiter ab antiquis temporibus regnum Scotiæ pleno jure pertinuit & adhuc pertinere dignoscitur ad ecclesiam supradictam: quodque illud, sicut accepimus, progenitoribus tuis regni Angliæ regibus, sive tibi, feudale non extitit, nec existit. Qualiter etiam claræ memoriæ Henricus rex Angliæ, pater tuus, tempore discordiæ sive belli inter ipsum & quemdam Simonem de Monteforti suosque fautores & complices suscitatæ, a recolendæ memoriæ Alexandro, ejusdem Scotiæ rege, ac ipsius Henrici genero, auxilium sibi petiit exhiberi. Et ne hujusmodi auxilium jure cujuslibet subjectionis aut debiti petitum seu præstitum notaretur: præfatus Henricus eidem regi Scotiæ suas patentes duxit litteras concedendas, per eas firmiter recognoscens prædictum auxilium recepisse, vel se recepturum, dumtaxat de gratia speciali. Præterea cum successu temporis, præfati regis Scotiæ, tui sororii, tunc viventis, in tuæ coronationis solenniis habere præsentiam affectares: sibi per tuas patentes tenere litteras curasti, quod in ipsis solenniis ejus habere præsentiam non ex debito, sed tantum de gratia intendebas. Et cum etiam rex ipse pro Tindaliæ ac de Poynerre terris, in regno Angliæ positis, se ad tuam præsentiam personaliter contulisset, tibi fidelitatem solitam impensurus: idem in præfatione fidelitatis hujusmodi, multis tunc præsentibus, vivæ vocis oraculo publice declaravit, quod pro terris eisdem, sitis tantum in Anglia, non ut rex Scotiæ,

A tiæ, neque pro Scotiæ regno, fidelitatem exhibebat eamdem; quinimmo palam extitit protestatus, quod pro regno ipso tibi fidelitatem præstare seu facere aliquatenus non debebat, utpote tibi penitus non subjecto. Tuque sic oblatam fidelitatem hujusmodi admisisti. Et tua quoque non creditur excidisse memoria, qualiter eodem rege Scotiæ de medio quondam sublato, Margareta puella, nepte tua, tunc minoris ætatis, herede sibi relicta, non ad te velut ad dominum pervenit custodia regni memorati: sed certi ejusdem regni proceres ad ejus custodiam extiterunt electi. Quodque postmodum dispensatione ab apostolica sede obtenta, super matrimonio contrahendo inter dilectum filium nobilem virum Eadvvardum natum tuum, & Margaretam prædictam, dum viveret, si

B ad id procerum dicti regni accederet vel haberetur assensus: tu eisdem proceribus per tua scripta cavisse dignosceris, priusquam vellent huiusmodi matrimonio consentire, quod regnum ipsum penitus liberum, nullique subiectum, seu quovis modo submissum, in perpetuum remaneret, quodque in pristinum seu talem ipsius statum restitueretur omnino, si ex huiusmodi matrimonio contrahendo liberos non extare contingeret, ac nomen & honorem ut prius pariter retineret, tam in suis sibi servandis legibus, & præficiendis officialibus dicti regni, quam parliamentis tenendis, tractandis causis in ipso, & nullis eius incolis extra illud ad iudicium evocandis. Et quod in tuis patentibus litteris inde confectis hæc

C plenius & seriosius contineri noscuntur. Præfata insuper Margareta de præsenti luce subtracta, & tandem super successione dicti regni Scotiæ suborta dissensionis materia inter partes, ipsius regni proceres, metuentes sibi dictoque regno posse occasione huiusmodi præiudicium generari, non aliter ad tuam præsentiam extra ipsius accedere limites voluerunt, nisi per te patenti scripto caveretur eisdem, quod id non fiebat ex debito, sed ex gratia speciali: quodque nullum exinde ipsius regni libertatibus posset dispendium imminere. Et licet (ut dicitur) super statu eiusdem regni Scotiæ, ac eius prius habita libertate, regno ipso tunc carente præsidio defensoris, per ipsius regni proceres, tunc velut acephalos, & duos vel aurigæ suffragium non habentes, sive per illum,

D cui præfati regni regimen, licet indebite, diceris commisisse, contra morem solitum aliqua fuerint hactenus innovata: ea tamen, utpote per vim & metum quæ cadere poterant in constantem elicita, nequaquam debent de jure subsistere, aut in ejusdem regni præjudicium redundare. Cæterum nobis nullatenus venit in dubium, quin potius certi sumus, quod cum apostolicæ sedis precellens autoritas per suas litteras in Angliæ & Scotiæ regnis simul alicui legationis committit officium exequendum, vel pro quavis causa, quam rationabilem reputat, decimæ solutionem indicit, hujusmodi apostolicæ litteræ ad præfatum Scotiæ regnum se aliquatenus non extendunt, speciali prædictæ sedis privilegio Scotis indulto penitus obsistente, prout tempore felicis recordationis

E Hadriani papæ prædecessoris nostri, tunc S. Hadriani diaconi cardinalis, & per ipsius sedis litteras simul in regnis ipsis legati, cum quo familiariter tunc eramus, contigit evidenter. Nam legatus ipse ad præfatum regnum Scotiæ aliquatenus admissus non extitit, donec per litteras speciales apostolicas sibi legationis fuit commissum officium in eodem. Præterea noscere potest regia celsitudo, qualiter regnum ipsum per beati Andreæ apostoli venerandas reliquias, non sine superni numinis grandi dono, acquisitum & conversum extitit ad fidei catholicæ unitatem: qualiter etiam antiquis temporibus Eboracensis archiepiscopus,

A piſcopus, qui tunc erat, mota per eum ſuper jure metropolitico adverſus prælatos Scotiæ quæſtione, in qua dictum antiquitus fuiſſe commemorat, Memento quod ſumus tui, ut cætera quæ inde ſequuntur ſilentio relinquamus, pro ſe ſententiam obtinere nequivit: quamvis alia plura & varia, quæ in hac parte rationabiliter proponenda ſe offerunt, ex quibus ad hæc tibi ſcribenda movemur, prætereat calamus, ne inde forſitan ſenſibus regiis tædium generetur. Hæc profecto, fili cariſſime, infra clauſtra pectoris ſolicite conſiderare te convenit, & attendere diligenter, ex quibus nulli in dubium veniat, regnum Scotiæ prælibatum ad præfatam Romanam eccleſiam pertinere, quod tibi nec licet, nec licuit, in ipſius eccleſiæ ac multorum præjudicium, per violentiam ſubjugare, tuæque ſubjicere ditioni. Cum autem, ſi- B cut habet fide digna & noſtris jam pluries auribus inculcata relatio, famæque præcurrentis aſſatibus divulgatur, tu præmiſſa, ut debueras, non attendens, neque debita conſideratione diſcutiens, & ad occupandum & ſubjugandum ditioni regiæ regnum ipſum, tunc regis auxilio deſtitutum, vehementer aſpirans, & tandem ad id exercens potentiæ tuæ vires, venerabilibus fratribus noſtris Roberto Glaſcuenſi, & Marco Sodorenſi epiſcopis, & nonnullis clericis, & aliis perſonis eccleſiaſticis dicti regni, ut dicitur, captis, & carceralibus vinculis traditis; quorum aliquos, ſicut aſſeritur, ſqualor carceris violentus extinxit: ac etiam occupatis caſtris, & (prout fertur) monaſteriis, aliiſque religioſis locis quamplurimis dirutis, ſeu deſtructis, ac C damnis gravibus ejuſdem regni habitatoribus irrogatis, in ejuſdem regni partibus officiales regios poſuiſti, qui prælatos, cæteros clericos, & eccleſiaſticas ac etiam ſæculares dicti regni perſonas, multimodis perturbare moleſtiis & afflictionibus variis, & diverſis impetere non verentur, in Divinæ majeſtatis offenſam, ſedis memoratæ contemptum, regiæ ſalutis & famæ diſpendium, juris injuriam, & grave ſcandalum fidelium plurimorum. Regalem itaque magnificentiam rogamus & hortamur attente, ac obſecramus in eo qui eſt omnium vera ſalus, quatenus ſolerter attendens, quod ex debito paſtoralis officii noſtris humeris incumbentis, ad conſervanda & gubernanda ſolicite bona juraque omnia eccleſiæ ſupra dictæ tenemur, quodque homini pluſquam Deo deferre non D poſſumus nec debemus, prædictos epiſcopos, clericos, & perſonas eccleſiaſticas, quos adhuc carcer regius tenet incluſos, pro Divinæ & apoſtolicæ ſedis ac noſtra reverentia (ſublato difficultatis & dilationis objectu) benigne reſtitui facias priſtinæ libertati, dictoſque officiales de regno Scotiæ revoces memorato. Sic te in his prout ſperamus & cupimus, promptis & efficacibus ſtudiis habiturum ut apud cæleſtem regem, pro minimis grandia rependentem, non immerito reddaris acceptior, gratior habearis, & præter laudis humanæ præconium tibi proinde proventurum, apoſtolicæ ſedis favorem & gratiam poſſis uberius promereri. Si E vero in eodem regno Scotiæ, vel aliqua ejus parte, jus aliquod habere te aſſeris: volumus quod tuos procuratores & nuncios ad hoc ſpecialiter conſtitutos, cum omnibus juribus & munimentis tuis, hujuſmodi negotium contingentibus, infra ſex menſes a receptione præſentium numerandos, ad noſtram præſentiam mittere non omittas: cum parati ſimus tibi tamquam dilecto filio plene ſuper præmiſſis exhibere juſtitiæ complementum, & jura (ſi qua habes) inviolabiliter obſervare. Nos enim nihilo minus ex tunc lites, quæſtiones, & controverſias quaſlibet, inter te denique & regnum Scotiæ, ac prælatos, clericos & perſonas ſæculares ejuſdem, ſubortas, & quæ poſſunt in poſterum ex quibuſdam cauſis prædictis exoriri, totumque negotium prædicta contingens, aut aliquid eorumdem, ad cognitionem & determinationem ſedis ejuſdem, præſentium tenore reducimus, & etiam reſervamus: decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſcienter vel ignoranter a quoquam in hac parte contigerit attentari. Datum Anagniæ v. Kalendas Iulii, pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA ROBERTI ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS AD BONIFACIUM PAPAM VIII.

Certificatio archiepiſcopi domino papæ miſſa ſuper negotiis Scotiæ.

Sanctiſſimo in Chriſto patri, & domino ſuo reverendo, ſi placet, domino Bonifacio Divina providentia ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo pontifici, ſuus filius devotus Robertus, permiſſione Divina Cantuarienſis eccleſiæ miniſter humilis, pedum oſcula beatorum, cum promptitudine juxta poſſe parendi mandatis papalibus ac præceptis.

MAndatum ſanctæ & reverendæ paternitatis veſtræ ſub bulla plumbea nuper recepi, tenorem continens infra ſcriptum: Bonifacius epiſcopus, *&c.* Frequens & inculcata fide dignorum, *&c. De verbo ad verbum recitando totam bullam proxime præcedentem.* Cujus delator quaſdam alias litteras apoſtolicas nobili principi domino Eadvvardo Dei gratia regi Angliæ illuſtri directas, & per me ex injuncto paternitatis veſtræ præſentandas, incontinenti exhibuit, quaſi ſub eodem contextu. Quo quidem mandato veſtro, una cum litteris ſupra ſcriptis reverenter admiſſo, ac ſtatim coram me recitato, præparavi ſarcinulas, vecturas, & ſumptus, ex tunc de die in diem, & familiam ordinavi ad veniendum pro expoſitione & expeditione eorum quæ mihi per vos mandabantur ad ipſum dominum regem, qui tunc agebat in remotioribus partibus regni ſui, verſus Scotiam, diſtantibus a loco ubi mandatum veſtrum receperam per viginti vel circiter moderatas dietas. Et antequam venirem continuatis dietis cum omni feſtinatione ad civitatem Carleolum, quæ eſt in marchia Scotiæ, ingreſſus fuit idem rex cum exercitu ſuo patrem regni Scotiæ, quæ vocatur Galvedia. Cumque diligenter explorando reecpiſſem a viris fide dignis ſæcularibus & religioſis, ipſius patriæ notitiam habentibus, quod ad regem, uſque ad Kriandbright in arctiſſimis locis Galvediæ progreſſum, mihi tutus non patebat acceſſus, tamen propter Scotos ſine capitis regimine exiſtentes, & alios latrunculos prædas & ſanguinem Anglorum ſitientes, qui cum duce exercitus eorumdem occupaverant media loca inter Carleolum & ipſum dominum regem, diſtantem ab eadem civitate fere per quadraginta milliaria, cum propter victus & hoſpitii defectum, qui in itinere medio, vaſtata tota patria, reperiri, vel per eam aſportari nequibant: ego per obedientiæ neceſſitatem ex parte una, & per tanta pericula in tam longinquis partibus de mea diœceſi & provincia, quæ ex altera nimium nos urgebant, arctatus, maxime non invento inter ſæculares vel religioſos quoquam qui adventus mei cauſam ipſis Scotis verbo tenus, vel per litteras meas, propter mortis periculum, auderet deferre, & mihi ſecurum conductum petere ab eiſdem: aliud remedium, prout potui, exquirens, direxi duos ex familiaribus meis ad dominum regem prædictum, cum litteris meis, navigio per quoſdam periculoſos tranſitus maris; ſignificans ſibi per

per easdem adventum meum & ejus causam, & petens quod propter reverentiam sedis apostolicæ, cujus eram nuncius, sibi significaret, ubi, qualiter, & quando, ad eum tute accedere possem propter viarum discrimina, quæ sibi per easdem meas litteras nunciavi. Cujus responso ab eisdem nunciis, non minima pericula in mari & itinere eundo & redeundo evasis, per litteras regias mihi delato, quibus continebatur, quod ipse dominus rex nihil securi pro me scivit ad vitanda dicta pericula, quam quod cum domina regina uxore sua, pro qua miserat, venirem ad partes Gerevvikes, ad locum ubi disposuit eidem dominæ obviare, deficiente navigio, quo una cum equis & familiaribus meis necessariis vehi possem per mare. Quod dum nuncii mei transierunt tam periculose versus regem, ventis etiam quasi continue validis & contrariis existentibus, morabar in confiniis Scotiæ, quærendo de loco in locum victus sufficientiam potius quam abundantiam, circa sex septimanas securioris progressus ad regem opportunitatem non tam dispendiose quam anxie expectando. Denique cum audirem diligentius explorando, quod idem dominus rex cum exercitu suo in redeundo versus castrum de Caerlandrok, quod prius ceperat, in Scotia fixisset tentoria, juxta novam abbatiam Duzquer in Galvedia, malens periculo me meos ac mea exponere, quam in tam longinquis partibus, quodammodo vacuis, extra meam diœcesim & provinciam diutius sic languere: latitans in quibusdam locis secretis juxta mare, quod dividit Angliam & Galvediam, captata temporis opportunitate, in refluxu maris, ductus ab his quos non oportebat viæ transitus ignorasse, transivi per quatuor meatus aquarum maritimos cum equis & phaleris, nomine magis (ratione profunditatis aquarum) quam litoris & vivorum sabulorum introitu & exitu periculosos, & quasi inopinate veni die Veneris proximo post festum sancti Bartholomæi apostoli ultimo jam transacto ad dictum dominum regem, in medio exercitu suo tunc in prandio existentem: & quia non potuit, ut dicebat, eo die vacare, mandavit mihi illo die in sero per duos de majoribus comitibus, qui tunc assistebant ei, quod in crastino, videlicet sabbato sequente, audiret me benigne. Adveniente igitur ipso die sabbati, coram devotissimo juvene domino Eadvvardo filio dicti regis, comitibus, baronibus & aliis militibus sui exercitus, in magna multitudine confluentibus, ac dicto domino regi assistentibus, recitato mandato vestro prædicto mihi transmisso, litteras sanctæ paternitatis vestræ præfato domino regi directas, autoritate ejusdem mandati præsentavi eidem: quas ipse dominus rex reverenter recipiens, eas publice legi coram omnibus, & in Gallica lingua fecerat patenter exponi. Quibus auditis patienter a singulis, animavi ipsum, & induxi modis quibus potui & scivi, quod vestris exhortationibus, quoad ea quæ in dictis litteris exponebantur, pareret in omnibus reverenter. Postmodum me secedente ab eo cum clericis meis ad mandatū suum, dum deliberaret super his cum dictis proceribus suis: ac demū revocato respondit mihi coram eisdem per interpositā personam sub hac forma:

Responsio archiepiscopo Cantuariensi ad litteras apostolicas.

Domine archiepiscope, fecistis ex parte superioris & reverendi patris domini papæ quamdam monitionem, contingentem statum & jus regni Scotiæ. Verum quia consuetudo est regni Angliæ quod in negotiis contingentibus statum ejusdem regni requiratur consilium omnium quos res tangit, ac instans negotium regni Scotiæ tangit statum & jus regni Angliæ, pluresque sunt prælati, comites, barones, & alii regni Angliæ proceres absentes, qui non sunt nec fuerunt in isto exercitu, quos dictum contingit negotium, quibus etiam inconsultis responderi non poterit dicto summo patri nostro, aut vobis finaliter: in hac parte intendit dominus noster rex super contentis in litteris dicti patris, quam citius poterit commode, eosdem absentes, & nunc præsentes, simul consulere, & cum eisdem deliberatius tractare, ac per nuncios proprios eidem summo pontifici super his de communi eorum consilio respondere.

Quod quidem responsum idem dominus rex sic in sua præsentia nomine suo factum ratificavit, ac etiam expresse approbavit. Dum igitur cum tali responso, coram tanta multitudine magnatum & aliorum fide dignorum mihi facto, licentiatus divertissem ab eo, & versus propria revertissem, audivi quod idem dominus rex, statim infra quatriduum post recessum meum, rediit cum exercitu suo ad partes Angliæ: & singulis quasi de exercitu suo ad propria cum equis & armis remeantibus, idem dominus rex exercitu sic disperso, paucis eum comitantibus, & secum retentis, perendinare disposuit, ut dicebatur communiter, apud quamdam abbatiam, quæ vocatur Holmcoltran, in confiniis Scotiæ supra mare. Et sic mandatum vestrū cum omni qua potui diligentia sum reverenter in omnibus executus. Valeat semper & crescat in Domino ad suæ ecclesiæ regimen apostolica celsitudo vestra.

Datum apud Ottefort, octavo Idus Octobris, anno Domini millesimo trecentesimo.

EPISTOLA EADVVARDI REGIS ANGLIÆ AD BONIFACIUM PAPAM VIII.

Respondet Bonifacio super Scotiæ negotiis.

Sanctissimo in Christo patri domino Bonifacio, Divina, &c. Eadvvardus, &c. infra scripta, non in forma nec in figura judicii, sed omnia extra judicium, pro servanda sanctæ paternitatis vestræ constantia, vobis transmittimus exhibenda.

ALtissimus inspector cordium vestræ scrinio memoriæ indelebili stylo novit inscribi, quod antecessores & progenitores nostri reges Angliæ, jure superioris & directi dominii, ab antiquissimis retro temporibus, regno Scotiæ, & omnibus ipsius regibus & temporibus annexis, præfuerunt, & ab eisdem pro regno Scotiæ, & ejusdem proceribus, a quibus habere volebant, legalia homagia receperunt, & fidelitatis debita juramenta receperunt. Nos juris & dominii possessionem continuantes hujusmodi, pro tempore nostro, eadem juramenta recepimus tam a rege Scotiæ, quam ipsius regni proceribus. Quinimmo tanti juris & dominii prærogativa super regnum Scotiæ & ejusdem reges gaudebant, quod regnum ipsum fidelibus suis conferebant. Reges etiam ex justis causis amovebant, & constituerunt sub se loco ipsorum alios regnaturos. Quæ proculdubio ab antiquo notoria fuisse & esse creduntur apud omnes, licet aliud forsan paternis vestris auribus per pacis æmulos, & rebellionis filios, falsa insinuatione suggestum fuerit: a quorum machinosis & imaginariis figmentis, ut vestræ sanctitatis oculus avertatur, suppliciter quæsumus, & paternam clementiam & excellentiam devotis affectibus exoramus. Ut brevitatis causa, gestis antiquorum temporum salvis, quiddam exempli causa tangamus: sub temporibus itaque Heli & Samuelis prophetarum vir quidam strenuus & insignis, Brutus nomine, de genere Trojanorum, post excidium urbis Trojanæ cum

cum multis nobilibus Trojanorum applicuit in quamdam insulam tunc Albion vocatam, a gigantibus inhabitatam, quibus sua & suorum seductis potentia, & occisis, eam nomine suo Britanniam, sociosque suos Britannos appellavit, & ædificavit civitatem, quam Trinovantum nuncupavit, quæ modo Londinum nuncupatur. Et postea regnum suum tribus filiis suis dimisit, scilicet Locrino primogenito illam Britanniæ partem, quæ nunc Anglia dicitur; & Albanacto filio secundo nato illam partem, quæ tunc Albanea a nomine Albanacti, nunc vero Scotia nuncupatur; & Cambro filio juniori partem illam nomine suo tunc Cambriam vocatam, quæ nunc Vvallia vocitatur, reservata Locrino regia dignitate. Itaque biennio post mortem Bruti applicuit in Albania quidam rex Hunorum, nomine Humber, & Albanactam fratrem Locrini occidit. Quo audito Locrinus rex Britonum persecutus est eum. Qui fugiens submersus est in flumine, quod de nomine suo Humbrus vocatur: & sic Albania revertitur ad illum Locrinum. Item Dunvvallio rex Britonum, Scatarum regem Scotiæ sibi rebellem occidit, & terram ejus in deditionem recepit. Item duo filii Dunvvallionis, scilicet Belinus & Brennius, inter se regnum patris sui diviserunt: ita quod Belinus senior diadema insulæ cam Britannia, Vvallia, & Cornubia, possederit; Brennius vero sub eo regnaturus, Scotiam acciperet. Petebat enim Trojana consuetudo, quod dignitas hereditatis primogenito perveniret. Item Arthurus rex Britonum famosissimus Scotiam sibi rebellem subjecit, & pene totam gentem delevit. Et postea quemdam nomine Anselmum regem Scotiæ præfecit. Et cum postea idem rex Arthurus apud civitatem Legionum festum faceret celeberrimum, interfuerunt ibi omnes reges sibi subjecti: inter quos Anselmus rex Scotiæ, servitium pro regno Scotiæ exhibens debitum, gladium regis Arthuri detulit ante ipsum. Et successive omnes reges Scotiæ omnibus regibus Britonum fuerunt subjecti; succedentibus autem regibus Angliæ in prædicta insula, & ipsius monarchiam & dominium obtinentibus subsequenter.

ANNO CHRISTI 1295.

** STATUTA ET ORDINATIONES Roberti de Vvinchelse Cantuar. archiepiscopi, pro meliori curiæ suæ Cantuariensis regimine.

Edidit collector Anglicanus Tomo II. ex MS. Bibliothecæ Cotton.

TITULI CAPITULORUM.

ANNO CHRISTI 1295.

PRÆFATIO.

Robertus permissione Divina Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, ad æternam rei memoriam.

AD viam nostri regiminis planius ordinandam, opportunum esse conspicimus, ab his quæ nobis incumbunt primitus inchoare: ut trabe desidiæ vel torporis ab oculis nostris ejecta, excessuum & negligentiarum festucas ejiciamus uberius ab oculis subditorum, & delictorum materia, quam a cæteris conamur excutere, a ministerialibus & locis nostræ solitudinis primitus evellatur. In cujus viæ excogitato progressu, curiæ nostræ Cantuariensi, ad quam pro habenda justitia specie * fiduciali recurritur, maculas & defectus, tam in personis, quam in rebus, causarum seu negotiorum processibus, & corruptelis habitis circa ea, extirpare proponimus: ut pura & incontaminata justitia, ac æquitatis congrua mansuetudo, exinde scaturiens per cætera loca provinciæ, abundantibus rivulis diffundatur. Cum igitur ipsius curiæ fama celebris, infamiæ nota respergi poterit, & fulgor ejus irradians obfuscari, nisi debitus rigor justitiæ inibi conservetur: sumptuosa cupiditas, & in adeundo gravida difficultas, ac etiam dilationes superfluæ congruis mediis amputentur, quæ mercalem reddunt justitiam, & lites faciunt immortales. Nos ad ea cautius experienda, quæ continentur inferius deliberato consilio duximus statuenda: quibus etiam universa seriosius enucleata perstringimus, quæ prædecessores nostri tam celebris curiæ, pro reformatione temporum labentium curriculis successivis, frequentibus studiis, variisque laboribus salubriter ordinarunt: ut ad ipsam curiam in suis necessitatibus confluentes, explosis ac semotis ambagibus & obstaculis prælibatis, juxta naturam & qualitatem negotiorum & causarum, celerem justitiam cum fiducia valeant reportare.

* *f.* speciali fiducia

CAPITULA.

I. *Forma juramenti judicum.*

A Personis itaque primitus inchoantes, statuimus: ut tam officialis dictæ curiæ, quam decanus de Arcubus, suus commissarius generalis, in initio administrationis susceptæ, corporale præstent ad sancta evangelia juramentum, quod in officiis ipsis, pro suis vicibus, diligenter & fideliter se habebunt, ac favoris, odii, & cupidinis cujuscumque tramitibus, depulsis penitus & omissis, justitiam facient plenam & puram in singulis, quatenus humana fragilitas patitur, juxta posse. Iura vero & laudabiles consuetudines & ordinationes scriptas, una cum statutis ejusdem curiæ novis & antiquis, quatenus antiqua novis non obviant, quatenus ad eos pertinent, observabunt, & ab aliis ministris ejusdem curiæ quibuscumque diligenter & fideliter facient observari. Simile quoque juramentum commissariis ipsius officialis, in sui & dicti decani absentia constitutis, similiter subeatur.

II. *Forma juramenti examinatorum & clericorum.*

Examinatores quoque ipsius consistorii de Arcubus, quos duos duntaxat, ut consuetum est, fore censemus, & clerici ad registrum & faciendas copias, ac etiam ad scribendum responsiones partium & dicta testium, deputati, iuramento simili, quatenus ad eos pertinet, se adstringant, de faciendo & exequendo videlicet diligenter & fideliter, sine favore cujuscumque, vel odio aut materia cujusquam inordinatæ cupidinis, quod eorum incumbit officio, & de consuetudinibus ac statutis, ut præmittitur, observandis, ac etiam de faciendo * . . . . in iis est, eadem observari: quodque non erunt in adeundo difficiles, nec in sumptibus indebite onerosi. Verba judicis. In officio « tuo, pro viribus tuis, diligenter & fideliter te habebis, « ac curiæ Cantuariensis ordinationes scriptas, una cum « statutis ejusdem curiæ, novis & antiquis, quatenus an- « tiqua novis non obviant, observabis «

* *f.* quantum in iis est,

III. *Forma juramenti advocatorum & procuratorum.*

Advocati etiam & procuratores prædicti consistorii generales, jurent similiter formam scriptam ibidem: hoc addito, si non contineatur in ea, quod consuetudines & statuta prædicta, quatenus ad eos pertinent, observabunt, & quod factum in judicio non proponent, nisi quod verum & iustum, prout informabuntur a partibus, esse credunt. Quodque in informationibus recipiendis a partibus, veritatem facti ab eisdem cum omni qua poterunt cautela elicient, & pericula eis inde per viam judicii affutura, quatenus id sciunt, partibus ipsis patenter exponent, desperata negotia scienter nullatenus assumentes: sed cum eis causas seu negotia iniusta esse constiterit, prout tenentur de iure, totaliter derelinquent.

IV. *De præsentia officialis, & quod se diutius non absentet.*

Insuper statuendo decernimus, ut officialis Cantuariensis, cuius damnosa sæpius reputatur absentia, longe a civitate London. se absque causa rationabili vel legitima diutius non divertens, in rescribendo se facilem & benignum, ac etiam sine morosa protractatione petentium expeditum exhibeat, & ad iustas petitiones receptas cito & sine difficultate rescribat, & citius ubi in mora periculum viderit imminere: videlicet in testamentariis, matrimonialibus, alimentorum & beneficiorum causis & negotiis, ubi de violenta intrusione, seu spoliatione, aut declaratione vacationis ecclesiæ, seu de providendo ecclesiæ vacanti, suggeritur: in quibus mora trahit periculum corporum, & etiam animarum.

V. *De præsentia officialis in consistorio.*

Item quod officialis in singulis sessionibus per aliquot dies, quando opportunum esse conspexerit, suam si possit præsentiam exhibeat personalem, & appellationes a decano de Arcubus suo commissario, vel alio commissario suo, in ipsius & decani supradicti absentia, a gravamine interjectas, de plano procesSus examinans, statim terminet & decidat. Si vero a diffinitivis ipsorum sententiis fuerit appellatum, tunc appellationum huiusmodi merita, consueta indagine dirimantur.

VI. *Quantum debet recipi pro sigillo, & a clericis pro scriptura.*

Item quod pro suggestionibus, aut executionibus, seu aliis quibuscumque litteris sigillandis, pro quibus pecunia recipi consuevit, amplius quam sex denarii pro sigillo quolibet non solvantur: & pro scriptura earum secundum quantitatem ejusdem recipiatur pecunia, officialis vel decani arbitrio, si necesse fuerit, moderanda. Sed in originalium attestationum scriptura, decem pollices in longitudine lineæ continente, pro duodecim lineis unus denarius, in attestationum autem hujusmodi vel processuum copiis, pro viginti quatuor lineis eiusdem longitudinis unus denarius tantum recipiatur. Quæ omnia in apta & legibili littera, cum congruo interlineari spatio conscribantur: de qua copia statim fiat collatio per iuratos examinatores vel clericos consistorii antedicti.

VII. *De salario examinatoris.*

Item examinator, pro examinatione cuiuslibet testis tantum recipiat, & non amplius, quantum recipitur pro scriptura attestationum originalium testis primi. Ad cuius examinatoris salarium, si pars adversa contra quam producitur, interrogatoria sua tradiderit, pro interrogatoriis eiusdem contribuat, quantum examinator, in virtute sui sacramenti in assumptione sui officii præstiti, vel judex in ejus defectum, duxerit moderandum. Si vero examinator pro ampliori lucro captando, impertinenti verborum confusione, attestationes conscripserit vel conscribi fecerit primi testis: cum de hoc convictus fuerit, ab officio suo perpetuo deponatur, maiori acrimonia, si res exegerit, puniendus, ad arbitrium prædicti consistorii præsidentis.

VIII. *De numero advocatorum & procuratorum, ac etiam de statu & conditionibus eorundem.*

Statuimus insuper, ut sexdecim advocati & decem procuratores dumtaxat, in consistorio ipso iurati existant, eidem consistorio totaliter intendentes, qui nec alia consistoria postulando, seu procuratoris officium exercendo, sine præsidentis eiusdem consistorii licentia speciali, eis ex causa dumtaxat legitima concedenda, frequentent; illis videlicet horis, quibus causæ & negotia solent in eodem consistorio ventilari. Nec alicuius servitio tanquam familiares specialiter astringantur: nec etiam sacerdotes, advocati vel procuratores de numero prædictorum, ut supra iurati, in consistorio prænotato existant: nec presbyteri, si in eodem consistorio quandoque postulare voluerint vel etiam procurare, nisi pro seipsis, aut in causis ecclesiarum suarum, vel pro suis dominis, quorum sunt familiares & domestici, aut pro miserabilibus personis, & hoc gratis sine salario & dono quocumque, in prædicto consistorio publice postulent, vel officium procuratorum assumant. Nec quisquam in dictorum advocatorum numero, nisi qui iura civilia & canonica per quinquennium, vel quadriennium ad minus, in scholis alicuius universitatis vel municipii publice prius audierit, & per unum annum ad minus in eodem consistorio steterit, admittatur.

IX. *De locis & sedibus.*

Antiquiores etiam advocati in sedibus ex opposito judicis collocentur: cæteris ab utroque latere, prout sunt priores vel posteriores in tempore, propius & remotius collocatis. Quod & in procuratoribus volumus observari.

A X. *De pœna eorum qui falsum committunt, vel testes aut instrumenta subtrahunt aut corrumpunt vel occultant, seu procuratoria revocari procurant.*

Decernimus etiam statuendo, quod si quis examinator, clericus, advocatus, vel procurator consistorii prædicti, falsum in officio suo committat, vel probationes partis alicuius malitiose subtrahat, aut impediat seu impedire procuret; vel falsis instrumentis & præcipue procuratoriis tempore limitatis, post tempus huiusmodi, vel aliter revocatis tacite vel expresse, scienter utatur, aut vera instrumenta supprimat vel corrumpat, seu testes subornet, vel subornari & corrumpi procuret, aut falsas causas seu negotia, de consuetudine scienter assumat, vel falsum factum scienter proponat vel proponi faciat, aut prohibitiones regias in casibus in quibus locum non habent, impetrari, seu exhiberi procuret, seu huiusmodi prohibitionum impetrationi aut usui consentiat tacite vel expresse, aut præsidenti dictæ curiæ mandata quæcumque porrigi, eis præjudicativa seu impeditiva processuum eorundem, falso & malitiose (quos non ambigitur in maioris excommunicationis sententiam, latam contra violatores seu turbatores jurium & libertatum ecclesiæ, incidisse) si de his vel eorum aliquo convictus extiterit, a consistorio perpetuo suspendatur: de quibus omnibus, officialis vel decanus de Arcubus, vigilanter inquirat, quoties fuerit opportunum. Si vero de præmissis convinci non potuerint, sed de his aut eorum aliquo fuerint publice diffamati, vel certa ratione suspecti: donec legitime se purgaverint, ab officio suspendantur. Ad quam purgationem præstandam, si purgandi protervia, vel magnitudo delicti, aut diffamationis seu suspicionis huiusmodi id exigat, idem purgandus ad audientiam archiepiscopi Cantuariensis qui erit pro tempore, per præsidentem dicti consistorii, si expediens esse viderit, remittatur. Hoc idem de procuratoribus, illicite attachiamenta per laicalem potentiam fieri de judice vel de parte procurantibus, aut de procuratione huiusmodi diffamatis & suspectis, præcipimus observari. Occultantes insuper procuratoria, quibus sunt usi, & procurantes per malitiam ipsa procuratoria revocari, si id causæ dispendium, aut adversario præjudicium afferat, statim graviter puniantur: & incorrigibiles, perpetuo suspendantur. De his etiam violenta præsumptione suspecti, legitime & incontinenti se purgent: aut, ut præmittitur, suspendantur.

XI. *Ne quis alium in officio suo supplantet.*

Prohibemus etiam, ne quis alium in officio aliquo supradicti consistorii insidiose supplantet: & si de hoc convictus extiterit, ab officio, quousque hoc emendabitur, suspendatur.

XII. *De puniendo advocatos & procuratores garrulos.*

Item judex advocatos & procuratores garrulosos & tumultuosos, ac etiam convicianter coerceat: unoque electo negotio cæteri sileant, quousque inchoatum expediatur negotium ea vice; ac etiam curialiter & modeste se habeant, & proponenda proponant. Et qui contra fecerit, arbitrio judicis puniatur: & si super hoc incorrigibilis maneat, a consistorio perpetuo suspendatur.

XIII. *Quod advocati aut procuratores se a consistorio non absentent. Et quod registrum suo ordine primitus expediatur.*

Item, quia advocatorum & procuratorum absentia, negotiorum celerem expeditionem impedire, & ordi-

ANNO CHRISTI 1295.

ordinem debitum perturbare registri frequentius consuevit: caveăt advocati & procuratores consistorii, ne dum causas in eo tractandas habuerint, sine licentia judicis se absentent, quin socium habeant, per quem causa possit opportune, & sine morosa dilatione tractari: & quod tempestive veniant omni die, usque ad solutum judiciũ eo die, sine licentia judicis nullatenus recedentes, pœna eis statim imponenda si contra fecerint: & si incorrigibiles super hoc fuerint, suspendantur. Registrum etiam, ne ejus ordo turbetur, expediatur primitus suo die, si fieri poterit: alioquin die sequente, ordine ipsius registri modis omnibus observato, nisi forte instans productio testium, quæ sine dispendio differri non poterit, hujusmodi ordinem ex æquitate quandoque postulet interverti.

XIV. *Quod procuratores sine advocatis causas non assumant: & quod tam advocati, quam procuratores, & cæteri ministri, in causis pauperum, officium suum gratis impendant.*

Item procuratores sine advocatis causas vel negotia non assumant, nec etiam prosequantur: sed sui officii finibus sint contenti. Causas etiam pauperum judex certis advocatis & procuratoribus gratis suscipiendas assignet: & tam examinatores, quam clerici jurati de consistorio, eisdem pauperibus officium suum caritative & gratis impendant. Quas causas judex præ cæteris citius, si fieri poterit, expedire conetur, nihil pro examinatione processuum, aut sententiarum litteris executoriis a personis hujusmodi exigendo.

XV. *De pœna advocatorum & procuratorum, procurantium dilationes frivolas.*

Item advocatus vel procurator, qui per notorie falsas, seu frustratorias appellationes, a gravamine, vel a diffinitivis sententiis interjectas, processus decani de Arcubus, vel etiam officialis curiæ nostræ, aut commissarii ipsorum cujuscumque, executionesve suarum sententiarum, malitiose retardaverit, aut retardari procuraverit impudenter: cum de hoc convictus fuerit, locum suum amittat, & ab officio postulandi seu procurandi, per præsidentem curiæ suspendatur perpetuo, vel ad tempus, prout qualitas negotii & delinquentis excessus hoc exigit & requirit.

XVI. *Ne ministri consistorii tabernas exerceant.*

Ad hæc, cum sicut profecto didicimus, in caupona seu taberna, ubi vinum intemperantiæ ministratur, machinationes variæ ad subversionem justitiæ, præsertim inter nonnullos procuratores consistorii nostri prædicti, & partes de sua justitia diffidentes consueverint intervenire: volentes morbo hujusmodi, qui jam invaluit, temperantiæ fracto fræno, remedio occurrere salutari, statuimus, ne de cætero advocatus vel procurator dicti * consistorii ministri, cuiuscumque gradus existant, publice vel occulte, præsertim frequenter & de consuetudine, tabernarius esse præsumat, aut tabernas ingrediatur, nisi necessitas ipsum ad hoc urgeat, quod non creditur posse frequenter & de facili evenire. Quod si secus factum fuerit, & super hoc legitime convictus extiterit: ad arbitrium officialis nostri vel decani de Arcubus acriter puniatur: & si pertinacia sua hoc exegerit, a consistorio totaliter suspendatur. Istud etiam statutum, ad concubinarios, & adulteros, errones nocturnos, & publica frequentantes spectacula, necnon cæteros notorie criminosos, extendi volumus in futurum: ut illi quos facinora huiusmodi coinquinant & æquant, pœna simili percellantur.

* Deest forte & alii

XXVII. *De suspectis assessoribus, & advocatis clandestine procuratis.*

Quia excrescentes industriæ machinosæ, iustitiam puram & debitam frequenter impediunt & pervertunt, & in eo præcipue, quod assessores & advocati, qui palam pro parte non postulant, ad quorum, tanquam non suspectorum, consilium in interloquutoriis, & sententiis in consistorio prænotato ferendis, de consuetudine curiæ supradictæ, a iudice seu præsidente recurritur bona fide, per partem alterutram clandestine procurati, & ad id quandoque conducti, a principio forte indifferentes se simulant, & finaliter iudicem ad iniustitiam faciendam solicitant & inducunt: firmiter inhibemus, & inhibendo statuimus, ne id de cætero committatur, seu etiam procuretur, sub pœna excommunicationis maioris, quam contravenientes se noverint incursuros: eo salvo, quod partes, viros sapientes, providos, & fideles, non tamen advocatos curiæ vel ministros, procurare valeant; ut gratis & sine aliquo, ea ratione, dato primitus vel promisso quandoque assideant, judicii sanum consilium, justum & fidele daturi, cum a judice fuerint requisiti. Advocati vero cæterique ministri curiæ, qui alterutrius partis consilio aut parti alteri adversantes qualitercumque prius extiterint, vel existunt, seu etiam parti alicui justa ratione suspecti, se in interloquutoriis vel sententiis ipsis non ingerant, sed recedant sub pœna superius adnotata: quod etiam in virtute sui sacramenti præstiti, ab eisdem præcipimus observari. Si secus fecerint, & de hoc convicti extiterint, tanquam perjuri, ut præmittitur, & excommunicati, graviter puniantur: & si ad id assueti extiterint, a consistorio perpetuo suspendantur.

XVIII. *Quot advocatos aut procuratores una pars habere valeat, & de dando advocatum aut procuratorem parti non habenti, & præcipue in causis tangentibus ministros curiæ.*

Sæpe contingit in consistorio supradicto, quod pars una potentior, vel in malitia excogitanda sagacior, tot advocatos aut procuratores assumit, quod pars altera propter advocatorum vel procuratorum defectum remanet indefensa, seu opportuno præsidio destituta. Frequenter etiam evenire didicimus, quod si causa vel negotium in dicto consistorio agitatum, aliquem advocatum, procuratorem, vel ministrum curiæ memoratæ contingat, pars altera advocatum vel procuratorem pro se habere non poterit quoquo modo. Volentes igitur super his congruum adhibere remedium, statuimus, & in posterum observari præcipimus, ut pars una sex advocatis ad plus, duobusque procuratoribus, de dicto numero sit contenta, aliumque vel alios nullo modo solicitet aut solicitari procuret, ut parti suæ se applicent, aut ab adversa parte se subtrahant quoquo modo, sub pœna amissionis causæ, aut mulctæ sibi, si contrarium fecerit, per judicem indicendæ. In secundo vero casu præcipimus, ut judex advocatos & procuratores parti non habenti, statim, si hoc petatur, assignet, suum hujusmodi postulationis seu procurationis officium, pro iusto, &, si necesse fuerit, per iudicem statuendo salario, fideliter impensuros. Ad hoc advocati & procuratores huiusmodi, nisi evidentem & sufficientem causam suæ recusationis statim ostenderint, per judicem efficaciter compellantur.

XIX. *Ut originalia instrumenta partibus retradantur.*

Originalia siquidem instrumenta causarum seu negotiorum, videlicet bullæ, commissiones, procurato-

ANNO CHRISTI 1295.

ria, feraria, & similia, quæ sunt a substantiali parte processus, in consistorio supradicto examinata, factis exinde copiis his, quibus sunt de jure vel consuetudine faciendæ, & transcriptis etiam eorumdem penes clericum consistorii retentis, si id videatur expediens, parti prius hujusmodi instrumenta exhibenti, illico sine difficultate reddantur, in suo processu, prout jus exigit, collocanda.

XX. *Quod non rescribatur in correctionibus à denegatione articuli vel libelli.*

Item in correctionibus ex vero officio faciendis, ubi duntaxat sunt reo exponenda, seu edenda capitula, non a denegatione libelli vel articuli, sed a denegatione editionis seu expositionis capitulorum, ut præmittitur, tantummodo rescribatur. Hoc tamen statutum ad beneficia non extendimus, circa quæ secundum qualitatem facti est aliquando procedendum.

XXI. *Quando & qualiter debeat, vel quando non debeat, de subditorum negligentia ad querelas rescribi.*

In dicta etiam curia, ut dicitur, corruptela noviter inolevit: videlicet, quod in causis & negotiis coram episcopis suisve officialibus agitatis, quæ judiciarium ordinem, & longum quandoque processum, de sui natura requirunt, suggesto dictæ curiæ per partem alterutram, quod judex ipse causam eandem negligenter & plus debito detinet in suspenso, mandatur eidem judici per officialem curiæ nostræ supradictæ, quod infra unum vel duos menses ad plus, terminet causam ipsam: alioquin ad certum diem citet partem adversam, ut in causa eadem, in curia prænotata procedat. Quo casu, ex solo cursu temporis hujusmodi, infra quod causa terminari aliquando non potest, judex negligens reputatur, & pro hoc causa dicitur ad dictam curiam devoluta, non obstante si diligentia judicis allegetur ibidem per judicem vel per partem. Volentes igitur in causis præcipue inchoatis iurisdictionem unicuique observare, ne ad impossibile, ut prænotatur, arctatus, suam jurisdictionem amittat: statuimus, ut quando de negligentia inferioris judicis querelatur in causis vel negotiis coram eo primitus inchoatis, per officialem Cantuariensem in forma debita rescribatur. Quo casu judex querelatus, aut etiam pars adversa, suas iustificationes habeat, quoad excusandum negligentiam antedictam; & tunc super hoc fiat ulterius quod est iustum.

XXII. *Ut in correctionibus non appelletur regulariter ad tuitionem, nisi a diffinitiva.*

Statuimus quoque futuris temporibus observandum, quod si qualitercumque in correctionum negotiis, ubi de beneficii priuatione, vel vacationis ipsius declaratione, ratione alicuius criminis vel defectus non agitur, ex officio procedatur ad curiam Cantuariensem, pro tuitione nullatenus appelletur, nisi a decisione finali, seu diffinitiva sententia, pars duxerit appellandum: & si de facto appellatum fuerit, per officialem Cantuariensem ad appellationem huiusmodi minime rescribatur. Idem volumus & statuimus observandum, quando de privatione beneficii, vel ipsius vacationis declaratione, aut de illis, quæ testamenta vel provisionem vacanti ecclesiæ faciendam, seu alimenta præstanda, vel intrusionem in beneficiis ecclesiasticis factam, seu violentam rerum ecclesiasticarum spoliationem aut invasionem, vel jurium & libertatum ecclesiæ læsionem respiciunt, ex officio agitur per ordinarium quemcumque vel alium, a quo potest directe ad curiam Cantuariensem appellari. Cum autem in præmissis casibus, vel eorum aliquo, licite, & secundum normam præsentis statuti, pro tui-

A tione fuerit appellatum: liceat parti appellatæ, propter periculum evidens animarum, factum contrarium & exclusorium proponere & probare, quamvis factum tetigerit principale.

ANNO CHRISTI 1295.

XXIII. *De impetrantibus bis tuitorie vel directe super eodem gravamine.*

Diligenti etiam studio in eadem curia providere præcipimus, ut bis pro eodem gravamine numero tuitorie, vel bis directe, vel forsan semel directe, & semel ad eandem curiam tuitorie, appellantes, ab ultima repellantur omnino. Et pro variatione hujusmodi, in expensis & interesse partis adversæ si quod damnum pendente inhibitione incurrerit, statim declarandis, B summarie condemnetur: & nihilo minus pro juris offensa canonice illico puniatur.

XXIV. *Ut suggerens contra partem, eam citari procuret.*

Item quando ad instantiam partis proceditur, & sic alius quam ipse cui scribitur est citandus: impetrantes probent in curia supradicta, una cum traditione litteræ citatoriæ, suam diligentiam in procurando partem adversam citari. Alioquin is cui scribitur, de contemptu nullatenus puniatur.

XXV. *Ne ad gravamina generalia tuitorie de facili rescribatur.*

C Ad gravamina quoque generalia, videlicet à denegatione copiæ, vel consignationis instrumentorum, vel actorum judicialium, nisi expressa fiat instrumentorum, aut actorum hujusmodi specificatio, nullatenus tuitorie, & præcipue ubi directe ad curiam Cantuariensem appellari poterat, rescribatur.

XXVI. *Qualiter examinatores se habere debeant in positionibus audiendis, & testibus examinandis.*

Examinatores quoque dicti consistorii diligenter observent, ut ad positiones & interrogationes, claras & sufficientes responsiones a partibus, in advocatorum & procuratorum, ubi partes principales respondent, absentia faciendas, si possint eliciant: ad quas po-D sitiones & interrogationes non in scriptis, sed partes ipsæ respondeant viva voce. Et in examinationibus testium, singula quæ ad veritatem, quoad partem utramque eliciendam juvare poterunt, de circumstantiis quibuscumque, & de scientiæ causa in singulis vigilanter interrogent, & exquirant, ac de interrogatoriis pertinentibus, quantum est possibile, solum quærant. Et testes eo ordine quo producuntur, pro suis viribus in examinando expediant sine mora: nec aliquos clericos, ad scribendum responsiones partium, aut testium depositiones, recipiat clericus consistorii præmemorati, nisi quos æstimet suo periculo, ad id idoneos & fideles, qui dicta testium fideliter scribant, E eaque aut publicationem ipsorum, nec verbo, nec facto, vel nutu aut signo revelent aut detegant, seu in notitiam alicujus devenire faciant aut permittant. De quibus omnibus præstent, ut supra statuimus, ante omnia juramentum.

XXVII. *De protocollo a clerico registri primitus faciendo.*

Faciat etiam clericus registri, in quo acta judicialia rescribuntur diebus singulis, in schedula primitus, prout factum concepit, protocollum. Et si sit in eo aliqua extra communem cursum dubietas, in registro non inserat, quousque judex hoc corrigat & reformet: hoc etiam partibus, si voluerit, ostendatur.

XXVIII.

ANNO CHRISTI 1295.

XXVIII. *De modo procedendi in contemptibus tam contra suffraganeos quam cæteros.*

Item statuimus, ut in contemptibus dictæ curiæ puniendis, judex statim ex officio, una citatione vel monitione præmissa, juratis de veritate dicenda partibus, per interrogationes & responsiones ad eas, si possit, eliciat veritatem, aut statim probationes admittat. Et si quis advocatorum aut procuratorum, contra aliquod istorum, se sine causa justa & evidenti opposuerit, ab officio, quousque super hoc emendatus fuerit, suspendatur. Circa vero dicti consistorii contemptores, cum multiplex sit contemptus, videlicet in non parendo mandatis, in impediendo quo minus ad mandatorium tempore competenti perveniatur, in vituperiis factis partibus vel nunciis mandatoris, & in faciendo directe contra mandata: statuimus, ut probatione, ut moris est, summarie habita de contemptu, & contemptore personaliter, si sit inferior episcopo, statim super hoc, ad judicium evocato, ac de veritate dicenda per eundem præstito juramento, factisque sibi interrogationibus & responsionibus subsequenter ad eas, si per confessionem suam, aut probationes coram eo illico ministrandas, convictus extiterit, aut etiam in purgatione legitime sibi indicta defecerit, parti per hoc læsæ, ad suum interesse, & damna, ac etiam ad sumptus promotionis ipsius officii, taxandas seu taxanda, per partem eandem juranda, protinus condemnet. Et nihilo minus pro delusione juris & judicis, seu curiæ antedictæ, mulctetur: eaque statim per sequestrationem bonorum ecclesiasticorum, si ea contemptor habeat, seu si necesse fuerit, per interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, executioni mandentur: aut si contemptor ad præmissa solvendo non fuerit, pœna sibi canonica juxta qualitatem excessus per judicem imponatur. De episcopo vero pro contemptu citando, volumus, ut per procuratorem ad id sufficientem, in curia prænotata compareat: & iuramento a procuratore eodem in animam domini sui ut supra præstito, habitisque, ut præmittitur, per eundẽ ad interrogata responsionibus convictus, ut prætangitur, damna, interesse, & sumptus parti persolvat ut supra. De offensis vero juris & judicis seu curiæ antedictæ, quoad ea punienda, post pronunciationem in dicto consistorio super hoc factam, ob episcopalis reverentiam dignitatis, archiepiscopo Cantuariensi, qui pro tempore fuerit, ipsa pœnæ seu mulctæ impositio seu taxatio reservetur. Et dictæ curiæ præsidens, contemptores quoscumque convictos iurare faciat, sub certa pœna, quod dictam curiam scienter de cætero non offendant. Si vero de contemptu evocatus, super hoc innocens detegatur: pars huiusmodi fatigationem procurans, ad arbitrium præsidentis, si manifestum invenerit, in talem promovente calumniam puniatur. Præcipientes, & in virtute obedientiæ iniungentes, omnibus & singulis, tam episcopis, quam cæteris nostræ diœcesanæ vel metropolitanæ iurisdictioni subiectis, ut ad dictam curiam appellare volentes, vel mandata curiæ adhibere, ad eos accedere sine impedimento permittant, ipsosque audiant patienter, & mandata ipsius curiæ eis directa, accessu libero concesso portantibus, devote suscipiant, & eis reverenter pareant, ut tenentur. Nullumque impedimentum aut obstaculum interponi seu fieri quantum in eis est, patiantur, quin præmissa fiant libere sine mora: & hoc etiam efficaciter familiaribus suis, quos gubernare, instruere, & castigare tenentur, injungant. Et si scienter contra factum fuerit, cum de hoc sufficienter constiterit: ipsi quibus mandata diriguntur huiusmodi, eo ipso contemptores dictæ curiæ reputentur.

A

XXIX. *De mittendo ad personas egregias vel alias, & de tempore hoc petendi.*

Statuimus quoque, ut si ad personas egregias, aut testes senes, vel valetudinarios, pro recipiendo testimonio sit mittendum, illud in prima vel secunda productione, ante tertiam productionem omnino fieri postuletur. Quod si usque ad tertiam productionem malitiose, quod eo ipso præsumitur, omissum fuerit: volens ulterius ad producendum ipsos admitti, nullatenus audiatur, nisi fidem fecerit, corporali præstito iuramento, quod de novo pervenit ad ejus notitiam, testium hujusmodi testimonium in causa sua seu negotio, utile esse vel necessarium, aut eos senes, aut valetudinarios extitisse: (tu neque per te, neque per alium testificata subtraxisti, vel fuisti percontatus, nec per dolum nec artem aliquam, quartam productionem exposcis; sed quia testes quos desideras de novo producere, prius habere nequivisti) solennitate juris, quæ in quarta productione requiritur, in suis casibus nihilo minus observata.

B

XXX. *De tempore proponendi justificationes, & modo præbendi easdem.*

Statuimus insuper, ut si quando justificationem directe contrariam intentioni, vel replicationem directe contrariam exceptioni, aut duplicationem replicationi, seu deinceps, proponi contigerit: hoc statim fiat quoad justificationem, post litis contestationem, & post exceptiones vel replicationes, & deinceps, quarum probationes de jure concurrere debent, propositas: aut saltem intra triduum a tempore propositionis & admissionis canonicæ earundem, ut sic probationes concurrere valeant super eis.

C

XXXI. *Ne advocatus vel procurator in casibus testificet in eisdem.*

Ad hæc procurator, qui in publici causa seu negotio occupavit, & advocatus qui publica postulavit, & de hoc statim constare poterit, in tuitoriis negotiis testes nullatenus admittantur. Et si procurator in tuitorio constitutus aliqualiter occupaverit, postea non substituet, ut in eodem testimonium prohibeat, sicut aliquando fieri consuevit.

D

XXXII. *De tempore contestandi, & justificandi contestationem.*

Statuimus insuper & inviolabiliter volumus futuris temporibus observari, in omnibus causis & negotiis, in quibus litis contestatio requiritur, quæ ad curiam Cantuariensem quomodolibet devolvuntur, & in consistorio prædicto de Arcubus ventilantur, quod die data ad præcise & peremptorie contestandum, eadem die plene contestetur. Et si litem* suum adjiciendo videlicet aut etiam declarando, seu quicquam aliud proponendo, quod juxta contestationem adiici aut declarari, de iure, vel dicti consistorii consuetudine poterit, vel proponi: illud incontinenti post contestationem faciat ipso die: alioquin volens postea dictæ diei soluto iudicio iustificare, ut præmittitur, nullatenus audiatur. Sed salva sit sibi materia, quantum sapit exceptiones peremptorias, per viam peremptoriarum in ingressu litis suo tempore proponenda: & statim iuxta qualitatem & naturam causæ seu negotii, de calumnia, seu de veritate dicenda, juretur hinc inde: nec detur dilatio ad jurandum, nisi evidens causa hoc suadeat, quod judicis seu præsidentis soli committimus arbitrio, sicut hactenus passim fere, & sine delectu causarum & negotiorum, novimus in præfato consistorio minus provide observatum.

E

ANNO CHRISTI 1295.

XXXIII. *De querelis super excommunicatione injusta.*

Querelis etiam de injusta excommunicatione suggestis, in quibus per superiorem absolutio petitur, ad absolutionem impendendam non aliter procedatur, nisi excommunicatoris negligentia super hoc quantum jura exigunt detegatur: & tunc suas excusationes ante absolutionem per dictam curiam impendendam habeat querelatus, dum tamen excusationes suas incontinenti probare legitime sit paratus.

XXXIV. *De appellationibus tuitoriis, a gravamine partis, & modo probandi easdem.*

In appellationibus quoque tuitoriis, a gravamine partis, prout est consuetum, suggestis, quando de possessione, vel [a] quasi rerum spiritualium agitur, vel spiritualibus annexorum, in quibus nimium est periculosa possessio vitiosa, ne taliter appellantes vitiosum ingressum per summarias probationes continuent vel procurent: statuimus, ut testes appellantis, tam de possessione de qua suggerit, quam de ipsius qualitate, videlicet utrum justa fuerit vel injusta, necnon de causa scientiæ, & aliis circumstantiis, sufficienter & sigillatim in singulis requirantur; & pars appellata, pro possessione sua, vel contra possessionem appellantis, in facto contrario seu exclusorio, legitimas defensiones volens proponere, audiatur, ad tuitionis beneficium excludendum, quamvis sic propositum factum tetigerit principale. Et qui potior in possessione legitima, videlicet non clandestina, precaria, vel violenta, per probationes idoneas inventus extiterit, obtineat per decretum: proviso modis omnibus, ut per viam revocationis gravaminum, aut aliis excogitatis industriis, vitiosus non continuetur nec constituatur possessor, nec canonice possidens expellatur: & taliter suggerens si succumbat, ad omne interesse partis adversæ, ea ratione illico condemnetur. Et nihilo minus sic intrusus, seu sibi violentam possessionem usurpans, pœnas de intrusis, seu de hujusmodi [b] violenta possessione statutas, sibi per competentem judicem infligendas [b].

[a] *f.* rerum spiritualium, vel quasi spiritualium

[b] *Deest* noverit.

XXXV. *De tuitoriis contra episcopos & eorum officiales suggestis, & justificationibus super eis proponendis, & modo probandi easdem.*

In appellationibus etiam tuitoriis quibuscumque ab episcopis vel eorum officialibus, a quibus ad curiam Cantuariensem directe poterat appellari, salubriter duximus statuendum: ut justificationes eorundem episcoporum, suorumve officialium, etiamsi factum principale contingant, ad tuitionis duntaxat effectum impediendum, ut superius tangitur, admittantur; & nec in tuitionum articulis, nec in contrariis aut exclusoriis factis, seu justificationibus quibuscũque, admittantur testes notorie excommunicati, infames, vel perjuri: dum tamen impedimenta hujusmodi die productionis partis appellantis in ipso negotio proponantur, & eadem die, vel in crastino, indubitatis probationibus detegantur. Testes etiam in ipsis tuitoriis, a quacumque parte producti, de causa scientiæ sigillata, in singulis, & de circumstantiis magis idoneis, diligentius requirantur, quam hactenus extitit observatum: & hoc præsertim ubi agitur de restitutione rerum corporalium, vel incorporalium facienda, & in eventu revocationis gravaminum, probata dumtaxat specialiter non generaliter revocentur: ita quod revocationis executio, tuitionis limites non excedat, qui limites sunt, ut in statum debitum reducatur appellans, & tueatur in eo per tempus debitum, ne in rebus capiatur interim aut persona.

XXXVI. *De absolutione ad cautelam.*

Item absolutio ad cautelam, vel ante omnia quæ in A eadem curia ad solam suggestionem impenditur, non nisi summaria probatione præhabita, quæ de jure requiritur, impendatur.

XXXVII. *Quando sit pro processu mittendum, & quando non.*

Item in causis ad dictam curiam per appellationem, consensum partium, vel alio modo legitime devolutis, pronunciato pro jurisdictione curiæ antedictæ, si pars utraque totum processum super hoc prius habitum, sigillo judicis, a quo sic appellabatur, in promptu habeat sigillatum, pro processu eodem ad judicem mittere non oportet: de quo an ita sit, partes B eædem, si necesse fuerit, in virtute juramenti præstiti requirantur, & veritatem agnoscere teneantur. Sed collatione processus huiusmodi hinc inde habita, negotium ipsum, seu causa ipsa, quam citius fieri poterit, in statu debito resumatur: alioquin si propter defectum processus huiusmodi, ad primum judicem sit mittendum: eodem processu transmisso, si pars alterutra processum eundem ut supra sigillatum exhibeat, statim fiat exinde collatio: & facta copia eius, quod defuit de processu eodem, causa seu negotium resumatur ut supra. Si a gravamine fuerit appellatum, aut etiam principaliter querelatum, vel si a diffinitiva sententia sic appellatum extiterit: tunc facta C collatione huiusmodi, tempus idoneum ad proponendum iniquitates processus, & sententiæ, parti appellanti, ut moris est, assignetur, prætermissis penitus dilationum ambagibus, quæ circa processus sic transmissos dari solebant in consistorio prænotato: nec pars aliqua, nisi in forma prædicta, processus sic transmissi copiam redimere compellatur.

XXXVIII. *De continuando processum processui; vel noviter inchoando.*

In causis etiam & negotiis quibuscumque ad curiam Cantuariensem per consensum partium, vel alio modo legitimo devolutis, & præcipue in favorabilibus ante dictis, liceat parti originaliter actori (ad arbitrium tamen judicis præsidentis) primum continuare seu iustificare processum, vel causam seu negotium D ipsum in curia Cantuariensi, sine partis adversæ quoad pristinam fatigationem dispendio, noviter inchoare, subductis processibus prius habitis in eadem.

XXXIX. *Si pars utraque ab eodem appellet, quæ pars alteri præferatur?*

Item si quando in eadem causa, a facto judicis, per utramque partem pro tuitione fuerit appellatum, & per appellationem huiusmodi, ac de consensu partium, principale negotium ad curiam Cantuariensem, sicut cõsuevit fieri, fuerit devolutũ: iuxta formam suggestionis, illius introducatur causa, qui in curia Cantuariensi super appellatione huiusmodi primitus impetravit.

E XL. *Ut dimissus, iterato super eodem vel alio gravamine prius illato suggerens, repellatur.*

Præterea, si quando partem appellatam in tuitoriis negotiis, ab examine curiæ Cantuariensis dimitti contigerit, quia pars appellans quod intenderat non probavit, aut quia non prosequebatur, ut debuit, appellationem tuitoriam quam suggessit: super eisdem gravaminibus, vel aliis eidem tunc aut prius illatis per taliter suggerentem, ut super illis noviter impetret tacitis & omissis, cessante legitimo impedimento, de novo suggerens, nullatenus audiatur: nisi prius refusis expensis, quas pars appellata prætextu primæ appellationis frustratoriæ, summaria probatione docuerit per se fecisse. Idem vero volumus in omnibus obser-

servari, si a diffinitiva sententia tuitorie fuerit appellatum.

XLI. *De eo qui appellationem directam, in qua sibi datur tuitio, non prosequitur infra tempus.*

Item si pars appellans, cui tuitionis beneficium est concessum, infra tempora fatalia directam appellationem suam, cessante legitimo impedimento, prout de iure tenetur, non fuerit prosequuta: in eadem causa iterum pro tuitione appellans autoritate curiæ Cantuariensis minime tueatur, nisi a diffinitiva sententia duxerit appellandum.

XLII. *De eodem.*

Item si pars appellans, cui tuitionis beneficium est concessum, ut prius suam appellationem directam non fuerit prosequuta: judex appellatus post anni lapsum, in causa principali procedat intrepide, ac si nunquam fuisset in causa seu negotio huiusmodi appellatum, non expectata a curia Cantuariensi ulterius licentia procedendi: nisi ex causa infra annum appellationis prosequendæ, autoritate dictæ curiæ, tuitionis beneficium fuerit prorogatum, & de hoc judici appellato, legitimis constiterit documentis; & nisi forte infra annum, hujusmodi autoritate sedis apostolicæ fuerit inhibitum per judices, in causa appellationis directæ a dicta sede in forma debita impetratos.

XLIII. *Qualiter sit in appellationibus a decano vel alio commissario ad officialem interpositis procedendum.*

Appellationis quoque a diffinitiva sententia, per decanum de Arcubus lata, officiali curiæ Cantuariensis suggestis, per officialem sicut in cæteris similibus rescribatur. Sed dato in causa ipsa libello, procedatur in eo de plano, omnibus declarationibus, quatenus est possibile, amputatis, usque ad finalem decisionem ejusdem, præcipue cum processus causarum ipsarum, in ipsa curia sit paratus. Et qui inventus fuerit frustratorie taliter appellasse, gravius quam cæteri ab aliis appellantes, propter elusionem ipsius curiæ, puniatur.

XLIV. *De Missis in ecclesia de Arcubus in principio & in fine terminorum in ministrorum curiæ supradictæ præsentia solemniter celebrandis. Et ut iidem ministri intersint exequiis, & Missæ pro defunctis ipsius curiæ ministris tempore sepulturæ.*

Ut autem in ecclesiasticæ notionis exordiis, Divinæ clementiæ postulato præsidio, piisq; postmodum actibus subsequentibus, processus salubrior habeatur, præmissis adjiciendo statuimus: ut in cujuslibet termini primæ sessionis initio, Missa de Spiritu sancto in ecclesia beatæ Mariæ de Arcubus London. solenniter celebretur; cui ministri singuli curiæ memoratæ in civitate prædicta, vel ejus suburbio tunc præsentes intersint, nisi legitime fuerint impediti: quodque defuncto in eadem civitate, vel ejus suburbio, quocumque curiæ supradictæ ministro, videlicet judice, advocato, aut examinatore, vel procuratore, vel clerico de superius numeratis, ipsique curiæ per juramentum, ut prænotatur, astrictis, in primis exequiis, pro defuncto eodem solemniter faciendis, & in Missa solemni die sepulturæ ejusdem, omnes supradicti ministri ut præsentes (cessante, ut præmittitur, impedimento) intersint. Ac etiam in fine ultimæ sessionis cujuslibet termini, Missa pro defunctis curiæ supradictæ, in ministrorum ipsius præsentia, prout superius tangitur, cum commode fieri poterit, solemniter decantetur.

XLV. *Ne iudices aut cæteri curiæ supradicti ministri, dona vel xenia contra iuris prohibitionem recipiant, aut quæ scandalum generent quoquo modo.*

Licet quoque remedia ad nostræ curiæ Cantuariensis regimen opportunum, ut supra, provisa, magna parte sufficere videantur: judicum tamen, ac cæterorum ipsius curiæ ministrorum inordinata cupiditas, si subesset, debitam exhibitionem iustitiæ sub quæsitis coloribus, prout est visum hactenus, sæpius impediret. Ut igitur in excogitatis ad præmissa remediis, cautius ac sufficientius finaliter concludamus: statuendo decernimus, & inviolabiliter observari præcipimus in futurum, ut judices seu ministri quicumque curiæ supradictæ, a donariis quibusque seu xeniis ad munerum qualitatem, iusta præsumptione trahendis, sive a partibus in eadem curia litigantibus, seu promoventibus litigare, vel pro eisdem partibus, aut earum nomine ab aliis offerendis, sub debito iuramento ministrorum eorundem, se prorsus abstineant, exceptis dumtaxat donariis vel xeniis, quæ nec juris prohibitionem offendant, nec scandalum generent quoquo modo.

XLVI. *De consuetudinibus observandis una cum statutis prædictis: & de pœna non observantium ista statuta.*

Laudabiles vero consuetudines curiæ supradictæ, quæ præmissis statutis non obviant, inviolabiliter observentur. Nam eas cum juribus & statutis ejusdem, tam a constitutionibus prædecessorum nostrorum elicitis, quam ex causis legitimis noviter adinventis, ad regimen dicti consistorii, futuris temporibus sufficere credimus. Salvis tamen additionibus, correctionibus, & interpretationibus, ac declarationibus dubiorum, si qua in præmissis emerserint, per nos aut successores nostros in posterum quoties opus fuerit faciendis. Quæ omnia & singula, ut in suis articulis inconcusse serventur, singulis judicibus, examinatoribus, advocatis, procuratoribus, & clericis curiæ supradictæ, tam existentibus in præsenti, quam etiam loco ipsorum & eorum cuiuslibet subrogandis, quatenus ad eos divisim vel communiter pertinent, in virtute præstiti vel præstandi ab eisdem, ut præmittitur, juramenti, sub quo dictas consuetudines & statuta includimus, firmiter & inviolabiliter observentur. Et ne ignorantia statutorum ipsorum a ministris eisdem in posterum prætendatur: præcipimus ac eis injungimus, ut iidem ministri omnes & singuli, qui tempore publicationis præsentium, de consistorio memorato consistunt, infra mensem post publicationem eorumdem, cæteri vero loco ministrorum ipsorum futuris temporibus subrogandi, infra quindenam post suum susceptum officium, statutorum præsentium copiam sibi fieri faciant seu procurent; & ea tam sedulo, quam studiose respiciant, ac sæpius repetendo revolvant, ut sufficienter in eis, exclusis ambiguis, sint instructi. Quotiens autem decursis temporum prædictorum curriculis, a ministris eisdem vel eorum aliquo, statuta prædicta, seu eorum aliquod, scienter amitti aut violari contigerit: nisi intra octo dierum spatium, postmodum ad terminum competentem, correxerint contemptores ac violatores eosdem, cum convicti fuerint, tanquam periuros perpetua comitetur infamia, cinguloque militiæ suorum officiorum privati, spem consimilis promotionis amittant, suisque beneficiis ecclesiasticis, si qua habuerint, tanquam periuri priventur per iudicem competentem.

XLVII. *Terminatio & finalis conclusio statutorum.*

Fulgeat igitur & clarescat latius ex præmissis, tam cele-

ANNO CHRISTI 1295.

celebris curiæ merito commendanda iustitia, & iudices nostræ iurisdictioni metropolitanæ subiecti, suam jurisdictionem in nullo contaminatam, aut usurpatam agnoscant: & tam ipsi quam cæteri prædicti, iuris remedia, a dicta curia, quatenus ad eam pertinent, hauriant affluenter, dum ab eadem, eiusque ministris, cupidinis inordinatæ rubigine, & cuiuscumque difficultatis indebitæ, seu favoris aut odii, metuenda malitia, eliminatis penitus & depulsis, ac sufficientibus & expeditis remediis, quoad singula in curia prænotata tractanda, provisis, nihil offensivum in ea reperient; sed potius viam ingredi poterunt ordinatam ad justitiam opportunam & celerem consequendam. Has vero constitutiones futuris temporibus, semel ad minus in anno, in consistorio supradicto, videlicet in primæ vel secundæ sessionis initio anni ejusdem, palam præcipimus recitari.

Has vero constitutiones in ecclesia beatæ Mariæ de Arcubus Lond. v. Id. Novemb. ann. MCCXCV. consecrationis nostræ secundo, coram clero & populo, solemniter fecimus publicari, ut extunc in forma quæ præmittitur, robur firmitatis obtineant.

ANNO CHRISTI 1297.

** CONCILIUM LONDINENSE,

xxvi. Mart. anno Dom. MCCXCVII. præsidente Roberto archiepiscopo Cantuar. cum suffraganeis celebratum.

Ex Matthæo VVestmonaster.

Anno gratiæ MCCXCVII. congregatis archipræsule Cantuariensi, & quibusdam aliis coepiscopis suffraganeis suis, apud sanctum Paulum, Londini xxvi. die Martii, iterum pro statu ecclesiæ consulturis: insurgentes protinus duo causidici, & duo de ordine Prædicatorum fratres, regalem & temporalem favorem aucupantes, conati sunt argumentis probare clerum ipsi regi, in tempore belli, nonobstante prohibitione apostolica, de suis facultatibus posse licite subvenire. Insuper, prohibito sub pœna incarcerationis, ne quis contra ipsum regem, & eos qui jampridem suam protectionem quæsierant, excommunicationis sententiam promulgaret: provocatione facta pro se ad Romanam curiam, & pro ipsis. Recesserunt igitur omnes, oneratis suis conscientiis per archiepiscopum, sic dicentem: Salvet suam animam unusquisque.

** Sententia excommunicationis per Robertum Cantuar. archiepisc. ex synodali decreto lata contra occupatores bonorum ecclesiasticorum, & infringentes articulos chartarum; scilicet magnæ Chartæ, & chartæ de foresta: nec non contra detentores, & incarcerantes clericos.

Ex vet. codice MS. bibl. Cotton.

ROBERTUS permissione Divina Londoniensis episcopus, dilectis in Christo filiis decano & capitulo ecclesiæ nostræ S. Pauli London. salutem, gratiam & benedictionem. Litteras reverendi patris domini R. Dei gratia Cantuariensis archiepiscopi totius Angliæ primatis recepimus, formam, quæ sequitur, continentes. ROBERTUS permissione Divina Cantuariensis archiepiscopus totius Angliæ primas, venerabili fratri domino R. Dei gratia episcopo Londoniensi salutem & fraternam in Domino caritatem. Frequenter exigit repentina necessitas, & cōgrua futurorum cautela, ut & prærordinata pro periculis evitandis remedia, sed forsan negligenter omissa, vivacius iterentur, & nova superaddatur in hujusmodi executione medela, in iis præcipue quæ sanctorum patrum jamdudum sanxit autoritas, & quæ non possunt a nobis episcopis, qui eorum statuta servare tenemur, absque periculo nostræ professionis omitti. Nuper siquidem in quadam convocatione prælatorum & cleri London. celebrata post festum S. Hilarii, anno Domini MCCXCVI. per nos & coepiscopos nostros communi extitit ordinatione condictum, & eis per nos in virtute obedientiæ ad quorumdam eorum excitationem injunctum, ut in cathedralibus ecclesiis & cæteris locis insignibus per episcopos ipsos, in aliis vero ecclesiis singularum diœcesum per alios viros idoneos, ad diœcesanorum mandatum denunciarentur publice & in genere majoris excommunicationis sententia innodati, omnes qui ecclesiastica bona, sine grata permissione dominorū eorumdem vel ballivorum suorum, diriperent, vel a domibus aut aliis locis ecclesiarum per violentiam amoverent. Sed ut ex post facto didicimus, & graviter exinde dolemus: executiones hujusmodi, non absque multorum periculo, & eorum præcipue, qui ad id ex obedientiæ debito tenebantur, ab aliquibus coepiscopis nostris in toto, ab aliis autem in parte, hactenus sunt omissæ; per quod quamplures malevoli quandoque sumpserunt, & imposterum forsitan sument, majorem audaciam taliter delinquendi.

In ultima etiam innovatione magnarum chartarum de libertatibus & forestæ antiquitus concessarum, per principem nuper facta, dominus rex innovans ordinavit & statuit: quod eædem chartæ ad cathedrales ecclesias, per totum regnum Angliæ mitterentur, & remanerent ibidem, quodque legerentur coram populo bis in anno; & quod archiepiscopi & episcopi regni Angliæ ferrent maioris excommunicationis sententias in omnes illos, qui contra dictas chartas venirent, facto, auxilio, vel consilio, aut in quocumque puncto infringerent chartas ipsas; quodque eidem episcopi easdem sententias publicarent, vel facerent publicari in suis cathedralibus ecclesiis bis in anno; & quod episcopi super facienda publicatione hujusmodi negligentes, per Cantuariensem & Eboracensem archiepiscos, qui pro tempore fuerint, reprehenderentur; & ad denunciationes hujusmodi faciendas per eosdem archiepiscopos arcerentur.

Nos etiam & nostri coepiscopi tunc præsentes, ac nobis in pontificalibus assistentes apud VVestmonasterium, etiam de cōsensu consilii domini regis tunc in partibus transmarinis agentis, dictam excommunicationis sententiam solemniter tulimus & publicavimus in vulgari. Ut igitur tam salubriter ordinata, & pro tam grandi communi utilitate provisa per dissimulationem non transeant sine fructu: jam in ultima congregatione prælatorum & cleri, post festum Nativitatis S. Ioannis Baptistæ apud novum templum London. per nos, nostrosque coepiscopos, & prælatos ac clerum nostræ Cantuariensis provinciæ, provisum extitit & condictum, ut dictæ excommunicationum sententiæ contra violatores chartarum, bis in anno, ut supra, videlicet in festis omnium Sanctorum, & Dominicæ in Ramis Palmarum, in cathedralibus ecclesiis per episcopos, si fieri possit, alioquin eorum autoritate per alios, solemniter publicentur.

Quia insuper dominus rex in innovatione prædicta prælatis & toti communitati regni promiserat, quod pro nullo negotio quicquam nomine ipsius domini regis de bonis alicujus caperetur, sine totius communi

ANNO CHRISTI 1297.

ni assensu regni: & si contingat (quod absit) aliquos malefactores de domibus, grangiis, aut aliis locis ecclesiasticis, bona ecclesiasticarum personarum auferre, abducere, vel aliqualiter asportare, sine grata permissione dominorum bonorum hujusmodi, vel bailivorũ suorum (quod ut præmittitur de voluntate domini regis nullo modo procedere præsumatur) difficile erit & sæpe damnosum personis sic spoliatis, aut læsis, ad suos episcopos semper habere recursum: tam nobis nostrisque coepiscopis & prælatis & clero prædictis videbatur expediens, & per eos in eadem congregatione consensum extitit & condictum; ut singulis inferioribus prælatis, rectoribus, etiam vicariis parochialium ecclesiarum, detur per suos diœcesanos expressa potestas denunciandi publice, & solemniter, malefactores hujusmodi, qui per facti evidentiam notorie & manifeste maleficium hujusmodi perpetrare præsument, una cum eorum complicibus dicta excommunicationis sententia innodatos. Quocirca fraternitati vestræ in virtute obedientiæ, firmiter injungendo mandamus, quatenus dictam sententiam contra occupatores bonorum ecclesiasticorum, prout in prima dictarũ congregationum, ut supra ordinatum extiterat, in singulis ecclesiis vestræ diœcesis, juxta ordinationẽ eandẽ: memoratam vero sententiam contra infringentes articulos dictarum chartarum, per nos & nostros coepiscopos, ut supra, consensu regio interveniente prolatam, secundũ formam, in præfata ultima congregatione provisam, dictis diebus & locis, scilicet, bis in anno, in festivitatibus suprascriptis, faciatis in forma, quæ superius tangitur, publicari; & in Anglico seriatim in omnibus, ac patenter exponi, pulsatis campanis, & candelis accẽsis, ut propter solemnitatem hujusmodi (quã laici magis quã effectum hujusmodi sentẽtiarum attẽdunt) amplius timeatur. Detur etiam per vos, sicut in dicta ordinatione ultima concorditer extitit ordinatũ, inferioribus prælatis, & rectoribus ac vicariis, ac etiam capellanis parochialibus, plena & expressa potestas denunciãdi publice, & nominatim, cum dicta solemnitate, malefactores prædictos; scilicet, occupatores & invasores bonorum ecclesiasticorum, si qui in hujusmodi prælatorum locis, aut rectorum seu vicariorum parochiis, in futurum bona hujusmodi invaserint, occupaverint, aut amoverint, seu sic invadi, occupari, aut amoveri fecerint, in notoria evidentia ipsius maleficii, majoris excommunicationis sententia innodatos. Proviso tamen, quod non nisi in facto notorio & evidenti, ac etiam sub testimonio sufficienti, per eosdẽ rectores, vicarios, & presbyteros taliter procedatur: ut insuper, cumulatis ad supradictã cautelis, amplius arceatur ac reprimatur perversorum iniquitas, in hujusmodi malefactorum nominatim, ut prætangitur, denũciatorum præsentia, cessetur ubilibet a celebratione Missarũ; & sic excommunicati per singulos dies Dominicos & festivos denũcientur solemniter; subtracta etiam eis, per inhibitionem super hoc faciendam, communione fidelium; quousque sic ablata restituant, & exinde idonea satisfactione præmissa, ab eadem sententia congrue fuerint absoluti. Et cũ de hujusmodi maleficio perpetrato vobis per aliquem subditorum vestrorum denũciatum extiterit, vel ad vos exinde publica fama pervenerit: plenam cum celeritate justitiam fieri faciatis, malefactores hujusmodi ac etiam fautores & complices eorundem, nec non scienter communicantes eisdem, postquam id competenter inhibitum fuerit, per coerciones canonicas diligenter & acriter puniendo.

Similem etiam excommunicationis sententiam in omnes illos, qui manus in clericos temere violentas injecerint, faciatis in solemnitate eadẽ publicari. Si vero intantum aliquorum se extendit iniquitas, prout forsã evenire posse timetur, quod prælati, seu ecclesiarũ rectores aut vicarii, sive presbyteri, vel alii ecclesiastici viri quicumque, occasione præmissorum, vel alicujus eorum, per laicalem potentiam capiantur, seu detineãtur in carcere aut in custodia quoquomodo: vobis injungimus in virtute obedientiæ, prout etiam in dicta ultima congregatione per prælatos & clerum ordinatum extiterat, ut loca, in quibus sic capti detinebũtur, & quatuor ecclesias proximo vicinas, quatenus sub districtu vestro, extiterint, interdicto ecclesiastico protinus supponatis; & sic interdicta remaneant, quam diu taliter capti detinẽtur ibidem. Et nihilo minus captores ac detentores huiusmodi, & autoritatem super hoc præbentes eisdem, singulis diebus Dominicis & festivis post scelus huiusmodi perpetratum, in omnibus ecclesiis vestræ diœcesis inter Missarum solemnia coram clero & populo, pulsatis campanis, & candelis accensis, ut magis timeatur solemnitas, denuncientur solemniter maioris excommunicationis sententia innodati. Et ut hoc ad notitiam singulorum perveniat, in Anglico exponatur: donec sic excommunicati, congrua satisfactione præmissa, in forma ecclesiæ, ab eadem sententia per competentem iudicem fuerint absoluti.

ANNO CHRISTI 1297.

Quia insuper processiones solemnes, & orationum suffragia, quæ pro statu terræ sanctæ, & pace, ac etiam trãquillitate & prosperitate ecclesiæ, regis & regni, dudum salubriter ordinavimus ac mandavimus per diœceses singulas facienda, negligenter in multis, & non absque multorũ periculo hactenus, ut audivimus, sunt omissa, de quibus, si fierent, fructus maximus merito speraretur: ac etiam dominus rex nuper in ultima cõgregatione prædicta per nuncios suos rogaverit, ut pro eo & suis in expeditione præsenti, quam contra hostes ipsius & regni nuper assumpsit, orationes & suffragia hujusmodi fieri, necnon Scotos & eorum complices, qui ecclesias regni Angliæ & loca ecclesiastica violẽter invadere, comburere, ac bonis ecclesiasticis ausu sacrilego spoliare, pacemque regni & ecclesiæ patẽter infringere ac perturbare præsumpserant & præsumũt, ut dicitur, excommunicatos publice per nostram denunciari provinciam faceremus: vobis, ut supra, mandamus & injungimus, quatenus dictas processiones, & orationũ suffragia, tam pro statu terræ sanctæ, & pace regni & ecclesiæ Anglicanæ, quam etiam pro domino rege & sibi adhærentibus in sua expeditione præsenti specialiter, necnon denunciationes excommunicationum prædictas, per totam vestram diœcesim singulis diebus & locis, quibus id expedire videritis, solemniter per vos, quatenus ad vos attinet, & ulterius per alios, fieri faciatis: hæc omnia tam vigilanter & solicite prosequentes, ut ex hoc status ecclesiæ reformetur in melius, & vestrorum augeatur cumulus meritorum. Vos etiam temporibus opportunis per totam vestram diœcesim faciatis inquiri, an præmissa per vestros subditos, quatenus ad vos pertinet, fuerint, ut superius tangitur, observata. Et nos super his tam de facto vestro, quam subditorum vestrorum certificetis idonee, saltẽ semel in anno, per vestras litteras patentes harum seriem continentes. Datæ apud Octeford. VI. Idus Iulii, an. Dom. MCCXCVII. consecrationis nostræ IV.

Sententias igitur contra invasores & occupatores bonorum ecclesiasticorum, necnon cõtra infringentes articulos dictarum chartarum, tam in genere, quam in specie, secundum formam quæ supra traditur, diebus ad hoc statutis, cum solemnitate præmissa, in prębẽdis & ecclesiis vestræ jurisdictioni subjectis, ac etiam cõtra injicientes manus violentas in clericũ, lingua omnibus intelligibili faciatis tam per vos, quam per vestros subditos publicari. Hæc autem & alia, quæ in hoc exprimuntur mandato, vobis & cæteris plenam & liberam potestatem committimus exequendi. In nostra vero ecclesia sancti Pauli, nos ipsi, comite sanitate,

ANNO CHRISTI 1297.

nitate, ac impedimento cessante, exequemur præmissa, diebus, ut supra fit mentio, præstitutis. Processiones insuper, & orationum suffragia, ut in præsenti continetur mandato, in ecclesia nostra prædicta, cum devotione, more solito, fieri faciatis. Sententiam etiam excommunicationis, quam Scoti & eorum complices, ob causas in hoc mandato expressas, quas in promulgatione hujusmodi sententiæ volumus patefieri, incurrisse noscuntur, quantocius fieri poterit, in locis in quibus expedire videritis, faciatis solemniter publicari. Nos postea super præmissis omnibus opportuno tempore certificantes, per litteras vestras patentes harum seriem continentes.

Datum apud Orseth VIII. Kalend. Augusti, anno Domini supradicto.

ANNO CHRISTI 1297.

CONCILIUM LUGDUNENSE,

Quo inhibetur principibus ne sacerdotibus vectigalia imponant, habitum anno Dom. MCCXCVII. tempore Bonifacii papæ VIII.

HÆc synodus, *inquit Genebrardus libro quarto chronici*, celebrata fuit præside Bonifacio pontifice: qui animadvertens quotidie principes nova vectigalia sacerdotibus imponere, interdum sine justa causa, interdixit in eo concilio ne posthac id facerent, neve sacerdotes injussu Romani pontificis illa imposita conferrent. *Hæc ex Polydoro libro decimoseptimo Anglicæ historiæ Genebrardus.*

NOTA G. COSS. S. I.

Expungendum hoc concilium fuisset, nisi Binium integrum repræsentandum suscepissemus. Fictitium enim esse constat: cum neque hoc anno Bonifacius, nec omnino ex quo pontifex est factus, Gallias attigerit. Edidit quidem de hoc ipso argumento constitutionem, sed Anagniæ, XV. Kal. Septemb. anno pontificatus sui secundo, qui annus est Christi MCCXCVI. Quæ hujus de Lugdunensi concilio erroris origo fuerit, indicaturum se Labbeus spoponderat. Quantum autem assequi conjiciendo possum, aliam nullam probabilem potuisset, nisi quam Spondanus jam aperuerat: ex eo nimirum id ortum esse quod in vetustioribus editionibus libri sexti decretalium inscriptum esset huic constitutioni: *Bonifacius VIII. in concilio Lugdunensi.* Quod mendum in posterioribus editionibus sublatum est. Qui autem sit factum, ut eo irrepserit Lugdunensis concilii mentio, non est conjectura difficilis. Inscriptum erat scilicet constitutioni proxime superiori, *Gregorius X. in concilio Lugdunensi*; tres posteriores voculas Bonifacii quoque decreto oscitans librarius inscripsit.

ANNO CHRISTI 1298.

** SYNODUS SANTONENSIS,

Ex codice constitutionum synodalium Santonensis ecclesiæ.

Constitutiones domini Guidonis episc. Santonensis promulgatæ in synodo hiemali, celebrata an. Dom. MCCXCVIII.

TITULI CAPITULORUM.

CAPITULA.

I. *De vita & honestate curatorum sacerdotum.*

CUrati sacerdotes, sotulares consutitios, & manicas, sub pœna excommunicationis ulterius portare non præsumant. Constitutiones prædecessorum nostrorum, & provinciales, etiam sub pœnis ibi inser- A tis, præcipimus observari.

ANNO CHRISTI 1298.

II. *De iis qui ecclesias dant ad firmam.*

Item denunciamus excommunicatos illos omnes, qui sine nostra licentia ecclesias suas dederunt ad firmam.

III. *Ut ecclesiarum rectores in iis resideant.*

Item monemus omnes ecclesiarum rectores, ut in ecclesiis suis personaliter resideãt. Quod nisi fecerint, pœnam constitutionis super hoc editæ eos incurrere volumus ipso facto: illis dumtaxat exceptis, qui a nobis licentiam obtinuerunt gratia studiorum. Quos B etiam, si lascivam vitam ducant in studiis, revocamus: & etiam illos, qui subrepta a nobis licentia ob causam ignominiosam recessisse dicuntur, super criminibus diffamati.

IV. *Ut religiosi deferant habitum suum.*

Monemus omnes religiosos, ut tam in domibus, quam extra, deferant habitum suum. Qui contrarium fecerint, nisi ex causa legitima valeant excusari, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

V. *De iis qui in alienis parochiis decimas novalium percipiunt.*

C Item monemus omnes illos, qui in alienis parochiis decimas novalium, sine consensu nostro & rectorum ecclesiarum, in quarum parochiis ipsa consistunt novalia, percipiunt, ut a modo non percipiant: & si contrarium fecerint, noverint se excommunicationis vinculo innodatos.

VI. *De excommunicatis ratione testamentorum.*

Denunciamus item excommunicatos omnes illos, qui apud nos ratione testamentorum excommunicati fuerint: & denunciari mandamus, nisi infra viginti dies de absolutione doceant coram nobis.

VI. *De invasoribus bonorum & jurium ecclesiasticorũ.*

Statuimus, quod quicumque bona clericorum ecclesiarum, seu ecclesiasticarum personarum, injuste D invaserint, ceperint, occupaverint, rapuerint, detinuerint; invadi, occupari, capi, percipi, rapi, detineri fecerint, mandaverint, procuraverint; vel nomine suo invasum, occupatum, captum, raptum, detentum, ratum habuerint; & quicumque jurisdictionem ecclesiasticam, jura, consuetudines laudabiles ecclesiarum hactenus observata, impediverint, turbaverint, vel oppresserint scienter: ipso facto excommunicationis sententiam incurrant. Et hæc diebus Dominicis, & aliis solemnitatibus, in ecclesiis, & aliis locis ecclesiasticis, mandamus nunciari.

ANNO CHRISTI 1299.

** CONCILIUM ROTOMAGENSE,

Editum a Ludov. Bail in summa, nunc autem cũ MS collatũ.

E Constitutiones factæ in ecclesia B. Mariæ de Prato, juxta Rotomagum, per reverendos patres ac dominos, archiepisc. Rotomag. & ejus suffraganeos, an. Dom. MCCXCIX. die Iovis post octavas Pentecostes.

TITULI CAPITULORUM.

4. Ne

ANNO CHRISTI 1299.

4. *Ne judices sæculares coram se respondere compellant clericos, vel laicos occasione factorum a clericis commissorum.*
5. *De iis qui jurisdictionem ecclesiasticam impediunt.*
6. *De absolvendi potestate, quæ religiosis conceditur ab episcopis.*
7. *Ut his statutis ab omnibus pareatur.*

CAPITULA.

I. *De vita & honestate clericorum beneficiatorum.*

QUoniam, sicut ipsa facti evidentia quotidiana docente cognovimus, sacerdotes quidam curati, atque alii beneficiati clerici, cucufati, sotularibus consutis laqueis calciati, ensibus accincti seu gladiis, quorum usus eis interdicitur, super vestem, ad modum militum, impudenter accedunt in locis publicis, vestimenta nimia brevitate notanda minusque congruentem tonsuram publice deferentes, focarias seu concubinas, aut alias mulieres quarum conversatio cum eisdem clericis est suspecta, in suis habent domibus, atque nonnunquam in alienis confovent & frequentant; ac nonnulli justitiæ sæcularis officium, audiendo causas, examinando processus ut judices, in curia sæculari exercent: & quidam fœneratitiis aliisq; contractibus illicitis contra [a] se immiscent; vitam suam alias in luxuriis, ebrietatibus, comessationibus deducentes, supplicium quærunt sibi perpetuum, seminantes in carne corruptionem messuri, perenniter ministerium suum vituperant, proximos scandalizant, atque subjectos, & alios populos, quibus bene vivendi lumen & speculum sine ruga debent per opera sancta prætendere, in seipsis apostatare faciunt & errare in invio: ac ex suis reprobis actibus & exemplis illos in puteum interitus secum trahunt. Quin obliti penitus Dei sui, atque homines sine lege, officii sui immemores, qui sunt in sanctificatione electi, præcepta spernunt canonica atque Divina, prædicatores effecti, proh pudor! suæ legis. Nos tantis obviare periculis, & quos timor Divinus a malo non revocat, etiam naturalis ratio nō redarguit, & mundana verecundia non refrænat, suis dicentes in cordibus sicut factis exterioribus prædicant, Ubi est Deus? pœnarum frænis temporalium quas formidant, perstringere cupientes: statuimus, antiquorum patrum salubria statuta recensentes, ut si clericus beneficiatus quilibet, post generalem admonitionem de abstinendo penitus a præmissis & quolibet eorumdem, & de vivendo pie, decenter, atque juste secundum canonicas sanctiones, aliquem de prædictis excessibus præsumpserit attentare: amissionis pœna omnium fructuum beneficii sui, seu beneficiorum si plura forsitan obtineat, per annum unum absque misericordia percellatur. Contra ipsum ad privationem beneficii ipsius seu beneficiorum, si per annum pertinax in eadem malitia perseveret, nihilo minus procedatur.

[a] *f.* contra canones

II. *Ut placita diebus festis non teneantur.*

Statuimus ut baillivi, præpositi, majores, atque alii judices sæculares, quocumque nomine censeantur, assisias atque placita diebus Dominicis atque festis Virginis gloriosæ, sanctorum Ioannis Baptistæ, Michaelis archangeli, sanctorumque apostolorum & evangelistarum, ac aliis qui cum clero & populo in ecclesiis celebrantur, in quibus, solum Divinis est laudibus, non terrenis negotiis insistendum, tenere atque exercere desistant, penitusque quiescant, generaliter moneantur. Qui si parere contempserint, temere forsan contrarium attentando: incurrant excommunicationis sententiam ipso facto.

III. *Ut clerici in factis personalibus justitiæ sæculari se non subiiciant.*

Pœna feriri simili ipso facto autoritate prædicti concilii statuentes, clericos, qui super factis personalibus, atque specialiter de clamore de haro, ubi de facto personæ queritur, se supponunt justitiæ sæculari, seu ipsi justitiæ, sub prætextu factorum hujusmodi, exhibent emendas, post monitionem de contrario generalem.

IV. *Ne iudices sæculares coram se respondere compellant clericos, vel laicos occasione factorum a clericis commissorum.*

Porro quorundam judicum sæcularium inconsulta conamina, quibus matris suæ, videlicet ecclesiæ, libertates atque jura multifaria moliuntur infringere, memorati autoritate concilii reprimere cupientes: statuimus inhibendo, ne quoscumque clericorum eorum, aliasve personas, occasione factorum a clericis commissorum, super delictis atque factis personalibus quibuscumque commissis, atque specialiter in clamore de haro, nec de crimine usurario a clerico perpetrato, coram se, vivente eodem clerico vel defuncto, respondere compellant, seu cognitionem factorum hujusmodi in se sumant. Quod si generaliter contra fecerint: autoritate prædicta, excommunicationi subjaceant ipso facto.

V. *De iis qui iurisdictionem ecclesiasticam impediunt.*

Adhuc nostrum pulsat animum, ut adversus varia justitiæ sæcularis officia tenentium insensatam malitiam occurramus: qui quod sibi sacræ scripturæ præconium comminatur, ignorant, qui pro temporalibus mo-

ANNO CHRISTI 1299.

molestiis, quas, cum præsunt, pauperibus ingerunt, atque qui armis bellicis non utuntur, per quos ministri ecclesiæ designantur, æterno incendio cremabuntur: quodque si pax augeatur & disciplina ecclesiæ per infideles principes eorumque ministros quoslibet, aut solvatur, ille tamen exiget ab eis rationem, qui suam illorum tradidit ecclesiam potestati: contra matrem ecclesiam manu suam erectis cornibus aggravantes, ipsius jurisdictionem & libertatem suis fallaciis usurpare nituntur, ac judices ecclesiasticos in casibus, in quibus de jure vel antiqua & approbata consuetudine ad eosdem causarum cognitio noscitur pertinere, quo minus de ipsis cognoscere valeant, impediunt atq perturbant: eisdem cedulas inhibitorias dirigentes, quæ brevia nuncupantur, in casibus in quibus de sui natura brevia nulla cadunt: propter quæ novellæ constitutionis domini Bonifacii PP. VIII. autoritate, in excommunicationis sententiam incidunt ipso facto. Deliberatione habita super hoc diligenti, statuimus ordinantes, ut nulla hæc brevia per ecclesiasticos judices admittantur, nec eis in aliquo pareant. Quod si in hac sumpta occasione, ballivi, præpositi, vicecomites, aliive judices sæculares, in personarum vel bonorum captionem procedat, directe vel indirecte partem ad desistendum vel judicem compellendo: monitione legitima præcedente, excommunicationi subjaceant ipso facto, a qua per prælatos, non nisi parti & judici congrue satisfacto, ac sibi pœna super tanto excessu indicta legitima, quæ timorem cæteris incutiat attentandi similia, quomodolibet absolvantur: nolentes, ut per officialem aut pœnitentiarios prælatorum, nisi eis ex speciali commissione liceat, hujusmodi sententiæ relaxentur. Sententiamque excommunicationis latam ab uno judice ecclesiastico, præmissorum occasione ac similium, alii in suarum jurisdictionum districtibus exequantur.

VI. *De absoluendi potestate, quæ religiosis conceditur ab episcopis.*

Cæterum animarum saluti consulere, ac earum periculo obviare volentes, statuimus quod prælati, fratribus Prædicatoribus, aut Minoribus, aliisve religiosis quibuslibet, potestatem absolvendi subditos a peccatis suis de cætero non committant in casibus, qui de jure vel consuetudine reservantur eisdem, nisi certis personis & notis dumtaxat, quarum prælati industriam duxerint eligendam in certis casibus, qui in concessione vel commissione eis facta specialiter inserantur: quodque ipsa commissio ad casus, in quibus tenetur catholicus quilibet confiteri semel in anno peccata sua proprio sacerdoti, nullatenus extendatur, nisi ipsius sacerdotis habita super hoc voluntate.

VII. *Ut his statutis ab omnibus pareatur.*

Vobis itaque universis Christi fidelibus in civitate & diœcesi Lexoviensi* constitutis, atque vestrum cuilibet, in virtute sanctæ obedientiæ firmiter injungimus atque mandamus, quatenus supradicta salubria & ordinationes, secundum tenorem præmissum, quantum in vobis consistit, fideliter observetis, & eis humiliter pareatis. Statuta sunt hæc & unanimiter ordinata die, loco, & concilio memoratis, ann. Dom. MCCXCIX.

** Lexoviensis diœcesis hic fit mentio, quia horum statutorum exemplar excerptum est ex synodalibus præceptis Lexoviensis ecclesiæ.*

ANNO CHRISTI 1299.

** CONCILIUM BITERRENSE, IV. Kal. Novembr. an. Dom. MCCXCIX. celebratum.

Hujus concilii nihil superest præter editam a S. Baluzio V. Cl. synodicam, quam hic repræsento.

Litteræ episcoporum ac prælatorum qui concilio Biterrensi interfuerunt, ad Philippum IV. Francorum regem, pro archiepiscopo Narbonensi, adversus vicecomitem ejusdem urbis.

EXcellentissimo principi domino suo, domino Philippo Dei gratia regi Francorum illustri, miseratione Divina B. Biterrensis, B. Nemausensis, G. Magalonensis, R. Elnensis, B Apamiensis, R. Agathensis, & I. Lodovensis, episcopi; A. Crassensis, R. sancti Poncii Thomeriarum, G. sancti Guillelmi de Deserto, G. Iucellensis, & cæteri abbates, aliique prælati; & episcoporum ac prælatorum absentium & capitulorum provinciæ Narbonensis procuratores, in provinciali concilio congregati Biterris; sui humiles & devoti, cum salute prospera vitam longam.

Cum capite languescente membra dolere non immerito compellantur: matri nostræ ecclesiæ Narbonensi cogimur condolere, & in ejusdem infirmitatibus infirmari. Sane cum vicecomites Narbonenses longissimis temporibus tenuerint ab archiepiscopo Narbonensi, quidquid in burgo & in media parte civitatis Narbonensis & eorum pertinentiis obtinebant; & pater vicecomitis qui nunc est, ipso præsente atque sciente, homagium fecerit & fidelitatem archiepiscopo tunc præsenti, prædecessoresque sui prædecessoribus archiepiscopi memorati continue & successive, fere etiam centum annis, sicut notorium fore dinoscitur apud omnes regiones istius, extantibus de iis sufficientibus documentis, & quod plus est, prædecessorum vestrorum privilegiis; & vicecomes qui nunc est, non bono ductus spiritu, feudum dictum, ut audivimus, vestræ regiæ recognoverit majestati, temere veniens contra fidelitatem & juramenta prædecessorum suorum, ad quorum observationem potest & debet per ecclesiam coarctari, & contra confessionem propriam in vestra curia registratam; ac iis etiam non contentus, benignitatem regiam seducendo, de facto procuraverit vestras litteras regias sibi dari, per quas peccandi datur sibi immunitas, & sine pœna deadvoandi facultas feudum supradictum, quod tolerabile non existit; per quas etiam, in vestri præjudicium, dissolvere est conatus conventiones dudum contractas inter prædecessores vestros & archiepiscopi memorati,

ANNO CHRISTI 1299.

morati, super commissione dicti feudi inter reges Franciæ & Narbonensem ecclesiam certis portionibus dividenda, & per consequens a fidelitate quam vobis præstitit, subtrahere ecclesiam Narbonensem: nos omnes & singuli, qui patimur in passione, & anxiamur in doloribus, & damnificamur in damnis dictæ ecclesiæ matris nostræ, ad vos sicut ad nostrum pium & justum principem recurrentes, solemnes nuncios nostros venerabilem in Christo patrem B. Dei gratia episcopum Biterrensem, & religiosos viros B. abbatem sancti Papuli, & I. canonicum ac vestiarium Magalonensem, ad vestræ celsitudinis præsentiam mittimus pro præmissis: suppliciter implorantes, ut eisdem, vel illi ex ipsis qui præsens fuerit coram vobis, audientiam benignam fidemque indubitatam præbere dignemini, eisdem, si placet, immo verius nos in personis eorum ad exauditionis gratiam admittentes.

Moveant vos, Rex clementissime, ad præmissa, fidelitas, quam dicta mater nostra, & omnes ecclesiæ provinciæ Narbonensis, semper ad domum regiam habuerunt: labores & sumptus, quos sustinuerunt pro ea; & fructus uberes, qui ex dictis laboribus percipiuntur quotidie, ac percipientur in ævum Domino concedente. Ut, qualiter aliqui regionum nostrarum ad dictam domum regiam, & ad totius ecclesias provinciæ Narbonensis, se habuerint temporibus retroactis, taceamus ad præsens: cum hæc credamus regiam magnificentiam non latere.

Adaugeat, ut oramus quotidie, dominus Iesus Christus vobis, consorti vestræ, & liberis, salutem & vitam: & prosperum faciat statum regni. Datum Biterris in dicto concilio, IV. Kal. Novembris, anno Domini MCCXCIX.

ANNO CHRISTI 1300.

** CONCILIUM MELEDUNENSE,

Pro reformanda ecclesiastica disciplina celebratum a Stephano Senonensi archiepiscopo & suffraganeis, XII. Kal. Febr. anno Dom. MCCC. celebratum.

Nunc primum prodit ex apographo R. P. Iac. Sirm. S.I.

IN nomine Domini, amen. Nos Stephanus miseratione Divina Senonensis archiepiscopus, una cum suffraganeis nostræ Senonensis provinciæ, in provinciali concilio apud Meledunum celebrato, anno Domini M C C C. die Iovis ante festum B. Vincentii, continuata de die in diem a die Lunæ præcedenti, congregatis, una cum aliis personis ecclesiasticis dictæ provinciæ, ad ordinandum, statuendum, & reformandum ea quæ fuerunt ordinanda & reformanda: eodem approbante concilio ordinamus & præcipimus, quod quædam constitutiones domini Bonifacii VIII. papæ, in præsenti concilio, ac nostris & suffraganeorum nostrorum synodis publicentur, & cuilibet presbytero parochiali copia liberetur, & quilibet eorum habere & commendare debite memoriæ de cætero teneatur.

Primo sequitur constitutio in titulo de rescriptis. Statutum quod circa judices a sede apostolica deputandos &c.

Sancimus igitur, ut nullis, nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu ecclesiarum cathedralium canonicis, causæ, autoritate litterarum sedis apostolicæ, vel legatorum ejusdem, de cætero committantur, nec audiantur alibi quam in civitatibus vel locis insignibus, ubi possit commode copia peritorum haberi. Cum vero ejusdem civitatis seu diœcesis fuerint actor & reus: extra ipsos causa non committatur, nec conveniatur aliquis eorumdem: nisi ab episcopo contra aliquem de sua diœcesi, vel ab aliquo contra eum, aut ejus capitulum, seu contra universitatem civitatis, villæ, vel castri, fuerit actio dirigenda: vel nisi actor eandem civitatem, seu diœcesim intrare non audens, aut sui adversarii merito potentiam perhorrescens, eum infra ipsas nequeat convenire secure. In his quippe casibus, extra dictas civitatem & diœcesim possit contra prædictos causa committi. Nullus tamen eorum ultra unam dietam a fine suæ diœcesis valeat conveniri. Sed & in duobus ultimis casibus, nisi impetrans de dicta perhorrescentia (quam in litteris apostolicis exprimere teneatur) primo fidem judici faciat, saltem per proprium juramentum: judex ipse nullatenus in causa procedat, sed partes a sua jurisdictione dimittens, impetrantem eumdem in expensis legitimis alteri parti condemnet. Cum autem actor & reus civitatis & diœcesis fuerint diversarum: si actor in civitate vel diœcesi rei judicem habere recuset, ipsum non in sua scilicet actoris, sed in alia civitate vel diœcesi habere impetrare valeat, reumque trahere ad eamdem: dummodo locus ad quem eum traxerit, ultra unam diætam, sicut in alio casu præmittitur, minime sit remotus. In nullo quoque casuum prædictorum, judex extra civitatem vel diœcesim in quibus deputatus fuerit citet partes, nec de causa sibi commissa cognoscat (nisi ad hoc expressus accesserit partium earumdem assensus) nec alibi quam infra illas civitatem seu diœcesim, & personis duntaxat superius designatis, committat quomodolibet vices suas. Quicquid autem contra præmissa, vel aliquid eorum contigerit attentari, sit ipso jure irritum & inane.

Secundo contra illos qui litteras citatorias vel excommunicatorias delegatorum sedis apostolicæ deferunt, nec bullam presbyteris ostendere volunt. In antiqua [a] compilatione, in titulo de officio & potestate judicis delegati: Cum in jure penitus &c.

[a] *scilicet Gregoriana*

Præterea quæsivisti, cum tibi ab aliquo sub hac forma mandatur, autoritate qua fungor, ini ut talem denuncies excommunicationis sententiæ subjacere; ac tibi super mandato apostolico hæsitanti, ab aliquo non sit facta fides: an mandatum hujusmodi exequi tenearis. Super quo, hujusmodi tibi damus responsum: quod nisi de mandato sedis apostolicæ certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur.

Tertio contra illos, qui jurisdictionem ad forum ecclesiæ de jure vel consuetudine pertinentem impediunt vel perturbant.

ANNO CHRISTI 1299.

In titulo de immunit. ecclesf.

Quoniam, ut intelleximus, quorumdam justitiariorum, ballivorum, judicumve sæcularium & temporalium dominorum, in quibusdam partibus præsumptuosa temeritas sic excrevit, ut in terris eorum seu districtibus litteras apostolicas impetrantes, vel ad judices ordinarios ecclesiasticos recurrentes super causis, negotiis, seu quæstionibus, quæ de jure vel antiqua consuetudine ad forum ecclesiæ pertinent, obtinere non possint in eis per eosdem ordinarios judices vel apostolicas litteras justitiæ complementum; quin potius super illis recurrere ad judicium sæculare, vel a lite, causa, seu quæstione desistere compellantur: nos justitiam nostram & ecclesiæ sponsæ nostræ nolentes negligere, qui alios in sua justitia confovemus, statuimus ne quis impetratores litterarum nostrarum, vel alios ad forum ecclesiæ recurrentes super causis, quæ ad idem forum de jure vel antiqua consuetudine pertinere noscuntur, per se vel per alium, ad desistendum, vel in foro sæculari de quæstionibus hujusmodi litigandum, per ipsorum judicum ecclesiasticorum, vel impetrantium, vel litigantium seu volentium litigare, aut propinquorum ipsorum seu rerum illorum aut ecclesiarum suarum etiam captionem, modisve aliis quibuscumque, compellat, seu compelli faciat vel procuret: nec per se aliosve impediat, quo minus coram judicibus ecclesiasticis, delegatis seu ordinariis, querelantes de causis, quæ, ut præmissum est, ad cognitionem pertinent eorumdem, possint libere justitiam obtinere: nec ad præmissa facienda det consilium, auxilium vel favorem. Si quis vero contra præsumpserit, excommunicationi se ipso facto noverit subjacere: a qua, nisi tam judici cujus cognitio fuerit impedita vel jurisdictio usurpata, quam parti quæ turbata in prosecutione fuerit sui juris, de injuriis, damnis, expensis, & interesse, prius per eumdem fuerit integre satisfactum, nullatenus absolvatur.

Quarto contra illos, qui ut suspecti de hæresi, vocati ut de fide respondeant [a], aut coram ordinariis suis non comparent, sed se excommunicari permittunt, & in excommunicatione hujusmodi stant per annum. In titulo de hæreticis libro VI.

[a] *Deest*, coram inquisitoribus

Cum contumacia, in causa præsertim fidei, suspicioni præsumptionem adjiciat vehementem, si suspectus de hæresi vocatus a vobis ut de fide respondeat, excommunicationis vinculo, pro eo quod parere subterfugit, aut contumaciter se absentat, per vos fuerit innodatus, quam per annum animo sustinuerit pertinaci, ex tunc velut hæreticus condemnetur.

Quinto contra regulares & sæculares admittentes publice excommunicatos & interdictos ad ecclesiastica sacramenta, & ad ecclesiasticam sepulturam. In titulo de privilegiis libro VI.

A Episcoporum & aliorum prælatorum querelis frequentibus & querulosis clamoribus excitati, præsenti decreto duximus statuendum: ne aliqui sæculares aut regulares, quantumcumque exemptionis seu libertatis sedis apostolicæ privilegiis communiti, cujuscumque ordinis, religionis, status, vel conditionis existant, scienter celebrent vel faciant celebrari Divina in civitatibus, castris, villis, nisi quatenus eis a jure

B conceditur, seu locis aliis interdictis ab ordinariis sive delegatis judicibus, aut a jure; sive excommunicatos publice, vel interdictos, ad Divina officia seu ecclesiastica sacramenta, sive ad ecclesiasticam sepulturam admittant. Qui vero contra præsumpserit, præter alias pœnas a jure statutas, ingressum ecclesiæ sibi noverit interdictum: donec de transgressione hujusmodi, ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserit, satisfecerit competenter.

C Sexto. Constitutio facta in concilio Bituricensi a domino Simone apostolicæ sedis legato. In titulo de pœnis.

Cum juris utilitas tot & tantis excogitata vigiliis, sufficienter nequeat prosperari, si processus ministrorũ justitiæ contingat iniquorum machinationibus impediri: ut illorum audaciam quos amor Divinus a malo non revocat, saltem rigor ecclesiasticæ coerceat disciplinæ, sacri provisione concilii duximus statuendum: quod si quis, cujuscumque dignitatis aut conditionis existat,

D nuncios aut executores ecclesiasticorum judicum, aut alias litteras eorumdem actave judiciaria deferentes, hac occasione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, mutilare, aut quod gravius est censendum, interficere, litteras vel acta prædicta personis memoratis auferre, seu ea rumpere, cancellare, aut alias destruere quoquomodo, vel sic ablata celare præsumpserit, aut ut ista fiant procuraverit, vel facientibus consilium vel opem

E duxerit adhibendam, excommunicationis sententiæ, quam ex nunc proferimus, subjaceat ipso facto: a qua, nisi prius tam judici, cujus autoritatem contempserit, quam passo injuriam, & cæteris quorum interrerit, prout excessus postulabit atrocitas, satisfecerit competenter, nullatenus absolvatur.

CONCI-

Anno Christi circiter 1300.

*** CONCILIUM MERTONENSE,

Editum ex M S. bibliothecæ Cotton. Tomo II. Anglicanæ collectionis.

Constitutiones provinciales domini Roberti de Vvynchelse, Cantuarienſis archiepiſcopi, apud Merton editæ.

I. *De decimis, & nutrimentis animalium.*

Quoniam, propter diverſas conſuetudines in petendo decimas, per diverſas eccleſias, inter rectores eccleſiarum, & parochianos ſuos, rixæ, contentiones, & ſcandala, & odia permaxima oriuntur: volumus, quod in cunctis eccleſiis per archiepiſcopatum noſtrum conſtitutis, uniformis ſit petitio decimarum, & proventuum eccleſiarum.

Imprimis, volumus, quod decimæ, de fructibus, ſeu de frugibus, non deductis expenſis, integræ, & ſine aliqua diminutione perſolvantur; & de fructibus arborum, & ſeminibus omnibus, & herbis hortorum: niſi parochiani pro talibus decimis competentem fecerint redemptionem. Volumus etiam, quod decimæ de fœnis, ubicumque creſcant, ſive in magnis pratis, ſive in parvis, ſive...... aliter in communibus viis exigantur.

De nutrimentis animalium, ſcilicet de agnis, ſtatuimus, quod pro ſex agnis, & infra, ſex oboli dentur pro decima: ſi ſeptem ſint agni in numero, ſeptimus agnus detur rectori pro decima; ita tamen, quod rector eccleſiæ, qui ſeptimum agnum recipit, tres obolos in redemptionem ſolvat parochiano, a quo decimam illam receperit. Qui octavum recipit, det denarium; qui vero nonum, det obolum, vel expectet rector uſque ad alium annum, donec plenarie poſſit alium recipere, ſi maluerit: & qui ita expectabit, ſecundum meliorem, vel tertium ad minus, de agnis ſecundi anni ſemper exiget, & hoc pro expectatione primi anni. Et ſimiliter, qui ſeptimum ſic dedit ad decimam, non det pejorem, ſed meliorem. Et ita intelligendum eſt de decima lanæ. Si oves alibi in hieme, alibi in æſtate nutritæ fuerint, decima eſt dividenda. Similiter, ſi quis in medio tempore emerit, vel vendiderit oves, & certum ſit a qua parochia oves illæ venerunt: dividenda eſt decima, ſicut de re, quæ ſequitur duo domicilia. Si autem incertum fuerit, habeat illa eccleſia, infra cujus limites, tempore tonſionis, oves inveniuntur.

De lacte autem volumus, quod decima ſolvatur, dum durat: videlicet de caſeo tempore ſuo, & de lacte in autumno, & hieme: niſi parochiani competentem pro talibus decimis voluerint facere redemptionem, & hoc ad commodum eccleſiæ. De proventibus autem molendinorum, volumus quod decimæ exigantur & ſolvantur:* ad valorem proventuum plenam faciant redemptionem. De paſturis autem, & paſcuis, tam communibus, quam non communibus, ſtatuimus, quod decimæ fideliter perſolvantur: & hoc per numerum animalium & dierum, ſi expedit eccleſiæ. De piſcationibus etiam, & apibus, ſicut & de omnibus aliis bonis juſte quæſitis, quæ renovantur per annum: ſtatuimus, quod decimæ ſolvantur debito modo.

*Deeſt niſi

Statuimus etiam, quod decimæ ſolvantur de artificibus, pandoxatricibus, & de lucro negotiationis per mercatores, & quoſcumque alios: & ſimiliter de carpentariis, fabris, mercatoribus, ſutoribus, ſive ſint pelliparii, & omnibus ſtipendiariis & operariis: videlicet dent decimas de ſtipendiis, niſi ipſi ſtipendiarii aliquid certum velint dare ad opus, vel ad lumen eccleſiæ: & hoc, ſi hujuſmodi placuerit rectori. In penſione autem principalis legati, alias mortuarii, volumus, quod conſuetudo provinciæ cum poſſeſſione eccleſiæ obſervetur: ita quod rector eccleſiæ in petitione ſua, ſive vicarius, vel capellanus, Dominum habeat præ oculis. Sed quoniam multi inveniuntur, ſponte decimas dare nolentes: ſtatuimus, quod parochiani moneantur primo, ſecundo, & tertio, ut decimas Deo & eccleſiæ fideliter ſolvant: & ſi ſe non emendaverint, primo ab eccleſia ſuſpendantur, ſcilicet ab ingreſſu eccleſiæ; & ſic demum, ad ſolutionem decimarum, per cenſuram eccleſiaſticam, ſi neceſſe fuerit, compellantur. Si tamen ſuſpenſionis relaxationem vel abſolutionem petierint, ad ordinarium loci mittantur abſolvendi, vel debito modo puniendi. Rectores vero eccleſiarum, ſeu vicarii, vel capellani, qui prædictas decimas annuas dicto modo, propter formidinem hominum, ſeu favorem, Dei timore poſtpoſito, officium ſuum non fecerint, decimas, ut prædictum eſt, non petendo: pœna ſuſpenſionis innodentur, donec dimidiam marcam argenti archidiacono loci perſolverint.

II. *De decimis, & nutrimentis animalium.*

Quoniam, ut audivimus, ſuper decimis & nutrimentis animalium, inter eccleſiarum rectores, propter amotiones pecorum ad diverſas parochiarum paſturas, diverſis anni temporibus, contentiones multimodæ oriuntur: nos viam pacis præparare volentes, ſtatuendo diffinimus, & diffiniendo ſtatuimus, quod ad eccleſias, in quarum parochia oves, a tempore tonſionis, uſque ad feſtum S. Martini, continue paſcuntur & cubant, decima lanæ, & caſei, & lactis, ejuſdem temporibus, licet poſtmodum amoti fuerint a parochia illa, & alibi tondeantur, integre perſolvatur. Et, ne fraus fiat in caſu præmiſſo: præcipimus, quod antequam oves amoveantur a paſturis, vel etiam diſtrahantur, eccleſiarum rectoribus ſufficienter de ſolvenda decima caveatur. Quod ſi, infra prædictum, ad diverſarum parochiarum paſcua & paſturas transferantur: quælibet eccleſia, pro rata temporis portione, decimam percipiet earumdem minori xxx. dierum ſpatio, in rata temporis portione, minime computando. Si vero, per totum tempus prædictum cubant in una parochia, continue depaſcantur in alia: rector, in cujus parochia cubant, licet ibidem caſeus fiat, decimam caſei vel lactis duntaxat percipiet, cum aliam non modicam meliorationem ſentiet, & percipiet utilitatem. Quod ſi poſt feſtum S. Martini, ducantur ad paſcua aliena, & uſque ad tonſionem, in una vel in diverſis parochiis, ſive in propriis paſcuis dominorum ſuorum, ſive alterius cujuſcumque paſcantur habitatione: ad numerum ovium paſcua æſtimentur, ut ſecundum æſtimationem paſcuorum, ab eorum dominis exigatur decima caſei & lactis.

De vaccis & capris decima proveniens, ubi cubant & paſcuntur, ibidem ſolvatur: alioquin, ſi cubant in una parochia, & paſcantur in alia, decima inter rectores dividatur omnino. Agni vero, vituli, & pulli, & alii fœtus decimales, habita ratione ad diverſa, ubi gignuntur, oriuntur, & nutriuntur, & ad moram quam traxerint in eiſdem, particulariter decimentur. Item præcipimus, quod ſi quis, poſt feſtum S. Martini, oves occiderit, vel ſi oves quovis caſu moriantur fortuito, decimam inde legitimam parochiali eccleſiæ ſolvere non poſtponat. Et ſi oves extraneæ in alicujus parochia tondeantur, decima lanæ ibidem tradetur rectori eccleſiæ, pro ſe fideliter conſervanda: niſi ſufficienter doceri poſſit, quod pro decima ſit alibi ſatisfactum, ut ſolutionem ibidem faciendam modo legitimo valeat impedire.

III.

ANNO CHRISTI circiter 1300.

III. *De Mortuariis.*

Quia inter rectores eccleſiarum & parochianos ſuos, lites cupimus extinguere, quæ frequenter oriuntur: ſtatuimus, quod decedens tria ad minus habens, vel plura, cujuſcumque generis in bonis ſuis animalia, optimo, cui de jure fuerit debitum, reſervato, eccleſiæ ſuæ, à qua recepit ſacramenta dum viveret, ſine dolo, & fraude, & contradictione qualibet, pro decimarum, tam temporalium, quam perſonalium, necnon oblationis, ſubtractionis compenſatione, ad deliberationem animæ ſuæ, melius poſt optimum eccleſiæ reſervatur.

IV. *Quæ debent parochiani invenire, & quæ rector.* B

Vt ſciant parochiani defectus eccleſiarum ipſos contingentes, præſentium tenore, innoteſcimus univerſis parochianis, per totam noſtram Cantuarienſem provinciam conſtitutis, compelli, res & ornamenta omnia infraſcripta invenire: ſcilicet miſſale, calicem, veſtimentum principale, caſulam, albam, amictum, ſtolam, manipulum, zonam, cum duabus tuellis benedictis, & omnibus ſuis appendiciis. Item crucem proceſſionalem, & aliam crucem pro mortuis, turibulum cum navi & ture, lucernam cum tintinnabulo, velum quadrageſimale, vexilla, campanas manuales pro mortuis, feretrum, vas ad aquam benedictam, tabulas pacis, candelabrum ad cereum Paſchalem, campanile cum campanis & chordis, fontem C cum ſeruris, reparationem navis eccleſiæ interius & exterius, tam de jure, quam de conſuetudine, tam in imaginibus, & præcipue in imagine principali in cancello, quam in altaribus & feneſtris vitreis. Item, clauſuram cœmeterii, tam de jure, quam de conſuetudine. Volumus etiam in poſterum ad eoſdem parochianos prædicta ſingula pertinere. Item, compellendi ſunt parochiani ad inveniendum iſta ſubſcripta: videlicet legendam, antiphonare, graduale, pſalterium, troparium, ordinale, manuale, capam pro choro, cum omnibus ſuis appendiciis, frontale ad magnum altare, tria ſuperpellicia, unum rochetum, pyxidem pro corpore Chriſti honeſtam, reparationem librorum & veſtimentorum, quandocumque contigerit eadem reparatione indigere. Cætera autem, tam in reparatione cancelli interius & exterius, quam hic non expreſſis, juxta conſtitutiones & ordinationes approbatas, rectoribus, vel vicariis incumbit reparare. *Quære iſtam conſtitutionem in meliori forma poſterius in conſtitutione Vvynchesd.*

*** CONSTITVTIO DOMIN.

Roberti de Vvynchelſe & Vv. Archiepiſc. Cantuar. Quid parochiani invenire debent, & quid rectores.

Ex eadem Anglicana collectione.

VT parochiani eccleſiarum ſingulorum archidiaconatuum Cantuarienſis provinciæ, ſint de cætero certiores de defectibus ipſos contingentibus; ac inter rectores & ipſos ambiguitas pro temporibus ſucceſſivis. . . : volumus de cætero & præcipimus, quod parochiani teneantur invenire omnia inferius annotata: videlicet legendã, antiphonare, graduale, pſalteriũ, troparium, ordinale, miſſale, manuale, calicem, veſtimentum principale, cum caſula, dalmatica, tunica, & cum capa de choro, cum omnibus ſuis appendiciis; frontale ad magnum altare, cum tribus tuellis, tria ſuperpellicia, unum rochetum, crucem proceſſionalem, crucem pro mortuis, turibulum, lucernam, tintinabulum ad deferendum coram corpore Chriſti in viſitatione infirmorum, pyxidem pro corpore Chriſti, A honeſtum velum Quadrageſimale, vexilla pro Rogationibus, campanas cum chordis, feretrum pro defunctis, vas pro aqua benedicta, oſculatorium, candelabrum pro cereo Paſchali, fontem cum ſerura, imagines in eccleſia, imaginem principalem in cancello, clauſuram cœmeterii, reparationem navis eccleſiæ, interius & exterius, tam in imaginibus quam in feneſtris; reparationem librorum & veſtimentorum, quandocumque contigerit eadem reparationibus indigere. Cætera autem omnia, tam in reparatione cancelli, quam in aliis, hic, ſecundũ diverſas ordinationes & cõſuetudines approbatas, a locorum rectoribus & vicariis debent in omnibus reparari, ſumptibus eorũ.

*** DE ORNAMENTIS ECCLESIÆ,

quæ pertinent rectoribus, & quæ parochianis, in provincia Cantuarienſi.

Ex eadem Anglicana collectione.

DEcretum venerabilis magiſtri Roberti de Vvynchelſe, miſeratione divina Cantuarienſis archiepiſcopi, ſuam provinciam viſitando, ſuper variis defectibus inter rectores, vicarios, & eorum parochianos ſæpius, de diverſis rebus ad eccleſiam pertinentibus, & eorum ornamentis, ſic datum eſt, ut patet inferius, ad doctrinam præſentium, & memoriam futurorum.

Cum plerumque altercatio fuerit inter rectores eccleſiarum, in provincia Cantuarienſi conſtitutos, & eorum parochianos, ſuper variis ornamentis, rebuſque eccleſiaſticis; quæ, quanta, & quomodo ad rectores pertineant infraſcripta; quæ autem ad eorum parochianos, quæ ſequuntur teneas pro doctrina. Vt autem parochiani in ſingulis ſubſequentibus certiores fiant, intelligant ſinguli, & obſervent univerſi, quod calix, miſſale, principale veſtimentum eccleſiæ; videlicet caſula, alba, amicta, ſtola, manipulum, cum duabus tovvellis altaris, crux proceſſionalis, & alia crux minor pro mortuis, turibulum, lucerna, cum tintinnabulis; velum quadrageſimale, vexillum, campanæ manuales, feretrum pro mortuis, vas ad aquam benedictam, oſculare, candelabrum ad cereum Paſchale, D magnæ campanæ, campanile, & chordæ ad eaſdem, fons ſacer cum ſerura & apparatu ad eundem, reparatio eccleſiæ interius & exterius, tam altaris quam in imaginibus, feneſtris vitreis; pyxis ad hoſtiam conſervandam, chriſmatorium, clauſura cœmeterii circumquaque: ad parochianos pertinent ſupradicta. Cætera omnia autem, tam in reparationibus cancelli interius & exterius, quam in libris & cæteris ornamentis ejuſdem, ſecundum diverſas ordinationes & conſtitutiones approbatas, habeant a locorum rectoribus ſeu vicariis reparari.

*** ALIA CONSTITVTIO

E Rob. de VVinchelſe, archiepiſc. Cantuar. pro bono regimine curiæ ſuæ Cantuarienſis: ſcilicet ſuper duobus ſtatutis, quæ inter ſe contraria videbantur.

Ex eadem Anglicana collectione.

RObertus permiſſione Divina Cantuarienſis archiepiſcopus, totius Angliæ primas, dilectis filiis, officiali curiæ Cantuarienſis, & decano eccleſiæ beatæ Mariæ de Arcubus London. ejuſdem officialis commiſſario generali, ſalutem, gratiam, & benedictionem. Veſtra nos olim duxit diſcretio conſulendos, an ſtatutum quod in eadem curia invenimus edidiſſe, quo cavetur, ut ſi quando juſtificationem directe contrariam

ANNO CHRISTI circiter 1300.

trariam intentioni, vel replicationem directe contrariam exceptioni, aut duplicationem replicationi, seu deinceps proponi contigerit, statim hoc fiat, quoad justificationem .... & post exceptiones vel replicationes & deinceps, quarum probationes de jure concurrere debent, propositas, aut saltem infra triduum, a tempore propositionis & admissionis canonicæ earumdem, ut sic probationes concurrere valeant, super eis in causis & negotiis extra eandem curiam inchoatis, in quibus usque ad litis contestationem & ulterius est processum, sibi locum valeat vendicare, consultationi vestræ, prout alias fecimus, respondemus: quod cum propter cursum probationum hinc & inde, ut sic dilationum materia amputetur, statutum ediderimus supradictum, & in litibus ac negotiis extra eandem curiam inchoatis, in quibus usque ad litis contestationem & ultra, citra tamen publicationē testium est processum, si in ipsis idem statutum minime servaretur, possent eædem lites & negotia contra nostram intentionem nimium protelari, propter similitudinem & identitatem expressam, prælibatum statutum nostrum de universis litibus & negotiis, ad eandem curiam devolutis, in quibus citra publicationem testium in principali negotio est processum, post resumptionem negotii principalis intelligendum fore & servandum, cum idem judicium de similibus sit habendum, auctoritate metropolitica declaramus, responsiones nostras ad quascumque consultationes super antea vobis factas totaliter revocantes: mandantes, declarationem & interpretationem eandem, & quicquid secundum eam est in eadem curia in quibuslibet negotiis hactenus attentatum, futuris temporibus firmiter observari, & sub isto tenore vel alio ad perpetuam rei memoriam inter statuta ejusdem curiæ registrari. Datæ apud Vvrotam XVI. Kalendas Iulii, anno Domini MCCC. & consecrationis nostræ decimoquinto.

** SYNODUS COLONIENSIS

A VVichboldo archiepiscopo celebrata, circa ann. Dom. MCCC.

TITULI CAPITULORUM.

STATUTA DOM. VVICHBOLDI ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS.

VVichboldus Dei gratia sanctæ Coloniensis ecclesiæ archiepiscopus, sacri imperii per Italiam archicancellarius, universis prælatis, capitulis, conventibus, collegiis, ecclesiarum rectoribus, totique universitati cleri & populi suæ civitatis & diœcesis Coloniensis, salutem, & infra scriptorum memoriam perpetuam observandam.

I. *De ætate & qualitate præficiendorum ecclesiis parochialibus.*

Licet sacris canonibus sit institutum, ne aliquis, ad regimen parochialis ecclesiæ assumatur, nisi qui jam XXV. annum ætatis attigerit, & scientia & moribus commendatus existat: plures tamen hujus salubris statuti invenimus transgressores. Volentes igitur periculis animarum prospicere, inhibemus universis archidiaconis, ac aliis qui de consuetudine investire habere dinoscuntur, ne deinceps aliquem puerum vel aliquem alium, qui vicesimum quintum ætatis annum non attigerit, sibi præsentatum, de hujusmodi parochialibus ecclesiis investiant vel admittant. Contrarium facientes, non solum ab ingressu ecclesiæ suspendimus in his scriptis, verum etiam ipsam investituram decernimus non tenere.

II. *De nominibus pastorum non residentium & non ordinatorum, tradendis per decanos.*

Item cum secundum jus quilibet, qui ad curam animarum regendarum assumitur, ut gregis sibi crediti diligentius gerere curam possit in parochiali ecclesia, cujus rector extiterit, residere personaliter, & ad eam promoveri teneatur; alioqui, etiam nulla monitione præmissa, ipsa ecclesia sit privatus: vobis decanis Christianitatum committimus & mandamus, quatenus nomina illorum qui in vestris decanatibus hujusmodi ecclesias, ut pote minores annis, occupant, & nominā pastorum non residentium personaliter, in his scriptis nobis intra mensem post præsentem diem tradatis, ut hujusmodi negligentiam & defectum de prælatorum nostrorum consilio reformemus. Alioqui in vos extunc sententiam excommunicationis ferimus in his scriptis, & id ipsum in qualibet synodo volumus observari in forma supradicta.

III. *De apostatis, discursoribus, & vagis clericis.*

Quia vero, ut intelleximus, aliqui clerici, utpote

apostatæ, discursores, & vagi de aliis provinciis & diœcesibus ad diœcesim nostram Coloniensem venientes, regimen animarum & officiationem ecclesiarum sibi assumunt, qui ab aliis diœcesibus tanquam irregulares & indigni, pro eorum culpis & excessibus sunt remoti: statuimus, ut nullus deinceps presbyter alienus ad regimen & ad curam animarum, loco coadjutoris vel vicarii aut socii, per pastores ecclesiarum, vel capellarum, aut altarium rectores, assumatur absque litteris testimonialibus proprii episcopi, profitentis talem rite secundum claves ecclesiæ ordinatum esse, & executionem sui officii habere: ita quod per decanos Christianitatum, in quorum decanatibus assumi desiderant, examinati tunc demum admittantur tales, cum in his inventi fuerint idonei, ut dictum est. Pastores vero & capellani, ac altarium rectores nostræ diœcesis, qui his spretis, aliquem clericum ignotum, dicentem se presbyterum, assumpserint, excommunicationis sententiam, nisi intra sex dies a se talem amoverint, se extunc hoc ipso facto noverint incursuros, & alias pro modo culpæ, canonice puniendos.

IV. *De illis qui plura beneficia acceptant & habent in una eademque ecclesia.*

Cum item sanctissimus pater dominus Bonifacius octavus summus pontifex, inter cætera statuerit, ne aliquis deinceps, nisi unicum personatum, dignitatem, præposituram, administrationem, vel officia perpetua, quocumque nomine censeatur, cum præbenda insimul, absque dispensatione sedis apostolicæ in eadem ecclesia obtinere, vel iam obtenta tenere valeat: & si a quocumque secus præsumptum fuerit, illud irritum sit omnino: nos quia nonnulli in observatione hujusmodi statuti se exhibent negligentes, in ipsorum negligentiam supplere cupientes, mandamus vobis universis, ad quos talium ordinatio seu collatio spectare dinoscitur, ne deinceps talia faciant & attentent, sed ea personis intra tempus legitimum habilibus conferant. Alioqui nos eadem conferemus.

V. *De testamentis clericorum.*

Præcipimus ut sacerdotes denuncieat suis subditis, quod omnes quibus a jure inhibitum non est, liberam testamenti condendi habeant facultatem. Et clerici bona, maxime immobilia, & quæ per ecclesiam sunt adepti, sive per modum testamenti, sive alias, non transferant ad filios vel nepotes, aut ad alios suos consanguineos, sed relinquant ea ecclesiæ, a qua sunt profecta. Sed intuitu eleemosynæ, pauperibus, religiosis & piis locis, & illis qui ipsis servierunt, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum de mobilibus dare possunt. De aliis vero bonis, quæ ex hereditate, artificio, vel doctrina, vel alias non ex bonis ecclesiasticis ad clericos pervenerint, clerici possunt disponere pro suo arbitrio. Excommunicamus & excommunicatos denunciamus omnes clericos, qui bona mobilia ecclesiarum, filiis suis, nepotibus, vel consanguineis, seu aliis conferunt, vel in ipsos transferunt, & ab ecclesia alienant sua propria voluntate, & sine consensu nostro.

VI. *De testamentis laicorum, & quorum debeant admoneri per sacerdotes.*

Præcipimus & monemus ut laici in præsentia sui sacerdotis testamenta sua faciant, nisi improvisa necessitas emerserit. Item omnibus sacerdotibus præcipimus, quod hortentur omnes clericos & laicos testamenta sua facere, & quod non differant usque ad angustiam mortis, sed ea faciant, dum adhuc compotes sunt suæ mentis & corporis. Et in testa-

A mentis faciendis consulant sacerdotes suis subditis, quod declarent sua debita & forefacta, & quod ex primo restitui faciant seu præcipiant de bonis suis: & quod postmodum legent aliqua fabricæ ecclesiæ totius civitatis & diœcesis Coloniensis, & suæ parochiali ecclesiæ: & etiam religiosis & piis locis, & pauperibus aliis secundum arbitrium testantis.

VII. *De legatis fabricæ ecclesiæ Coloniensis, & de pœna celantium legata.*

Si quis vero fabricæ ecclesiæ S. Petri, & parochiali ecclesiæ suæ aliquid legaverit in suo testamento, eidem viginti dies de injuncta sibi pœnitentia
B relaxamus. Et fiant testamenta parochianorum publice & coram discretis personis. Et cum aliqua ecclesiæ S. Petri legantur, hoc presbyter significet Coloniæ procuratori fabricæ, & nomina eorum qui prædictæ fabricæ legata fecerint, intra mensem. Suspendimus autem, & suspensos denunciamus omnes presbyteros, qui celant legata fabricæ prædictæ, nisi ea procuratori ejus denuncient intra duos menses a tempore scientiæ: excommunicamus etiam omnes laicos qui celaverint prædicta legata.

VIII. *Quod quilibet potest in lecto infirmitatis condere testamentum, & legare proprietatem, retento usufructu, non obstante quocumque statuto.*

Quoniam autem in aliquibus locis nostræ diœce-
C sis quædam consuetudo inolevit, quæ dicenda potius est corruptela, cum sit contraria rationi, & contra jura canonica & civilia, videlicet quod judices & scabini & consiliarii quorumdam oppidorum, dicunt, statuunt, vel judicant & faciunt observari, & per consuetudines tenent, quod nullum testamentum, donatio, vel legatum teneat super immobilibus, quod vel quæ a decumbentibus in lecto, in pios usus, vel alias personas, fuerit factum vel facta; nec etiam quod vel quæ fiunt ab aliquo per applicationem proprietatis in pia loca vel alias personas, retento a donatore seu a testatore usufructu, nisi ab eodem ususfructus cum proprietate transferatur & deferatur: nos huic manifesto errori obviare volentes, consuetudines prædictas seu statutum, reprobatas, seu re-
D probatum, penitus reprobamus: statuentes etiam, quod quilibet tam sanus, quam infirmus, qui liberam habet a jure testamenti factionem, & compos mentis extiterit, libere possit condere testamentum, & donare & legare, tam proprietates, quam usumfructum; vel proprietates, retento sibi usufructu; & etiam utrumque, tam proprietates, quam usumfructum: & secundum ejus voluntatem & dispositionem procedant universa præmissa, cum ultima votas libera esse debeat, & liberum, quod non redeat, arbitrium.

IX. *Pœna contra contrarium statuentes.*

E Præcipientes districtius, quod si in aliqua parochia aliquando judices, scabini, vel consiliarii, secundum dictas consuetudines seu statutum, reprobatas, seu reprobatum, judicaverint & fecerint obsevari, denuncientur officiali nostro, & ipse officialis contra prædictos tam scabinos quam consiliarios & partem ad hoc instantem nominatim procedat.

X. *De inventario faciendo per manufideles, & quando liceat apprehendere bona, inventario non confecto.*

Verum quia executores seu manufideles testamentorum

ANNO CHRISTI circiter 1300.

testamentorum nonnunquam in executionibus testamentorum perperam procedentes, bona ad executiones testamenti pertinentia, clam surripiunt & celant, & postmodum cum rationem executionis suæ facere debent, negant se habere bona quanta receperunt, furtum & rapinam committentes & ultimam voluntatem defuncti minime exequentes: nos malitiis talium obviare volentes, statuimus & ordinamus, quod nullus executorum seu manufidelium, bona testatoris ad executionem suam pertinentia invadat vel recipiat, vel de eisdem aliquatenus se intromittat, nisi facto prius inventario: id est quadam scriptura, in qua continebuntur, quæ & qualia bona testator post se reliquerit, ad executionem prædictam pertinentia, quæ ipse executor, seu manufidelis recipiet, & levabit, & debita, forefacta, & legata ipsius testatoris restituens, adimplebit. Et illud inventarium fiet per probos viros & idoneos, videlicet per presbyterum, & duos scabinos loci, vel synodales non suspectos, & sigillabit sub sigillo presbyteri vel alicujus authenticæ personæ, unde executores petant a testatore, si poterit fieri, quod ipsos de bonis suis, & de debitis suis certificet. Nam in hoc stabitur assertioni testatoris. Et nos excommunicamus & excommunicatos denunciamus omnes executores seu manufideles qui bona decedentium, quorum sunt executores, prius non facto modo prædicto inventario, invadunt & recipiunt, & levant. Et nihilo minus ipsi executores & manufideles, si bona prædicta non facto inventario levaverint, dum a creditoribus seu a legatariis defuncti, ratione dictæ executionis conveniuntur, in solidum tenebuntur & condemnabuntur: exexceptis rebus, quæ servari non possunt, quas res, si necessitas exegerit, executores alienare poterunt, non facto inventario in præsentia sacerdotis loci vel duorum vel trium scabinorum, vel synodalium, vel fide dignorum: & pecuniam de dicta receptione ipsi executores deponant in certo loco, nec ea utantur, nisi dicto inventario facto. Alioqui dictas excommunicationis sententias incurrant. Et si defunctus aliquod debitum sub pœna ad usuras, seu ad alia pericula, vel ad alia damna debeat: poterunt executores seu manufideles de bonis defuncti solvere debitum, pœnam, usuras, & alia pericula & damna extinguendo, non facto etiam inventario, si ipsum inventarium commode fieri non potest. Et si debitum, pœna, usura, seu aliis impedimentis instantibus, sunt * augmentanda, vel etiam exequiæ dicti defuncti fuerint faciendæ: hoc tamen fiat in præsentia presbyteri, duorum vel trium scabinorum, synodalium, vel aliorum proborum: alioqui dicta excommunicationis sententia ligentur. Si vero presbyter loci fuerit executor, tunc faciat fieri inventarium ipsum in præsentia decani loci, vel alterius authenticæ personæ, duorum vel trium scabinorum, synodalium, & aliorum proborum. Præcipimus etiam sacerdotibus loci & ipsis executoribus seu manufidelibus, quod copiam inventarii prædicti referant nobis intra duos menses, si intra diœcesim nostram fuerimus: alias nostro officiali, a tempore quo factum fuerit. Et præcipimus hoc per nostrum officialem registrari, nec aliquid recipiatur pro sigillo. Cum autem testator decesserit, ipsi executores seu manufideles, facto inventario, bona ad executionem pertinentia apprehendant, & exequantur ultimam voluntatem dicti defuncti, faciendo proclamari in loco, in quo morabatur defunctus, & plures esse & conversari consuevit, ut & omnes creditores ipsius defuncti, & a quibus aliqua extorserat, comparcant certa die sua debita ostensuri: & tunc ipsi executores seu manufideles, primo creditoribus a quibus quid injuste extorserat, satisfaciant: & de residuo satisfaciant legatariis, cuilibet pro rata bonorum defuncti: & officialis noster per censuram ecclesiasticam compellat executores & heredes defuncti, ad implendam & exequendam ultimam defuncti voluntatem.

*si augmentandum

XI. *De bonis clericorum decedentium, & de hujusmodi bonis se intromittentibus.*

Sed quia nonnulli terrarum domini, judices, & alii officiarii laici, bona clericorum nostræ diœcesis decedentium ex testamento, vel ab intestato, autoritate propria & violenter rapiunt, occupant, & arrestant, in præjudicium ecclesiasticæ libertatis, quo minus decedentium ultima voluntas pro salute animarum eorumdem decedentium valeat adimpleri: nos tam præsumptuosos excessus corrigere volentes, monemus omnes nobiles, judices terræ, advocatos, terrarum dominos, & laicos quoscumque, ne deinceps talia attentare præsumant. Contrarium facientes (quos ipso facto extunc in his scriptis excommunicamus) excommunicatos in ecclesiis vestris, & præcipue in parochiis in quibus talia perpetrantur, & in quibus tales morantur, vos universi rectores ecclesiarum publice nuncietis. Quam excommunicationis sententiam, si per quindenam, post hujusmodi delictum perpetratum, animo sustinuerint indurato, districtum sive terram, si dominus terræ est, alioqui locum ubi talia perpetrata noscuntur, ubi forefactores tales manserint, ecclesiastico supponimus interdicto.

XII. *De manifestis usurariis.*

Excommunicamus, & excommunicatos denunciamus, omnes usurarios manifestos: & singulis diebus Dominicis & festivis a quolibet sacerdote denuncientur excommunicati. Nullus sacerdos oblationes manifestorum usurariorum recipiat, nec ad communionem eos admittat: nisi satisfaciant de usuris secundum constitutionem felicis recordationis domini Gregorii papæ decimi, quæ incipit: Quamquam usurarii. Nullus testamentis manifesti usurarii intersit, nec ad pœnitentiam & communionem eos admittat: nisi de usuris satisfecerint, secundum formam constitutionis dicti domini papæ. Et testamenta manifestorum usurariorum, qui secundum formam dictæ constitutionis non satisfecerint de usuris, nulla sint ipso jure. Dum autem manifesti usurarii secundum formam dictæ consuetudinis satisfecerint, ad sacramenta ecclesiastica * admittantur. Manifestos autem usurarios dicimus, de quibus per sententiam vel per confessionem factam in jure, aut evidentiam quæ aliqua tergiversatione non potest celari, constiterit evidenter. Et illos etiam, qui super usuris diffamati, intra tempus statuendum ab eo qui super hoc habet potestatem, se non purgaverint, reputamus pro manifestis usurariis puniendos. Præcipimus etiam singulis sacerdotibus parochialibus, quod moneant in parochiis suis frequenter in generali & in speciali, de quibus constiterit, usurarios & infamatos publice de usuris, ac contractus illicitos præemptionum exercentes, ut ab usuris & talibus contractibus desistant intra septem dies a tempore dictæ monitionis. Alioqui ipsi ex tunc dicti usurarii & præemptores, excommunicentur in speciali, de quibus constiterit; & de quibus non constiterit, in generali: & diffamati, si se non expurgaverint, pro convictis habeantur. Et

In concil. Lugdun. c. 27.

* Deest non

ANNO CHRISTI circiter 1300.

Et si taliter moniti & excommunicati, desistere noluerint, nominatim excommunicentur, & nomina eorumdem nostro officiali referantur, salvo jure nostro & archidiaconi in præmissis. Præcipimus etiam constitutiones dicti domini papæ, contra usurarios alienigenas editas, firmiter observari. Sacerdotes non permittant quæstionarios Goliardos, vel quoscumque alios ignotos, intra parochiam suam in ecclesia, vel in via, vel in platea, vel in quibuscumque locis parochiæ suæ prædicare, vel ostiatim deferre indulgentias pro quæstu faciendo. Sed tales & omnes qui eis assistunt, presbyter loci excommunicet, & ad removendum ipsos invocet auxilium brachii sæcularis, si necesse fuerit.

XIII. *Ne quæstus fiat in ecclesia, vel via publica, per concionatores quæstuarios.*

Sacerdotes non permittant prædicatores quæstionarios celebrare super arcas, vel pulsare campanulas manuales per vicos, neque in ecclesia: & ipsi presbyteri singulis diebus Dominicis & festivis moneant parochianos suos, & etiam sub pœna excommunicationis inhibeant eisdem, ne tales audiant, propter pericula hæresum & errorum, quos sæpius seminant. Et si quis tales viderit, denunciet presbytero: & presbyter faciat eos teneri per justitiam sæcularem, & nobis remitti. Præcipimus etiam, quod ecclesiæ interdictæ a nobis, nostro capitulo, archidiacono loci vel officiali, seu quocumque judice ordinario, nullatenus aperiantur, nec quacumque autoritate, pro quocumque quæstu faciendo, nisi de speciali mandato nostro.

XIV. *Ne aliquis detineat legata fabricæ majoris ecclesiæ Coloniensis.*

Monemus item omnes sacerdotes & alios quoscumque nostræ diœcesis, qui eleemosynas fidelium ad opus fabricæ ecclesiæ majoris Coloniensis collatas detinent, quod intra mensem satisfaciant de eisdem procuratori seu procuratoribus dictæ fabricæ. Alioqui ipsos suspendimus: & si per octo dies dictam suspensionem sustinuerint, ipsos excommunicamus, & etiam omnes illos qui dictas eleemosynas surripuerunt, celaverunt, & distraxerunt, surripiunt, celant, & distrahunt, in fraudem dictæ fabricæ Coloniensis.

XV. *Ut unusquisque promoveat fabricam majoris ecclesiæ Coloniensis.*

Item præcipimus & injungimus universis presbyteris Coloniensis diœcesis, sub pœna suspensionis & excommunicationis, quatenus dictum negotium fabricæ apud suos subditos promoveant diligenter & fideliter in ecclesiis, testamentis, & confessionibus. Et si qui pro hujusmodi negotiis suspensi vel excommunicati fuerint, non absolvantur, nisi per nos seu nostrum officialem.

XVI. *De laicis provisoribus structurarum ecclesiasticarum.*

Item statuimus, quod laici provisores parochialium ecclesiarum, qui pro conservatione structurarum, luminarium, & comparatione ornamentorum instituuntur, certis ad hoc vel non certis redditibus deputatis, nihil ordinent vel disponant absque consilio plebanorum: & quod bis in anno, videlicet in crastino beatæ Margaretæ, & beati Petri ad cathedram, de administratione ejus commissa plebanis suis teneantur reddere rationem: ut si quid inordinate egerint, per ipsos plebanos pro utilitate ecclesiarum suarum, prout secundum Deum & suas conscientias expedire viderint, corrigant & reforment.

A

XVII. *Ne campanarii sint illiterati.*

Prohibemus item ne deinceps campanarii in villis & ecclesiis parochialibus ibidem assumantur, nisi litterati, qui in defectu respondentis ad altare, cum camisiis lineis assistant, in missis deservientes presbytero, ne ministrator careat socio sibi respondente.

XVIII. *Contra falsarios monetarum, & eorum receptores.*

B

Quia nonnulli in diversis partibus nostræ diœcesis falsas seu adulterinas, monetas cudunt, & cudi faciunt, propter quod respublica læditur, & damna plurima subjectis nostris & toti provinciæ inferunt: unde in hac nostra synodo statuimus, & sub pœna excommunicationis præcipimus, ut ubicumque tales falsarii reperti fuerint, tam ipsi falsarii, quam receptores eorumdem, cujuscumque sint status, vel gradus, aut dignitatis, per plebanos locorum moneantur, ut a talibus prorsus desistant, & indilate. Ipsique qui in suis districtibus eosdem falsarios recipiunt, & " tuentur, eos falsarios removeant, nullatenus reversuros: alioqui ipsi falsarii & eorumdem receptores, quos post triduum ab hujusmodi monitione numerandum, in his scriptis excommunicamus, excommunicati publice nuncientur: & cessari in locis, ubi talia committuntur, quamdiu falsarii ibi steterint, præcipimus a Divinis.

" al. tenent

C

XIX. *Ne aliquis exequatur mandata indebite: seu de rescriptis.*

Quamvis rescripta stricti juris sint, nec ad alias personas, quam quæ eisdem continentur expresse, aliquatenus extendantur: nonnulli tamen hujusmodi rescriptis in casibus a jure non concessis, abutuntur, & sua mandata dirigunt, & sententias de facto fulminant contra aliquos, ad quos eorumdem jurisdictio nullatenus se extendit. Volentes igitur talibus nefandis ausibus obviare, statuimus, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in his scriptis firmiter prohibemus, ne aliquis deinceps subditorum nostrorum, cujuscumque status seu conditionis, aliqua mandata alicujus judicis delegati contra personas in authentico non expressas, recipiat aut executioni demandet, etiamsi narretur in mandato casus a jure concessus, nisi super hoc prius a nobis, vel officiali nostro, habita & obtenta licentia speciali: cum talia mandata contra alias personas plerumque ex malitia & odii fomite procedere videantur. Illum autem, quod hujusmodi mandata contra alias personas emiserit in casu a jure non concesso, aut per nos non admisso, vel per officialem nostrum non approbato, propter hoc excommunicationis sententiæ, quam in his scriptis ferimus, decernimus subjacere.

D

E

XX. *Contra suspendentes tedas vel litteras comminatorias ad portas seu fores.*

Quia vero nonnulli, ut intelleximus, tedas & litteras annexas ante portas, & januas aliquorum religiosorum, & granges eorum, suspendere non formidant, in quibus incendia, homi-

Anno Christi circiter 1300.

homicidia, & alia damna & maleficia se illaturos eis ante quorum ædificia dictas litteras & tedas suspendunt, inferre publice comminantur, nisi intra certum terminum eisdem malefactoribus aliqua pecuniæ summa pro ipsorum arbitrio persolvatur: nos talibus maleficiis, quantum possumus, obviare volentes, præcipimus universis ecclesiarum rectoribus, quod singulis diebus Dominicis & festivis, hujusmodi malefactores & dictarum litterarum scriptores, fautoresque, opem & operam dictis malefactoribus præstantes, & omnes, qui præmissa sciverint, vel conscii fuerint (nisi nobis vel pœnitentiario nostro revelent intra octo dies, postquam talia intellexerint) quos in his scriptis excommunicamus, excommunicatos publice denuncient, & præcipiant ab omnibus arctius evitari & revelari eosdem.

XXI. *Contra detentores cerocensus.*

B Item præcipimus ut universi ecclesiarum rectores moneant omnes cerocensuales ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum, quocumque nomine censeantur, qui cerocensum debitum subtrahunt & non solvunt, & qui dictum cerocensum hactenus non solverunt: quod de subtractis satisfaciant intra mensem; & deinceps debitis temporibus & statutis persolvant dictum cerocensum, ut tenentur. Alioqui dictos subtrahentes & non solventes, quos excommunicamus in his scriptis, excommunicatos publice nuncient singulis diebus Dominicis & festivis.

XXII. *Quibus horum statutorum copia necessario habenda.*

Præcipimus etiam omnibus decanis Christianitatum & plebanis locorum, ut præmissorum omnium copiam a sigillifero curiæ nostræ Coloniensis intra quindenam recipiant, & sibi fieri procurent sub correctione debita: alioqui contrarium facientes, quos ex nunc prout ex tunc excommunicamus in his scriptis, excommunicationis sententiæ volumus subjacere. Item decani Christianitatum, nomina plebanorum sui decanatus ad præsens absentium, nobis vel officiali nostro dent in scriptis sub pœna prædicta.

** SYNODUS BAIOCENSIS
Circa annum Domini MCCC.

Ex codice Victorino a R. P. Iac. Sirmondo descripta.

TITULI CAPITULORUM.

CAPITULA.

I. *Quomodo personæ ecclesiasticæ ante synodum & in synodo debeant sibi providere.*

Die Dominica vel sabbato præcedente synodum, sacerdotes qui capellanos non habent in suis parochiis, diligenter inquirant in ecclesia publice, si qui sint infirmi in parochia: & antequam iter arripiant, eos visitent etiam non requisiti, & faciant quicquid necesse fuerit ad salutem animarum. Nihilo minus procurantes provisionem eorum, quam solent facere, per capellanos in aliis ecclesiis remanentes.

II. *Quod omnes curam animarum habentes veniant ad synodum.*

Præcipitur ut omnes veniant ad synodum, maxime curam animarum habentes: & si inevitabili necessitate detenti fuerint, mittant capellanum suum, aut clericum loco sui. Et in eundo & redeundo honeste ambulent, & honesta quærant hospitia, & in eis circumspecte se habeant, ne status clericorum vertatur populo in opprobrium & contemptum. Et qui ex causa remanserit, eum decano, & decanus episcopo studeant nunciare.

III. *Ut ieiuni intrent synodum.*

Præcipitur sacerdotibus, ut jejuni & induti superpeliciis & stolis mane intrent synodū: cæteri autem, personatus seu vicarias ecclesiarum habentes, superpeliciis tantum. Abbates autem cappis sericis sint induti. Omnes autē a tēpore pulsationis synodi, omni occasione postposita, majorem ecclesiam intrare festinent.

IV. *De baptismo & eius forma, & qualiter debeat fieri.*

Baptismus cum summo honore & reverentia, & cum magna cautela celebretur, maxime in distinctione & prolatione verborum, in quibus tota virtus sacramenti consistit, scilicet: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Et in Romano doceant laicos sacerdotes sub hac forma debere frequenter pueros, etiam patrem & matrem pueri, in summa necessitate baptizare: & dicant laicis, quod nomen puero non imponant. Forma autem verborum prædicta, ab eo qui baptizat, integre, nude, ordinate, continue, sine interpositione aliqua proferatur. Interrogetur autem laicus, qui sic puerum baptizavit, diligenter a sacerdote, quid dixerit, & quid fecerit. Et si invenerit eum discreto modo & debito baptizasse, allato puero ante fores ecclesiæ, suppleatur quod deest: scilicet pabulum salis, aurium linitio cum saliva: exorcismi tamen non dicantur, & super fontes, sine immersione tantum, omnia fiant quę solent fieri. Si vero dubium fuerit in qua forma verborum puer baptizatus fuerit, tunc sacerdos omnia faciat, & immergens dicat: Si tu non es baptizatus, ego baptizo te, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Ad elevandum puerum de sacro fonte tres tantum recipiantur.

V. *De confirmatione.*

Sacerdotes scientes adventum episcopi ad prædican-

ANNO CHRISTI circiter 1300.

candum in aliquo certo loco, moneant populum diligenter, prout melius potuerint, circa duas leucas vel tres, ut omnes qui commode poterunt, conveniant coram episcopo ad audiendum sermonem, maxime qui consilio episcopi indigent: & ipsi cum populo veniant cruce præcedente. Adulti autem qui debent confiteri, & qui confirmandi fuerint, prius confiteantur, si tempus habent confitendi, & deferant secum bendellos latos, mundos, & satis longos. Iejuni etiam, si fieri potest, hoc recipiant sacramentum, & ea die non celebrent sacerdotes, nisi celebrent summo mane.

VI. *De sacramento altaris & ejus circumstantiis, scilicet vini & hostiæ electione, & quid agendum sit si aliquid omissum fuerit.*

Sacerdos ministrans diligenter attendat quod hostia sit integra, non mucida, non perforata, & quod sit B frangibilis, & integrum habeat circulum. Et quod vinum non sit acetosum: & aquam non omittat. Si autem aquam omiserit, cum averterit [a] se, apponat aquam, si fieri potest sine scandalo. Si vero per negligentiam evenerit, quod perlecto canone & peracta consecratione, nec vinum, nec aqua reperiantur in calice: statim debet infundi utrumque, & hostia sic consecrata seorsum reverenter observetur. Hostia autem nova, sicut fieri solet, ante calicem apponatur, & reincipiatur canon Missæ, scilicet, Te igitur. Post communionem vero, prior hostia ab ipso sacerdote sumatur.

[a] adverterit

VII. *Quod nec panis nec vinum remaneant super altare.*

Caveant sacerdotes ne panis vel vinum remaneat D supra altare infra Missam, præter illa quæ ab ipsis sunt consecranda. Si quid autem forte remanserit, ab ipso sacerdote, vel ab alio mundam habente conscientiam, cum reverentia sumatur. Vnde non est tutum, hostiam erigere super pallam, quia posset ibi aliqua fractio remanere.

VIII. *Ne elevent hostiam donec dixerint, Hoc est corpus meum.*

Præcipitur sacerdotibus, ut quando inceperint in canone Missæ, Qui pridie, tenentes hostiam, non elevent statim eam, sed ante pectus suum detineant donec dixerint, Hoc est corpus meum: & tunc elevent eam decenter, ita quod possit videri ab adstantibus. Et D post totalem corporis & sanguinis Dominici sumptionem, aliquantum ab spuendo abstineant: & si abstinere non possunt, saltem in loco mundo hoc faciant, qui conculcari non possit.

IX. *De sanguine Christi cadente super corporale, vel pallam, vel aliud indumentum, quid agendum sit.*

Si quid de sanguine Christi ceciderit super corporale, sugenda est pars intincta: & ipsum corporale aliquo panno mundissimo involutum pro reliquiis est servandum. Si vero super pallam vel super aliquod aliud sacrum indumentum ceciderit, pars intincta prius sugatur, & postea scindatur, consuta panno E mundo servetur pro reliquiis: ita tamen, quod super pannum scedula consuatur continens: Linteamen super quod stilla cecidit sacramenti. Si autem super aliud commune vestimentum ceciderit, pars intincta prius sugatur, & postea scindatur & comburatur, & cinis in sacrario reponatur. Si autem super lapidem, lignum, terram ceciderit, lingendus, tergendus, radendus est locus ille, & pulvis in sacrario reponendus. Si autem de corpore Christi super pallam vel quodlibet aliud ornamentum ceciderit, abluatur & ablutio a sacerdo-

A te sumatur, vel ab alio mundæ conscientiæ. Si vero super lapidem, lignum, terram ceciderit: locus radatur, & pulvis in sacrario reponatur. Sacerdos seu minister, cujus negligentia istud acciderit, ad episcopum debet mitti.

X. *Vt duabus mulieribus tantum tradatur marmor sive liber deosculandus.*

Inhibemus firmiter & districte, ne pace recepta a presbytero in altari, pluribus quam duabus mulieribus marmor tradatur deosculandum.

XI. *De musca vel aliqua alia re cadente in calicem, quid faciendum sit.*

Si musca vel aranea, vel aliquid tale, in sacramentum ceciderit, quod vix sine vomitu, aliquando non sine periculo corporis, sumi potest: sanguis sumatur, & superfuso vino ipsum quod ceciderit abluatur, & ablutio a sacerdote sumatur, vel ab alio mundæ conscientiæ, & postea in sacrario comburatur. Quod si fides ipsa quempiam hoc quod ceciderit sumere fecerit, Deo gratias.

XII. *Vt die octavo renovetur eucharistia, & aqua benedicta.*

Sacerdotes die octavo semper renovent sacramenta, & eucharistiam, & aquam benedictam: ne sui vetustate aliquam indevotionem movere valeant, aut horrorem.

XIII. *Ne celebrent donec horas canonicas & Primam dixerint.*

Nullus antequam matutinas canonicas & Primam dixerit, Missam celebrare aliqua necessitate præsumat.

XIV. *Vt calix post Missam a sacerdote vel a diacono panno mundissimo involvatur.*

Calix post Missam panno mundissimo involvatur, nec ministri eo calicem intus tergant, sed alio ad hoc specialiter deputato. Qui dum non satis decens fuerit, vel vetustate attritus, in sacrario comburatur.

XV. *Ne aliquis bis eodem die celebret.*

Nullus audeat bis in uno die Missam celebrare, nisi in Natali Domini, aut cum duplici introitu, nisi in magna necessitate, scilicet corpore defuncti præsente, vel in die solemni, vel Quadragesimali, vel etiam in die Paschæ. Celebraturus quoque secundam Missam, vinum superfusionis non sumat, sed ministro habenti bonam conscientiam conferat.

XVI. *Ne detur eucharistia pueris infra septem annos.*

Inhibemus presbyteris ne hostias sacras dent pueris ullo modo infra septennium constitutis.

XVII. *De clericis in ministerio altaris.*

Nullus uxoratus permittatur deservire altari, vel epistolam legere: nec alius, nisi in superlicio, vel cappa clausa.

XVIII. *Quot præfationes debent dicere sacerdotes.*

Invenimus novem sequentes præfationes in sacro catalogo tantummodo recipiendas. Vnam in Pascha, quæ sic incipit, Te quidem. Aliam in Ascensione, scilicet, Qui post resurrectionem. Tertiam in Pentecoste, Qui ascendens. Quartam in festis beatæ Mariæ, scilicet, Et te in veneratione. Quintam in festis S. Crucis, Qui salutem humani generis. Sextam de apostolis, scilicet, Te Domine suppliciter

ter exorare. Septimam in Natali, Quia per incarnati Verbi. Octavam in Epiphania, scilicet, Qua cum unigenitus. Nonam in Quadragesima, scilicet, Qui corporali jejunio.

XIX. *Ut Divinum officium distincte celebrent & devote.*

Districte præcipitur, ut sacerdotes Divinum officium nocturnum pariter & diurnum distincte & aperte, quantum Deus dederit, celebrent & devote.

XX. *Ne celebrent super tabulam motam vel fractam, donec consolidetur & consecretur, nec super lapidem portabilem sine capsa: & de ampullis.*

Præcipitur quod in altari, in quo tabula mota fuerit, vel enormiter fracta, sacerdos non celebret, donec altare consolidetur, & iterum consecretur. Nec super lapidem portabilem sine capsa celebretur. Ampullæ vini & aquæ in ministerio altaris sint mundæ, integræ, vitreæ, stanneæ sive argenteæ. Ad ablutionem manuum vas grandius deputetur.

XXI. *De piscinis & manutergiis.*

Provideant sacerdotes, quod habeant piscinas juxta altaria decentes & mundas, ablutionibus manuum liberum cursum exhibentes: nec sine coopertorio relinquantur. Fontes etiam honeste obturent, & eos tegi honeste faciant, & sub seris, clavibus adhibitis, custodiri. Iuxta etiam altare ad minus tria manutergia habeantur; unum ad primam ablutionem, secundum post Evangelium, tertium post sacramenti susceptionem. Aliud sit pendens circa Missale ad tergendum os & nares, si opus fuerit, sacerdotis.

XXII. *Ut sacerdos sive diaconus corporalia sæpe abluat.*

Sacerdos seu diaconus sæpe abluat corporalia, indutus superpelicio, in vase mūdo ad hoc specialiter deputato: & omnes ablutiones, si fieri potest, in piscina reponantur, vel saltem prima: cæteræ autem in baptisterio. Linteamina altaris, & cætera indumenta sacerdotalia, non nisi a sacerdote vel diacono, vel aliqua matrona honesta vel virgine, sine appositione aliorum pannorum, quando opus fuerit, convenienter abluantur, ita ut munda & nitida conserventur: quia sicut continetur in concilio, nimis absurdum videtur in sacris sordes negligere, quæ dedecent etiam in profanis.

XXIII. *Ut chrisma & eucharistia sub clavibus, & fideli custodia conserventur.*

Statuitur, ut per omnes ecclesias chrisma & eucharistia, sub fideli custodia, clavibus adhibitis, conservētur: ut non possit ad illa, temeraria manus extendi. Si vero is ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit: tribus mensibus ab officio suspendatur: & si per ejus incuriam aliquid nefandum inde evenerit, gravius puniatur.

XXIV. *Ne in ecclesiis supellectilia sacerdotis vel clerici alterius conserventur, nisi in casibus concessis.*

In concilio firmiter inhibetur, ne supellectilia sacerdotis propria, sive aliena, in ecclesiis admittantur: nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes, propter quas ad eas oporteat habere refugium. Ita tamen, ut necessitate cessante in loca pristina reportentur.

XXV. *Ut quilibet sacerdos librum habeat, manuale.*

Librum qui dicitur manuale, habeant singuli presbyteri parochiales, ubi ordo servitii contineatur. Sci-

A licet baptismi, catechismi, extremæ unctionis, & hujusmodi, & alios libros, in quibus possit competenter Divinum tam nocturnum quam diurnum officium celebrari.

XXVI. *De libris & ornamentis ecclesiis necessariis habendis.*

Sacerdotes servientes ecclesiis procurent, ut sibi sint libri necessarii, & alia ornamenta. Ita quod ad hæc emenda parochialis presbyter ac persona, & alii qui ibi sibi forte aliquos percipiunt reditus vel decimas, pro modulo portionum suarum, si opus fuerit, solvere compellantur.

B XXVII. *Ut reditus ecclesiæ & presbyterii in Missalibus scribantur, & ex eis nihil alienetur.*

Præcipitur sacerdotibus, ut omnes reditus ecclesiæ vel presbyterii scribantur in Missalibus suis, & de rebus ecclesiæ vel presbyterii nihil alienetur, nisi per episcopum.

XXVIII. *Ne fiant picturæ inhonestæ in sacro loco, vel in domibus clericorum.*

Imagines vetustate deformatæ, & linteamina sacra vetustate attrita sacris usibus inutilia, in loco mundo comburantur, & pulvis juxta parietem ecclesiæ recondatur: quia possent intuentes ducere in horrorem. Etiam picturæ in monasteriis depictæ, sive aliis sacris

C locis, aut in domibus clericorum insculptæ, quæ possunt ad lasciviam incitare, sine mora penitus deleantur. Sed & ne talia de cætero præsumantur, firmiter inhibemus.

XXIX. *Ut firmentur ecclesiæ post Divinum officium celebratum.*

Præcipitur sacerdotibus ut Divino officio celebrato, & populo regresso ad propria, ecclesias firmare studeant diligenter.

XXX. *Ne ædificent in cœmeteriis.*

Nullus de novo ædificare in cœmeterio permittatur, nec domum aliquam, si diruta fuerit, durante per annum ruina, ibi reædificet, nisi de licentia episcopi

D speciali. Nec fimus vel immunditiæ in cœmeteriis adunentur.

XXXI. *Ne choreæ in ecclesiis vel cœmeteriis fiant.*

Prohibeant sacerdotes sub pœna excommunicationis choreas in ecclesiis vel cœmeteriis duci. Moneant etiam & ne alibi fiant, quia ut dicit Augustinus: Melius est festivis diebus fodere vel arare, quam choreas ducere. Quam grave sit peccatum choreas & ballationes in sacro loco ducere, perpendi potest ex pœnitentia secundum rigorem canonum talibus injungenda. Si quis ballationes ante ecclesias sanctorum fecerit,

E emendatione pollicita tribus annis pœniteat.

XXXII. *De vita & honestate clericorum, & ne commercia vel officia sæcularia exerceant.*

Clerici officia vel commercia sæcularia non exerceant, maxime inhonesta. Mimis & histrionibus & joculatoribus non intendant, & tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Coronam & tonsuram habeant congruentem, & se in ecclesiasticis officiis, & aliis bonis studiis exerceant diligenter.

XXXIII.

Anno Christi circiter 1300.

XXXIII. *Ut clausa desuper habeant indumenta, & ut capis clausis utantur communiter universi.*

Clerici beneficiati, & in sacris ordinibus constituti, clausa desuper deferant indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda. Si quis autem post statutum hujusmodi, ejusdem transgressor extiterit, per superiorem suum puniatur: & vestis aperta portata in publico pauperibus erogetur. Præcipimus etiam, ut universi presbyteri capis clausis communiter utantur, alioquin gravissime puniantur, & eis agentibus super hoc exceptio proposita admittatur. Pannis rubeis vel viridibus, necnon manicis, aut sotularibus consutitiis aut rostratis, sellis, frænis, pectoralibus & calcaribus deauratis, non utantur. In sacerdotio vel in personatibus constituti, capas manicatas non gerant, nec corrigias auri vel argenti ornatum habentes, nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis. Nec ad partes longinquas aliqua ratione secedant, etiam causa peregrinationis, vel studendi, nisi de nostra licentia speciali.

XXXIV. *Ne aliquis clericus dictet, scribat, aut proferat litteras pro vindicta sanguinis.*

Nullus clericus sententiam sanguinis dictet aut proferat, aut vindictam sanguinis exerceat, aut ubi exerceatur intersit. Nec quisquam clericus litteras dictet aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas.

XXXV. *Ne beneficiati sint advocati pro precio: & ne loco laicorum curiam teneant: & ne sint chirurgici.*

Clerici seu beneficiati, seu in sacris ordinibus constituti, non sint advocati pro precio seu in fraude precii in curia laicali, nec loco laicorum curiam teneant, nisi de consensu episcopi, nec balliviis eorum licitis præficiantur, nec ullam partem chirurgiæ subdiaconus, diaconus, sacerdos exerceant, quæ adustionem inducit vel incisionem: nec quisquam purgationi aquæ ferventis vel frigidæ, seu ferri candentis, ritum cujuslibet benedictionis aut consecrationis impendat.

XXXVI. *Quibus temporibus vel diebus non liceat jurare super sacrosancta evangelia.*

Decrevit sancta synodus, ut a Septuagesima usque ad octavas Paschæ, & ab Adventu usque ad octavas Epiphaniæ, necnon & in jejuniis quatuor temporum, vigiliis & Litaniis majoribus, & in diebus Dominicis & in diebus Rogationum, nisi de concordia & pacificatione, nullus super sancta evangelia jurare præsumat. Et in his diebus non debent sacerdotes laicis reliquias exhibere.

XXXVII. *Item de vita & honestate clericorum, & ne habeant concubinas.*

Continenter & caste vivere studeant universi, præsertim in sacris ordinibus constituti, ab omni vitio libidinis præcaventes, maxime ab illo propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, ut in conspectu Dei puro corde[a], & mundo corde valeant ministrare. Quocirca districtius inhibemus, ut nullus in sacris ordinibus constitutus, aliqua occasione teneat in domo sua vel alibi mulierem, vel personam aliquam de qua mala suspicio possit oriri, unde populus scandalizetur. Qui autem post sententiam domini Gallonis inde latam, & admonitionem legitimam, focarias, vel mulieres alias cum scandalo tenuerit, sciat se sententia excommunicationis ligatum. Et qui in excommunicatione illa præsumpserit celebrare Divina, irregularis effectus, non sine dispensatione potest amodo celebrare.

[a] *f.* corpore

XXXVIII. *Ne filii sacerdotum ipsis ministrent in*

A

ecclesia circa altare, & ne in eorum domibus commorentur.

Prohibetur sacerdotibus, ne proles eorum, quam in sacro ordine genuerint, propter scandalum, eis in ecclesiasticis officiis assistat vel ministret, vel ne in eorum domibus commorentur. Et ne in domibus suis habeant aleas vel decios prohibemus.

XXXIX. *Ne laici publice teneant concubinas.*

Prohibeant sacerdotes, ne laici publice teneant concubinas, & qui post admonitionem tertiam tenuerit, tam ipse quam ipsa ab ingressu ecclesiæ arceantur: & si perseveraverint, gravius sunt puniendi.

B

XL. *Ne antiquæ reliquiæ extra capsam exponantur venales.*

Item in concilio est statutum, quod antiquæ reliquiæ amodo extra capsam nullatenus ostendantur, nec venales exponantur. Inventas autem de novo nemo publice venerari præsumat, nisi prius autoritate Romani pontificis fuerint approbatæ. Later. IV. c. 62.

XLI. *Ut nullus recipiatur ad prædicandum sine litteris episcopi.*

Nullus recipiatur ad prædicandum, nisi fuerit ad hoc ab episcopo destinatus. Quæstores quoque eleemosynarum tantum ea dicant populo, quæ in litteris domini Papæ vel episcopi continentur. Qui si alia proposuerint, statim a sacerdotibus eis silentium imponatur. Sacerdos tamen loci populum sibi commissum diligenter inducat ad erogandas eleemosynas, pietatis intuitu, non animo extorquendi.

C

XLII. *Item ut nullus recipiatur ad quærendas eleemosynas sine litteris episcopi.*

Nullus recipiatur ad quærendas eleemosynas in ecclesia sine litteris episcopi, vel ejus certo mandato: nisi fuerit parochianus ecclesiæ, vel de vicinia notus.

XLIII. *Ut nullus faciat patronis juramentum, antequam sit receptus ab episcopo.*

Nullus clericus patronis faciat juramentum, antequam episcopo sit præsentatus & receptus. Episcopus autem receptum faciat jurare, quod ad patronos accedet, ut debitum faciat juramentum.

D

XLIV. *De resignationibus, ne fiat nisi in manu episcopi.*

Sed ne resignationes fiant in manus abbatum, vel quorumlibet patronorum, sed in manus episcopi tantum, districtius inhibetur. Omnia beneficia collata sede vacante Bajocensi, & post promotionem nostram, si nobis non fuerint præsentata, in manu nostra capimus, & per manus decanorum volumus & præcipimus detineri.

XLV. *Ne ornamenta ecclesiæ pignori obligentur.*

Statuitur quod ornamenta ecclesiæ non obligentur, nisi de consensu episcopi[a].

[a] *Additum alia manu*, & consilio parochi.

E

XLVI. *Ut laici filios suos instrui faciant.*

Sacerdotes frequenter moneant parochianos suos, ut filios suos clericos faciant diligenter instrui, & attentius scholas frequentare: quia illiterati, non sunt ad ecclesiastica beneficia admittendi.

XLVII. *Ne ecclesia patrono servagium faciat.*

Prohibetur districte, ne aliqua ecclesia servagium[a] domino terræ, vel aliquid tale conferre præsumat, donec habeat sui episcopi super hoc consilium, ut ejus autoritate fiat quod fuerit faciendum.

[a] *al.* corvagia

ANNO CHRISTI circiter 1300.

XLVIII. *De firmatione ecclesiarum.*

Nullus ad firmam tradat ecclesiam suam aliquo modo alicui, sed nec ullus recipere præsumat sine nostra licentia vel mandato, districtius inhibemus.

XLIX. *Item de eadem.*

Nullus ad firmam recipiat vel tradat alicui ecclesiam suam ad deserviendam pro se, nisi licentia episcopi speciali. Et nullus habere præsumat capellanum ad deserviendum secum in ecclesia sua, qui non fuerit de ordinatione ecclesiæ Bajocensis, nisi de licentia episcopi speciali.

L. *Item ut non recipiant ecclesiam ad firmam, nisi habeant perpetuam vicariam.*

Nullus sacerdos curam animarum habens, ecclesiam ad firmam recipiat, nisi in ecclesia sua perpetuum vicarium habeat. Et tunc illam non recipiat sine licentia nostra speciali. Cæteris autem curam animarum habentibus hoc firmiter prohibemus.

LI. *De liberatione personarum & rerum ecclesiasticarum.*

Præcipitur sacerdotibus, ut cum homo vel res ecclesiæ detinetur, moneant detentorem ut reddat vel recredat: & sacerdos vel decanus cautionem recipiat, non detentor, & coram episcopo vel officiali partibus assignet terminum competentem. Si autem reddere, vel recredere noluerit, & de detentione constiterit, competenti monitione præmissa, excommunicetur detentor: locum autem in quo res ecclesiæ detinentur, interdicto supponat, si locus est de dominio detentoris.

LII. *Ut condonati signum portent apertum.*

Statuitur quod condonati cujuslibet domus religiosæ aliquod signum in eminenti loco portent ad arbitrium episcopi, & religioni congruentia indumenta: ut per hæc distinguantur ab aliis, & sicut religiosi ab ecclesia defendantur: & ad hoc faciendum per suos presbyteros compellantur.

LIII. *Ut nullus de manu laicali decimam recipiat.*

Nullus laicus, vel clericus, vel religiosa persona, recipiat decimam de manu laicali, nisi per episcopum.

LIV. *Ne quis intret possessionem decimæ sibi collatæ a laico.*

Nullus clericus vel religiosus intret possessionem decimæ sibi collatæ a laico, vel ecclesiæ occasione juris patronatus sibi a laico collati, vel aliter acquisiti.

LV. *Ut nullus portet magnum cultellum cum cuspide.*

Districte præcipitur ne sacerdotes magnum cultellum portent cum cuspide, nec clerici, sacerdotes, vel alii in sacris ordinibus constituti, nisi justi causa timoris.

LVI. *Ne laici faciant testamenta in absentia sacerdotis.*

Sacerdotes frequenter prohibeant laicis, ne testamenta sua faciant sine præsentia sacerdotis, nisi in necessitate.

LVII. *De morte intestatorum, ut statim nuncietur episcopo, officiali, vel decano.*

Volumus & præcipimus, quod si aliquis sacerdos aliquem mori novit intestatum, quod hoc statim quam cito poterit, nobis, vel officiali nostro, vel saltem decano loci, nunciare procuret: & hoc sub pœna suspensionis dignum duximus omnibus intimandum.

A LVIII. *Ut immobilia de bonis ecclesiæ acquisita, illis ecclesiis legentur.*

Præcipitur sacerdotibus ut immobilia de bonis ecclesiæ acquisita, tantummodo suis legent ecclesiis, de jure enim aliud facere non possunt: de mobilibus autem sacerdotes rationabile possunt facere testamentum. Domus autem utensilia successoribus suis relinquantur, saltem quod eis sufficiat competenter.

ANNO CHRISTI circiter 1300.

LIX. *De citationibus & excommunicationibus faciendis.*

Super citationibus factis a curia nostra, & excommunicationibus ferendis vel absolutionibus faciendis, non credatur sine litteris episcopi. Quin presbyteri sententias audacter denuncient, latas districte servent, nec amore parcentes alicui, nec timore. Nullus, quacumque ex causa excommunicatus, etiamsi cum adversario composuerit, pro absoluto habeatur: nisi per litteras excommunicatoris vel superioris.

B

LX. *De officio decanorum.*

Cum aliquid mandabitur decanis, si alias commode certificare curiam non poterunt, apponant sigilla sua litteris curiæ, in signum quod mandatum curiæ executioni demandarunt.

LXI. *Qualiter absolvendi sunt excommunicati.*

Quando aliquis est excommunicatus, absolvendus est solenniter cum psalmo pœnitentiali, scilicet Miserere mei Deus, & cum oratione devota: & cum gravitate est absolutio impendenda. Et tunc super hæc pars adversa certificetur.

D

LXII. *Qui sint ex facto excommunicati.*

Sciendum etiam, quod excõmunicati sunt ipso facto qui in clericos, vel quoscumque religiosos, injiciunt manus violentas, & incendiarii cœmeteriorum ecclesiarum, & qui litteras domini Papæ falsat, vel ad hoc aliquod adminiculum præstat, vel etiam falsatas penes se ultra quindecim dies servat, vel etiam falsis utitur etiam ignoranter, si crassa sit ejus ignorantia & supina.

LXIII. *Quod excommunicentur sortilegia facientes.*

Excommunicamus sortilegia de sacramentis ecclesiæ facientes: & qui malitiose procuraverunt abortivum, ex quo sententiam excommunicationis propter hoc latam audierint: & qui ad conjungendum vel disjungendum falsa matrimonia, vel ad excredendum aliquem, scienter deponent testimonium falsitatis. Et tales sunt per episcopum, vel ejus pœnitentiarium absolvendi. Has autem sententias in suis ecclesiis frequenter denuncient sacerdotes.

D

LXIV. *Quod excommunicati a domino Papa, a quolibet sacerdote in necessitate possunt absolvi.*

Sciendum quod excommunicatus a domino Papa, a quolibet sacerdote absolvi potest in articulo mortis: satisfactione præmissa, si pro offensa vel pro soluto prius judicato, si pro re judicata excommunicatione fuerit innodatus (si tamen de hoc habuit facultatem) recepto prius juramento, quod quam cito habuerit opportunitatem, excommunicatoris sui adibit præsentiam, mandato ipsius pariturus. Si autem infirmus vel offensam emendare non poterit, vel solvere judicatum: inducendus est heres ut hoc faciat, non tamen est per pœnitentiarium compellendus.

E

LXV. *Ut de omnibus in extremis absolvatur.*

Pium videtur & tutum, ut quilibet sacerdos infirmum in extremis laborantem absolvat de omnibus, de quibus absolvere eum potest.

LXVI.

ANNO CHRISTI circiter 1300.

LXVI. *De observantia jejuniorum.*

Sacerdotes præcipiant omnibus ætatem habentibus instituta jejunia observare, ut jejunium Quadragesimale, quatuor temporum, vigiliis Natalis Domini, & Assumptionis B. Mariæ, beati Ioannis Baptistæ, apostolorum Petri & Pauli, beati Matthæi, Simonis & Iudæ, beati Andreæ, beati Laurentii martyris, omnium Sanctorum. Iejunium in majori Litania, scilicet in festo beati Marci evangelistæ, in diebus Rogationum. Si qua de vigiliis præ-taxatis die Dominica evenerit, indicendum est jejunium sabbato præcedente.

LXVII. *De solemnitatibus faciendis.*

Pronunciandum est laicis, ut fiant feriandam per annum omnem Dominicam. Feriandi autem per annū isti sunt dies, Natale Domini, *S. Ioannis evangelistæ, Innocentium, S. Silvestri, octavæ Domini, Epiphania, Nativitas S. Mariæ, Annunciatio, Purificatio, & Assumptio ipsius, & Conceptio, dies Parasceve cum omni reverentia & honore, sanctum Pascha, cum duobus diebus sequentibus ad minus, Ascensio Domini, Inventio sanctæ Crucis, sancti dies Pentecostes, S Ioannis Baptistæ Nativitas & Decollatio, duodecim Apostolorum, & maxime Petri & Pauli, Andreæ, Iacobi, Philippi & Iacobi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Iudæ, qui sua prædicatione mundum illuminaverunt. S. Laurentii, S. Michaelis archangeli, Dedicatio cujuslibet oratorii, & omnium Sanctorum, & S. Martini, & S. Mariæ Magdalenæ. Et illæ festivitates, quas singuli presbyteri in suis parochiis ab antiquo collaudaverunt cum populo, quæ vicinis tantum commorantibus indicendæ sunt, non generaliter omnibus. Reliquas autem festivitates per annum cogendi non sunt ad feriandum, sed monendi ut morem antiquorum observent.

*Deest S. Stephani.

LXVIII. *In quo gradu possunt matrimonia copulari.*

Sciendum est quod in quinto gradu consanguinitatis & affinitatis, & supra, possunt modo licite matrimonia copulari.

LXXI. *Quomodo fiant sponsalia.*

Prohibemus sub pœna excommunicationis & magnæ emendæ, ne aliquæ personæ consentiant matrimonialiter per verba de præsenti, donec sint ante fores ecclesiæ, quando nuptialis benedictio debet celebrari: possunt tamen fidem dare inter se de matrimonio contrahendo, si sancta ecclesia id poterit sustinere. Et hoc tamen non fiat sine præsentia sacerdotis, vel alicujus clerici ad hoc specialiter ab ipso missi.

LXX. *De termino nuptiarum, ad inquirendum de consanguinitate & affinitate.*

Volumus autem quod terminus nuptiarum prætaxatus tantum contineat temporis intervallum, quod intra se habeat tres dies Dominicos, vel festivos & solemnes a se invicem distantes, in quibus, quasi tribus edictis perquirant sacerdotes, & populo sub pœna excommunicationis de legitimitate sponsi & sponsæ, qui debent conjungi, utrum sit inter eos consanguinitas vel affinitas, vel aliud impedimentum matrimonii. Quod si fuerit propositum, ad episcopum vel officialem quæstio referatur.

LXXI. *De prohibitione clandestini conjugii, & de pœna eorumdem.*

Clandestina conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam ne aliquis sacerdos talibus interesse præsumat: statuentes, ut cum matrimonia contrahenda fuerint in ecclesiis, presbyteri publice proponant competenti termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit, legitimum impedimentum apponat. Et etiam tunc ipsi presbyteri nihilo minus investigent utrum aliquod impedimentum obsistat. Cum autem probabilis apparuerit conjectura contra copulam contrahendam, contractus impediatur expresse, donec, quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis. Si quis vero hujusmodi clandestina conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta, illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium. Cum autem taliter contrahendo non expertes scientiæ, vel saltem affectatores videantur, pari modo proles illegitima censeatur. Si vero ambo parentes legitimum impedimentum scientes, præter omne interdictum in conspectu ecclesiæ etiam contrahere præsumpserint: sane parochialis sacerdos qui tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet alius etiam regularis, qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit. Sed & huic qui taliter copulari præsumpserit, etiam in gradu concesso, cum *digna pœnitentia conjungatur. Si quis ad impediendam legitimam copulam malitiosum impedimentum objecerit, ecclesiasticam non effugiet ultionem.

*Corr. condigna pœnit. injungatur.

LXXII. *Vt in nuptiis sortilegi excommunicentur.*

Semper prohibeantur sub pœna excommunicationis in nuptiis sortilegia fieri. Si autem in computatione graduum aliqua dubitatio emerserit, in hoc definitio episcopi requiratur. Nec aliquis sacerdos in casu dubio audeat perficere matrimonium episcopo inconsulto: sed ad episcopum referat quæcumque emerserint super matrimoniis quæstiones.

LXXIII. *Ne alter conjugum transeat ad religionem, nisi per episcopum.*

Prohibeant sacerdotes sub excommunicatione publice in ecclesia, ne alter conjugum ad religionem transeat aut recipiatur, nisi per episcopum.

LXXIV. *Vt moneatur populus inungi quotiens necesse fuerit.*

Ad sacramentum extremæ unctionis moneant sæpe sacerdotes populum, non tantum divites, sed etiam pauperes, & omnes, maxime a XIV. annis & supra. Et omnibus communiter, cum fuerit necesse, exhibeant se paratos, sanctum oleum ad eos cum magna reverentia & honore deferentes. Doceant sæpe sacerdotes populum, hoc sacramentum licite posse iterari, & sæpe recipi in qualibet magna infirmitate, unde mortis est metus, & post receptum reverti licite ad opus conjugale.

LXXV. *Vt medici primo faciant advocari medicos animarum.*

Statutū est in concilio & districte injunctum medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant & inducant, ut medicos advocent animarum: ut postquam infirmo fuerit de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur. Cæterum autem cum anima multo sit preciosior corpore, sub interminatione anathematis prohibetur, ne quis medicorum pro corporali salute, aliquid ægro suadeat, quod in periculum animæ illius convertatur. Later. IV. c. 22.

LXXVI. *Vt singuli sacerdotes habeant calices in quibus communicent infirmi.*

Singuli sacerdotes singulos habeant calices, in quibus communicent infirmi, qui decori sint & mundi, ut in eis infirmorum devotio excitetur. Nec permittantur diaconi deferre infirmis sanctum corpus Dei, nisi in necessitate, cum sacerdos fuerit absens, vel infirmus: sed semper cum magna reverentia & maturitate idem deferat in pyxide idonea bene clausa, propter casum, & in eundo ad infirmum & redeundo, si tanta fuerit via, psalmos pœnitentiales dicat, & litaniam. Frequenter moneantur laici, & etiam pueri, ut

pueri, ut si viderint deferri sanctum corpus Christi, statim flectant genua sua Domino & creatori suo, & junctis manibus, quousque transierit, orent.

LXXVII. *Quomodo exhibendum sit corpus Christi infirmis debilitatis.*

Si quid de corpore Christi in ore infirmi remanserit, vel inde exierit, quod ab eo recipi non possit, aliquam formam habens: ab ipso sacerdote convenienter debet sumi; vel comminutum in calice cum modico vini, alicui habēti bonam conscientiam dari. Si autem infirmus adeo fuerit arctatus, quod sub magna forma corpus Domini recipere non possit, sub minima ei detur in calice comminutum, & cum modico vini in ore infirmi instilletur: & maxime si sine scandalo aliter fieri non possit, ne infirmus abire sine viatico videatur.

LXXVIII. *Ne infirmis pœnitentia injungatur, sed quando convaluerint.*

Ab infirmis & in mortis periculo constitutis pura est inquirenda peccatorum confessio, non pœnitentia injungenda. Eis tamen est intimandum, ut conterantur & doleant de peccatis suis universis & singulis, non tantum timore pœnæ quam peccando meruerunt, sed quia Deum patrem & redemptorem suum offendere præsumpserint, acerbitates ægritudinis quasi flagella pii patris, quamdiu placuerit, cum gaudio sustinentes. Si autem convaluerint, statim ad sacerdotem accedere debent, & tunc eis pœnitentia competens injungatur.

LXXIX. *Ut ecclesiastica sacramenta libere exhibeantur.*

Later. III. c.7. In concilio prohibetur, ne quis sacerdos pro benedictionibus nubentium, exequiis mortuorum, & aliis sacramentis, pecuniam extorquere præsumat, aut plegios exigat, aut propter hoc fictitia impedimenta opponat. Debent tamen a parochianis quibus impensa sunt sacramenta piæ consuetudines observari, & libere sacramenta ecclesiastica conferri. Et sunt per episcopum compescendi, qui laudabilem consuetudinem malitiose nituntur immutare. Et ideo inhibetur, ne sacerdos aliis in casibus, hujusmodi audeat jus sibi dicere, sed apud superiorem querelam deponat.

LXXX. *De confessione semel in anno facienda.*

Doceatur maxime ante Quadragesimam omnis utriusque sexus fidelis, quod postquam ad annos discretionis venerit, omnia sua fideliter confiteatur peccata, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam pro viribus suis studeat adimplere. Diligenter autem & attente moneantur non minus universi, ut quotiens crediderint se incidisse in mortale, totiens confiteantur sine mora. Si quis autem alieno sacerdoti justa de causa voluerit sua confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat a proprio sacerdote, cum aliter illum non possit soluere vel ligare. Sacerdos autem sit cautus & discretus, ut more periti medici superfundat vinum & oleum vulneribus sauciati: diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati. Caveat autem sacerdos omnino, ne verbo, aut signo, aut aliquo modo quovis, prodat aliquatenus peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione caute requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum revelare præsumpserit, non solum a sacerdotali officio deponendum decrevimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.

A LXXXI. *De loco & modo confessoris confessiones audientis.*

Ad audiendam confessionem, eminentem locum sibi eligant sacerdotes, ut communiter possint videri: & in locis abditis extra ecclesiam nullus recipiat confessionem, nisi in necessitate. In confessione habeat sacerdos vultum humilem & oculos in terram, nec indiscrete vel frequentius faciem respiciat confitentis, maxime mulieris: & patienter audiat quæ dixerit, in spiritu lenitatis, & ei pro posse suo pluribus modis persuadeat ut confiteatur integre, nude, vere, aliter dicat ei non valere.

B LXXXII. *Ne inquirant nomina personarum, sed tantum circumstantias.*

In confessione sibi caveant sacerdotes ne inquirant nomina personarum, cum quibus peccaverunt confitentes, sed circumstantias tantum quæ possunt aggravare peccatum.

LXXXIII *Ne sacerdotes injungant Missas confitentibus.*

Consulimus & monemus, ne sacerdos injungat Missas confitentibus, sed ut cupiditatis vitium fugiat in hac parte, fructum qui ex tali injunctione solet sacerdotibus convenire, censeant pauperibus erogari. Et si forte aliquando injunxerint, non recipiant ipsi denarios: sed pœnitentibus injungant, ut sacerdotibus distribuant quibus viderint expedire. C

LXXXIV. *De investigatione peccatorum, & quæ pœnitentia injungenda.*

Quia per experientiam certam didicimus, pro fornicatione, vel etiam peccatis majoribus, fere nullam, vel minimam pœnitentiam pœnitentibus injungi a sacerdotibus ignorantibus, seu negligentibus canonica instituta: præcipimus, quod sacerdotes studeant inquirere diligenter & peccata usitata, & usitatas circumstantias peccatorum, maxime gulæ, luxuriæ, & cupiditatis, quibus genus humanum corrumpitur & fœdatur. Vitium autem gulæ in excessu circa potum & cibum ostenditur, quod maxime fit in quinque. D Inquiratur igitur pœnitens, utrum aliquando excessum fecerit, quærendo cibos nimis sumptuosos, & nimium delicatos: sicut dives in evangelio, qui epulabatur quotidie splendide, & Iudæi qui carnes in deserto cupierunt. Item utrum peccaverit in nimia ciborum etiam vilium sumptione, sicut Sodomitæ, quorum peccatum fuit abundantia panis. Item utrum peccaverit sumendo cibum cum nimia aviditate, sicut Esau; vel cum nimio apparatu, sicut filii Heli; sive ante horam, ut Ionathas. Quod qui fecerit, moneatur a talibus abstinere, & curare contraria contrariis studeat diligenter. Hi siquidem sunt satellites Nabuzardan, qui interpretatur princeps coquorum, qui Hierusalem, id est fidelem animam, funditus destruxerunt.

E LXXXV. *Ut omnes a crapula & ebrietate se abstineant.*

A crapula & ebrietate omnes, clerici maxime, diligenter abstineant, & vinum sibi temperent & se vino: nec ad bibendum quempiam incitent, nec quisquam se obliget ad potus æquales: cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi commonitus a superiore satisfecerit competenter, a beneficio vel officio suspendatur.

LXXXVI. *Ut præcipiant tabernariis, ne in locis circumiacentibus congregentur.*

Et hoc idem præcipiant populo sacerdotes, firmiter

ANNO CHRISTI circiter 1300.

miter injungentes dominis tabernarum vel custodientibus tabernas, ne in domibus suis vel in locis circumadjacentibus, cum parochianis suis causa potationis sustineant conventicula congregari: ostendentes eis quod talis potatio innumerabilium est occasio peccatorum. Si autem tertio admoniti, huic salubri statuto acquiescere noluerint: tam ipse, quam familia ejus, ab ingressu ecclesiæ arceantur.

LXXXVII. *Qui mittendi sint ad papam, & qui ad episcopum.*

Incestum faciens, corrumpens, aut homicida,
Sacrilegus, patrum percussor, cum sodomita,
Clerum percutiens, Romam petit. Excipiuntur
Nescius, erudiens, leviterque jocans, minor ætas,
Ianitor officii prætextu forte repellens,
Adjunctus cum personis feriens coeuntes.
Femineus sexus, claustralis, & ægra senectus,
Pontificem quæras: papam, si miseris ignem,
Si percussisti clerum, simonita fuisti,
Si male de bulla papæ tractaveris ulla.

LXXXVIII. *Ne Prior ultra summam centum solidorum mutuo recipiat.*

Statuimus & præcipimus ut prior non conventualis, ultra summam centum solidorũ Turonensiũ, ab aliquo, sine licentia abbatis sui, vel nostra, si remotus fuerit abbas, mutuo pecuniam non accipiat. Quod si forte fecerit, abjiciatur a prioratu, nec prioratum denuo valeat adipisci, quousque per nos vel per provinciale concilium fuerit restitutus: nisi forte prioratus ita abundet in redditibus, quod priori ultra dictam summam pecuniæ accipere mutuo sit necesse. Et ex tunc ultra summam centum solidorum Turonensium accipere non præsumat. Eidem pœnæ subjaceat prior, qui quantulamcumque summam pecuniæ mutuo acceperit a Iudæo. Abbas autem qui sine licentia nostra a Judæo pecuniam mutuo acceperit, suspendatur.

LXXXIX. *De computatione obedientiariorum.*

Statuimus ut abbates, priores, & alii obedientiarii, de singulis proventibus & redditibus & expensis, singulis annis diligenter computent in capitulo ter vel quater in anno ad minus, ut status tam abbatiarum, quam prioratuum, à claustralibus cognoscatur. Et compotus redigatur in scriptis: ita quod conventus penes se retineat unum, & abbas unum, & ballivus domus tertium.

XC. *Ne abbas mutuo accipiat pecuniam ultra summam sibi taxatam.*

Nullus abbas mutuo accipiat pecuniam, sine capituli sui vel majoris & sanioris partis licentia, ultra summam a nobis taxatam & expressam in ordinatione, quam tradidimus cuilibet monasterio in nostra diœcesi constituto.

XCI. *Ut statuta serventur, & ut nullus religiosus fidejubeat ultra summam x. librarum.*

Præter hæc districte præcipimus, quod omnia statuta quæ in ordinatione summi pontificis de statu regularium edita continentur, diligentius observentur. Qui vero contra hoc fecisse, tempore visitationis episcopi, invenietur, sciat se gravissime puniendum. Item statuimus quod nullus abbas, prior, vel monachus, fidejubeat ultra summam decem librarum Turonensium, sine mea licentia speciali.

XCII. *De statutis monialium.*

Propter scandala quæ ex monialium conversatione

A proveniunt, statuimus de monialibus nigris, ne aliquod depositum recipiant in domibus suis, maxime arcas clericorum, vel etiam laicorum, vel causa custodiæ apud se minime deponi præsumant. Pueri & puellæ qui ibidem solent nutriri & instrui, penitus expellantur. Et omnes simul comedant in refectorio, & in dormitorio solitarie dormiant, & omnes simul comedant. Cameræ autem monialium omnes destruantur, nisi aliqua per inspectionem nostram necessaria retineatur, ad infirmariam faciendam, vel alia de causa, quæ nobis justa & necessaria videatur. Item moniales nullatenus exire permittantur, vel extra pernoctare, nisi forte ex causa magna & raro. Et abbatissis injungimus, ne aliter permittãt egredi moniales. Et si aliquando abbatissa ex justa causa aliter permit-

B tat, eidem injungat quod sine mora revertatur, & det ei sociam, non ad voluntatem suam, sed quam viderit expedire. Item ostia suspecta & superflua obstruantur. Circa hæc autem diligentiam adhibeant & curam, per se & per ministros suos, & vitas & conversationes ipsarum taliter restringant, quod per earum diligentiam scandala quæ de eis juste proveniunt, sopiantur.

XCIII. *De restauratione prioratuum, & ne qui censum vel pensionem exigant.*

Statuimus ut in locis sive prioratibus, ubi congregatio conventualis solet esse, si facultates ipsius ecclesiæ suppetant, conventus restauretur ibidem. Et mo-

C nemus abbates & priores conventuales, quod tot servitores in abbatiis & prioratibus sibi subditis instituant (si ad hoc facultates locorum sufficiant) quot ibi solent deservire. Statuimus & ne qui pensionem vel censum exigant, nisi quam exigere solent & recipere ab antiquo: nisi forte alicui ex justa causa permittatur. Nemo privatas vel adulterinas pensiones de ecclesiis vel ecclesiasticis beneficiis solvere deinceps vel recipere præsumat. Quod qui fecerit, omni ecclesiastico beneficio privatus, excommunicationi subiacebit.

XCIV. *Ne fiant excommunicationes generales.*

Statuimus ut omnes nobis subjecti, tam ordinarii, quam ab ordinario delegati, temperent se & refræ-

D nent a generalibus excommunicationibus: ne in generali participantes excommunicent, nisi communicaverint in crimine delinquendo.

XCV. *Ne decanus cognoscat causas matrimoniales.*

Prohibemus districte, ne decanus sive monachus, vel quicumque alius, cognoscat de causis matrimonialibus: donec super his privilegium sedis apostolicæ, vel autoritatem se habere probaverit, quod ab antiquo sic fuerit consuetum. Sed cum in eorum auditorio talis quæstio devenerit: eam nobis vel officiali nostro sine moræ dispendio studeant nunciare, ad nostrum examen partes in competenti termino remittentes.

E XCVI. *Ne persona ecclesiastica de rebus ecclesiasticis litigent coram iudice sæculari.*

Inhibemus ne monachi, vel aliæ personæ ecclesiasticæ, de causis quæ tantum in foro ecclesiastico tractari consueverunt & deberent, deponant querimoniam coram judice sæculari: nisi a nobis habuerint super hoc licentiam specialem.

XCVII. *Ne emendæ propter concordiam sumantur.*

Firmiter præcipimus, si partes litigantes coram nobis seu archidiaconis vel decanis ruralibus sine li-

ANNO CHRISTI circiter 1300.

centia eorum componant, neutra pars prætextu alicujus consuetudinis emendam propter hoc judici solvere teneatur.

XCVIII. *Ne decanatus tradatur in firmam.*

Statuimus ut decanatus ab archidiacono non vendatur, seu ad firmam tradatur, sed gratis concedatur: nec hoc licebit fieri, licet gratis detur, sine nostra licentia speciali: ita tamen quod de emendis jurati superioribus respondebunt.

XCIX. *Ut curati studeant in theologia.*

Præcipimus ut curati clerici qui habent vicarias perpetuas in suis ecclesiis, si sint docibiles, studeant principaliter in theologia, nisi justa & rationabili causa cum eis aliter duxerimus dispensandum: & nisi sint in sacris ordinibus constituti, ad sacros ordines promoveantur, & in suis ecclesiis deserviant in ordine sacerdotali, si de eorum & vicariorum exstiterit voluntate, vel alibi in eodem ordine de nostra licentia Domino studeant deservire.

C. *Ne causæ ecclesiæ tractentur in modum curiæ sæcularis.*

Item præcipientes inhibemus ne causæ ecclesiasticæ coram decanis ruralibus, vel quocumque judice, tractentur per modum curiæ sæcularis.

CI. *Ut mortuo vicario vicaria personatui accrescat.*

Statuimus quod vicario perpetuo cedente vicaria accrescat personatui: & ex tunc persona illius ecclesiæ non per vicarium, sed per se ipsum ibi deserviat in ordine quem ipsius ecclesiæ cura requirit.

CII. *Ut personæ domos ædificent in solo ecclesiæ.*

Præcipimus quod personæ ecclesiarum parochialium, qui habent redditus abundantes, domos in solo ecclesiæ studeant ædificare competentes. Vicarii vero perpetui, quibus ad hoc omnino non suppetunt facultates, pro posse suo ad hoc laborent, ut a personis suis juventur, secundum portionem quam in eisdem percipiunt annuatim.

CIII. *De rebus episcopalibus non celandis vel retinendis.*

Prohibemus sub pœna excommunicationis, ne quis de jure episcopali ecclesiæ Bajocensis aliquid retinere, vel celare præsumat: & quicumque de jure episcopali aliquid imminuerit, vel retinuerit, vel celaverit scienter, si infra octo dies a tempore scientiæ hoc quod detinet nobis non restituerit, vel de eo non satisfecerit, vel nobis non revelaverit jus episcopale imminutum sive retentum, ex tunc ab officio noverit se suspensum.

CIV. *De officio advocatorum.*

Item statuimus, quod unusquisque advocatus juret se fideliter officium suum facturum, & quod injustas causas sive desperatas non sustinebit, nec instrumenta partis adversæ subtrahet, vel subtrahi faciet, nec exceptionibus falsis, seu per malitiam excogitatis, quod sciat, utetur, nec procurabit quod falsi testes, vel subornati, seu falsa instrumenta, in sua causa producantur. Et quod clienticuli sui causam, nisi in quantum credet quod faciat ad utilitatem clienticuli sui, non prorogabit: & quod de his quæ in curia facta fuerint, de quibus a judice fuerit inquisitus, veritatem non celabit secundum credulitatem suam: & quod si non crediderit se sufficienter[a] defensioni causæ suæ, cum peritioribus consilium habebit, & libellum & acta in causis susceptis fideliter pro posse suo conficiet manu propria, vel ea, si scribere nescierit, vel noluerit, scribi faciet.

[a] f. sufficientem

CV. *Ne clerici vel monachi sint negotiatores.*

Item statuimus ne monachi vel clerici aliqui aliquam negotiationem exerceant causa lucri, vel irreverenter se immisceant contractibus laicorum: monachos autem ecclesias vel beneficia ad firmam retinere omnibus modis prohibemus.

CVI. *Ne permittantur causæ sæculares in loco sancto tractari.*

Item firmiter prohibemus, ne rectores ecclesiarum permittant judices in ecclesia vel in cœmeterio causas illas tractare, quæ pœnam sanguinis, vel alias corporalem inducunt, & ne submonitiones vel banna laicalia sustineant fieri in eisdem.

CVII. *Ut de vacatione ecclesiarū certificetur episcopus.*

Item præcipimus omnibus decanis & presbyteris nobis subditis, quod cum ecclesia aliqua ex ipsorum vicinia fuerit viduata rectore, vacationem, & ad quem jus pertinet patronatus, & numerum parochianorum, atque valorem ecclesiæ, quam cito hoc sciverint, nobis significare procurent, vel saltem propinquiori decano, & decanus hoc nobis studeat nunciare.

CVIII. *Ut sacerdotes episcopo vel pœnitentiali suo semel in anno confiteantur.*

Districte præcipimus, quod quilibet sacerdos, maxime curam animarum habens, capellanus, seu vicarius perpetuus temporalis, nobis, vel pœnitentiariis nostris, saltem semel in anno, sua fideliter confiteatur peccata: cum ab alieno sacerdote, qui curam animarum non habet, absolvi non possint, & absolutio[a] facta alii[a] quam suo prælato, nullius noscatur esse momenti. In necessitate tamen aliis litteratis sacerdotibus poterunt confiteri: sed propter hoc non omittant, quin ad nos vel penitentiarios nostros veniant saltem semel in anno.

[a] Corr. confessio

CIX. *Ut ad ordines successive accedant.*

Præcipimus omnibus clericis habentibus ecclesias, personatus, vicarias, ut ad singula tempora ordinum se ordinandos offerant, & in ecclesiis suis resideant, nisi eis aliter facere permittatur de nostra licentia: qui vero ab ecclesia sua per mensem abesse præsumpserit, & in ea non resederit ut tenetur, sciat se autoritate Lateranensis concilii ecclesia sua privatum, & autoritate nostra prædictum mandatum executioni mandandum. Later. III. c. 13.

CX. *Ut die ante ordines veniant.*

Volumus insuper, quod die Veneris ordines præcedente, ad nos, vel ad mandatum nostrum accedant, ut examinari valeant & scribi nomina eorum; & antequam ordines recipiant, nobis vel pœnitentiario nostro confiteantur: quia sæpe contingit, quod pro simplicitate confessoris plures irregulares irregulariter ordinati sunt.

CXI. *Ne ab alio quam a proprio episcopo se faciant clerici ordinari.*

Prohibemus ne aliquis clericus diœcesis nostræ ab alio se faciat ordinari, nisi licentiam a nobis super hoc obtinuerit specialem, nec taliter ordinati in ordine sic suscepto ministrare præsumant, sine nostra licentia vel sententia speciali.

CXII.

ANNO CHRISTI circiter 1300. *Vide ad ann. 1208.*

CXXII. *De sententia domni Galonis.*

In nomine Domini: Nos Galo miseratione Divina sanctæ Mariæ in Porticu diaconus cardinalis, apostolicæ sedis legatus, excommunicamus omnes sacerdotes & clericos quoscumque, qui post legitimam commonitionem focarias vel mulieres alias, de quibus mala suspicio possit suboriri, in domibus suis, vel alibi, unde populus scandalizetur, duxerint retinendas: nisi sint clerici, qui in minoribus ordinibus contraxisse probentur, qui tamen cum uxoribus non debent ecclesiastica beneficia retinere. Moneantur autem ne matres aut sorores, aliasve personas conjunctas secum habeant, cum quibus etsi nihil sævi criminis naturale fœdus existimari permittat, frequenter tamen suggerente diabolo noscitur sæpe facinus B perpetratum fuisse.

CXXIII. *Item de eadem.*

Prohibemus etiam sub eadem excommunicatione, ne sacerdotes vel clerici, occasione alicujus consuetudinis, pro baptismo, sepultura, benedictione, aliisve sacramentis ecclesiasticis, aliquid exigere vel extorquere præsumant: sed ea fideliter, & sine difficultate studeant canonice ministrare. Moneantur tamen laici diligenter, ne hoc quod pro reverentia sacramentorum devotio introduxit, velint ex avaritia aliquatenus revocare. Item ne sacerdotes de cætero utantur capis manicatis, & ne in sacris ordinibus constituti manicas consutitias vel sotulares rostratos, vestesque C rubei coloris habeant, consimili districtione prohibemus. Decanis quoque & archidiaconis, ne vestes rubei coloris vel viridis habere præsumant, & specialiter archidiaconis & præpositis, qui habent curam animarum, ne capas foratas habeant manicatas; monachis etiam, ut capis sumptuosis & nisi nigris de cætero non utantur, sub eadem pœna duximus inhibendum. Inhibemus etiam omnibus tam monachis quam clericis sub excommunicationis vinculo, ne fenus exerceant: & ne aliquam negotiationem exerceant inhonestam prohibeantur districte. Ut autem ab omnibus in tonsura, & habitu, & conversatione, honestas ecclesiastica observetur: districte præcipimus universis prælatis sub attestatione Divini judicii D firmiter injungentes, ut omnia prædicta observent, & quantum in ipsis erit, faciant monitione præmissa a subditis per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari.

DE SYNODIS DIOECESANIS

Deinceps non edendis

ADMONITIO GAB. COSSARTII.

Hactenus synodalia, quæ occurrerunt, singularium diœceseon statuta edidimus: cum & minus multa reperirentur, & ex iis mores ac disciplinam obscuriorum temporum intelligere liceret. Nunc ab iis ut abstineamus contrariæ prorsus rationes faciunt. Et vero nimia eorum esset moles, fructus exiguus. Hanc ipsam Bajocensem synodū prope omittendā ducebam, nisi & eam a Sirmondo nostro laudatā intellexissem, & tanquam exemplar cæterarum proponere visum esset. Nam cæteræ, non res tantum easdem, sed eadem prope habent verba. Quod si quid forte sit in iis, quod scire sit operæ pretium: e provincialibus, quas non negligimus, petitum est.

A

** CONCILIUM AUSCITANUM, Anno Domini MCCC. celebratum.

ANNO CHRISTI 1300.

Nunc primum prodit ex codice MS illustrissimi archiepiscopi Remensis coadjutoris Mauritii Caroli Tellerii.

Incipiunt constitutiones provinciales Auscitanæ provinciæ editæ sub anno MCCC.

TITULI CAPITULORUM.

CAPITULA.

I. *De libertate electionum.*

PUblicamus & præcipimus observari, ut quicumque electionem, postulationem, provisionem canonicam, beneficiorum, dignitatum, administrationum ecclesiasticarum, impediverint patenter vel clam; ut cuncti qui per se vel per alios gravare præsumpserint electores in personis beneficiariis, vel aliis bonis suis ecclesiasticis * movet cæteraque loca pia consanguineorum, vel bona prædictorum, pro eo quod rogati, seu alias inducti, eū pro quo rogabātur, seu inducebantur, eligere seu præsentare noluerint: sint ipso facto excommunicationis vinculo innodati. Et ultra hoc, clerici vel regulares, privati omnibus ecclesiasticis beneficiis, dignitatibus, administrationibus, seu prioratibus, quæ obtinent; & indigni ac inhabiles ad quævis beneficia, administrationes, vel honores ecclesiasticos ulterius assequendos. Si laici fuerint, præter dictam excommunicationis sententiam, ipsorum familiæ interdicto ecclesiastico sint subjectæ: nullaque eorum posteritas, usque ad quartam inclusive progeniem, quodcumque beneficium ecclesiasticum valeat obtinere. Quæ sententiæ relaxari non possunt, præterquam in articulo mortis, nisi autoritate sedis apostolicæ speciali. Insuper laicorum prædictorum posteritas usque ad quartum gradum, ad beneficia ecclesiasticā quælibet assequenda in ecclesiis civitatis diœcesis, in quibus talia perpetrarunt, sit inhabilis & indigna.

II.

II. *Contra illos qui occupant bona defunctorum.*

Quæcumque capitula, conventus, collegia, & singulares personæ, ecclesiarum cathedralium, regularium, & collegiatarum vacantium, bona ipsarum occupaverint in earum dispendium & jacturam: eo ipso sint & tamdiu maneant ab officio, & beneficiis quibuscumque suspensi, donec plene restituerint id quod de bonis acceperint supradictis.

III. *De bonis vacantium ecclesiarum.*

Episcopi, abbates, vel alii quicumque regulares, sæculares prælati, seu personæ ecclesiasticæ, qui vel quæ bona dignitatum, prioratuum, vel ecclesiarum quarumcumque vacantium, sibi subjectarum, seu ad collationem, præsentationem, ordinationem, vel custodiam particularem, quæ morientibus earum rectoribus vel ministris, in ipsis inventa, seu vacationis tempore obvenientia, quæ in utilitatem earumdem expendi, vel futuris debent successoribus reservari, occupare, in suos usus convertere quoquo modo præsumpserint: ipsi episcopi ab ingressu ecclesiæ, cæteri vero ab officio & beneficio eo ipso tamdiu sint suspensi, donec restitutionem fecerint de prædictis: nisi ex causa rationabili hoc competere dignoscatur: quo casu de illis bonis intelligitur, quæ deductis debitis ac aliis oneribus ipsarum ecclesiarum, & pro servitoribus, usque ad novos redditus supportandis, ex ipsis reperta fuerint superesse.

IV. *De intrusis in beneficia curata.*

Si quis beneficium cui cura imminet animarum vi occupaverit, seu scienter intruserit in eodem: ipso jure privatus existat beneficio, quod cura simili primitus obtinebat.

V. *De intrusis in alia beneficia.*

Item si quis autoritate propria violenter dignitates præfatas, aut quæcumque alia beneficia ecclesiastica, occupare præsumpserit: eo ipso privatus existat jure, si quod sibi competebat primitus in iisdem.

VI. *Ut nullus patronus a præsentato per ipsum aliquid extorqueat.*

Quia horribile nimis est, ut ad nostrum pervenit auditum, quod in quibusdam ecclesiis nostræ provinciæ, (in quibus complures laici in jure patronatus per ecclesiam tolerantur) dum vacatur, venalitas vendicat sibi locum, nolentes patroni hujusmodi, ad vacantes ecclesias quempiam præsentare, nisi ab illo quem præsentare voluerint, vel amicis ipsius, prævio ex pacto extorqueant aliquam pecuniæ quantitatem, vel emolumentum aliquod consequantur: nos volentes simoniacam pestem & vitium hujusmodi a nostra extirpare provincia, & ut tenemur animarum providere saluti: statuimus, ut nullus patronus aliquem præsentet ad regimen animarum aliquo dato promisso, remisso, vel retento; vel instituens, eumdem sic præsentatum scienter admittat, & nisi fuerit sufficiens, & scientia, & moribus, & ætate & de legitimo matrimonio procreatus; vel secum super his fuerit legitime dispensatum. Alioquin præsentans, cujuscumque gradus seu conditionis existat, ipso facto illa vice sit jure præsentandi privatus, & nihilo minus, si laicus fuerit, excommunicationis vinculo irretitus. Clerici vero & religiosi patroni, præter hoc quod illa vice sint potestate præsentandi privati, sibi noverint ingressum ecclesiæ interdictum. A quibus sententiis absolvi & liberari nequeant, præterquam in mortis articulo, nisi de nostra licentia speciali; vel suffraganeorum nostrorum. Præsentati vero sic, scientes & consentientes, sint inhabiles ipso facto ad quodlibet beneficium ecclesiasticum obtinendum: nisi cum eisdem per superiorem suum fuerit misericorditer dispensatum. Si vero ignoranter præsentati constiterint, confestim tamen sciverint, beneficio obtento renuncient: cum aliter nequeant agere pœnitentiam salutarem. Instituens autem institutionem, super præmissis inquirat solicite veritatem. Quod si invenerit, prædictas sententias, ut dictum est, contra delinquentes faciat publicari: & ecclesiam illa vice de persona idonea non differat ordinare. Alioquin si super præmissis repertus fuerit culpabilis vel remissus, in conferendis beneficiis suspendetur ad tempus superioris arbitrio statuendum.

VII. *Ut præsentato congrua portio assignetur.*

Item quod nullum præsentatum [a] regimen animarum per clericos, religiosos, exemptos vel non exemptos, aut laicos, admittant: nisi tantum coram eis eidem præsentato de proventibus ipsius ecclesiæ fuerit assignatum, unde jura episcopalia possit solvere, & congruam sustentationem habere, ac alia incumbentia onera supportare: consuetudine contraria non obstante.

[a] *Deest ad*

VIII. *De iis qui impediunt possessionem pacificam curati beneficii.*

Statuimus quod quicumque procurat impedimentum super possessione pacifica beneficii obtinendi curati, sive collati, vel impedimentum appositum repellere definit negligenter: ultra pœnas a jure scriptas, excommunicationis sententia sit ligatus.

IX.

ANNO CHRISTI 1300.

IX. *Quod septennium ad studia semel in vita concedatur eidem personæ in uno vel pluribus beneficiis institutæ.*

f. studendo Mendosus locus.

Statuimus quod septennium vivendo " solum intelligatur ab omnibus eidem posse concedi uni personæ in uno vel pluribus beneficiis per mutationem vel alias transmitti, nisi aliter per sedem apostolicam ordinetur. Quod quidem septennium intelligi volumus in hoc canone, de quo habetur mentio in constitutione domini Bonifacii papæ, cap. *Cum ex eo*, de electione, in libro sexto.

X. *Quod nullus parochialem recipiat ecclesiam, non intendens ordinari.*

Observari præcipimus, quod nullus parochialem recipiat ecclesiam, non intendens ad sacerdotium promoveri, ut " & fructus ex ea percipiat per annum, quia in voluntate mutata promotus extitit, ad restitutionem eorumdem tenebitur. Et nihilo minus conferens, qui ipsum nō credebat ad sacerdotium promovendum, præter Divinam quam inde incurrit offensam, remaneat ad servandam indemnem ecclesiam obligatus.

f. quod si fructus ex ea perc. per ann. quamvis volunt. mutata prom. exitit.

XI. *Quod unus non occupet nisi unum officium.*

Cum singula officia singulis sint committenda personis, & unum officium vix valeat aliquis adimplere: observari præcipimus, ut nullus cujuscumque ecclesiæ canonicus, regularis vel sæcularis, duos personatus, vel duas dignitates, vel præpposituras, seu administrationes, aut duo beneficia, aut unum alterum " cum reliquo insimul & præbendam in eadem obtineat, vel jam obtentum retinere præsumat: consuetudine aliqua, etiam juramento vallata, contraria non obstante, cum dicenda sit potius corruptela. Si aliqui monachi, vel religiosi alii, pluribus prioratibus, vel beneficiis ecclesiasticis curam animarum habentibus (etiamsi cura eadem non per ipsos, sed per presbyteros ad eorum præsentationem per episcopos institutos ") præesse præsumat, absque dispensatione sedis apostolicæ speciali: nisi forte unus ex eis ab alio dependeat, vel ad invicem sint adnexi. Si secus factum est, sit irritum ipso jure: & transgressores, sint eo ipso ineligibiles, & tanquam ambitiosi ab utroque penitus repellantur.

Mendosus locus.

Deest administretur

XII. *De temporibus ordinandi.*

Observari præcipimus, ut nullus episcopus, vel quivis alius, infanti vel conjugato, nisi religionem intrantibus, seu illitterato, aut homini diœcesis alienæ, tonsuram conferat clericalem, nec ad sacros ordines promoveat absque eorumdem superioris licentia speciali. Superiorem hoc casu intelligimus episcopum, de cujus diœcesi est oriundus tonsurandus hujusmodi, vel etiam promovendus; vel habet, licet alibi natus fuerit, domicilium; seu ibi cujus diœcesis beneficium ecclesiasticum obtinet. Transgressores hujusmodi punientur, prout sacris canonibus definitur.

XIII. *De ætate requisita in curato.*

Observari præcipimus, ut nullus episcopus minori viginti quinque annis beneficium ecclesiasticum cum cura animarum conferat, nec ad obtinendum ipsum cum eodem dispenset de facto: nec etiam dispenset, quod qui vigesimum annum ", dignitatem vel prioratus, quibus animarum cura imminet, valeat obtinere. Si secus factum fuerit, sit irritum ipso jure.

" Deest tantum habet,

G.C. De hujus concilii loco nihil comperi: de tempore difficultatem movit Labbeus noster, aitque rejiciendum esse ad annum 1330. Hoc illi concedo, in ecclesia B Mariæ de Marchiaco diœcesis Auscitanæ, celebratum esse provinciale concilium, die S. Nicolai hiemalis, præside Guillelmo archiepiscopo: cujus titulus cum falso præferat annum 1300 emendatius in calce legitur adscriptus annus 1330. Sed præter istud concilium, hoc reperio plane diversum, anno 1300. assignatum.

** CONCILIUM COMPENDIENSE.

ANNO CHRISTI 1301.

Ex MS. codice S. Genovefæ Parisiensis.

Statuta concilii Remensis provinciæ, an. Dom. MCCCI. facta die Mercurii ante festum B. Clementis.

TITULI CAPITULORUM.

CAPITULA.

I. *Si clericus detineatur per laicalem justitiam.*

In primis igitur statuimus & decernimus autoritate concilii, quod si in aliqua civitate, vel in aliquo loco nostræ Remensis provinciæ contingat quandoque clericum detineri per laicalem justitiam, postquam dictus clericus fuerit ab episcopo loci illius, vel ab officiali, vel decano rurali, seu ex parte alicujus eorum, legitime requisitus: cessetur a Divinis in loco captionis & detentionis, quousque fuerit competenter restitutus.

ANNO CHRISTI 1301.

II. *Si clericus capiatur per laicalem iustitiam & extrahatur.*

Item si clericus per justitiam sæcularem laicalem capiatur in aliqua diœcesi, & extrahatur ab ea, & ad aliam deducatur: cessetur similiter a Divinis in loco ubi fuit captus, & in locis ipsius capientis per quem fuit deductus, quousque ad dictam diœcesim fuerit readductus & sufficienter restitutus.

III. *Ne pro excessibus clericorum laicalis iustitia aliquid leuet.*

Item cum per justitiam laicalem non debeant puniri excessus clericorum, nec ab eis levari emenda de eisdem, cum hæc ad solos judices ecclesiasticos, non sæculares, pertinere dinoscantur: monemus autoritate prædicta omnes & singulos nostræ provinciæ, ne pro prædictis, seu occasione eorumdem, levent aliquid, recipiant, vel exigant quoquo modo. Alioquin contra facientes excommunicationis sententia autoritate prædicta innodamus.

IV. *De conspiratoribus, quod si aliquis conueniatur in foro ecclesiastico defendent eum.*

Item cum nonnulli scabini, rectores, gubernatores, judicatores, communitatis, locorum, seu territoriorum nostræ Remensis provinciæ, prout intelleximus, conspirationem seu conjurationem fecerint, aut facere nitantur, quod si aliquis de sua communitate, vel de suis subditis, seu de suo territorio, conveniatur in foro ecclesiastico, aut contra eum procedatur in casu in quo potest de jure, seu de consuetudine ibidem conveniri, quod eum ad sumptus communes defendent, propter quod dictam jurisdictionem ecclesiasticam non est dubium impediri: monemus illos omnes & singulos nostræ jam dictæ provinciæ, quod si talia fecerint, ea revocent infra mensem, & quod de cætero a talibus se abstineant, nec talia committant, & talibus non utantur: alioquin excommunicationi subjaceant ipso facto.

V. *De dominis temporalibus inhibentibus ne quis de suis subditis alium trahat in foro ecclesiastico.*

Item cum nonnulli temporales domini, suis inhibeant subditis, ne quis eorum alium trahat in foro ecclesiastico, in causis alias a jure seu consuetudine permissis, quinimmo quia sic trahentes * procedunt frequenter ad contemptionem trahentis & bonorum ejusdem amicorum trahentis, & bonorum ipsorum: nos ne talia fiant prohibentes, contra facientes excommunicationis vinculo innodamus, & denunciamus a canonibus excommunicatos.

VI. *De abbatibus qui conspirant quod se communibus expensis defendent contra episcopos.*

Item cum nonnulli abbates hujus provinciæ inter se ordinaverint, & conspirationem fecerint, quod si contingat aliquem episcopum contra abbatem alicujus villæ procedere sibi subditum, pro suis excessibus vel aliter puniendum, quod ad defensionem ejusdem contribuent, & ad sumptus communes eum defendent, quod non est dubium fore in præjudicium jurisdictionis episcopi sui, & contra juramentum suæ professionis, per quam suo episcopo est astrictus, & contra ecclesiasticam libertatem: monemus tales, quod hoc revocent infra mensem, & a talibus se abstineant: alioquin excommunicationi subjaceant ipso facto.

VII. *De excommunicatis per biennium.*

Item quod si excommunicati publice sententia excommunicationis, per biennium & amplius animo perstiterint indurato, vocentur ad proximum concilium, tanquam suspecti de hæresi: & in eodem concilio contra tales, ut justum fuerit, procedatur.

Quæ omnia fecimus in scriptura redigi, & in ipso concilio solemniter promulgari: præcipientes districtius, & mandantes autoritate prædicti concilii, universis & singulis provinciæ Remensis, quatenus quæ taliter pro defensione libertatis ecclesiasticæ, & ipsarum ecclesiarum statu pacifico, duximus ordinanda, servent & teneant illibata.

NOTA G. COSS. S. I.

Liber MS. ex quo descripti sunt hi canones, Remensis provinciæ concilium appellat, non designato concilii loco: quem docemur a Meyero lib x annal. Flandr. ad hunc annum. *Mense*, inquit, *Novembri, die Mercurii ante ferias divi Clementis, vacante adhuc sede Morinensi, coacta apud Compendium synodus provincialis per archiepiscopum Remorum. Hic excommunicati abbates, quicumque conspiraverant in suos episcopos. Fulminati item magistratus laici, qui non patiebantur ut laici in foro ecclesiastico convenirentur. Decretum quoque, ut ubicumque a judice temporali capiatur clericus, a Divinis cessetur officiis.* Quæ omnia huic concilio convenire, manifestum est.

*** CONVENTUS PARISIENSIS

ANNO CHRISTI 1302.

In æde B. Mariæ, die Martis, X. Aprilis, ann. MCCCII. super dissidiis inter Bonifacium VIII. & Philippum Franc. Regem exortis.

EX litteris episcoporum ac totius cleri Galliæ ad Bonifacium pontificem, quæ in regio tabulario servantur, discimus, Philippi regis jussu, prælatos regni, barones, abbates, cæterosque honore aliquo ecclesiastico insignes; necnon ecclesiarum urbiumque œconomos, syndicos, ac procuratores, Lutetiæ in æde B. Mariæ, die Martis, 10. *Aprilis convenisse. Hic multis conquestum esse regem de pontifice, qui regem in temporalibus*

ANNO CHRISTI 1302.

libus sibi subjectum vellet, de regni prælatis omnibus, magistris in theologia, & professoribus utriusque juris, Romam evocatis, multisque aliis, quæ a se minime tolerari possent, utpote regni sui libertati contraria, profitebatur. Quæ cum essent a rege proposita: barones, simul cum syndicis, & procuratoribus regis laudaverunt consilium. Itaque a nobis, *inquiunt episcoporum litteræ*, subsequenter responsione petita, licet longiores deliberationis inducias postulantes, ipsum dominum regem, & majores ex baronibus memoratis (quod non ea intentione ad eundem dominum regem apostolicæ litteræ processissent, ut vestræ voluntatis existeret in regni prædicti libertatem impingere, vel quidquam honori regio contrarium in hac parte quomodolibet innovare, multa lenitate verborum, persuasionibus studiosis, & multiplicatis excusationum præsidiis) nisi fuimus informare, ac ipsum ad servandum vinculum unionis, quod inter sanctam Romanam ecclesiam, & prædecessores suos & ipsum, usque ad hæc tempora viguisse dignoscitur, multiplici inductione. Ulteriori tamen dilatione negata, ac prædicto patenter & publice universis, quod si quis contrariæ voluntatis appareret, ex tunc pro inimico regis, & regni, notorie habebatur: consultius attendentes & conspicientes apertius, quod nisi dominus rex, & barones prædicti, ex nostra forent responsione contenti, præter alia pericula, & graviora scandala, quorum non esset numerus, neque finis, tam Romanæ quam Gallicanæ ecclesiæ devotio, & obedientia omnimoda laicorum, & totius populi, ex tunc irreparabiliter tollebatur: non sine multæ perplexitatis angustia, sic duximus respondendum: Quod ipsi domino nostro regi in conservatione personæ suæ, suorumque, & honorum, ac libertatis, & jurium dicti regni, prout quidam nostrum qui ducatus, comitatus, baronias, feoda, & alia membra nobilia dicti regni teneamus ex forma juramenti, & cæteri, qui omni debito sibi sumus fidelitatis adstricti, adessemus eidem debitis consiliis, & auxiliis opportunis: eidem domino nostro regi humiliter supplicantes, ut cum apostolicæ sanctitati ad obedientiam teneamur, ad beatitudinis vestræ pedes, juxta præmissæ vocationis vestræ tenorem, permitteret nos transferre. Ex parte cujus, & baronum, est secuta responsio: quod nos nullo modo abire permitterent: regnum sic periculose, sic deformiter, sic irreparabiliter vacuari, quin potius exhauriri totaliter, nullatenus sustinerent. Considerantes igitur tam vehementem commotionem, & turbationem tam periculosam, & gravem, immo gravissimam, regis, baronum, & aliorum laicorum regni prædicti; & jam cognoscentes apertius, quod antiqui hostis pacis æmuli, zizaniæque satoris, qui a suæ ruinæ principio conatur, ut ecclesiæ unitatem pacis turbatione rescindat, caritatem vulneret, sanctorum dulcedinem operum invidiæ veneno fellis inficiat, humanumque genus evertat modis omnibus, & perturbet, faciente nequitia, amabilis fœderis unitatis, & amicitiæ singularis, quæ inter sæpe dictam Romanam ecclesiam, ac præfatum dominum nostrum regem, ac prædecessores ejus, & regnum, ad laudem Altissimi, fidei Christianæ profectum, & tam ecclesiæ, quam regis, & regni, exaltationis monimenta felicia, hactenus viguerunt, dissolutioni & separationi lugubri & flebibili, proh dolor! porta patet, & insurgunt undique frementia scandala, excrescunt angustiæ, ecclesiis, ecclesiasticisque personis, expositionis, ac rerum & bonorum direptionis, pericula intentantur: cum jam abhorreant laici, & prorsus effugiant consortia clericorum, eos a suis omnino consiliis & allocutionibus abdicando, ac si contra eos proditoriæ factionis conscii, vel participes exstitissent, & ad contemnendam ecclesiasticam censuram, & processus, si quavis autoritate forsan fierent contra eos, jam se parant & muniunt in grave periculum animarum, & alia varia & diversa pericula, quæ nec lingua referre sufficeret, nec posset scriptura differere. Hinc in promptu ad sanctitatis vestræ providentiam circumspectam in hoc summæ necessitatis articulo duximus recurrendum flebilibus vocibus, & lacrymosis singultibus, paternam clementiam implorantes, vel supplicantes humiliter, quod salubre remedium in præmissis, per quod firmatata longi decursu temporis inter ecclesiam, regem, & regnum, fructuosæ unionis & mutuæ dilectionis integritas, in antiquæ caritatis dulcedine conservetur, status ecclesiæ Gallicanæ in pulcritudine pacis & quietis optatæ remaneat, prospiciatur nobis, nostrisque statibus, revocando vestræ vocationis edictum, ac prædictis periculis & scandalis obvietur, Apostolicæ providentiæ studio, ac paternæ officio pietatis, dignemini providere. Conservet Altissimus B. V. Ecclesiæ suæ sanctæ per tempora longiora. Datum Parisius, die Martis prædicta.

ANNO CHRISTI 1302.

CONCILIUM ROMANUM

Habitum anno Domini MCCCII. tempore Bonifacii papæ VIII.

Occasionem, causam & acta habiti concilii Conradus Vecerius in vita Henrici septimi imperatoris his verbis describit: Anno a Christo salvatore genito millesimo trecentesimo secundo, Francorum rex Philippus, cognomento pulcer, grave adversum pontificem maximum Bonifacium octavum conceperat odium, tum Gibellinæ factionis studiosiorem existimans, tum quod fidem temere prævaricatum contenderet. Promisisse enim sibi paucis ante annis, cum alia quædam, tum de summa Romani imperii potestate ab Germanis ad Gallos traducenda, atque adeo Carolum fratrem diserte fuisse in conventis nominatum, cui id decus primum assignaretur. Hæc videlicet pollicita nunc cecidisse ad nihilum, Alberto Austrino Teutonico principe palam nuper decretis ejus comprobato.

Eas rex causas gravius secum considerans, rationem irarum exequendarum perquirit. Neque difficilis mox via Bonifacii irritandi inventa. Columna gens Romæ opibus & clientelis insignis, Octavo inter comitiorum arcana, suffragii jure ne eligeretur, obstiterat. Itaque eis quoque Bonifacius per speciem expilati thesauri ecclesiæ, effecerat ut ædes & suburbana familiæ publice diruerentur, & qui eorum cardinales jam essent, venerando collegio excederent. Interea Stephanus ex ea gente profugus, in Gallia agitans, idoneus Philippo visus est, per quem initia malorum fierent. Cœptus comiter humaneque haberi, liberaliusque quam fortuna exulantium est. Ad hoc Philippus, ne quid impotentiæ prætermitteret, sacerdotales Galliarum titulos, a pontificibus antea pro decretis proque more sanctæ matris ecclesiæ componi solitos, ipse ordinare citra consensum præsulis Romani statuit.

Quæ ubi summus antistes intelligit, gravissime tulit injuriam, pessimi exempli, id quod erat, existimans; si vel antecessorum recte constituta temere rescinderentur, vel autoritatem pontificiam laicus princeps profanasset. *Et paulo post hæc de indicta synodo subjungens ait:* Itaque quo partes suæ justiores vulgo noscerentur, lege potius agere quam armis instituit. Prælatos Gallicos majores conve-

ANNO CHRISTI 1302.

convenire Romam universos jubet, ad publicam synodum celebrandam. Hi, ne regno decederent, Philippi prohibitione intercluduntur. Quibus rebus ad octavum Bonifacium delatis, increpatur rex primum per litteras, deinde, cum castigationem contumaciæ parvipenderet, sacrorum participatione arcetur. Neque eo minus, prælatis regni ipse Lutetiam accersitis, causam quoque suam approbare nititur. *Hæc de Philippi regis excommunicatione Vecerius.*

NOTA G. COSS. S. I.

Hæc Binius e lutulento fonte sibi a Vecerio propinata, imprudenter hausit. Nam sacris interdictum non esse Philippo regi in hoc concilio, docet autor vitæ Bonifacii, Romæ in Vallicellana bibliotheca extans. Cujus hæc verba describit Odor. Raynald. *Anno Domini M. CC. II. tertio Kal. Novemb. Romæ Bonifacius papa celebravit concilium..... contra Philippum regem Franciæ : coruscationibusque multis pravis contra regem, nulla pluvia apparuit subsecuta.* Immo & id constat ex ipsius Bonifacii litteris, datis anno sequenti, Id. April. ad Ioannem S. Marcellini cardinalem : quibus litteris contendit Philippum regem, qui regni sui episcopos Romam ire vetuerat, involutum esse sententiis generaliter in eos latis, qui liberum ad pontificem aditum impediebant. Quod argumento est, nihil in regem nominatim decretum prius fuisse.

VITA. BENEDICTI PAPÆ X. VVLGO XI.

Benedictus hujus nominis decimus (qui enim opinione vulgi decimus numeratur, schismaticus & antipapa fuit, ut videre est in vita Stephani decimi & Nicolai secundi) patria Tarvisinus, sancti Dominici ordinis generalis, Nicolaus antea vocatus, propter raram & singularem doctrinam, Ostiensis cardinalis a Bonifacio creatus, eidem in sede pontificali successit, XI. Kalendas Novembris anno Domini 1303. Alberto imperante. Sciarram cum sectatoribus in judicium vocavit : venire recusantem de integro excommunicavit. Cognita vero Philippi regis causa, eumdem absolvit : cardinalibus Columnensibus eumdem favorem impertiit, sed ab breve tempus tamen uti pileo rubeo prohibuit. Cardinalibus aliquot creatis, res Italiæ componere studuit, ut, iis sedatis, Christianis in Syria laborantibus auxilium ferre posset. Verum in ea deliberatione Perusium profectus, ibidem mortuus est ipsis Nonis Iulii anno 1304. cum sedisset menses octo, & dies septemdecim. In ecclesia fratrum Prædicatorum sepultus est. Miracula ab ipso edita sanctitatis ejus sunt evidentissima signa : nam ægrotos sanavit, & dæmoniacos liberavit. Post ejus mortem, sedes tredecim menses & duos dies vacavit.

ANNO CHRISTI 1303.

** CONCILIVM NVGAROLIENSE

Ab Auscitanæ provinciæ episcopis præside Amaneo archiepiscopo celebratum IV. Non. Decembr. anno Dom. MCCCIII.

Ex Severtii Summa omnium excommunicationum edidit Ludovicus Bail in Summa sua conciliorum.

TITVLI CANONVM.

1. *Vt clerici peregrini non recipiantur sine litteris sui episcopi*
2. *Vt qui eos ad efficienda sacramenta recipiunt, sint excommunicati.*
3. *Vt prælatorum & inquisitorum officium nemo turbet.*
4. *Vt nuncii ab episcopis missi, a nemine prohibeantur fungi officio suo.*
5. *Vt domini & judices temporales de causis ecclesiasticis se non intromittant.*
6. *Vt fugientibus ad ecclesiarum tutelam, injuria non fiat.*
7. *De perjuris.*
8. *Vt laici non sepeliantur intra ecclesias.*
9. *De iis qui extra parochiam suam eligunt sepulturam.*
10. *De detentoribus decimarum.*
11. *Vt archidiaconus visitans nihil muneris recipiat, nec quisquam suorum.*
12. *De ecclesia nondum consecrata, si polluatur.*
13. *Vt causæ sæculares, maxime sanguinis, in ecclesiis non tractentur.*
14. *De concubinariis, usurariis, adulteris.*
15. *De iis qui retinent instrumentum soluti debiti.*
16. *De rapinis & detentionibus rerum & personarum ecclesiasticarum.*
17. *De iis qui talliant reclusos leprosos.*
18. *Vt personæ ecclesiasticæ & earum bona non pignorentur.*
19. *Vt bona ecclesiastica in ædibus sacris deposita non occupentur*

Confirmatio prædictorum.

ANNO CHRISTI 1303.

CANONES.

I. *Vt clerici peregrini non recipiantur sine litteris sui episcopi.*

Statuimus quod nullus in ecclesia sua recipiat clericum peregrinum ad officiandum, sine litteris commendatoriis ordinarii sui, & licentia sui episcopi. Alioqui clericus peregrinus sententiam excommunicationis incurrat.

II. *Vt qui eos ad efficienda sacramenta recipiunt, sint excommunicati.*

Irrefragabili constitutione sancimus, quod rectores ecclesiarum, & subcapellani eorum, recipientes peregrinos ignotos presbyteros absque suorum diœcesanorum litteris recommendatoriis, ad efficiendum ecclesiastica sacramenta, ipso facto sint excommunicationis sententia innodati.

III. *Vt prælatorum, & inquisitorum officium nemo turbet.*

Vt prælatorũ judicũ, inquisitorũ & visitatorũ officiũ eo fructuosius, quo liberius, valeat exerceri : præsenti statuto universis & singulis tã religiosis, quam clericis ac laicis, duximus inhibendum, ne ipsos impedire vel turbare præsumant, quo minus in ipsis locis religiosis, regularibus, vel aliis eisdem subjectis, liberum officii sui debitum exequantur. Alioqui si laici fuerint, excommunicationis, si religiosi & clerici, interdicti ipso facto incurrant sententias.

IV. *Vt nuncii ab episcopis missi, a nemine prohibeantur fungi officio suo.*

Si quis nuncios nostros, suffraganeorum nostrorum, seu judicum nostrorum suorumque,

que, missos per nos vel eos, pro convocandis A conciliis, synodis, citationibus vel executionibus faciendis, per se, vel per alium vel alios, clam vel palam impediverit, litteras eisdem abstulerit, fregerit, deleverit vel occultaverit percusserit, vel in præmissis, vel ad aliquod præmissorum dederit consilium, auxilium vel favorem, eo ipso sit excommunicationis vinculo irretitus.

V. *Ut domini & judices temporales de causis ecclesiasticis se non intromittant.*

De excommunicationis, suspensionis, vel B interdicti sententiis, scilicet an juste latæ fuerint, vel injuste, vel de aliis causis specialibus, vel ecclesiasticis, seu alias ad forum ecclesiæ, de jure, vel de antiqua consuetudine spectantibus, se nullatenus intromittant domini vel judices temporales: nec judices ecclesiasticos, nec super ipsis recurrentes ad ipsos, in hujusmodi quomodolibet impediant, vel prædictis dent consilium, auxilium vel favorem. Aliter prædictæ excommunicationis sententia sint ligati: quæ, nisi satisfactio facta prius fuerit, minime relaxetur.

VI. *Ut fugientibus ad ecclesiarum tutelam, injuria non fiat.*

Quicumque fugientes ad ecclesiarum tutelam ibidem vulneraverit, mutilaverit, interfecerit, victualia subtraxerit, vel ne habere, aut dare eis valeant impediverit per se, vel per alium, seu alios, aut custodes, ne exinde exire possint, quoquomodo posuerit, incenderit, inde extraxerit violenter, aut D aliquid prædictorum fieri præceperit vel procuraverit, seu consilium vel opem adhibuerit, excommunicationis sententiæ subjicitur ipso facto, præterquam in casibus a canonibus permissis.

VII. *De perjuris.*

Statuimus ut quicumque in transgressione juramenti manifeste fuerint deprehensi, ad mandatum nostrum, suffraganeorum, vel officialium nostrorum, in ecclesia eorumdem publice denuncientur perjuri: qui si admoniti, satisfacere noluerint, extunc excommunicentur candelis extinctis, & de- E nuncientur intestabiles ac infames: nec ad testimonium vel actus legitimos admittantur: nec in foro pœnitentiæ, præterquam in mortis articulo, solvi valeant, &c. Et hoc frequenter in ecclesiis cathedralibus & parochialibus præcipimus publicari. Officiarii autem qui in observatione prædicti statuti, negligenter scientes extiterint, ipso facto ingressum ecclesiæ usque ad mensem sibi noverint interdictum.

VIII. *Ut laici non sepeliantur intra ecclesias.*

Corpora laicorum non sepeliantur intra ecclesias sine licentia prælati & rectoris, quamvis ab antiquo haberent sepulturas: alioqui eosdem (sepelientes) excommunicationis sententiæ volumus subjacere.

IX. *De iis qui extra parochiam suam eligunt sepulturam.*

Quicumque extra suam parochialem ecclesiam in qua decessit, elegerit sepulturam, matrici ecclesiæ solemniter præsentetur, & eidem reddatur de funeralibus debitum, prout de jure, vel in parochia fieri consuetum est: & contrarium facientes ipso facto subjaceant ecclesiastico interdicto.

X. *De detentoribus decimarum.*

Tam detentores decimarum ante ipsarum restitutionem, quam eorum filii, uxores, & familiæ, sepultura careant Christiana: nec ipsi, nec eorum filii usque ad quartam gene- C rationem inclusive ad tonsuram clericalem, cæteros ordines, vel ecclesiastica beneficia aliqua admittantur. Sed eorum beneficia aliis libere conferantur. Si nostri ordinarii prædictis hæc contulerint, ab illorum collatione eo ipso se noverint suspensos: & loca ubi sepulti fuerint, per annum ecclesiastico subjaceant interdicto.

XI. *Ut archidiaconus visitans nihil muneris recipiat, nec quisquam suorum.*

Archidiaconus visitare volens, in principio suæ visitationis omnes quos secum ducere voluerit, sic informet, quod nec ipse, nec quisquam suorum aliquid muneris, qualitercumque offeratur, recipiat. Alioqui percipientes, usque ad restitutionem dupli illius quod receperint, ecclesiæ vel rectori a quo receperint, faciendam teneantur, & excommunicationis sententiæ ipso facto se noverint subjacere. Archidiaconus autem contra præsentem constitutionem in aliquo veniens, tamdiu ab officio ipso se noverit suspensum, quousque de duplo hujus, si receperit, & ultra, per ipsum fuerit plenarie satisfactum: nulla eis in hoc remissione, libertate seu gratia valitura.

XII. *De ecclesia nondum consecrata, si polluatur.*

Ecclesia nondum consecrata, attamen Divino cultui dedicata, si polluatur seminis aut sanguinis effusione hominis violenta, vel sepultura excommunicatorum, interdictorum, hæreticorum, schismaticorum, paganorum seu Iudæorum, nec ossa discerni & exhumari possint: per episcopum tan-

tum aspersione aquæ benedicatur: si vero inferior ipso ecclesiam aut cœmeterium hujusmodi, vel etiam consecratam, reconciliare præsumpserit, eo ipso ecclesiastico supponatur interdicto.

XIII. *Vt causæ regulares, maxime sanguinis, in ecclesiis non tractentur.*

Iudices sæculares, cujuscumque conditionis, si suas causas, maxime de sanguinis effusione & corporali pœna, in ecclesiis vel cœmeteriis audeant agitare, statuta, aut parlamenta facere, nisi ad pietatem suadeant: per publicationem præsentis edicti, excommunicationis sententiæ ipso facto volumus subjacere: processus eorum nihilo minus careant roboris firmitate.

XIV. *De concubinariis, usurariis, adulteris.*

Excommunicamus & mandamus denunciari excommunicatos publice omnes concubinarios, usurarios, adulteros manifestos.

XV. *De iis qui retinent instrumentum soluti debiti.*

Excommunicamus & excommunicatos provinciæ denunciari præcipimus creditores, qui instrumentum soluti debiti detinent, nisi infra quindecim dies, si commode fieri poterit, restituerint ipsum instrumentum debitori, vel alii legitimo pro eodem, vel saltem ipsum cancellaverint ac fregerint instrumentum infra dictum terminum.

XVI. *De rapinis & detentoribus rerum & personarum ecclesiasticarum.*

Supponimus ecclesiastico interdicto omnem locum provinciæ Auxitanæ, ubi manifesta rapina ecclesiarum, religiosorum, clericorum, vel personarum ecclesiasticarum reponitur, quamdiu dicta rapina ibi fuerit, vel clericus, aut persona ecclesiastica contra voluntatem sui prælati inibi capta a quocumque detinetur: & si de loco in locum mutata fuerit, primus locus, & alia unde & ubi mutatur, usque ad dignam satisfactionem, eo ipso, ecclesiastico remaneant interdicto. Et si de prædictis quispiam consenserit scienter, ipso facto pœna consimili sit ligatus.

XVII. *De iis qui talliant reclusos leprosos.*

Excommunicamus & excommunicatos provinciæ denunciari præcipimus barones, consules, bajulos, & alios quoscumque qui reclusos leprosos, ratione personarum vel A patrimonii, ausi fuerint talliare, vel aliquid pro tallia exigere ab eisdem: nisi sic exacta infra 15. dies plenos restituerint requisiti.

XVIII. *Vt personæ ecclesiasticæ & earum bona non pignorentur.*

Personæ ecclesiasticæ vel earum bona pro aliis non pignorentur: contrarium facientes, nisi de præmissis satisfecerint, infra mensem ipso facto sint excommunicationis vinculo innodati; universitates locorum, B ecclesiastico subjaceant interdicto.

XIX. *Vt bona ecclesiastica in ædibus sacris deposita non occupentur.*

Denunciari præcipimus publice excommunicatos, universos & singulos qui apud ædes sacras deposita ecclesiarum, vel ecclesiasticarum personarum, arrestaverint vel occupaverint, & arrestari vel occupari mandaverint: & qui talia occupata receperint, quique in prædictis scienter dederint publi- C ce vel occulte consilium, auxilium vel favorem.

Confirmatio prædictorum statutorum.

Publicatæ fuerunt prædictæ constitutiones apud Nugarolum, die Lunæ post festũ B. Andreæ apostoli, in concilio provinciali celebrato per reverendum in Christo patrem D. Amaneum Divina miseratione archiepiscopum Auxitanum: præsentibus & assistentibus sibi venerabilibus, Tarbiensi, Convenensi, Condomensi, Lectorensi, Vasatensi, Aquensi, Olorensi, Lascuriensi, Adurensi, episcopis, B. Coseranensi electo & confirmato, & domino electo concorditer Bajonensi, & quampluribus abbatibus, Prioribus, & aliis subditis provinciæ Auxitanæ, sub anno Domini D MCCCIII.

NOTA G. COSS. S. I.

Horum capitulorum postremum, quo ipsorum promulgatio facta dicitur anno MCCCIII. reperio in MS codice illustrissimi archiepiscopi, Remensis coadjutoris Tellerii: sed ad calcem concilii alterius Auscitani apud Marciacum celebrati, cujus fronti annus adscriptus est MCCCXXVI. certissimo charactere, ut suo loco dicam, designatus. Cujus concilii cum pars sint omnia hæc capitula, partim integra, partim interpolata: valde suspecta mihi est eorum sub hunc annum collectio. Quia tamen suspecta tantum est, cum eædem constitutiones in diversis conciliis sæpe iisdem verbis repetantur, eam hic desiderari nolui. Lectoris esto judicium. Profuit concilium illud anni 1226. ad horum capitulorum menda quædam tollenda.

E ** CONCILIVM COMPENDIENSE,

A Roberto de Courtenay Remensi archiepiscopo, cum suffraganeis celebratum pridie Non. Ianuar. anno Dom. MCCCIV.

Ex codice MS. synodalium Remensis ecclesiæ.

Constitutio provincialis concilii facta apud Compendium anno Domini MCCCIII. die Veneris post circumcisionem Domini.

ANNO CHRISTI 1304.

TITULI CAPITULORUM.

PRÆFATIO.

AD perpetuam rei memoriam profuturam in perpetuum, & tenendam, Nos R. miseratione Divina Remensis archiepiscopus in nostro provinciali concilio, quod apud Compendium nostræ Remensis provinciæ, anno Domini millesimo trecentesimo tertio[a] die Veneris post festum Circumcisionis ejusdem, universis suffraganeis nostris ad hæc, ut moris est, convocatis, & præsentibus venerabilibus fratribus Guillelmo Suessionensi, Guillelmo Laudunensi, Ioanne Belvacensi, Guillelmo Atrebatensi, Guillelmo Silvanectensi, Guillelmo Ambianensi, Ioanne Morinensi, & Guillelmo Cameracensi, episcopis; necnon dilectis suis magistris, Guielchini, Novionensis, & Ioanne Tornacensis, venerabilium fratrum episcoporum vicariis; & magistro Hugone procuratore venerabilis fratris nostri Catalaunensis episcopi, licet minus competenter instructo, tamen hac vice de gratia admisso, extitit celebratum: nonnullis ecclesiarum, & personarum ipsarum oppressionibus, injuriis, & offensis, ad nostram deductis notitiam, & eidem concilio referatis, deliberatione super his in ipso concilio habita pleniore, de totius concilii providentia unanimi & concordi, juxta negotiorum ingruentiam & temporis qualitatem, super eisdem injuriis pro defensione libertatis ecclesiasticæ adhibere curavimus opportuna remedia, quæ sequuntur.

[a] *Romanus annus jam erat 1304. a Kal Ian. sed tunc in Galliis inchoabatur tantum a paschate.*

CAPITULA.

I. *Ut excommunicati, & qui clandestina matrimonia fecerint, procurauerint, iis interfuerint, ad Diuina non admittantur, nec eorum corpora ad ecclesiasticam sepulturam.*

IN primis igitur statuimus, & decernimus autoritate concilii ejusdem, quod cum in canonibus tam antiquis, quam noviter editis, sit statutum, ne quævis sæculares, religiosæ, exemptæ & non exemptæ personæ, excommunicatos & interdictos nominatim & publice, ad Divina; neve corpora defunctorum talium, ad ecclesiasticam sepulturam admittant: alioquin talibus ab ipsis canonibus est ingressus ecclesiæ interdictus: ut tam salubria statuta publicentur frequenter. Adjicientes præsentis autoritate concilii, quod omnes & singuli, cujuscumque status, dignitatis, professionis, aut conditionis existant, qui talibus Divinis celebrandis & sepulturis faciendis interesse præsumpserint, & qui opem in his, auxilium præstiterint, & favorem, post mensem a tempore publicationis præsentium in singulis diœcesibus Remensis provinciæ faciendæ, excommunicationi subjaceant ipso facto. Simili sententia percellentes omnes & singulos, qui matrimonia clandestina fecerint, seu contraxerint, aut procuraverint fieri, seu ipsis præsumpserint interesse.

II. *Ut talliæ & collectæ non imponantur clericis, sub prætextu quod sint mercatores.*

Item, quia nonnulli servientes temporalium dominorum, & justitiæ laicalis, asserentes pro suo debito, clericos tam non uxoratos quam uxoratos (qui tamen cum unica & virgine contraxerunt) esse publicos mercatores, tallias & collectas imponunt eisdem, & extorquent ab eis invitis, quanquam clericaliter vivant, nullis se mercimoniis implicantes: ac moniti autoritate ordinariorum locorum ut desistant, recusant parere, quanquam offeratur eisdem, ut facta fide coram ipsis ordinariis, quod dicti clerici sunt tales manifesti mercatores, tallias & collectas hujusmodi permittantur levare: ipsi tamen judicis & partis officio fungentes, cognitionem super hoc sibi vendicant & assumunt. Et quia de his, ut asserunt, sibi constat: bona dictorum clericorum mobilia capiunt, vendunt, & distrahunt, in magnum præjudicium & gravamen ipsorum. Pro modo etiam omnium facultatum ipsorum clericorum, licet in minimo solum eos asserant mercatores, tallias & collectas imponunt, & extorquent ab eis. Nos attendentes, præmissa fieri contra libertatem & consuetudines ecclesiasticas notorias & antiquas, talia amodo fieri prohibemus: alioquin post mensem a tempore publicationis prædictæ, omnes illos & singulos qui talia amodo facere, procurare, mandare, aut facta suo nomine rata habere, auxilium, consilium, opem, vel favorem, clam vel palam præstare præsumpserint, autoritate supradicti concilii, monitione tamen competenti præmissa, excommunicamus in his scriptis.

III. *Ut qui excommunicationis sententiam sustinuerunt per biennium, nisi in extremis satisfecerint, careant ecclesiastica sepultura.*

Item quia non caret nota hæreticæ pravitatis, in contemptum potestatis & clavium sanctæ matris ecclesiæ, excommunicationis sententiam, quamvis catholicam, in se latam sustinere, præsertim biennium & amplius: volentes huic canceri vulneroso, ne sui contagione corrumpat alios, & pernicioso seducat exemplo, ignitum, quod superest,

ANNO CHRISTI 1304.

superest, injicere ferrum: statuimus autoritate præsentis concilii, ut tales, qui taliter excommunicationem in se latam sustinuerint, ecclesiastica careant sepultura, nisi saltem in extremis pœnituerint, & ad condignam venerint satisfactionem & emendam. A

IV. *Quod excommunicatis, qui vocati ad synodum, non comparuerunt, indicatur purgatio canonica, tanquam de hæresi suspectis.*

Item cum excommunicati per biennium & amplius, ad præsens concilium sint vocati, peremptorie & personaliter responsuri super tanto excessu, qui notam seu speciem hæresis non evadit: quia non venerunt nec comparuerunt per idoneos responsales, ipsos omnes & singulos reputamus contumaces, purgationem eis omnibus & singulis, quos suspectos habemus de hæresi, indicentes canonicam: ad quam præstandam secundum juris formam, ipsos & singulos ipsorum coram singulis suis diœcesanis, termino super hoc competenti præfigendo eisdem ab ordinariis supradictis, decernimus detineri. B

V. *Quod ecclesiastici contenti sint iusculo & duobus ferculis, nisi superueniant magnates.*

Item diligenti deliberatione præhabita, honestateque considerata, & ut a superfluitatibus abstineatur: statuimus, ut omnes & singulæ personæ ecclesiasticæ Remensis provinciæ, in singulis conviviis sint contentæ potagio & duobus ferculis, sine fraude: nisi magnitudo personarum supervenientium aliud requirat. Et tunc cum prædictis poterunt uti aliquo intermedio ferculo: ita quod si in conviviis hujusmodi reges, duces, comites, barones, aut alios excellentes contigerit interesse, præsenti statuto minime sint astrictæ. Si quis vero contra præmissa, vel aliquid de præmissis, attentare præsumpserit. pœna punietur condigna. D

Quæ omnia redigi fecimus in scripturam, & in ipso concilio solemniter promulgari: præcipientes districtius, & mandantes autoritate prædicti concilii, universis & singulis provinciæ Remensis, quatenus quæ taliter pro defensione jurisdictionis ecclesiasticæ, & ipsarum ecclesiarum statu pacifico, duximus ordinanda, prout superius continetur, servent & teneant illibata. In quorum testimonium & munimen, sigillum nostrum, una cum sigillis dictorum præsentium suffraganeorum; præsentibus duximus apponendum. Et nos prædicti præsentes suffraganei, sigilla nostra una cum sigillo prædicti reverendi patris, in præmissorum testimonium duximus apponenda. Datum anno & die Veneris supradictis. E

ANNO CHRISTI 1305.

VITA CLEMENTIS PAPÆ V.

Clemens quintus Vasco, Bertrandus Gotto ante nominatus, ex episcopo Burdigalensi electus fuit ipsis Nonis Iunii, anno 1305. tempore Alberti imperatoris. Hic Burdigala Lugdunum pertransiens, eo omnes cardinales convocavit, curiamque Romanam in Gallias traduxit, ubi septuaginta & amplius annis perseveravit. Coronationi illius rex Franciæ, frater ejus, & dux Britanniæ interfuerunt. Sardiniam Friderico Siciliæ regi dono dedit, ea solum conditione, ut ex ea Saracenos abigeret. Sectam Fratricellorum hæreticorum, ordinemque Templariorum multis erroribus implicitorum, concilio Viennensi exterminauit. Venetos, qui cum præjudicio ecclesiæ ad Ferrariensem principatum aspirabant, excommunicavit. Idem bis contra Florentinos & Lucenses tentavit, quod ab armis contra Pistorienses sumptis abstinere nollent: absolutionem tamen postea, quod in Ferraria recuperanda pontificem juvissent, consecuti sunt. Robertum, patre ejus mortuo, regno Neapolitano investivit. Henricum ducem Luxemburgensem imperatorem electum confirmavit, ea conditione, ut post biennium coronam accepturus Romam veniret. Bonam pecuniæ summam ad Lateranum incendio absumptum restaurandum misit. Diversis ordinationibus plures cardinales creavit. Columnenses restituit: Nogaretium & Sciarram ad instantiam & petitionem regis Franciæ absolvit. Verum Bonifacium, quod idem rex fieri importune solicitabat, damnare & improbare noluit. Cælestinum V. quem Petrum confessorem nominavit, inter sanctos retulit. Ad extremum morbis exagitatus migravit e vita XII. Kalendas Maii, anno Christi 1314. cum sedisset annos octo, menses decem, & dies sexdecim. Sedes duobus annis, tribus mensibus, & septemdecim diebus vacavit. Clemens majorum suorum secutus vestigia, legem a Gregorio latam confirmavit, & secundum Panuinium aliquid ei adjecit.

** DECRETUM ELECTIONIS Clementis V. Romani Pontificis.

Ex MS. R. P. Iac. Sirmondi S. I. collato cum apographo authentici diplomatis, quod servatur in tabulario S. Andreæ Burdegal. metropoleos, cum sigillis appensis, & singulorum monogrammatis, communicato a Petro Louveto Bellovacensi. Ediderat Raynaldus, sed mutilum.

In nomine Domini, amen.

ANNO CHRISTI 1305.

Sanctissimo patri & domino, domino Bertrando archiepiscopo Burdegalensi, divina providentia in summum pontificem electo, Ioannes Tusculanus, Theodoricus Civitatis Papalis, Leonardus Albanensis, Petrus Sabinensis, fratres Ioannes Portuensis, Nicolaus Ostiensis & Veletrensis, episcopi, Ioannes sanctorum Petri & Marcellini, fratres Robertus S. Potentianæ, Gentilis S. Martini in Montibus, Galterus, S. R. E. presbyteri, Matthæus S. Mariæ in Porticu, Neapolio S. Hadriani, Landulphus S. Angeli, Guillelmus S. Nicolai in carcere Tulliano, Franciscus S. Luciæ in Silice, Iacobus S. Georgii ad Velum aureum, Franciscus S. Mariæ in Cosmedin, Richardus S. Eustachii, & Lucas S. Mariæ in Via lata, diaconi cardinales, pedum oscula beatorum.

Recordatus est Dominus misericordiæ suæ, & plebem suam non despexit in finem: quia dum prolixæ vacationis Romanæ, & per consequens quodammodo universalis ecclesiæ, respexisset incommoda, & longa illius ex variis causis suspiria cognovisset: in tempore

ANNO CHRISTI 1305.

pore accepto exaudivit eam, & in die salutis misertus est ejus. Sanavit quidem, quia commota erat, cõtritiones ipsius: & vidua, per electionem canonicam generoso sponso oblata, sponsa speciosa facta est. Et sicut crapulatus a vino, ac a somno dormiens, excitata surrexit: & ubi desperabat magis, ut Lucifer est exorta. Unde serenus dies illuxit nobis Spiritus sancti illustratus ardore: populis, qui orbati, pæne gradiebãtur in tenebris, tanquam quoddam sidus apparuit, quod fulgore proprio, velut stella matutina, coruscans, cunctos fideles irradiat suæ lumine claritatis.

Dudum siquidem eadem Romana ecclesia per mortem sanctæ memoriæ domini Benedicti papæ XI. pastoris solatio destituta: nos Theodoricus civitatis Papalis, Leonardus Albanensis, Petrus Sabinensis, Ioannes Portuensis, Nicolaus Ostiensis & Veletrensis, episcopi; Ioannes SS. Petri & Marcellini, Fratres Robertus S. Potentianæ, Gentilis S. Martini in montibus, titulorum, presbyteri; Neapolio S. Adriani, Landulfus S. Angeli, Guillelmus S. Nicolai in carcere Tulliano, Franciscus S. Luciæ in Silice, Iacobus S. Georgii ad Velum aureum, Franciscus Caietanus S. Mariæ in Cosmedin, & Lucas S. Mariæ in Via lata diaconi cardinales; una cum venerabilibus patribus Ioanne Tusculano episcopo, Matthæo S. Mariæ in Porticu, & Richardo S. Eustachii, diaconis cardinalibus, apud Perusium sumus, pro substituendo summo Pontifice, conclave palatii, in quo idem dominus Benedictus mortis suæ tempore morabatur, ingressi, & tandem dictis Tusculano episcopo, Matthæo & Richardo diaconis cardinalibus, necnon fratre Galtero S. R. E. presbytero cardinale, qui absens, postmodum supervenit, & prædictum intravit conclave, & ex manifestis infirmitatũ causis, ut apparebat, idem conclave egressis, & tunc extra illud morantibus cæteris ex nobis, votorum nostrorum scrutatoribus electis per viam scrutinii ad electionem de nobis: hac die sabbati in vigilia Pentecostes processimus in hunc modum.

Quia primo per deputatos inquisitores scrutatorũ ipsorum, deinde per ipsos scrutatores, singulorum nostrorum votis inquisitis secreto, & mox in communi etiam publicatis, compertum extitit, quod in universo eramus* quindecim cardinales in conclavi manentes, & qui deposueramus in scrutinio vota nostra, quodque nos Albanensis, Sabinensis, Portuensis episcopi, Ioannes, Fr. Robertus, presbyteri, Neapolio, Landulfus, Guillelmus, Franciscus Caietanus, diaconi cardinales prædicti, vos in eodem scrutinio in summũ Pontificem nominaveramus & elegeramus. Quo comperto, nos Theodoricus Civitatis Papalis episcopus, frater Gentilis presbyter, Franciscus, Iacobus, & Lucas, diaconi cardinales præfati, accessimus juxta morẽ, ac subsequenter de volũtate & speciali mandato nostro, venerabilis frater Franciscus Caietanus prædictus, suo nomine & omnium nostrorum, forma subscripta vos elegit* nihilo minus in Romanũ pontificẽ & pastorem.

* Male 25. apud Raynaldum: ubi & sequentia corrupta.

* apud Raynald. elegit & nominavit in

"In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ad honorem Dei, & B. Mariæ semper virginis matris ejus. Ego Franciscus S. Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis, venerabilem patrem dominum Bertrandum archiepiscopum Burdegalensem nomine meo, & omnium qui eum in summum pontificem elegerunt & nominaverunt, consenserunt ac accesserunt, eligo in summum pontificem & pastorem."

Quam electionem, cantico Divinæ laudis præcantato, fecimus juxta morem clero & populo solenniter publicari. Pie igitur pater, electioni hujusmodi vestrũ dignemini præbere assensum. In prædictorum autem testimonium & irrefragabilem fidem, eam præsentis decreti scripturam redigi fecimus, & nostris, necnon & dictorum Ioannis episcopi Tusculani, fratris Gal- A teri sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri, Matthæi S. Mariæ in Porticu, & Richardi S. Eustachii, diaconorum cardinalium, sigillis & subscriptionibus communiri. Actum & datum Perusii, anno Dom. MCCCV. Indict. III. Nonis Iunii.

Ego Ioannes Tusculanus episcopus electioni factæ de venerabili patre domino Bertrando Burdegalensi archiepiscopo, in summum pontificem electo, consentio, & eam approbo, gratam habeo & acceptam: ipsumque, licet absentem, in summum pontificem recipio, & recepi, necnon meum sigillum huic decreto apponi feci & subscripsi. *Additur apud Raynaldum*: B Et sic scribant se omnes qui interfuerunt.

Ego Theodoricus Civitatis Papalis episcopus, post publicatum scrutiniũ* accessi, & electionem communem fieri volui de venerabili patre domino Bertrando archiepiscopo Burdegalensi in summum põtificem: & factæ electioni de eodem archiepiscopo consentio & consensi, ipsumque, licet absentem, in summum pontificem recipio, & recepi, necnon sigillum huic decreto apponi feci, & subscripsi. *Additur apud Raynaldum*: Et sic omnes qui accesserunt.

* *apud Raynald.* ante electionem cõmunem subsecutam accessi.

Ego Leonardus Albanensis episcopus, venerabilem patrem dominum Bertrandum archiepiscopũ Burdegalensem, in scrutinio nominavi & elegi in summum pontificem, & electioni de eo in summum pontificem C factæ consentio & consensi, & ipsum dominum Bertrandum electum recipio licet absentem, & recepi, huicque decreto meum sigillum apponi feci & subscripsi. *Additur apud Raynaldum.* Et sic omnes qui dederunt voces suas in scrutinio, se subscribant.

Ego Ioannes Portuensis episcopus, venerabilem patrem, &c. *ut supra.*

Ego frater Nicolaus, Ostiensis & Veletrensis episcopus, venerabilem patrem, &c.

Ego Ioannes tit. SS. Marcellini & Petri presbyter cardinalis, venerab. patr. &c.

Ego frater Robertus tit. S. Pudentianæ presbyter cardinalis, vener. patr. &c.

Ego frater Gentilis tit. S. Martini in Montibus presbyter card. post publicatum scrutinium, &c. *ut supra.*

Ego frater Gualterus S. R. E. presb. card. electioni D factæ de venerabili patre dom. Bertrãdo, &c. *ut supra.*

Ego Neapolio S. Hadriani diacon. card. venerabilem patrem, &c. *ut supra.*

Ego Landulfus S. Angeli diac. card. vener patr. &c.

Ego Guillelmus S. Nicolai in carcere Tulliano diac. card. venerabilem patrem, &c.

Ego Franciscus S. Luciæ in Silice diac. cardin. post publicatum scrutinium, &c. *ut supra.*

Ego Iacobus S. Georgii ad Velum aureum diacon. cardin. post publicatum scrutinium, &c. *ut supra.*

Ego Franciscus S. Mariæ in Cosmedin diac. cardin. venerabilem patrem, &c. *ut supra.*

Ego Richard9 S. Eustachii diac. card. elect. factæ, &c.

Ego Lucas S. Mariæ in Via lata card. post publica- E tum scrutinium accessi, &c. *ut supra.*

** Eorumdem cardinalium epistolæ ad Bertrandum eundem electum in Rom. pontificem.

SAnctißimo patri ac domino, domino Bertrando archiepiscopo Burdegalensi, Divina providentia in summum pontificem electo, miseratione Divina episcopi, presbyteri, diac. S. R. E. cardin. pedum oscula beatorum.

Recordatus est Dominus, &c. *ut in superiori eorum epistola.* Dudum siquidem eadem Romana ecclesia per mortem sanctæ memoriæ domini Benedicti papæ XI. pastoris solatio destituta, de

vobis

ANNO CHRISTI 1305.

vobis (sicut per electionem seu decretum, quod sanctissimæ paternitati vestræ una cum præsentibus litteris, per providos & discretos viros, fratrem Guidonem abbatem monasterii Belliloci Cluniacensis ordinis, Virdunensis diœcesis apostolicæ sedis; magistrum Petrum de* Montechiello sacristam ecclesiæ Narbonensis, nostris communibus, ac Andream de Eugubio canonicum * Carthalensem, ejusdem sedis in Romana curia obsequiis insistentes, nostros ad id speciales transmittimus nuncios, liquere poterit) est nunc in summum Pontificem electio celebrata. Pie igitur pater, vos suppliciter exoramus, ut ad locum prædictæ sedis, & ad partes terrarum ipsius, exemplo felicis recordationis Clementis PP. IV. & sanctæ memoriæ Gregorii X. Romanorum pontificũ, præsentia vestra, sicut noster æternus medicus, qui præsens jacentem mundum erexit, & curavit infirmũ, ecclesiæ laboribus consulatis. Fluctuat itaque Petri navicula, sagena rumpitur piscatoris, pacis serenitas in nubilum versa est, ac ecclesiæ Romanæ terras, & nonnullas adjacentes provincias, vastat bellorum calamitas, & in eis sagittæ zizaniam seminantis ardentibus effectæ complentur, ex quibus propriarum rerum, & quod gravius est, animarum, pericula subsequuntur. Soldanus insuper Babylonicus hostis insultat, & post clades miserabiliter Christi fidelibus illarum partium inflictas, & urbium Christianarum excidia, deteriora minatur, & residuum, quod ibi Christiani possident, ut singularis ferus exterminare satagit, & hiatu terribili nititur devorare. Succurrite pie pater, & sauciatorum vulnera præsentialiter purgate, vino & oleo confovete. Non est dubium quippe, quod in sede Petri residebitis fortior, lucebitis clarior, & in terra ejus vivetis quietior, & remotis regibus principibus atque populis admirabilior eritis, & ipsorum devotionem & obedientiam plenius acquiretis. In sua namque domo est unusquisque *potentior, & in ecclesia propria quiescit quis dulcius. Ensis juxta capulum minus, ejusque pars quæ magis distat a capulo plus incidit, & visa frequenter spernuntur, sæpius ac facilius adita vel quæsita vilescunt. Venite ergo, & quod nostris in hac parte votis assentiat vestra benignitas, quam bene diuque valere cupimus, iterum supplicamus. Datum Perusii anno Dom. MCCCV. Indict. III. V. * Idus Iunii.

* de Montegiello, *Raynald.*
* Catalaunensem *Raynald.*
* *Raynald.* unusquisque planeta potentior,
* *Raynald.* VI. Id. Iun.

** *In MS. nostro exemplari R. P. Jac. Sirmondi manu descripto, sequitur hoc Clementis V. diploma.*

Clemens episcopus, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Meruit carissimi filii nostri Philippi regis Francorum illustris sinceræ devotionis, ad nos & ecclesiam Romanam integritas, & progenitorum suorũ præclara merita meruerunt, meruit insuper fida regnicolarũ pietas ac devotionis sinceritas, ut tam regnum quam regem favore benevolo prosequamur. Hinc est quod nos dicto regi & regno, per diffinitionem seu declarationem bonæ memoriæ Bonifacii PP. VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit, *Unam sanctam*, nullum volumus vel intendimus præjudicium generari. Nec quod per illam, rex, regnum, regnicolæ prælibati, amplius ecclesiæ sint subjecti, quam antea existebant. Sed omnia intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante diffinitionem præfatam, tam quantum ad ecclesiam, quam etiam quo ad regem & regnum superius nominatos. Datum Lugduni Kalendis Februarii, pontificatus nostri anno primo.

ANNO CHRISTI 1307.

** CONCILIUM RAVENNENSE, Anno Dom. MCCCVII.

Hujus meminit Rubeus lib. VI. histor. Ravennatis: at nomine uno tenus, sine ulla rerum in eo actarũ decretarumve mentione. Rainaldus, *inquit*, archiepiscopus, in die virtutibus ac religione proficiẽs, purissimum cultũ Divini numinis, legibus persancte editis, propagandũ apud suum populum diligenter curavit. Quapropter provinciale conciliũ anno ab ortu Christi MCCCVII. Ravennæ celebravit. *Hoc tantũ Rubeus.*

ANNO CHRISTI 1308.

** CONCILIUM AUSCITANUM.

Ex MS. codice illustrissimi archiepiscopi, Remensis coadjutoris, Mauritii Caroli Tellerii.

Constitutiones & statuta in provinciali concilio Auscis celebrato, edita per reverendum in Christo patrem Amaneum Dei gratia archiepiscopum Auscitanum, die VI. Kal. Dec. ann. Dom. MCCCVIII.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ut ecclesiastici beneficiorum & officiorum suorum jura viriliter defendant.*
2. *De celebratione Missarum.*
3. *De usuris.*
4. *De monachis & regularibus.*
5. *De pensionibus religiosorum.*
6. *Renovatio & approbatio constitutionum.*

CAPITULA.

I. *Ut ecclesiastici beneficiorum & officiorum iura viriliter defendant.*

Statuimus quod quæcumque personæ jurisdictioni nostræ subditæ, cujusque conditionis, dignitatis, vel eminentiæ existant in provincia Auscitana, jura & deveria, quæcumque jure, usibus vel conditionibus ipsarum, ecclesiis, beneficiis, abbatiis, personatibus, prioratibus, vel officiis debita, viriliter omnibus remediis quibus se juste juvare poterunt acquirendo, retineant & acquirant: adeo quod non possint de negligentia per superiores redargui vel puniri. Si dictæ personæ in prædictis negligentes fuerint, vel remissæ: earum superiores possint earundem supplere defectum, exigere, acquirere ecclesiis & petere ante dicta.

II. *De celebratione Missarum.*

Volentes Divinum officium amplius pro viribus ampliare, statuimus quod quilibet residens intitulatus in ecclesia cathedrali vel collegiata, regulari vel sæculari, habeat hebdomadam sibi assignatam officiorum ecclesiæ in ordine, in quo fuerit constitutus: si presbyter, dicere Missam; diaconus, evangelium; & sic de aliis: & prædicta habeant executioni demandari per deputatum vel deputandum per eorum superiores, qui præsunt ecclesiis supradictis. Et si qui prædicti inferiores non obediunt prælatis suis, vel illis qui per eos fuerint depu-

ANNO CHRISTI 1308.

putati : per ſubtractionem præbendæ unius ſeptimanæ, ut ſuo prælato videbitur, puniatur : vel nihilo minus plus vel minus legitime puniendus, prout protervitas, ſeu inobedientia demeruerit delinquentium. Super prædictis vero conſcientiis ordinarii . . . . quos diſpenſare valeant, ſi ipſis videbitur faciendum.

A

III. *De uſuris.*

Vt animarum periculis ſalubrius obvietur, provide duximus ſtatuendum, ut decretalis *Vſurarum voraginem*, poſita in titulo de uſuris libro ſexto, provinciali concilio habeatur : & ſemper rectores parochialium eccleſiarum, plebibus indicant, ne quis per ignorantiam valeat ſe tueri. Verum quia juxta canonicas ſanctiones ille uſurarius eſt cenſendus, qui ex pacto pro mutuo recipit aliquid ultra ſortem : item cenſetur eodem modo juxta ſtatuta & privilegia, ſuper hoc & multis aliis articulis eccleſiæ utilitatem concernentibus, ſigillata in cera viridi in theſauro archiepiſcopi Auſcitanæ eccleſiæ.

B

IV. *De monachis & regularibus.*

Edicto perpetuo, inhibemus, ut abbates regulares, bona eis & ſuis monachis conventualibus communia nullatenus dividant: irritum decernentes, ſi contra hæc fuerit aliquid effectualiter attentatum. Pari prohibitione utiliter ſtatuentes, ne abbates regulares monachis ſimplicibus aliquas penſiones aſſignent ſtantes in pecuniis, bladis, vel rebus aliis quibuſcumque. Quod ſi contra fecerint abbates ſuperius nominati, penſionem aliqualiter aſſignando : penſiones prædictas infra annum repetant. Quod ſi prædictas penſiones infra annum prælati cum effectu non duxerint repetendas: ex tunc epiſcoporum quilibet, dictorum ſiquidem prælatorum, penſiones prædictas poſſit & valeat menſæ propriæ applicare: decernentes penſionis aſſignationem vel penſionum factam in contrariũ, nullius exiſtere firmitatis. Statuendo nihilo minus, omnes monachos provinciæ Auſcitanæ debere comedere in uno refectorio, & in uno dormitorio pariter dormire, juxta B. Benedicti regulam & canonica inſtituta. Renovantes ſcienter pariter & expreſſe conſtitutionem ſuper his alias editam a noſtris prædeceſſoribus: ne quis ſuper his per non uſum ſe valeat aliqualiter excuſare : injungentes abbatibus, ut prædicta ſic obſervent & faciant obſervari, quod non poſſint a nobis vel a ſuis ordinariis de culpa vel negligentia reprehendi. Præſentem vero conſtitutionem non tantum ad futura extendi volumus, ſed etiam ad præterita & præſentia mandamus.

C

D

V. *De penſionibus religioſorum.*

Cum nonnulli mendicantes, tranſeuntes ad ordinem non mendicantium, ad ambitiones, ad honorum beneficia, vel pẽſiones, eo libentius optent ſic tranſire, quo facilius poſſint prædictorum aliquid obtinere : nolentes in ea vocatione in qua vocati ſunt juxta dictum apoſtoli permanere : hinc eſt quod nos ſpeciali conſtitutione duximus ſtatuendum, quod prædictis quondam mendicantibus in ordine non mendicantium perſiſtentibus, penſiones aliquæ in pecuniis, bladis, vel rebus aliis quibuſcumque, a prælatis ipſorum nullatenus aſſignentur. Quod ſi factum fuerit in contrarium, nullum decernimus eſſe ipſo facto. Quod ſi contra fecerint prælati ſuperius nominati, penſionem eis aliqualiter aſſignando: ° penſiones prædictas infra annum prælati prædicti cum effectu duxerint repetendas, ex tunc epiſcopi quilibet, dictorum ſiquidem prælatorũ, penſiones prædictas poſſint & valeãt menſæ ſuæ propriæ applicare. Præſentem vero cõſtitutionem nedum ad futura extendi volumus, ſed etiã ad præterita & præſentia mãdamus.

° *Deeſt*, niſi

VI. *Renouatio & approbatio conſtitutionum.*

Cum multa ſit diligentia per noſtros prædeceſſores proviſum caſibus, qui ſolent in noſtris civitate & diœceſi ac provincia Auſcitana evenire, per conſtitutiones legitimas provinciales quæ ab aliquibus minus debite obſervantur : hinc eſt quod nos omnes conſtitutiones provinciales, alias per prædeceſſores noſtros & etiam per nos editas, renovamus, approbamus, eaſque de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu ex certa ſcientia confirmamus, ac ipſas inviolabiliter præcipimus obſervari.

° ** CONCILIVM LONDINENSE,

ANNO CHRISTI 1309.

Celebratum in eccleſia S. Pauli, die Lunæ proxima poſt feſtum S Edmundi regis & martyris, anno Domini MCCCIX. per Robertum de VVynchelſe, Cantuarienſem archiepiſcopum, cum ſuffraneis, & aliis.

. Ex tomo II. collectionis conciliorum Anglicanæ.

E

CElebrata primitus Miſſa de ſancto Spiritu, per Norvvycenſem archiepiſcopum, & cæteris epiſcopis, pontificalibus indutis, poſt finitam Miſſam archiepiſcopus propoſuit verbum Dei in Latino, in quo reprehendit epiſcopos male per preces electos, vel ambitionem : necnon & eos, qui non ſtant pro jure eccleſiæ. Finito autem ſermone, dedit indulgentiam xl. dierum, omnibus qui eidem ſermoni interfuerant, confeſſis & contritis: & deinde expoſuit in genere occaſionem convocationis concilii quæ in certificatorio London. epiſcopi cõtinetur. Et quia multum dies tranſivit, nihil plus actum fuit illo die. In craſtino autem cõparuerunt omnes epiſcopi, non induti pontificalibus, ſed capis ſuis clauſis ; necnon & cæteræ perſonæ eccle-

Ex vet. cod. MS. in regiſtro principali archiepiſcopi Cantuar.

ANNO CHRISTI 1309.

siasticæ prædictæ in eodem loco. Et primo legebantur bullæ apostolicæ, propter quas fuit convocatum concilium: necnon & littera certificatoria Londonensis, prout inferius describitur. Bullæ autem ideo ante certificatorium legebantur: quia propter illarum primam, habuit archiepiscopus autoritatem vocandi exemptos populum non habentes. Et est sciendum, quod Norvvycensis, qui celebravit Missam, dedit solemnem benedictionem in Missa, propter reverentiam corporis Christi, quod ante se habuit in altari; & orationes consuetas eandem benedictionem præcedentes. Bulla convocationis ad concilium generale, hic proximo describitur.

Bulla super convocatione ad concilium generale.

Eadem, paucis immutatis, est initio concilii Viennensis, inscripta Philippo Francorum regi.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Cantuariensi, & episcopis, ac dilectis filiis, electis abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, archipresbyteris, archidiaconis, & aliis ecclesiarum prælatis, exemptis & non exemptis, ac eorum capitulis & conventibus, per Cantuariensem provinciam constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

Regnans in cælis triumphans ecclesia, cujus pastor est Pater æternus, cui sanctorum ministrant agmina, & laudis gloriam angelorum chori decantant: in terris, ad sui similitudinem & repræsentationem, constituit ecclesiam militantem, unigenito filio Dei vivi, domino Iesu Christo, ineffabili commercio copulatam, in qua idem unigenitus Dei Filius a Patre progrediens, per illustrationem Paracleti procedentis pariter ab utroque, statuit fidei fundamentum. Sane Romana ecclesia mater alma fidelium, caput est, disponente Domino, ecclesiarum aliarum omnium, & magistra: a qua, veluti a primitivo fonte, ad singulas alias ejusdem fidei rivuli derivantur: ad cujus regimen, voluit Christi clementia Romanum pontificem vice sui deputare ministrum, ut instructionem ac doctrinam ipsius eloquio veritatis evangelicæ traditam, cuncti renati fonte baptismatis teneant & conservent: & qui sub hac doctrina cursum vitæ recte peregerint, salvi fiant; qui vero ab ea deviaverint, condemnentur.

Ipsa nempe Romana mater ecclesia, juxta exigentiam possibilitatis ipsius, ad cunctas orbis provincias, in quibus Divini nominis cultus viget, fideique catholicæ observantia rutilat, intuitum sedulæ considerationis extendens, ac subjiciens ab olim suæ considerationis examini, diuturnæ calamitatis angustias illius specialis hereditatis Dominicæ, videlicet Terræ sanctæ, ab infidelibus miserabiliter conculcatæ, in qua idem Patris æterni Filius, nostræ carnis indumẽto contectus, salutem humani generis, pietate ineffabili extitit operatus, quamque sua ipse voluit corporali insignire præsentia, & proprii aspersione sanguinis consecrare, multa solicitudine studuit eidem terræ, retroactis temporibus, quibus potuit remediis, ut eriperetur ab ipsis impiis, subvenire. Et quia inter cæteros, quos professio Christianæ religionis includit, milites & fratres domus militiæ Templi Ierosolymitani, sicut est toti orbi notorium, tanquam speciales ejusdem fidei pugiles, & jam dictæ terræ præcipui defensores, ipsius terræ negotium principaliter gerere videbantur: ipsos & eorũ ordinẽ præfata ecclesia specialis favoris plenitudine prosequens, eos adversus Christi hostes crucis armavit signaculo, multis exaltavit honoribus, ditavit facultatibus, ac diversis libertatibus & privilegiis cõmunivit.

Hi nimirum cum crederentur in Domini servitio, sub regulari habitu, fideliter militare: sibi quasi cunctorum fidelium manus cum multiplici erogatione bonorum sentiebant multiplicari, multisque modis propterea adjutrices. Sed proh dolor! nova & calamitosa vox de malignitatis fratrum ipsorum enormitate progrediens, nostrum replevit, immo verius perturbavit auditum. Hæc enim vox nuncia lamentationis & gemitus, audientibus horrorem ingerit, cõmovet animos, mentes turbat, & cunctis fidei Christianæ cultoribus, novæ & ineffabilis amaritudinis calicem subministrat: & dum facti seriem, ejus necessitate poscente, depromimus, noster attenuatur præ angustia spiritus, & valetudinis fatigata confractibus, membra singula præ nimio dolore tabescunt.

ANNO CHRISTI 1309.

Dudum siquidem, circa nostræ promotionis ad apicem summi pontificis initium, etiam antequam Lugduni, ubi recepimus nostræ coronationis insignia, veniremus, & post, tam ibi quam alibi, secreta quorundam nobis insinuatio intimavit: quod magister, præceptores, & alii fratres ordinis dictæ militiæ Templi, & etiam ipse ordo, qui ad defensionem patrimonii ipsius domini nostri Iesu Christi fuerant in transmarinis partibus deputati, contra ipsum Dominum in scelus apostasiæ nefandum, detestabile idololatriæ vitiũ, execrabile facinus Sodomorum, & hæreses varias erãt lapsi. Sed quia non erat verisimile, nec credibile videbatur, quod viri tam religiosi, qui præcipue pro Christi nomine suum sæpe sanguinem effundere, ac personas suas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quique multa & magna, tam in Divinis officiis, quam in jejuniis, & aliis observantiis, devotionis signa frequentius prætendebant, suæ sic essent salutis immemores, quod talia perpetrarent: hujusmodi insinuationi, ac delationi ipsorum, ejusdem Domini nostri exemplis, & canonicæ scripturæ doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare. Deinde vero, carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francorum illustris, cui eadem fuerant facinora nunciata, non typo avaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil sibi vendicare, vel appropriare intendat; immo ea nobis & ecclesiæ, per deputandos super hoc a nobis administranda, gubernanda, conservanda, & custodienda, liberaliter ac devote in regno suo dimisit, manum suam exinde totaliter amovendo: sed fidei orthodoxæ fervore, suorum progenitorum vestigia clara sequens, accensus, de præmissis, quantum licite potuit, se informans, ad instruendum & informandum nos super his, multas & magnas nobis informationes, per suos nuncios & litteras destinavit.

Infamia vero contra Templarios ipsos increbrescẽte validius super sceleribus antedictis; & quia etiam quidam miles ejusdem ordinis, magnæ nobilitatis, & qui non levis opinionis in dicto ordine habebatur, coram nobis secreto juratus deposuit, quod in receptione fratrum dicti ordinis, hæc cõsuetudo, vel verius corruptela servatur, quod ad recipientis, vel ab eo deputati suggestionem, qui recipitur, Christum Iesum negat, & super crucem sibi ostensam spuit, in vituperium crucifixi; & quædam alia faciunt recipiens & receptus, quæ licita non sunt, nec humanæ conveniunt honestati, prout ipse tunc confessus extitit corã nobis: urgente nos ad id officii nostri debito, vitare nequivimus, quin tot & tantis clamoribus accommodaremus auditum. Sed cum demum fama publica deferente, ac clamosa insinuatione dicti regis, necnon & ducum, comitum, & baronum, ac aliorum nobilium, cleri quoque & populi dicti regni Francorum, ad nostram propter hoc, tam per se quam per procuratores & syndicos, præsentiam venientium, quod dolenter referimus, ad nostram audientiam pervenisset: quod magister, præceptores, & alii fratres dicti ordinis, & ipse ordo, præfatis & pluribus aliis erant criminibus irretiti, & præ-

ANNO CHRISTI 1309.

præmissa per multas confessiones, attestationes, & depositiones præfati magistri, & plurium præceptorum, & fratrum ordinis prælibati, coram multis prælatis, & hæreticæ pravitatis inquisitore, in regno Franciæ factas, habitas, & receptas, & in publicam scripturam redactas, nobis quoque ac fratribus nostris ostensas, probari quodammodo viderentur: ac nihilo minus fama & clamores prædicti in tantum invaluissent, & etiam ascendissent, tam contra ipsum ordinem, quam contra singulares personas ejusdem, quod sine gravi scandalo præteriri non poterat, nec absque imminenti periculo tolerari: nos illius cujus vices, licet immeriti, in terris gerimus, vestigiis inhærentes, ad inquirendum de prædictis ratione prima duximus procedendum: multosque de præceptoribus, presbyteris, militibus, & aliis fratribus dicti ordinis, reputationis non modicæ, in nostra præsentia constitutos, præstito ab eis juramento, quod super præmissis meram & plenam nobis dicerent veritatem, super prædictis interrogavimus, & usque ad numerum septuaginta duorum examinavimus, multis ex fratribus nostris nobis assistentibus diligenter, eorumque confessiones per publicas manus in authenticam scripturam redactas, illico in nostra, & dictorum fratrum nostrorum præsentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio, in consistorio legi fecimus coram ipsis, & illas in suo vulgari cuilibet eorum exponi. Qui perseverantes in illis, eas expresse & sponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt.

Post quæ, cum magistro & præceptoribus præfati ordinis, intendentes super præmissis inquirere: per nos ipsos, ipsum magistrum, & Franciæ, terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, ac Pictaviæ præceptores majores, nobis Pictaviæ existentibus mandavimus præsentari. Sed quoniam quidam ex eis sic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad nostram præsentiam quoquomodo adduci: nos cum eis scire volentes de præmissis omnibus veritatem, & an vera essent quæ continebantur in eorum confessionibus, & depositionibus, quas coram inquisitore pravitatis hæreticæ in regno Franciæ, præsentibus quibusdam notariis publicis, & multis aliis bonis viris, dicebantur fecisse, nobis, & fratribus nostris, per ipsum inquisitorem sub manibus publicis exhibitis & ostensis, dilectis filiis nostris Berengario titulo sanctorum Nerei & Achillei; & Stephano, titulo sancti Cyriaci in thermis, presbyteris, ac Landulpho sancti Angeli diacono, cardinalibus (de quorum prudentia, experientia, & fidelitate, indubitatam fiduciam obtinemus) commisimus & mandavimus, ut ipsi, cum præfatis magistro & præceptoribus inquirerent, tam contra ipsos, & alias singulares personas dicti ordinis generaliter, quam contra ipsum ordinem, super præmissis, cum diligentia veritatem; & quicquid super iis invenirent, nobis referre, ac eorum confessiones, & depositiones, per manum publicam in scriptis redactas, nostro apostolatui deferre, ac præsentare curarent, eisdem magistro & præceptoribus absolutionis beneficium, a sententia excommunicationis, quam pro præmissis, si vera essent, incurrerant, si absolutionem humiliter & devote peterent ut debebant, juxta formam ecclesiæ impensuri.

Qui cardinales ad episcopos, magistrum, & præceptores, personaliter accedentes, eis sui adventus causam exposuerunt. Et quoniam tam personæ, quam res ipsorum, & aliorum Templariorum in dicto regno Franciæ consistentium, in manibus nostris erant: quod libere absque metu cujusquam plene ac pure super præmissis, omnibus ipsis cardinalibus dicerent veritatem, eis autoritate apostolica injunxerunt. Qui magister & præceptores Franciæ, terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitanniæ ac Pictaviæ, coram ipsis tribus cardinalibus, præsentibus quatuor tabellionibus publicis, & multis aliis bonis viris, ad sancti Dei evangelia, ab eis corporaliter tacta, præstito juramento, quod super præmissis omnibus meram & plenam dicerent veritatem, coram ipsis singulariter, libere ac sponte, absque coactione qualibet & terrore, deposuerunt, & confessi fuerunt inter cetera Christi abnegationem, & spuitionem super crucem, cum in ordine Templi recepti fuerunt. Et quidam ex eis se sub eadem forma, scilicet cum abnegatione Christi, & spuitione super crucem, fratres milites recepisse. Sunt etiam quidam ex eis quedam alia horribilia & inhonesta confessi: que, ut eorum ad presens parcamus verecundie, subticemus.

Dixerunt preterea, & confessi fuerunt, esse vera quæ in eorum confessionibus & depositionibus continentur, quas dudum fecerunt coram inquisitore hæreticæ pravitatis. Quæ confessiones & depositiones dictorum magistri & præceptorum, in scripturam publicam, per quatuor tabelliones publicos redacte, in ipsorum magistri & preceptorum, & quorundam bonorum aliorum virorum præsentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio, coram ipsis eisdem lectæ fuerunt, de mandato, & in præsentia cardinalium dictorum, in suo vulgari expositæ cuilibet eorumdem. Qui perseverantes in illis, eas expresse & sponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt. Et post confessiones & depositiones hujusmodi, ab ipsis cardinalibus ab excommunicatione quam pro præmissis incurrerant, absolutionem flexis genibus, manibusque complosis humiliter & devote, ac cum lacrimarum effusione non modica, petierunt.

Ipsi vero cardinales, quia ecclesia non claudit gremium redeunti, ab eisdem magistro & præceptoribus, hæresi abjurata expresse, ipsis secundum formam ecclesiæ, autoritate nostra absolutionis beneficium impenderunt; ac deinde ad nostram præsentiam redeuntes, confessiones & depositiones prælibatorum magistri & præceptorum, in scripturam publicam, per manus publicas, ut est dictum, redactas, nobis præsentaverunt; & quæ cum dictis magistro & præceptoribus fecerant, retulerunt. Ex quibus confessionibus & depositionibus, ac relatione, invenimus sæpe fatos magistrum & fratres, in præmissis, & circa præmissa, licet quosdam ex eis in pluribus, & alios in paucioribus, graviter deliquisse. Attendentes autem quod scelera tam horrenda transire incorrecta, absque Dei omnipotentis, & omnium catholicorum injuria, non poterant nec debebant: decrevimus de fratrum nostrorum consilio, per ordinarios locorum, ac per alios fideles & sapientes viros, ad hoc deputandos a nobis, contra singulares personas ipsius ordinis, necnon & contra dictum ordinem, per certas discretas personas, quas ad hoc duximus deputandas, super præmissis moribus & excessibus inquirendum.

His nempe quæ magis flere cogimur quam narrare, cor nostrum passione nimia cruciatur: & cum tanta provide nobis immineat gemendi materia, fletum non possumus declinare. Quisnam catholicus hæc audiens, nimis non doleat & prorumpat in luctum? Quis fidelis, hujusmodi sinistrum eventum intelligens, amara non emittat suspiria, verbaque lamentationis, & mœstitudinis non erumpet? cum tota Christianitas hujusmodi doloris sit particeps, & hic casus fideles percutiat universos. Ex iis etiam, dum ministerio debitæ considerationis nostræ mentis præsentantur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit, & ad tanta discrimina relevanda suspirat affectus, zelus accenditur, & spiritus angitur. Ad quod cum nos sufficere commode non posse sciamus, levamus oculos

ANNO CHRISTI 1309.

nostros ad montem, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde opportunum provenire nobis auxilium, & humiliter petimus, & devote speramus. Et quia salubre in iis adhiberi remedium interest generaliter omnium: nos cum eisdem fratribus nostris aliisque viris prudentibus, exacto & frequenti tractatu præhabito, prout tanta necessitas exigebat, de ipsorum fratrum consilio, universale concilium, sicut imitatione digna sanctorum patrum consuetudo laudabilis, longævæ observationis exemplo, nos instruit, à proximis Kalend. Octobris, ad duos annos immediate sequentes, decrevimus congregandum: ut in eo, tam circa dictum ordinem & personas singulares, & bona ejusdem, & alia quæ statum tangunt fidei catholicæ, quam circa recuperationem & subsidium terræ sanctæ, ac reparationem, ordinationem, & stabilitatem ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum ac libertatum earum, illa, Deo auspice, communi consilio inveniatur provisio, & ejusdem approbatione concilii roboretur: per cujus salutiferam executionem, virtus Altissimi, eliminatis erroribus, roborata fide, ad tramitē veritatis reductis errantibus, redintegrata ejusdem fidei unitate, extirpatis vitiis, virtutibus quoque plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solida stabilitate munita, recuperatis deperditis, & ejusdem terræ statu prospero reparato, occupata restituat, vastata restauret, & restaurata conservet, nobis quoque viam aperiat, idem ipse qui novit, & facultatem tribuat, ipse qui potest: ut sic in præmissis, juxta incensum animi nostri desiderium, sibi ministrare possimus salubriter, quod is verus ejusdem universalis sponsus ecclesiæ, ipsam dilectam suam purgatam maculis, munitam virtutum monilibus ac ornatam, unam semper habeat & formosam, ad sui nominis laudem & gloriam, ad animarum profectum, robur fidei, pacem & exaltationem populi Christiani.

Quia vero prosecutio tanti propositi, tempore indiget, ut deductam maturius, facilius autore Domino effectum debitum sortiatur: prædictum tempus ad idem duximus deputandum. Quocirca universitati vestræ, per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus vos fratres... archiepiscope &... London... Vvynton... Saresburi... Vvygorn. ac... Lincoln. episcopi, reliquis vestrorum episcoporum in vestra provincia remanentibus, ad ea quæ pontificale officium exigunt, tam in vestris, quam illorum dictæ provinciæ qui ad hujusmodi concilium universale accesserint, civitatibus & diœcesibus exercenda, omni negligentia relegata, cunctis, prout talis & tanti negotii qualitas exigit, dispositis & paratis, sic medio tempore accingatis ad iter, quod in hujusmodi decreto termino, quem vobis & aliis peremptorie assignamus, in Viennensi civitate nostra, vos archiepiscope & episcopi superius nominati, personaliter; vos vero alii remanentes, episcopi, clerici, abbates, priores, decani, præpositi, archipresbyteri, archidiaconi & prælati, capitula & conventus, per eosdem archiepiscopum & episcopos, ad prædictum concilium accessuros, quilibet ad omnia quæ in eodem concilio statuentur, fient & ordinabuntur & fuerint opportuna, concedatis plenarie potestatē, de qua sufficienter constet per publica documenta, nostro vos conspectui præsentetis. Quod si forsan ipsis archiep. & episc. accessuris, hujusmodi nolueritis concedere potestatem, eo tamen venire, vel alios procurare idoneos, cum potestate simili ad idem concilium teneamini destinare. Non obstantibus quibuslibet privilegiis, seu indulgentiis, quibuscumque personis, ordini, dignitati seu collegio, sub quacumque verborum forma vel expressione, a præfata sede concessis, per quæ possit effectus hujus-

A modi mandati nostri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari.

Interim quoque per vos & alios viros prudentes, Deum timentes, & habentes præ oculis omnia quæ correctionis & reformationis limam exposcunt, inquirentes subtiliter & consulentes fideliter, eadem ad ipsius concilii notitiam deferatis. Et nos nihilo minus variis modis & viis solers studium, & efficacem operam dare proponimus, ut omnia talia in examen hujusmodi deducta, cōcilii correctionem & directionem recipiant opportunam. Nullus, inobedientiæ notam, & canonicæ ultionis acrimoniam vitare desiderans, fallacium executionum velamento se muniat, vel ex impedimentis itinerū, quæ Domino prava in directa & in B vias planas aspera sua omnipotentia convertente cessabunt, frivolæ allegationis munimenta confingat, ut a tam sancti operis prosecutione se subd[a]... sed occurrant singuli voluntarii ad id quod & Divinæ congruit voluntati & saluti animarum, ac utilitatem respicit singulorum. Datæ Pictavis 2. Idus Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

[a] f. subducat

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Cantuariensi, & suis suffraganeis salutem & apostolicam benedictionem.

FAciens misericordiam cum servo suo Dei filius dominus Iesus Christus, ad hoc nos voluit in specula eminenti apostolatus assumi, ut gerentes, licet immeriti, vices ejus in terris, in cunctis nostris actibus & processibus, ipsius vestigia, quantum patitur C humana fragilitas, imitemur. Sane dudum circa nostræ promotionis ad apicem summi pontificatus initium, etiam antequam Lugduni, ubi recepimus nostræ coronationis insignia, veniremus; & post etiam, tam ibi quam alibi, secreta quorundam nobis insinuatio intimavit: quod magister, præceptores, & alii fratres ordinis militiæ Templi Ierosolymitani, & etiam ipse ordo, qui ad defensionem patrimonii ejusdem domini nostri Iesu Christi fuerant in transmarinis partibus deputati, contra ipsum Dominum in scelus apostatiæ nefandum, detestabile idololatriæ vitium, execrabile facinus Sodomorum, & hæreses varias, erant lapsi. Quia vero non erat verisimile, nec credibile videbatur, quod viri tam religiosi, qui præcipue pro Christi nomine suum sæpe sanguinem ef- D fundere, ac personas suas mortis periculis frequenter exponere credebantur; quique multa & magna, tam in Divinis officiis quam in jejuniis & aliis observantiis, devotionis signa frequentius prætendebant, suæ sic essent salutis immemores, quod talia perpetrarent: hujusmodi insinuationi & delationi ipsorum, ejusdem Domini nostri exemplis, & canonicæ scripturæ doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare.

Deinde vero carissimus in Christo filius noster, Philippus rex Francorum illustris, cui eadem fuerant facinora intimata; non typo avaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil sibi vendicare, vel appropriare intendat, immo ea per deputandos a nobis generaliter, E & per prælatos regni Franciæ specialiter in suis diœcesibus administranda, in regno suo dimisit, manum suam exinde totaliter amovendo; sed fidei orthodoxæ fervore, suorum progenitorum vestigia clara sequens, accensus, de præmissis quantum licite potuit se informans, ad instruendum & informandum nos super iis, multas & magnas nobis informationes per suos nuncios & litteras destinavit. Infamia vero contra Templarios ipsos increbrescente validius, super sceleribus antedictis; & quia etiam quidam miles ejusdem ordinis, magnæ nobilitatis, & qui non levis opinionis in dicto ordine habebatur, coram nobis secreto juratus, deposuit;

ANNO CHRISTI 1309.

deposuit, quod in receptione fratrum præfati ordinis, hæc consuetudo vel potius corruptela servatur; quod ad recipientis, vel ab eo deputati suggestionem qui recipitur, Iesum Christum negat, & super crucem sibi ostensam spuit, in vituperium crucifixi; & quædam alia faciunt, recipiens & receptus, quæ licita non sunt, nec humanæ conveniunt honestati, prout ipse tunc confessus extitit coram nobis: vitare nequivimus, urgente nos ad id officii nostri debito, quin tot & tantis clamoribus accommodaremus auditum. Sed cum demum fama publica deferente, ac clamosa insinuatione dicti regis, necnon & ducum, comitum, & baronum, ac aliorum nobilium, cleri quoque & populi dicti regni Franciæ, ad nostram propter hoc, tam per se, quam per procuratores & syndicos, præsentiam venientium, quod dolenter referimus, ad nostram audientiam pervenisset; quod magister, præceptores, & alii fratres dicti ordinis, & ipse ordo, præfatis & pluribus aliis erant criminibus irretiti, & præmissa per multas confessiones, attestationes, & depositiones præfati magistri, & plurium præceptorum & fratrum ordinis prælibati, coram multis prælatis, & hæreticæ pravitatis inquisitore in regno Franciæ factas, habitas, & receptas, & in publicam scripturam redactas, nobisque ac fratribus nostris ostensas, probari quodammodo viderentur; ac nihilo minus fama & clamores prædicti, in tantum invaluissent & etiam ascendissent, tam contra ipsum ordinem, quam contra personas singulares ejusdem, quod sine gravi scandalo præteriri non poterat, nec absque imminenti periculo tolerari. Nos illius, cujus vices licet immeriti in terris gerimus, vestigiis inhærentes, ad inquirendum de prædictis ratione prima duximus procedendum, multosque de præceptoribus, presbyteris, militibus, & aliis fratribus dicti ordinis, reputationis non modicæ, in nostra præsentia constitutos, præstito ab eis juramento, quod super præmissis meram & plenam nobis dicerent veritatem, super prædictis interrogavimus & examinavimus usque ad numerum septuaginta duorum, multis ex fratribus nostris nobis assistentibus diligenter, eorumque confessiones per publicas manus in authenticam scripturam redactas, illico in nostra, & dictorum fratrum nostrorum præsentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio, in consistorio legi fecimus coram ipsis, & illas in suo vulgari cuilibet eorum exponi, qui perseverantes in illis, eas expresse & sponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt.

Post quæ coram magistro & præceptoribus præcipuis præfati ordinis, intendentes super præmissis inquirere per nos ipsos, ipsum magistrum, & Franciæ, terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, ac Pictaviæ, præceptores majores, nobis Pictavis existentibus mandavimus præsentari. Sed quoniam quidam ex eis sic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad nostram præsentiam quoquomodo adduci: nos cum eis scire volentes de præmissis omnibus veritatem, & si vera essent quæ continebantur in eorum confessionibus; & depositionibus, quas coram inquisitore pravitatis hæreticæ in regno Franciæ, præsentibus quibusdam notariis publicis, & multis aliis bonis viris, dicebantur fecisse, nobis & fratribus nostris per ipsum inquisitorem, sub manibus publicis exhibitis & ostensis, dilectis filiis nostris Berengario, titulo sanctorum Nerei & Achillei, & Stephano, titulo sancti Cyriaci in Thermis, presbyteris, ac Landulpho S. Angeli diacono, cardinalibus, de quorũ providentia, experientia, & fidelitate, indubitatam fiduciam obtinemus, commisimus & mandavimus, ut ipsi cũ præfatis magistro & præceptoribus inquirerẽt, tam cõtra ipsos & alias singulares personas dicti ordinis generaliter, quã cõtra ipsum ordinem, super præmissis cũ diligẽtia veritatẽ, & quicquid super his invenirent, nobis referre, ac eorum confessiones & depositiones, per manum publicam in scriptis redactas, nostro apostolatui deferre, ac præsentare curarent, eisdem magistro & præceptoribus absolutionis beneficium, a sententia excommunicationis, quam pro præmissis, si vera essent, incurrerant, si absolutionem humiliter & devote peterent ut debebant, juxta formam ecclesiæ impensuri. Qui cardinales ad ipsos magistrum & præceptores personaliter accedentes, eis sui adventus causam exposuerunt.

Et quoniam personæ ipsorum & aliorum Templariorum in regno Franciæ consistentium, nobis traditæ fuerant: quod libere absq; metu cujusquam, plene & pure super præmissis omnibus, ipsis cardinalibus dicerẽt veritatem, eis autoritate apostolica injunxerũt. Qui magister & præceptores Franciæ, terræ ultramarinæ, Normaniæ, Aquitaniæ, ac Pictaviæ, coram ipsis tribus cardinalibus, præsentibus quatuor tabellionibus publicis, & multis bonis aliis viris, ad sancta Dei evãgelia ab eis corporaliter tacta præstito juramento, quod super præmissis omnibus meram & plenam dicerent veritatem, coram ipsis singulariter, libere ac sponte, absque coactione qualibet & terrore, deposuerunt, & confessi fuerunt, inter cætera, Christi abnegationem, & spuitionem super crucem, cum in ordine Templi recepti fuerunt; & quidam ex eis se sub eadem forma, scilicet cum abnegatione Christi, & spuitione super crucem, fratres milites recepisse. Sunt etiam quidam ex eis, quædam alia horribilia & inhonesta confessi: quæ, ut eorum ad præsens parcamus verecundiæ, subticemus. Dixerunt præterea & confessi fuerunt, esse vera quæ in eorum confessionibus & depositionibus continentur, quas dudum fecerant coram inquisitore hæreticæ pravitatis. Quæ confessiones & depositiones dictorum magistri & præceptorum, in scripturam publicam per quatuor tabelliones publicos redactæ, in ipsorum magistri & præceptorum, & quorundam aliorum bonorum virorum præsentia; ac deinde interposito aliquorum dierum spatio, coram ipsis eisdem lectæ fuerunt de mandato & in præsentia cardinalium prædictorum, & in suo vulgari expositæ cuilibet eorumdem. Qui perseverantes in illis, eas expresse ac sponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt. Et post confessiones & depositiones hujusmodi, ab ipsis cardinalibus, ab excommunicatione, quam pro præmissis incurrerant, absolutionem flexis genibus, manibusque copulosis, humiliter & devote, ac cum lacrymarum effusione non modica, petierunt.

Ipsi vero cardinales, quia ecclesia non claudit gremium redeunti, ab eisdem magistro & præceptoribus hæresi abjurata expresse, ipsis secundum formam ecclesiæ, autoritate nostra absolutionis beneficium impenderunt: ac deinde ad nostram præsentiam redeuntes, confessiones & depositiones prælibatorum magistri & præceptorum, in scripturam publicam per manus publicas, ut dictũ est, redactas, nobis præsentaverunt, & quæ cũ dictis magistro & præceptoribus fecerãt, retulerunt. Ex quibus confessionibus & depositionibus, ac relatione, invenimus, sæpe fatos magistrũ & fratres, in præmissis, & circa præmissa, licet quosdam ex eis in pluribus, & alios in paucioribus, graviter deliquisse. Verum quia universis mundi partibus, per quas idem ordo diffunditur, ac fratres degunt ipsius, super his non possumus inquirere per nos ipsos: fraternitati vestræ de fratrum nostrorum consilio, per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel quilibet vestrum, videlicet in suis civitate & diœcesi, una cum venerabilibus fratribus nostris patriarcha Ierosolymitano, ac archiepiscopo Eboracensi, Lincolniensi,

ANNO CHRISTI 1309.

si, Cicestriensi, & Aurelianensi episcopis, & dilectis filiis de Lotyngiaco Parisiensis diœcesis,& S. Germani de pratis juxta Parisios, monasteriorum abbatibus, ac magistris Richardo de Vauro canonico Narbonensi, capellano nostro, nostrique palatii auditore causarum, & Guidone de Vichio, rectore ecclesiæ de Hoshe Londoniensis diœcesis, vel octo, septem, sex, quinque, quatuor, tribus, duobus, aut uno ex eis ipsis, quos vobis in hac parte propter negotii magnitudinem duximus adjungendos, vocatis per publicum citationis edictum, per vos & ipsos adjunctos, vel eorum aliquos, seu aliquem, in locis de quibus vobis & eis videbitur faciendum, qui fuerint evocandi, contra singulares personas, & fratres dicti ordinis, in civitatibus & diœcesibus vestris degentes, etiamsi aliunde venerint, vel illuc adducti forsan extiterint, super articulis quos vobis sub bulla nostra inclusos transmittimus, & super aliis de quibus prudentiæ vestræ videbitur expedire, veritatem cum diligentia inquiratis.

Volumus insuper quod inquisitione, seu inquisitionibus hujusmodi factis, per provinciale concilium, contra ipsas singulares personas, & fratres qui in eadem provincia fuerint, seu pro eis super his, de quibus contra eos inquisitum extiterit, absolutoria seu condemnatoria sententia, juxta juris exigentiam proferatur: inquisitore nihilo minus, seu inquisitoribus ejusdem pravitatis hæreticæ, in ipsa provincia per sedem apostolicam deputatis, tam ad dictas inquisitiones, quam ad hujusmodi prolationem sententiæ admissis, si ad eas vobiscum voluerint interesse. Proviso, quod de inquirendo, vel sententiando contra magistrum, præceptorem dicti ordinis in regno Angliæ constitutum, contra quos per certas personas inquiri mandavimus, vos intromittere nullatenus præsumatis. Datæ Pictavis II. Idus Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Certificatorium Londonensis episcopi super citatione concilii.

Reverendo in Christo patri domino Roberto Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo, totius Angliæ primati; Radulphus permissione Divina Londoniensis episcopus, salutem: cum omni obedientia, reverentia, & honore. Litteras vestras recepimus, tenorem qui sequitur continentes.

„ Robertus permissione Divina Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, venerabili fratri R. Dei gratia Londonensi episcopo salutem, & fraternam in Domino caritatem. Injunctum nobis, vobis, & aliis nostræ Cantuariensis provinciæ suffraganeis, necnon & cæteris prælatis ecclesiarum, tam exemptis, quam non exemptis nostræ provinciæ, universis, mandatum apostolicum, ut circa ea, quæ in ecclesia Anglicana correctionis & reformationis limam exposcunt, juxta apostolicarum, quarum vobis copiam alias transmisimus, seriem litterarum, subtiliter inquiramus, & fideliter conscribamus, ad generalis concilii notitiam deferenda, nos compellit provinciale concilium convocare; ut in eo, de eisdem articulis, & aliis quibusdam arduis negotiis, ecclesiam Anglicanam tangentibus, adinvicem pertractemus, faciamus & ordinemus, quod ad honorem Dei & ipsius ecclesiæ cedat, & saluti congruat animarum. In quo sententiæ absolutoriæ vel condemnatoriæ, contra singulares personas ordinis militiæ Templi, in nostra provincia existentes, juxta formam mandati apostolici, dante Domino proferentur. Fraternitati igitur vestræ committimus, & firmiter injungendo mandamus, quatenus venerabiles fratres nostros, episcopos, electos, confirmatos, abbates, priores electivos plenum conventum habentes, abbates supra se non habentes, decanos, præpositos, archipresbyteros, archidiaconos, & capitula, ac collegia universa, necnon & clerum cujuslibet diœcesis nostræ Cantuariensis provinciæ, tam exemptos, quam nõ exemptos, citetis seu citari faciatis peremptorie, quod iidem venerabiles fratres, episcopi, electi, abbates, priores, decani, præpositi, archipresbyteri, archidiaconi, personaliter, prædicta quoque capitula, collegia per unum, clerus quoque cujuslibet diœcesis per duos procuratores idoneos, compareant coram nobis, die Lunæ proximo post festum S. Edmundi regis, in ecclesia S. Pauli London. super præmissis omnibus tractaturi: suum quoque ad ea quæ, inspirante Domino, providebuntur ibidem, pro seipsis & aliis a quibus mittuntur, plenum adhibituri consensum: ulterius quoque facturi & recepturi, cum continuatione & prorogatione dierum, usque ad finem nostri ejusdem concilii, quod fuerit faciendum. Vos enim præmunimus, & cæteros citandos per vos præmuniri mandamus, quod absentes in numero supradicto, nisi propter evidentes causas & rationabiles, de quibus fidem faciant, fuerint impediti, tanquam inobedientes & contumaces, juxta juris exigentiam puniemus. Vos etiam peremptorie citamus ad hoc idem, clerumque vestræ diœcesis per vos citari mandamus in forma superius annotata. Quid autem in præmissis feceritis, nos dictis die & loco certificare curetis per vestras litteras patentes harum seriem continentes: & cæteris nostris suffraganeis antedictis injungatis, ut nos ipsis die & loco certificent per suas patentes litteras, qualiter hoc præsens nostrum mandatum fuerint executi. Datæ apud Vvengham, VI. Non. Octobris, anno Domini MCCCIX. consecrationis nostræ XVI.

Volentes igitur huic mandato parere reverenter, venerabiles fratres vestros episcopos, & tunc electos confirmatos vestræ Cantuariensis provinciæ, peremptorie citavimus, ac per ipsos .... abbates, priores electivos plenum capitulum habentes, abbates supra se non habentes, decanos, præpositos, archipresbyteros, archidiaconos, & capitula ac collegia universa, necnon & clerum singularum diœcesium dictæ vestræ Cantuariensis provinciæ, tam exemptos quam non exemptos, peremptorie citari fecimus seu mandavimus, quod iidem episcopi, electi, abbates, priores, decani, præpositi, archipresbyteri, & archidiaconi personaliter, prædicta quoque capitula, collegia per unum, clerus quoque cujuslibet diœcesis per duos procuratores idoneos, coram vobis compareant die Lunæ proximo post festum S. Edmundi regis, in ecclesia S. Pauli London. super iis quæ in præscriptis litteris vestris continentur tractaturi, suumque ad ea quæ, inspirante Domino providebuntur ibidem, pro seipsis & aliis a quibus mittentur, plenum consensum adhibituri, ulterius quoque facturi & recepturi cum continuatione & prorogatione dierum, usque ad finem vestri concilii, quod fuerit faciendum. Prædictos insuper omnes & singulos præmuniri fecimus, quod absentes in termino supradicto, nisi de evidenti impedimento & rationabili, in ea parte sufficienter fecerint fidem, tanquam inobedientes & contumaces juxta juris exigentiam punietis. Nos vero ad diem supradictum, auxiliante Domino, comparebimus: clerum quoque nostræ diœcesis, ad hoc idem citari fecimus, juxta formam in litteris vestris superius annotatam. Injunximus etiam cæteris suffraganeis vestris antedictis, ut vos similiter ipsis die & loco certificent per suas patentes litteras, qualiter dictum mandatum vestrum fuerint executi. In cujus rei testimonium has litteras patentes, reverendæ paternitati

Anno Christi 1310.

paternitati vestræ transmittimus, sigillo nostro signatas. Datæ apud Stebbenheth nono Kalend. Decembris, anno Domini MCCCIX.

CONCILIVM SALTZBVRGENSE I.

Causa decimarum sedi Apostolicæ solvendarum, habitum anno Domini MCCCX. tempore Clementis papæ V.

ANno Domini MCCCX. convocato provinciali concilio Saltzburgi, & proposita ibidem petitione domini Clementis papæ quinti, concordaverunt omnes in hoc, quod summa decimæ duorum annorum, si qua fuerit, vel esse potuerit persolvenda, solvi debeat summo pontifici in terminis infrascriptis: ita dumtaxat quod primus terminus solutionis faciendæ de primo anno, qui incipiet in isto proximo festo sancti Georgii, sit in proximo futuro festo beati Martini: & secundus terminus solutionis faciendæ ejusdem anni, sit in proximo subsequenti festo S. Georgii: & primus terminus secundi anni, sit in alio subsequenti festo sancti Martini: secundus vero terminus & ultimus, sit post hoc in subsequenti festo sancti Georgii: & quod decimam dabit de omnibus possessionibus, bonis, & redditibus, & beneficiis ecclesiasticis. Hæc de eis quæ beneficiorum intuitu possident, expensis necessariis deductis. Necessarias vero expensas esse dixerunt, quas stando, colendo, colligendo & conservando impendant, sine quibus res subsistere non potest. Et quod ecclesiæ, quarum redditus pro majori vel pro media parte in obligationibus, legatis & testatis consistunt, de iisdem obligationibus legatiæ seu testati decimam solvere teneantur. Item capitula, collegia, seu conventus, in communi de suis redditibus decimabunt. Item si quis ex uno beneficio sex marcarum argenti ponderis* propriæ redditus dumtaxat, eos non decimabunt: ultra vero si habuerit, decimas inde solvet. Aut si plura beneficia habuit, quæ conjuncta prædictarum marcarum excedant numerum, de ambobus insimul decimabunt. Hospitalis vero & domus leprosorum, cum annexis sibi ecclesiis, super quibus fundata sunt, decimas non præstabunt. De infirmariis, vestiariis, sacristiis, & hospitalibus religiosorum non decimabitur, nisi si ultra provisiones necessarias de illis officiis exhibendas, esset excessus reddituum illorum officiorum: tunc de illo residuo fiet decimatio communi decimæ apponenda. Pastores vero & vicarii insimul, vel quilibet pro parte sua, decimabunt: ita tamen, quod plene de omnibus redditibus ecclesiæ decima persolvatur. Ordinarii personas providas deputabunt, qui eamdem decimam colligent & servabunt. Et si nuncius domini apostolici eisdem unum aut plures voluerit adjungere, suæ relinquatur optioni. Præterea sub juramento solventium decima persolvatur. Item ordinarii subjectos ad solutionem decimæ istius per censuram ecclesiasticam poterunt coarctare. Item decima fiat de bonis ecclesiarum, hac taxatione præmissa, ut tempus æstimationis solvendæ decimæ bladi & vini, sit inter festum sancti Michaelis & sancti Martini. De caseis autem solvatur decima, sicut prælati consueverunt denaria suis rusticis loco caseorum recipere, in festo S. Georgii secundum jus & terræ consuetudinem.

CONCILIVM SALTZBVRGENSE II.

Quo statuta quædam pœnalia declarantur, anno Domini MCCCX. celebratum tempore Clementis papæ V.

Declarationes statuterum in concilio provinciali domini Conradi archiepiscopi Saltzburgensis, anno MCCCX.

PRÆFATIO.

NOs Conradus Dei gratia sanctæ Saltzburgensis ecclesiæ archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, Vvernhardus Pataviensis, Ioannes Brixinensis, Henricus Gurcensis, Albertus Chymensis, Fridericus Secovensis, Vvernhardus Laventinensis, ecclesiarum episcopi, in hoc sacrosancto provinciali concilio Saltzburgensi congregato*, de consilio & consensu procuratorum venerabilium Frisingensis & Ratisponensis episcoporum, plenum ad hoc mandatum habentium, ac assensu prælatorum Saltzburgensis provinciæ in hoc concilio aggregatorum, necnon procuratorum assensu, hujus sacri approbatione concilii, quædam statuta pœnalia priorum provincialium conciliorum ex certis & legitimis causis, ut animarum periculum caveatur, taliter duximus moderanda.

*f. congregati,

CAPITVLA.

I. *De clericis tabernariis.*

PRimo statutum de clericis tabernariis, quod incipit, *Clericus non viator*, cum hoc moderamine declaramus, quod causæ rationabiles & honestæ intelligi debeant istæ*: quod si clericus non viator in sacris constitutus, aut religiosus, tabernam intraverit ad honorandum quempiam amicum, dominum, aut quamcumque honorabilem personam, vel si impræmeditate intret, oblitus constitutionis, seu ex quacumque necessaria vel utili causa, non voluptuosa, ibique biberit vel comederit, pœna statuti præhabiti non ligetur. Hæc tamen moderatio ad lusores non extendatur.

* Conc. Saltzburg. an. 1274. c. 12.

II. *De rationibus a prælato faciendis & audiendis.*

Item statutum de rationibus faciendis, quod incipit,* *Item ne*, taliter mitigamus, quod revocata pœna suspensionis ab ingressu ecclesiæ, prælatus qui collegio aut tribus per collegium deputatis saltem semel in anno non fecerit rationem, & a claustri officialibus præsentibus aut vicinis claust. bis, & a remote distantibus semel in anno non audierit rationes, ab administratione temporalium sit suspensus: quam suspensionem si per tres menses post annum rationibus deputatum sustinuerit animo indurato, extunc arbitrio ordinarii puniatur.

* Concil. Saltzburg. ann. 1281. c. 2.

ANNO CHRISTI 1310.

III. *De clericis ioculatoribus.*

Item juxta constitutionem domini Bonifacii, quæ est talis: Clerici qui clericali ordini non modicum detrahentes, se joculatores seu galiardos faciunt, aut buffones, si per annum artem illam ignominiosam exercuerint, ipso jure; si autem tempore breviori, & tertio admoniti non resipuerint, careant omni privilegio clericali: monemus hujus approbatione concilii, omnes & singulos tales, ut talem habitum & vitam non assumant, & assumptam deponant infra tres menses, quorum unum pro primo, alterum pro secundo, & tertium pro tertio termino peremptorio assignamus: si pœnam prædictam, quam ipso facto incidunt, voluerint evitare.

IV. *De capitulis celebrandis a monachis S. Benedicti & S. Augustini.*

Item monemus abbates ordinis sancti Benedicti, & præpositos & prælatos sancti Augustini totius nostræ provinciæ, ut provincialia capitula sua, usque ad festum Purificationis proxime futurum celebrent, juxta formam a sacris canonibus eis datam, & deinde de triennio in triennium, juxta formam sacrorum canonum jam prædictam.

Clementis V. constitutio, qua Bonifacii VIII. constitutionem Clericis *mitigat.*

Clemens, &c. Pastoralis cura solicitudinis nobis divinitus super cunctas Christiani populi nationes injuncta, nos vigilare, remediis, subjectorum eorumdem periculis obviare, ac scandala removere compellit. Sane quoniam ex constitutione fe. re. Bonifacii PP. VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit: *Clericis laicos*: & ex declaratione seu declarationibus ex illa postmodum subsecutis, nonnulla scandala, pericula magna, & incommoda gravia sunt secuta, & ampliora sequi, nisi celeri remedio succurratur, præsumitur verisimiliter in futurum: nos de consilio fratrum nostrorum, constitutionem & declarationem, seu declarationes prædictas, & quidquid ex eis secutum est, vel ob eas, penitus revocamus, & eas haberi volumus pro infectis: volentes & firmiter statuentes, illud contra quoscumque laicos exigentes seu extorquentes ab ecclesiis, ecclesiasticisque personis, tallias seu collectas, aut exactiones quascumque, & contra dantes ad id faciendum auxilium, consilium vel favorem, necnon circa præstandas subventiones laicis ab ecclesiarum prælatis, & aliis viris ecclesiasticis, inviolabiliter observari, quod super his a prædecessoribus nostris in Lateranensi & generali concilio, quæ nos sub obtestatione Divini judicii præcipimus observari districte, salubriter est provisum.

[a] Clementin cap. vn. *Quoniam.* De immun. eccles.

Data [a] Lud. Kalendis Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

[a] Lugduni.

ADMONITIO G. COSS. S. I.

Conradi Salisburgensis episcopi constitutiones tres, & mitigationem primæ, quæ est de contractibus matrimoniorum, ediderat Binius in appendice tomi tertii: & constitutiones quidem attribuendas monuerat concilio Salisburgensi anni MCCXCI Mitigationem vero huic, anni MCCCX. quod nos in hac editione servamus. Qui vero regiæ præfuit, sive Binii mentem assecutus non est, sive non est eidem obsecutus, in hunc eundem annum, & Constitutiones & Mitigationem contulit. Quod falsi arguitur ex ipsis Mitigationis verbis: *Constitutionem* inquit, *de clandestinis matrimoniis dudum per nos editam, quæ incipit, Contractibus matrimoniorum.*

MITIGATIO SEU MUTATIO POENÆ super cap. *Contractibus* [a] *matrimoniorum.*

[a] Vide sup. pag. 1359.

SAluti animarum paterna solicitudine cavere volentes, constitutionem de clandestinis matrimoniis dudum per nos editam, quæ incipit, *Contractibus matrimoniorum*, &c. taliter ex certis causis duximus moderandam.

Hæc moderatio, seu mitigatio non est in codice Canisiano.

Tollimus quidem, & sublatam esse decernimus, pœnam excommunicationis, quoad omnes articulos constitutionis ejusdem, & quod statutum ipsum alias sub vi præcepti maneat in vigore suo: absolutionem autem illorum, qui ante sublationem, hujusmodi pœnam inciderunt, eamdem [a] committimus plebanis, ut eisdem, & qui in posterum contra constitutionem prædictam venerint, injungant stare ad modum pœnitentium ante fores ecclesiæ tribus diebus Dominicis, vel festivis, quando major adest populi multitudo, eosque, qui in hoc contumaces extiterint vel rebelles, puniant ipsi plebani pro facultate cujuslibet, in aliqua pœna pecuniaria competenti, custodi ad fabricam nostræ ecclesiæ cathedralis Saltzburgi sub certo testimonio assignanda. Et quod circa eosdem plebanos in singulis capitulis & synodis, tam nostris, quam archidiaconorum nostrorum, de hoc inquisitio diligens habeatur: & ad nostram notitiam perferatur plebanorum negligentia in hac parte.

Corr. [a] eorumdem

*** CONCILIUM COLONIENSE

Ad Henrico archiepiscopo cum suffraganeis celebratum anno MCCCX.

TITULI STATUTORUM.

ANNO CHRISTI 1310.

Statuta concilii provincialis domini Henrici, sanctæ Coloniensis ecclesiæ archiepiscopi, sacri imperii per Italiam archicancellarii, edita per eum anno Domini MCCCX.

PRÆFATIO.

AD honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ac gloriosæ virginis Mariæ, atque S. Petri, ac omnium Sanctorum. Nos Henricus, Dei gratia archiepiscopus Coloniensis, cupientes in hoc concilio nostro provinciali, de mandato speciali sanctissimi in Christo patris ac domini nostri Clementis, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summi pontificis, indicto, de capituli ac prælatorum nostrorum consilio & assen-

A su, per infra scripta statuta nostra omnibus paterna solicitudine providere: ut quies ecclesiis & ecclesiasticis personis procuretur, & pacis perturbatores a suis delictis pœnæ formidine arceantur, infra scriptas constitutiones observandas perpetuo, in præsentiarum duximus promulgandas.

I. *De revocatione statutorum contra libertatem ecclesiasticam factorum.*

IN primis cum ad decus & decorem ecclesiæ nihil magis expediat, quam ut B expurgatis erroribus, & statutis iniquis sublatis, ipsa plena quiete vigeat & secura gaudeat libertate: præcepta sacrorum canonum imitantes, omnia statuta, pacta, & ordinationes, contra libertatem ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum edita seu editas, damnamus, reprobamus, & cassamus, & irrita seu irritas nunciamus: mandantes universis nostræ diœcesis & provinciæ subditis, ut ea a locis suis intra mensem a notificatione præsentium faciant penitus aboleri: & locorum plebani moneant subditos diebus Dominicis & festivis, nominatim quos in his culpabiles sciverint, alios in genere, quatenus hujusmodi C de facto statuta, de facto revocent: alias eos ad id per excommunicationis sententiam volumus coarctari. Verum quia intelleximus, quod in nonnullis locis laici (qui non contenti de propria ipsorum impietate & malevolentia, etiam alios Christi fideles a sua devotione & bonis operibus retrahere moliuntur) statuerunt & statuunt sub certa conspiratione & confœderatione, ne quis de cætero ecclesiis, ecclesiasticis seu religiosis personis, bona, prædia, districtus, jura & dominia aliqua, vendat, leget aut D donet, vel quovis titulo in eos transferat, vel in nuptiis aut exequiis mortuorum, aut alias sacerdotibus parochialium ecclesiarum & aliarum offerant, nisi sub certo numero personarum & certo tempore Missæ seu inter se taxant quid quilibet offerre debeat, contrarium facientibus pœnas pecuniarias infligendo: & quia hæc obviant directe ecclesiasticæ libertati: conspirationes, colligationes, & ordinationes hujusmodi, seu fœdera, & facta, & deinceps, si contigerit, facienda, decerni- E mus non tenere, nec aliquem fore vel esse debere ad eorumdem observantiam obligatum.

Item statuta & consuetudines a laicis, cujuscumque status aut conditionis existant, introducta seu introductas, super eo quod dicti laici, antiquarum decimarum occasione, quas in aliquibus parochiis, vel largitione principum, aut donatione aliorum,

ANNO CHRISTI 1310.

seu alia de causa percipiunt, decimas novalium in terris propriis, quibuslibet parochiis obvenientes occupant, attrahunt, vel sibi vendicant, revocamus & cassamus: statuentes & præcipientes, ut præfati laici & quicumque alii, ab occupatione, detentione, vel usurpatione earumdem decimarum novalium, postquam ad agrum regium pervenerint, seu perveniunt, penitus desistant, & de ablatis satisfaciant, tam nobis, quam ecclesiis, ecclesiasticisque personis, quibus ipsæ decimæ novalium de jure competere dinoscuntur: easdem decimas nobis, & ecclesiis ad quas pertinent, de cætero possidendas pacifice relinquentes.

II. *De occisoribus, mutilatoribus, & captivatoribus clericorum.*

Item statutum * venerabilis quondam Engilberti Coloniensis archiepiscopi prædecessoris nostri, contra injectores manuum in clericos, ecclesiasticasve personas, olim per ipsum editum, cum pœnæ majoris adjectione contra captivatores clericorum, observari volentes: statuimus, ut cum sacrilegi, qui suadente diabolo, Dei timore postposito, manus injiciunt in clericum, vel alias personas ecclesiasticas & religiosas, temere violentas, & ex hoc incidunt excommunicationis sententiam canonis jam prolati, quod occisores, mutilatores, & percussores atrociter clericorum & ecclesiasticarum personarum, & clericos capientes & in captivitate detinentes, seu per captivitatem, aliquam pecuniam ab eis extorquentes, seu talium receptatores & defensores, propter hoc autoritate canonis latæ sententiæ excommunicati, cum omnibus operam & consilium ad præmissa adhibentibus, per omnes ecclesias diœcesis, in qua hujusmodi perpetrantur, per decanos ecclesiarum, rectores & presbyteros, quamprimum ipsis hoc per famam publicam, vel rei evidentiam, vel per fidem duarum fide dignarum personarum ipsis faciendam, aut per mandatum seu sententiam judicis constiterit, campanis pulsatis & candelis accensis, nominatim, quorum nomina sciri poterunt, alias in genere, excommunicati publice nuncientur, & arctius evitandi, donec satisfecerint de commissis, & debitæ absolutionis beneficium meruerint obtinere. Præterea in aggravationem pœnæ hujusmodi malefactorum, statuimus, ut omnis locus ad quem tales excommunicati venerint, vel ipsos clericos deduxerint, quamdiu ipsi captivatores & captivati ibidem fuerint, & post tres dies post eorum inde recessum, necnon locus in quo talis violentia facta fuerit, quem quidem locum, seu ecclesiam,

* cap. 1. vide sup. ann. 1266.

A aut ecclesias, in his scriptis ecclesiastico supponimus interdicto, & interdicti teneantur. Et si hujusmodi sacrilegi, seu malefactores, principes, nobiles, seu barones fuerint, & terram, jurisdictiones, districtum, munitiones, seu castra habuerint, & intra tres menses a tempore perpetrati delicti, etiam captivatis dimissis, non satisfecerint de delicto, extunc tota terra & districtus eorum, quos post lapsum dictorum trium mensium simili modo interdicimus, ecclesiastico, ipso facto, sit supposita interdicto. B Si autem alii fuerint quam nobiles & terrarum domini: tunc ipsi domini terræ, in quorum districtibus manent & domicilium habent sacrilegi ante dicti, vel ubi tam enorme scelus commissum extiterit, intra quindecim dies postquam de delicto hujusmodi constiterit per famam publicam, vel evidentiam facti, vel per denunciationem decani, seu presbyteri (quam ab ipso decano, seu presbytero loci, fieri præcipimus sub pœna excommunicationis, quam cito per famam, querimoniam alicujus, rei evidentiam, aut alio modo ipsis constiterit) C præfatos sacrilegos tales habeant per detentionem personarum suarum & privationem bonorum suorum, ut liberato captivo, Deo, ecclesiæ, & læso emendam præstent de commissis. Si vero dicti domini terrarum, præfatos sacrilegos habere nequiverint, nec bona sub eis habuerint, sed alias commanere in eorum districtibus consueverint: procedant per proscriptionem contra eos, de terra sua ipsos expellendo, & per justitiam seu judices suos id fieri mandent & procurent. Alioqui statuimus, quod ex- D tunc ipsi domini terræ & eorum judices, & alii per quos regitur jurisdictio sæcularis, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto: & si per quindenam, dictam excommunicationem animo sustinuerint indurato, extunc tota terra eorum ecclesiastico sit supposita interdicto. Præterea ne per mutationem locorum, præfati sacrilegi hujusmodi possint malitiam palliare: volumus quod si ipsi sacrilegi, de una diœcesi ad aliam in nostra provincia se transferant, vel capti- E vos prædictos deduxerint, quod ad requisitionem diœcesani, in cujus diœcesi hæc perpetrata sunt, vel ejus officialis, seu amicorum captivatorum seu captivati, facta ordinario loci, seu diœcesano alterius ad quem se sic transtulerint, fide per mandatum seu juramentum de præmissis, statuta eadem in omni forma, qua supra dicitur, inibi observentur. Si vero domini terrarum, vel alii nobiles, & jurisdictiones temporales habentes, fuerint malefactores ante dicti: capellani eorum, si quos habent, quamprimum sciverint dominos suos clericum captivasse,

ANNO CHRISTI 1310.

ANNO CHRISTI 1310.

detinere in munitionibus aut dominiis suis, vel capi mandasse, vel aliquid aliud de præmissis fecisse, amodo coram ipsis non celebrent Divina: sed ut de delicto commisso intra quindecim dies satisfaciant, ipsos admoneant diligenter. Alioqui extunc ab eis, & mansionibus eorum recedant, nec eis communicent. Contrarium facientes, quos in his scriptis extunc excommunicamus, excommunicatos volumus nunciari. Et si contra hæc Divinis se immiscuerint, notam irregularitatis incidendo, & in ea permanserint per annum unum animo indurato: ipsos extunc beneficiis ecclesiasticis (quæ in diœcesibus in quibus manent, obtinent) ipso facto decernimus privatos esse, & eosdem ipsis beneficiis privamus per præsentes: injungentes beneficiorum patronis, quod extunc aliis personis idoneis beneficia hujusmodi conferant, quibus iidem sunt privati. Alioqui termino juris elapso, potestas conferendi dicta beneficia ad superiorem devolvatur. Si vero dicti irregulares, beneficia non habent in diœcesibus, in quibus manent, ipsos ab eisdem diœcesibus perpetuo eliminamus & amovemus: ipsos etiam, tametsi per importunitatem suam absolutionem obtinerent, de cætero ad aliqua officia, vel beneficia ecclesiastica, nullatenus admissuri.

Præterea si captivans clericum vel religiosum, vel detinens, ac sacrilegus, hujusmodi pœnis vilipensis, congrua satisfactione neglecta, per annum unum in excommunicatione hujusmodi perdurare animo præsumpserit obstinato: statuimus, ut nulli de filiabus, filiis, fratribus & sororibus, & eorum filiis & filiabus, usque ad tertium gradum inclusive linea descendente, vel illi etiam, qui ad captivitatem hujusmodi, opem vel operam impenderint, vel captivum clericum in suis vinculis detinuerint, ad ordines seu beneficia, aut etiam prælaturas, in nostra diœcesi, seu alia in qua hæc fecerint, admittantur: cum ex delicto parentum, ipso facto inhabiles reddantur ad hujusmodi consequenda. Statuentes & mandantes examinatoribus clericorum, capitulis, conventibus, patronis, & archidiaconis ac prælatis, ut nullum ex talibus ad ordines admittant; capitulum vero & conventus, nullum ex eis ad præbendas eligant; patroni nullum ex ipsis præsentent; archidiaconi & prælati tales non investiant ullo modo. Alioqui capitula & conventus, patroni & archidiaconi ac prælati, ipso facto jus suum amittant, & ea vice ad proximum superiorem devolvatur. Et nihilo minus talium personarum receptio, investitura, & admissio, sit irrita ipso facto, nec ipsis jus quæratur in beneficiis sic adeptis. Feuda etiam, si qua prædicti sacrilegi ab ecclesiis vel ecclesiasticis personis tenuerint, post lapsum anni, per quem excommunicationem sustinuerint, ad ecclesias & personas ecclesiasticas libere revertantur: ita ut, si ipsi sacrilegi ultra se de hujusmodi feudis ingesserint, contra eos tanquam contra invasores ecclesiæ, procedatur.

Verum cum futuris periculis sit maturis remediis obviandum, ne post vulneratam causam ad remedium difficilius in bonis recurratur: de clericis clericos capientibus, aut capi mandantibus, aut adversus ecclesiam se hostibus ecclesiæ associantibus, ecclesiasque invadentibus, ut contra sacrilegos hujusmodi, perfectius quo poterit, procedatur: statuimus, ut si qui clerici & prælati beneficiati, cujuscumque dignitatis, status, aut conditionis existant, bono opere spirituali rejecto, in tam præsumptuosam & detestabilem profunditatem malorum dilabuntur, quod clericos religiosasve personas capiunt, vulnerant & detinent captivatos, aut contra ecclesias suas cathedrales, aut alias, quarum prælati, canonici, vel rectores existunt, cum hostibus ipsarum ecclesiarum se confœderant, vel in acie hostium contra suos diœcesanos & ecclesias armati comparent, archiepiscopos & episcopos, & ecclesias suas, & collegia, seu capitula vel bona earundem rapiunt, vel capi faciunt, aut mandant, detinent vel detineri mandant, seu arrestari procurant, per abusum & judicium potentiæ sæcularis, dum hæc vel eorum aliquod, per evidentiam facti vel sceleris perpetrati, aut per confessionem propriam coram duobus testibus fide dignis factam, aut judicis sententiam, vel alio modo legitimo liquent, quos, salva pœna canonis, extunc, ut exnunc, absque alterius mandati expectatione, excommunicationis sententiam, quam in his scriptis propter hoc tanquam delictum notorium in eos ferimus, incurrere volumus ipso facto. In qua quidem sententia si per annum unum perseveraverint animo indurato, cum tanto gravius clerici, cujuscumque status, dignitatis aut conditionis existant, hujusmodi committentes, sint puniendi, quanto hæc sunt in ipsis magis detestanda & tanquam * ingrati. Cum autem ecclesias proprias invaserint, dignitates, personatus & beneficia sua admittere debeant, seu ea demeruerint, extunc post lapsum anni, absque judicis sententia, dignitatibus, beneficiis, personatibus, & omnibus quæ in diœcesi, in qua præmissa vel eorum aliquod commiserint, habent & obtinent, virtute & autoritate præsentis concilii nostri, ipso facto sint privati: quos etiam ex causis præmissis privamus eisdem, absque spe restitutionis ad ipsa, pro-

ANNO CHRISTI 1310.

pter atrocitatem criminis in hoc casu: mandantes, ut de ipsis dignitatibus, personatibus & beneficiis, per illos ad quos hoc spectat, extunc ordinetur, & conferantur personis aliis intra tempus juris: alioqui eorum collatio ad superiorem devolvatur. Et si ante dicti clerici sic privati, non obstante quod forsan de facto dignitates & beneficia habent, adhuc detinent, & patroni de ipsis negligunt ordinare, post hæc se ingesserint dignitatibus, personatibus, & beneficiis eisdem: fructus suos non faciant, nec actus eorum capitulares cuiquam suffragium præstent vel afferant nocumentum. Clericos vero hujusmodi committentes non beneficiatos, ex tunc ut ex nunc excludi volumus & inhabiles existere ad dignitates, personatus, officia & beneficia quælibet, in diœcesi, in qua talia perpetraverint.

III. *Ne quis laicus exactiones ecclesiis imponat ratione advocatiæ quam super bonis ecclesiasticis habet.*

Monemus item omnes nobiles terrarum dominos, scabinos, consules, judices sæculares, & universitates, ac alios laicos, cujuscumque status existant, ne de cætero occasione advocatiarum, quas quidam ex eis super bona ecclesiastica habent, vel quocumque alio nomine vel colore ad hoc quæsito, tallias, collectas, exactiones, petitiones, assisias, contributiones, servitia indebita, & ultra quam jus advocatiæ, juxta scabinorum sententiam, ubi advocati sunt, permittit, ipsis ecclesiis ecclesiasticisve personis, hominibus, mancipiis, & bonis earundem imponant, vel imponere, exigere, aut recipere præsumant, vel quo minus bona ecclesiastica colantur, & ipsæ ecclesiæ eisdem pacifice fruantur, per arrestationem vel prohibitionem aut alias prohibeant, ne bona ecclesiarum colant, vel homines suos dum in expeditionibus suis vadunt, vel alio modo procedunt, in grangiis & curtibus earumdem ecclesiarum & monasteriorum ponant: alias contra ipsos volumus procedi per sententiam excommunicationis, quousque satisfaciant de commissis.

IV. *De invasoribus & occupatoribus & detentoribus rerum & bonorum ecclesiasticorum.*

cap. 24. Vide sup. ad ann. 1266. Item statutum prædecessoris nostri Engilberti quondam Coloniensis archiepiscopi, quod sic incipit: Atque ad reprimendum importunam præsumptionem raptorum, prædonum & invasorum bonorum & rerum ecclesiarum, &c. innovantes ex nunc de verbo ad verbum, prout in eodem continetur, volumus & præcipimus firmiter observari. Similiter & statutum ejusdem nostri (cap. 2. ibid.) prædecessoris Engilberti, de effractoribus & incendiariis ecclesiarum, quod sic incipit: Contra incendiarios autem & effractores ecclesiarum & monasteriorum, cum ipso facto sint excommunicati, &c. prout in eodem statuto continetur, innovantes, volumus & præcipimus observari.

V. *De occupantibus bona ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum, & legata fabricæ ecclesiæ Coloniensis.*

Cum nonnulli tam clerici quam laici utriusque sexus homines, bona mobilia vel immobilia, ad ecclesias, monasteria vel alia pia loca, necnon ad dignitates, personatus & beneficia pertinentia, vel ad fabricam Coloniensem, & aliarum ecclesiarum legata, seu bona illicite acquisita, ipsi fabricæ cedentia, tacite vel expresse occupent & detineant minus juste, in fraudem ecclesiarum & monasteriorum, ac aliorum prædictorum: nos eorum in hac parte fraudibus obviare volentes, statuimus & præcipimus, ut quicumque, cujuscumque status aut conditionis existant, in præsenti, vel pro tempore, hujusmodi bona & legata, ac illicite acquisita, ecclesiis, prælatis & clericis scientibus vel ignorantibus, sub se habuerint, intra mensem a præsentis statuti publicatione, ea, quæ ad præsens apud eos sunt, & se habere sciunt, vel quocumque tempore, dum innotuerit ipsis se bona consimilia tenere vel occupare, similiter intra mensem, eisdem fabricæ nostræ Coloniensi & ecclesiis, monasteriis, prælatis, ecclesiarum rectoribus, aut aliis locis piis restituant atque reddant: alias ad id extunc per excommunicationis sententiam compellantur.

VI. *De vita & honestate clericorum.*

Statutum item bonæ memoriæ Sifridi quondam Coloniensis archiepiscopi prædecessoris nostri, inter alia statuta sua, de vita & honestate clericorum editum, quod sic incipit, Ex concilio generali statuimus & præcipimus, ut universi clerici continenter & caste vivant, &c. innovantes, præcipimus firmiter observari. Vide pag. 1107.

VII. *De vicariis, quoad versus & lectiones in matutinis.*

Intelleximus etiam, quod quamquam in quibusdam ecclesiis vicarii aliqui adstricti sint suas septimanas servare, celebrando Missas in principali seu summo altari, & cæteras horas quascumque, lectiones tamen in matutinis legere, vel versus cantare in eisdem ecclesiis de consuetudine prohibentur. Propter quæ, occasione canonicorum absentium contingit interdum, in eisdem eccle-

ecclesiis negligentias fieri, & matutinas cum A cantu penitus prætermitti. Attendentes igitur absurdum esse, quod majora & solemniora, ut est dictum, ipsis vicariis permittantur, utpote Missarum celebratio in summo altari, & minima denegentur: ad tollendam negligentiam hujusmodi, præcipimus decanis, ut ipsi vicariis eisdem deinceps injungant versus cantare & lectiones legere, prout viderint expedire: eos qui ipsis in hoc non paruerint, sicut in cæteris, corrigendo: salva correctione contra canonicos, qui in præmissis fuerint negligentes.

VIII. *De ætate presbyterorum ordinandorum.*

Statuimus item, ut nullus clericus sæcularis ad sacerdotii gradum, nisi vigesimum quintum annum ætatis suæ attigerit, aliasque ad hoc idoneus extiterit, ordinetur: ut levitate juvenili, quæ prona est ad delictum, transcursa, sacerdotes in agendis discretionem habeant suo statui congruentem.

IX. *De concubinariis clericis.*

Quanquam item plures canones & statuta edita sint super continentia clericali: quia tamen natura prona est & labilis ad incontinentiam, idcirco ut quilibet clericus saltem pœnæ gravioris formidine strictius se contineat: statuimus, ut nullus clericus, & nullus omnino presbyter, concubinam vel in domo sua, vel extra, publice teneat aut habeat, cui necessaria administret. Alioqui a Divinis noverit se suspensum: & talibus suspensis celebrantibus, nullus Divina audiat, nec pro capellanis nec sociis eos teneat: contrarium facientes, ut desistant, per excommunicationis sententiam arceantur: salvis pœnis per bonæ memoriæ Conradum archiepiscopum Coloniensem prædecessorem nostrum, contra concubinarios & concubinas hujusmodi institutis. Qui vero relaxatis volutatum* habenis, in lacum miseriæ & inlutum fæcis se immergunt, ut* salutis æternæ coronam & honestatis normam, & sacrarum virginum pudicitiam violare præsumpserint, cujuscumque regulæ vel habitus monialium tales extiterint: propter tam flagitiosum crimen, si carnis commercium temerarium fuerit subsecutum, excommunicationis sententia, quam in his scriptis ferimus, se noverint innodatos. Sanctimoniales vero, quæ hujusmodi crimen flagitiosum perpetraverint, nullatenus deinceps ad officium aliquod in monasterio admittantur: sed in signum iniquitatis suæ (salvis pœnis contra tales sanctimoniales editis, prout hæ in concilio venerabilis patris domini Conradi Portuensis & S. Rufinæ episcopi, olim apostolicæ sedis per Alemanniam legati,

cap 1. vide ad ann. 1225.

* f. volutatum
* f. & sal.

13. ibid.

sunt promulgatæ) taliter a suis superioribus corrigantur, quod earum correctio aliis terrorem incutiat ea amplius non committendi.

X. *Quod clericis publica emenda & pœnitentia non sit imponenda.*

Item cum clericis publica actio pœnitentiæ sit prohibita: statuimus ut in nulla ecclesiarum nostræ civitatis, diœcesis, & provinciæ, aliqua emenda seu pœnitentia publica ipsis imponatur, cum ex talibus infames reddatur, B sicut in aliquibus ecclesiis intelleximus observatum: videlicet quod canonici & clerici alii ante cruces in processionibus & in choro, diebus quibus cæteri in albis procedunt, in nigris cappis circumeunt & incedunt in publico & in facie laicorum: quod de cætero in virtute sanctæ obedientiæ fieri prohibemus. Sed superiores eorum juxta qualitatem delicti, pœnitentias ipsis clericis imponant suo ordini congruentes. Si secus actum fuerit, decernimus ipsos clericos ad hujusmodi emendas publicas non teneri. C

XI. *Quod non nisi ordinati ad sacros ordines, legant epistolas vel evangelia.*

Statuimus item, ut non nisi ordinati legitime ad sacros ordines, epistolas vel evangelia legant, induti vestimentis sacris, cum id obviet canonicis institutis. Contrarium facientes a suis decanis puniantur.

D XII. *Quod nullus ecclesiam curatam teneat, nisi ab episcopo vel archidiacono instituatur.*

Item statuimus, quod nullus ecclesiam curatam de cætero teneat, vel regendam suscipiat, aut susceptam tenere præsumat, nisi a nobis, vel archidiacono, & eorum vices gerentibus (quibus hoc de jure vel consuetudine competere dinoscitur) de eadem fuerit legitime institutus: cum alias non habeat claves ligandi vel solvendi. Contrarium faciens, nisi dictam ecclesiam dimittat, monitione viginti dierum præmissa, ex nunc excommunicationis sententiam, quam E in ipsum in his scriptis ferimus, incidat ipso facto, nec plebs ei obediat vel intendat.

XIII. *Quod provisi de beneficiis autoritate apostolica, se faciant iuxta formam provisionis ordinari.*

Statuimus etiam, ut quibus in nostra civitate est de beneficiis autoritate apostolica provisum, sic quod ad ea, prout onus beneficiorum eorundem requirit, promoveri teneantur, se faciant juxta formam provisionis eorundem ad dicta beneficia promoveri: alio-

alioqui ea vacare decernimus, & eorundem collationem devolvi ad superiorem, ut per ipsum intra tempus juris de personis aliis ordinetur. Et si contra hæc clerici hujusmodi fructus eorundem beneficiorum perceperint: illos suos non faciant, nec ipsis ministrentur. Quod in virtute sanctæ obedientiæ duximus injungendum.

XIV. *Quod fructus canonicorum suspensorum decedentium, cedant ecclesiæ, & non successoribus suspensorum.*

Statuimus & hoc, ut si qui canonici suspensi decesserint, quod propter hoc, ecclesiæ, annis gratiæ, & eorum fructibus post obitum cujuslibet ex consuetudine currentibus, non fraudentur: sed ipsis ecclesiis, & non successoribus suspensorum, cedant pro redditibus perpetuis comparandis ad communem utilitatem ecclesiarum: ne ecclesiæ ipsæ ex alieno delicto jacturam sentiant in hoc casu.

XV. *Quod clericus non leget concubinis suis vel spuriis annum gratiæ suæ.*

Nullus item annis gratiæ abutens, fructus annorum suorum spuriis vel concubinis suis leget aut donet. Contrarium faciens ecclesiastica careat sepultura: & legatum hujusmodi non teneat in hoc casu, sed cedat ecclesiæ a qua processit. Item vicarii ecclesiarum collegiatarum, vel aliarum ecclesiarum, ad ordinem quem onus beneficiorum suorum requirit, a tempore susceptorum beneficiorum promoveantur, & personaliter resideant in eisdem: alias eisdem vicariis seu beneficiis, si non promoventur, nec personaliter eas deservierint ipso facto, post lapsum anni, juris impedimento cessante, sint privati: & collatores earundem vicariarum seu capellaniarum de ipsis personis aliis, id facientibus, studeant providere. Idem de vicariis jam existentibus volumus observari: ne votum Christi fidelium qui hujusmodi vicarias pro remedio animæ suæ, vel pro cultu Divino ampliando, instituerunt & dotaverunt easdem, per talium non promotorum & non deservientium negligentiam defraudetur.

XVI. *De campanariis, quod sint litterati, & in albis ministrent.*

Presbyteri item sub albis camisias habeant, & campanarii (quos litteratos sēper assumi volumus, ut saltem in responsionibus communibus presbytero valeant respondere) similiter tempore Divinorum camisiis mundis & albis sint induti; nec quotidianis vestimentis suis in suo officio administrent indecenter: alias per locorum decanos & ple-

A banos ad sui officii exercitium nullatenus admittantur: quod ipsis decanis & plebanis in virtute sanctæ obedientiæ duximus injungendum.

XVII. *Quod decani & plebani locorum, examinent ornamenta ecclesiæ.*

Decani item & plebani examinent libros & ornamenta necessaria ad Divinum cultum in ecclesiis sibi subjectis: & ubi necesse

B fuerit, per conservatores dictæ ecclesiæ, & parochianos, intra mensem post admonitionem eorundem, suppleri faciant: in rebelles excommunicationis sententiam promulgando.

XVII. *Quod fructus canonicorum suspensorum cedant capitulis, non singularibus de capitulo personis.*

Statuimus item, ut fructus canonicorum suspensorum, durante suspensione eorun-

C dem, cedant capitulis ad communes usus ecclesiarum suarum, prout in ecclesia nostra Coloniensi observatur, cui expedit in hoc casu cæteras nostræ diœcesis & provinciæ ecclesias conformari: ne ipsi canonici sic suspensi, eosdem fructus per aliquas alias personas singulares vendicantes sibi ex aliqua consuetudine, immo potius corruptela, ipsos competere, recuperent: & per consequens ad frequentationem chori per suspensiones hujusmodi nequeant coarctari: si tamen constet, ipsas personas singulares,

D per dictorum fructuum restitutionem, dare canonicis suspensis occasionem suspensiones hujusmodi non curandi.

XIX. *Quod ecclesia vel cœmeterium non consecrentur, nisi de dotatione loci diœcesano constiterit.*

Inhibemus item, ne aliqua ecclesia vel cœmeterium, nisi dotatæ, de qua dotatione ante omnia nobis, seu loci diœcesano, fidem fieri volumus, amodo consecrentur.

XX. *Quod parochiani non nisi a suo plebano communionem recipiant.*

E Statuimus item, ut nullus parochianus ab alio quam a suo vero plebano, communionem recipiat: nisi de hoc privilegiis authenticis sit munitus. Contrarium facientes a perceptione corporis Christi abstineant, quousque ipsi plebano satisfecerint de contemptu.

XXI. *Quod non fiant imprecationes, nec cantetur Media vita contra aliquas personas.*

Prohibemus item, ne in aliqua ecclesiarum nobis subjectarum, imprecationes fiant nec

ANNO CHRISTI 1310.

nec decantetur Media vita contra aliquas personas, nisi de nostra licentia speciali: cum nostra intersit discutere, quando sint talia facienda.

XXII. *De matrimoniis clandestinis.*

Prohibemus item, ne quis matrimoniis clandestinis intersit, & quod proclamationes fiant ubique de matrimoniis contrahendis: & si qui contrarium fecerint, & excommunicationis sententias inciderint, absolutiones talium, nobis seu nostro officiali specialiter reservamus.

XXIII. *Quod annus Domini de cætero in nativitate Domini observetur & innouetur.*

Statuimus etiam, ut ex nunc de cætero annus Domini observetur, & in nativitate Christi innovetur a quolibet anno prout sacrosancta Romana ecclesia id observat, quæ est omnium ecclesiarum caput & magistra: ut errores & difficultates, qui propter diversitatem inceptionis anni nativitatis ejusdem, multoties evenerunt, de cætero evitentur.

XXIV. *De tabellionibus.*

Statuimus item, ut tabelliones seu notarii publici, quoties alicui appellationi, protestationi, aut provocationi, aliive actui in publico faciendo interfuerint, provideant sibi ut officiali nostro seu judici, aut aliis coram quibus appellant, dent sub eodem contextu copiam appellationis sub expensis appellantis: quas appellantibus seu provocantibus & protestantibus aliqua fieri volumus, ut judex, an deferat appellationi, necne, deliberare valeat: ne ipsis judicibus, qui limitatum terminum super hoc a jure habent, currat tempus.

Item cum officium tabellionatus sit publicum, præcipimus ut quilibet tabellio, instrumenti confecti per ipsum, intra sex dies, postquam ex parte illius cujus interest, fuerit requisitus, sub expensis partis hoc requirentis, quas per taxationem curiæ nostræ, & diœcesani cujuslibet. taxari volumus, copiam sub sigillo suo det & assignet.

In quibus duobus articulis si tabelliones negligentes fuerint, & de hoc constiterit per rei evidentiam, aut alio modo, ac ipsi appellantes seu protestantes hujusmodi facere contempserint: extunc excommunicationis sententiam incidant, cujus relaxationem nobis specialiter reservamus.

XXV. *De sacramentis.*

[C]ap. 4. Vide [r]eg. 1111. Item statutum piæ memoriæ Sifridi Coloniensis archiepiscopi prædecessoris no-

A stri, de septem sacramentis, inter alia statuta sua editum, quod incipit, Statuimus ut baptismus honorabiliter celebretur, &c. in omni sua forma pro instructione simplicium clericorum, qualiter in administratione eorundem sacramentorum se habere debeant, volumus & præcipimus observari.

XXVI. *Quod plebanis non denegetur chrisma vel oleum sacrum.*

B Statuimus etiam, ut nullis plebanis chrisma vel oleum sacrum, ab his qui hæc administrare solent, occasione cujusvis petitionis cathedratici seu synodatici non soluti, denegetur vel subtrahatur: cum necessarium sit in vigilia Paschæ, & aliis temporibus, pro renovatione fontis baptismatis, hæc in ecclesiis haberi. Sed ad solutionem prædictorum, dicti plebani, si necesse fuerit, viis aliis compellantur: ne parochianis ex alieno delicto, sacramenta prædicta, quæ gratis dari debent, indebite subtrahantur.

C XXVII. *De statu religiosorum.*

Item statuimus ut religiosi ordinis B. Benedicti abbates in crastino Exaltationis sanctæ crucis, omni anno celebrent concilia sua in civitatibus cathedralibus, & in monasteriis sui ordinis, si qua sunt in eisdem: alias in vicino in aliqua ecclesia dictæ civitatis, quam ad hoc viderint sibi aptam. Ad quod concilium abbates singulorum monasteriorum, quilibet eorum cum duobus monachis, veniant, & habeant in-

D ter se duos superiores abbates ordinis sui dictæ diœcesis, qui procurent ibidem legi regulam B. Benedicti, & provinciale concilium bonæ memoriæ domini Conradi Coloniensis archiepiscopi prædecessoris nostri, super statu, & regulari disciplina dicti ordinis, per ipsum olim observatum: quod quidem concilium, sic incipit: In nomine Domini, Amen. Conradus Dei gratia sanctæ ann. 1260.
" Coloniensis ecclesiæ archiepiscopus. Saluti,
" & bono statui omnium, cujuscumque pro-
" fessionis seu ordinis, sed nostrorum dome-
" sticorum maxime, debitores existentes in
E Domino, sicut in nostra visitatione nego- "
tium informationis & correctionis de cleri- "
cis per statuta canonica expedivimus com- "
petenter: ita de monachis satagentes, id "
ipsum suo modo quo competens fuerit, ex- "
pediemus. "
In primis statuimus, quod omnium mo- "
nasteriorum nigri habitus monachi ordinis "
S. Benedicti, Divinum officium in can- "
tando & legendo, secundum quod regula "
ejusdem S. Benedicti præcipit, exequan- "
tur. Et sic finit: Datum & pronunciatum "
Coloniæ quarto Idus Martii anno Do- "

ANNO CHRISTI 1310.

mini 1260. Quæ etiam statuta sunt ab aliis prædecessoribus nostris de observantia regulæ, ibidem legantur: & si qua pro monasteriorum dicti ordinis statu, & correctione fratrum rebellium, ac Divini cultus ordinatione, ordinanda sunt, ordinentur: & quæ ibidem diffinita secundum eorum regulam fuerint, observentur. Si qui vero monachi rebelles fuerint, nec per abbates corrigi possint, illos nobis vel loci diœcesano volumus præsentari.

XXVIII. *Item de monachis & monialibus.*

Si qui etiam monachi vel sanctimoniales, beatorum Benedicti & Augustini ordinum, præter superioris licentiam, bona mobilia apud se, vel apud alios, in deposito, negotiationis aut alia de causa, habuerint: illa suo superiori & conventui resignent, & eisdem ad cautelam quolibet anno intra quindenam ante festum Paschæ intiment, specificent, revelent, & demonstrent, & ad manus ejusdem superioris abbatis in præsentia conventus resignent penitus atque tradant monachi & moniales ejusdem. Contrarium facientes, seu qui bona hujusmodi dolo desierint possidere, excommunicentur, & puniantur secundum inde statuta. Et quicumque alii utriusque sexus homines præfata bona sub quovis nomine sub se habuerint: tales, nisi eadem bona intra mensem simili modo ad manus superioris ejusdem monachi vel monialis reportent & resignent, excommunicationis volumus sententiam incurrere eo facto.

Item præcipimus & statuimus, ut monachi & moniales in civitatibus atque villis, absque religionis habitu non discurrant: nec ullus monachus seu monialis, in pluribus monasteriis, quorum in uno dignitates, personatus, seu officia & præbendam obtineant: sed recepta secunda dignitate, personatu, officio cum præbenda, collator primæ dignitatis, personatus, officii & præbendæ prioris, eam seu eas alii conferant intra tempus juris: nec monachis vel monialibus prædictis, tempore absentiæ suæ, fructus cedant suarum præbendarum: quia sic viderentur aliquid proprii possidere. Sed monachis ad studendum aptis, de suorum superiorũ providentia poterit de necessitatibus provideri.

Item statuendo prohibemus, ne in aliquo monasterio monachorum vel monialium, cujuscumque conditionis vel regulæ existant, in receptione vel admissione monachi seu sanctimonialis ad ipsum ordinem, pecunia exigatur, vel pro receptione talis personæ ad religionem, pacta, conditiones, aut cõventiones de pecunia, vel alia re temporali, ipsi religiosi faciant, quovis nomine vel colore ad hoc quæsito: quod ipsis omnibus & singulis in virtute sanctæ obedientiæ duximus injungendum. Sed id quod ex post facto parentes & amici personæ receptæ, pro eleemosyna & devotionis causa, absq; pacto, libere contulerint, recipere valeant: dum tamen id fiat pure & simpliciter, sine fraude.

ANNO CHRISTI 1310.

Cæterum statuimus ut moniales ipsæ sub perpetua in suis monasteriis clausura maneant, ac nulli, nisi de illius ad quem pertinuerit, speciali licentia, ingressus vel accessus pateat ad easdem: ut sic a publicis & mũdanis conspectibus separatæ, Domino liberius servire valeant, ac lasciviendi opportunitate sublata, ipsi domino Iesu Christo cui integritatem suam spontanea voluntate devoverunt, corda & opera sua in omni sanctimonia custodiant, juxta constitutionem D. Bonifacii papæ VIII. quæ incipit, Periculoso & detestabili quarundam monialium statui, &c. Quam in præmissis & aliis in eadem constitutione contentis, volumus & præcipimus firmiter observari. Nulla etiam mulier solenne votum continentiæ emittat, quæ non elegerit sub clausura certa vel approbata alicujus ordinis remanere: ne propter levitatem sexus, si in sæculo remanserit sicut prius, continentiæ votum dissolvens, gravius delinquat in hoc casu: nisi ad talem ætatem pervenerit, quod de incontinentiæ vitio amodo contra ipsam suspicio non habeatur.

Quia vero per præsentia statuta nostra provincialia, communi utilitati ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum, pro conservatione libertatis earundem ac repressione ipsas infestantium, ut speramus, autore Domino salubriter providetur: præcipimus & mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, ut statuta nostra ab omnibus ecclesiis & ecclesiasticis personis nobis subditis, & in hoc concilio nostro congregatis, inviolabiliter, fraude & dolo seclusis, firmiterque observentur. Alias post tres menses a publicatione præsenti statutorum eorundem, volumus venientes contra ipsa extunc pœnas incurrere contentas in eisdem.

Et ne quemquam ipsa statuta lateant vel latere possint, statuimus ut collegia, capitula, conventus, monasteria, decani, ecclesiarum rectores, & cæteri quorum interest, intra dictos tres menses a publicatione statutorum ipsorum, copiam recipiant & sibi procurent eorumdem: alioqui ipsos qui in hoc culpabiles extiterint, extunc suspendi volumus ab officio Divinorum.

Actum & pronunciatum & datum in palatio nostro Coloniensi, præsentibus venerabilibus patribus Guidone Trajectensis, Engilberto Osnaburgensis, Godefrido Mindensis ecclesiarum episcopis; necnon nunciis solemnibus venerabilis Theobaldi Leodiensis episcopi, & capituli Monasteriensis, sede ipsa vacante; ac prælatis & clero nostræ civitatis & diœcesis Coloniensis in dicto concilio solenniter cõgregatis, in crastino Dominicæ Invocavit, necnon feria iij. & iv. sequentibus cõcilio ipso durante, anno Dom. MCCCX.

CONCI-

Anno Christi 1310.

** CONCILIA RAVENNENSIA DVO,

In causa Templariorum a Rainaldo archiepiscopo cum suffraganeis celebrata.

I. concilium. Hieronym. Rubeus lib. VI. historiæ Ravennatis, ad ann. MCCCX. Per idem tempus, inquit, concilium provinciale habitum Ravennæ est, in quo de negotio Templariorum actum est diligentissime: & quæ faciebant ad morum conformationem, & catholicam fidem, decreta.

II. concil. Cæterum quoniam restabant adhuc nonnulla, neque fuerant absoluta omnia, Rainaldus, in proximas Kal. Iunias, aliud concilium Bononiam indixit: quo omnes convenirent, Templarii præsertim fratres provinciæ Ravennatis, ut audirent sententiam, quam de ipsis concilium ferret. Mox prudentibus etiam consulentibus viris, eum concilii diem ad XVII. Kalend. Iulias rejecit, locoque item mutato, Ravennæ in Vrsiano templo habendum decrevit. Leguntur adhuc Rainaldi hac de re litteræ, Argentæ X. Kal. Iunii scriptæ: quarum hæc inscriptio est. » Rainaldus permissione Divina, & apostolicæ sedis gratia, S. Ravennatis ecclesiæ archiepiscopus, inquisitor contra singulares personas, & ordinem militiæ Templi Hierosolymitani, in Lombardiæ, Tusciæ, Marchiæ Tarvisinæ, & Histriæ terris, & partibus, a sede apostolica deputatus, venerabilibus in Christo patribus, & dominis, Dei gratia episcopis..... sanctæ Ravennatis ecclesiæ suffraganeis, electis, abbatibus, prioribus, diaconis, archipresbyteris, archidiaconis, capitulis cathedralium, & aliarum ecclesiarum conventualium, & collegiatarum, Ravennati ecclesiæ subditis, salutem & sinceram in Domino caritatem. Monet autem, mandatque, ut quos in eorum diœcesi Templarios haberent, diligenti eos adhibita custodia, adducerent. Petrus Cymacliensis episcopus, quod ægrotaret, Armanninum Ghislerium Bononiēsem, e Dominicana familia fratrem, suum, ecclesiæque suæ procuratorem VII. Idus Iunii, fecit, qui concilio interesset. Pari studio, postridie ejus diei a Papiniano episcopo Parmensi, Anselmo S. Ioannis Parmensis abbate, Bernardino Avimundo, Bonifacio Arena canonicis Parmensibus, Iacobo abbate cœnobii Brixilli, Parmensis diœcesis, & Harmanno præposito Parmensi, procuratores creantur Andreas Pelizonus S. Nicolai Parmensis rector, episcopi vicarius, & Gerardus e Cornazano, præpositus S. Domnini, diœcesis Parmensis: adjectis litteris, quibus se apud patres concilii, quamobrem non venisset, accurate excusabat, & ut excusationem acciperent, ob ea quæ illius procuratores relaturi essent impedimenta, rogabat. Quoniam vero Severus abbas cœnobii D. Mariæ extra portam Faventiæ, sacratorum virorum Faventinorum immunium procurator, una cum Fr. Matthæo episcopo, & Tinioso præposito Faventino, interesse, ob morbum non poterat: pridie Id. Iunii Franciscum ejusdem cœnobii monachum, sibi a cubiculo, procuratorem substituit.

In concilio autem ii fuere, Vgo, Placentinus; Vbertus, Feretranus, Fridericus Ariminensis; Vbertus Bononiensis; Henricus, Regiensis; Matthæus, Cerviensis; Petrus Foropompiliensis, episcopi: Vgulinus cucullatus, designatus Faventinus, Nicolaus, & Ioannes, cucullati Dominicani; Vincentius, Franciscanus: qui tres, in provincia Ravennate, quæsitores in hæreticos erant: Bonincontrus archipresbyter Mutinensis, pro sacratis viris Mutinensibus; Gerardus Cornazanus, S. Domnini præpositus, pro episcopo, sacratisque viris Parmensibus; Gentilis, Ferrariensis episcopi vicarius; Prevostinus Mutinensis, episcopi Forocorneliani item vicarius; Ioannes abbas Gavellianus, pariter episcopi Adriani vicarius; Armannus cucullatus Dominicanus, episcopi Cymacliensis procurator; Guercius D. Damiani canonicus, episcopi Sassinatis procurator.

Omnibus igitur, suo quisque loco, in archiepiscopatus prætorio XV. Kal. Iulii considentibus, introducti sunt, Raymundus Fontana, Iacobus item Fontana: Maurus, Iacobus, Albertus, Guillelmus ab Pigazano, & Petrus Cazia, Templarii ordinis equites: qui jurati, cum nihil essent objectis criminibus, testibusque adversis debilitati, atque abjecti, ad omnia breviter, constanterque, seorsum singuli responderunt.

Erant autem hæc fere quæstionis a pontifice præscripta capita. Cum in ordinem cooptabantur, in ipsis sacrorum suorum initiis, Christumne, aut Deum, aut Virginem Deiparam, aut Divos abjurassent, vel ut abjurarent, moniti fuissent, aliosve ipsi ad abjurandum incitassent. An Christum, vel Iesum, crucive suffixum, verum Deum esse, vel passum, pro humano redimendo genere negassent: an fuisse pseudoprophetam, & pro suis ipsis afflictum criminibus affirmassent. An ordinis magistrum, qui nullis erat sacris initiatus, crederent, per pœnitentiæ sacramentum, eluere animæ sordes, & peccata posse: an ipse id fecisset. An quæ occulta habebantur in eorum legibus, ea orthodoxæ Romanæ ecclesiæ vituperationi esse, criminaque ac errorem fovere putarent. An ipso ordinis ingressu edocerentur, posse inter se luxuriose commisceri, idque esse faciendum, neque ullum ob id perpetrari flagitium. An hæc tirones etiam docerent. An ordinis sui amplitudini studere, vel contra quam fas esset, jurassent: ad idque jurandum alios induxissent. An qui cooptabat eos in ordinem, ne spem salutis suæ in Christo Deo positam haberent, illis ediceret. An conspuissent crucem, imaginemve Christi Dei, aut pedibus protrivissent, ac conculcassent, & die veneris sancto, vel alio in eam minxissent. An cattum, craniumve, aut simulacrum quodpiam, & idolum hujusmodi fictum & commentitium, Divina veneratione coluissent, in magnis comitiis, aliove fratrum loco: divitiasque ab eo, & terrarum, arborumque uberes fructus speravissent. An quo cingulo, interulam, carnemve cingebant, eo idolum quodpiam hujusmodi tetigissent. An tirones, adolescentulos præsertim, libidinose, intemperanterque atque alia, quam deceat, parte, osculati fuissent. An dum rem Divinam facerent, sacra mysteriorum & consecrationis verba omisissent. An scelestum & nefarium facinus ducerent, hæc committere. Quod cum affirmassent, cæteris fortiter, perpetuoque negatis, ab concilio dimissi sunt.

Rainaldus concilium tunc consuluit, de tota re quid fieri placeret. In quo cum multæ sententiæ dicerentur, tandem interrogati primum, an judicium illud accurate & legitime constitutum existimarent, annuerunt: deinde, an dandi essent in quæstionem, responderunt non dandos. Nicolaus tamen, & Ioannes, Dominicani, in hæreticos quæsitores, dandos esse dixerunt. Præterea an ad pontificem maximum deferendum esset judicium: negatum ab omnibus est, quod prope adesse concilium generale dicerent. Postremo essentne omnino absolvendi, an jubendum, ut se de objectis purgarent: de purgatione affirmatum est.

Sed postridie cum iterum convenissent patres, communi sententia decretum est, innocentes absolvi, nocentes ex lege puniendos. Intelligi innocentes debere qui metu tormentorum confessi fuissent, si deinde eam confessionem revocassent: aut revocare, hujusmodi tormentorum metu, ne infer-

ANNO CHRISTI 1310.

rentur nova, non fuissent ausi: dum tamen id constaret. De ordine, ejusque bonis, consensere omnes, servanda innocentibus ea fore, si innocentes, major pars ordinis essent: & nocentes, abjurata hæresi, meritas sceleris pœnas, ipso in ordine dedissent.

De Terræ sancto subsidio, de quo item in eo conventu est actum, reges, principes, regulosque, a pontifice inducendos ad mare trajiciendum, eamque expeditionem persequendam consuluerunt. Atque ita dimissum concilium est.

ANNO CHRISTI 1310.

** CONCILIUM SALMANTICENSE,

In causa Templariorum a Gonsalvo Toletano archiepiscopo, & multis aliis præsulibus celebratum anno Dom. MCCCX.

MAriana, *historia Hispanica lib.* xv. *cap.* x. Pridie, *inquit*, Kalend. Augusti, litteræ a pontifice datæ, quibus inquirendi in Castellæ Templarios, Compostellæ, & Toletano archiepiscopis potestatem permittit, adjuncto Americo inquisitore ex Prædicatorio ordine, (num eo a quo Directorium inquisitorium editum extat?) aliisque præsulibus. In Aragonia idem negotium episcopis Raymundo Valentino, Semeno Cæsaraugustano, datum est. Idem in reliquis provinciis toto Christiano orbe factum: eo temperamento, ut inquisitione habita, de summa rerum in conciliis tantum provincialibus cognosceretur. *Et paulo post*: In Aragonia, correptis armis, arcium se munitione tueri constituunt. *Mox*: Victi Templarii, ferroque vincti. In Castella Rodericus Ivanius ordinis promagister, sociique omnes, a Gonsalvo Toletano præsule ad dicendam causam vocati: vincula injecta abs rege omnibus.

Salmanticæ in Vectonibus patrum concilium habitum est. Rodericus Compostellanus, Ioannes Vlisiponensis, Vascus Idigitanus, Gonsalvus Zamorensis, Petrus Abulensis, Alfonsus Civitatensis, Dominicus Placentinus, Rodericus Mindoniensis, Alfonsus Asturicensis, Ioannes Tudensis, Ioannes Lucensis affuerunt: de vinctis atque supplicibus quæstione habita, causaque cognita, pro eorum innocentia pronunciatum communi patrum suffragio: ad pontificem tamen Romanum rejecta totius rei summa deliberatio: ea contra patrum decretum valuit: deletoque ordine, bona abs rege occupata, atque oppida omnia sunt. In Calæcis Ponsferratus Farumque: in Legionensi tractu Balduerna, Tavara, Almansa, Alcanitium: Tagum inter & Anam ad Portugaliæ fines, Valentia, Alconeta, Sericium, Nertobriga, Capella, Carcuvium: in Bœtica, Palma; in Vaccæis, Villalpandum: in Contestanis, Caravacca; in Carpetania, Montalbanum, aliaque oppida, prædia, domus tota ditione Castellæ regum, quæ numerare singula longum esset.

ANNO CHRISTI 1310.

** CONCILIUM PARISIENSE,

De causa Templariorum, anno Dom. MCCCX. a Senonensis provinciæ præsulibus celebratum.

GVillelmus *Nangius in chronico MS.* Anno, *inquit*, MCCCX. concilium Senonensis provinciæ, propter factum Templariorum, Philippo tunc archiepiscopo præsidente, Parisius celebratur. Illic sane

A Templariorum singulis factis, & ea tangentibus, diligenter inspectis, pensatisque eorum demeritis, judicatum est atque definitum, quosdam ex ipsis ab ordine simpliciter absolvi; quosdam vero, post peractam eis injunctam pœnitentiam, liberos & illæsos abire permitti; alios autem sub arcta carceris custodia detineri; aliosque quamplures incisione muri perpetuo circumcingi: sed eorum nonnullos, tanquam relapsos in hæresim, tradi curiæ sæculari, eis primitus ab episcopo degradatis, quod & factum est.

ANNO CHRISTI 1310.

CONCILIUM MOGUNTINUM,

Quo sub præsidio Petri Moguntini archiepiscopi jussu pontificis tractata est causa Templariorum, anno Domini MCCCX. tempore Clementis papæ V.

B

QVa *occasione, quaque de causa, hæc synodus Moguntiæ congregata, & quid in ea gestum fuerit, ex manuscripto quodam codice Nicolaus Serarius lib.* 5. *in historia Petri archiepiscopi, refert his verbis*: Anno 1310. ante Viennense Concilium (*in quo Clementinas edidit Clemens quintus*) Concilium habuit secunda, tertia & quarta feriis post Dominicam Iubilate idem dominus Petrus provinciale: in quo statutorum provincialium ex antiquioribus synodis compendium collegit, cujus vix paucula supersunt: & Romani pontificis jussu tractata est Templariorum causa.

C Comparuit autem in synodo, quemadmodum refert manuscriptus liber, Hugo comes Silvestris & Rheni, qui morabatur in Grumbach prope Meysenheim cum viginti fratribus, sub habitu ordinis prope armatis. Hi omnes, non quidem vocati, sed ultro & subito in consessum patrum irrumpunt, omnibus attonitis. Archiepiscopus viros considerans, ac violentiam timens, placide jubet, commendator ut sedeat, & si quid habeat in medium afferendum, ut depromat. Qui clara & libera voce exorsus: se suosque confratres, inquit, intellexisse, hanc synodum sui ordinis delendi gratia potissimum congregatam, ex commissione Romani pontificis. Enormia enim quædam scelera, & plusquam ethnica flagitia, illis obiici, quæ in privato designarent, quod ipsis sane esset gravissimum & intolerabile: maxime quod non ordinarie auditi nec convicti condem-

D narentur. Quare coram ista patrum congregatione se appellare & provocare ad futurum pontificem, ejusque universum clerum: publice quoque protestari, eos qui propter talia flagitia alibi igni traditi essent & combusti, constanter pernegasse, sed quidquam eorum designasse, atque in ea confessione tormenta & mortem perpessos. Immo Dei optimi maximi singulari judicio & miraculo eorum innocentiam comprobatam, quod albæ chlamydes, ac rubricatæ cruces, igni non potuerunt absumi. Archiepiscopus his auditis, ne tumultus suboriretur, protestationem eorum admisit, seque cum Romano pontifice acturum respondit, ut

E quieti esse possint: atque ita ad propria sunt dimissi. Postea vero Petrus aliam commissionem obtinuit, juxta quam procedens, prædictos censuit absolvendos, actum anno 1311. Kalendis Iulii, ut Nauclerus ex quodam Iacobo Moguntino tradit. Habuisse autem archiepiscopum Moguntiæ concilium provinciale anno 1313. refertur in manuscripto: sed quia idem prioris mentionem non fecit, videtur unum & idem. *Hæc Serarius.*

CONCI-



CONCILIVM VIENNENSE GENERALE A CLEMENTE PAPA V. CELEBRATVM.

HISTORIA EIVSDEM CONCILII.



IN Hierosolymitana urbe erat religiosorum militum ordo [a] institutus, qui, cum juxta templum Domini cohabitarent, Templarii dicti sunt. Horum munus & officium fuit tueri fines ac vias Hierosolymitanæ ditionis ab incursionibus hostium & latrociniis: ut advenæ ac peregrini ad sancta illa loca invisenda tuto possent accedere. Ex hisce militibus multi olim Christi causa & sanguinem profuderunt, & frequenter vitæ discrimen adierunt. Verum deinde a sancto hoc instituto recedentes, patriarchæ Hierosolymitano, a quo prima beneficia acceperant, obedire renuerunt, ecclesiis decimas & primitias subtraxerunt, atque omnibus redditi sunt infesti. Assisinorum etiam legatum a Templariis contra Iusgen. fuisse occisum scribit Vvilielmus [a] Tyrensis. Præterea ad Clementem quintum summum pontificem multi principes viri detulerunt, [a] eos in hæresim, apostasiam, aliaque nefanda vitia incidisse. Pontifex, an hæc vera essent diligenter investigavit, & quibusdam cardinalibus, ut ipsi quoque investigarent, præcepit: ac tum magistrum ordinis, tum complures alios comperit in ea nefanda vitia esse prolapsos. Cumque Templariorum religio esset toto jam fere Christiano orbe proseminata atque dispersa, Clemens, ut remedium aliquod huic tanto malo posset afferre, concilium generale censuit convocandum. Per idem tempus perversi quidam homines hæreses disseminabant, [a] ut Petrus Ioannis, qui animam rationalem formam esse humani corporis negabat, gratias & virtutes in baptismo non infundi asserebat, Christumque adhuc viventem fuisse lancea vulneratum.

In [a] Alemannia quoque surrexerunt Beguardi, pessimi homines; ac Beguinæ, infideles ac perversæ feminæ, qui primum quidem asseverabant, hominem in hac vita quoque tantum ac talem perfectionis gradum consequi posse, ut penitus impeccabilis reddatur: neque in gratia amplius proficere possit. Secundo, nec jejunare, nec orare quemquam oportere, ubi fuerit gradum perfectionis hujusmodi consecutus. Tertio, eos qui sunt in hoc perfectionis gradu & spiritu libertatis, non esse humanæ subjectos obedientiæ, neque ulla præcepta ecclesiæ servare debere. Quarto, posse hominem ita finalem beatitudinem, juxta omnem perfectionis gradum in hac vita adipisci, ut eam in vita beata obtinebit. Quinto, quamlibet intellectualem naturam in se ipsa naturaliter esse beatam, neque animam indigere lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum. Sexto, se in actibus exercere virtutum, esse hominis imperfecti, quia anima perfecti dimittit a se virtutes. Septimo, mulieris osculum (cum ad hoc non inclinet natura) esse mortale peccatum: actum autem carnalem (cum ad hoc inclinet natura) non esse peccatum, maxime cum tentatur exercens. Octavo in elevatione corporis Iesu Christi, ab hujusmodi perfecto homine assurgendum non esse, aut ei reverentiam exhibendam: asserebant enim fore imperfectionem eidem, si a puritate & altitudine suæ contemplationis tantum descenderet, ut de sacramento eucharistiæ, aut de passione humanitatis Christi quidquam cogitaret. Ad has igitur nefarias hæreses damnandas, [a] & propter Templariorum causam, ac recuperationem terræ sanctæ, ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum stabilitatem ac libertatem, atque ad depravatos mores hominum corrigendos, Clemens generale concilium Viennæ in Gallia biennio ante indixit, ut ad synodum accederent. Convocavit igitur archiepiscopos & episcopos. Per litteras etiam regibus significavit, ut oratores ad synodum destinarent. Sed cum ad constitutam diem concilium haberi non potuisset, illud in aliud biennium prorogavit. Anno igitur septimo Clementis, qui fuit annus Domini 1311. Clemens summus pontifex cum cardinalibus, ac amplius trecentis [a] episcopis, atque aliis prælatis, ad concilium Viennæ convenit. Ibi Petri Ioannis, Beguardorum, ac Beguinarum hæreses condemnavit: [a] Templariorum ordinem extinxit: [a] eorumque bona hospitalariis militibus attribuit. De terræ sanctæ vero recuperatione eadem fere decrevit, quæ priores pontifices in generalibus conciliis antea constituerant. Multas edidit constitutiones ecclesiasticæ disciplinæ

[Margin notes, left:] [a] Vvilielmus Tyrius de bello sacro lib. 12. cap. 7. — [a] lib. 20. c. 2. — [a] Clemens in epist. convocationis concilii. Blondus lib. 9. dec. 2. Thomas Vvalsing. hist. Angl. in Eduardo II. & alii. — [a] Guido Carmelita in summa de hæreticis in hæres. Petri Ioannis. — [a] Eymer. in direct. 2. par q. 7 & 5. sanctus Antoninus 3. part hist. tit. 21. c. 3.

[Margin notes, right:] [a] Clemens in epistola convocationis concilii. — [a] Ioannes Vill. lib. 9. c. 22. & S. Antoninus loco citato. — [a] Clement. I. de sum. Trinit. & fid. cath. & Clem. ad nostrum de hæret. — [a] Blondus & Vvalsing loco citato.

ANNO CHRISTI 1311.

sciplinæ perutiles: quas una cum aliis, tum ante, tum post concilium editis, in unum volumen contulit: quod volumen cum morte præventus promulgare non potuisset, Ioannes XXII. qui illi in pontificatu successit, postea in lucem edidit: eamque collectionem Clementinas appellavit. Verumtamen cum hujusmodi concilii propria decreta a Clementinis separata non reperiantur: visum non est ab aliis Clementis constitutionibus illa esse sejungenda, aut in hanc conciliorum editionem conjicienda, cum præsertim, & ipse Clemens, & Ioannes* ejus successor, in unum volumen, quod est in manibus, jam tum retulerint. Peracto demum concilio aliqua concessit pontifex episcopis, qui ad illud convenerant, privilegia.

* in proœmio Clemen.

EPISTOLÆ CLEMENTIS PAPÆ V.

Carissimo in Christo filio Philippo regi Francorum illustri.

Regnans in cælis triumphans ecclesia, cujus pastor est Pater æternus, cui sanctorum ministrant agmina, & laudis gloriam angelorum chori decantant, in terris ad sui similitudinem & repræsentationem constituit ecclesiam militantem, unigenito Filio Dei vivi Domino Iesu Christo ineffabili commercio copulatam, in qua idem unigenitus Dei Filius a Patre progrediens per illustrationem Paracleti, procedentis pariter ab utroque, statuit fidei fundamentum. Sane Romana ecclesia, mater alma fidelium, caput est, disponente Domino, ecclesiarum aliarum omnium, & magistra: a qua, veluti a primitivo fonte, ad singulas alias ejusdem fidei rivuli derivantur, ad cujus regimen voluit Christi clementia Romanum pontificem vice sui deputare ministrum, ut instructionem & doctrinam ipsius eloquio veritatis evangelicæ traditam cuncti renati fonte baptismatis teneant & conservent: ut qui sub hac doctrina cursum vitæ recte peregerint, salvi fiant; qui vero ab ea deviaverint, condemnentur. Ipsa nempe Romana mater ecclesia juxta exigentiam possibilitatis ipsius, ad cunctas orbis provincias, in quibus Divini nominis cultus viget, fideique catholicæ observantia rutilat, intuitum sedulæ considerationis extendens, ac subjiciens ab olim suæ considerationis examini diuturnæ calamitatis angustias illius specialis hereditatis Dominicæ, videlicet terræ sanctæ ab infidelibus miserabiliter conculcatæ, in qua idem Patris æterni Filius nostræ carnis indumento contectus, salutem humani generis pietate ineffabili extitit operatus, quamque sua ipse voluit corporali insignire præsentia, & proprii aspersione sanguinis consecrare, multa solicitudine studuit eidem terræ retroactis temporibus, quibus potuit remediis, ut eriperet ab ipsis impiis, subvenire. Et quia inter cæteros quos professio Christianæ religionis includit, milites & fratres domus militiæ templi Hierosolymitani, sicut est toti orbi notorium, tanquam speciales ejusdem fidei pugiles, & jam dictæ terræ præcipui defensores, ipsius terræ negotium principaliter gerere videbantur: ipsos, & eorum ordinem, præfata ecclesia specialis favoris plenitudine prosequens, eos adversus Christi hostes crucis armavit signaculo, multis exaltavit honoribus, ditavit facultatibus, ac diversis libertatibus & privilegiis communivit. Ii nimirum cum crederentur in Domini servitio sub regulari habitu fideliter militare, sibi quasi cunctorum manus fidelium, cum multiplici erogatione bonorum, sentiebant multifarie multisque modis propterea adjutri-

A ces. Sed, proh dolor, nova & calamitosa vox de malignitatis fratrum ipsorum enormitate progrediens, nostrum replevit, immo verius perturbavit auditum. Hæc enim vox nuntia lamentationis & gemitus, audientibus horrorem ingerit, commovet animos, mentes turbat, & cunctis fidei Christianæ cultoribus novæ & ineffabilis amaritudinis calicem subministrat: & dum facti seriem, ejus necessitate poscente, depromimus, noster attenuatur præ angustia spiritus, & valetudinis fatigata confractibus, membra singula præ nimio dolore tabescunt. Dudum siquidem circa nostræ promotionis ad apicem summi pontificatus initium, etiam antequam Lugdunum, ubi recepimus nostræ coronationis insignia, veniremus, & post, tam

B ibi quam alibi, secreta quorumdam nobis insinuatio intimavit, quod magister, præceptores, & alii fratres dictæ militiæ Templi, & etiam ipse ordo, qui ad defensionem patrimonii ipsius Domini nostri Iesu Christi fuerant in transmarinis partibus deputati, contra ipsum Dominum in scelus apostasiæ nefandum, detestabile idololatriæ vitium, execrabile facinus Sodomorum, & hæreses varias erant lapsi. Sed quia non erat verisimile, nec credibile videbatur, quod viri tam religiosi, qui præcipue pro Christi nomine suum sæpe sanguinem effundere, ac personas suas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quique multa & magna tam in Divinis officiis, quam in jejuniis, & aliis observantiis, devotionis signa

C frequentius prætendebant, suæ sic essent salutis immemores, quod talia perpetrarent: hujusmodi insinuationi ac delationi ipsorum, ejusdem Domini nostri exemplis & canonicæ scripturæ doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare. Deinde vero tu, cui eadem fuerant facinora nuntiata, non typo avaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil tibi vindicare vel appropriare intendas, immo ea nobis & ecclesiæ per deputandos super hoc a nobis administranda, gubernanda, conservanda & custodienda liberaliter & devote in regno tuo dimisisti, manum tuam exinde totaliter amovendo, sed fidei orthodoxæ fervore, tuorum progenitorum vestigia clara sequens, accensus, de præmissis, quantum li-

D cite potuisti, te informans, ad instruendum & informandum nos super iis, multas & magnas nobis informationes per tuos nuncios & litteras destinasti. Infamia vero contra Templarios ipsos increbrescente validius, super sceleribus ante dictis: & quia etiam quidam miles ejusdem ordinis magnæ nobilitatis, & qui non levis opinionis in dicto ordine habebatur, coram nobis secreto juratus deposuit, quod in receptione fratrum præfati ordinis, hæc consuetudo, vel verius corruptela, servatur, quod ad recipientis vel ab eo deputati suggestionem, qui recipitur, Christum Iesum negat, & super crucem sibi ostensam spuit in vituperium Crucifixi; & quædam alia faciunt recipiens &

E receptus, quæ non sunt licita, nec humanæ conveniunt honestati, prout ipse tunc confessus extitit coram nobis: urgente nos ad id officii nostri debito, vitare nequivimus, quin tot & tantis clamoribus accommodaremus auditum. Sed cum demum fama publica deferente, ac clamosa insinuatione tui, necnon & ducum, comitum, & baronum, ac aliorum nobilium, cleri quoque ac populi dicti regni tui, ad nostram propter hoc tam per se, quam per procuratores & syndicos, præsentiam venientium, quod dolenter referimus, ad nostram audientiam pervenisset, quod magister, præceptores, & alii fratres dicti ordinis, & ipse ordo, præfatis & pluribus aliis erant criminibus irretiti; & præmissa, per multas confessiones, attestationes, & depositiones præfati magistri, & plurium præceptorum, & fratrum ordinis prælibati, coram multis prælatis, & hæreticæ pravitatis inquisitore in re-

gno

ANNO CHRISTI 1311.

gno Franciæ factas, habitas & receptas, & in publicam scripturam redactas, nobisque, & fratribus nostris ostensas, probari quodammodo viderentur, ac nihilo minus fama & clamores prædicti intantū invaluissent, & etiam ascendissent, tam contra ipsum ordinem, quam contra personas singulares ejusdem, quod sine gravi scandalo præteriri non poterat, nec absque eminenti periculo tolerari: Nos illius, cujus vices, licet immeriti, in terris gerimus, vestigiis inhærentes, ad inquirendum de prædictis ratione prævia duximus procedendum, multosque de præceptoribus, presbyteris, militibus, & aliis fratribus dicti ordinis reputationis non modicæ, in nostra præsentia constitutos, præstito ab eis juramento, quod super præmissis meram & plenam nobis dicerent veritatem, super prædictis interrogavimus, & examinavimus usque ad numerum septuagintaduorum, multis ex fratribus nostris nobis assistentibus diligenter: eorumque confessiones per publicas manus in authenticam scripturam redactas, illico in nostra & dictorum fratrum nostrorum præsentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio in consistorio legi fecimus coram ipsis, & illas in suo vulgari cuilibet eorum exponi. Qui perseverantes in illis, eas expresse & sponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt. Post quæ cum magistro & præcipuis præceptoribus præfati ordinis intendentes super præmissis inquirere per nosipsos, ipsum magistrum, & Franciæ, terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, ac Pictaviæ præceptores majores, nobis tunc Pictavis existentibus mandavimus præsentari. Sed quoniam quidam ex eis sic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad nostram præsentiam quoquo modo adduci: nos cum eis scire volentes de præmissis omnibus veritatem, & an vera essent quæ continebantur in eorum confessionibus & depositionibus, quas coram inquisitore pravitatis hæreticæ in regno tuo præfato, præsentibus quibusdam notariis publicis, & multis aliis bonis viris, dicebantur fecisse, nobis & fratribus nostris per ipsum inquisitorem sub manibus publicis exhibitis, & ostensis: dilectis filiis nostris Berengario tituli sanctorum Nerei & Achillei, & Stephano tituli sancti Cyriaci in Thermis, presbyteris, ac Landulfo sancti Angeli diacono, cardinalibus, de quorum prudentia, experientia, & fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus, commisimus & mandavimus, ut ipsi, cum præfatis magistro & præceptoribus inquirerent, tam contra ipsos & alias singularea personas dicti ordinis geraliter, quam contra ipsum ordinem, super præmissis cum diligentia veritatem, & quidquid super his invenirent, nobis referre, ac eorū confessiones & depositiones per manum publicam in scriptis redactas nostro apostolatui deferre ac præsentare curarent; eisdem magistro & præceptoribus absolutionis beneficium a sententia excommunicationis, quam pro præmissis, si vera essent, incurrerant, si absolutionem humiliter ac devote peterent, ut deberent, juxta formam ecclesiæ impensuri. Qui cardinales ad ipsos magistrum & præceptores personaliter accedentes, eis sui adventus causam exposuerunt. Et quoniam tam personæ, quam res ipsorum, & aliorum Templariorum in dicto regno tuo consistentium, in manibus nostris erant: quod libere absque metu cujusquam plene ac pure super præmissis omnibus ipsis cardinalibus dicerent veritatem, eis autoritate apostolica injunxerunt. Qui magistor & præceptores Franciæ, terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, ac Pictaviæ, coram ipsis tribus cardinalibus præsentibus, quatuor tabellionibus publicis, & multis aliis bonis viris, ad sancta Dei evangelia ab eis corporaliter tacta præstito juramento, quod super præmissis omnibus meram & plenam dicerent veritatem, coram ipsis singulariter libere ac sponte absque coactione qualibet, & timore deposuerunt, & confessi fuerunt inter cætera Christi abnegationem & spuitionem super crucem, cum in ordine Templi recepti fuerunt; & quidam ex eis, se sub eadem forma, scilicet cum abnegatione Christi & spuitione super crucem, fratres multos recepisse. Sunt etiam quidam ex eis quædam alia horribilia & inhonesta confessi, quæ, ut eorum ad præsens parcamus verecundiæ, subticemus. Dixerunt præterea, & confessi fuerunt, esse vera quæ in eorum confessionibus & depositionibus continentur, quas dudum fecerant coram inquisitore hæreticæ pravitatis: quæ confessiones & depositiones dictorum magistri & præceptorum, in scripturam publicam per quatuor publicos tabelliones redactæ, in ipsorum magistri & præceptorum, & quorumdam aliorum bonorum virorum præsentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio coram ipsis, eisdem lectæ fuerunt de mandato & in præsentia cardinalium prædictorum, & in suo vulgari exposita cuilibet eorundem. Qui perseverantes in illis, eas expresse ac sponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt. Et post confessiones & depositiones hujusmodi, ab ipsis cardinalibus, ab excommunicatione, quam pro præmissis incurrerant, absolutionem flexis genibus, manibusque complicatis humiliter & devote, ac cum lacrymarum effusione non modica, petierunt: ipsi vero cardinales, quia ecclesia non claudit gremium redeunti, ab eisdem magistro & præceptoribus hæresi abjurata, expresse ipsis secundum formam ecclesiæ autoritate nostra absolutionis beneficium impenderunt, ac deinde ad nostram præsentiam redeuntes, confessiones & depositiones prælibatorum magistri, & præceptorum in scripturam publicam per manus publicas, ut est dictum, redactas nobis præsentaverunt, & quæ cum dictis magistro & præceptoribus fecerant, retulerunt: ex quibus confessionibus, & depositionibus, ac relatione, invenimus sæpe fatos magistrum & fratres, in præmissis & circa præmissa, licet quosdam ex eis in pluribus & alios in paucioribus, graviter deliquisse. Attendentes autem, quod scelera tam horrenda transire incorrecta absque Dei omnipotentis & omnium catholicorum injuria non poterant nec debebant, decrevimus de fratrum nostrorum consilio per ordinarios locorum, ac per alios fideles & sapientes viros ad hoc deputandos a nobis, contra singulares personas ipsius ordinis, necnon contra dictum ordinem, per certas directas personas, quas ad hoc duximus deputandas, super præmissis criminibus & excessibus inquirendum. Iis nempe, quæ magis flere cogimur quam narrare, cor nostrum passione nimia cruciatur: & cum tanta proinde nobis immineat gemendi materia, fletum non possumus declinare. Quisnam catholicus hæc audiens, nimis non doleat, & prorumpat in luctum? quis fidelis hujusmodi sinistrum eventum intelligens, amara non emittat suspiria, verbaque lamentationis & mœstitudinis non eructet, cū tota Christianitas huiusmodi doloris sit particeps, & hic casus fideles percutiat universos? Ex his etiam, dum ministerio debitæ considerationis nostræ mentis præsentantur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit, & ad tanta discrimina revelanda suspirat affectus, zelus accenditur, & spiritus anxiatur. Ad quod cum nos sufficere commode non posse sciamus, levamus oculos nostros ad montem, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde opportunum nobis provenire auxilium, & humiliter petimus, & devote speramus. Et quia salubre in his adhiberi remedium interest generaliter

neraliter omnium, nos cum eisdem fratribus nostris, alisque viris prudentibus, exacto ac frequenti tractatu præhabito, prout tantæ necessitatis instantia exigebat, de ipsorum fratrum consilio universale concilium, sicut imitatione digna sanctorum patrum consuetudo laudabilis, longævæ observationis exemplo nos instruit, a proximis Kalendis Octobris ad duos annos immediate sequentes; decrevimus congregandum: ut in eo, tam circa dictum ordinem, & personas singulares, & bona ejusdem, & alia quæ statum tangunt fidei catholicæ, quam circa recuperationem & subsidium terræ sanctæ, ac reparationem, ordinationem, & stabilitatem ecclesiarum, & ecclesiasticarum personarum, & libertatum eorum, illa, Deo auspice, communi consilio inveniatur provisio, & ejusdem approbatione concilii roboretur, per cujus salutiferam executionem virtus Altissimi, eliminatis erroribus, roborata fide, ad tramitem veritatis, reductis errantibus, redintegrata ejusdem fidei unitate, extirpatis vitiis, virtutibusque plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solida stabilitate munita, recuperatis deperditis, & ejusdem terræ statu prospero reparato, occupata restituat, vastata restauret, & restaurata conservet, nobisque viam aperiat idem ipse qui novit, & facultatem tribuat ipse qui potest: ut sic in præmissis juxta intensum animi nostri desiderium sibi ministrare possimus salubriter, quod idem verus ejusdem universalis sponsus ecclesiæ ipsam dilectam suam purgatam maculis, munitam virtute, ac monilibus ornatam, unam semper habeat & formosam, ad sui nominis laudem & gloriam, ad animarum profectum, robur fidei, pacem & exaltationem populi Christiani. Quia vero prosecutio tanti propositi, tempore indiget, ut deductum maturius, facilius autore Domino effectum debitum sortiatur: prædictum tempus ad id duximus deputandum. Unde venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, archidiaconis, archipresbyteris, & aliis ecclesiarum prælatis, exemptis & non exemptis, eorumque capitulis, & conventibus, per alias nostras litteras præcipiendo mandamus, ut iidem archiepiscopi, necnon & cæteri episcopi per ipsorum archiepiscoporum provincias constituti, in eisdem litteris nominati, reliquis ipsorum episcoporum in dictis provinciis remanentibus ad ea quæ pontificale officium exigunt, tam in suis, quam illarum dictarum provinciarum, qui ad hujusmodi concilium universale accesserint, civitatibus & diœcesibus exercenda, omni negligentia relegata, cunctis, prout talis & tanti negotii qualitas exigit, dispositis & paratis, sic medio tempore se accingant ad iter, quod in hujusmodi decreto termino, quem eis & aliis peremptorie assignamus, in Viennensi civitate iidem archiepiscopi & episcopi taliter nominati personaliter, alii vero remanentes episcopi, electi, abbates, priores, decani, præpositi, archidiaconi, presbyteri, & prælati, capitula, & conventus, per eosdem archiepiscopos & episcopos ad prædictum concilium accessuros (quibus, ad omnia quæ in eodem concilio statuentur, fient, & ordinabuntur, & fuerint opportuna, concedant plenariam potestatem, de qua sufficienter constet per publica documenta) nostro se conspectui repræsentent. Quod si forsan ipsis archiepiscopis & episcopis accessuris hujusmodi noluerint concedere potestatem, eo casu venire, vel alios procuratores idoneos cum potestate simili ad idem teneantur concilium destinare. Non obstantibus quibuslibet privilegiis, seu indulgentiis, quibuscumque personis, ordini, dignitati, seu collegio, sub quacumque verborum

A forma, vel expressione a prædicta sede concessis: per quæ possit effectus hujusmodi mandati nostri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari. Mandavimus insuper, ut iidem archiepiscopi & prælati, per se vel alios viros prudentes, Deum timentes, & habentes præ oculis omnia, quæ correctionis, & reformationis limam exposcunt, inquirentes subtiliter, & conscribentes fideliter, eadem ad ipsius concilii notitiam deferant. Et nos nihilo minus variis modis & viis solers studium & efficacem operam dare proponimus, ut omnia talia in examen hujusmodi deducta concilii, correctionem & directionem recipiant opportunam. Hoc etiam in eisdem nostris litteris adjecto, ut nullus inobedientiæ notam, & canonicæ ultionis acrimoniam vitare desiderans, fallacium excusationum velamento se muniat, vel ex impedimentis

B itinerum, quæ, Domino prava in directa, & in vias planas aspera, sua omnipotentia convertente, cessabunt, frivolæ allegationis munimenta confingat, ut a tam sancti prosecutione operis se subducat: sed occurrant singuli voluntarii ad id quod & Divinæ congruit voluntati, & salutem animarum, ac utilitatem respicit singulorum. Cæterum, quia multipliciter expedit, ut tam celebre concilium tua & aliorum catholicorum principum decoretur præsentia, ut salubri consilio & auxilio fulciatur: serenitatem regiam rogamus, & hortamur attentius, in remissionem tibi peccaminum suadentes, quod præscriptis loco & termino, in eodem

C concilio, captata interim ad hoc opportunitate studeas personaliter interesse: meditatione provida prudenter attendens, quod in hoc non solum labor, quem ad tam sancti & utilis negotii promotionem assumes, tibi cedet ad meritum, verum etiam aliorum qui ad veniendum ad idem concilium, efficacius tuo inducentur exemplo. Et nihilo minus vota tua nobis poteris familiarius aperire, quæ in omni benevolentia libenter ad exauditionis gratiam, quantum cum Deo ac ecclesiæ honore poterimus, admittemus.

Datum Pictavis secundo Idus Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

In eodem modo, ut supra proximo, per totum scribitur Eduardo regi Angliæ illustri.

In eodem modo Carolo regi Siciliæ illustri.

D In eodem modo Carolo regi Hungariæ illustri.

In eodem modo Iacobo regi Aragonum illustri.

In eodem modo Ferdinando regi Castellæ & Legionis illustri.

In eodem modo Iacobo regi Majoricarum illustri.

In eodem modo Ludovico regi Navarræ illustri.

In eodem modo Dionysio regi Portugalliæ illustri.

In eodem modo regi Bohemiæ illustri.

In eodem modo Henrico regi Cypri illustri.

In eodem modo regi Daciæ illustri.

In eodem modo regi Norvvegiæ illustri.

In eodem modo Friderico regi Trinacriæ illustri.

In eodem modo regi Suvvetiæ illustri.

E In eodem modo carissimo in Christo filio Henrico regi Romanorum illustri: Regnans, &c. ut in forma, usque, A proximis Kalendis Octobris, usque ad unum annum immediate sequentem decrevimus congregandum, &c. usque, Datum Avenioni quinto Kalendas Augusti, anno quarto.

In eodem modo, venerabilibus fratribus archiepiscopo Turonensi, & episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, archipresbyteris, archidiaconis, & aliis ecclesiarum prælatis, exemptis & non exemptis, & eorum capitulis & conventibus per Turonensem provinciam constitutis, salutem, &c. Regnans in cælis, &c. ut in forma proxime superiori, mutatis mutandis, usque, Ad id

ANNO CHRISTI 1311.

id duximus deputandum. Quocirca univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, Redonenſis & Andegavenſis & Nannetenſis epiſcopi, reliquis veſtrum epiſcoporum in veſtra provincia remanentibus, ad ea quæ pontificale officium exigunt, tam in veſtris, quam illorum dictæ provinciæ, qui ad hujuſmodi concilium univerſale acceſſerint, civitatibus & diœceſibus, exercenda, omni negligentia relegata, cunctis, prout talis & tanti negotii qualitas exigit, diſpoſitis & paratis, ſic vos medio tempore accingatis ad iter, quod in hujuſmodi decreto termino, quem vobis & aliis peremptorie aſſignamus, in Viennenſi civitate, noſtro vos, archiepiſcopi & epiſcopi ſuperius nominati perſonaliter, vos vero alii remanentes epiſcopi, electi, abbates, priores, decani, præpoſiti, archidiaconi, & prælati, capitula, & conventus per eoſdem archiepiſcopum & epiſcopos ad prædictum concilium acceſſuros, quibus ad ea quæ in eodem concilio ſtatuentur, fient, & ordinabuntur, & fuerint opportuna, concedatis plenariam poteſtatē, de qua ſufficienter conſtet per publica documenta, conſpectui præſentetis. Quod ſi forſan ipſis archiepiſcopo & epiſcopis acceſſuris hujuſmodi nolueritis concedere poteſtatem, eo caſu venire, vel alios procuratores idoneos cum poteſtate ſimili ad idem concilium teneamini deſtinare: non obſtantibus quibuſlibet privilegiis ſeu indulgentiis, quibuſcumque perſonis, ordini, dignitati, ſeu collegio, ſub quacumque verborum forma vel expreſſione a prædicta ſede conceſſis, per quæ poſſit effectus hujuſmodi mandati noſtri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari. Interim quoque per vos, & alios viros prudentes, Deum timentes, & habentes præ oculis omnia quæ correctionis & reformationis limam expoſcunt, inquirentes ſalubriter, & conſcribentes fideliter, eadem ad ipſius concilii notitiam deferatis. Et nos nihilo minus variis modis & viis ſolers ſtudium & efficacem operam dare proponimus, ut omnia talia in examen hujuſmodi deducta concilii, correctionem & directionem recipiant opportunam. Nullus, inobedientiæ notam & canonicæ ultionis acrimoniam vitare deſiderans, fallacium excuſationum velamento ſe muniat, vel ex impedimentis itinerum, quæ, Domino prava in directa, & in vias planas aſpera, ſua omnipotentia convertente, ceſſabunt, frivolæ allegationis munimenta confingat, ut a tam ſancti proſecutione operis ſe ſubducat: ſed occurrant ſinguli voluntarii ad id quod & Divinæ congruit voluntati, & ſalutem animarum, & utilitatem reſpicit ſingulorum.

Datum Pictavis ſecundo Idus Auguſti, anno tertio.

In eodem modo venerabilibus fratribus archiepiſcopo Bituricenſi ac epiſcopis, & dilectis filiis electis, abbatibus, *&c. ut ſupra proxime, uſque ad*, Per Bituricenſem provinciam conſtitutis Regnans in cælis, *&c. ut ſupra, uſque ad*, Mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, ac Mimatenſis, Lemovicenſis ac Anicienſis epiſcopi, reliquis veſtrum epiſcoporum in veſtra provincia, *&c.* Datum, ut ſupra, *& ſic ſcribitur ſingulis archiepiſcopis inferius nominatis in ſua provincia.*

In eodem modo archiepiſcopo Rotomagenſi ac epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, ac Bajocenſis & Conſtantienſis epiſcopi, reliquis veſtrum, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Auxitano & epiſcopis, *&c. uſque ad* mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, Vaſatenſis, Aquenſis & Convenarum epiſcopi, reliquis, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Narbonenſi & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, ac Toloſane, Magalonenſis & Biterrenſis epiſcopi, reliquis, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Lugdunenſi & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, ac Lingonenſis & Eduenſis epiſcopi, reliquis, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Remenſi & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, ac Sueſſionenſis, Catalaunenſis & Belvacenſis epiſcopi, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Senonenſi & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, ac Aurelianenſis, Antiſiodorenſis & Pariſienſis epiſcopi, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Burdigalenſi & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, ac Agunnenſis, Pictavenſis & Santonenſis epiſcopi, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Upſalenſi & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, ac Stravinenſis & Augurienſis epiſcopi, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Moguntino & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, ac Pragenſis, Moravienſis, Conſtantienſis & Argentinenſis epiſcopi, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Panormitano & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, & Mazarenſis & Agrigentine epiſc. *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Eboracenſi & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, ac Carleonenſis epiſcope, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Nidroſienſi & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, Aſloenſis & Bergenſis epiſcopi, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Piſano & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, & Meſſan.* epiſcope, *&c.* — *Corr.* Maſſenſis

In eodem modo archiepiſcopo Tarantaſienſi & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, & Sedunenſis epiſcope, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Raguſino & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, & Dribumen.* ac Boſnenſis epiſcopi, *&c.* — * *f.* Tribulienſis

In eodem modo archiepiſcopo Gueſnenſi & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, & Caminenſis ac Lubicenſis* epiſcopi, *&c.* — * *f.* Luſucenſis

In eodem modo archiepiſcopo Strigonienſi & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, ac Quinqueccleſienſis & Agrienſis epiſcopi.

In eodem modo archiepiſcopo Antibarenſi & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, Polacenſis & Suacinenſis epiſcopi, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Hiſpalenſi & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, & Carthaginenſis epiſcope, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Barenſi & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, & Melphitenſis epiſcope, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Toletano & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, & Palentine, & Burgenſis epiſcopi, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Biſuntino & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, ac Baſilienſis epiſcope, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Ravennatenſi & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, & Parmenſis, Faventine & Mutinenſis epiſcopi, *&c.*

In eodem modo archiepiſcopo Neapolitano & epiſcopis, *&c.* mandamus, quatenus vos fratres, ar-

ANNO CHRISTI 1311.

chiepiſcope, ac Averſanæ epiſcope, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Tarraconenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, ac Valentine, Cæſarauguſtane & Gerundenſis epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Iadrenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, Signenſis & Veglenſis epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Ianuenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Robienſis, & Aprumacenſis epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Saltzburgenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Patavienſis, Ratiſponenſis & Bambergenſis epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Coloſſenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Zagabrienſis & Vltraſilvan. epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Arelatenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Maſſilienſis, Avenionenſis & Tricaſtrine epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Bremenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Lubicenſis & Barduicenſis epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Capuano & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Venafrane epiſcope, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Mediolanenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Bergamenſis, Brixienſis, Cremonenſis & Placentine epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Ebredunenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Nicienſis & Granenſis epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Lundenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Ottonienſis & Roſtrildenſis epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Magdeburgenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Brandeburgenſis & Havelbergenſis epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Dublinenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Fernenſis epiſcope, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Colonienſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Leodienſis & Trajectenſis epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Corinthienſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Argonenſis epiſcope, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Caſſellenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Leomenſis, Inſulane & Cluacenſis epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Turritanenſi ac epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, ac Boſan. epiſcope, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Tuamenſi & epiſcopis, &c. *uſque ad*, Mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, ac Elfinenſis & Achadenſis epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Arborenſi, & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, ac ſanctæ Iuſtæ & Civitatenſis epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Spalatenſi, & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, ac Tragurienſis & Arbenſis epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Patracenſi, & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, ac Motonenſis & Coronenſis epiſcopi, &c.

A In eodem modo archiepiſcopo Cantuarienſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, ac Londinenſis, Vintonienſis, Sariſberienſis, Vigornenſis & Lincolnienſis epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Armachano & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, ac Connenſis & Dunenſis epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Compoſtellano & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, ac Salamantinenſis, Vlixbonenſis & Legionenſis epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Aquenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, ac Forojulienſis & Siſtaricenſis epiſcopi, &c.

B In eodem modo archiepiſcopo Treverenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Metenſis epiſcope, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Bracarenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, ac Portugallenſis, Conimbricenſis & Tudenſis epiſcopi, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Calaritano & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Dolienſis epiſcope, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Viennenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Gebennenſis & Vivarienſis epiſcopi, &c.

C In eodem modo archiepiſcopo Athenienſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Nigropontenſis & Reonnenſis epiſc. &c.

In eodem modo archiepiſcopo Beneventano & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Avellinenſis epiſcope, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Nicoſienſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Paphenſis epiſcope, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Meſſanenſi, & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, ac Pactenſis epiſcope, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Coſano & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus te frater archiepiſcope, vobis epiſcopis in veſtra provincia remanentibus, ad ea quæ pontificale officium, &c. *ut ſupra uſque*, In Viennenſi civitate noſtro te, archiepiſcope, perſonaliter, vos vero alii remanentes, &c. *mutatis mutandis uſque in finem*.

D In eodem modo archiepiſcopo Tranenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus te frater archiepiſcope, vobis epiſcopis, &c. *ut ſupra*.

In eodem modo archiepiſcopo Sipontino & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus te frater archiepiſcope, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Rigenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus te frater archiepiſcope, &c.

E In eodem modo archiepiſcopo Tarentino & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus te frater archiepiſcope, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Hydruntino & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus te frater archiepiſcope, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Montiſregalis & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus te frater archiepiſcope, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Salernitano & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus te frater archiepiſcope, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Conſentino & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus te frater archiepiſcope, &c.

In eodem modo archiepiſcopo Brunduſino & epiſcopis,

ANNO CHRISTI 1311.

pis, &c. mandamus, quatenus te frater archiepiscope, &c.

In eodem modo archiepiscopo Thebano & episcopis, &c. mandamus, quatenus te frater archiepiscope, &c.

In eodem modo archiepiscopo Surrentino & episcopis, &c. mandamus, quatenus te frater archiepiscope, &c.

In eodem modo archiepiscopo Rassanensi & episcopis, &c. mandamus, quatenus te frater archiepiscope, &c.

In eodem modo archiepiscopo Regiensi & episcopis, &c. mandamus, quatenus te frater archiepiscope, &c.

In eodem modo archiepiscopo Amalfitano & episcopis, &c. mandamus, quatenus te frater archiepiscope, &c.

In eodem modo archiepiscopo sanctæ Severinæ & episcopis, &c. mandamus, quatenus te, frater archiepiscope, &c.

In eodem modo archiepiscopo Acheruntino & episcopis, &c. mandamus, quatenus te, frater archiepiscope, &c.

In eodem modo patriarchæ Constantinopolitano & episcopis, ac dilectis filiis electis, *&c. ut supra, usque*, Per Constantinopolitanam & Cretensem provincias constitutis, mandamus, quatenus vos fratres patriarcha, cum duobus suffraganeis patriarchatus tui Constantinopolitani, quos ad hoc duxeris eligendos, & episcope Arianensis suffraganee ecclesiæ Cretensis, quæ Constantinopolitanæ ecclesiæ, per sedem apostolicam, *usque*, Ad ipsius sedis beneplacitum est unita, reliquis vestrum, *&c. ut supra*. Datum, ut supra.

In eodem modo patriarchæ Aquileiensi & episcopis, &c. per Aquileiensem provinciam constitutis, mandamus, quatenus vos fratres patriarcha, Cumane, Vincentine, Paduane, Polane, & Tarvisine episcopi, reliquis, &c.

In eodem modo patriarchæ Gradensi & episcopis, &c. per Gradensem provinciam, &c. mandamus, quatenus vos fratres patriarcha, & Castellane episcope, &c.

In eodem modo patriarchæ Hierosolymitano, & episcopis, &c. per Hierosolymitanam provinciam, &c. mandamus, quatenus te, frater patriarcha, cum duobus ex suffraganeis tuis, quos ad hoc duxeris eligendos, reliquis, &c.

In eodem modo venerabilibus fratribus Fundano, & Sorano, ac aliis episcopis, & dilectis filiis electis, *&c. ut supra*, per Campaniam & Maritimam constitutis, mandamus, quatenus vos fratres Fundane & Soranensis episcopi, reliquis vestrum in Campaniæ & Maritimę partibus remanentibus, *&c. ut sup. in forma*.

In eodem modo Sutrino & Balneoregiensi & aliis episcopis & dilectis filiis, &c. per patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis, mandamus, quatenus vos fratres Sutrine & Balneoregiensis episcopi, reliquis vestrum episcoporum in patrimonio beati Petri remanentibus, &c.

In eodem modo Perusino & Spoletano, ac universis aliis episcopis & dilectis filiis, &c. per ducatum Spoletanum constitutis, &c. mandamus, quatenus vos fratres Perusine & Spoletane episcopi, reliquis vestrũ episcoporum in ducatu Spoletano remanentibus, &c.

In eodem modo Æsino, Fanensi & Camerinensi, ac aliis episcopis & dilectis filiis, &c. per Anconitanam marchiam constitutis, mandamus, quatenus vos fratres Æsine, Fanensis & Camerinensis episcopi, reliquis vestrum in Anconitana marchia remanentibus, &c.

In eodem modo Florentino & Pistoriensi, ac aliis episcopis, & dilectis filiis, &c. per Tusciam constitutis, &c. mandamus, quatenus vos fratres Florentine & Pistoriensis episcopi, reliquis vestrum in Tuscia remanentibus, &c.

In eodem modo sancti Andreæ, Candidæcasæ, & Glascuensi, ac aliis universis episcopis, & dilectis filiis, &c. per regnum Scotiæ constitutis, &c. mandamus, quatenus vos fratres sancti Andreæ, Candidæcasæ, & Glascuensis episcopi, reliquis vestrum in dicto regno Scotiæ remanentibus, &c.

In eodem modo Theatino, Valvensi, & Aquilensi, & aliis episcopis, & dilectis filiis, &c. per partes Aprutii constitutis, &c. mandamus, quatenus vos fratres Theatine, Valvensis, & Aquilensis episcopi, reliquis vestrum episcoporum in partibus Aprutii remanentibus, &c.

In eodem modo dilectis filiis Casinensi & sancti Vincentii de Vulturno, ac cæteris abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, archidiaconis, archipresbyteris, & aliis monasteriorum & ecclesiarum prælatis, exemptis & non exemptis, & eorum conventibus & capitulis per ipsorum Casinensis & sancti Vincentii monasteriorum terras constitutis, &c. *usque*, Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus vos Casinensis & sancti Vincentii de Vulturno monasteriorum abbates omni negligentia, &c. *usque*, In Viennensi civitate nostro vos abbates superius nominati personaliter, vos vero alii remanentes abbates, priores, decani, &c. Quod si forte ipsis abbatibus accessuris, *&c. mutatis mutandis, ut supra*.

In eodem modo venerabili fratri Isnano archiepiscopo Thebano vicario nostro in Urbe, & dilectis filiis abbatibus, prioribus, &c. *usque*, Ipsam urbem, & ejus districtum constitutis, mandamus, quatenus vos vicarie, & sancti Pauli ac Laurentii extra muros Urbis monasteriorum abbates, omni negligentia relegata, *&c. ut supra usque*, Vicarie, & abbates superius nominati personaliter, vos vero alii remanentes abbates, &c. ut supra per totum.

Datum, ut supra, *& eadem data in omnibus superioribus de concilio.*

Datum Pictavis secundo Idus Augusti anno tertio.

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Nicosiensi & ejus suffraganeis.

ALma mater ecclesia nonnulla plerumque rationabiliter ordinat, quæ postmodum, prout secundum varietatem temporum, & qualitatem etiam emergentium, agendorum considerata suadet utilitas, in melius consulta deliberatione commutat. Sane licet ecclesiarum prælatos ad universale concilium, quod dudum a proximis tunc Kalendis Octobris ad duos annos immediate sequentes apud civitatem Viennensem de fratrum nostrorum consilio decrevimus congregandum, per nostras sub certa forma litteras duxerimus evocandos: quia tamen negotium inquisitionum, quas per diversas mundi partes contra ordinem militiæ Templi, ejusque singulares personas, fieri mandavimus, completum non est, & quod in brevi compleri valeat non speramus, nec videmus ipsum negotium, & nonnulla alia quæ in eodem sunt tractanda concilio, posse usque ad præfatum statutum terminum taliter præparari, quod ad ipsius examen concilii decenter valeant introduci: eumdem terminum usque ad Kalendas Octobris, prædictum primum terminum jamdudum per easdem nostras litteras assignatum immediate sequentes, ex præmissis & aliis certis justis & legitimis causis, quas præsentibus inseri non oportet, de fratrũ eorumdem consilio duximus prorogandum. Hæc itaque vo-

ANNO CHRISTI 1311.

bis tenore præsentium intimantes, universitati vestræ A per apostolica scripta præcipiendo mandamus: quatenus juxta modum & formam in prædictis nostris directis vobis litteris declaratos, in hujusmodi prorogato termino & loco prædicto, quem vobis peremptorium assignamus, omni, quam inevitabilis necessitas non inducat, excusatione postposita, nostro vos conspectui præsentetis.

Datum Avenione secundo Nonas Aprilis anno v.

In eodem modo, ut supra proximo per totum, venerabilibus fratribus archiepiscopo Lugdunensi & ejus suffraganeis. Datum ut supra.

In eodem modo archiepiscopo Magdeburgensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Capuano & ejus B suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Panormitano & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Corinthiensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Mediolanensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Strigoniensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Colossensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Turritano & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Lundensi & ejus suf- C fraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Arborensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Upsalensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Spalatensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Coloniensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Armacano & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Cantuariensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Tuamensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Cassellensi & ejus D suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Dublinensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Eboracensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Turonensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Remensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Senonensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Moguntino & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Bremensi & ejus E suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Saltzburgensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Tarantasiensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Ragusino & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Burdigalensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Hispalensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Bisuntino & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Tarraconensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Ravennatensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Toletano & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Narbonensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Barensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Rotomagensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Antibarensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Pisano & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Iadrensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Ianuensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Bituricensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Neapolitano & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Gnesnensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Auxitano & eius suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Patracensi & eius suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Sipontino & eius suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Consentino & eius suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Rossanensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Amalfitano & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Treverensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Regiensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Montisregalis & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Thebano & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Calaritano & eius suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Salernitano & eius suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Viennensi & eius suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Hydruntino & eius suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Tranensi & eius suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Brundusino & eius suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Messanensi & eius suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Consano & eius suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Ebredunensi & eius suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Surrentino & eius suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Tarentino & eius suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Bracarensi & eius suffraganeis.

In

In eodem modo archiepiscopo Aquensi & ejus A
suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Atheniensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Beneventano & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Compostellano & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Rigensi & eius suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Arelatensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo Acheruntino & ejus suffraganeis.

In eodem modo archiepiscopo sanctæ Severinæ & B
ejus suffraganeis.

In eodem modo patriarchæ Constantinopolitano & ejus suffraganeis.

In eodem modo patriarchæ Gradensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo patriarchæ Aquileiensi & ejus suffraganeis.

In eodem modo patriarchæ Hierosolymitano & ejus suffraganeis.

In eodem modo Sutrino & Balneoregiensi episcopis, per totum, ut supra.

In eodem modo Eliensi, Fanensi & Camerinensi episcopis.

In eodem modo Theatinensi, Valvensi & Aquilen- C
si episcopis.

In eodem modo Florentino & Pistoriensi episcopis.

In eodem modo Fundano & Sorano episcopis.

In eodem modo venerabili fratri episcopo Perusino, & dilecto filio Petro electo Spoletano.

In eodem modo dilectis filiis Casinensi & S. Laurentii de Vulturno monasteriorum abbatibus.

In eodem modo Isnardo archiepiscopo Thebano vicario nostro in Urbe, usque, Hæc itaque tibi tenore præsentium intimantes, fraternitati tuæ, *&c.* usque, Nostro te cõspectui repræsentes. Datum ut supra.

In eodem modo archiepiscopo S. Andreæ & aliis episcopis in regno Scotiæ constitutis.

In eodem modo carissimo in Christo filio Philippo D
regi Franciæ illustri. Alma mater, *&c.* ut supra, usque, Sane licet ecclesiarum prælatos, & celsitudinem tuam ad universale concilium, *&c.* usque ad, Sub certa forma litteras, prælatis ipsis, & tibi super ipsius concilii convocatione directas, duxerimus evocandos: quia tamen, *&c.* usque ad, Hæc itaque ad tuam, & universorum notitiam deducentes, serenitatem regiam rogamus, & hortamur attente, usque, In remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus, præscripto termino, sic per nos, ut prædicitur, prorogato, studeas in eodem concilio juxta priorum directarum tibi per nos super hoc litterarum tenorem in prælibato loco personaliter interesse.

Datum ut supra in prima forma.

In eodem modo Eduardo regi Angliæ.

In eodem modo Roberto regi Siciliæ.

In eodem modo Iacobo regi Aragonum.

In eodem modo Fernando regi Castellæ & Legionis.

In eodem modo Iacobo regi Majoricarum.

In eodem modo Ludovico regi Navarræ.

In eodem modo Dionysio regi Portugalliæ.

In eodem modo regi Bohemiæ.

In eodem modo Henrico regi Cypri.

In eodem modo regi Daciæ.

In eodem modo regi Norvegiæ.

In eodem modo Friderico regi Trinacriæ.

In eodem modo regi Suetiæ.

In eodem modo Henrico regi Romanorum.

In eodem modo regi Hungariæ.

Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Alma mater ecclesia, *&c.* ut supra in illa ad prælatos, usque, Sub certa forma litteras prælatis ipsis super ipsius concilii convocatione directas duxerimus evocandos, quia tamen negotium inquisitionum, *&c.* ut ibidem, usque, Hæc itaque ad universorum notitiam deducentes, volumus, & prædictis prælatis harum autoritate præcipiendo mandamus, quatenus juxta modum & formam in prædictis nostris prioribus, & directis litteris declaratos, in hujusmodi prorogato termino & loco prædicto, quem eis peremptorium assignamus, omni, quam inevitabilis necessitas non inducat, excusatione postposita, nostro se conspectui repræsentent. Ut autem hujusmodi nostra prorogatio ad communem omnium notitiam facilius deducatur, licet per alias nostras litteras prælatis ipsis per nos dudum evocatis, hæc specialiter intimemus: has chartas, sive membranas, prorogationem continentes eamdem, in ecclesiæ majoris Avenionensis appendi, vel affigi ostiis, seu superliminaribus faciemus: quæ prorogationem ipsam suo quasi sonoro præconio, & patulo judicio publicabunt. Ita quod ii, quos prorogatio ipsa contingit, nullam postea possint excusationem prætendere, quod ad eos talis prorogatio non pervenerit, vel quod ignorarint eamdem: cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Datum Avenione, secundo Nonas Aprilis, anno V.

Dilecto filio abbati monasterii Cisterciensis, Cabilonensis diœcesis.

Regnans in cælis triumphans ecclesia, cujus pastor est Pater æternus, cui sanctorum ministrant agmina, & laudis gloriam angelorum chori decantant in terris, ad sui similitudinem & repræsentationem constituit ecclesiam militantem unigenito Filio Dei vivi Domino Iesu Christo ineffabili commercio copulatam, in qua idem unigenitus Dei Filius a Patre progrediens, per illustrationem Paracleti procedentis pariter ab utroque, statuit fidei fundamentum.

Sancta Romana ecclesia, mater alma fidelium, caput est, disponente Domino, ecclesiarum aliarum omnium & magistra, a qua, veluti a primitivo fonte, ad singulas ecclesias eiusdem fidei rivuli derivantur, ad cuius regimen voluit Christi clementia Romanum pontificem vice sui deputare ministrum, ut instructionem ac doctrinam ipsius, eloquio veritatis evangelicæ traditam cuncti renati fonte baptismatis teneant & conservent, & qui sub hac doctrina cursum vitæ recte E
peregerint, salvi fiant, qui vero ab ea deviaverint, condemnentur. Ipsa nempe Romana mater ecclesia, iuxta exigentiam possibilitatis ipsius, ad cunctas orbis provincias, in quibus Divini nominis cultus viget, fideique catholicæ observantia rutilat, intuitum sedulæ considerationis extendens, & subjiciens ab olim suæ considerationis examini, diuturnæ calamitatis angustias, illius specialis hereditatis Dominicæ, videlicet terræ sanctæ ab infidelibus miserabiliter conculcatæ, in qua idem Patris æterni Filius, nostræ carnis indumento contectus, salutem humani generis, pietate ineffabili extitit operatus, quamque sua ipse voluit corporali insignire præsentia, & proprii aspersione sanguinis cõsecrare, multa solicitudine studuit eidem ter-

ANNO CHRISTI 1311.

terræ, retroactis temporibus, quibus potuit remediis, ut eriperetur ab ipsis impiis, subvenire. Et quia inter ceteros, quos professio Christianæ religionis includit, milites & fratres domus militiæ Templi Hierosolymitani, sicut est toti orbi notorium, tamquam speciales ejusdem fidei pugiles, & jam dictæ terræ præcipui defensores, ipsius terræ negotium principaliter gerere videbantur: ipsos & eorum ordinem præfata ecclesia specialis favoris plenitudine prosequens, eos adversus Christi hostes crucis armavit signaculo, multis exaltavit honoribus, ditavit facultatibus, ac diversis libertatibus & privilegiis communivit. Hi nimirum, cum crederentur in Domini servitio sub regulari habitu fideliter militare, sibi quasi cunctorum manus fidelium, cum multiplici erogatione bonorum, sentiebant multifarie multisque modis propterea adjutrices. Sed, B proh dolor, nova & calamitosa vox de malignitatis fratrum ipsorum enormitate progrediens, nostrum replevit, immo verius perturbavit auditum. Hæc enim vox nuncia lamentationis, & gemitus, audientibus horrorem ingerit, commovet animas, mentes turbat, & cunctis fidei Christianæ cultoribus novum ineffabilis amaritudinis calicem subministrat: & dum facti seriem, ejus necessitate poscente, depromimus, noster attenuatur præ angustia spiritus, & valetudinis fatigata confractibus membra singula, præ nimio dolore tabescunt. Dudum siquidem circa nostræ promotionis ad apicem summi pontificatus initium, etiam antequam Lugdunum, ubi recepimus nostræ coronationis insignia, veniremus, & post, tam C ibi quam alibi, secreta quorundam nobis insinuatio intimavit, quod magister, præceptores, & alii fratres ordinis dictæ militiæ Templi, & etiam ipse ordo, qui ad defensionem patrimonii ipsius Domini nostri Iesu Christi fuerant in transmarinis partibus deputati, contra ipsum Dominum in scelus apostasiæ nefandum, detestabile idololatriæ vitium, execrabile facinus Sodomorum, & hæreses varias erant lapsi. Sed quia non erat verisimile, nec credibile videbatur, quod viri tam religiosi, qui præcipue pro Christi nomine suum sæpe sanguinem effundere, ac personas suas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quique multa & magna tam in Divinis officiis, quam in jejuniis & aliis observantiis, devotionis signa frequentius prætendebant, suæ sic essent salutis immemores, quod D talia perpetrarent: hujusmodi insinuationi, ac delationi ipsorum, ejusdem Domini nostri exemplis, & canonicæ scripturæ doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare. Deinde vero carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francorum illustris, cui eadem fuerant facinora nunciata (non typo avaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil sibi vindicare aut appropriare intendat, immo ea nobis, & ecclesiæ, per deputandos super hoc a nobis administranda, gubernanda, conservanda, & custodienda, liberaliter & devote in regno suo dimisit, manum suam exinde totaliter amovendo) sed fidei orthodoxæ fervore, suorum progenitorum vestigia clara sequens, accensus, de præmissis quantum licite potuit se informans, ad instruendum & E informandum nos super his, multas & magnas nobis informationes per suos nuncios & litteras destinavit. Infamia vero contra Templarios ipsos increbrescente validius, super sceleribus ante dictis, & quia etiam quidam miles ejusdem ordinis, magnæ nobilitatis, & qui non levis opinionis in dicto ordine habebatur, coram nobis secreto juratus deposuit, quod in receptione fratrum præfati ordinis, hæc consuetudo, vel verius corruptela servatur, quod ad recipientis vel ab eo deputati suggestionem, qui recipitur, Christum: *& reliqua, ut in priore epistola scripta anno tertio, usque ad verba illa*, Prædictum tempus ad id duximus deputandum. Et demum illud ex certis, justis & legitimis causis, quas præsentibus inseri nō oportet, usq; ad alias Kal. Octob. proxime futuras de prædictorum fratrū consilio duximus prorogandum. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus omni negligentia relegata, cunctis, prout tali & tanti negotii qualitas exigit, dispositis & paratis, sic medio tempore te accingas ad iter, quod in hujusmodi prorogato termino, quem tibi & aliis peremptorie assignamus, in Viennensi civitate nostro te conspectui repræsentes; non obstantibus quibuslibet privilegiis, seu indulgentiis, quibuscumque personis, ordini, dignitati, seu collegio, sub quacumque verborum forma vel expressione a prædicta sede concessis, per quæ possit effectus hujusmodi mandati nostri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari. Interim quoque per te, & alios viros prudentes Deum timentes, & habentes præ oculis omnia quæ correctionis & reformationis limam exposcunt, inquirens subtiliter, & conscribens fideliter, ea ad ipsius concilii notitiam deferas. Et nos nihilominus variis modis & viis solers studium & efficacem operam dare proponimus, ut omnia talia in examen hujusmodi deducta concilii correctionem & directionem recipiant opportunam. Et si inobedientiæ notam, & canonicæ ultionis acrimoniam vitare desideras, nequaquam fallacium excusationum velamento te munias, vel ex impedimentis itinerum, quæ, Domino prava in directa, & in vias planas aspera, sua omnipotentia convertente, cessabunt, frivolæ allegationis munimenta confingas, ut a tam sancti prosecutione operis te subducas: sed voluntarius occurras ad id quod & Divinæ congruit voluntati, & salutem animarum ac utilitatem respicit singulorum.

Datum Avenione decimo Kalendas Decembris, anno sexto.

In eumdem modum scribitur dilecto filio abbati monasterii Vallis umbrosæ, Fæsulanæ diœcesis. Regnans in cælis, *&c. ut supra per totum*, usque, Datum, ut supra.

In eumdem modum abbati monasterii sancti Antonii Viennensis, ordinis sancti Augustini.

In eumdem modum priori generali ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini.

In eumdem modum abbati monasterii Cluniacensis, Matisconensis diœcesis.

In eumdem modum magistro ordinis fratrum Prædicatorum.

In eumdem modum ministro generali ordinis Minorum.

In eumdem modum magistro domus militiæ sancti Iacobi.

In eumdem modum priori monasterii Carthusiensis, Maurianensis diœcesis.

In eumdem modum abbati monasterii de Clusa ordinis beati Benedicti, Taurinensis diœcesis.

In eumdem modum abbati monasterii Farfensis, ordinis sancti Benedicti.

In eumdem modum abbati monasterii S. Dionysii prope Parisios, ordinis S. Benedicti.

In eumdem modum priori eremi Camaldulensis, Aretinæ diœcesis.

In eumdem modum abbati monasterii Casædei ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diœcesis.

In eumdem modum abbati monasterii sanctæ Iustinæ Paduanæ, ordinis sancti Benedicti.

In eumdem modum priori Grandimontensis monasterii per priorem soliti gubernari, Lemovicensis diœcesis.

In eumdem modum abbati monasterii Præmonstra-

ANNO CHRISTI 1311.

stratensis, Laudunensis diœcesis.

In eumdem modum abbati monasterii sancti Laurentii Aversani, ordinis sancti Benedicti.

In eumdem modum abbati monasterii Cavensis, ordinis sancti Benedicti, Salernitanæ diœcesis.

In eumdem modum abbati Majoris monasterii Turonensis, ordinis sancti Benedicti.

In eumdem modum præceptori domus Calatravensis ordinis, Toletanæ diœcesis.

In eumdem modum priori generali ordinis fratrum beatæ Mariæ de monte Carmeli.

In eumdem modum magistro ordinis Humiliatorum.

SENTENTIA DE EXTINCTIONE TEMPLARIORUM

A CLEMENTE PAPA QUINTO LATA in concilio Viennensi.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD providam Christi vicarii præsidentis in specula apostolicæ dignitatis circumspectionem pertinet vices pensare temporum emergentium, negotiorum causas discutere, ac personarum attendere qualitates: ut ad singula debitum dirigens necessariæ considerationis intuitum, & opportune manum operationis apponens, de agro Domini sic vitiorum tribulos eruat, ut virtutes amplificet, sic prævaricantium spinas tollat, ut evellendo plus plantet quam destruat, & in loca vacua per eradicationem nocentium tribulorum, devota Deo plantamina transferendo, potiorem præbeat de provisa & utili eorum locorum unione & translatione lætitiam, quam vera justitia, quæ compassionem habet, doloris intulerit detrimentum personarum, & locorum hujusmodi per ruinam. Sic enim sufferendo quod officit, & subrogando quod proficit, virtutum profectus amplificat, & sublata de medio meliori subrogatione restaurat. Dudum siquidem ordinem domus militiæ Templi Hierosolymitani, propter magistrum, & fratres, cæterasque personas dicti ordinis in quibuslibet mundi partibus consistentes, variis & diversis non tam nefandis, quam infandis, proh dolor, errorum & scelerum obscœnitatibus, pravitatibus, maculis, & labe respersos, quæ propter tristem & spurcidam eorum memoriam præsentibus subticemus, ejusque ordinis statum, habitum, atque nomen, non sine cordis amaritudine & dolore, sacro approbante concilio, non per modum diffinitivæ sententiæ, cum eam super hoc secundum inquisitiones, & processus super his habitos, non possemus ferre de jure, sed per viam provisionis, seu ordinationis apostolicæ, irrefragabili & perpetuo valitura sustulimus sanctione, ipsum prohibitioni perpetuæ supponentes: districtius inhibendo, ne quis dictum ordinem de cætero intrare, vel ejus habitum suscipere vel portare, aut pro Templario se gerere præsumeret: quod si quis contra faceret, excommunicationis incurreret sententiam ipso facto: universa etiam bona ordinis prælibati apostolicæ sedis ordinationi & dispositioni autoritate apostolica duximus reservanda. Inhibentes districtius, ne quis, cujuscumque conditionis vel status existeret, se de personis vel bonis hujusmodi aliquatenus intromitteret, vel circa ea, in præjudicium ordinis seu dispositionis apostolicæ per sedem eamdem, ut præmittitur, faciendæ, aliquid faceret, innovaret, vel etiam attentaret: decernentes extunc irritum & inane, si secus a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari. Ac postmodum, ne dicta bona, quæ dudum ad subsidium terræ sanctæ, & impugnationem inimicorum fidei Christianæ, a Christi cultoribus data, legata, concessa, & acquisita fuerunt, debita gubernatione carentia, tamquam vacantia deperirent, vel converterentur in usus alios, quam in illos ad quos fuerant pia devotione fidelium deputata, vel propter tarditatem ordinationis & dispositionis hujusmodi, eorum destructio vel dilapidatio sequeretur: cum fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis, episcopis & prælatis, ac etiam cum nonnullis excellentibus & illustribus personis, cum reliquorum quoque absentium prælatorum, & etiam capitulorum, & conventuum, ecclesiarum & monasteriorum procuratoribus in dicto concilio constitutis, habuimus ardua, morosa, & diversa consilia, & tractatus: ut per hujusmodi consiliorum & tractatuum deliberationem præhabitam diligentem, dictorum bonorum ordinatio & dispositio, ad honorem Dei, augmentum fidei, exaltationem ecclesiæ, dictæ terræ subsidium, salutem quoque fidelium & quietem, salubris & utilis perveniret. Postque utique longa, præmeditata, provisa & matura consilia, suadentibus plurimis justis causis, nostra & dictorum fratrum, necnon patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, & aliorum prælatorum ac excellentium & illustrium personarum prædictorum in dicto concilio tunc præsentium deliberationes & consilia, in hoc finaliter resederunt, ut prædicta bona ordini hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, & ipsi hospitali, ac dilectis filiis magistro, & fratribus hospitalis ejusdem, nomine hospitalis & ordinis eorumdem, qui tamquam athletæ Domini pro defensione fidei se periculis mortis jugiter exponentes, onerosa nimis & periculosa dispendia continue perferunt in partibus transmarinis, in perpetuum unirentur. Nos igitur inter cætera mundi loca, in quibus vigere dignoscitur observantia regularis, dictum ordinem hospitalis, & ipsum hospitale, sinceræ caritatis plenitudine prosequentes, ac attendentes quod, sicut evidentia facti in eo Divinis obsequiis ferventer insistitur, pietatis & misericordiæ opera vigilantibus studiis exercentur, fratres hospitalis ipsius, mundanis spretis illecebris, devotum impendentes Altissimo famulatum, ac pro recuperatione terræ prædictæ, tamquam intrepidi Christi pugiles, ferventibus studiis & desideriis intendentes, quælibet ducunt humana pericula in contemptum: considerantes quoque quod ex hoc tanto eorumdem magistri & fratrum, dictorum ordinis & hospitalis, crescet strenuitas, animorum fervor augebitur, & ipsorum roborabitur fortitudo, ad propulsandas nostri Redemptoris injurias, & hostes ejusdem fidei conterendos, quanto ipsorum potentia in opulentioribus facultatibus augmentata, onera, quæ prosecutionis tanti negotii necessitas exigit, levius & facilius poterunt supportare: & propterea non indigne vigiles redditi, studiisque solicitis excitati, ut ad sui status augmentum opem & operam impendamus, eodem sacro approbante concilio, ipsam domum militiæ Templi, cæterasque domos, ecclesias, capellas, oratoria, civitates, castra, villas, terras, grangias, & loca, possessiones, jurisdictiones, redditus, atque jura, omniaque alia bona immobilia & mobilia, vel se moventia, cum omnibus membris, juribus & pertinentiis suis, ultra & citra mare, ac in universis & quibuslibet mundi partibus consistentia, quæ ipse ordo, & dicti magister & fratres ipsius ordinis militiæ Templi, tempore quo ipse magister, & nonnulli ex eisdem fratribus militiæ Templi, in regno Franciæ communiter capti fuerunt, videlicet anno Domini millesimo trecentesimo octavo, mense Octobri,

ANNO CHRISTI 1311.

bri, per se, vel quoscumque alios habebant, tenebant, & possidebant, vel ad eosdem domum & ordinem militiæ Templi, & dictos magistrum, & fratres ipsius ordinis militiæ Templi, quomodolibet pertinebant, necnon nomina, actiones & jura, quæ prædicto tempore captionis ipsorum, eisdem domui, ordini, vel personis ipsius ordinis militiæ Templi, quocumque modo competebant, vel competere poterant, contra quoscumque, cujuscumque dignitatis, status vel conditionis existerent, cum omnibus privilegiis, indulgentiis, immunitatibus & libertatibus, quibus præfati magister & fratres dictorum domus & ordinis militiæ Templi, & ipsa domus & ordo, per sedem apostolicam, vel per catholicos imperatores, reges & principes, & fideles alios, vel quocumque alio modo, erant legitime communiti, eidem ordini hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, & ipsi hospitali donamus, concedimus, unimus, incorporamus, applicamus, & annectimus in perpetuum, de apostolicæ plenitudine potestatis, exceptis bonis quondam dicti ordinis ipsius militiæ Templi, consistentibus in regnis & terris carissimorum in Christo filiorum nostrorum Castellæ, Aragoniæ, Portugalliæ, & Majoricarum regum illustrium, extra regnum Franciæ, quæ a donatione, concessione, unione, applicatione, incorporatione, & annexione prædictis, specialiter excipienda duximus, & etiam excludenda. Ea nihilo minus dispositioni & ordinationi sedis apostolicæ reservantes, inhibitionem dudum per alios processus nostros factam, ne quis videlicet, cujuscumque conditionis vel status existeret, se de personis & bonis hujusmodi aliquatenus intromitteret, vel circa ea, in præjudicium ordinationis seu dispositionis sedis ejusdem faciendæ de illis, necnon decreti nostri interpositionem, quoad personas & bona in dictis regnis & terris eorumdem regum proxime expressorum consistentia, omnino manere volentes in pleno robore firmitatis, quousque de personis & rebus prædictis in eisdem regnis & terris consistentibus, per dispositionem sedis ejusdem fuerit aliter ordinatum. Occupatores quoque dictorum bonorum, aut illicitos detentores, cujuscumque status, conditionis, excellentiæ vel dignitatis extiterint, etiamsi pontificali, imperiali, vel regali præfulgeant dignitate, nisi infra unius mensis spatium, postquam super hoc per dictos magistrum & fratres ipsius hospitalis, vel ipsorum quemlibet, aut procuratorem seu procuratores eorum, fuerint requisiti, dicta bona dimiserint, illaque plene ac libere restituerint ordini ipsius hospitalis, & eidem hospitali, aut magistro seu prioribus, vel præceptoribus, aut fratribus hospitalis ejusdem in quibuscumque partibus & provinciis constitutis, eorumque singulis, vel procuratori seu procuratoribus eorumdem ejusdem ordinis ipsius hospitalis nomine, etiamsi dicti priores, præceptores & fratres ipsius hospitalis, & procuratores ipsorum, & eorum quilibet, a dicto magistro ipsius hospitalis mandatum super hoc specialiter non haberent, dummodo procuratores prædicti a dictis prioribus & præceptoribus, vel eorum singulis in provinciis & partibus, in quibus hujusmodi priores & præceptores extiterint deputati, mandatum super hoc habuerint vel ostenderint speciale. Qui omnes & singuli, videlicet priores & præceptores, & fratres, dicto magistro, procuratores vero prædicti eisdem prioribus & præceptoribus, eorumque singulis, a quibus super his fuerint deputati, plenum super omnibus gestis, actis, receptis & procuratis per eos quomodolibet in hac parte, computum & rationem ponere & reddere teneantur: necnon omnes qui scienter occupatoribus & detentoribus prælibatis in occupatione vel detentione hujusmodi dederint consilium, auxilium vel favorem, publice vel occulte, excommunicationis; capitula vero, collegia seu conventus ecclesiarum & monasteriorum, necnon universitates civitatum, castrorum, villarum, & aliorum locorum, & ipsas civitates, castra, villas & loca; quæ in his culpabilia extiterint, ac etiam civitates, castra & loca, in quibus detentores & occupatores hujusmodi dominium obtinuerint temporale, si hujusmodi domini temporales in dimittendo bona prædicta, & restituendo illa magistro & fratribus ordinis & hospitalis ejusdem nomine hospitalis ipsius obstaculum adhibebunt, & infra dictum mensem ab hujusmodi præmissis non destiterint, postquam super hoc, ut præmittitur, fuerint requisiti, ipso facto interdicti sententiis decernimus subjacere; a quibus absolvi non possint, donec super his plenam & debitam satisfactionem curaverint exhibere. Et nihilo minus occupatores & detentores hujusmodi, vel præstantes eisdem, ut præmittitur, auxilium, consilium vel favorem, sive singulares personæ, sive capitula, collegia, seu conventus ecclesiarum & monasteriorum, ac universitates civitatum, castrorum, terrarum, vel aliorum locorum extiterint, præter pœnas præscriptas, omnibus, quæ a Romana, vel aliis ecclesiis quibuscumque tenent in feudum, ipso facto decernimus fore privatos sive privata. Ita quod ad ecclesias, ad quas spectant, illa libere sine contradictione aliqua revertantur; earumque ecclesiarum prælati, sive rectores de ipsis pro sua voluntate disponant, sicut utilitati ecclesiarum ipsarum viderint expedire. Nulli ergo, *&c.* nostrorum donationis, concessionis, unionis, incorporationis, applicationis, annexionis, reservationis, inhibitionis, voluntatis & constitutionis infringere, *&c.* Si quis, *&c.*

Datum Viennæ sexto Nonas Maii, pontificatus nostri anno septimo.

Dilectis filiis archidiacono & cantori Nicosiensis, & thesaurario Paphensis ecclesiarum.

AD providam Christi vicarii, *&c. ut supra proxime, usque*, Eorum memoriam nostris litteris subjicimus, ejusdemque ordinis statum, *&c. usque*, Et ipsi hospitali donavimus, concessimus, univimus, incorporavimus, applicavimus, & annexuimus in perpetuum de apostolicæ, *&c. usque*, ecclesiarum ipsarum viderint expedire.

Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel per alium, seu alios, præfatos magistrum seu priores vel præceptores, aut fratres hospitalis ejusdem, vel ipsorum quemlibet, aut procuratorem, seu procuratores eorum, nomine hospitalis ipsius, in corporalem possessionem dictorum domus militiæ Templi, cæterarumque domorum, ecclesiarum, capellarum, oratoriorum, civitatum, castrorum, villarum, terrarum, grangiarum & locorum, possessionum, jurisdictionum, redditAuum atque jurium, omniumque aliorum bonorum, mobilium & immobilium, vel se moventium, cum omnibus membris, juribus & pertinentiis suis, ultra & citra mare, ac in universis & quibuslibet mundi partibus consistentium, quæ ipse ordo, & dicti magister & fratres ipsius ordinis militiæ Templi, prædicto tempore hujusmodi captionis eorum, per se vel quoscumque alios habebant, tenebant & possidebant, vel ad eosdem domum & ordinem militiæ Templi, & dictos magistrum & fratres ipsius ordinis militiæ Templi quomodolibet pertinebant, inducatis autoritate nostra, & defendatis inductos, amotis prædictis occupatoribus & detentoribus, ac administratoribus & conservatoribus in bonis ipsis avo-

autoritate apostolica & quavis alia deputatis, & quibuslibet aliis ab eisdem, eisque faciatis de illorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis, integre responderi. Occupatores seu detentores, administratores, conservatores, & alios prædictos, nisi infra dictum terminum, ut præmittitur, bona & redditus prædicta dimiserint, illaque libere & plene restituerint ordini ipsius hospitalis, & eidem hospitali, aut magistro seu prioribus vel præceptoribus, aut fratribus hospitalis ejusdem, in partibus & provinciis ubi bona hujusmodi fuerint, constitutis, eorumque singulis, vel procuratori seu procuratoribus eorumdem ipsius hospitalis nomine, ut supra est præmissum, ac præstantes occupatoribus seu detentoribus ac administratoribus & conservatoribus hujusmodi, auxilium, consilium, vel favorem, si singulares personæ, excommunicationis; si vero capitula, collegia, seu conventus, seu universitates extiterint, & ipsas civitates, castra, villas, & loca quæ in his culpabilia fuerint, ac etiam civitates, castra & loca, in quibus detentores & occupatores hujusmodi dominium obtinuerint temporale, si hujusmodi domini temporales in dimittendo bona prædicta, & restituendo illa magistro & fratribus hospitalis ejusdem, ipsius hospitalis nomine, obstaculum adhibebunt, & infra dictum mensem ab hujusmodi præmissis non duxerint, ut prædicitur, desistendum, tamdiu interdicti per nos latis sententiis subjacere: & nihilominus omnibus bonis, quæ a Romana, vel aliis ecclesiis quibuscumque tenent in feudum, fore privatos, seu privata, per omnia loca in quibus expedire videritis, denuncietis, & faciatis ab aliis nunciari, dictosque excommunicatos arctius evitari, donec super his congrue satisfecerint, & absolutionis meruerint beneficium obtinere: non obstante, si aliquibus a prædicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo, &c. Contra etiam alios, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Volumus autem, & apostolica autoritate decernimus, quod a data præsentium sit vobis, & cuilibet vestrum, in prædictis omnibus & singulis, potestas & jurisdictio attributa, ut exnunc in eis, & eorum quolibet, ita libere procedere valeatis, ac si eadem jurisdictio per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset, & quasi re non integra perpetuata præfata jurisdictio censeatur; quodque unusquisque vestrum, articulum per collegarum suorum aliquem inchoatum, felicis recordationis Bonifacii papæ octavi prædecessoris nostri contraria constitutione cessante, prosequi libere valeat, etiam eodem collega vivente, nec impedimento aliquo præpedito, quoties & quando fuerit opportunum.

Datum, ut supra.

In eodem modo, ut supra proxime per totum, dilecto filio abbati monasterii de Roomo Claromontensis diœcesis, & Engolismensis ac Pictavensis ecclesiarum decanis.

In eodem modo dilectis filiis Rotomagensis & Suessionensis decanis, ac archidiacono ejusdem Suessionensis, ecclesiarum.

In eodem modo dilectis filiis sancti Saturnini Tolosani & de sancto Paulo monasteriorum abbatibus, ac priori de Vauro Tolosanæ diœcesis.

In eodem modo venerabili fratri archiepiscopo Viennensi, & dilecto filio archidiacono Vivariensi, ac sacristæ sæcularis ecclesiæ beati Bernardi de Romanis, Viennensis diœcesis.

In eodem modo venerabili fratri episcopo Æduensi, & dilectis filiis decano Æduensis ac cantori Cabilonensis, ecclesiarum.

In eodem modo episcopo Convenarum, & dilectis filiis abbati monasterii de Regula Bolbestriæ Lascurrensis diœcesis, ac archidiacono Auxitano.

In eodem modo Aquensi & Lectorensi episcopis, ac dilecto filio abbati monasterii sancti Fremerii, Vasatensis diœcesis.

In eodem modo archiepiscopo Bituricensi, & Lemovicensi ac Claromontensi, episcopis.

In eodem modo Tullensi ac Lingonensi episcopis, ac dilecto filio thesaurario ecclesiæ Virdunensis.

In eodem modo episcopo Agathensi, & dilectis filiis archidiacono de Veyrona Magalonensis, ac præceptori Biterrensis, ecclesiarum.

In eodem modo episcopo Tricastino, ac dilectis filiis præposito Avenionensis ac Bertrando Miloni canonico Carpentoratensis, ecclesiarum.

In eodem modo archiepiscopo Burdigalensi, & dilectis filiis abbati monasterii Sarlatensis, Petracoricensis diœcesis, ac cantori ecclesiæ Aginnensis.

In eodem modo præposito Vapincensi, & Valentinæ ac Vivariensis archidiaconis ecclesiarum.

In eodem modo decano Andegavensis, & majoris ac sancti Martini Turonensis ecclesiarum cantoribus.

In eodem modo Gratianopolitano & Gebennensi episcopis, ac dilecto filio decano ecclesiæ Tarentasiensis.

In eodem modo episcopo Aniciensi, & dilectis filiis monasterii de Dua, & sæcularis ecclesiæ sancti Evodii Aniciensis diœcesis, abbatibus.

In eodem modo episcopo Nivernensi, ac dilectis filiis abbati monasterii sancti Germani de Pratis juxta Parisios, & decano ecclesiæ Carnotensis.

In eodem modo episcopo Massiliensi, ac dilectis filiis decano Vapincensis, ac Augerio de Pontesorgie canonico Aquensis, ecclesiarum.

In eodem modo archiepiscopo Lugdunensi, & episcopo Matisconensi, ac dilecto filio decano ecclesiæ Lugdunensis.

In eodem modo Vapincensis & Diensis decanis, ac archidiacono Ebredunensis, ecclesiarum.

In eodem modo archiepiscopo Cantuariensi, & episcopo ac dilecto filio archidiacono Londoniensi.

In eodem modo archiepiscopo Cassellensi, & dilectis filiis Armachanæ & Dublinensis archidiaconis, ecclesiarum.

In eodem modo archiepiscopo Eboracensi, & dilectis filiis priori Dunelmensis, ac decano Eboracensis, ecclesiarum.

In eodem modo Lincolniensi & Vvigorniensi episcopis, ac dilecto filio decano ecclesiæ Lichefeldensis.

In eodem modo patriarchæ Constantinopolitano, & archiepiscopo Patracensi, ac episcopo Olenensi.

In eodem modo episcopo Pampilonensi, & dilectis filiis priori Roscidævallis, ac decano ecclesiæ de Tudella, Pampilonensis diœcesis.

In eodem modo patriarchæ Antiocheno, & archiepiscopo Mediolanensi, & episcopo Novariensi.

In eodem modo archiepiscopo Bisuntino, dilectis filiis decano & archidiacono ecclesiæ Bisuntinæ.

In eodem modo præposito Vivariensis, ac ejusdem & Valentinæ archidiaconis, ecclesiarum.

In eodem modo Consentino & Consano archiepiscopis, ac episcopo Marturanensi.

In eodem modo Anagnino, Marsicano, & Ortano episcopis.

In eodem modo magistris Neapolioni, de filiis Ursi de Majorica, Legionensi notario, & Hugoni Geraldi Augensis, Rotomagensis ecclesiarum archidiaconis, capellanis nostris, ac Oddoni de Ser-

ANNO CHRISTI 1311.

mineto canonico Santonensi, cameræ nostræ clerico.

In eodem modo archiepiscopo Sipontino, & Thermulano ac Civitatensi episcopis.

In eodem modo Neapolitano & Capuano archiepiscopis, ac episcopo Calvensi.

In eodem modo Metensi ac Tullensi episcopis, ac dilecto filio decano ecclesiæ Treverensis.

In eodem modo episcopo Tudertino, ac dilectis filiis abbati monasterii sancti Petri Perusini ac præposito ecclesiæ sanctæ Mustiolæ Clusinæ.

In eodem modo archiepiscopo Montis regalis, & Syracusano, ac Mazarensi episcopis.

In eodem modo abbati monasterii sancti Pauli de Vrbe, ac magistro Pandulpho de Sabello præposito de Chableis, in ecclesia sancti Martini Turonensis notario nostro, ac Bertuldo de filiis Vrsi, canonico basilicæ principis apostolorum de Vrbe.

In eodem modo Pataviensi & Ratisponensi episcopis, ac dilecto filio decano ecclesiæ Saltzburgensis.

In eodem modo archiepiscopo Ianuensi & episcopo Astensi, ac dilecto filio abbati monasterii sancti Syri Ianuensis.

In eodem modo Armachano & Dublinensi ac Tuamensi archiepiscopis.

In eodem modo archiepiscopo Bremensi, & Lubicensi ac Raskeburgensi episcopis.

In eodem modo Strigoniensi & Colossensi archiepiscopis, ac episcopo Quinqueccclesiensi.

In eodem modo patriarchæ Aquileiensi, & episcopo Tridentino, ac dilecto filio thesaurario ecclesiæ Aquileiensis.

In eodem modo archiepiscopo Messanensi & Cephaludensi ac Pactensi episcopis.

In eodem modo Argentinensi & Halberstatensi ac Herbipolensi episcopis.

In eodem modo archiepiscopo Magdeburgensi, ac Brandeburgensi & Manserburgensi episcopis.

In eodem modo archiepiscopo Tranensi, & Melfiensi ac Monopolitano episcopis.

In eodem modo Vrbevetano & Balneoregiensi episcopis, ac dilecto filio archipresbytero ecclesiæ Viterbiensis.

In eodem modo Barensi & Brundusino archiepiscopis, ac Cannensi episcopo.

In eodem modo Firmano & Fanensi ac Camerinensi episcopis.

In eodem modo archiepiscopo Pisano & episcopo Florentino ac dilecto filio archipresbytero plebis de Castello, Lunensis diœcesis.

In eodem modo Parmensi & Mutinensi episcopis, ac dilecto filio archipresbytero ecclesiæ de Carpo, Mutinensis diœcesis.

In eodem modo archiepiscopo Reginensi, & Militensi ac Neocastrensi episcopis.

In eodem modo Theatino & Valvensi ac Pennensi ac Adriensi episcopis.

In eodem modo episcopo Mimatensi, ac dilectis filiis abbatibus monasterii Vabrensis, Ruthenensis diœcesis, ac magistro Arnaldo de Villanova canonico Cadurcensi.

In eodem modo archiepiscopo Moguntino, & Pragensi ac Moraviensi episcopis.

In eodem modo archiepiscopo Amalfitano, & episcopo sanctæ Agathæ, ac dilecto filio archidiacono Salernitano.

In eodem modo episcopo Morinensi, & dilectis filiis decano de Perona, Noviodunensis diœcesis, ac thesaurario Remensis ecclesiarum.

In eodem modo archidiacono & cantori Nicosiensis ac thesaurario Paphensis ecclesiarum.

In eodem modo archiepiscopo Gneznensi, & Caminensi ac Posnaniensi episcopis.

In eodem modo episcopo Engolismensi, & dilectis filiis Santonensis & Pictavensis ecclesiarum decanis.

In eodem modo Bononiensi & Faventino episcopis, ac dilecto filio abbati monasterii de Nonantula, Mutinensis diœcesis.

In eodem modo sancti Andreæ & Abredonensi ac Brichinensi episcopis.

In eodem modo episcopo Famagustano, & dilectis filiis Berengario de Alverina Biterrensis, ac Iacobo Novelli Barcinonensis canonicis ecclesiarum.

In eodem modo episcopo Veronensi, ac dilecto filio abbati monasterii sancti Zenonis, ac Ioanni della Fontana canonico ecclesiæ Veronensis.

In eodem modo archiepiscopo Lundensi, & Rostrildensi & Raveliensi episcopis.

In eodem modo Iadrensi & Spalatensi archiepiscopis, ac episcopo Signensi.

In eodem modo archiepiscopo Nidrosiensi, ac Bergensi & Asloensi episcopis.

In eodem modo archiepiscopo Vpsalensi, & Scarensi ac Lincopensi episcopis.

In eodem modo archiepiscopo Coloniensi, & Leodiensi & Trajectensi episcopis.

In eodem modo venerabili fratri archiepiscopo Aquensi, & dilectis filiis decano Vapincensis ac Bertrando Milonis canonico Carpentoracẽsis ecclesiarũ.

Venerabili fratri Amanevo archiepiscopo Auxitano.

PErsonam tuam, claris tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia prosequentes, & attendentes quod propter adventum tuum ad generale concilium, per nos nuper Viennæ, autore Domino, celebratum, ad quod per nostras litteras fueras evocatus, & moram contractam ibidem, multorum subiisti laborum & sumptuum gravitatem; & propterea volentes personam eamdem, nedum in se ipsa, sed etiam in obsequentibus sibi personis, favoribus prosequi gratiosis: tuis supplicationibus inclinati, autoritate tibi præsentium indulgemus, ut tres capellani, vel clerici tui, in comitiva tua, seu tuis obsequiis insistentes, fructus, redditus & proventus omnium beneficiorum suorum ecclesiasticorum, etiamsi personatus, dignitates seu officia existant, & eis cura immineat animarum, cum ea integritate, usque ad triennium libere percipere valeant, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, sicut illas perciperent, si in ecclesiis, in quibus beneficia ipsa obtinent, residerent, & interim ad residendum in eis minime teneantur, neque ad id a quoquam inviti valeant coarctari. Non obstantibus si dicti clerici, vel eorum aliquis, non fecerint in eisdem ecclesiis primam personalem residentiam consuetam, quam facere teneantur eodem elapso triennio, vel prius a tuis obsequiis recedentes, aut quibuscumque statutis & consuetudinibus dictarum ecclesiarum contrariis, juramento, confirmatione sedis apostolicæ, seu quacumque firmitate alia roboratis, etiamsi de illis servandis, & non impediendis litteris apostolicis contra ea, & ipsis litteris non utendo etiam ab alio impetratis per se, vel procuratorem suum, præstiterint, vel eos interim præstare contigerit juramentum forsitan, seu, si locorum ordinariis ab eadem sit sede concessum, vel medio tempore concedi contigerit, quod rectores & personas ecclesiarum suarum, civitatum & diœcesum compellere valeant per subtractionem suorum proventuum, vel alias, ad residendum personaliter in eisdem, seu si capitulis earumdem ecclesiarum ab eadem sit sede indultum, vel contigerit indulgeri, quod canonicis &

& personis earumdem ecclesiarum fructus, redditus, & proventus præbendarum, personatuum, dignitatum, officiorum, & beneficiorum, quæ in eis obtinent, ministrare in absentia minime teneantur, & ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & litteris dictæ sedis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressis, vel totaliter non insertis, effectus hujusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, habenda sit in nostris litteris mentio specialis, proviso quod hujusmodi dignitates, personatus, officia, & beneficia debitis interim obsequiis non fraudentur, & animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli, *&c.* nostræ concessionis, *&c.* Datum in prioratu Gizuil prope Mal. Vaf. diœcesis, nono Kalendas Iulii, anno septimo.

In eodem modo abbati monasterii sancti Arnandi Petracoriensis diœcesis, ac præposito sancti Iustini, ac archidiacono Suipodii in ecclesia Auxitana, *&c.* Personam, *&c. ut in proxima superiori verbis competenter mutatis, usque,* Negligatur.

Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, hujusmodi fructus, redditus & proventus faciatis eisdem capellanis & clericis, in eadem comitiva vel dictis obsequiis insistentibus, vel ipsorum procuratoribus, pro eisdem juxta hujusmodi concessionis nostræ tenorem per idem triennium integre ministrari: non obstantibus omnibus supradictis, seu si dictis ordinariis, & capitulis, vel quibusvis aliis, communiter, vel divisim, a sede sit indultum prædicta, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem; contradictores autoritate. Datum, ut supra.

Ægidio archiepiscopo Rotomagensi, Personam tuam, *&c.*

Eliæ episcopo Æduensi.
Artberto episcopo Claromontensi.
Guillelmo episcopo Mimatensi.
Roberto episcopo Constantiensi.
Arnaldo episcopo Pictavensi camerario nostro.
Roberto archiepiscopo Remensi.
Guillelmo episcopo Andegavensi.
Ioanni episcopo Carnotensi.
Petro archiepiscopo Lugdunensi.
Petro episcopo Carcassonensi.
Guillelmo episcopo Lingonensi.
Raimundo episcopo Agathensi.
Petro episcopo Antisiodorensi.
Bernardo archiepiscopo Narbonensi.
Arnaldo archiepiscopo Burdigalensi.
Guillelmo episcopo Vasatensi.
Archiepiscopo Bituricensi.
Bosoni episcopo Convenarum.
Danieli episcopo Nannetensi.
Ioanni episcopo Magalonensi.

Venerabili fratri Amanevo archiepiscopo Auxitano.

PErsonam tuam, ob tuorum excellentiam meritorum, gerentes in visceribus caritatis, & attendentes quod propter adventum tuum ad generale concilium, per nos nuper Viennæ, autore Domino, celebratum, ad quod per nostras litteras fueras evocatus, & moram contractam ibidem, multorum subiisti laborum & sumptuũ gravitatem; ac pericula & incommoda, super quibus paterno tibi affectu compatimur, pertulisti: & propterea volentes tibi apostolicæ benignitatis dexteram aperire, tuis supplicationibus inclinati, concedendi autoritate nostra tabellionatus officium duabus personis, quas ad illud, post diligentem examinationem, idoneas esse repereris, recepto prius ab eis juramento, juxta formam præsentibus annotatam, plenam tibi autoritate præsentium concedimus facultatem.

Forma autem juramenti, quod ipsarum personarum quælibet præstabit, talis est: Ego juro quod ab hac hora inantea fidelis ero beato Petro, & sanctæ ecclesiæ Romanæ, ac domino Clementi papæ quinto, & successoribus ejus canonice intrantibus. Non ero in consilio, vel auxilio, consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium, quod mihi per se, aut per litteras, vel nuncium manifestabunt, ad eorum damnum scienter nemini pandam. Si vero ad meam notitiam devenire aliquid contigerit, quod in periculum Romani pontificis aut ecclesiæ Romanæ vergeret, seu grave damnum, illud pro posse impediam: & si hoc impedire non possem, procurabo id bona fide ad notitiam domini papæ perferri. Papatum Romanum, & regalia beati Petri, ac jura ipsius ecclesiæ specialiter, si qua eadem ecclesia in civitate vel terra, de qua sum oriundus, habet, adjutor eis ero ad defendendum, & retinendum, seu recuperandum contra omnes homines. Tabellionatus officium fideliter exercebo; contractus, in quibus exigitur consensus partium, fideliter faciam, nil addendo vel minuendo sine voluntate partium, quod substantiam contractus immutet. Si vero in conficiendo aliquod instrumentum unius solius partis sit requirenda voluntas, hoc ipsum faciam: ut videlicet nil addam vel minuam, quod immutet facti substantiam, contra voluntatem ipsius. Instrumentum non conficiam de aliquo contractu, in quo sciam intervenire, vel intercedere vim vel fraudem. Contractus in protocollum redigam, & postquam in protocollum redegero, malitiose non differam, contra voluntatem illorum, vel illius, quorum est contractus, super eo conficere publicum instrumentum, salvo meo justo & consueto salario. Sic Deus me adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia.

Datum, *&c.*

In eodem modo Ægidio archiepiscopo Rotomagensi.
In eodem modo Danieli episcopo Nannetensi.
In eodem modo Ioanni episcopo Magalonensi.
In eodem modo Eliæ episcopo Æduensi.
In eodem modo Artberto episcopo Claromontensi.
In eodem modo Guillelmo episcopo Mimatensi.
In eodem modo Roberto episcopo Constantiensi.
In eodem modo Roberto archiepiscopo Remensi.
In eodem modo Raymundo episcopo Agathensi.
In eodem modo Petro episcopo Carcassonensi.
In eodem modo Petro archiepiscopo Lugdunensi.
In eodem modo Guillelmo episcopo Lingonensi.
In eodem modo Ægidio archiepiscopo Bituricensi.
In eodem modo Bernardo archiepiscopo Narbonensi.
In eodem modo Arnaldo archiepiscopo Burdigalensi.
In eodem modo Petro episcopo Antisiodorensi.
In eodem modo Garsiæ episcopo Aquensi.
In eodem modo Bosoni episcopo Convenarum.
In eodem modo Guillelmo episcopo Andegavensi.

Anno Christi 1311.

Venerabili fratri Amanevo archiepiscopo Auxitano.

BEnigno sunt illa tibi concedenda favore, per quæ, sicut pie desideras, conscientiæ pacem & salutem animæ, Deo propitio, consequaris. Tuis itaque devotis supplicationibus inclinati, & considerantes attentius, quod propter adventum tuum ad generale concilium, per nos nuper, autore Domino, Viennæ celebratum, ad quod per nostras litteras fueras evocatus, & moram contractam ibidem, multorum subiisti laborum & sumptuum gravitatem, ac pericula & incommoda, super quibus paterno tibi affectu compatimur, pertulisti: fraternitati tuæ, ut aliquem idoneum sacerdotem sæcularem, vel religiosum, in confessorem tuum eligere valeas, qui hac vice a quibuscumque sententiis generalibus vel specialibus, canonis vel hominis, si quas absque læsione juris alterius, non tamen ex contemptu, sed alias forsitan incurristi, vel in posterum incurrere te continget, autoritate nostra te absolvere valeat, ac tecum super irregularitate, si quam hujusmodi ligatus sententiis, tuum officium exequendo, absque tamen contemptu dictarum sententiarum, contraxisti forsitan, vel in posterum te contrahere continget, eadem autoritate, quoties opus fuerit, dispensare, injuncta tibi propter hoc pœnitentia salutari, autoritate præsentium indulgemus, præsentibus post festum nativitatis Domini proxime venturum minime valituris. Nulli, *&c.* nostræ concessionis, *&c.*

Datum, *ut supra.*

In eodem modo Ægidio archiepiscopo Rotomagensi.
In eodem modo Danieli episcopo Nannetensi.
In eodem modo Ioanni episcopo Magalonensi.
In eodem modo Eliæ episcopo Æduensi.
In eodem modo Artberto episcopo Claromontensi.
In eodem modo Guillelmo episcopo Mimatensi.
In eodem modo Roberto episcopo Constantiensi.
In eodem modo Arnaldo episcopo Pictavensi.
In eodem modo Galhardo episcopo Tolosano.
In eodem modo Ioanni episcopo Carnotensi.
In eodem modo Roberto archiepiscopo Remensi.
In eodem modo Guillelmo episcopo Lingonensi.
In eodem modo Raimundo episcopo Agathensi.
In eodem modo Petro archiepiscopo Lugdunensi.
In eodem modo Petro episcopo Carcassonensi.
In eodem modo Bernardo archiepiscopo Narbonensi.
In eodem modo Arnaldo archiepiscopo Burdigalensi.
In eodem modo Guillelmo episcopo Vasatensi.
In eodem modo Petro episcopo Antisiodorensi.

Venerabili fratri Amanevo archiepiscopo Auxitano.

DVm clara merita tuæ devotionis attendimus, quodque propter adventum tuum ad generale concilium, per nos nuper Viennæ, autore Domino, celebratum, ad quod per nostras litteras fueras evocatus, & moram contractam ibidem, multorum subiisti laborum & sumptuum gravitatem: illa tibi gratiose concedimus, per quæ tuæ quietis commoda procurentur. Tuis itaque supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ præsentium autoritate concedimus, ut ecclesias & cœmeteria tuarum civitatis & diœcesis, per effusionem sanguinis vel seminis violata, per aliquem, vel aliquos presbyteros ad hoc idoneos, in dignitate vel personatu constitutos, reconciliari facere valeas, aqua prius per te, ut moris esse dignoscitur, benedicta. Per hoc autem constitutioni, quæ id per episcopos tantum fieri præcipit, nullum volumus in posterum præjudicium generari, præsentibus post triennium minime valituris.

Datum, *ut supra.*

In eodem modo Ioanni episcopo Magalonensi.
In eodem modo Galhardo episcopo Tolosano.
In eodem modo Eliæ episcopo Æduensi.
In eodem modo Artberto episcopo Claromontensi.
In eodem modo Guillelmo episcopo Mimatensi.
In eodem modo Roberto episcopo Constantiensi.
In eodem modo Arnaldo episcopo Pictavensi camerario nostro.
In eodem modo Roberto archiepiscopo Remensi.
In eodem modo Guillelmo episcopo Andegavensi.
In eodem modo Ioanni episcopo Carnotensi.
In eodem modo Petro archiepiscopo Lugdunensi.
In eodem modo Petro episcopo Carcassonensi.
In eodem modo Guillelmo episcopo Lingonensi.
In eodem modo Raimundo episcopo Agathensi.
In eodem modo Petro episcopo Antisiodorensi.
In eodem modo Bernardo archiepiscopo Narbonensi.
In eodem modo Arnaldo archiepiscopo Burdigalensi.
In eodem modo Bosoni episcopo Convenarum.
In eodem modo Danieli episcopo Nannetensi.

IN

[a] CONCILIVM VIENNENSE

[b] OECUMENICUM SIVE UNIVERSALE XV. approbatum, [c] trecentorum & amplius episcoporum, quo [d] Bonifacius papa octavus a calumniis Philippi regis Francorum absolvitur: [e] Templarii extirpantur, hæreses [f] Petri Ioannis, [g] Fraticellorum & Dulcinistarum, [h] Begardorum & Beguinarum condemnantur; [i] expeditioque pro recuperanda terra sancta suscipienda decernitur, [k] plurimæque constitutiones (quæ extant quinque libris Clementinarum in corpore juris canonici) pro reformandis moribus ecclesiæ promulgantur, [l] anno Domini MCCCXI. tempore Clementis papæ quinti, & Henrici septimi imperatoris. Constitutiones autem hujus synodi separatim excusæ reperiuntur in jure canonico, & Clementinæ inscribuntur, ut habetur in titulo.

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Concilium.* Causam & occasionem indictæ synodi inter alios scriptores nemo verius, & citra omnem affectum nemo melius expressit, quam Conradus Vecerius scriptor hujus temporis in vita Henrici septimi imperatoris: qui dum exposuisset qua ratione Clemens, cura & studio Philippi regis imperium Romanum affectantis per cardinales Galliæ, pontifex factus fuisset, deque coronando in imperatorem Romanum fratre ejus Carolo, & absolvendo a sententia excommunicationis Philippo, sponsionem dedisset, ista subjungit.

Gotho, *ita nominabatur Clemens*, ut primum quæ ab rege acta de se fuerant, Italis quoque probari cognovit, senatum statim cardineum universum, regesque transalpinos aliquot convenire Lugdunum jubet, ad peragenda inaugurandi solennia. Id edictum tametsi

ANNO CHRISTI 1311.

tametsi prælatis Ausoniæ non perinde arrideret, pontificiam aulam trans Alpes concessuram gementibus: coiere tamen in civitatem designatam non infrequentes. Ibi declaratus ex more maximus ecclesiæ Christianorum episcopus, quintique Clementis appellationem sortitus, mox Philippum censuris (namque id primum postulatorum caput extiterat) quibus innexum a Bonifacio diximus, exolvit; reliqua promissorum tempestive se effecturum affirmans. Sed nec ea Philippus posthabenda ratus, Pictavos in conventum accersito Clemente, de cæteris desiderii sui partibus referri jussit in medium. Summa petitio erat, de abolenda in perpetuum memoria Bonifacii. Neque prætextu caruit flagitatio impudẽs, articulis quadraginta ingenio causidicorum excogitatis, quibus Octavi mores, præter alia facinora, de hæretica impietate sugillabantur. Hic vero hærere æstuareque Clemens, quidnam consilii in re tam inexplicabili caperet. Namque inde occurrebat sacramenti interventu firmata promissio, hinc innocentia Bonifacii, qui ut neque forsan insons prorsus criminum haberetur, ita non ullum extare de objecto admisso indicium: quin exemplis, decretis constitutionibusque declaratum abunde reliquisse, quanto studio quantaque fide gubernacula culminis apostolici procurasset.

Solicito inter has curas Clemente quinto, opportune Nicolaus cardinalis Pratensis intervenit: cui, quod arbiter omnium arcanorum haberetur, nudantur ordine omnia. Is, ut erat ingenio ad subita etiam quæque moderanda dexterrimo, primum confirmato pontificis animo, scire se quid potissimum illi consilii profuturum speraret affirmat, regias in primis spes ali dissimulanter augerique placere, tum docere cupidum principem, quo magis rata fiant quæ ad Bonifacii cineres attinent, videri futurum consultius, si tanta res non nisi publici concilii senatusconsulto firmetur. Quam sententiam ubi Gallus approbaverit, sedem conventui Viennam inter Allobroges deligat, aliamve civitatem quampiam & liberam, & ad excedendum regiis finibus opportunam. Placuit Clementi quinto cardinalis suggestio. Itaque de voluntate Philippi Viennam maximo Christianorũm conventu edicto, octavoque Bonifacio papa de opposita impietate ex sententia patrum absoluto: ipse ibi paucos commoratus dies, Avenionem in Roberti regis provinciam se contulit.

Eadem Antoninus 3. parte historiarum titulo 21. cap. 3. his verbis describit:

Anno Domini 1311. Kalendis Novembris cœpit celebrari concilium generale Viennæ in Burgundia, prout fuerat ante publicatum: in quo præsentes fuerunt plusquam trecenti episcopi, ultra alios prælatos de diversis partibus orbis. Et cum Clemens, ut satisfaceret promissioni factæ regi Franciæ in sua promotione, scilicet de delenda memoria Bonifacii ex ecclesia, cum prælatis concilii tractaret: quia rex illum hæreticum fuisse probare intendebat, concilium nullo modo assentire voluit; sed contrarium declaravit, scilicet ipsum fuisse catholicum & indubitatum pontificem. Verum quia ipse fecerat processus contra regem Franciæ, ad quietandum ipsum non valentem obtinere quod cupiebat injustum, declaravit & firmavit decreto concilium, quod quacumque de causa rex offendisset Bonifacium papam seu ecclesiam, nullo unquam tempore posset ipsi regi, vel ejus filiis & heredibus aliquid damni inferri vel pœnæ.

Ioannes Marius Belga de schismat. & concil. libro primo capite vigesimo, eadem habet his verbis:

Anno sexto post coronationem, videlicet anno millesimo trecentesimo undecimo, in mense Novembri, Clemens magnum & generale totius ecclesiæ concilium Viennæ in Delphinatu celebravit, cui plures quam trecenti ecclesiastici patres ex variis Christiani orbis partibus interfuere. Magna vero ex parte concilium hoc celebratum est ad desiderium Philippi Pulcri, qui omnibus modis conabatur, ut Clemens papa omnia acta ac decreta Bonifacii octavi ex memoria hominum aboleret, eumque tanquam hæreticum condemnaret: id quod Clemens quidem regi se facturum promiserat: sed per concilium, approbatum non est, sed solummodo judicatum ac declaratum, processus, quos Bonifacius contra regem fulminasset, fuisse injustos ac nullos.

b *Oecumenicum.*] Romanus enim pontifex eidem præsedit; atque inter multos alios Alexandrinus & Antiochenus patriarchæ interfuerunt.

c *Trecentorum & amplius episcoporum.*] Ita Antoninus & Marius prædictis locis & verbis supra commemoratis.

d *Bonifacius papa octavus, &c*] Hæc ex Antonino, Vecerio, & Mario, prædictis locis. Inter calumnias quas illi Philippus rex objecit, quasque Nauclerus in chronico cæteris prolixius describit, præcipuæ fuerunt, simonia, hæresis, & perjurium: utpote qui fidem, quam de Romani imperii titulo in se transferendo dedisset, promissionis suæ immemor non adimplevisset. Vide Vecerium prædicto loco.

e *Templarii extirpantur.*] Priusquam damnarentur, præmissa est inquisitio super hæresi, sodomia, aliisque nefandis sceleribus, quæ ipsis per famam communem ac constantem imponebantur: eaque commissa fuit omnibus orbis Christiani episcopis. Ejus vero quæ Coloniensi archiepiscopo ejusque suffraganeis demandata invenitur, copiam, ex originali, quod in archivo metropolitanæ Coloniensis asservatur, descriptam hic exhibeo:

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Coloniensi, ejusque suffraganeis, salutem & apostolicam benedictionem.

FAciens misericordiam cum servo suo Dei Filius Dominus Iesus Christus, ad hoc nos voluit in specula eminenti apostolatus assumi, ut gerentes, licet immeriti, vices ejus in terris, in cunctis nostris actibus & processibus ipsius vestigia, quantum patitur humana fragilitas, imitemur. Sane dudum circa nostræ promotionis ad apicem summi pontificatus initium, etiam antequam Lugdunum, ubi recepimus nostræ coronationis insignia, veniremus: & post tam, *&c. ut supra in epistola ad Philippum regem Francorum, mutatis mutandis, usque ad id*, Graviter deliquisse. *Sequitur*: Verum quia in universis mundi partibus, per quas idem ordo diffunditur, ac fratres degunt ipsius, super his non possumus inquirere per nos ipsos: fraternitati vestræ de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta mandamus, quatenus vos & quilibet vestrũm, videlicet in suis civitate & diœcesi, una cum venerabilibus fratribus nostris Moguntinensi, Treverensi & Magdeburgensi archiepiscopis, ac Basileensi & Constantiensi episcopis, & dilectis filiis abbate monasterii de * Crudalio, & priore de Longo ponte Cluniacensis ordinis, Vivariensis & Parisiensis diœcesis, Paulo de Cadarossa præposito Cavallicensi, decano sancti Servatii Trajectensis, magistro Bernardo Raimundi archidiacono Majoricensi, Ioanne dicto presbytero Longo Tullensi capellano nostro, & magistro Laurentio de Fusciberte basilicæ sanctæ Mariæ Majoris de Vrbe, canonicis ecclesiarum, vel undecim, decem, novem, octo, septem, sex, quinque, quatuor, tribus, duobus, aut uno ex ipsis, quos vobis in hac parte propter negotii magnitudinem duximus adjungendos, vocatis per publicum citationis edictum, per vos & ipsos adjunctos, vel eorum aliquos sive aliquem, in locis, de quibus vobis & iis videbitur faciendum,

* Crudario.

ANNO CHRISTI 1311.

qui fuerint evocandi contra singulares personas & fratres dicti ordinis in civitatibus & diœcesibus vestris degentes, etiamsi aliunde venerint, vel illuc adducti forsan extiterint, super articulis quos vobis sub bulla nostra inclusos transmittimus, & super aliis, de quibus prudentiæ vestræ videbitur expedire, veritatem cum diligentia inquiratis. Volumus insuper, quod inquisitione seu inquisitionibus hujusmodi factis per provinciale concilium contra ipsos, singulares personas, & fratres qui in eadem provincia fuerint, seu pro eis super his de quibus contra eos inquisitum extiterit, absolutoria seu condemnatoria juxta juris exigentiam proferatur. Inquisitore nihilo minus seu inquisitoribus ejusdem pravitatis hæreticæ in ipsa provincia per sedem apostolicam deputatis, tam ad dictas inquisitiones, quam ad hujusmodi prolationem sententiæ admissis. Proviso quod de inquirendo vel sententiando contra præfatum ordinem, & contra magnum præceptorem dicti ordinis in regno Alemanniæ constitutum, contra quos per certas personas inquiri mandavimus, vos intromittere nullatenus præsumatis. Nostræ etiam intentionis existit, & volumus, quod te, frater archiepiscope, in hujusmodi inquisitionis per tuos suffraganeos, ut præmittitur, faciendæ negotio, cum singulis eisdem suffraganeis, quibus ad hoc te similiter duximus adjungendum, una cum prædictis aliis adjunctis, vel undecim, decem, novem, octo, septem, sex, quinque, quatuor, tribus, duobus, aut uno ex ipsis, sive etiam per teipsum, procedas, si potueris, juxta formam super hoc adjunctis traditam memoratis.

Datum Pictavis secundo Idus Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Commissionis vero, quæ adjunctis datæ, formam procedendi præscribunt litteræ, sic se habent.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Moguntinensi, Trevirensi & Magdeburgensi archiepiscopis, ac Basileensi, Constantiensi episcopis, ac dilectis filiis abbati monasterii de Crudario, & priori de Longo ponte, Cluniacensis ordinis, Vivariensis & Parisiensis diœcesis, Paulo de Cadaroffa præposito Cavallicensi, decano sancti Servatii Trajectensis, magistro Bernardo Raimundi archidiacono Majoricensi, Ioanni dicto Longo presbytero de Alemannia capellano nostro Romaricensi, & magistro Laurentio de Fusciberte basilicæ sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, canonicis ecclesiarum, salutem & apostolicam benedictionem.

FAciens misericordiam cum servo suo Dei filius, *&c. ut præcedente bulla ad archiepiscopum Coloniensem data, usque ad illa verba*, Non possumus inquirere per nos ipsos. *Sequitur*: Discretioni vestræ, de quorum circumspectione specialem fiduciam gerimus, de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta mandamus, quatenus ad Coloniensem civitatem & diœcesim ac provinciam personaliter accedentes, una cum venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Coloniensi, ejusque suffraganeis, quibus vos propter hujusmodi negotii magnitudinem in hac parte duximus adjungendos, cum quolibet eorum, videlicet in suis civitate & diœcesi vocatis, *&c. usque ad illa verba.*

Testes autem si qui a vobis requisiti vel admoniti vel citati, ut super dictis articulis ferant veritatis testimonium, coram vobis se prece vel precio, gratia vel amore, odio vel timore, a ferendo testimonio subtraxerint; necnon fautores, receptatores & defensores prædictorum fratrum, qui a vobis citati vel vocati, ut præmittitur, coram vobis non comparuerint; eos insuper qui prædictam vestram inquisitionem directe vel indirecte, publice vel occulte, vel per se vel alium, seu alios vel alias, quoquomodo præsumpserint impedire, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis; invocato ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, undecim, decem, novem, octo, septem, sex, quinque, quatuor, vel tres aut duo, seu unus vestrum, ea nihilo minus exequantur. Nostræ etiam intentionis existit, *&c. ut supra, mutatis paucul*is.

Captis per inquisitores ex hac commissione militibus fere omnibus, accidit quod bona eorumdem mobilia diversorum prædis exponerentur, possessiones ac reditus occuparentur, ac jura eorumdem occulte subtraherentur. Ne itaque detrimentum sentirent loca pia, quibus eorum bona applicanda erant, idem pontifex ad omnes Christi fideles hoc modo rescripsit:

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD omnium fere notitiam credimus pervenisse nefanda scelera, & crimina abhorrenda, hæresim notorie sapientia, quibus ordo & personæ Templariorum non levibus argumentis, sed manifestis indiciis & violentis præsumptionibus, diffamati noscuntur, super abnegatione videlicet Domini salvatoris nostri Iesu Christi, & super nefanda, temeraria, & præsumptuosa & hæretica conspuitione super ejusdem imaginem crucifixi, necnon & super pluribus articulis, quos quia fore credimus manifestos, exprimi non oportet: sicque, excrebrescente infamia, & imminentibus scandalis plurimis, minime contemnendis, quæ non leviter totam scandalizabant ecclesiam, urgente conscientia, per totum orbem terrarum jamdudum ipsos capi mandavimus: & tandem cœpimus super his contra eos inquirere per nos ipsos, nonnullis ex fratribus nostris adscitis ad inquisitionem prædictam nobiscum solicite peragendum. Et tandem præsentatis nobis personis eisdem, non parvo sed grandi numero, non levis sed magnæ autoritatis viris olim in ordine supradicto, sacerdotibus, præceptoribus, militibus, & servientibus, per eorum confessiones & depositiones spontaneas libere factas coram nobis & fratribus ipsis, in secreto prius, & postmodum coram nobis, totoque collegio fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, patuit manifeste, quoad personas ipsas confitentes, dicta crimina & scelera esse vera: iidemque confitentes omnes & singuli, suum humiliter recognoscentes errorem, nostram & apostolicæ sedis non justitiam, sed misericordiam & veniam implorarunt: quibus cum omni humilitate & reverentia & proprii eorum recognitione erroris omnino persistentibus, pro absolutione ab excommunicationis sententia, quam ex hujusmodi hæresis reatibus & sceleribus incurrerant, ipsis misericorditer impendenda; nos, qui licet indigni vicarii sumus illius cujus miserationes super omnia opera ejus existunt, & quia Romana mater ecclesia non claudit, prout nec claudere debet, gremium redeunti, sed potius errantem ovem ad ovile Dominicum super humeros proprios reportare, facta a supradictis confitentibus cum magna humilitate, & reverentia debita, abjuratione hujusmodi hæreseos secundum canonicas sanctiones, eisdem fecimus juxta formam ecclesiæ munus absolutionis impendi, injungendi eis propterea salutarem pœnitentiam, nobis & dictæ sedi, seu quibus id committendum duxerimus, potestate specialiter reservata.

Ex prædictis itaque confessionibus, & nonnullis aliis causis legitimis, non immerito excitati, visis etiam

etiam diversis processibus contra singulares personas dicti ordinis super ipsis sceleribus & criminibus factis per locorum ordinarios & inquisitorem generalem hæreticæ pravitatis in regno Franciæ, in quibus multorum aliorum confessiones & depositiones contineri videbantur aperte, ex quibus violenta suspicio contra ordinem ipsum & personas ejusdem habebatur: super criminibus antedictis contra omnes singulares personas dicti ordinis, necnon & ipsum ordinem, cum omni diligentia & solicitudine per alias nostras litteras mandavimus & mandamus inquiri, ut per hujusmodi inquisitiones de supradictis criminibus & infamiis, contra ordinem & personas præfatos, vel pro ipsis, veritas elucescat.

Verum quia occasione hujusmodi subsecutorum processuum, & captionum personarum ordinis prælibati, bona ipsius mobilia, quæ vel pro ipso ordine, si reperiatur innocens, vel alias pro subsidio terræ sanctæ & contra perfidos Saracenos inimicos fidei Christianæ, ad quæ bona prædicta per fideles ipsa largientes deputata fuerant, & nos ipsi eadem bona una cum aliis bonis immobilibus eorumdem ad ea decrevimus deputanda, nequiter a nonnullis subtracta, penes aliquos malitiose, indebite, & injuste absconsa & celata feruntur, in grave ipsorum animarum periculum, ecclesię prædictæ contemptum, & dictæ terrę præjudicium, dispendium & jacturam: nos volentes debitum in hac parte remedium adhibere, universis & singulis sub virtute obedientiæ ac excommunicationis pœna, quam excommunicationem contra facientes post unius mensis spatium a notitia præsentium immediate sequentis, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, status, vel conditionis existant, ecclesiastici vel mundani, etiamsi pontificali pręfulgeant dignitate, incurrere volumus ipso facto: autoritate apostolica districte præcipiendo mandamus, quatenus habentes, tenentes & possidentes, ut prædicitur, per se vel alium seu alios, aliquas pecuniarum summas, vel alia mobilia bona quæcumque, vel se moventia, personarum vel ordinis prædictorum, sive causa depositi, vel alia quacumque causa, occasione vel titulo; si qui etiam personis vel ordini antedictis in quacumque summa vel quantitate pecuniæ obnoxii, vel alias quomodolibet fuerint obligati, ex quacumque causa vel titulo, vel ab eis aliquid receperint, vel ipsorum nomine per quemcumque, aut pro ipsis: libere integraliter & sine diminutione restituant, reddant & solvant, sub instrumentis publicis locorum ordinariis sive superintendentibus administrationi bonorum dicti ordinis per sedem ipsam deputatis vel etiam deputandis; non obstantibus quibuscumque promissionibus super his ab ipsis pręstitis, pœnis, juramentis, cautionibus, obligationibus, seu fidejussionibus forsitan roboratis.

Si qui autem, etiam nihil habentes de bonis prædictis, nihilque debentes eisdem, ac in nullo ipsis quomodolibet obligati, sciverint aliquem aliquid habere, tenere vel possidere de ipsis bonis, ut superius est expressum, aut aliquem debitorem dictorum ordinis & personarum, vel eis quomodolibet obligatum; sive aliquem aliquid ab eis, vel pro ipsis, vel eorum nomine, vel alicujus eorum recepisse, infra idem tempus ordinariis vel superintendentibus prælibatis, sub instrumentis similibus aperte revelent: alioquin supradictam sententiam ipsos incurrere volumus ipso facto: quam, si ipsi & alii superius nominati per sex menses sustinuerint animo indurato, ordinariis ipsis & quibuslibet aliis absolutionem eorum penitus interdicimus, ipsam nobis & successoribus nostris, præterquam in mortis articulo tantummodo, reservantes.

Et ut præmissorum ignorantiam nemo prætendere A valeat, hujusmodi processum nostrum mandamus & volumus per illos, quibus in aliis nostris litteris id committimus, in locis contentis in eis solenniter publicari.

Datum Pictavis secundo Idus augusti, pontificatus nostri anno tertio.

De Templariis hac synodo sublatis & extirpatis Trithemius in chronico Hirsaugiensi ista habet.

Anno Dominicæ nativitatis millesimo trecentesimo undecimo Clemens papa V. concilium Viennense celebrandum indixit, quod biennio duravit, in quo liber Clementinarum publicatus fuit, & multa ad ecclesiæ utilitatem statuta. Ibi ordo Templariorum, qui annis ferme 184. steterat, ab ipso Cle- B mente papa condemnatus fuit, & uno die per universum orbem deletus, ad instantiam Philippi regis Francorum, cujus promotione ipse papa electus fuerat. Fuerunt autem Templarii valde divites, quorum possessiones ut rex sibi acquireret, crimen eis hæreseos falsum imposuit, ut multi voluerunt, & extingui omnino paravit.

Antoninus prædicto loco recensens quid contra Templarios in hac synodo gestum fuerit, post ea quæ supra commemoravi, hæc subjungit.

Item statutum fuit quod omnia bona & possessiones, quæ fuerant mansionis Templi, assignarentur mansioni hospitalis Hierosolymitani. Et quia jam C fuerant occupata a diversis dominis laicis, oportuit quod illi de hospitali magnum thesaurum exponerent in dando regi & aliis qui occupaverant dicta bona. Unde depauperata est mansio hospitalis, quæ se existimabat inde opulentam fieri.

Ioannes Marius eadem commemorans ait.

In hoc quoque concilio decretum est ut bona, redditus ac possessiones Templariorum, qui propter hæresim aliaque facinora nefanda destructi ac combusti fuerant, equitibus Hierosolymitanis, qui nunc Rhodii dicuntur, attribuerentur. *Hæc ille.*

D Quales Templarii initio fuerint, qualesve esse cœperint, Guillelmus Tyrius in historia belli sacri breviter his verbis indicat.

Templariorum (*quibus de mandato domini Honorii papæ, & Stephani Hierosolymitani patriarchæ, regula & habitus assignabatur*) professio hæc fuit, ut vias & itinera, maxime ad salutem peregrinorum, contra latrunculorum incursiones in terra sancta conservarent: qui, quoniam juxta Domini templum mansionem haberent, fratres militiæ Templi dicebantur. Cum autem patriarchæ Hierosolymitano, a quo prima beneficia susceperant, obedientiam denegarent, & ecclesiis Dei decimas & primitias subtraherent, earum indebite turbando possessiones: facti sunt omnibus molesti. *Hæc Tyrius. Urspergensis in chronico post annum millesimum ducentesimum vigesimum septi-* E *mum.* Fridericus II. apud Accon in terra sancta, ut aiunt, multa sustinuit ex perfida proditione Templariorum. *Platina in vita Clementis V.* Rescitum est, *inquit*, Templarios a nostris ad Saracenos defecisse. Hanc ob rem eorum bona partim Rhodiis militibus, partim novis religionibus sunt attributa.

Crimine hæreseos non falso, ut ait Trithemius, sed vero fuisse notatos, testatur Thomas Walsingham historiæ Anglicanæ scriptor antiquissimus his verbis.

Hoc anno, Kalendis Octobris, sub papa Clemente quinto celebratum fuit concilium apud Viennam, in

ANNO CHRISTI 1311.

in quo Templariorum ordo damnatus est. Et ante illud concilium per universum orbem generaliter fuit divulgatum, quod omnes & singuli religiosi exempti ad jus transirent commune, unde solus ordo Cisterciensis papam adiit ante dicti concilii celebrationem pro exemptione sua pristina pacifice obtinenda: quod & obtinuit donis datis. In isto concilio petita fuit & concessa decima sexennalis in subsidium terræ sanctæ, & annis successivis soluta. Philippus rex Franciæ cogitavit unum de filiis suis regem Hierosolymitanum facere, & impetrare sibi omnes redditus & proventus Templariorum. Et hac occasione prius multos Templarios in regno suo, & præcipue magistrum magnum ordinis, & alios multos procuravit comburi, & totum ordinem procuravit & fecit in concilio prædicto damnari. Sed tamen propositum suum de eorum redditibus non est consecutus, quia papa hospitalariis hæc assignavit, non sine magnæ pecuniæ interventu. Depositum nempe fuit contra Templarios, & compertum, quod quando receperunt quemquam ad ordinem, amotis omnibus, exceptis fratribus ejusdem ordinis, adduxerunt illum ad locum privatum, & totaliter denudaverunt, & tunc unus accederet ad eumdem, & eum oscularetur in posteriori parte, deinde induceretur & cingeretur corrigia de sambuco. Et post crux portaretur, & ibi diceretur sibi, quod crucifixus non est Christus, sed quidam falsus propheta deputatus per Iudæos ad mortem propter delicta sua, & fecerunt eum ter spuere super illam, & postea projecerunt crucem ad terram, & eam pedibus conculcari fecerunt, deinde ostenderunt sibi caput cujusdam idoli, quod quotidie adorabant. Et præter hæc depositum est contra eos, quod vitio fœdabantur Sodomitico, statuentes quod nullus utatur mulieribus, sed quilibet alterutro, cum voluerit. Vnde postea cum factum fuisset conciliũ provinciale in Anglia Londoniis contra Templarios super his articulis, quod quidem concilium duravit a mense Maii usque ad mensem Iunii, in quo Templarii capti & accusati fatebantur famam, sed non factum, nisi unus vel duo ribaldi in omni statu: omnes tamen fatebantur finaliter, non posse de sibi impositis se purgare, & ideo adjudicati fuerunt per concilium perpetuæ pœnitentiæ. Ita quod singuli in singulis monasteriis possessionatis detruderentur pro perpetua pœnitentia peragenda, qui postea in hujusmodi monasteriis bene per omnia se gerebant. Cum in concilio Viennensi tractaretur, an propter vocationem singularum personarum ordinis Templariorum, vel propter acta contra eos, posset totus ordo damnari propter singularium delinquentium vocationes, cum constaret quod dictus ordo non fuerat vocatus: definitum fuit per dictum concilium, quod non de jure. Ideo papa Clemens in bulla sua condemnatoria ordinis adjecit hanc clausulam: Quamquam de jure non possumus, tamen ad plenitudinem potestatis dictum ordinem reprobamus.

f *Petri Ioannis.*] *Petrus Ioannis*, inquit Sanderus, autore Guidone Carm. *Ioachim abbatis discipulus erat: hic negabat animam rationalem, qua rationalis est, formam esse humani corporis, gratias & virtutes in baptismo infundi, Christumque adhuc viventem lancea vulneratum, & quod evangelista jam aliter narret, perturbate narratum videri asserebat.*

g *Fraticellorum & Dulcinistarum.*] Fraticelli & Dulcinistæ (sic dicti a Dulcinio quodam, cujus concubinam nomine Margaretam ab ipso impprægnatam, de Spiritu sancto concepisse nefarie & impudenter evulgabant) promiscuos concubitus in locis occultis exercebant; visionem sanctarum animarum usque ad novissimum diem differri, aliaque plura impia dogmata Fraticellos sectantes docebant. Ad quas hæreses evertendas, patres concilii de substantia animæ rationalis, de parvulorum baptismo, de vulnere Christo defuncto per lanceam inflicto, definiverunt ea quæ Clem. I. de A summa fide & Trinitate habentur.

h *Beguardorum & Beguinarum*] De his eorumque erroribus in hac synodo condemnatis Antoninus prædicto cap. 3. §. 2. ista ait.

In eodem concilio fuerunt damnati octo errores Beguinarum & Beguardorum, qui insurrexerunt in Alemannia, ut habetur de hæretic. *Ad nostrum*, in Clem. Quorum primus est, quod homo in vita præsenti tantum & talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit. Nam, ut dicunt, si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri.

Secundus est, quod jejunare hominem non oportet vel orare, postquam gradum perfectionis hujus fuerit assecutus: quia tunc sensualitas ita est perfecte spiritui & rationi subjecta, quod homo potest libere concedere corpori quidquid placet.

Tertius est, quod illi, qui sunt in illo gradu perfectionis & spiritu libertatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta ecclesiæ obligantur, quia, ut asserunt, ubi spiritus Domini, ibi libertas.

Quartus, quod homo ita potest finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut eam in vita beata obtinebit.

Quintus quod quælibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum.

Sextus est, hominem in virtutum actibus se exercere, est hominis imperfecti, quia anima perfecti licentiat a se virtutes.

Septimus, quod mulieris osculum (cum ad hoc non inclinet natura) est mortale peccatum: actus autem carnalis (cum ad hoc inclinet natura) non est peccatum: maxime cum tentatur exercens.

Octavus est, in elevatione corporis Christi, non debet talis exurgere, aut ei reverentiam exhibere. Asserunt enim quod esset imperfectionis eisdem, si a puritate & altitudine suæ contemplationis tantum descenderent, quod circa sacramentum eucharistiæ, aut circa passionem humanitatis Christi, aliqua cogitarent. Qui omnes errores reprobati sunt in dicto concilio, & mandatur diœcesanis & inquisitoribus, ut puniant tales. Gloss. ibi. Ioann. Andr. sufficienter ostendit qualiter ista sunt erronea, & contra doctrinam sanctorum. *Hæc Antoninus.*

i *Expeditioque, &c.*] Ita Platina in vita Clementis quinti, Marius prædicto loco verbis infra recensendis, & Krantzius Saxon. libro nono, capite tertio: *Annus erat*, inquit, *undecimus post mille trecentos, cum Clemens V. pontifex Romanus concilium apud Viennam Narbonensis Galliæ urbem celebravit: in quo ad alterius anni medietatem protracto, Templariorum omnino nomen extinxit, deque subveniendo Hierosolymæ multa in eo verba jactata sunt, quæ in irritum cecidere,* &c. Hæc Krantzius.

k *Plurimaque constitutiones.*] Harum aliæ mores, aliæ fidem concernentes, extant in corpore juris canonici, & Clementinæ inscribuntur. Ad fidem pertinent quæ apud Antoninum cap. 3. §. 1. describuntur his verbis.

Constitutiones nec totas affert S. Antoninus, nec omnes. Nos vero eas hic ex Clementinarum corpore proferre noluimus: aut verius.

In Clement. prima de fide catholica sic dicitur: Fidei catholicæ fundamento firmiter inhærentes, aperte cum sancta ecclesia confitemur unigenitum Deum Filium in iis omnibus quibus Deus pater existit, una cum Patre æternaliter subsistentem, partes nostræ naturæ simul unitas (ex quibus ipse in se verus Deus existens, verus homo fieret) humanũ videlicet corpus passibile, & animam intellectivam seu rationalem, ipsum corpus vere & per se & essentialiter informantem, assumpsisse ex tempore in virginali thalamo ad unitatem suæ hypostasis & personæ. Et quod in hac assumpta

ANNO CHRISTI 1311.

non potuimus, quia bi mixta unt cum aliis quæ non sunt Viennensis concilii, ut ex præfatione constat.

ſumpta natura ipſum Dei Verbum pro omnium operanda ſalute non ſolum affigi cruci & in ea mori voluit, ſed etiam ſpiritu emiſſo perforari lancea ſuſtinuit latus ſuum, ut inde profluentibus undis aquæ & ſanguinis formaretur unica & immaculata ac virgo ſancta mater eccleſia conjux Chriſti, ſicut de latere primi hominis ſoporati Eva ſibi in conjugiū eſt formata: ut ſic certæ figuræ primi & veteris Adæ, qui, ſecundum Apoſtolum, eſt & forma futuri, in noſtro noviſſimo Adam, hoc eſt, Chriſto; veritas reſponderet. Hæc eſt, inquam, veritas illius prægrandis aquilæ vallata teſtimonio, quam propheta vidit Ezechiel animalibus cæteris evangelicis tranſvolantem, Ioannis videlicet apoſtoli & evangeliſtæ. *Et infra:*

Porro doctrinam omnem ſeu poſitionem temere aſſerentem, aut vertentem in dubium, quod ſubſtantia animæ rationalis, aut intellectivæ, vere ac per ſe humani corporis non ſit forma, velut erroneam ac veritati catholicæ fidei inimicam ſacro approbante concilio reprobamus: definientes, ut ſi quiſquam deinceps aſſerere, defendere ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quod anima rationalis ſeu intellectiva non ſit forma corporis humani per ſe, & eſſentialiter, tamquam hæreticus ſit cenſendus.

Baptiſma unicum, baptizatos omnes in Chriſto regenerans, ſicut unus Deus, ac fides unica, ab omnibus fideliter confitendum eſt. Quod celebratum in aqua in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, credimus eſſe tam adultis quam parvulis communiter perfectum remedium ad ſalutem. Verum quantum ad effectum, cum theologi opiniones varias habeant, videlicet dicentibus quibuſdam, parvulis culpam remitti, ſed gratiam non conferri; aliis econtra aſſerentibus quod & culpa eiſdem in baptiſmo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etſi non pro illo tempore, quoad uſum: nos attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, quæ per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem ſecundam, quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptiſmo gratiam informantem & virtutes, tamquam probabiliorem, & dictis ſanctorum ac doctorum modernorum theologiæ magis conſonam & concordem, ſacro approbante concilio, duximus eligendam.

Item in titulo de uſuris, *ex gravi.* in Clement. dicitur, quod ſi quis in hunc errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat, uſuras non eſſe peccatum: decernimus eum velut hæreticum puniendum, & ordinarii & inquiſitores hæreticorum poſſunt contra tales ut contra hæreticos procedere.

In quo etiam capite ſtatuitur, quod communitates, aut quicumque officiales, qui ſtatuta ſcribere, vel dictare, aut quod ſolvantur uſuræ, vel quod ſolutæ non reſtituantur, plene ac libere ſcienter judicare præſumpſerint, ſententiam excommunicationis incurrunt: & ſimiliter eamdem ſententiam incurſuri, ſi ſtatuta hujuſmodi hactenus edita, de libris communitatum, quantum eſt in poteſtate eorum, non deleverint, vel ſi etiam ipſa ſtatuta vel conſuetudines obſervare præſumpſerint. Item quod feneratores poſſunt per cenſuram compelli ad oſtendendum libros ſuarum rationum.

Ad mores pertinent quæ apud eumdem initio capitis tertii ita ſummatim recenſita ſunt his verbis: In eodem concilio fuerunt factæ multæ conſtitutiones generales: præcipue concernentes ſtatum religioſorum, & monachorum præcipue nigrorum: de ſtatu monachorum, *ne in agro.* mendicantium, quoad prædicationes, audientiam confeſſionum, & ſepulturas, ubi datur forma ſervanda ab eis. extra. de ſepul. *dudum.* in Clem.

A Originaliter illa conſtitutio fuerat edita a Bonifacio octavo, quæ incipiebat: Super cathedram, & erat extravagans: ſed per Benedictum undecimum ſucceſſorem immediatum fuit revocata, per Clementem autem quintum in concilio repoſita in ſuo vigore, & in corpore juris inſerta, ſcilicet in Clementinis. Hæ quidem Clementinæ editæ fuerunt in ipſo concilio.

In titulo de exceſſibus privilegiatorum fertur ſententia excommunicationis contra eos religioſos qui adminiſtrant ſacramenta euchariſtiæ vel extremæ unctionis alicui ſine licentia ſui ſacerdotis parochialis, vel epiſcopi ſui, vel ſolennizant matrimonia ſine dicta licentia, vel abſolvunt a ſententiis juris communis vel particularis, ſcilicet provincialis, vel ſynodalis promulgati, vel abſolvunt a culpa & pœna, cujus B excommunicationis abſolutio papæ reſervatur.

In titulo de verborum ſignificatione exponitur regula beati Franciſci, & declarantur multa dubia ejus.

In titulo de relig. dom. *Quia contingit*, conſtituuntur quædam pertinentia ad gubernationem hoſpitalium.

In titulo de immunitate eccleſiæ derogatur pro parte conſtitutioni Bonifacii octavi, qui ſtatuerat eodem titulo cap. *Clericis*, ſcilicet, quod non ſolum exigentes pedagia & gabellas & taleas a clericis & perſonis eccleſiaſticis, pro rebus ſuis, vel eccleſiarum ſuarum, eſſent excommunicati, ſed etiam ſolventes talia: unde C ſequebantur rixæ inter exigentes & exactos: quia nolebant exacti ſolvere, ne inciderent in canonem. Vnde quantum ad iſtam partem, ſcilicet quoad ſolventes, ablata fuit cenſura illa.

Plures invenies in corpore juris canonici. Poſt hæc idem Antoninus quaſdam res in hac ſynodo geſtas ſubjungens, ait: *In ipſo concilio fuit ſanctorum catalogo adſcriptus ſanctus Ludovicus filius ſecundi Caroli regis Apuliæ, & frater regis Roberti. Qui Ludovicus, cum eſſet primogenitus Caroli, propter quod ad eum regnum Apuliæ ſpectabat, mundum contemnens, habitum ordinis Minorum aſſumpſit ex humilitate & devotione: poſtea archiepiſcopus Toloſanus factus, religioſam & ſanctam converſationem uſque ad finem ſervans requievit in Domino, miraculis clarens.* Hæc Antoninus.

In hac ſynodo etiam geſta fuerunt quæ Ioannes Marius prædicto loco recenſet his verbis: *Dominicani etiam fratres, qui inter ſeſe diſſenſerant, hic in gratiam mutuam reducti fuere. Canones quoque complures, decreta atque ſtatuta reformationem* D *eccleſiæ concernentia, publicata fuere, & liber Clementinarum a Clemente compoſitus in hoc concilio eſt editus: & Cæleſtinus V. ſub nomine Petri confeſſoris, in ſanctos relatus. Ad hæc diu multumque de recuperatione terræ ſanctæ conſultum eſt, ſed res effectu caruit.* Hæc Marius.

1 *Anno Domini* MCCCXI.] Ita omnes quotquot ſupra commemoravi ſcriptores, initium ejus ad Kalendas Octobris referentes: Trithemio biennio, Krantzio ſeſquiennio duravit. Vtriuſque verba recitata invenies. Hæc ſunt quæ colligere potui fragmenta Viennenſis concilii: plura quiſquis invenerit, ſuppeditet, totique ut eccleſiæ per appendicem commemorari procuret etiam atque etiam rogo.

** G. C. ADDITIO

E AD CONCILIVM VIENNENSE.

Autor anonymus qui MS. extat in Vaticana bibliotheca, tum alia de hoc concilio docet, tum primam ejus ſeſſionem inchoatam eſſe die XIV Octobris. Ejus hæc verba refert Raynaldus: In nomine Domini, Amen. Anno Domini MCCCXI. congregato concilio generali Viennæ per ſanctiſſimum dominum Clementem Papam V. menſe Octobri, in prima ſeſſione ſua, quæ fuit decima ſexta die ipſius menſis, primo propoſito verbo Domini, aſſumpto themate: *In concilio juſtorum & congregatione, magna opera Domini:* in omni verbo ejus expoſuit dictus papa tres cauſas, propter quas ipſe duxerat concilium congregandum. Prima fuit pro negotio Templariorum & ordine eorum, qui ſuper variis hæreſibus & nefandis erroribus fuerunt graviter & multipliciter infamati, & multi proceſſus & inquiſitiones contra eos facti. Secunda propter ſuccurſum & ſubſidium Terræ ſanctæ. Tertia pro reformatione morum, & reformatione ſtatus eccleſiaſtici. *Pſal. 110.*

ANNO CHRISTI 1311.

De prima sessionis die consentit Bernardus Guidonis, tum in Romanorum pontificum, tum in conciliorum chronico: deque secunda & tertia sessione hæc habet in chronico pontificum: Anno Domini MCCCXI. in Kalendis Octobris fuit per Clementem papam V. apud Viennam super Rhodanum generale prælatorum concilium convocatum: fuitque prima Sessio concilii inchoata XVII. Kal. Novembr. Sabbato ante festum B. Lucæ. *Et paulo post:* Sequenti vero mense Martii, feria IV. in hebdomada sancta, XI. Kal. April. summus pontifex multis prælatis cum cardinalibus in privato consistorio convocatis, ordinem Templariorum cassavit & penitus annullavit. In sequenti vero mense Aprilis, die tertia introitus ejusdem mensis, anno Incarnationis Dominicæ jam mutato MCCCXII. fuit secunda sessio concilii celebrata, in qua prædicta cassatio ordinis Templariorum extitit per summum pontificem, concilio mediante, publice promulgata, præsente rege Philippo, cui negotium erat cordi, ac domino Carolo fratre suo, & tribus ejusdem regis filiis. In sequenti vero mense Maii, pridie Non. ejusdem mensis, in festo S. Ioannis ante portam Latinam, quod fuit in sabbato infra octavas assumptionis Domini, tertia & ultima fuit generalis concilii sessio celebrata: fuitque concilium, quod septem fere mensibus protractum fuerat, terminatum anno Domini prætaxato MCCCXII.

Quod vero ait Bernardus, in verbis a me descriptis, anno Incarnationis Dominicæ jam mutato, *male Raynaldus edidit, jam notato, sive mendoso libro est usus, sive castigatum perperam emendavit. Scilicet annus, qui tum in Gallus a Pascha ducebat initium, jam mutatus erat, & labi cœperat novus a XXVI. Martii, in quem Pascha inciderat.*

** CONCILIVM RAVENNATE II.

Pro disciplina & moribus ecclesiæ reformandis, celebratum anno MCCCXI. tempore Clementis papæ V.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *De orationibus fundendis ad Deum pro celeri ordinatione vacantium ecclesiarum, & aliis Divinis officiis.*
2. *De exequiis episcoporum decedentium.*
3. *De anniversariis episcoporum.*
4. *De anniversariis patronorum & benefactorum ecclesiarum.*
5. *De reliquiis sanctorum, & earumdem veneratione.*
6. *De sacramentis ecclesiasticis.*
7. *De custodia eucharistiæ, chrismatis, & olei sancti.*
8. *De utensilibus, paramentis, & libris, & cæteris ornamentis ecclesiasticis.*
9. *De informatione ministrorum, & celebratione Missarum.*
10. *De annunciatione festorum, & celebratione ipsorum, & observatione jejuniorum.*
11. *De sacramento baptismi, & forma conferenda.*
12. *De munditia ecclesiarum, & ne fiant in eis mercimonia, vel publica parlamenta.*
13. *De prædicatoribus verbi Dei.*
14. *De statu regularium, & ipsorum reformatione.*
15. *De pœnitentiis.*
16. *De beneficiis, & præbendis ecclesiasticis, & idoneitate & sufficientia ministrorum.*
17. *De monachis, ut omnes ejusdem ordinis in Divinis officiis sint conformes.*
18. *Quod singuli comprovinciales episcopi semel in anno synodum facere teneantur.*
19. *De clandestina desponsatione, & matrimonio contracto contra interdictum ecclesiæ.*
20. *De intrusis & electis per potestatem laicorum.*
21. *De contumacibus & rebellibus subditis contra debitam obedientiam prælatorum.*
22. *De apostatis.*
23. *De Iudæis.*
24. *De excessibus prælatorum.*
25. *De rectoribus hospitalium.*
26. *De injuriis & damno dato.*
27. *De excessibus laicorum blasphemantium Deum, vel sanctos.*
28. *De pœna illorum qui excommunicationem contemnunt.*
29. *De pœna adulterorum.*
30. *De eleemosynarum largitione.*
31. *De testamentis.*
32. *De salariis & solutionibus scripturarum.*

PRÆFATIO.

In nomine Domini, amen.

Constitutiones editæ in concilio provinciali, celebrato in ecclesia Ravenn. & convocato per venerabilem patrem dominum Rainaldum, permissione divina sanctæ Ravennatis ecclesiæ archiepiscopum.

AD honorem omnipotentis Dei, & gloriosæ virginis Mariæ, beatorum apostolorum Petri & Pauli, beati Apollinaris martyris, patroni sanctæ Ravennatis ecclesiæ, beatorum martyrum Vitalis & Vrsicini, & cæterorum quorum reliquias & patrocinia complectimur in ipsa metropoli ecclesia, & ad restaurationem ecclesiarum, & reformationem morum, ecclesiasticarum & sæcularium personarum, & pro salute animarum, in hoc sancto provinciali concilio, cui, autore Deo, præsidemus, una cum venerabilibus patribus Dei gratia dominis, V. Bononiensi, H. Regiensi, M. Cerviensi, & P. Foropopiliensi, episcopis, & fratre Hugolino electo Faventin. sanctæ Ravennatis ecclesiæ suffraganeis, & procuratoribus videlicet dominorum P. Parmensis, R. Forliviensis, I. Cæsenatensis, fratrum P. Comaclensis, I. Adriensis, & Ven. Saxenatis, episcoporum suffraganeorum absentium: quasdam constitutiones conciliorum, synodorum, canonum, & decretalium epistolarum, & aliorum jurium antiquorum & antiquatorum, per oblivionem & negligentiam inobservatorum, rememoratorias & executorias rediviva repetitione edendas prævidimus, quas in subditis recensemus, publicari mandamus: volentes & mandantes, quod sacri canones, & sedis apostolicæ decretales, & legatorum ejus constitutiones, & decreta sanctorum patrum, quantum possibile fuerit, ab omnibus subditis debeant efficaciter observari, & infra scriptæ constitutiones.

CAPITVLA.

De orationibus fundendis ad Deum pro celeri ordinatione vacantium ecclesiarum, & aliis Divinis officiis. Rubrica I.

QVia inter cætera, quæ pericula & discrimina afferunt & inducunt, est diuturna vacatio ecclesiarum cathedralium, cui volentes succurrere, quod statutum est fieri pro celeri ordinatione sanctæ Romanæ ecclesiæ, cum vacaverit, per constitutionem Gregorianam, *Vbi periculum*, statuimus, mandamus, & observari præcipimus pro celeri ordinatione Ravennatis ecclesiæ, vel alterius ecclesiæ cathedralis de provincia,

ANNO CHRISTI 1311.

provincia, cum vacaverit, ita quod pro ordinatione ipsius Ravennatis ecclesiæ fiant orationes & processiones ad Dominum, & alia bona spiritualia a clero & populo universo per totam Ravennatem provinciam, donec ipsa electio fuerit celebrata: & in qualibet civitate & ecclesia cathedrali ejusdem provinciæ vacante, a suis clero & populo, pro celeri ordinatione ejusdem ecclesiæ cathedralis. Et idem fiat in ecclesiis conventualibus vacantibus pro celeri & concordi electione ipsorum ab iis, qui sunt de conventibus & capitulis ipsarum. Et ut hæc celerius adimpleantur, archidiaconus, præpositus, & chorus ecclesiæ Ravennatis, statim cum ecclesia ipsa vacaverit, procurent omnibus & singulis suffraganeis vacationem ipsam notificare: & capitula ecclesiarum cathedralium idem observent & faciant in suis civitatibus & diœcesibus, cum suas ecclesias pastore contigerit vacare.

De exequiis episcoporum decedentium. Rubrica II.

1. Tim. 5. Quia, secundum Apostolum, qui bene præsunt presbyteri, duplici honore habendi sunt digni, in vita scilicet & in morte: statuimus & firmamus, quod quando contigerit aliquem comprovincialium episcoporum, præsentium vel futurorum de hac luce, Deo vocante, migrare, induatur pontificalibus, & cum eisdem, solennibus exequiis præcedentibus, cum solenni Missa pro defuncto sepeliatur, & quam citius fieri poterit, cæteris comprovincialibus episcopis ipsius obitus intimetur per capitulum ipsius ecclesiæ cathedralis, ut orent pro episcopo defuncto. Et quilibet coepiscoporum dici faciat triginta continuas Missas a die notificationis obitus ipsius usque ad trigesimum diem; & refici qualibet die tres pauperes. Et in qualibet ecclesia cathedrali & conventuali, una Missa pro ipsius animæ expiatione celebretur solenniter.

De anniversariis episcoporum. Rubrica III.

Quia inter cætera remedia, quæ proficiunt ad expiationem animarum fidelium defunctorum, sunt orationes & eleemosynæ: & illis maxime in his teneamur obnoxii, a quibus nos recognoscimus verbi & operis beneficia recepisse; in quorum numero prædecessores nostri merito possint adscribi: statuimus, & perpetua stabilitate firmamus, quod de cætero semel in anno, vigilia festi sanctæ Praxedis, quod est vigesimo Iulii, in tota provincia Ravennate, per singulos coepiscopos & capitula ecclesiarum cathedralium, fiat solenne anniversarium pro defunctis coepiscopis totius provinciæ, ad quod clerus & populus convocetur. Et die prædicta quilibet episcopus comprovincialium

A prædictorum, duodecim pauperes ad minus refici faciat, pro animarum expiatione celeri prædictorum. Si autem ipsa dies caderet in Dominica: fiat præcedenti die, vel subsequenti feriata die, quam commodius poterit.

De anniversariis patronorum & benefactorum ecclesiarum. Rubrica IV.

Adjicimus insuper, quod de cætero, semel in anno, scilicet quarta die Iunii, vel in proxima subsequenti feria si festum incideret die illa, fiat solenne anniversarium per coe-B piscopos in tota provincia pro expiatione animarum fidelium defunctorum, patronorum & ecclesiarum benefactorum: ad quod, sicut dictum est de anniversario episcoporum, clerus & populus convocetur, & ipsa die pauperes reficiantur, ut etiam per hoc fideles ad beneficentiam provocentur & animentur.

De reliquiis sanctorum, & earumdem veneratione. Rubrica V.

Statuimus quod si in ecclesiis cathedrali-C bus, collegiatis, conventualibus, & cæteris, extra altaria reliquiæ habeantur, de ipsarum veritate & certitudine, quorum sanctorum sint, per singulos comprovinciales episcopos, in singulis eorum civitatibus & diœcesibus, cum diligentia exquiratur: quatenus de ipsis habita certitudine, devote venerentur, & publicentur populis, & venerari mandentur. De quibus vero nulla certitudo possit haberi, in altaribus, vel alibi, sicut D visum fuerit, recondantur, nec de cætero populis exponantur: & qui contra fecerit, ad arbitrium diœcesani episcopi puniatur.

De sacramentis ecclesiasticis. Rubrica VI.

Cum sacramenta ecclesiastica debeant cum debita reverentia & veneratione, & gratis tractari, suscipi & conferri: statuimus, quod omnia sacramenta ecclesiastica, quantum possibile fuerit, a jejunis ministrentur, cum ornamentis necessariis, seu paramentis, & gratis; illud rememorantes attentius: *Quod gratis accepistis, gratis date.* Qui contra Matth. 10.
E fecerit, præter Divinam offensam, quam ex hoc contrahit & incurrit, & pœnas a canonibus constitutas, in subsequenti provinciali concilio acrius puniatur.

De custodia eucharistiæ, chrismatis, & olei sancti. Rubrica VII.

Statuimus, quod eucharistia, viaticum, sive corpus Christi, chrisma, oleum sanctum, & oleum infirmorum, sic devote, tute & secrete custodiantur, & reponantur in ecclesiis vel sacristiis, in locis ad hoc deputatis, & aptis: quod ad ea non possit manus nefaria accedere, seu sacrilega, & maxime mulierum: & quod

ANNO CHRISTI 1311.

eucharistia, seu viaticum, quod pro infirmis A reservatur, frequentius innovetur. Et qui in prædictis negligens fuerit vel remissus, præter indignationem Dei, quam ex contemptu sacramentorum ejusdem & suæ salutis contrahit & incurrit, ab ordinario suo arctius puniatur.

De utensilibus, paramentis, & libris, & cæteris ornamentis ecclesiasticis. Rubrica VIII.

Cum non solum ministri ecclesiastici mundi esse debeant, sed utensilia pro Divino cultu munda, & munde teneri & tractari, B Isai. 52. præmonente propheta: *Mundamini qui fertis vasa Domini*: statuimus quod corporalia, pallæ, tobaleæ, & cætera sacerdotum & altarium ornamenta, munda sint, & cum omni munditia conserventur: & calices habeantur argentei, si commode fieri poterit, & ecclesiarum suppetant facultates: & sufficientes libri pro Divinis officiis, & paramenta: super quibus volumus & mandamus diligentem & solertem per diœcesanos curam & solicitudinem adhiberi, & terminum congruum non habentibus statuere ad habendum prædicta: & ubi in prædictis habendis, C ecclesiarum non sufficiant facultates, moneantur laici, & maxime parochiani, & solicite inducantur, ut componant & contribuāt saltem pro dimidia in prædictis.

Cum inter cætera utensilia pro Divino ministerio sit campana utilis & necessaria, ad cujus sonum maxime fideles excitantur ad Divinum cultum, & dæmones propelluntur: statuimus quod de cætero campanæ quæ fient de novo, benedicantur ea solennitate D quæ in pontificali inscribitur, in ecclesiis cathedralibus, civitatibus singulis, & collegiatis, & plebibus, & conventualibus singulis diœcesum.

De informatione ministrorum & celebratione Missarum. Rubrica IX.

Statuimus quod quilibet episcopus in sua diœcesi informare debeat sacerdotes & ministros, novos maxime, vel a scientibus expertis faciat informari, in suis officiis & ministeriis, & ecclesiasticis sacramentis, & ipsorum collatione seu dispensatione, scilicet E in catechizando, baptizando, conficiendo corpus & sanguinem Iesu Christi, & quæ sunt confectionis verba, seu consecrationis, & confitentes seu pœnitentes absolvendo, & formam & modum absolutionis, & Divinis aliis.

Cum juxta canonicas sanctiones unicuique sacerdoti, quantumcumque digno, unam Missam tantum in die sufficiat celebrare, & valde felix sit qui digne celebrat unam: districtius prohibemus, ne quis de cætero nisi unam tantum in die celebret Missam, nisi in casibus a jure permissis: & quod nullus alienigena audeat prædicare, vel celebrare, vel in sacro ordine ministrare, nisi fuerit prius præsentatus ordinario, & eidem de ipsius ordinatione facta fuerit plena fides.

ANNO CHRISTI 1311.

Monemus omnes insuper & singulos sacerdotes, parochiales maxime, quod quando omnibus diebus Dominicis celebrare debuerint, alba cocta sive stola induti, aquam exorcizent, seu benedicant cum sale: & aqua altare ecclesiarum, & populum, antequam celebrent, aspergant, cum antiphona, *Asperges me Domine*, vel alia quæ pro tempore occurret, & psalmo vel versu, *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Psalm. 50.

Monemus insuper omnes & singulos parochianos, cujuscumque parochialis ecclesiæ, quod saltem in diebus Dominicis audiant Missam integram in sua parochiali ecclesia, a qua prius non recedant, quam benedictionem post Missam receperint: & quicumque contra fecerit, tertio admonitus, excommunicationis sententia percellatur.

De annunciatione festorum, & celebratione ipsorum, & observatione ieiuniorum. Rubrica X.

Statuimus insuper, quod festa sanctorum patronorum ecclesiarum cathedralium provinciæ Ravennatis semper die in qua occurrunt denuncient celebrantes officia, & studeant celebrare, & clero & populo civitatis & diœcesis ejusdem præcipiant celebrari in tota provincia Ravennat. & quod de festo beati Apollinaris, & de omnibus sanctis præsulibus Ravennatibus per columbam electis, fiant festa per totam provinciam Ravennatem suis diebus. Et ut in hoc errare non possint, ipsa festa in suis Kalendariis inscribi faciant, & apponant: &, ut præmittitur, denuncientur.

Monemus omnes & singulos sacerdotes, parochiales maxime, ut omnibus diebus Dominicis, quando debuerint Missas celebrare populis, lecto evangelio, & offertorio, vel cantato, festa celebranda & ferianda juxta consuetudinem, & ipsorum vigilias, jejunandas, si qua scilicet habuerint, & certa jejunia, si occurrerint, debeant nunciare, vel indicere ipsas debere festari, jejunari præcipere. Et ut in prædictis errare non possint, studeant festa omnia, vigilias, & jejunia in scriptis habere, infra duos menses a publicatione præsentium, in suis Kalendariis, sive martyrologiis conscribere, seu conscribi facere: & qui in prædictis negligentes fuerint vel remissi, per suos episcopos acrius puniantur.

De sacramento baptismi, & forma conferenda. Rubrica XI.

Cum sacramentum baptismi omnium sacramentorum sit principium & fundamentum, & ideo propter summam necessitatem forma ejusdem, a Christo institutore tradita, a nullo fideliū maxime debeat ignorari: ipsā formam

formam, quæ infra scriptis verbis complectitur, recensemus: Petre, vel Maria, ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sub trina aspersione, vel immersione, nihil interposito, vel detracto. Quam siquidem formam, sacros canones imitantes, mandamus & præcipimus de cætero ab omnibus baptizantibus irrefragabiliter observari: & ne de ipsius ignorantia quis valeat excusari, ter in anno, scilicet in die Epiphaniæ Domini, vel ejus octava, in die Resurrectionis, & in die Pentecostes, per episcopos, per se vel alios in ecclesiis cathedralibus, per archipresbyteros in baptismalibus, & per rectores in parochialibus, in Missarum solenniis vel prædicationibus, publice & districte præcipimus divulgari.

De munditia ecclesiarum, & ne fiant in eis mercimonia, vel publica parlamenta. Rubrica XII.

Cum domum Dei deceat sanctitudo, dicente Domino: *Domus mea domus orationis vocabitur*: & valde indignum sit, & devotioni cultus contrarium, quod in ecclesiis fiant mercata, tractatus & mercimonia laicorum, & ponantur in eis vasa, & alia, non deputata ad executionem & obsequium Divinorum: statuimus, & arctius prohibemus, ne de cætero in ecclesiis fiant mercata, sive teneantur vasa vel mercimonia laicorum, nec judicialia tractentur temporalia, nec fiant in eis coadunationes, viciniæ, vel tractatus, seu publica parlamenta: nisi forte ex necessitate, tempore guerrarum, hæc fieri contigerit. Et qui contra fecerit, diœcesani arbitrio puniatur.

De prædicatoribus verbi Dei. Rubrica XIII.

Cum prædicandi officium privilegiatum existat, ad cujus executionẽ exigitur industria personarum pollentium ætate, gravitate morum, vitæ sanctitate, scientia & sermone; & indifferenter alicubi admittantur, & recipiantur tales, ex quorum receptione scandalum & animarum periculum dicitur provenisse: statuimus & districtius prohibemus, quod ad prædicationis ministerium, qui trigesimum ad minus non attingit annum, cujuscumque religionis existat, de cætero in aliqua ecclesia nullatenus admittatur: nec etiam quæstuarii recipiantur ad id officium.

De statu regularium, & ipsorum reformatione. Rubrica XIV.

Statuimus, & perpetua stabilitate firmamus, quod de cætero, quolibet anno, tempore magis apto & loco, fiat capitulum provinciale abbatum & priorum ordinis sancti Benedicti, non exemptorum, juxta institutiones canonicas. Et si ex causa legitima non posset dictum capitulum provinciale fieri: saltem singuli abbates, & priores, cujuscumque diœcesis, pro reformatione conveniant certo tempore, loco, & die, sicut melius viderint expedire. Et hoc de prioribus, & præpositis canonicorum regularium, mandamus in omnibus & per omnia observari.

De pœnitentiis. Rubrica XV.

Monemus omnes & singulos sacerdotes, parochiales maxime, quatenus decretalem ex. de pœnitentiis, *Omnis utriusque sexus*, in suis parochialibus ecclesiis, intra Missarum solennia suis parochianis studeant publicare, & exponere in vulgari, in Adventu Domini, & in Quadragesima, ne aliquis de ipsius ignorantia se valeat excusare. Et qui negligens fuerit in præmissis, per suum episcopum arctius puniatur, dicendo quod peccant mortaliter non confitendo, & corpus Christi saltem in anno semel non suscipiendo: nisi de consilio sacerdotis abstinuerint a communicatione, sacramento, & receptione corporis Iesu Christi.

Monemus omnes insuper medicos, quod quando vocati fuerint ad infirmos, non ulterius redire habeant, nec curare eosdem, nisi prius eis constiterit, quod ipsi infirmi prædicti medicum advocaverint animarum, & eis fuerit de animarum salute provisum. Et si quis medicorum, hujus monitionis contemptor extiterit & transgressor: tamdiu ab ingressu ecclesiæ arceatur, donec de transgressione hujusmodi ad arbitrium ordinarii satisfecerit competenter.

De beneficiis, & præbendis ecclesiasticis, & idoneitate & sufficientia ministrorum. Rubrica XVI.

Cum indignum sit, quod beneficia ecclesiastica pro Divinorum officiorum obsequiis deputata, conferantur illitteratis, ignotis, insufficientibus, & indignis: statuimus, & districtius prohibemus, ne parochialis ecclesia de cætero conferatur, seu detur, nisi tali, qui competenter sciat legere & cantare Divinum officium. Nec canonicatus conferatur alicui in ecclesia cathedrali, nisi tali, qui sciat legere & cantare, & competenter construere, & decimumquintum annum attigerit. Nec canonicatus, vel præbenda, & clericatus, in ecclesia collegiata, ubi tres vel plures fuerint in congregatione, nisi sciat competenter legere & cantare, & duodecimum compleverit annum. Nec aliud rurale & simplex beneficium alicui prorsus illitterato, sed qui sciat aliqualiter legere. Et si contra factum fuerit, sit irritum ipso jure.

De monachis, ut omnes eiusdem ordinis in Diuinis officiis sint conformes. Rubrica XVII.

Monemus omnes abbates, priores, conventus, & monachos ordinis sancti Benedicti, quatenus in responsoriis, & aliis Divinis officiis, se debeant de cætero conformare: cum honori ecclesiæ sit valde contrarium, & ut plurimum scandalosum, quod professi ejusdem religionis & ordinis sint dissoni vel ignari, maxime in Divinis officiis, juxta canonica instituta.

Quod singuli comprouinciales episcopi semel in anno synodum facere teneantur. Rubrica XVIII.

Quum decreverint sancti Patres, synodos per singulas civitates fieri, pro reformatione status ecclesiarum, ecclesiasticarum & sæcularium personarum, quod est permaxime necessarium, ut pastores gregis Dominici, de ipsius gregis pascuis evellant, & ædificent, & plantent in eis: hoc considerantes saluberrimum, & juri non dissonum, quod in qualibet civitate, vel diœcesi, ubi diœcesanus commodius & utilius viderit expedire, semel convocet synodum, & faciat annuatim, hoc præsenti concilio provinciali fieri declaramus: & cathedraticum solvatur.

De clandestina desponsatione, & matrimonio contracto contra interdictum ecclesiæ. Rubr. XIX.

Monemus omnes & singulos, qui de cætero voluerint matrimonium contrahere, quod ante contractum matrimonii, sive ante sponsalia, per duas Dominicas successive faciant in ecclesiis civitatis, vel loci, ubi sponsalia fuerint celebranda, & in ecclesiis parochiarum, ad quas debuerint sponsæ traduci, proponi banna, sive edicta, per sacerdotes parochiales eorumdem, quod infra octo dies proxime subsequentes, si sit aliquis, qui sciat aliquod impedimentum legitimum inter eos, qui adinvicem contrahere voluerint, illud opponat. Et ipsi presbyteri nihilo minus investigent, utrum aliquod impedimentum subsistat, juxta formam concilii generalis: & ipsi parochiales presbyteri ad requisitionem prædictorum hoc facere teneantur. Quod si omissum fuerit ex negligentia, vel malitia prædictorum contrahentium, ultra pœnas in prædicto concilio declaratas, non recipiantur ad benedictionem solennem sponsaliorum per dictos presbyteros, seu quoscumque alios: & usque ad satisfactionem condignam a traductione & carnali commercio seu consortio sint suspensi. Et pœna simili puniantur, qui contra interdictum ecclesiæ nuptias duxerint celebrandas. Et ut tempora interdicta ad celebrandum nuptias non possint aliquando ex ignorantia excusare: monemus omnes sacerdotes, parochiales maxime, quatenus dicta tempora, Dominica ante Adventum, & Dominica ante Septuagesimam, & Dominica ante octavam Ascensionis Domini, studeant publice in Missarum solenniis nunciare, quod nullus celebret nuptias temporibus ab ecclesia interdictis, scilicet a prima Dominica de Adventu, usque post Epiphaniam: & a Dominica de Septuagesima, usque ad octavam Paschæ: & a tribus diebus ante Ascensionem, usque ad octavam Pentecostes.

De intrusis & electis per potestatem laicorum. Rubrica XX.

Cum, secundum Apostolum, nemo sibi debeat honorem assumere, nisi tamquam Aaron a Deo fuerit vocatus, hoc minus considerant & attendunt, suæ salutis obliti, qui se intrudunt ad dignitates ecclesiasticas, vel beneficia, & eligi & intrudi procurant per potentiam laicalem. Volentes igitur talibus & similibus remediis quibus possumus obviare: statuimus, & districtius prohibemus, ne quis talia de cætero præsumat attentare, vel attentari sustineat, vel procuret. Et si quis contra fecerit, non solum non confirmetur, nec instituatur, sed omni spe promotionis in tota Ravenn. provincia per diœcesanum similiter exuatur: & nihilo minus ipso facto sit excommunicatus, & omni privilegio ecclesiasticæ protectionis ac defensionis exutus sit: a qua sententia non possit absolvi, nisi per provinciale concilium, satisfactione plenaria prius præstita, de patratis excessibus & commissis, & damnis illatis; & etiam sit inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtinendum.

De contumacibus & rebellibus subditis contra debitam obedientiam prælatorum. Rubrica XXI.

Cum, juxta propheticum oraculum, melior sit obedientia, quam victimæ, & inobedientium culpa cognoscatur ex pœna inflicta talibus ex novo & veteri testamento: hoc minus considerant honestatis ecclesiasticæ & famæ prodigi, qui prælatis suis in superbiam elati, Behemoth in sua malitia & superbia imitantes, contra prælatos suos se erigunt, & contumaciter & pertinaciter eisdem obedire recusant; &, quod est durius, ipsis detrahunt, & hostiliter eos impugnant. Statuimus ergo & arctius prohibemus, ne quis clericus sæcularis, vel religiosus, de cætero contra prælatum suum se debeat superbe erigere, sed in iis quæ Dei sunt, maxime debeat humiliter obedire: & qui contra fecerit, & tertio monitus non destiterit, cum Dathan & Abiron, quos propter

Anno Christi 1311.

Pter inobedientiam terra vivos absorbuit, A Partem consequantur & sortem: & nihilo minus, durante contumacia, postquam publice denunciatus fuerit, ab omnibus, & in omnibus evitetur, & ab officio & beneficio, donec resipuerit, & plenarie satisfecerit, & ad mandata prælatorum suorum redierit, sit suspensus.

De apostatis. Rubrica XXII.

Cum, secundum canonicas sanctiones, unusquisque in vocatione, qua vocatus* se B dignoscitur, debeat permanere, hoc minus considerant Sarrabaitæ & apostatæ, ordinum mendicantium maxime, qui plerumque in suarum animarum periculum, religionum, & observantiarum, & fidelium scandalum, de ipsis religionibus exeunt, & ad officia & beneficia ecclesiastica se ingerunt impudenter. Volentes igitur talium saluti succurrere, & salutari remedio providere: statuimus, & districte prohibemus, ut nulli apostatæ, & maxime mendicantium ordinum, de cætero admittantur, vel recipiantur, vel eligantur in ecclesiis sæcularibus, vel C regularibus, seu ad Divinum officium: non obstante, seu eis alicujus excusationis patrocinium afferente, quod ab observantia suorum ordinum fuerint absoluti, vel datam eis licentiam quamcumque a prælatis eorum habuerint, ad religiones alias, vel observantias transeundi, vel beneficium curatum acceptandi, sive obtinendi. Et qui contra fecerint, ipso jure ab officio & beneficio sint suspensi; a qua suspensione non possint absolvi, nisi in concilio provinciali prius satisfactione præstita, cum effectu, ad metropolitani arbitrium. Et talium receptio, sive ipsius facta promissio sit irrita ipso D jure: & ab ipsis beneficiis, dignitatibus, personatibus, rectoriis, ministeriis ecclesiasticis, & congregationibus, dicti apostatæ prorsus abjiciantur & repellantur, & de prædictis aliis personis provideatur idoneis. Nec prædicti apostatæ, dum in apostasia permanserint, aliquo privilegio ecclesiasticæ immunitatis vel defensionis gaudeant, sed eo sint exuti omnino: nec per ecclesiã, vel viros ecclesiasticos in aliquo defendantur, sed sicut E membra putrida, a corpore ecclesiasticæ unitatis rejiciantur omnino, ut talibus præsumptionibus tollatur temeritas de suis religionibus seu ordinibus exeundi, & exeuntibus detur materia ad professas regulares observantias redeundi. Idem intelligatur de aliis religiosis monachis & canonicis ordinis sancti Augustini.

* Corr. vocatus esse

De Iudæis. Rubrica XXIII.

Etsi Iudæi, de misericordia, & ad testimonium incredulitatis eorum, debeant ab ecclesia & fidelibus in suis ritibus tolerari, quia tamen ex ipsorum conversatione permixta multa mala scandala provenisse noscuntur, statuimus, & perpetua stabilitate firmamus, quod Iudæi portent in pannis superioribus certum signum, scilicet rotam panni crocei coloris: & mulieres eorum in capite, ut sic a Christianis possint discerni. Nec recipiantur alicubi ultra mensem ad habitandum, nisi in locis in quibus habuerint synagogas.

Anno Christi 1311.

De excessibus prælatorum. Rubrica XXIV.

Cum nemo debeat falcem in alterius messem mittere, nec alicujus pastoris gregem seu subditos concitare: statuimus, & perpetua stabilitate firmamus, quod nullus episcopus in alterius diœcesi aliquam jurisdictionem exerceat, vel utatur pontificalibus, nisi de licentia ordinarii loci. Item statuimus, quod nullus clericus sæcularis vel regularis admittatur ad ordines per aliquem episcopum de provincia Ravennat. sine licentia vel litteris diœcesani episcopi, unde fuerit oriundus, vel domicilium, seu beneficia obtineat in eodem: nisi sit de ordinibus mendicantium, vel aliorum privilegiatorum, de quibus constet.

Cum unusquisque pastor cultum pecoris sui diligenter attendere debeat, & ipsum pro meritis, pascuis arcere Dominicis, & ad ipsa introducere: valde indignum est, juri ecclesiæ & honestati contrarium, quod admittatur & recipiantur ad episcopalia exercenda ignoti & vagabundi episcopi, & maxime lingua & ritu dissoni, ex quorum ordinatione, sicut experientia docuit, proveniunt duo mala; quia promoventur incogniti, inhabiles & indigni, & etiam de ipsorum rita ordinatione dubitatur. Unde statuimus, & perpetua stabilitate firmamus; quod nullus episcopus vagabundus, vel ignotus, ad exercenda pontificalia admittatur, nisi prius metropolitano constiterit de ipsius canonicis ordinatione, consecratione, & titulo: & tunc etiam prædicta pontificalia exercere non possit, nisi de voluntate vel licentia diœcesani episcopi, in cujus civitate vel diœcesi voluerit talia exercere. Et si quis talis episcopum se prætendens, facere contra præsumpserit, a pontificalibus & officio sit ipso jure suspensus, per hanc nostram constitutionem. Et episcopus diœcesanus, in cujus diœcesi, & in uria, talia exercuerit, sive præsumpserit, episcopum a prædictis possit facere denunciari suspensum.

Et omnes comprovinciales episcopi teneantur eum facere denunciari similiter ad petitionem & requisitionem diœcesani prædicti, & ipsum penitus evitare: & quoscumque ordinabit in ordinatione sic præsum-

sumpta, nullus coepiscoporum recipiat eos in ordinibus sic susceptis, nec eisdem ecclesias, præbendas, vel beneficia ecclesiastica conferat; sed executione sic susceptorum ordinum careant, donec per eum, qui de jure poterit, cum eis fuerit dispensatum.

De rectoribus hospitalium. Rubrica XXV.

Item cum hospitalium bona consumantur, devastentur & occupentur, etiam per laicos, & sæpe sine aliquo titulo usurpata detineantur, & eorum redditus in pauperes non convertantur, ad quod deputata sunt: statuimus quod hospitalia alicui non concedantur, nec aliqui instituantur in eis, nec ea qui habent valeant detinere, nisi sint religiosi, & sine uxore, & tales, quod profiteantur perpetuo ibidem pauperibus deservire, & tonsuram & hospitalitatem teneant, & residentiam faciant in eisdem. Et qui contra fecerit, reddatur inhabilis ad ordines suscipiendos, & beneficia quæcumque ecclesiastica obtinenda, & ea amittat. Et qui hodie detinent, nisi infra tres menses post publicationem præsentis constitutionis resederint, & habitum receperint ordinatum, vel ordinandum, exnunc autoritate præsentis concilii & constitutionis privamus eosdem, & ipso jure intelligantur esse privati a beneficio prædictorum.

De injuriis & damno dato. Rubrica XXVI.

Rex omnipotens, cujus imperio subjacent universa, decrevit, & docuit, episcopali præditos dignitate, & cæteros eidem in ecclesiasticis ordinibus militantes, ab omnibus honorari, & injuriose per neminem nunquam lædi, dum asserit per Prophetam: *Nolite tangere christos meos: & in prophetis meis nolite malignari*: & alibi ipse idem: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: & qui vos recipit, me recipit.* Episcopi enim apostolorum typum tenent, & presbyteri septuagintaduorum discipulorum locum, in ecclesia militante. Quod quidem plerique minime attendentes, non solum ad improperia, sed ad vinculationes, trucidationes, contra illos insurgunt, & ad vulnera inferenda, non sine magna contumelia Creatoris. Et propter transgressores hujusmodi, volentes pœnas præfixas a canonibus augmentare, ut pœnarum multiplicium timore ad talia prorumpere pertimescant: præsenti concilio approbante, statuimus, & sancimus, quod quælibet persona, cujuscumque dignitatis vel status extiterit, quæ intra nostram Ravennatem provinciam in aliquem archipræsulem sive episcopum, per se vel per alium, seu alios, usque ad sanguinis effusionem, vel alias cum gladio vel fuste, manus injecerit

Psal. 104.

Luc. 10.

A temere violentas, aut ceperit, seu capi fecerit, vel captum detineri jusserit, sive expresse consenserit, non solum incurrat excommunicationis laqueum ipso jure, sed in obitu, ad aliorum metum careat ecclesiastica sepultura, & ejus familiares, sive familia, qui habitaverint cum eodem, quousque plene satisfecerint, non recipiantur in pœnam illius, ad Divina, & ecclesiastico subjaceant interdicto: & ipsum transgressorem ejusque filios & nepotes decernimus inhabiles ad ecclesiasticum honorem & beneficium ecclesiasticum obtinendum: exnunc privantes eosdem omni jure patronatus, feudis, privilegiis, beneficiis ecclesiasticis, & honore. Electiones, provisiones & collationes factas in tales, irritas decernentes: electores, præsentatores & provisores alicujus ex prædictis, eligendi, providendi & conferendi potestate exnunc illa vice privamus: universitatem sive communitatem, infra cujus jurisdictionem aliquid ex iis contigerit perpetrari, quæ expresse consenserit, ut prædictorum excessuum aliquis committatur, vel quæ non punierit legitime præmissorum aliquod perpetrantes, infra mensem, postquam ejus majoribus seu rectori vel majori parti ejusdem innotuerit, seu alias fuerit manifestum, aut etiam nunciatum, extante possibilitate, exnunc ecclesiastico, & ejus terram & locum supponimus interdicto: rectores, officiales & consiliarios ejusdem, excommunicationis vinculo innodamus. Illum autem qui prælatum inferiorem, videlicet abbatem vel clericum alium in dignitate, vel personatu in aliqua cathedrali ecclesia constitutum, clericaliter viventem & se enormitatibus, & sæcularibus, & negotiationibus publice minime immiscentem ubi non permittitur sibi a jure, per se vel per alium interfecerit, vel mutilaverit, seu alias inhabilem vel deformem reddiderit ad Missarum solennia, vel Divina officia celebranda, vel carceratum detinuerit, per diœcesanum, vel ejus vicarium, super relaxatione ipsius requisitus, si beneficiatus extiterit, exnunc omni beneficio privamus perpetuo, & ipsum inhabilem reddimus ad aliud obtinendum: si vero laicus fuerit, privamus in obitu ecclesiastica sepultura, & ipsum, ejusque filios & nepotes, non posse ad ecclesiasticum beneficium eligi vel assumi: & electores & provisores alicujus talium personarum exnunc suspendimus a Divinis; electiones, provisiones & postulationes factas de talibus irritas decernentes. Illos autem qui clericum inferiorem alium in quavis dignitate vel sacro ordine constitutum, clericaliter tamen viventem, & se enormitatibus publice non immiscentem, occiderint, mutilaverint, vel reddiderint inhabilem vel

ANNO CHRISTI 1311.

vel deformem ad Divinum officium celebrandum, si clerici fuerint, omnibus beneficiis ecclesiasticis privamus perpetuo, & inhabiles reddimus ad alia beneficia ecclesiastica obtinenda: si fuerint laici, eos & eorum filios inhabiles ad ecclesiasticum honorem & beneficium judicamus, & in obitu privamus ecclesiastica sepultura.

Plerumque contingit, quod tyrannica rabie, seu populi sævitia, vel partialitate vigente [alicubi[a] faciente] antistes proprius a sede sua repellitur, & in civitate seu diœcesi propria residere prohibitus, cogitur exulare: quandoque vero bonis & rebus propriis dignitatis spoliatus, mendicare compellitur, in opprobrium non solum pontificalis dignitatis, sed totius clericalis ordinis. Quocirca compatientes hujusmodi sic ejectis, & etiam spoliatis; & ejectionibus, & spoliationibus, & sceleribus occurrere, inquantum possumus, cupientes: statuimus & firmamus, nostro concilio provinciali approbante, quod si aliqua civitas, universitas, sive communitas, consenserit expresse, vel ipsius major pars sive rector aut dominus temporalis ejusdem, vel mandaverit, antistitem proprium a propria sede vel civitate repelli, aut eumdem in illa residere formidantem, propter minas vel timorem, aut potentiam alicujus domini temporalis, vel aliquorum tunc gubernantium terram ipsam, exulare permiserit extra illam, & infra duos menses eumdem non revocaverit, & sibi plene providerit, quod in civitate ipsa, vel saltem in diœcesi, in loco idoneo & securo valeat residere, & libere jurisdictione & officio suo fungi, postquam ei notum fuerit hoc, aut etiam intimatum, vel ipsi antistiti non fecerit de ipsius dignitatis juribus & redditibus responderi: ex nunc universitatem eamdem, ejusque terram & locum, ecclesiastico subjacere decernimus interdicto. Consiliarios vero, credendarios, & præsidentes ipsi civitati, & potentes, quorum facto vel consilio seu studio prædicta fuerint attentata, vel alias procurata, ipsorumque filios & nepotes, ex nunc inhabiles decernimus ad beneficia ecclesiastica obtinenda. Ipsum quoque præsulem exulantem decernimus honorifice debere recipi, & adjuvari, in qualibet civitate & diœcesi provinciæ Ravenatis ad residendum (nisi justa evidens causa notoria subsit) ubi voluerit residere exulatione hujusmodi perdurante: ipsum quoque jurisdictione sua inter subditos suos, & ipsius bonis ac juribus inibi libere posse uti. Civitatem vero & terram, eundem ad habitandum in ipsa vel diœcesi recipere contemnentem, & ejus universitatem, ex nunc ecclesiastico interdicto decernimus subjacere, quam cito idem episcopus publice dixerit ex hoc sibi & ecclesiæ Dei inju-

[a] Non viderũt Rubeus & Binius, his voculis duabus, quæ irrepserunt in textum, aliam lectionem significari.

A riam irrogari: nisi locus ille ex aliqua causa rationabili & manifesta ab ejus receptione valeat excusari. Illos vero, qui conspirationem, seu colligationem, vel conjurationem, seu ligam vel confœderationem, aut tractatum fecerint, vel fieri procuraverint, ut proprius antistes, sive alius prælatus inferior, nõ permittatur, seu non possit in sede propria vel diœcesi residere, aut libere officio suo uti, sive quod illi vel ejus officialibus de suis bonis & redditibus non respondeatur, vel contra status ejus pacifici subversionem, aut honoris debiti & soliti diminutionẽ, ex nunc B excommunicationis vinculo innodamus, & beneficiis ecclesiasticis, si clerici fuerint, privamus perpetuo, aliis libere conferendis. Si vero extiterint laici excommunicationis laqueum ipso facto incurrant: & ipsos ipsorumq; filios & nepotes inhabiles judicamus ad ecclesiastica beneficia obtinenda: & promotores talium personarum ad illa, suspendimus a Divinis, ac privamus potestate eligendi & providendi etiam illa vice: nec non omni feudo ecclesiastico, jure patronatus, & honore, privamus perpetuo. Prædictas quo- C que pœnas illos etiam incurrere decernimus ipso facto, qui inhibuerint, vel mandaverint, seu expresse consenserint, vel tacite, ubi ad eos violentias pertinuerit prohibere, quod ipsi pontifici vel prælato alicui (nisi hoc sibi concedatur legitime, ab homine, vel a jure) de suis bonis, vel redditibus non respondeatur per eos, ad quos pertinet respondere: vel impedierint ne aliquis antistes, per se vel per alium, jurisdictionẽ suam possit libere exercere, aut procurare plenarie jura sua. His tamen pœnis episcopos, eorumque officiales, & delegatos judices sedis apostolicæ, vel e- D jus autoritate, decernimus minime comprehendi, circa hæc jurisdictione sua fungẽtes. Personas vero, quæ aliquem pontificem, vel prælatum, vel aliquam aliam ecclesiasticam personam, aliquo castro, villa, vel vico, seu ejus jurisdictione, vel possessione eiusdem, aut aliquo prædio, seu domo, spoliaverint temeritate propria, ex nunc vinculo excommunicationis innodamus: ipsasque & earum filios & nepotes reddimus inhabiles ad ecclesiastica beneficia obtinenda: & electores ac provisores talium personarum suspendimus a Divinis. In præmissis enim & ea con- E tingentibus, decernimus posse procedi ad ipsorum cognitionem & executionem de plano & absque strepitu iudicii & figura.

Si quisque catholicus iubetur patienti necessitatem aperire viscera caritatis, quamquam alienigenæ, vel ignoto: quanto fortius coepiscopi super coepiscopũ manifeste indigentẽ, cæteriq; inferiores prælati & clerici, super eum tenentur ad subvẽtionem eius dexterã aperire, & erga illũ coantistites caritatem

tatem fraternam, & inferiores, caritativam devotionem gerere? Idcirco ad ipsius caritatis fraternæ & devotionis caritativæ vinculum conservandum, & cleri opprobrium propellendum, salubriter providemus, & statuimus, nostro provinciali concilio approbante: quod si contigerit aliquem præsulem provinciæ Ravennatis tyrannica peste, vel sævitia populi, absque ipsius culpa evidenti & notoria, extra sedem propriam vel civitatem & diœcesim exulare, & illi de redditibus & juribus suæ dignitatis & ecclesiæ minime responderi, vel non de majori parte reddituum eorumdem, omnes coepiscopi, cum suo clero, teneantur ad subventionem illi faciendam, modo videlicet infrascripto, de communi collecta personarum ecclesiasticarum, suffraganeorum, & clericorum provinciæ prælibatæ: videlicet, quod metropolitanus, vel duo ex coepiscopis, quos exulans ad hoc assumpserit, in unũ sine difficultate conveniant, & ipse coram eis, notariis præsentibus, & testibus fide dignis, juret ad sancta Dei evangelia coram se exposita, sed non tacta, quod ei subtrahitur major pars illorum reddituum quos percipere consuevit, sive quod de illis non permittitur responderi, sacramento suo valorem æstimans subtractorum. Quibus in scripturis redactis, per ipsos duos coepiscopos, autoritate præsentis concilii, singulis annis, quibus ille sic exulaverit, & manserit spoliatus, pro subventione ipsius exulantis, autoritate præsentis concilii, collectam communem imponat, pro rata, tam sibi ipsis, quam cæteris suffraganeis, archipræsuli, illorumque cleris, & ecclesiis, & clero ipsius exulantis, usque ad dimidiam partem valoris redditiuum prædictorum, dividentes eamdem secundum solutionem solitam procurationum cardinalium legatorum: & exigentes infra duos menses, postquam per illum sæpe fuerint requisiti, cum justis & moderatis expensis, & exactam sine difficultate consignẽt pontifici exulanti. Quoslibet vero pontifices in his difficiles pœna debita puniemus: alios vero inferiores prælatos & clericos excommunicationis vinculo innodamus, qui in solutione portionis supradictarum collectarũ eis vel clericis suis impositæ, aut etiam imponendæ, negligentes fuerint vel rebelles, aut alias se difficiles exhibuerint in præmissis: quos per totam nostram provinciam, usque ad integram satisfactionem, in virtute districtæ obedientiæ, excommunicatos assidue per ecclesias publice, ex causa prædicta, præcipimus nunciari. Capitula etiam, & conventus, quæ in iis difficultatem vel malitiam adhibuerint, ecclesiastico supponimus interdicto. Sustinentes vero excommunicationem eamdem, ultra sex menses A postquam excommunicati fuerint propter hoc publice nunciati, beneficiis ecclesiasticis censemus posse privari.

* Statuimus insuper, & firmamus, quod aliqui clerici, vel laici nostræ provinciæ, ad civitatem, seu terram, non debeant personaliter accedere in favorem interdictorum, quamdiu supposita fuerint interdicto, & sustinuerint interdictum, propter sui pontificis exulationem, vel bonorum ejus omnium, seu majoris partis spoliationem, vel usurpationem: & quod aliquem, seu aliquos de civitate sic interdicta, non recipiant in domos B proprias, sive loca, nisi forte pro commodo proprio eos recipiant. Delinquentes vero in aliquo præmissorum, postquam per diœcesanum proprium, vel ejus autoritate, facta fuerit publicatio, & generalis admonitio super iis, ad participationem Divinorum, vel ad ingressum ecclesiæ nullatenus admittantur: & sæpissime sic interdicti, postquam moniti fuerint, per ecclesias publice nuncientur. Et ad instantiam ipsius exulantis quilibet antistes personas illas, de quibus C exulanti videbitur, admoneat nominatim, quod illi civitati interdictæ, vel alicui ex ejus civibus, non præstent consilium, auxiliũ, vel favorem, vel participent cum eisdem. Quod si contra fecerint, ex nunc innodamus eos excommunicationis vinculo in his scriptis, & tamquam excommunicatos ex causa prædicta præcipimus per ecclesias publice nunciari, exulante hujusmodi requirente. Huic etiam adjicimus, quod si propter partialitatis rabiem, sive pestem tyrannicam, prælatum inferiorem alicujus ecclesiæ, vel canonicum ecclesiæ cathedralis, seu alterius D collegiatæ sæcularis, exulare contigerit, sua culpa manifesta & notoria hoc minime faciente, aut autoritate judicis competentis, quod capitulum & conventus ejusdem sæcularis, fructus & redditus dignitatis ipsius, vel præbendæ, exigere teneatur, & ipsi prælato aut canonico sic exulanti duas partes eorumdem reddituum, quos ex ipsa licite percipere consuevit, si redditus ipsos capitulum ipsum perceperit, vel major pars eius, vel percipere poterit, sine difficultate assignent & exhibeant exulanti, singulis annis, E quibus ipsum sic contigerit exulare. Capitula vero & conventus, quæ in iis, iusto & manifesto impedimento cessante, difficultatem vel malitiam adhibuerint, ecclesiastico supponimus interdicto: nihilo minus ipsos conveniri & teneri decernimus ad solutionem huiusmodi faciendam. Regularibus vero prælatis, provideatur de illis, iuxta diœcesani proprii iussionem huiusmodi. In præmissis namque, & ipsorum cognitione, & exactione, & eorum occasione, procedi posse sancimus sine strepitu,

pitu, & ordine judicii, & figura.

Effrenata cupiditas suis terminis non contenta, adeo quorumdam oculos excæcavit, quod non solum ad bona profana rapienda & occupanda, sed etiam ecclesiastica, manus extendere non formidant, quæ sunt ministrorum ecclesiarum & pauperum Christi usibus deputata.

Quapropter volentes ejus appetitus noxios refrenare, præsenti approbante concilio, statuimus tam provide quam consulte, quod qui de cætero ecclesiam aliquam, vel aliquem pium locum, invaserit, vel occupaverit, seu occupatum detinuerit, vel aliquod prædium rusticum vel urbanum, seu quævis bona ecclesiastica, sive jura perpetua ad aliquem locum venerabilem pertinentia, vel ecclesiam aliquam seu pium locum spoliaverit, vel spoliatum detinuerit, aliquibus bonis immobilibus, sive juribus perpetuis, aut jurisdictione, districtu, vel honore alicujus castri, terræ, vel loci, seu communitatis, vel possessionis, decimas colligendi, levandi pedagia, seu eligendi, vel ecclesiæ providendi, aut census annuos percipiendi, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat. Et si admonitus non destiterit, & integre non satisfecerit sine difficultate: ex nunc tam ipsum, quam ejus filios, & descendentes, usque ad quartam generationem, omnibus feudis, honoribus & beneficiis ecclesiasticis privamus perpetuo, & inhabiles reddimus ad beneficium ecclesiasticum obtinendum: statuentes electiones, provisiones, collationes, præsentationes, & quasvis postulationes, quas attentare contigerit, ad ecclesiasticum beneficium, de aliquo præmissorum, irritas & inanes; & eligentes, postulantes, & providentes, seu conferentes, potestate eligendi, providendi, conferendi, & postulandi, decernimus illa vice fore privatos, ad superiorem proximum devolvendum. Clericos vero qui alienum beneficium, seu dignitatem, vel ecclesiã occupaverint, vel detinuerint absq; autoritate judicis cõpetentis, seu quemquam spoliaverint ejus beneficio, vel præbenda, superioris legitimi judicis non interveniente licentia, vel mandato, vel possessionem majoris partis bonorum ejusdem, ex nunc excommunicationis vinculo innodamus, & omnibus beneficiis, quæ intra nostram provinciam obtinuerint, privamus perpetuo, aliis libere conferendis: & si admoniti non destiterint, inhabiles judicamus ad aliqua beneficia ecclesiastica obtinenda, & gaudendum immunitate ecclesiastica, vel privilegio clericali. Universitatem autem, interdicti, & majores de ipsa universitate, excommunicationis sententias incurrere volumus ipso facto, si requisita ipsa universitas, vel ipsius rector, sive rectores, vel jurati, postquam eis de ipsa violentia, occupatione, seu spoliatione vel usurpatione, manifestum extiterit, non compulerint sine difficultate, aut compellere neglexerint hujusmodi occupatorem, invasorem, spoliatorem vel usurpatorem, ad rem occupatam, invasam, vel spoliatam & usurpatam, sive ut jurisdictio, sive quidquã jus aliud, libere dimittendam ipsi ecclesiæ, per eam pacifice possidendam. Si vero universitas ipsa, aut communitas, sive majores de ipsa universitate, vel ejus rector, aut dominus temporalis, hujusmodi occupationem seu invasionem, usurpationem vel spoliationem fecerint de aliquo præmissorum: consiliarios & majores ejusdem, ac rectorem seu rectores, in iis scriptis excommunicationis vinculo innodamus, & ipsam universitatem, & singulos de ipsa universitate, ecclesiastico supponimus interdicto: mandantes ipsas sententias per totam nostram provinciam sæpissime publicari, & illos excommunicatos & interdictos publice nunciari. Et si prædictas sententias excommunicationis & interdicti, ipsa universitas, consiliarii, & majores ejusdem, ultra sex menses sustinuerint, post denunciationem publice factam: ex nunc ipsos consiliarios, & majores, & eos per quos terra ipsa regetur, ipsorumque filios & nepotes, inhabiles reddimus ad honores ecclesiasticos, & beneficia obtinenda: ipsosque feudis ecclesiasticis privamus perpetuo: & in obitu prohibemus aliquem clericum & presbyterum sepulturæ talium interesse, nisi primo integre satisfecerit ecclesiæ taliter spoliatæ vel læsæ, de damnis, interesse, & injuriis, & de omni quod perceperint, occupationis vel spoliationis aut usurpationis hujusmodi ratione. Et ad præmissorum cognitionem & executionem statuimus posse procedi, sine figura & ordine judicii, per quemlibet judicem competentem. Quæ omnia similiter obtinere volumus, & statuimus, contra illas personas, quæ ab uno anno citra invaserunt & occupaverunt ecclesiastica jura provinciæ Ravennatis, & hodie detinent invasa & occupata.

De excessibus laicorum blasphemantium Deum, vel sanctos. Rubrica XXVII.

Cum præcipiat apostolus, *Benedicentes nolite maledicere*, minus hoc considerant & attendunt, qui in Deum, beatam Virginem, & sanctos ejus, in blasphemiam ora impudica exolvunt. Statuimus igitur ad prædictorum impudentiam compescendam, quod quicumque hoc præsumpserit de cætero, ultra pœnam & pœnitentiam quæ talibus est per canones imponenda, a liminibus ecclesiæ arceatur per mensem: & si pluries correctus se non emendaverit, in morte denegetur sibi

1. Pet 3.

ANNO CHRISTI 1311.

sibi ecclesiastica sepultura, ut juxta propheticum oraculum, cum benedicentibus Deum consortium non habeat in eadem.

De pœna illorum qui excommunicationem contemnunt. Rubrica XXVIII.

Cum proprii pastoris sive judicis sententia sit timenda: hoc minus considerant & attendunt qui excommunicationis sententiam maxime contemnentes, in sua obstinata & pertinaci contumacia induresçunt, nec curant satisfactione præstita in commissis absolutionis beneficium impetrare. Volentes talium cancerato morbo succurrere medicamine salutari, statuimus, & perpetua stabilitate firmamus, quod quicumque de cætero excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti sententiam animo sustinuerit per annum indurato, etsi in morte beneficium absolutionis satisfactione præstita meruerit, nihilo minus tamen in pœnam contumaciæ ecclesiastica careat sepultura; salva illorum pœna qui pro hæresi vel ipsius suspicione arctius percelluntur, juxta canonicas sanctiones. Etiam propter hoc in pœnam centum solidorum denar. monetæ ipsius civitatis, cujus larem fovent, incurrant ipso facto.

De pœna adulterorum. Rubrica XXIX.

Cum de matrimonio loquens dicat Apostolus, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ*: hoc minus recogitant & attendunt, qui propria temeritate, repulsis uxoribus, vel, quod est scelestius, ipsis retentis, superinducunt adulteras, & cum eisdem habitant impudice, in Domini institutoris matrimonii offensam, animarum suarum periculum, & fidelium scandalum, & maxime vicinorum. Ad quorum impudicam contumaciam radicitus extirpandam, statuimus, & perpetua stabilitate firmamus, quod nisi tales moniti seorsum per proprium sacerdotem, resipuerint cum effectu, repulsis prorsus adulteris, ad denunciationem sacerdotis, vel parochialis prædicti, diœcesanus teneatur ex officio procedere contra eos per censuram ecclesiasticam, usque ad excommunicationis sententiam: quam si sustinuerint per mensem animo indurato, adulteris non repulsis, etsi in morte de prædictis satisfecerint cum effectu, nihilo minus tamen in ipsorum contemptum & pœnam ecclesiastica careant sepultura. Per hoc tamen non intelligatur eis permissum, quod tenere possint focarias, etiam solutas: illud rememorantes quod scriptum est: *Fornicatores & adulteros judicabit Dominus*: sed contra tales ad arbitrium ordinarii procedatur.

Ephes. 5.

H. b 13.

A *De eleemosynarum largitione.* Rubrica XXX.

Cum, juxta Prophetam, *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*, & Dominus dicat in evangelio, *Date eleemosynam, & omnia munda erunt*, & bona ecclesiarum sint pauperum: statuimus quod de cætero, & prout sæpius & melius poterit, fiant juxta possibilitatem, eleemosynæ generales per episcopos & capitula cathedralium ecclesiarum: & abbates seu conventus monasteriorum habentium sufficientes redditus ad ea. Et quilibet etiam episcopus, secundum suum beneplacitum & possibilitatem, quotidie in prandium reficiat aliquos pauperes. Et ut pauperibus verecundis valeat provideri, in quolibet quarterio vel sexterio cujuslibet civitatis, & aliis insignibus locis nostræ provinciæ, quolibet anno eligantur quatuor vel sex, sicut videbitur episcopis esse sufficiens, catholici & devoti & honorabiles viri, qui quæstam requirant pro eleemosyna hujusmodi pauperibus facienda; & dividant, prout discretioni eorum videbitur expedire. Et quicumque laboraverit vel dederit eleemosynam secundum sui possibilitatem, pro hoc ei indulgentia quadraginta dierum conceditur per hoc concilium illa die; si vere fuerit pœnitens & confessus.

Psal. 40.

Luc. 11.

Cum Dominus, tamquam preciosius, in ultimis discipulis suis dixerit: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*: & ex guerris amissio & perditio animarum & corporum, & consumptio bonorum, ac odia, scandala & crimina innumerabilia oriantur: statuimus quod, quotiescumque inter aliquas civitates provinciæ Ravennatis verisimile videatur discordiam oriri, duo de provincia episcopi cum ordinario conveniant, quos ordinarius duxerit requirendos, in loco & ubi tutius & commodius ad tractandum convenire possint, de compositione, si commode fieri possit. Et si eis per octo dies ad plus laborantibus, non videretur quod possent proficere, significetur coepiscopis per provinciam, quod donec discordia hujusmodi durabit, dicatur collecta pro pace: & quicumque pro eis laboraret & oraret, si foret vere pœnitens & confessus, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxentur præsentis concilii autoritate.

De testamentis. Rubrica XXXI.

Quoniam deficientium voluntates pro legibus sunt observandæ, & executores testamentorum ultimas deficientium voluntates exequi negligunt, in grave animarum ipsarum periculum: statuimus quod notarii, qui testamentum, seu quamlibet ultimam voluntatem vel schedulam ad piam causam scri-

ANNO CHRISTI 1311.

scripserint, eam infra mensem episcopo ordinario, vel ejus vicario præsentent, & assignent, & tradant; alioquin sententiam excommunicationis incurrant: ita quod de cætero fides instrumentis per eum confectis non adhibeatur. Et executores post legitimum tempus, hoc est annum, nisi fuerint executi, ulterius se non possint intromittere, sed episcopi ordinarii ea exequantur: & nihilo minus tales de cætero sint inhabiles ad executiones alias suscipiendas, ut in eo quod deliquerunt, puniantur.

De salariis & solutionibus scripturarum.
Rubrica XXXII.

Item cum indebitæ exactiones a notariis & sigilliferis dominorum episcoporum taxentur & moderentur in omnibus, præsertim in ordinationibus: ut ultra duos venetos non possint accipere pro scriptura, charta, schedula, cera & sigillo, nec aliis quam in ipsis habent facere; nec gravent ultra in aliis actis, videlicet citationibus & edictis, monitionibus, & aliis scripturis, sed cum taxatione & moderatione dominorum episcoporum restringantur & taxentur. Et si querela super hoc remedium præbuerit, ipse notarius officialis suspendatur in dicta curia episcopali, usque ad aliud concilium provinciale, ab officio suo.

Lectæ & publicatæ fuerunt suprascriptæ constitutiones, statuta & ordinamenta in choro majoris ecclesiæ Ravennatis, & ordinatæ & firmatæ in concilio provinciali memorato, præsentibus Dei gratia dominis Huberto Bononiensi, H. R. M. Cerviensi, & P. Foropopiliensi, & fratre venerabili electo Faventino, & præsentibus procuratoribus, videlicet dominorum P. Parmensis, R. Forliviensis, L. Cæsenatensis, fratrum, P. Comaclensis, I. Adriensis, & V. Saxenatensis, episcoporum suffraganeorum, absentium, *&c.* R. archidiacono, & Ioanne Andreæ præposito, Nicolao presbytero cardinale, & Guidone Boninsegna, Thomasio Cambio, & Benedicto, cantoribus ecclesiæ Ravennatis, præsentibus pluribus abbatibus, & aliis testibus, ad hæc convocatis: anno Domini millesimo tercentesimo undecimo, indictione nona, die Lunæ vigesimoprimo mensis Iunii.

Lectæ & publicatæ & pronunciatæ fuerunt suprascriptæ constitutiones, statuta & ordinamenta in episcopali palatio Mutinensi per venerabilem patrem Bonadanum, Dei gratia episcopum Mutinensem, in plena synodo cleri civitatis Mutinensis, in præsentia venerandorum & reverendorum virorum dominorum Iacobi abbatis monasterii sancti Petri, Bonincontri archipresbyteri ecclesiæ Mutinensis, Barnabei & Iacobi canonicorum dictæ Mutinensis ecclesiæ, Iacobi prioris sanctæ Trinitatis, Simonis prioris de Gena, fratris Benedictini prioris sanctæ Catharinæ, Lanfranci archidiaconi de Saliceto, Iacobi presbyteri ecclesiæ sancti Barnabæi, presbyteri Ioannis ecclesiæ sanctæ Agathæ, presbyteri Ritii ecclesiæ sancti Michaelis, presbyteri Ioannis ecclesiæ sancti Marci, presbyteri Bartholomæi ecclesiæ sancti Georgii, & cæterorum capellanorum civitatis Mutinæ, & Burgorum, & aliorum prælatorum, presbyterorum, & clericorum ecclesiarum civitatis & diœcesis Mutinæ, & præsentibus testibus vocatis & rogatis domino presbytero Rodulpho beneficiato in ecclesia Mutinensi, Petro de Florano & Geminiano mansionariis ecclesiæ Mutinensis prædictæ, Gerardino de Boschettis, Guillelmo de Poiixina, Lanfranco de Petrazanis, & aliis, in millesimo tercentesimo undecimo, indictione nona, die Veneris, decimo intrante mense Septembris.

ANNO CHRISTI 1314.

SEDES VACANS.

** CONCILIUM PARISIENSE

A Philippo Senonensi archiepiscopo, cum suffraganeis celebratum anno Dom. MCCCXIV. sede apostolica vacante.

Ex bibliotheca Victorina edidit Ludovicus Bail in Summa conciliorum.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Quod detentores clericorum excommunicandi sunt.*
2. *Quod citationes generales non fiant.*
3. *De citatione participantium cum excommunicatis.*

PRÆFATIO.

Philippus miseratione Divina archiepiscopus Senonensis, in provinciali concilio, anno Domini MCCCXIV. die Martis ante translationem B. Nicolai, cum continuatione dierum sequentium, Parisius celebrato, ad perpetuam rei memoriam.

CAPITULA.

I. *Quod detentores clericorum excommunicandi sunt.*

Ut eo potentius ecclesiasticæ libertatis vigor invaleat, & grex Dominicus pastorali cura ab oppressione & incursibus solicitius præservetur, quo plurimorum spectantium fuerit solicitudinis studio communitus, & temerariæ rapacitatis abusus multiplicibus fuerit acclamationibus vehementius confutatus: sacro nos ad hoc solicitante concilio duximus statuendum, ut curati ecclesiarum parochialium nostræ provinciæ, detentores clericorum, intra parochiarum suarum limites constitutos, licite monere & requirere teneantur, ut præfatos clericos detentos ab eis, ordinariis suis restituant indilate. Quod si ab eis requisiti non adimpleverint absque mora: detentionem hujusmodi confitentes, vel cum alias detentio ipsa adeo notoria & manifesta existat, quod non possit aliqua tergiversatione celari, detentores ipsos excommunicatos a canone in suis ecclesiis studeant nunciare, ut eos ab omnibus faciant arctius evitari: donec a locorum ordinariis, satisfactione eisdem & passis injuriam de tantis excessibus competenter*, vel ab aliis competentibus judicibus, absolutionis beneficium meruerint obtinere: statutis synodalibus alias super hoc editis, prout locorum

* Deest, facta.

ANNO CHRISTI 1314.

rum ordinariis videbitur, nihilo minus in A suo robore duraturis.

II. *Quod citationes generales non fiant.*

Item sacro duximus approbante concilio statuendum, quod in nostra provincia omnibus ecclesiasticis judicibus generales citationes, quæ sub ea forma consueverunt concedi, *Citetis omnes illos quos lator præsentium, &c.* intelliguntur penitus interdictæ, & ab iisdem in posterum nullatenus concedantur: & quod si forsan obtentæ fuerunt quoquo modo, nullius penitus sint effectus, & eis non pareatur impune. B

III. *De citatione participantium cum excommunicatis.*

Statuimus insuper, quod nullus super participatione cum excommunicatis citetur, nisi primo monitus fuerit nominatim: nec scribat notarius citationem, nisi primo monitionem viderit tam sigillo judicis quam executoris sigillatam. Ac impetrans citatorium, jurare teneatur, se credere quod citati cum excommunicatis participaverint in casibus a jure non permissis & scienter, antequam citatorium obtineat supradictum: quodque in ipsa citationis littera talis inseratur clausula, scilicet præfatum impetratorem antedictum subiisse hujusmodi juramentum: ac in ipsa citatione quinque tantummodo contineantur nomina personarum. Si vero postquam personæ sic citatæ super participatione prædicta, per earum juramentum, prout moris est, se debite purgaverint: eo ipso autores, ad quorum instantiam tales citationes impetrantur, personis sic citatis super hoc instanter & supplicantibus, nisi præfati autores contrarium legitime probare voluerint, in expensis ob hoc factis legitime condemnentur. Et si qui modo superius annotato citationes impetrantes super ipsa participatione, fraudulosi reperti fuerint de extorquenda pecunia taliter a citatis: tanquam fures perjuri per officialem acerrime puniantur.

ANNO CHRISTI 1314.

CONCILIUM RAVENNATE III.

De disciplina ecclesiastica, celebratum anno Domini MCCCXIV. post obitum Clementis papæ V. tempore interregni pontificii.

TITULI CAPITULORUM.

Constitutiones domini Rainaldi editæ in concilio celebrato Argentæ.

PRÆFATIO.

In Christi nomine, Amen.

QUia inundatio & abundantia peccatorum facit homines in tenebris ambulare, & permanere, ita quod superioribus debita non exhibetur reverentia, nec inferioribus solicita & caritativa impenditur cura, ex quibus inordinationes & confusiones, nedum in clero, immo & in populo, innumeræ pullularunt, ob quæ apparent, ex occulto Dei judicio, naufragia D & tempestates: idcirco nos Rainaldus permissione Divina, & apostolicæ sedis gratia, sanctæ Ravennatis ecclesiæ archiepiscopus, ad honorem omnipotentis Dei, beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, beati Apollinaris patroni, sanctorum martyrum Vitalis & Vrsicini, ac aliorum martyrum & confessorum, quorum meritis & precibus, nedum ipsa ecclesia Ravennas, immo omnes cathedrales ecclesiæ, ac aliæ venerabiles de provincia, sunt fundatæ & dotatæ, ad reformationem devotionum, honestorum morum, personarum ecclesiasticarum, religiosorum, sæcularium & laicorum, & salutem omnium animarum, defensionem & recuperationem rerum ecclesiarum, hoc sacro concilio, in ecclesia beati Nicolai castri Argentæ, ecclesiæ & diœcesis Ravennatis convocato & congregato, sub anno Domini millesimo trecentesimo decimo quarto, indictione XII. decimo die mensis Octobris, præsentibus venerabilibus fratribus dominis Dei gratia fratre M. Imolensi, fratre P. Comaclensi, P. Foropopiliensi, fratre V. Faventino, I. que Cæsenatensi, episcopis: & procuratoribus venerabilium patrum Bononiensis, Adriensis & Reginensis episcoporum, ac capituli Mutinensis, cum ecclesia ipsa vacet ad presens: Christi nomine invocato, de approbatione ipsius concilii, cui, Deo

ANNO CHRISTI 1314.

Deo permittente, præsidemus, infrascriptas constitutiones duximus edendas, promulgandas, ac publicandas. Et ne contra eas aliquid possit fieri, vel ignorantia aliqua prætendi, eas post tres menses proxime subsequẽtes, mandamus & statuimus ab omnibus subditis provinciæ Ravennatis inviolabiliter observari.

CAPITVLA.

Quod constituti in sacris tantum, habeant vocem in capitulo. Rubrica I.

CVm ordines sacri, sancto afflante Spiritu, sint ad augmentum gratiæ suscipientium illos maxime constituti, & ob B hoc conferendi sint præcipue viris scientia & vitæ sanctitate præditis, a criminibus & infamia alienis, quia apostolis & discipulis suis, quorum vicem hi tenent, Dominus secretiora revelavit clarius: statuimus quod solummodo constituti in sacris ordinibus, & non alii, ad capitula vocentur, & vocem habeant in capitulo. Et hæc intelligimus de sæcularium clericorum capitulis, non de conventibus religiosorum.

De ætate & qualitate ordinandorum. Rubrica II.

Quoniam Dominus ordinem Levitarum, quorum locum obtinent clerici, voluit & mandavit esse discretum a populo, ut coram eo starent semper, & audirent sapientiam ejus; & species cæli est gloria stellarum, & in antiquis est prudentia, cum nemo eligat tirones, quos non constat esse prudentes: statuimus, seu statutum esse declaramus, quod nullus ad sacerdotium ordine- D tur, nisi vigesimumquintum; ad diaconatum, nisi vigesimum; ad subdiaconatum, nisi sextumdecimum annum ætatis attigerit. Nec ad ordinandum aliquem alterius diœcesis, ad quoscumque ordines vel officia, sufficiant litteræ simpliciter præsentatoriæ, seu dimissoriæ, nisi fuerint & testimoniales super vita & litteratura ejusdem, & per duos dies saltem ante diem ordinationis fuerit ordinatori præsentatus: nec in hoc alterius litteræ valeant, quam ordinarii episcopi, vel vicarii ejus, cum longe in remotis aget idem episcopus: & hoc, nisi sint E de ordinibus mendicantium, vel aliorum exemptorum privilegiatorum, de quorum privilegiis constet. Et si quis aliter fuerit ordinatus, non possit ministrare in ordinibus sic susceptis, donec cum eo per sedem apostolicam, vel provinciale concilium, fuerit misericorditer dispensatum

De non consecrandis in episcopos peregrinis & ignotis: & quod aliquis suffraganeus non vadat extra provinciam pro consecratione facienda. Rubrica III.

Ad hoc, quia Dominus, respectu gregis, A episcopos nominavit pastores, & eos qui ad hoc vocantur, oportet esse irreprehensibiles, & testimonium habere bonum ab iis qui foris etiam sunt: statuimus, prohibemus, & inviolabiliter observari præcipimus, ne aliqui, præsertim peregrini & ignoti, in provincia nostra ordinentur seu consecrentur in episcopos, nec etiam aliqui alii noti in provincia, nisi de licentia archiepiscopi, & requisitis comprovincialibus episcopis, prout canones volunt, & fieri est consuetum, in suffraganeis consecrandis: nec etiam aliquis vel aliqui de episcopis suffraganeis, sine licentia archiepiscopi, exeat provinciam Ravennatem pro aliquo consecrando, salva sedis apostolicæ autoritate & mandato. Quod si quis contra fecerit, pœnam sacrorum canonum incurrat ipso facto: & nihilo minus autoritate præsentis concilii prohibemus, ne ad ordinationem seu consecrationem alicuius se immisceat, nec per confratres admittatur: ut sic, in eo in quo deliquit puniatur, nisi per nos fuerit cum eodem, in quantum possumus, dispen- C satum. Et nihilo minus sic consecratus, a pontificalibus sit in provincia Ravennate suspensus totaliter, donec per sedem apostolicam cum eo fuerit dispensatum.

De peregrinis & ignotis episcopis non admittendis. Rubrica IV.

Item exhortamur pro unitate fidei, & honore sanctæ Romanæ ecclesiæ, & affectuose rogamus, ac attentius requirimus omnes & singulos exemptos, intra Ravennatem provinciam constitutos, ut nullos episcopos peregrinos vel ignotos, & populum subditum citra mare non habentes, invitent seu admittant ad ordinationes tenendas, seu alia pontificalia exercenda in ipsorum ecclesiis, monasteriis, vel locis. Quod si contra fecerint, volumus eos privilegiis, beneficiis & favoribus præsentis concilii, & omnium aliorum conciliorum Ravennatis provinciæ, ipso facto esse privatos.

De delegatis, vel legatis, ut faciant fidem suæ legationis. Rubrica V.

Cum ex processibus aliquorum, qui se asseruerunt a sede apostolica legatos, vel delegatos, vel alios nuncios, quocumque nomine censeantur, in provincia Ravennate, & maxime in Romaniola, plurima scandala hactenus sint exorta: statuimus autoritate præsentis concilii, quod nullus de cætero, qui se dicat legatum, delegatum, vel apostolicæ sedis nuncium, in provincia Ravennate, & maxime in Romaniola, vel aliqua civitate ejusdem, stetur processibus, nisi prius fecerit indubitatam & plenam de jurisdictione fidem quam asserit se

ANNO CHRISTI 1314.

ANNO CHRISTI 1314.

se habere, coram nobis, vel coram ordinario, in cujus civitate vel diœcesi dictam jurisdictionem voluerit exercere. Et quod quilibet ordinarius possit, nomine & vice hujus concilii, dictæ delegationis copiam requirere, petere, & recipere: quam si talis facere recusaverit, seu neglexerit, in nullo ei pareatur, nec stetur ejus processibus, nec eidem obediatur, immo reputetur jurisdictionem aliquam non habere. Hoc tamen non intelligimus ad legatos ex latere ullo modo, vel ad delegatos ad certas & speciales causas, vel ad provisores seu exequutores beneficiorum datos, extendi: cum tunc parti facere fidem sufficiat.

De maioritate & obedientia, ac honorificentia prælatorum, & pœna non obedientium superioribus suis. Rubrica VI.

Cum episcopalis dignitas præ cæteris sit sublimior, & aliæ nullam comparationem recipiant ad eamdem, & in hoc sæculo nil excellentius sacerdotibus, & nil sublimius episcopis valeat reperiri, cum in eis & per eos Christus per omnia habeat præsentari: idcirco pro Divina devotione & reverentia, ac honorificentia dignitatis & ordinis episcopalis, & populi devotione augenda, sacro approbante concilio mandamus & statuimus, quod quotiescumque episcopi per civitates suas & diœceses transierint, rectores, seu clerici ecclesiarum, qui sciverint eos per suas parochias transire, campanas pulsent, seu pulsari faciant, ita quod populus audire possit, & exire, & genua flectere ad benedictionem suscipiendam. Quod si quis facere omiserit, ipso facto incidat in pœnam quinque solidorum Ravennatum, distribuendorum in pauperes infra tres dies. Quam pœnam si solvere neglexerit, postquam fuerit semel monitus, pro qualibet duplicetur, in pietatem similem convertenda. Et multo hoc amplius extendatur ad monasteria, & alia loca religiosa. Eadem præsidentia & approbatione mandamus & statuimus, quod quotiescumque episcopi accedent ad ecclesias locorum, ubi sunt capitula, vel conventus, certioratis illis de suo adventu, campanis pulsatis, cum coctis, & pluvialibus, si habuerint, aqua benedicta, & incenso, & cruce, psallendo seu cantando, processionaliter & devote eis obviam reverenter occurrant, usque ad portam ecclesiæ, vel usque ad limen cœmeterii, & ipsi domini episcopi super* se prostratos ante altare, dicta cum cantu per sacerdotem oratione, surgentes osculati fuerint altare, impendant benedictionem solennem.

* hoc est, super eos qui se prostraverunt

Item statuimus, eodem approbante concilio, quod omnes episcopi suffraganei in tota provincia, cum eos suam diœcesim exire contigerit, possint & debeant impendere publicam benedictionem, celebrare in pontificalibus, prædicare, & indulgentias sic celebrando concedere: & hoc intendimus, ubi episcopi hujusmodi non contraherent ibi moram, scilicet longiorem decem dierum, sed quasi transeuntes essent ibi, ut eis in tali transitu & adventu honor deferatur, si ordinarius non sit præsens: alias* ideo si ultra decem dies moram contraherent, vel diœcesano præsente in civitate vel loco, tunc præmissa eis facere prohibemus, nisi ad invitationem ipsius ordinarii, ne ejus honori videatur in aliquo derogari.

* Corr. aliter, id est

Quia sublimiores majori honore digni sunt, & major reverentia, & promptior obedientia debetur, & majoribus suffragiis indigent, quia vigilare habent, tamquam pro animarum omnium subditorum salute rationem reddituri, & quanto caput nobilius, tanto nobiliora membra ei habent correspondere: ideo hortamur, & persuademus in Domino, ut quotiescumque legatum ex latere sedis apostolicæ, vel archiepiscopum sanctæ Ravennatis ecclesiæ, solenniter celebrare, vel celebrari facere per episcopum in pontificalibus contigerit, in aliqua civitate provinciæ Ravennatis, omnes episcopi, abbates & priores provinciæ Ravennatis, qui fuerint in eo loco præsentes, & hoc sciverint, seu certiorati fuerint, venire & convenire debeant ad ecclesiam, ubi Missa hujusmodi debeat celebrari, & in Missa parati coctis, amictis, pluvialibus, mitris & baculis pastoralibus, quibus hæc competunt, Missæ interesse debeant, & perseverare usque ad finem, ut per hoc Deus & adstantes hujusmodi honorentur, & populi devotio augeatur.

Cum Apostolus dicat, *Servi, estote subditi dominis vestris*, ut per hæc ad humilitatem & obedientiam informaremur: statuimus, quod quicumque monitus a prælato, seu prælatis superioribus suis, in iis quæ spectant ad correctionem, contumaciter renuerit obedire: ne ex hoc damnetur cum Dathan & Abiron, quos propter inobedientiam, cum familiis terra vivos absorbuit, sit ipso facto suspensus. Quam quidem suspensionem si sustinuerit per mensem animo indurato, sententiam excommunicationis incurrat: a qua non possit absolvi, nisi satisfactione præstita suo superiori quem contempsit, vel ejus successori. Col. 3.

De instrumentis conficiendis, & non retinendis per advocatos, notarios, seu procuratores. Rubrica VII.

Volentes ecclesiarum indemnitatibus, industria qua possumus, occurrere, & malignantium subterfugiis obviare: statuimus, quod

Anno Christi 1314.

quod quisque notarius, clericus vel laicus, rogatus est, vel fuerit in futurum, conficere instrumentum publicum, vel scripturam quamcumque, per aliquam personam ecclesiasticam, super aliquo contractu, concessione, dispositione, seu super alio quocumque negotio vel facto: teneatur dictum instrumentum vel scripturam, saltem infra decem dies postquam fuerit requisitus ab eo qui rogaverit, procuratore vel successore ejus, in publicam formam redigere, & recepto salario convento, vel alias competenti; aut ei oblato, & secundum jura deposito, illud instrumentum vel scripturam tradere illi, vel illis, qui confici rogaverat, & duplicatum, si de consuetudine vel de jure possit vel debeat duplicari. Quod si non fecerit, ut præmittitur, & post adhuc expectatus per alios decē dies non compleverit & satisfecerit de damnis quæ propter hoc incurrisset ecclesia, sententiam excommunicationis incurrat ipso facto: a qua sententia non possit absolvi, nisi dicto instrumento, ut supra, reddito, & alias satisfactione præstita de damno prædicto. De quo damno, & ipsius quantitate, credatur & stetur juramento prælati vel rectoris ecclesiæ, vel alterius personæ ecclesiasticæ, ad quam pertineat: a judice tamen super hoc taxatione præmissa.

Insuper statuimus quod, durante dicta excommunicatione, nulla persona ecclesiastica debeat dictum notarium rogare, vel assumere ad aliquam scripturam seu publicum instrumentum conficiendum, super aliquo contractu, negotio, dispositione vel causa, ecclesiasticis. Quod si contra quis scienter fecerit, ipsum volumus ipso facto incurrere pœnam decem librarum Revennatum pro quolibet instrumento vel scriptura, quod vel quam postea fecerit, mandaverit vel rogaverit: quam pœnam converti præcipimus in eleemosynas pauperum, diœcesano disponente. Statuimus etiam, quod quicumque advocatus, procurator, seu officialis deputatus ad acta scribenda, vel alia quæcumque persona, aliquod privilegium, vel instrumentum, vel scripturam publicam, alicujus ecclesiæ vel ecclesiasticæ personæ receperit, seu alias ad eum pervenerit, infra tres dies postquam fuerit requisitus ab eo a quo accepit dictum privilegium, instrumentum, vel scripturam, restituere teneatur, & debeat, nec possit ea retinere prætextu alicujus debiti. Quod si requisitus, infra dictum tempus restituere distulerit: statuimus, quod pœnam seu pœnas supra statutas contra notarios conficientes seu conficere debentes instrumenta, incurrat ipso facto: & ab his non possit absolvi, nisi instrumenta restituerit cum emendatione damnorum, super quibus credatur eodem modo repetentis hujusmodi instrumenta sacramento. Nihilo minus san-

A cientes, quod nulla persona ecclesiastica a dicto tempore inantea usque ad quinque annos possit vel debeat dictos, advocatum, procuratorem, officialem, vel aliquam talem personam, quocumque nomine nominatam, in suum advocatum, procuratorem, œconomum, syndicum, vel officialem eligere, recipere, vel tenere. Quod si fecerit, ipso facto volumus eam incidere pœnam decem librarum Ravennatum: quam pœnam converti præcipimus in eleemosynas pauperum, diœcesano disponente.

B *De præscriptionibus, & quod nullus prætextu alicuius temporis, possit se defendere, quin visitetur.* Rubrica VIII.

Item statuimus, & autoritate ejusdem concilii, prohibemus, quod nulli religiosi, vel sæculares, prædictæ provinciæ Ravennatis, prætextu seu occasione lapsus temporis, desuetudinis vel præscriptionis, suis ordinariis & prælatis visitantibus, seu visitare volentibus, repugnare vel contradicere audeant vel præsumant: alioquin, præter pœnas a jure C statutas in personas contradicentium, & eisdem scienter faventium, excommunicationis; in ecclesias vero, interdicti sententias autoritate præsentis concilii proferimus.

De appellationibus & pœna non prosequentium appellationem ab excommunicatione interpositam. Rubrica IX.

Si quis excommunicatus, appellationem interpositam ab excommunicatione hujusmodi prosequi neglexerit, & postea Divinis, ut prius, se immiscuerit: omnibus beneficiis, quæ intra provinciam obtinebat, eo ipso au-D toritate præsentis concilii sit privatus.

De vita & honestate clericorum, ac ornatu eorum. Rubrica X.

Quoniam sacerdotium ex indisciplinatione populi apparet non sanum, & propter lascivias, & dissolutiones clericorum & religiosorum, detrahitur Divino honori, ac ordini clericali, populique minus fiunt ex hoc devoti, in tantum ut etiam jura ecclesiarum E retinere, & aliquando temerarie invadere non vereantur, cum incessus, habitus, & vestimenta clericorum & religiosorum, in gravitate, forma, ac colore, distincta sæpius non videantur ab habitu laicorum, quemadmodum esse deberent: proinde statuimus & mandamus pro honestate ordinis clericalis, quod nullus religiosus vel clericus portet arma, nec vestimenta alterius coloris, quam jure permissi: quæ desuper clausa sint, atque talaria. Coronam etiam condecentem portent, per quam designetur regalis esse generis, & sperare se assequi debere

ANNO CHRISTI 1314.

partem hereditatis Divinæ; quæ scilicet sit rotunda, & ita tonsi sint inferius, quod aures pateant: ita quod si in sacris fuerit, aut beneficiatus in ecclesia cathedrali vel collegiata venerabili, secundum condecentiam sui status portet latiorem, alii vero mediocrem vel minorem suis statibus condecentem. Capita cooperiant pileo, vel bireto, vel armutia oblonga ad aures. Laicorum convivia non frequentent: in domibus ecclesiarum studeant habitare. Prælati, sacerdotes, & alii in dignitatibus & personatibus constituti, ac canonici cathedralium ecclesiarum in sacris constituti, sacerdotes & rectores ecclesiarum, civitatum & suburbiorum, per civitates incedentes, decentem habitum portent, videlicet cappas vel chlamydes. Sacerdotes vero extra civitates & suburbia, & alii in sacris constituti, saltem tabardos talares portent. In ecclesia vero utantur cappis nigris, vel saltem coctis albis. Loca turpia nullo modo ingrediantur, nec tabernas: nisi forte in necessitate in itinere constituti, pro cibo vel potu, vel pro hospitio, compellantur intrare. Tabernas, vel merces illicitas, aut personas suspectas, in ecclesiis vel domibus ecclesiarum, quæ sint intra claustrum, vel ad usum clericorum & ministrorum deputatæ, nullo modo permittant teneri vel commorari. Quod si quis contra aliquod præmissorum fecerit, pœnam decem solidorum Ravennatum incurrat ipso facto: quam si non solverit infra mensem postquam semel monitus fuerit, & ipse excommunicatus existat. Si vero fuerit religiosus, per mensem jejunet bis in hebdomada in pane & aqua, comedendo publice coram fratribus, quando alii fratres reficiuntur: ad quam quidem pœnam condemnamus ex nunc contra facientes. Quam pœnam si non inchoaverit infra mensem, postquam semel monitus fuerit, ut supra, & inchoatam compleat, ut debet: ex nunc ipso facto excommunicatus existat: & nihilo minus contra facientes privati sint ipso jure privilegiis & favoribus hujus concilii, & omnium aliorum provincialium conciliorum: cum non sit miles reputandus, qui stigmata non habet, & frustra legis imploret auxilium qui committit in legem.

Quod nullus accedat ad monasteria monialium, & quod moniales non exeant claustrum.

Rubrica XI.

Cum expediat Christi ancillas, quæ se claustralibus ergastulis seu monasteriis dedicarunt, a conversatione hominum esse semotas: statuimus, præcipimus & mandamus, quatenus ad ipsa ergastula seu monasteria nullus vir accedat, sine petita licentia & obtenta sui episcopi. Si quis autem contra fecerit, pœnam viginti solidorum incurrat ipso facto; etiamsi non intret intra claustrum monialibus tantummodo deputatum: quam pœnam si non solverit infra mensem postquam ad monasterium monialium accessum habuerit, excommunicatus ipso facto existat. Si vero fuerit religiosus, per mensem jejunet in pane & aqua bis in hebdomada, publice comedendo coram fratribus, hora refectionis communis. Quod si pœnitentiam prædictam non inchoaverit infra mensem, postquam ad monasterium monialium accessum habuerit, vel inchoatam, ut præmissum est, non compleat: eo ipso excommunicatus existat; & nihilo minus ad dictum jejunium teneatur. Si autem intra claustrum seu locum monialibus deputatum intraverit, sit ipso facto exeommunicatus; monialis vero, quæ exierit claustrum, seu locum ei specialiter deputatum, sine licentia habita & obtenta sui episcopi, licet clausuram sui monasterii non exierit, per mensem carceri deputetur, in quo de commisso pœnitentiam agat. Si autem clausuram ipsam exierit monasterii, pœnæ prædictæ subjaceat, & tamdiu plus in carcere remaneat, quamdiu stetit extra monasterium: & nihilo minus in hoc casu, perpetuo sit ultima semper in choro, nullamque cum aliis habeat in capitulo vocem.

De beneficiis ordines sacros requirentibus, & de pœna eorum qui negligunt ad ipsos ordines promoveri: & de præbendis in ecclesiis cathedralibus absque ordinibus sacris non retinendis.

Rubrica XII.

Cum sæpe in non matura ætate constituti, per cupiditatem & avaritiam parentum suorum, dignitates, officia, beneficia, vel præbendas, ad quæ minus sunt idonei, nonnunquam de facto adipiscantur: statuimus, quod si quis infra ætatem sexdecim annorum constitutus, ex dispensatione sedis apostolicæ fuerit beneficium adeptus, quod requirat sacerdotalem, vel sacrum ordinem, aut etiam præbendam in ecclesia cathedrali provinciæ Ravennatis, nisi cum attigerit sextumdecimum annum ætatis se fecerit ad subdiaconatum promoveri infra annum, & alias postea promoveatur secundum ætatem, prout requirit onus ipsius beneficii, ex nunc ipso beneficio seu præbenda hujusmodi sit privatus. Adulti vero, secundum jura & onera beneficiorum hujusmodi, postquam fuerint hujusmodi beneficia, aut in ecclesiis cathedralibus præbendas adepti, sub pœna & privatione consimili, quamcitius commode poterunt, vel saltem infra annum, ad ordines ipsos studeant promoveri: alioquin eos, ut supra, beneficiis hujusmodi privamus & præbendis.

De

ANNO CHRISTI 1314.

De celebratione Missarum, & pœna non celebrantium. Rubrica XIII.

Cum nonnulli religiosi & sæculares clerici imprudenter ad sacerdotium se faciant promoveri, post promotionem hujusmodi Missas celebrare, ac alias sacerdotale officium exercere non curantes, nec animadvertentes, quod quemadmodum quotidie pro populi peccato, ita & pro suo debet offerre sacerdos, & quod hic sit panis, quem Deus quotidie peti & ministrari mandavit; nec considerantes, quod in oblatione sacræ hostiæ non tantum id quod cum fide & devotione petitur, immo beneficia conceduntur ampliora, sicuti in oblatione Abel, Abrahæ & Zachariæ patet, sacerdotale sic ministerium vilipendere videntur, non absque plurium scandalo, & in detrimentum animarum suarum: ideo præsentis concilii autoritate & approbatione statuimus, quod si aliquis jam promotus sit ad sacerdotium, aut in futurum quemquam promoveri contigerit, a die suæ promotionis, aut a die publicatæ hujus constitutionis, infra tres menses celebrare debeat primam Missam, & deinde, prout poterit, Missarum solennia frequentare, vel saltem semel in anno; alioquin beneficiis omnibus quæ obtinet in provincia Ravenn. sit eo ipso privatus, si sæcularis est; religiosus vero ex tunc sit ineligibilis active & passive, & ultimus in choro & in refectorio habeatur.

Quoniam omnis sapientia a Domino Deo est petenda, & in bonis & benedictione justorum exaltatur ecclesia: statuimus quod quibuslibet diebus Mercurii vel Iovis dicatur specialis collecta in Missa pro studentibus, ut vasa ipsorum recipiant manna, hoc est sapientiam sanctam. Collecta autem sit: Deus qui per coæternam, vel sit de Spiritu sancto, cum sua secreta, & postcommunione. Ad hæc, eodem approbante concilio, monemus, mandamus ac statuimus, quod durante vacatione præsenti Romanæ sanctæ ecclesiæ, in singulis ecclesiis cathedralibus, qualibet die, & in aliis ecclesiis collegiatis vel conventualibus, saltem semel in septimana, ad hoc ut Deus provideat ecclesiæ suæ sanctæ de pastore secundum cor suum, una Missa celebretur seu dicatur in honorem beatæ Virginis, de Spiritu sancto, vel de Trinitate.

De baptismo, & eius forma. Rubrica XIV.

Quia damnabile est, iis præsertim ad quos spectat ex officii debito baptizare, formam sacramenti baptismatis ignorare, atque aliis periculosum: propterea, ut ipsius baptismi substantialia verba nota sint, ipsa in præsenti concilio duximus exprimenda. Et sunt ista,

A prout a Salvatore traduntur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Et ne quis ea possit deinceps ignorare, mandamus quod quilibet rector, seu sacerdos, suum populum debeat & teneatur ter saltem in anno instruere in prædictis, videlicet in octava Epiphaniæ Domini, in sabbato sancto Paschæ, & in sabbato Pentecostes.

De veneratione sanctorum in confessione habenda. Rubrica XV.

Quoniam devotio & pulcritudo demonstratur in uniformitate ecclesiæ, quæ sub B specie unius columbæ describitur, & in confessionibus quæ fiunt publice in introitu Missæ, & alias, varii perfunctorie & diversimode confitentur: statuimus, & de cætero observari præcipimus, per totam provinciam Ravennatem confessiones hujusmodi fieri sub hac forma: Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ virgini, beato Michaeli archangelo, beato Ioanni Baptistæ, sanctis apostolis Petro & Paulo, & omnibus sanctis.

De observantia ieiuniorum facienda tempore conuocandorum. Rubrica XVI.

Cum certo certius sit, quod Deus propter C orationum instantiam, jejuniorum observantiam, & eleemosynarum largitionem, maxime sua beneficia elargitur: etsi quolibet tempore sit pietatis operibus indulgendum, ferventius tamen hæc fieri debent tempore conciliorum: quo scilicet tempore nos oportet quælibet Dei beneficia, gratiam & misericordiam, & in agendis directionem, instantius atque devotius implorare. Vt igitur ad impetrandum & obtinendum prædicta melius dispositi inveniantur fideles: statuimus quod quotiescumque provinciale D concilium convocari contigerit, omnes & singuli ad prædictum concilium convocati, per tres dies ante ipsius inceptionem, seu primam sessionem, plus tunc solito orationibus & eleemosynis insistentes, omnibus diebus debeant jejunare. Cæteros vero clericos & laicos de provincia nostra, ad prædictas orationes, eleemosynas, & jejunia, sicut possumus, exhortamur in Domino Iesu Christo. Nihilo minus venerabiles patres suffraganei per se alios hortentur ad prædicta pietatis opera, hortarique faciant suos subditos, & induci.

E

De raptoribus & inuasoribus bonorum ecclesiasticorum mobilium. Rubrica XVII.

Ad reprimendum malitiam, ambitionem & avaritiam perversorum, & maxime communitatum seu universitatum, & earumdem officialium, ac potentum aliorum, qui ecclesias, prælatos, & ecclesiasticas personas, frequenter gravare præsumunt: autoritate

 præsentis

ANNO CHRISTI 1314.

præsentis concilii monemus, & sub pœna excommunicationis præcipimus, ac distri-ctius prohibemus, quod nulla universitas, nullus capitaneus, rector, vicarius, seu officialis, quocumque nomine censeatur, aut consiliarius, seu alia quæcumque persona, cujuscumque status, gradus, & conditionis existat, de cætero audeat vel præsumat bona mobilia, vel se moventia, reddi tus vel proventus ecclesiarum, prælatorum, invadere, occupare, rapere, prædari vel tollere quoquo modo, prætextu, vel quæsito colore, per se, alium, seu alios. Et qui contra fecerit, nisi infra decem dies emendaverit cum effectu, ab omnibus sacramentis ecclesiasticis sit ipso facto exclusus, usque ad satisfactionem debitam & condignam. Et si dictam exclusionis pœnam animo indurato per mensem duxerit in contemptum sustinere, non satisfaciendo plenarie de subtractis & acceptis: si communitas vel universitas fuerit, eo ipso ecclesiastico civitas, castrum vel villa ipsorum subjaceat interdicto; si singularis sit persona, sententiam excommunicationis incurrat, a qua nullatenus possit absolvi, nisi prædictas ecclesias, prælatos & ecclesiasticas personas, quas in prædictis gravaverit, indemnes reddiderit cum effectu, & alias satisfecerit de temeritate & contemptu, ad arbitrium ordinarii loci, seu officialis ejusdem. Et si prædictas sententias & pœnas iterum per mensem animo sustinuerit indurato: ipsum & ipsos statuimus & decernimus incurrere pœnas impositas, & promulgatas in alio concilio provinciali proxime per nos celebrato Ravennæ, contra invasores bonorum immobilium ecclesiarum. Quas siquidem sententias & pœnas, ad requisitionem ordinarii loci, vel ejusdem officialis, teneantur comprovinciales denunciare, seu denunciari facere, & servari per civitates & diœceses eisdem commissas, sicut prædicto ordinario requirenti, vel officiali ipsius videbitur expedire.

De obtinentibus ecclesiastica beneficia spectantia ad mensam prælatorum. Rubrica XVIII.

Sacro approbante concilio, hac irrefragabili constitutione sancimus, quod nullus religiosus vel sæcularis clericus, prætextu litterarum veritate tacita obtentarum a sede apostolica vel legato ipsius, aut quovis alio titulo non canonico, vel quæsito colore, dignitates, personatus, officia, vel beneficia quæcumque ecclesiastica provinciæ Ravennatis, ad mensam alicujus episcopi, monasterii, capituli, vel ecclesiæ pertinentia, hactenus occupata, seu in facto possessa, vel invasa, detinere audeat, vel præsumat, aut de cætero occupare, colore hujusmodi, in periculum animarum, & præjudicium alicujus. Alioquin si sic dictas dignitates, personatus, officia, vel beneficia, seu ecclesias taliter occupatas, detinere monitus contenderit, & eas vel ea non dimiserit, & libere relaxaverit cum effectu, cum fructibus inde perceptis, eisdem prælatis, ecclesiis, vel episcopatibus, monasteriis, vel capitulis ad quos spectant: ex nunc autoritate præsentis concilii, in occupatores & detentores eosdem excommunicationis sententiam proferimus, dictis nihilo minus beneficiis ecclesiasticis sententialiter, inquantum de facto tenent, privantes eosdem.

De sententiis interdicti pro pecuniariis causis minime proferendis. Rubrica XIX.

Quoniam ex sententiis interdicti non est dubium multa oriri scandala, ex quibus non solum sæpe puniuntur insontes, immo excrescit indevotio populi, pullulant hæreses, ac ecclesiis & ecclesiasticis personis, sine culpa earum, debita subtrahuntur obsequia, propterea non debent sine urgenti necessitate proferri: & ideo statuimus, & districtius prohibemus, ne pro causis mere pecuniariis hujusmodi sententiæ interdicti de cætero proferantur, & si prolatæ fuerint, eas decernimus non tenere, & hoc nisi universitas deliquisset, aut per tres menses sustinuisset contumaciam, inobedientiam, vel rebellionem suorum rectorum, vel officialium quorumcumque, qui ob contemptum vel delictum ipsorum forent excommunicati.

De indulgentiis revocatis. Rubrica XX.

Quia propter potentium importunitatem, nos & alii provinciales episcopi nonnullis personis religiosis concessimus, ut indulgentias, quando prædicarent, vel alias, possent annunciare: & aliquando nonnulli talium ex privilegiis quæ afferunt, ordinibus, vel locis suis, seu personis propriis a sede apostolica, vel a prælatis concessa, annuncient indulgentias ampliores quam sit ordinariis ipsis a jure scripto permissum, ac per hoc apud populos pontificalis autoritas & potestas minui quodammodo & vilescere videatur: ideo autoritate præsentis concilii tales concessiones de indulgentiis annunciandis factas a nobis, & a comprovincialibus cæteris, revocamus omnino, ac eisdem uti de cætero sic revocatis, aut de cætero sic concedi penitus prohibemus.

ANNO CHRISTI 1314.

G. C. ADDITIO AD CONC. RAVENN. ANNI MCCCXIV.

Hujus concilii decretis intercessum esse ab episcopo & clero Bononiensi narrat Hieronymus Rubeus, histor. Ravenn. lib. VI. his verbis: Cum edicta abomnibus Ravennati ecclesiæ subjunctis, post menses tres, servanda esset edicturus Rainaldus: assurrexere, Vbertus canonicus S. Mariæ in Portu, Ravennatis diœcesis, pontificii juris consultus, Bononiensis episcopi vicarius, ejus nomine episcopi, & sacratorum virorum Bononiensium; Buonacursius abbas S. Proculi Bononiensis, ordinis S. Benedicti, nomine cœnobii sui, sacratorumque virorum civitatis diœcesisque Bononiensis, qui immunes non sunt; & prior S. Bartholomæi Portæ Ravennatis Bononiæ ejusdem ordinis, sacratorum virorum Bononiensium immunium nomine: palamque testati sunt, cum ad eam diem satis conformati fuissent episcoporum & aliorum provinciæ Ravennatis mores legesque editæ, & quæ promulgandæ tum essent, jura honoresque episcopo & sacratis viris Bononiensibus derogarent, se nequaquam assentiri illis, neque parere velle.

Inter episcopos qui recensentur in præfatione, deest nomen Matthæi Cerviensis episcopi, quem huic interfuisse concilio intelligimus ex histor. Ravenn. lib. VI.

ANNO CHRISTI 1315.

** CONCILIVM SALMVRIENSE,

A Gaufrido Turonensi archiepiscopo & suffraganeis celebratum anno Dom. MCCCXV.

Edidit Ioannes Maan in metropoli Turonensi: nos cum duobus MSS. contulimus.

TITVLI CAPITVLORVM.

PRÆFATIO.

In nomine Dei, Amen. Nos Gaufridus permissione Divina archiepiscopus Turonensis, nostrum provinciale concilium, vocatis evocandis, & præsentibus qui voluerunt & potuerunt interesse, celebrantes, de suffraganeorum nostrorum & abbatum præsentium consilio & assensu, ordinavimus & statuimus capitula quæ sequuntur.

CAPITVLA.

I. *Ne feuda vel aliæ possessiones ecclesiæ sæcularibus aduoüentur.*

Dudum felicis recordationis Gregorius papa X. volens indemnitatibus ecclesiarum providere contra prælatos, & personas ecclesiasticas sibi commissas, & jura eorumdem laïcis submittentes, bona & jura ipsarum ecclesiarum alienantes nisi in forma & casibus a jure permissis, feuda & possessiones ipsarum ecclesiarum a laïcis tanquam a superioribus de novo se tenere advoüantes, seu ipsos laïcos patronos seu

A advocatos ecclesiarum & bonorum earumdem ad tempus non modicum statuentes, & contra laïcos qui prælatos, capitula, & alias personas ecclesiasticas, ad submissiones hujusmodi faciendas compellerent, in concilio Lugdunensi constitutionem edidit, quæ vassallos ecclesiæ, & alios qui possessiones & jura alia tenent ab ecclesia, a personis laïcis tanquam a superioribus ea quæ ab ecclesia tenent advoüantes se tenere, cōprehendere non videtur: per quas advoüationes multæ B ecclesiæ & monasteria diœcesis & provinciæ Turonensis, quamplures graves læsiones & jacturas, a non modico tempore citra, noscuntur incurrisse. Nos volentes malitiis taliter detrahentium juri & honori ecclesiarum obviare, & eisdem ecclesiis super his de opportuno remedio providere: in omnes illos qui de cætero feuda, res, possessiones, jurisdictiones seu alia jura quæcumque, quas ab ecclesiis mediate vel immediate tenent, a personis sæcularibus, seu ab aliis quibuscumque, præterquam ab ecclesia a qua tenent, scienter advoüaverint se tenere; & C in omnes illos qui ad tales advoüationes faciendas scienter consilium dederint clam vel palam, & in illos qui taliter advoüantes ad hoc induxerint quoquo modo: autoritate præsentis concilii in his scriptis excommunicationis sententiam promulgamus. Illos etiam qui a quadraginta annis citra, feoda, res, possessiones, jurisdictiones, & alia jura quæcumque, quas ipsi ab ecclesia mediate vel immediate tenebant, a personis sæcularibus seu ab aliis quam ab ecclesia a qua tenebant, advoüaverint se tenere, & heredes D ipsorum qui tales advoüationes a dicto tempore fecerunt, monemus autoritate præsentis concilii, & moneri præcipimus per omnes cathedrales & parochiales seu curatas ecclesias diœcesis & provinciæ Turonensis trina monitione, publice & in generali, ut ipsi infra trium mensium spatium, a tempore dictarum monitionum in dictis ecclesiis faciendarum numerandorum, prædictas advoüationes sic damnabiliter factas revocent, & revocari faciant cum effectu, & dictas ecclesias restituant, vel saltem reddant indemnes. Alioquin ipsos au- E toritate præsentis concilii excommunicationis sententiæ volumus subjacere.

Concil. Lugdun. c.22.

II. *De perturbatoribus iurisdictionis ecclesiasticæ.*

Præterea cum olim recolendæ memoriæ Simon legatus in Francia, in suo generali concilio tunc temporis Bituris celebrato, ad conservationem seu tuitionem jurisdictionis ecclesiasticæ provida deliberatione duxerit statuendum: quod si quis, cujuscumque dignitatis aut conditionis existat, nun-

Concil. Bituric. ann. 1276. c.16.

ANNO CHRISTI 1315.

cios aut executores ecclesiasticorum judicum, aut alios litteras eorundem actave judiciaria deferentes, hac occasione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, aut quod censendum est gravius, interficere, litteras vel acta judiciaria prædicta personis memoratis auferre, seu ea rumpere, cancellare, aut alias destruere quoquo modo, vel sic ablata celare præsumpserint, aut ut ista fiant procuraverint, vel facientibus consilium vel opem duxerint adhibendam, autoritate dicti concilii excommunicationis sententiam incurrant ipso facto.

Postmodum etiam dominus Bonifacius papa VIII. in taliter impedientes jurisdictionem ecclesiasticam, excommunicationis sententiam per suam generalem constitutionem in jure redactam & insertam promulgavit. At nonnulli domini temporales, eorũ baillivi, seneschalli, & alii jurisdictionis temporalis officia exercentes, ecclesiasticæ jurisdictionis invidi, prædictam jurisdictionem ecclesiasticam modis supradictis, & aliis variis coloribus exquisitis impedire, & prædictas excommunicationis sententias incurrere non verentur in suarum periculum animarum. Contra quos ad denunciationem procedere, propter scandala & pericula quæ exinde possent accidere, judices ecclesiastici hæsitant, & quandoque totaliter supersedent, ipsos delinquentes in dictis excommunicationum sententiis damnabiliter relinquentes. Nos qui malitiis ipsorum occurrere, & salutem suarum animarum procurare, ex debito nostri officii volumus, ut tenemur, terras ipsorum dominorum, qui jurisdictionem ecclesiasticam modis prædictis impediverint, vel per quorum baillivos, seneschallos, servientes, seu alios allocatos quoscumque, modis prædictis, vel aliquo eorumdem, impedita fuerit, (postquam dictus dominus temporalis in cujus terra dictum delictum fuerit perpetratum, si præsens, vel ejus baillivus seu seneschallus si absens fuerit idem dominus, per judicẽ cujus jurisdictio fuerit taliter impedita, requisitus fuerit quod emendet) si infra octo dies a tempore dictæ requisitionis, capta per eosdem non restituerint pristinæ libertati, & læsis, ac ecclesiæ cujus jurisdictionem contempserant, non satisfecerint cum effectu, ex tunc ecclesiastico, autoritate præsentis concilii, supponimus interdicto.

c. Quoniã. de immun. eccl. in 6.

III. *Vt archidiaconi nihil accipiant ab examinatis per eosdem.*

Præterea cum ad officium archidiaconorum spectet examinatio clericorum ad sacros ordines & beneficia, præcipue ad curatas ecclesias, promovendorum, ipsosq; examinatos, si idonei fuerint, per suas litteras episcopis præsentare; ac quorundam insinuatione didicerimus, quod nonnulli archidiaconi & eorum vicarii, qui adeo cupiditatis & avaritiæ spiritu sunt accensi, quid liceat, vel quid deceat non advertunt, summas immoderatas pecuniæ a clericis ad beneficia promovendis, antequam eis velint litteras approbatorias concedere, seu eos inventos idoneos dictis episcopis præsentare, damnabiliter exigunt & extorquent. Unde nos avaritiam talium refrænare cupientes: statuimus, quod omnes illi ad quos spectat dicta examinatio & præsentatio clericorum, sive ratione sui officii, sive ratione commissionis sibi factæ, qui de cætero ab his promovendis aliquid receperint, seu exegerint hac occasione, si sacerdotes fuerint, suspensionis; si vero non fuerint sacerdotes, excommunicationis sententias incurrant ipso facto: a qua nullatenus absolventur, quousque recepta per eos sive exacta restituerint cum effectu.

IV. *Vt interdictum ante excommunicationem poni possit.*

Item, cum olim in concilio Castri Gonterii anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo octuagesimo primo celebrato statutum fuisse dicatur, quod non credimus esse factum, quod interdictum nullatenus ponatur in terra alicujus, nisi prius animadversum fuerit in personam domini vel baillivi: dictum statutum, si quod fuit, tollimus, & penitus amovemus. Suffraganeis autem nostris in suis diœcesibus absolvendi ab excommunicationum sententiis latis in præsenti concilio, & interdicta suspendendi, concedimus potestatem. Et omnia concilia prædecessorum nostrorum, autoritate præsentis concilii confirmamus.

Actum apud Salmurum die Veneris post festum B. Michaelis in monte Gargano, anno Domini millesimo trecentesimo decimoquinto.

** CONCILIVM NVGAROLIENSE

Ab Auscitanæ provinciæ præsulibus anno Dom. MCCCXV. celebratum.

Ex cod. MS bibliothecæ illustrissimi archiepiscopi Remensis coadjutoris, Car. Maur. Tellerii.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *Contra dominos temporales, occupantes ecclesias vacantes.*
2. *Ne clerici a judicibus sæcularibus compellantur super talliis.*
3. *Ne ultimo deputandis supplicio pœnitentia denegetur.*
4. *De familiaribus episcoporum.*
5. *De prohibentibus servari interdicta & excommunicationes.*

PRÆFA-

ANNO CHRISTI 1315.

PRÆFATIO.

IN nomine Domini, Amen. Notum ſit cunctis, quod anno Domini MCCCXV. reverendus in Chriſto pater A[*]. Divina miſeratione archiepiſcopus Auſcitanus, exiſtens apud Nugarolium in Armaniaco ſuæ diœceſis, Divina inſpirante gratia concilium ſuum provinciale una cum venerabilibus in Chriſto patribus E. [1] A. Aquenſi; T [2]. Vaſatenſi; A [3]. Laſcurrenſi; G [4]. Lectorenſi; G [5]. Olorenſi, epiſcopis; B [6]. de Villa electo & confirmato Baionenſi; domino Petro de Media carteria vicario generali domini Adurenſis epiſcopi, in remotis agentis; domino Arthuro de Laudoraze canonico & vicario generali Tarbienſis eccleſiæ, procuratore epiſcopi Cõſeranenſis, & Augerio de Malo vicino, canonico & procuratore ac vicario eccleſiæ Convenarum, ſede vacante; necnon cum procuratoribus capitulorum eccleſiarum cathedralium & collegiatarum ipſius diœceſis & provinciæ Auſcitanæ; G. monaſterii de Peſſano, Augerio de Simorra, Mancipio Cellæ-medulphi, B. de Florano, R. de Boillanis, Petro Sordien. Petro monaſterii Canotæ, Aquenſis; abbate .... G. abbate Lucrienſi. Oloren. B. Reulæ[a] Silveſtrenſis, Laſcurrenſis; P...... Baionenſis; B. ſancti Severi de Roſtan. Monaſterii de Taſque; & A. Monaſterii Reulæ[a], Tarbienſis diœceſis, abbatibus: necnon cum procuratoribus aliorum abbatum, priorum, præceptorum, archipreſbyterorum, & aliarum eccleſiarum prælatorũ, diœceſis & provinciæ memoratorum, celebrare incipit. In quo quidem concilio conſtitutiones provinciales, habita deliberatione & tractatu qui inter ipſos, quæ ſequuntur, ad Dei laudem editæ fuerunt.

[*] Corr. G. ſcilicet Guillelmus de Flacuria.
[1] Corr. G. A. ſcilicet Garſia Arnaldo.
[2] Theobaldo.
[3] Arnaldo.
[4] Guillelmo.
[5] Guillelmo.
[6] Bernardo.
[a] Regulæ

CAPITVLA.

I. *Contra dominos temporales occupantes eccleſias vacantes.*

HOc ſtatuto conſulto prohibemus: ne domini temporales, aut quicumque alii ſæculares, vacantes eccleſias occupent, ſaiziant, occupari faciant vel ſaiziri. Quod ſi contrarium præſumpſerint attentare, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto: & illa vice eorum filii, & quicumque alii aliorum inſtantium, ad obtinendas dictas eccleſias ſint inhabiles penitus & indigni: & ſi de facto, quod abſit, conferantur eiſdem, collatio ejuſmodi ſit nullius momenti.

II. *Ne clerici a ſæcularibus iudicibus compellantur ſuper talliis.*

Adjicimus ſtatuendo, quod conſtitutioni noſtræ provinciali, qua cavetur ne domini temporales, bajuli, judices, conſules, aut alii juriſdictionem temporalem exercentes, compellant clericos aut alias eccleſiaſticas perſonas ad cõtribuendum, talliis, ſeu collectis, eiſdem vel rebus ipſorum imponendis: quod tales præſumentes talia facere, eorum filii, fratres, & nepotes illorum, qui conſilium, auxilium, opem, operam vel favorem in prædictis dederint ſeu impenderint, cujuſcumque gradus parentelæ pervenerint, uſque ad quartam generationem, obtinere non poſſunt beneficia eccleſiaſtica, nec ad aliquos majores vel minores ſacros ordines promoveri: quod ſi fecerint, ſint ipſo facto privati & ſuſpenſi. Et ſi tales injuriantes, vel conſilium, auxilium, opem, operam, vel favorem dantes vel præſtantes in talibus, eorum uxores, filii, filiæ, vel familiæ ipſorum mori contigerit: licet in mortis articulo abſoluti fuerint, tamdiu careant ſepultura eccleſiaſtica; nec non loca, [a] injuria, exactio ſeu cõmpulſio fient, [convicti ſeu perpetrati contigerit] ſint ipſo facto ſuppoſita eccleſiaſtico interdicto, tamdiu donec de tranſgreſſione & injuria illatis, eccleſiæ & damnum paſſis fuerit integre ſatisfactum.

[a] Deeſt, in quibus.

III. *Ne ultimo deputandis ſupplicio pœnitentia denegetur.*

Cum ſecundum ſtatuta canonica ultimo deputandis ſupplicio negari, ſi petant, non debeat pœnitentiæ ſacramentum: abuſum damnabilem in quibuſdam partibus contra hoc introductum abolere omnino volentes, juſtitiarios omnes & dominos temporales, ut ab hujuſmodi deſiſtant abuſu, hortamur in Domino & obſecramus per miſericordiam Ieſu Chriſti: locorum nihilo minus ordinariis injungentes, ut eos ad hoc, cum primum commode poterunt, diligenter monere, & ſi neceſſe fuerit, eccleſiaſtica cenſura compellere non omittant.

IV. *De familiaribus epiſcoporum.*

Duximus utiliter ordinandum, ut ſi quis commiſerit injuriam contra familiares & domeſticos epiſcoporum, negotia ipſorum epiſcoporum facientes, vel honeſtatem, vel incedentes in locis ubi erunt: ipſi delinquentes excommunicati ſint, & locus ubi factum fuerit delictum, ſit ſuppoſitus eccleſiaſtico interdicto: donec condigna ſatisfactio præceſſerit, impendenda epiſcopo, cui in perſona ſui familiaris fuerit injuria irrogata.

V. *De prohibentibus ſeruari interdicta & excommunicationes.*

Sacro approbante concilio duximus ſtatuendum, quod decretalis, *Grauis*, de ſent. excommunic. in conſtitutionibus Clementis, & provinciali concilio, habeatur, & dicta decretalis per ſuffraganeos ſuis rectoribus publicetur, & per dictos rectores noſtros, ſæpe ſæpius in eccleſiis, dum aguntur ſolemnia, publicetur.

Confirmatio prædictorum.

Et nos Guillelmus permiſſione Divina archiepiſcopus

ANNO CHRISTI 1315.

pus Auscitanus, constitutiones prædecessorum, & aliorum conciliorum provincialium præcedentium provinciæ Auscitanæ, laudamus, approbamus, easque ex certa scientia confirmamus & renovamus: ne quis per non usum vel credat ipsas, vel ipsarum aliquas, non tenere: præsentibus reverendis in Christo patribus, dominis, Dei gratia, Tarbiensi, Lectorensi, Olorensi, & Baionensi, episcopis, personaliter; ac procuratoribus dominorum episcoporum legitime absentium, Convenensis, Vasatensis, Lascurrensis, Aquensis, Adurensis.

G. C. Pugnat conclusio cum præfatione, in recensendis episcopis, per se, vel per procuratores, præsentibus.

ANNO CHRISTI 1315.

** CONCILIUM SILVANECTENSE

In causa Petri de Latiliaco Catalaunensis episcopi, Annis MCCCXV. & MCCCXVI.

NAngiaci chronici continuator, ad ann. MCCCXV. Petrus de Latiliaco Catalaunensis episcopus, de morte regis Franciæ Philippi, ac sui prædecessoris, quæ per eum dicebatur fuisse procurata, suspectus, de mandato regis, sub nomine Remensis archiepiscopi in custodia detinetur. *Et infra.* Mense Octobri, facto concilio Silvanectensi, præsidente archiepiscopo Remensi, ejusque suffraganeis, & aliis quibusdam prælatis: propositisque duobus prædictis capitibus contra Catalaunensem episcopum, petiit idem episcopus, ut ante omnia, ipse qui tam in persona quam in bonis spoliatus erat, restitueretur: quod & obtinuit, ut jus erat. Quo concesso, voluit ut super hoc prælati inquirerent. Et sic super hoc prorogatur concilium, & Parisius assignatur.

Hæc in Senonensi concilio gesta narrant Spondanus in annal. eccles. & Sammarthani fratres in Gallia Christiana, testemque laudant Nangii continuatorem: apud quem unius concilii Silvanectensis est mentio.

Litteras, quibus Ludovicus X. Francorum rex, cognomine Hutinus, episcopos ad hoc concilium invitavit, jam a D. Luca Dacherio, eruditissimo ac religiosissimo Benedictini ordinis presbytero, tomo IV. Spicilegii editas, hic tibi repræsento.

Ludovici X. Francorum & Navarræ regis ad Gazonem episcopum Laudunensem epistola.

Eodem exemplo sine dubio data ad ceteros provinciæ Remensis episcopos.

Iubetur Silvanectensi concilio interesse.

Ludovicus Dei gratia Franciæ & Navarræ rex, dilecto & fideli nostro Gazoni episcopo Laudunensi, salutem & dilectionem.

CUm, sicut accepimus, dilectus & fidelis noster archiepiscopus Remensis, pro examinatione quorumdam criminum, super quibus apud eum Petrus episcopus Catalaunensis his diebus delatus extitit, certo indigeat episcoporum numero secundum canonicas sanctiones, ac hujusmodi negotium personam nostram plurimum tangere dignoscatur: vos attente requirimus & rogamus, vobis etiam sub debito fidelitatis, qua nobis tenemini, tenore præsentium injungentes, quatenus Silvanecti, sexta die instantis mensis Augusti, dicto Catalaunensi episcopo per eundem archiepiscopum ad respondendum articulis super dictis criminibus assignata, juxta requisitionem ipsius archiepiscopi personaliter intersitis: ita quod propter vestri defectum, quod absit, nequeat præfati examina- A tionegotii retardari. Datum Parisiis X. die Iulii anno Domini MCCCXV.

ANNO CHRISTI 1316.

Prorogatum de Petri episcopi causa concilium, an Parisiis, ubi assignatum fuerat, ut Nangii continuator loquitur, sessionem aliquam habuerit, prorsus mihi incertum est: neque ullum, ex quo judicium facere liceat, vestigium video. Certe continuatum fuisse Silvanecti anno consequente, discimus ex Guillelmi archiepiscopi Remensis epistola, qua rogat archiepiscopos & episcopos quosdam aliarum provinciarum, ut ad illud conveniant. Plures autem invitat, ut adsint saltem duodecim: quem numerum agitandis episcopalibus causis canones præscribunt, cum de iis metropolitanus autoritate sua in provincia cognoscit.

B

Roberti de Curtenaco Remensis archiepiscopi epistola ad multos Galliarum episcopos.

Rogat ut Silvanectensi concilio intersint.

Reverendis in Christo patribus, dominis, Rotomagensi, Senonensi, Bituricensi, archiepiscopis; Parisiensi, Aurelianensi, Carnotensi, Eduensi, Lingonensi, Meldensi, Autissiodorensi, Nivernensi, Claromontensi, Mimatensi, Lemovicensi, Bethlemitano, Baiocensi, Lexoviensi, Constantiensi, Ebroicensi, Macloviensi, Cœnomanensi, Andegavensi, Pictaviensi, & Santonensi, episcopis: Robertus permissione Divina Remensis archiepiscopus, salutem & sinceram in Domino caritatem.

C

CUm nostrum provinciale concilium, a nobis & quibusdam suffraganeis nostris, ac nonnullis aliarum provinciarũ episcopis, pro causa venerabilis fratris Petri Catalaunensis episcopi, suffraganeorum & aliorum episcoporum consensu unanimi, ex certis & evidentibus causis tunc imminentibus, usque ad nuper præteritam quintamdecimam diem præsentis mensis Maii prorogassemus, & quia ipsa die quintadecima, & aliis duabus sequentibus diebus, episcoporum numerum, qui juxta canonicas sanctiones necessario requiritur in hac causa, non potuimus habere completum propter aliquorum vestrum, & suffraganeorum D nostrorum ad hoc convocatorum absentiam & canonicum impedimentum: virtute prædictæ prorogationis, iterato dictam quintamdecimã diem mensis Maii ad diem Lunæ post instans festum B. Mariæ Magdalenæ apud Silvanectum, eo jure quo, potuimus continuavimus & assignavimus; ac dicto episcopo Catalaunensi, & hujusmodi negotio assistenti, præsentibus coram vobis, eandem diem & dictum locum assignavimus, eosdem ad hoc personaliter citantes ad procedendum in hujusmodi negotio secundum anteacta & agẽda, ut jus erit; prout in processu super hoc confecto E hæc & alia plenius continentur: paternitates vestras, ne hujusmodi causa deserta remaneat, vel forsitan indiscussa, in juris subsidiuũ requirimus & rogamus, quatenus dictis die & loco, cũ diebus sequẽtibus ad hoc necessariis, quamdiu dicto negotio fuerit insistendum, in eodem concilio nobiscum & cum suffraganeis nostris, quos ob hanc causam citari decrevimus ac etiam convocari, personaliter interesse curetis, ad resumendam dictam causam & processum ejus secundum retroacta & agenda, & ad procedendum ulterius, justitia mediante. In signum perceptionis harum litterarum nostrarum, sigilla vestra præsentibus apponatis. Datum sub sigillo nostro, anno Domini MCCCXVI. die Lunæ ante Ascensionem Domini.

Pen-

ANNO CHRISTI 1317.

Pendent e tabulis sigilla archiepiscoporum Rotomagensis, Senonensis; episcoporum Carnotensis, Ebroicensis, Lingonensis, Meldensis, Autissiodorensis, Nivernensis, Claromontensis, Mimatensis, Lemovicensis, Bethlemitani, Baiocensis, Constantiensis, Ebroicensis, Briocensis, Narbonensis, Cenomanensis. Perierunt tantummodo sigilla duorum episcoporum.

Addit Dacherius Ægidii Rotomagensis archiepiscopi ad regem litteras, quibus rogat, ut abesse sibi ab hoc concilio certas ob causas liceat.

*Quis autẽ exitus concilii fuerit, discimus tũ ex Francicarum rerum scriptoribus, qui Petrum insontem impositi criminis repertum, & absolutum memorant; tum ex Silvanectensi concilio anni proxime sequentis, cui Petrus Catalaunensis per *procuratorem interfuit. Ex quo constat restitutum fuisse in pontificiam sedem, a qua ita pulsum eum a Rege narrat Gaguinus, ut institutus ei fuerit successor Stephanus Caroli Valesii cubicularius.*

ANNO CHRISTI 1317.

** CONCILIUM SILVANECTENSE

A Remensis provinciæ antistitibus anno Domini MCCCXVII. celebratum.

Ex codice MS. synodalium ecclesiæ Remensis.

Robertus

UNiversis præsentes litteras inspecturis R. miseratione Divina Remensis archiepiscopus, Ioannes Belvacensis, Guido Tornacensis, Petrus Silvanectensis, Ingeranus Morinensis, personaliter, necnon Gerardus Suessionensis, Radulphus Laudunensis, Petrus Catalaunensis, Fulco Novionensis, Robertus Ambianensis, Petrus Cameracensis, & Bernardus Atrebatensis, absentes, per vicarios & procuratores ad hoc idonee constitutos, episcopi, & suffraganei Remensis provinciæ, comparentes, concilium provinciale apud Silvanectum nostræ Remensis provinciæ facientes, convocatisque ad dictũm concíliũ, & comparentibus, decanis & capellanis ecclesiarum cathedralium per procuratores idoneos, ac abbatibus, prioribus, & præpositis conventualibus, quorumcumque ordinum, ac etiam decanis, præpositis & capellanis aliarum ecclesiarum collegiatarum insignium, pro reformatione morum in clero, & gravaminibus eidem multipliciter illatis, reparandis, salutem in Domino.

Ex experientia facti & multiplici querimonia dictorum subditorum nostrorum didicimus, quod nonnulli domini temporales, & servientes eorundem, ac alii pacis turbatores, personis ecclesiasticis æmuli, pœnas juris canonici novi & antiqui incurrere non verentes, coloribus & occasionibus diversis & frivolis exquisitis, ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, & aliis piis locis, clericis & personis ecclesiasticis, plures injurias & gravamina inferendo, bona eorum quæ possident, & in quorum possessione sunt, vel quæ tenent, temere rapiunt, occupant & invadunt.

Nos volentes huic morbo pestifero de salubri remedio providere, prout ex debito tenemur officii, hoc sacro provinciali concilio approbante statuimus: ut si quempiam bona ecclesiarum, monasteriorum, locorum religiosorum, hospitalium, & aliorum locorum piorum, clericorum, & personarum ecclesiasticarum, invadere, rapere vel occupare contigerit, & hoc judici ordinario loci, vel decano rurali, seu curato parochiali manifestum fuerit per evidentiam facti, vel de hoc eisdem, vel alteri eorundem constiterit per juramentum partis, si fuerit fide digna, cum adminiculo unius testis, vel famæ publicæ, vel alias de hoc eisdem constiterit competenter, si quidem persona invadens, rapiens, vel occupans, quæ per se vel per alium ipso mandante, præmissa perpetraverit, vel perpetrata nomine ipsius rata habuerit, dominium vel jurisdictionem temporalem habeat loci invasionis, occupationis, vel rapinæ: donec spoliatis restitutis vel eisdem satisfactum fuerit competenter, ibidem, & in loco domicilii ejusdem raptoris, vel invasoris seu occupatoris (dum tamen dominus temporalis sit dicti loci, seu jurisdictionem habeat ipsius) cessetur penitus a Divinis, necnon in loco quo res invasa vel occupata detinebitur, & in locis, in quibus invadens, vel occupans extiterit, licet ibi dominium vel jurisdictionem temporalem non habeat. Sed tunc solum in hoc casu, quamdiu ibidem res raptæ, vel occupatæ, seu raptor vel occupator, ibidem erunt & detinebuntur, & non ultra, cessetur similiter a Divinis. Si vero persona invadens, rapiens, vel occupans, privata persona fuerit, vel jurisdictionem propriam non habeat: licet eam exerceat nomine alieno loci, in quo res invasa vel occupata extiterit tunc in loco in quo persona invadẽs, rapiens, vel occupans, extiterit, & in loco in quo res invasa, rapta vel occupata detinebitur, solum quamdiu curat * ibi prædones, vel res prædatæ, seu occupatæ, & non ultra, cessetur similiter a Divinis: necnon in loco domicilii ipsius, dum tamen dicti loci dominium vel jurisdictionem habeat temporalem: donec, ut prædictum est, spoliato, res quibus spoliatus fuerit, integre fuerint restitutæ, vel ipsi de eisdem satisfactum. Salva omnibus casibus prædictis moderatione constitutionis, *Alma mater* *.

* *Corr.* erunt ibi

* Desentẽt. excommun. in 6.

Porro ne delictum raptoris seu invasoris in propria persona remaneat impunitum: volumus, ut si infra octo dies a tempore cessationis indictæ contra ipsum, res per ipsum invasas vel occupatas non restituerit, cui tenetur, vel de eisdem non satisfecerit competenter: ex tunc sententiam excommunicationis incurrat ipso facto. Ad cujus sententiæ publicationem, contra ipsum procedatur, altero mandato nullatenus expectato: a qua non absolvatur, nisi prius satisfacto ecclesiæ parochiali dicti loci de suo interesse competenter. Et ne aliqui, obtentu hujus constitutionis, calumniose occupationem seu invasionem prætendant: statuimus, ut si aliqui reperti fuerint cessationem a Divinis contra aliquem indebite indici procurasse, per ordinarium locorum ad expensas legitimas, nec non ad interesse, parti sine moræ dispendio condemnentur, & alias graviter canonice puniantur.

Ad hoc etiam statuendo adjicimus, & præcipiendo mandamus: ut omnes & singuli rectores parochialium ecclesiarum provinciæ nostræ, singulis diebus Dominicis & festivitatibus solemnibus, palam & publice, & intelligibiliter denuncient in ecclesiis suis hora Missæ excommunicatos autoritate apostolica & nostri præsentis concilii, omnes impedientes jurisdictionem ecclesiasticam, ecclesiæ de jure vel consuetudine competentem, directe vel indirecte, tacite vel expresse, aut alias quoquo modo. Ipsos enim impedientes, ut dictum est, eandem jurisdictionem, autoritate concilii præsentis sententiam excommunicationis, & anathematis incurrere volumus ipso facto. Hanc autem sententiam excommunicationis præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ omnibus rectoribus ecclesiarum provinciæ nostræ, modo & forma prædictis indeficienter publicandam. In cujus rei testimonium præsentibus litteris sigilla nostra duximus apponenda.

* Datum anno Domini millesimo trecentesimo decimo septimo, die vicesima septima mensis Martii.



Anno Christi 1316.

VITA ET EPISTOLÆ IOANNIS PAPÆ XX.

VVLGO XXII.



OANNES hujus nominis vulgi sententia XXII. ante electionem Iacobus Caturcensis dictus, natione Gallus, tenuis fortunæ parentibus ortus, corpore parvus, sed virtute & scientia maximus, post interregnum biennii, ex episcopo Avinionensi, Lugduni pontifex creatus, ac ibidem in cathedrali ecclesia coronatus est septimo Idus Augusti, anno Domini 1316. Regnante Ludovico IV. Avinionem profectus, octo cardinales mense Decembri ordinavit. Ludovicum Caroli II. regis Neapolitani filium episcopum Tolosanum inter sanctos retulit, Tolosamque metropolitanam fecit, episcopum Limonensem, & abbatiam B sancti Pontii, archiepiscopatui Narbonensi attribuit. Novas dignitates novaque collegia in ecclesiis instituit, ordinem Grandimontensem reformavit. Cæsaraugustanam ecclesiam in Hispaniis in metropolitanam erexit. Ordinem militum Christianorum in Portugallia instituit, quos Mauris opponeret, quibus Templariorum bona & possessiones incorporavit. Divos Thomas, Herfendensem scilicet & Aquinatem, ambos sanctissimos & doctissimos, sanctorum catalogo adscripsit. Deinde septem alios cardinales creavit. C Edidit viginti constitutiones, quas Extravagantes vocant, quarum unica illa quæ incipit *Ad conditorem*, contra Nicolai IV. aliorumque prædecessorum suorum sententiam, in materia ad fidem non pertinente male definivit, in rebus usu consumptibilibus ipsum jus utendi a dominio earumdem rerum distingui non posse, adeoque ipsos fratres Minores in his rebus verum dominium habere. De animarum immortalitate, ut impudenter mentitur Calvinus, nihil unquam perperam sensit aut docuit. Lactantii, Irenæi, aliorumque orthodoxorum patrum autoritate fretus, erro- D neam aliquando sententiam de animabus certo loco ante diem judicii detentis ille sustinuit: sed cum eam decreto Parisiensis facultatis improbatam intelligeret, eam quæstionem pontificia autoritate interposita definire statuerat: verum morte præventus, inquit successor ejus Benedictus, istud perficere nequivit. Quin & Occanus imperatoris stipendiarius, a papa ob aliquos errores excommunicatus, qui propterea multa blasphemando & calumniando in eum scripserat, aperte profitetur Ioannis verba ista fuisse: Numquam meæ intentionis fuit dicere aliquid contra fidem: & si aliquid diximus, totum ex tunc revocamus. Eos qui E affirmant Christum, ejusque discipulos, nihil unquam proprium in vita habuisse, excommunicavit. Glossulam cujusdam, qui tertii ordinis fratres ad imitandam Christi paupertatem hortabatur, improbavit. Excommunicationis fulmen distrinxit in Vicecomites qui A Mediolanum usurpaverant. Ludovicum quartum ejus nominis Romani imperii regem natione Bavarum excommunicavit: tum quod Vicecomitibus Mediolano tyrannice dominantibus suppetias ferret; tum etiam, quod, autore Trithemio, uxorem cujusdam viri potentis abstulisset, eamque Ottoni filio suo copulasset, ut eo pacto ducatum Carinthiæ & Tirolis ad mulierem jure hereditario devolutum, obtineret.

Ludovicus, ait Trithemius in chronico Hirsaugensi anno Domini 1327. Romam profectus, ibique a simplici quodam episcopo, reclamante papa, coronatus, in concilio suorum Ioannem XXII. temeraria B præsumptione deposuit, eumdemque hæreticum & schismaticum denunciari cum fecisset, Petrum Corbarium ordinis Minorum, papam constituit. Qui post discessum imperatoris in Germaniam Pisis relictus, & a Bonifacio comite Pisano Avinionem ad Ioannem papam adductus, errore prius recognito, in carcere vitam cum morte commutavit. Ortonam ab Aretina ecclesia divisit, eamque in episcopatum erexit. Anathemate etiam notavit Nicolaum Estensem Ferrariæ dominum, & Passerinum Bonacos- C sum Mantuæ tyrannum, qui statum ecclesiæ divexabant. Ioannem Vrsinum in Italiam misit, qui Florentinos & omnes Guelphos in Bavarum armaret. Hic enim cum exercitu in Italiam trajiciens, Romæ coronam acceperat, antipapamque quemdam Petrum Corbariensem ordinis sancti Francisci de observantia creaverat, ac Nicolaum quintum nominaverat: qui paulo post per Bonifacium comitem captus, & Avinionem perductus, in carcere mortuus est.

D Hoc impedimento liberatus, & Bavaro in Germaniam reverso, pontifex regis Galliarum auxilio expeditionem in Sarracenos promulgari procuravit. Dum vero huic rei animum intenderet, pridie Nonas Decembris anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quarto, pontificatus decimonono, quarto mense, ætatis vero suæ 90. Avinione animam Deo reddidit, ac in ecclesia cathedrali sepultus est, magnum auri pondus relinquens. Amavit & amplissimis honoribus auxit Dinum Florentinum, & Gentilem Fulginatem, medicos excellentissimos, ut erat in viros doctos & præstantes propensus & officiosus.

EPISTOLA I.

IOANNIS PAPÆ XX.

De beatitudine Sanctorum.

Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

NE super his quæ de animabus separatis a corpore, & purgatis, an citra resumptionẽ corporũ, Divinam essentiam visione illa videlicet, quam vocat Apostolus facialem, videant, tam per nos, quam per nonnullos alios in præsentia nostra, recitando & allegando sacram scripturam, ac originalia & dicta sanctorum, vel alias ratiocinãdo, sæpius dicta sunt, aliter, quam per nos dicta & intellecta fuerant, intelligantur, ac dicantur, & auribus fidelium valeant inculcari: ecce quod nostram intentionem, quam circa statum animarum separatarum habemus & habuimus, serie præsentium declaramus. Fatemur siquidem & credimus quod animæ purgatæ separatæ a corporibus, sint in cælo, cælorum regno, & paradiso cum Christo in consortio angelorum congregatæ, & videant Deum facie ad faciem & Divinam essentiam clare, in quantum conditio & status patitur animæ separatæ. Si vero alia vel aliter circa materiam hujusmodi per nos dicta & prædicata vel scripta fuerunt: quoquo modo illa diximus prædicavimus, vel scripsimus contra præmissa vel alia, quæ fidem concernant catholicam, sacramque scripturam, aut bonos mores, illa abnegamus, & determinationem ecclesiæ & sacræ scripturæ approbamus. Alias autem dicta vel scripta, illa habemus, & habere volumus, pro non dictis & scriptis, eaque revocamus expresse. Ac prædicta omnia, & quæcumque dicta & prædicata fuerunt, vel scripta per nos, de quacumque materia, ubicumque, & in quocumque loco, & in quocumque statu, quem habuimus & habemus, vel habuerimus: omnia submittimus determinationi ecclesiæ, ac successorum nostrorum. Nulli ergo omnino liceat hominum hanc paginam nostræ declarationis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Datum Avinione tertio Nonas Decembris, pontificatus nostri anno XIX. *Hac siquidem revocatione facta, statim die & hora supradictis expiravit.*

II. AD UNIVERSOS FIDELES,

De bello Saracenis inferendo.

Ioannes episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus, præsertim neophytis & catechumenis, ac omnibus Christianitati adhærentibus, ad quos patentes litteræ, bulla sedis apostolicæ præmunitæ pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

FIlii quos genuit Iesus Christus, non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per suum proprium sanguinem, cum a damnationis crimine, mortalium versa vice, in sua cruce unda sacrosancti sui sanguinis nos redemit. Noveritis nos absque hæsitatione aliqua infideli, quod nos a sapientissimo & Christianissimo barone dilecto filio nostro Philippo comite d'Anjou, filio secundum carnem victoriosissimi viri domini Caroli de Valois, habuimus & recepimus, & coram nobis & confratribus nostris cardinalibus in pleno consistorio de verbo ad verbum legere fecimus, quasdam litteras legitimas & integras, in quibus continentur quæ sequuntur, in hunc modum.

A *Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri ac domino, domino Joanni sacræ Romanæ ecclesiæ summo pontifici, omnibusque Christi alumnis, Philippus comes d'Anjou.*

Sanctissimo, inquam, patri nostro prædicto, cum inclinato sanctorum pedum osculo supplicem per omnia famulatum, & dictis alumnis Christi eidem subjectis non fictam, sed remissivam in Domino caritatem. Innotescant omnes in Christo fideles apud Deum, quod anno Domini MCCCXXI. die Veneris post nativitatem B. Ioannis Baptistæ, facta fuit horribilis eclipsis solis in comitatu d'Anjou & de Touraine, ita quod fere per quatuor horarum spatium illius diei, Sol esset inflammatus & rubeus tamquam sanguis; & in nocte illius diei Luna foret deturpata & obscurata veluti saccus: ita quod crederent habitatores terræ, esse in novissimo fine mundi. Nec non & in ipsa die audita fuerunt incogitabilia tonitrua, & ineffabiles coruscationes visæ: sic quod nonnulli viderunt quamplurimos ignium globos de cælo supra terram & supra domos cadentes: ita quod tecta palea cooperta in quibusdam locis sunt combusta, & fuit visus quidam draco terribilis in aere, cujus flatu & anhelitu fœtido gentes non modicæ sunt extinctæ. Insuper terræmotus in quibusdam locis fuit, & alias, quod tota terra tremeret, ita quod tremore ipsius quamplurima hospitia super mare Angliæ situata corruerunt. Interea in crastino illius diei, in comitatu memorato, nostræ gentes cœperunt Iudæos propter imprecationes, quas contra Christianitatem perpetrarunt, invadere: & inscrutantes diligenter domos ipsorum Iudæorum, in domo cujusdam Iudæi, cujus nomen Bananias, in secretiori domus suæ loco, in quodam forti scrinio, quo thesaurum & secreta sua reponebat, inventa fuit quædam pellis * mutonina, intus & foris Hebraice conscripta, cujus patentis litteræ sigillum tale erat. Laqueus sigilli erat de serico puro coccineo, sigillum annexum de auro probatissimo, in pondere novemdecim Florentiæ florenorum. In ipso sigillo summatim & brevius procedendo, imago Christi crucifixi elevata subtili opere erat sculpta, & quidam Iudæus, sive Sarracenus horribilis, incurvatus, per summitatem cujusdam scalæ brachio crucis appodiatæ, cum duabus manibus femoralibus retractis super genua, secretiora suarum natium (quod sordidum est dicere) ante dulcis Christi faciem collocando. Cujus litteræ tenorem gentes nostræ minime curassent, nisi repente & ex casu illud sigillum longum & latum percepissent. Scripturam vero hujus litteræ nobis exposuerunt duo Iudæi baptizati. Præsertim & idem Iudæus Bananias, cum sex aliis Iudæis in litteratura Iudaica satis peritis: non tamen voluntarie, sed vi & metu. Cum tamen fuerunt graviter segregati, positi in quæstionibus & tormentis, & pro constanti dicti Iudæi in hujus litteræ expositione satis sufficienter unum & idem dicebant, vel quasi similia loquebantur: quæ omnia transtulerunt tres periti Christiani clerici in theologica veritate, de lingua Hebraica in Latinum, prout diligentius potuerunt: quæ verba fuerunt talia, & tot & tanta. „Gloriosissimo ac præpotentissimo circuli hujus mundi domino, domino Amicedich regi triginta & unius regnorum, videlicet de Iericho, de Ierinocht, de Ay, de Irlem *, de Lebna, de Lachie, de Gazer, de Hebron, de terra Gessen, de Basan, de tota terra montana, de Cadesbarne, de universa Hethæorum, Amorrhæorum, Iebusæorum, * Ferescorum, & Cucorum, usque ad

* i. vervecina

* f. per compendium pro Ierusalem,

* f. Pherezæorũ,

B, C, D, E

ad radicem Arnon intra " Maffe, & cæteris regnis ad nostram ædificationem recitandis modicam, tam Soldanis & Admirandis, præcipue Zabin Soldano de Azor, & Iodab Admirando de Abdon, & Semeren, exercituum militiæ vestræ principi, omnibusque auricularis, coadjutoribus, accessoribus & subregibus vestris, Banaias Hebræus cum toto populo Israelitico, inclinatissimam subjectionem perennem, cum promptissima obedientia debitaque devotione. Præpotentissime mi rex, cum prænominatis vestris magnatibus, satrapis, & baronibus. Cum jam dum a plasmatione mundi anno sex millenario ducenario nonagenario quaternario, & deinceps pluries, vestra excellentissima regia majestas per mediatorem vestrum subregem de Granata, & ipsius sapientes in populo Hebraico supradicto, benigniter dignata est, cum nobis facto fœdere perpetuo intimare, quod sancti patres nostri, videlicet Enoch qui translatus fuit, & Elias, qui vidente & testante discipulo suo Elisæo in paradisum in curru igneo fuit subvectus, publice apparuerunt vestris gentibus in monte Thabor, ipsis doctrinam legis nostræ allegando & docendo: necnon in quodam concavo convallium montis Sinai inventa est arca nostra testamenti: quam arcam cum ingenti devotionis tripudio & jubilatione, cum inæstimabili equitum & peditum gentis vestræ, in quadam vestra principali civitate, quæ vocatur Ay, fecistis honorifice deportari: & in ipsa dicta arca, ipsam reverenter aperiendo, invenistis manna, quod nobis Deus in deserto dedit, sanum, mirabiliter odoriferans, ac etiam incorruptum, cum virgis Moysi & Aaron, & tabulas legis nostræ lapideas digito Dei sculptas: quæ omnia supradicta, & miraculosiora & mirabiliora, in dicta terra vestra ob devotionem gentium perpetrarunt, asserentes firma fide quod non est alius Deus præter magnum Deum nostrum, " quia locutus est nobis in monte Sinai ore ad os, sicut solet amicus amicabiliter loqui ad amicum: & affectuosissime desideratis circumcidi, & ad legem nostram, quam ipse Deus, non alius, dedit nobis, redire bono animo & converti, & quod redderetis nobis terram supradictam fluentem mel ac lac, quam Deus repromisit: si videlicet aliquo cauteloso ingenio gentem Christianam, quæ credunt filio cujusdam mulieris simplicis & pauperis de lege nostra, quæ vestram hereditatem & patrum vestrorum usurpando minus juste: si, inquam, eamdem sub jugo æternæ servitutis vestræ domaremus: & præsertim ponetis nos in possessione libera & pacifica de civitate magna Ierusalem, & de Iericho, & de Ay, in qua requiescit sanctissima arca, si possemus vos inthronizare super thronum regni & præclaræ civitatis Christicolarum Parisius, & quod ad omnia ista percipienda in omnibus juvaretis nos. Interea sicut valetis agnoscere, per prædictum nobilem vestrum subregem de Granata, super hoc adhibuimus unam callidam & subtilem cautelam: quia posuimus venena in potationes ex corruptis, & pulveres de malis & amaris herbis, & de sanguinibus reptilium venenosorum in suis aquis, puteis & cisternis, fontibus & quibuslibet fluviis: ut ipsi Christiani suo tempore unusquisque secundum complexionis suæ qualitatem vapore corrupto prædictorum venenatorum morte " internali extinguantur: & maxime propter copiosam pecuniam nostram per quosdam pauperes legis ipsorum, qui vocantur leprosi, fecimus fieri istud idem. Sed prædicti pauperes miserrimi leprosi in his se simplices habuerunt, quia & nobis detraxerunt & accusaverunt, & ab aliis Christianis decepti, totum factum confessi sunt. Ita tamen, quod (in quo nobis est exaltatio) ipsi Christiani suos confratres Christianos leprosos depopulaverunt & destruxerunt penitus, & eidem leprosi Christiani suos confratres Christianos impocotaverunt (quod est bonum signum, cum omne regnum in se divisum debeat desolari) & etiam propter accusationem prædictorum leprosorum fuimus turpiter capti, & crudeliter incarcerati: quod martyrium patienter pro Deo sustinuimus, & ab ipsis Christianis quotidie sustinemus, ut nobis in centuplum Deus retribuat in futurum. Et procul dubio credimus depopulati fuisse, nisi grandis noster thesaurus corda eorum in avaritia obdurasset: unde aurum & argentum nostrum & vestrum nos redemit, prout valetis scire ista omnia per prædictum subregem vestrum de Granata. Transmittatis nobis argentum & aurum, quia speramus facere majora, dum aliquod spatium transierit, si impocotationes istæ non bene fecerint cursum suum. Si autem fecerint quod optamus, tunc vobis bene notum faciemus. Ita quod Deo adjuvante poteritis transfretare mare ad portum Granatæ, & super residuum Christianorum extendere magnificum vestrum gladium in manu potenti vestra dextera & brachio levato. Et postea sedebitis apud Parisius super thronum: & nos similiter libere possidebimus terram patrum nostrorum nobis a Deo repromissam, & inde erimus unanimes sub lege una & sub Deo uno viventes. Et non erit amplius in sæculo ullus dolor, nec ulla oppressio in æternum. Unde dicit noster sapiens Salomon: *Qui adhæret uni Deo, una voluntas est cum eo.* Et beatus David: *Ecce quam bonum & quam jucundum, habitare fratres in unum.* Sed de ipsis Christianis prophetavit noster sanctus propheta Osee, dicens: *Divisum est cor eorum, & ideo interibunt.* Excellentissimæ regiæ majestati vestræ transmittimus hoc patens chirographum per Sadoch summum sacerdotem Hebræorum, & magnum Leonem satis peritum in scientia legis nostræ, qui vobis exponent melius universa.

"f. Masphe" — "f. qui" — Psal. 132. — Osee 10.

Nos igitur Ioannes prædictus, servus servorum Dei, quoniam quidem intelleximus, quod devotissimus & Christianissimus dilectus filius noster memoratus Philippus comes d'Anjou præparat se ad arripiendum iter suum contra illam gentem crudelem Sarracenam, propter Christianitatis exaltationem, & ad vindicandam Christi mortem: eumdem vero in quacumque die iter suum acceperit, cum sua comitiva, ac ipsum post sequentes, autoritate Dei omnipotentis & Virginis ejus matris, ac beatorum apostolorum Petri & Pauli, ex nunc a pœna absolvimus, & a culpa, &c.

III. AD CAPITULUM ECCL. PRAGENSIS.

De processu papæ contra Ludovicum regem Romanorum.

Ioannes episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, capitulo ecclesiæ Pragensis, salutem & apostolicam benedictionem.

NUper contra dilectum filium, magnificum virum, Ludovicum ducem Bavariæ, super eo quod electione sua in regem Romanum, promovendum in imperatorem, per quosdam qui vocem in electione hujusmodi habere dicuntur in discordia celebrata, per sedem apostolicam (ad quam electionis hujusmodi & personæ electæ examinatio, approbatio, admissio, ac etiam reprobatio & repulsio, nescitur pertinere) non admissa, nec etiam reprobata, administrationi regiminis Romani regni seu imperii se irreverenter ac indebite per se & alios ingerebat: de fratrum nostrorum consilio, & apostolicæ plenitudine pote-

potestatis, præsente multitudine copiosa fidelium, videlicet octavo Idus Octobris, processum fecimus continentiæ infra scriptæ.

Joannes episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Attendentes, quod dum errori non resistit is ad quem resistere pertinet, præsumitur consentire; quodque plerumque justitiæ opprimitur veritas, si defensionis opportunæ illi beneficium subtrahatur: profecto nec errori damnabili consentire per resistentiæ negligentiam volumus, neque pati, ob defectum optimæ defensionis præsidii, justitiam opprimi sponsæ Christi. Dudum siquidem per obitum claræ memoriæ Henrici Romanorum imperatoris, imperio Romano vacante, principes ecclesiastici & sæculares, ad quos (translato ab olim per sedem apostolicam prædicto imperio de Græcis in persona magnifici Caroli in Germanos) futuri Romani regis, in imperatorem postmodum promovendi, electio pertinebat, votis eorum in diversa divisis, duos (sicut dicitur) in discordia elegerunt: quibusdam eorum in dilectum filium magnificum virum Ludovicum Bavariæ, quibusdam vero in dilectum filium Fridericum Austriæ, duces, nominando & eligendo ipsos in Romanorum reges, dirigentibus discorditer vota sua. Verum præfatus Ludovicus, a nobis, ad quem suæ electionis hujusmodi, sicut præmittitur, in discordia celebratæ, ac personæ ipsius examinatio, approbatio & admissio, repulsioquoque & reprobatio, noscitur pertinere, electione prædicta nequaquam admissa, nec ejus approbata persona, sicut notoria fama notoriat, & publica facti evidentia manifestat, non quærens, ut deberet, per ostium ad hujusmodi regni seu imperii conscendere dignitatis fastigium, sed potius aliunde (nescimus quo ductus, vel verius seductus, consilio) præfati Romani regni nomen sibi & titulum regium usurpavit; quamvis priusquam alterutrius eorum per sedem apostolicam fuisset approbata & reprobata persona, neutri electorum ipsorum assumere licuerit nomen & titulum prælibatum: cum nec interim Romani reges existant, sed in reges electi: nec sint habendi pro regibus, nec reges etiam nominandi. Idem etiam Ludovicus eodem præsumpto titulo non contentus, administrationi jurium regni & imperii prædictorum, in gravem Dei offensam, & contemptum ac manifestam injuriam Romanæ ecclesiæ matris suæ, ad quam ejusdem vacantis imperii regimen (sicut & impræsentiarum vacat) pertinere dinoscitur, nec non & plurimorum scandalum, & rei turbationem & læsionem publicæ, ac animæ suæ detrimentum, prosilire, seque illi immiscere irreverenter ac indebite præsumpsit hactenus & præsumit, exigendo & recipiendo sub præfato regio titulo fidelitatis in Alemanniæ & nonnullis Italiæ partibus, tam a personis ecclesiasticis, quam sæcularibus, vassallis imperii, per se & alios, juramenta, ac de dignitatibus, honoribus & officiis, ad ejusdem Romani regni seu imperii dispositionem spectantibus, pro suo libito disponendo; sicut proximis his diebus præteritis, de marchionatu Magdeburgensi, quem primogenito suo de facto publice contulit, ordinavit: necnon alia plurima exercendo, quæ ad ejusdem Romani regni & imperii regimen non est dubium pertinere. Ejusdem insuper ecclesiæ Romanæ, sicut Galeatio de Vicecomitibus, & ejus fratribus, quamvis sint de crimine hæresis a suis competentibus judicibus, exigente justitia, per definitivam sententiam condemnati, & nonnullis aliis ecclesiæ præfatæ rebellibus, se exhibere fautorem & defensorem, contra dictam ecclesiam prosequentem adversus eosdem rebelles jura imperii & negotium fidei, in gravem Divinæ majestatis injuriam, contemptum ejusdem ecclesiæ, & animæ suæ perniciem, non est veritus, nec veretur. Nos itaque tam te-

A merariis ausibus, ne mos tam perniciosus invalescat, in posterum obviare, ac (prout ad apostolatus nostri spectat officium) justitiam sponsæ Christi in hac parte defendere, dictumque Ludovicum a tam periculoso erroris devio ad veritatis callem reducere cupientes; ac considerantes, quod ad ejus præsentiam, ad proponendum coram eo præsentialiter, per quę posset & deberet retrahi a prædictis, nequaquam tutus patet accessus; quodque in præmissis formidatur, quod mora periculum, & dissimulatio damnum forent procul dubio allaturæ: ad providendum super præmissis excessibus, & obviandum eisdem, subscriptum modum de fratrum nostrorum consilio, ac ex certa scientia, & de B apostolicę potestatis plenitudine eligentes, præfatum Ludovicum, præsente fidelium multitudine copiosa, præsentium tenore monemus, eidem sub virtute sanctę obedientiæ ac excommunicationis pœna (quam ipsum, nisi cum effectu hujusmodi monitioni nostræ paruerit, incurrere volumus ipso facto) autoritate apostolica nihilo minus injungentes, ut intra trium mensium spatium, a datis præsentium computandum, quod ei de eorumdem fratrum consilio pro peremptorio termino assignamus, ab administratione, fautoria, & defensione prædictis prorsus abstineat ac desistat, administrationem ipsam per se, alium, seu alios, non resumpturus ulterius, nisi tunc demum cum electionem suam hujusmodi, quæ de ipso dicitur celebrata, ac personam ejusdem, per sedem apostolicam approbari con- C tigerit, & admitti: quodque gesta per eum, post præsumptum ab eo titulum memoratum, cæteraque præmissa, quatenus pręcesserunt de facto, cum de jure non teneant, velut ab ipso, cui jus faciendi non competebat, nec competit, attentata, curet intra prædictum terminum, quantum patietur possibilitas, realiter revocare. Aperte per præsentium seriem intimantes eidem, quod si in præmissis, per eum infra præfatum terminum exequendis, negligens fuerit vel remissus, nos contra ipsum ad publicationem pœnarum, in quas propter præmissos excessus notorios incidere noscitur, vel incidet in futurum, & alias quantum suadebit justitia, ejus non obstante absentia, procedemus. Universis igitur patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & aliis personis ecclesiasticis quibuscumque, sub pœ- D na suspensionis ab officio & beneficio, quam eos incurrere volumus ipso facto, nisi infra prędictum terminum infrascriptæ inhibitioni nostræ efficaciter studuerint obedire, & tam ipsis, quam omnibus & singulis civitatibus, communitatibus, & universitatibus, necnon personis sæcularibus quibuscumque, cujuscumque conditionis aut status existant, etiamsi regali aut alia quacumque dignitate præfulgeant, in virtute sanctæ obedientię, ac sub pœna excommunicationis in personas, & interdicti in terras eorum, necnon privationis privilegiorum quorumcumque, apostolicorum & imperialium, ac feudorum, quæ ab ecclesia vel imperio obtinent, districtiùs inhibemus, ne E prędicto Ludovico in pręmissis vel aliis regni seu imperii tangentibus regimen, tanquam regi, seu in regem Romanorum electo, nisi & quousque dictam electionem, ac personam ipsius, per sedem apostolicam approbari contigerit, & admitti, in aliquo pareant vel intendant: neve eidem in quibuscumque ad regnum prælibatum spectantibus prębeant auxilium, consilium, vel favorem. Non obstantibus, si ipsi vel eorum aliqui ad hoc se dicto Ludovico ut regi, seu in regem Romanorum electo, adstrinxerint per fidelitatis vel alterius cujuslibet generis juramenta: quæ quidem cum præstita fuerint ei, cui minime pręstari debuerant, nec servari sine æternæ salutis valeant detrimento, præstantes eadem non adstringunt: quę nihilo minus ad cautelam autoritate apostolica relaxamus, illa-

„ que cassa & irrita nunciantes, decernimus penitus non „ tenere, nec fore aliquatenus observanda: seu si præfato Ludovico, vel quibuscumque aliis conjunctim vel „ divisim per litteras sedis ejusdem foret sub quacumque „ verborum forma vel expressione concessum, vel concedetur in posterum, quod excommunicari & suspendi, vel eorum terræ seu loca interdici non possint: quas contra præsentem processum nostrum in nullo eis volumus suffragari, sed ipsas quoad hoc viribus volumus omnino carere. Ex præmissis autem nos nequaquam intendimus nec volumus obligari, quin ad publicationem dictarum pœnarum, & alias, contra dictum Ludovicum possimus pendente hujusmodi dilatione procedere, prout justum fuerit, & nobis visum fuerit expedire. Vt autem hujusmodi processus noster ad ipsius Ludovici, & aliorum quorum interest, communem notitiam deducatur: chartas sive membranas processum continentes eumdem, in ecclesia Avimonensi appendi vel affigi ostiis, seu superliminaribus ejusdem ecclesiæ faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, ut idem Ludovicus, & alii quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quod ad eos non pervenerit, vel quod ignoraverint eumdem: cum non sit verisimile, quoad ipsos remanere incognitum vel occultatum, quod tam patenter omnibus publicatur. Volumus autem, & apostolica autoritate decernimus, quod hujusmodi processus eumdem Ludovicum, seu alios prædictos, apprehendat & arctet, ac si eisdem personaliter publicatus & insinuatus solenniter extitisset; constitutione quacumque per prædecessores nostros Romanos pontifices in contrarium edita, non obstante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ monitionis, mandati, inhibitionis, relaxationis & constitutionis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationē omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datæ Avinione, in palatio episcopali, VIII. Idus Octobris, pontificatus nostri anno VIII.

Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus præmissa in prædicto processu contenta, quantum ad vos pertinet, per vos & clerum civitatis & diœcesis Pragensis, & alios subditos episcopatus Pragensis, firmiter observetis, & faciatis inviolabiliter observari: ac nihilo minus prædictum processum in dictis civitate & diœcesi, ad id clero & populo loci cujuslibet, ubi hujusmodi publicatio fiet, convocatis specialiter & etiam congregatis, faciatis solenniter publicari: de publicatione hujusmodi facientes fieri publica instrumenta, illa nobis, quantocius fieri commode poterit, transmissuri, ac significaturi nobis diem receptionis præsentium, & quæcumque super his duxeritis facienda. Datum Avinione VII. Idus Octobris, pontificatus nostri anno octavo.

IV. AD VNIVERSVM CLERVM.

De audienda confessione.

Ioannes episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis clericis, ad quos præsentes pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

VAs electionis, doctor eximius, & egregius prædicator, cujus prædicatio mundum docuit universum, præsumptuosam illorum audaciam refrenare solicitus, qui prudentiæ propriȩ innitentes, in errores varios prolabuntur, non plus sapere quam oportet, sed ad sobrietatem sapere salubri doctrina suggessit, ut A juxta Sapientis eloquium, quisque suæ prudentiæ ponat modum. Sane dudum cum dilectum filium magistrum Ioannem de Polliaco, sanctæ theologiæ doctorem, certis ex causis de fratrum nostrorum consilio ad nostram præsentiam vocassemus, fide digna relatio ad nostrum perduxit auditum, quod ipse in quibusdam articulis tangentibus pœnitentiæ sacramentum, non sobrie, sed perperam sapiebat, infra scriptos articulos periculosos continentes errores docens publice in suis prædicationibus & in scholis. Primo siquidē adstruēs, quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio sacerdoti. Secundo, quod stante statuto, omnes utriusque sexus, edito in concilio generali, Romanus pontifex B non possit facere, quod parochiani non teneantur confiteri omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti, quem dicit esse parochialem curatum: immo nec Deus posset hoc facere, quia, ut dicebat, implicat contradictionem. Tertio, quod papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessiones, immo nec Deus: quin confessus habenti generalem licentiam teneatur eadem iterum confiteri suo proprio sacerdoti, quem dicit esse, ut præmittitur, parochialem curatum. Nos igitur scire volentes, si suggesta nobis veritatem haberent, articulorum præmissorum copiam eidem magistro Ioanni fecimus assignari, & ad defensionem sui audientiam plenam præbuimus, tam in nostra & dictorum fratrum nostrorum præ- C sentia in consistorio, quam alias coram aliquibus ex ipsis fratribus per nos ad hoc deputatis. Verum licet præfatus magister dictos articulos & contenta in ipsis defendere niteretur: asserebat tamen se paratum credere & tenere in præmissis & aliis, ea quæ credenda & tenenda esse sedes apostolica diffiniret. Nos ergo attendentes, quod prædictorum articulorum assertio, prȩdicatio, & doctrina, redundare poterant in multarum perniciem animarum, ipsos per plures magistros in theologia examinari fecimus diligenter: nos etiam cum dictis fratribus nostris collationem solertem habuimus super ipsis. Per quas quidem collationem & examinationem super hoc præhabitas, comperimus, prædictos articulos doctrinam non sanam, sed periculosam multum, ac veritati contrariam continere. D Quos etiam articulos omnes & singulos idem magister Ioannes, veris sibi rationibus opinioni suȩ dudum habitæ contrariis demonstratis, in consistorio revocavit, asserens se credere eos non veros, sed eorum contrarium verum esse, cum diceret se nescire rationibus, sed factis in contrarium respondere. Ideoque ne per assertionem, prædicationem & doctrinam hujusmodi, in errorem, quod absit, animæ simplicium prolabantur: omnes prȩdictos articulos, & quemlibet eorumdem, tamquam falsos & erroneos, & a doctrina sana devios, autoritate apostolica damnamus & reprobamus, de fratrum consilio prædictorum, doctrinam ipsis contrariam veram esse & catholicam asserentes: cum illi qui prædictis fratribus confitentur, E non magis teneantur eadem peccata iterum confiteri, quam si alias illa confessi fuissent eorū proprio sacerdoti, juxta dictum concilium generale. Optantes autem veritatis vias notas esse fidelibus, & cunctis erroribus prȩcludere aditum, ne subintrent: felicis recordationis Alexandri IV. & Clementis IV. Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum vestigia imitando, universis & singulis districtius inhibemus: ne quisquam dictos articulos per nos, ut prȩmittitur, damnatos, & etiam reprobatos, vel contenta in eis vel aliquo ipsorū, utpote a catholicis mentibus respuenda, tenere audeat seu defensare quomodolibet, vel docere. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta di-

districte præcipiendo mandamus, quatenus universi & A singuli vestrum, in civitatibus & diœcesibus vestris, convocato clero communiter, præmissa omnia & singula per vos seu alios solenniter publicetis. Nos etiam eidem magistro Ioanni mandavimus, quod ipse in scholis & in sermone Parisius prædictos articulos & contenta in eis, tamquam veritati contraria, propriæ vocis oraculo, & asseveratione constanti publice debeat revocare: quod se facturum dictus magister Ioannes efficaciter repromisit. Datum Avinione VIII. Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

V. AD EPISCOPVM OLOMVCENSEM.

De decimis in regno Bohemiæ & comitatu Lucem- B burgensi per triennium Ioanni regi persolvendis.

Ioannes episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Olomucensi, & dilectis filiis, Brunoviensi, & sanctæ Mariæ, Lucemburgensis, Pragensis & Trevirensis diœcesum, monasteriorum abbatibus, salutem & apostolicam benedictionem.

NVper carissimus in Christo filius noster, Ioannes rex Bohemiæ illustris, per speciales nuncios suos ad nostram præsentiam destinatos, in nostra & fratrum nostrorum præsentia fecit exponi, quod ipse zelo fidei Christianæ succensus, ad imponenda oppor- C tuna præsidia sanctæ matris ecclesiæ, quam Dominus noster Iesus Christus proprio sanguine consecravit, seque exponendum obsequiis ejusdem ecclesiæ & apostolicæ sedis toto aspirat affectu, per prædictos nuncios humili supplicatione deposcens, ut ipsum in tam pio & laudabili proposito confoventes, in subsidium negotiorum hujusmodi, propter quæ personam & bona sua quilibet est paratus exponere, decimam ecclesiasticorum proventuum, & redituum regni Bohemici, & comitatus sui Lucemburgensis, sibi ad certum tempus, pro præmissorum supportandis oneribus, concedere dignaremur. Nos ergo attendentes eximiæ D devotionis affectum, quem idem rex ad ejusdem redemptoris nostri & sanctæ sedis obsequia ardenti promptitudine devotionis ostendit, desideriis gratis inducimur, ut eum tamquam inclytum sedis apostolicæ filium, caritatis internæ brachiis amplexantes, ejus in hac parte votis, quantum cum Deo possumus, annuamus. Volentes itaque dicto regi super præmisso suo laudabilique proposito favoribus assistere opportunis, de dictorum fratrum consilio, decimam omnium ecclesiasticorum redituum & proventuum, locorum quorumlibet ecclesiasticorum, exemptorum & non exemptorum, regni & comitatus prædictorum, ab omnibus archiepiscopis, episcopis, cæterisque personis ecclesiasticis quibuscumque, quantacumque præfulgeant dignitate, seu cujuscumque sint præemi- E nentiæ, conditionis, seu status & religionis vel ordinis, quibus & eorum alicui nulla privilegia vel indulgentias sub quacumque verborum forma vel expressione concessa volumus suffragari (præterquam a dilectis filiis, magistro & fratribus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, qui contra hostes fidei Christianorum exponunt jugiter se & sua, quos propter hoc ab ejusdem præstatione decimæ exemptos & liberos fore decrevimus & immunes) eidem regi concessimus in suum subsidium usque ad triennium exigendam, & etiam colligendam, & eidem regi assignandam. Cum itaque vos, de quorum maturitate, fidelitate, & circumspectionis industria, fiduciam gerimus in Domino specialem, ad exactionem hujusmodi decimæ pro dicto triennio faciendam, juxta infra scriptum modum per ipsius[a] sedis providentiam ordinatum, duximus eligendos: discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus onus hujusmodi vobis impositum suscipientes, & exequentes humiliter ac devote, vos vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios, quos ad hoc duxeritis deputandos, de omnibus fructibus, redditibus, & proventibus ecclesiasticis dictarum personarum ecclesiasticarum, sæcularium, regularium, exemptarum & non exemptarum, in dictis regno & comitatu consistentium, videlicet ecclesiarum, monasteriorum, & beneficiorum quę habent & obtinent in regno & comitatu prædictis, secundum modum & morem ac consuetudinem in exactione & collectione hujusmodi hactenus observatos, quolibet anno dicti triennii in subscriptis terminis levetis, & etiam exigatis decimam supradictam. Siquidem solutionis medietatis decimæ semanni terminum primum fore statuimus, festum nativitatis Dominicæ primo venturum; secundum vero terminum, festum Pentecostes, dictum festum nativitatis Dominicæ proxime secuturum: in aliis duobus annis sequentibus, circa solutionem hujusmodi decimę prędictis terminis observandis. Ad solutionem vero ejusdem decimę, quoscumque exemptos & non exemptos, ipsius decimæ debitores in dictis regno & comitatu consistentes, per censuram ecclesiasticam, ac etiam per sequestrationem fructuum, reddituum, & proventuum ecclesiasticorum suorum, consistentium in eisdem regno & comitatu, ut præmittitur, si expedire videritis, appellatione postposita, compellendo. Itaque quod ad fructus, redditus & proventus alios eorumdem extra regnum comitatumque prædicta consistentes, hujusmodi compulsionis officium nullatenus extendatis: nec ad exactionem hujusmodi faciendam in aliquo casu per vos, vel alium seu alios, invocetis auxilium brachii sæcularis, nisi prædictorum non solventium contumacia exigente, aliud circa hoc per sedem eamdem fuerit ordinatum. Et ne de moneta, in qua prædictæ decimæ solutio fiet & fieri debet, valeat hæsitari, & ut vitentur gravamina quæ propter hoc viris ecclesiasticis interdum consueverunt inferri: volumus quod per vos & singulos vestrum, & alios subcollectores vestros, ipsa decima ad monetā currentem communiter levetur, ac etiam exigatur, juxta constitutionē super hac editam in concilio Viennensi: ita quod prætextu alicujus concambii, debitores & solutores dictæ decimæ non graventur. Illam tamen eamdemque monetam, quam recipietis, vel recipi facietis, dicto regi, seu certo nuncio teneamini assignare: hujusmodi decimam exigetis, & exigi facietis secundum taxationem hactenus factam in civitatibus, diœcesibus; atque locis regni, & comitatibus prædictorum. Vbi nulla hujusmodi certa taxatio fuerit, secundum consuetudinem in exactione & collectione dictæ decimæ faciatis, absque aliquo onere expensarum eorum a quibus hujusmodi eorum defectu expensas fieri oporteret: ad quarum restitutionem eos teneri volumus & astringi. Quodque circa hanc constitutionem ejusdem Viennensis concilii observantes, & calices, libros, & alia ornamenta ecclesiarum, Divinis officiis deputata, ex causa pignoris vel distractionis capere, recipere, distrahere, seu quomodolibet occupare, per vos vel alios minime præsumetis. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis, vel gratiis eisdem personis ecclesiasticis, vel earum alicui, aut dignitatibus seu ordinibus earumdem, & specialiter Cisterciensis, Præmonstratensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Grandimontensis, vel eorum universitatibus aut personis singularibus, sub quacumque verborum forma vel expressione ab eadem sede concessis: etiam si contineatur in eis, quod de ipsorum

[a] f. regis

ipsorum totis tenoribus servatim ac de verbo ad verbum plenam & expressam seu explicitam quacumque in nostris litteris fieri oporteat, mentionem, & qualibet alia ipsius sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris, formæ, vel expressionis existat: per quam de verbo ad verbum præsentibus non insertam, aut nominatim & singulariter non expressam, effectus earum non impediri valeat quomodolibet, vel differri. Volumus insuper, quod vos & quilibet vestrum, omnium redditatuum & proventuum ecclesiasticorum vestrorum decimam, a vobismetipsis fideliter & integre exigatis: ita quod nullus vestrum circa hoc sibi indulgeat, sed secum in hac parte procedat, ac si tali officio in extraneo fungeretur, sic quod unusquisque vestrum in scriptis redigi faciat, quidquid prædicta decima de proventibus suis ecclesiasticis exegerit a seipso: exactionem vero hujusmodi juxta taxationem decimæ, sicut eam consuevistis hactenus solvere de dictis vestris proventibus, facietis: alioquin in exactione hujusmodi servabitis consuetudinem hactenus in similibus solitam observari: ac nihilo minus in personas illorum ex vobis, vel vicariorum vestrorum, & aliorum quorumcumque, qui de mandato nostro ad collectionem exactionemque hujusmodi fuerint deputati, quique defecerint in solutione dictæ decimæ in terminis supradictis, vel in collectione & exactione hujusmodi, fraudem forsitan vel malitiam adhibuerint, excommunicationis sententiam autoritate præsentium promulgamus: a qua post satisfactionem debitam, per aliquem ex vicinioribus episcopis, excommunicationis sententia non ligatum, gratiam & communionem apostolicæ sedis habentem, facta sibi fide de satisfactione hujusmodi, possint absolutionis beneficium obtinere. Datum Avinione Kalendis Iunii, pontificatus nostri anno nono.

VI. AD EPISCOPUM PRAGENSEM.

De processu Ioannis papæ contra Ludovicum regem Romanorum.

Ioannes episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Pragensi, salutem & apostolicam benedictionem.

AD obviandum damnandis Ludovici olim Bavariæ ducis, excommunicati hæretici & schismatici, ausibus, & fidelium partium Alemanniæ periculis imminentibus occurrendum, pridem certum processum de fratrum nostrorum consilio, præsente multitudine copiosa fidelium, habuimus: cujus tenor sequitur in hæc verba. *Ioannes episcopus, servus servorum Dei, ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.* Dudum perversis & damnandis Ludovici olim Bavariæ ducis, & discorditer in regem Romanorum, sicut dicebatur, electi, conatibus, quem adeo ambitio cæca succenderat, quod ejus electione per sanctam Romanam ecclesiam (ad quam cujuscumque in regem Romanum electi, & electionis de ipso factæ, approbatio & admissio, vel reprobatio vel repulsio pertinere dinoscitur) non admissa, nec ejus approbata persona, nomen & titulum regium usurpare præsumpsit temere, seque immiscere administrationi regni & imperii, ac hæreticis & rebellibus favorem, auxilium, & consilium, contra sanctam ecclesiam impertiri, volentes remediis salubribus obviare: eumdem Ludovicum per nostrum edictum publicum, cum ad ipsum tutus nequaquam pateret accessus, sub virtute obedientiæ, ac excommunicationis pœna, de fratrum nostrorum consilio monuimus, ut a præmissis intra certum sibi tunc præfixum terminum omnino desisteret, administrationem eandem, quousque per ecclesiam ipsam approbatus & admissus existeret, nullatenus resumpturus, sed revocaturus penitus, prout esset sibi possibile, cum effectu, quæcumque de facto fuerant per ipsum in contrarium attentata: universis prælatis, & aliis quibuscumque personis ecclesiasticis & sæcularibus, necnon communitatibus & universitatibus, sub magnis pœnis spiritualibus & temporalibus, districtius nihilo minus injungendo, ut eidem Ludovico nullatenus circa præmissa parerent vel intenderent quoquo modo, nec eidem præstarent auxilium, consilium super his, vel favorem: non obstantibus fidelitatibus, aut aliis quibusvis juramentis eidem præstitis, aut obligationibus, colligationibus, confœderationibus, societatibus, & pactionibus, sub quacumque forma vel expressione verborum cum ipso initis, etiamsi essent juramentis vel adjectione pœnarum vallatæ: quæ omnia nulla, cassa & irrita esse de fratrum eorumdem consilio declaravimus; quatenus de facto processerant, nulla, cassa, & irrita duximus declaranda. Et quia prædictus Ludovicus, hujusmodi & aliis diversis monitionibus, mandatis, & præceptis nostris parere contempsit, damnabiliter ulteriora (tamquam datus in sensum reprobum) jugiter committendo, primo excommunicationis sententia innodatus extitit, ac subsequenter culpis ipsius excrescentibus, & contumaciis ejus adauctis, jure privatus, si quod sibi ex electione prædicta fuerat ad regnum vel imperium quomodolibet acquisitum. Deinde vero eo excessus excessibus cumulante, ducatu Bavariæ, ac omnibus privilegiis, tam apostolicis, quam imperialibus, ac bonis & feudis omnibus, quæ ab eadem Romana vel quibusvis aliis ecclesiis, aut imperio obtinebat, per diversos processus nostros diversis temporibus habitos, de fratrum eorumdem consilio, justo judicio nudatus extitit & privatus. Et demum, quia Pharaonis imitatus duritiam, & contemnens omnem sanctæ matris ecclesiæ disciplinam, nulla correctionis ostendit indicia, sed potius hæreticis & hæreticalibus intendens dogmatibus, ac hæreticos quos in suum admisit consortium, eorumque hæreses & errores defendendo, se ostendit hæreticum manifeste: debitis servatis solennitatibus, primo fautor hæreticorum declaratus, & subsequenter de crimine hæresis fuit sententialiter & publice per nos de ipsorum fratrum consilio condemnatus. Postmodum vero idem Ludovicus præmissis excessibus & criminibus detestabilibus non contentus, sed tanquam obstinatus in malum, & velut demersus in desperationis laqueum, continue conatus suos dirigens ad peiora, imperialis solium dignitatis de facto, non sine magna insania & temeritate damnabili, usurpare præsumpsit, se ad illud per illos quibus non competebat, faciens, ac si jus sibi competeret, coronari, & ad offendendum ecclesiam sanctam Dei, ejusque fideles & devotos, in Italiæ partibus, (in quibus ausu nefando contra prohibitionem remansit ecclesiæ) nihilo minus se attingens, nonnullas civitates & loca partium prædictarum, quæ sibi non adhæserant, devastavit horribiliter & immaniter, ac nonnulla ex ipsis ad tantam inopiæ & paupertatis egestatem deduxit, quod etiam per tractum longissimi temporis adjicere non potuerunt ut resurgant. Iura insuper & bona imperii dilacerando continue, devotos & fideles ecclesiæ persequendo crudeliter, & quantum in eo fuit, de illis partibus effugando; & demum nequitiæ suę virus conceptum evomens, ad subvertendum prorsus fidem catholicam, & scindendum Dominicam inconsutilem tunicam, in Divinæ majestatis opprobrium, totiusque cœtus fidelium scandalum, periculum & contemptum, execrandis factionibus velut membrum satanæ se disponens, associatis sibi quibusdam suis nequam complicibus, Petrum de Corvaria, virum

Bulla Ioannis papæ XX. cōtra Ludovicum imperatorem.

virum utique scandalosum & perfidum (qui olim dimissa uxore sua legitima, cui pluribus annis tam in lectulo, quam in mensa cohabitaverat, fratrum Minorum assumens, præter uxoris ejusdem consensum, habitum, & pro fratre Minore se gerens; quique ministro suo provinciali Romano inobediens, per ipsum fuit pronunciatus in excommunicationis incidisse sententiam, mancipandus carceri) in antipapam assumpsit, procurans quod idem Petrus sic delusorie & damnabiliter in antipapam assumptus, pseudocardinales & notarios, ac officiales alios juxta morem quem servat Romana curia, constitueret, aliaque nonnulla præsumeret cunctis catholicis detestanda. Synagogam autem hujusmodi, diebus congregatam aliquibus, virtutum Dominus misericorditer subito dissipavit. Nos qui omnia per eosdem Ludovicum & Petrum attentata circa præmissa, vel præmissorum occasionem, vel eorumdem aliqua de fratrum eorumdem consilio, nulla, cassa, & irrita merito duximus declaranda: præfatum Ludovicum tam ex prædictis, quam aliis diversis capitulis, multis respersum hæresibus, tamquam hæreticum & schismaticū manifestum, de hæresi & schismate, de fratrum ipsorum consilio nihilo minus condemnantes, adversus eum pœnas infligendo varias, & etiam declarando ipsum incurrisse inflictas, & comminata, sicut in diversis processibus nostris supradictis, de prædictorum fratrum consilio solemniter habitis, plenius continetur. Sane quod fide digna multorum relatio ad nostrum noviter deduxit auditum, quod idē Ludovicus, nondum in eo igne avaritiæ & ambitionis extincto, sed potius flatu diabolico inflammatus, ad civitatem contulit Tridentinam, ubi suis complicibus cōvocatis, satagit ordinare, quod sicut in partibus Italiæ supradictis jura usurpavit imperii, fideles turbavit, eorumque devoravit substantias, & consumpsit; sic & in Alemanniæ partibus damnandum suum in hac parte desiderium valeat adimplere, ac varios officiales vel ministros ad easdem partes Alemanniæ disposuit propter hoc destinare: nos tantis malis & periculis, justis obviare remediis cupientes, præfatum Ludovicum per hoc edictum nostrum publicum, cum ad eum pro faciendis sibi monitionibus & inhibitionibus hujusmodi non sit tutus accessus, moraque pericula varia comminetur, præsente hac multitudine copiosa fideliū monemus, & eidem sub excommunicationis pœna, necnō sub pœnis aliis tam spiritualibus, quam temporalibus in eumdem inflictis hactenus, quas pro repetitis haberi volumus, quibusque ipsum subjacere decrevimus, si contrarium fecerit, ipso facto, inhibemus & mandamus expresse, ne ulterius de administratione regni Romani vel imperii se quomodolibet intromittat, nec se regem vel imperatorem nominet, nec ab aliis faciat, quantum in eo fuerit, nominari; nec sub nomine hujusmodi vel alio quocumque, pro dictorum regni & imperii negotiis, ad Alemanniæ vel aliquas partes alias, aliquem vel alios destinare præsumat; nec vicariatus, vel alia quæcumque officia, quibusvis nominibus nuncupentur, concedat, seu committat alicui vel aliquibus; nec etiam in illis partibus vel aliis jura vel bona regni vel imperii quomodolibet occupet vel pertractet, fidelesque non turbet ecclesiæ & imperii, aut molestet. Universis nihilo minus & singulis prælatis & personis ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, ordinis, status vel conditionis existant, etiamsi patriarchali, pontificali, aut majori seu inferiori præfulgeant dignitate, necnon regibus, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, potestatibus, capitaneis, rectoribus, & aliis dominis temporalibus, aliisque personis singularibus quibuscumque, ac communitatibus, universitatibus, civitatibus, castris, opidis, villis & locis, sub excommunicationis, in personas singulares, & interdicti in terras, civitates, castra, opida, & loca ipsorum, ac universitates, communitates & collegia, necnon privationis dignitatum, personarum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum dictorum prælatorum & personarum ecclesiasticarum, ac tam illorum, quam aliquorū quorumcumque privilegiorum apostolicorum & imperialium, feudorum, bonorum, honorum, officiorum, quæ a Romanis vel ecclesiis aliis, seu imperio obtinet, ac libertatum & immunitatum quarumlibet pœnis, inhibemus districtius, & mandamus, ne vicariatus, vel quodcumque aliud officium, vel administrationem hujusmodi, quocumque nomine nuncupetur, recipiant ab eodem, vel alio, seu aliis, ejus auctoritate vel nomine, vel mandato; & si forsan officium vel administrationem hujusmodi receperunt, statim illud vel illā, postquam præsens processus ad eorum notitiam pervenerit, vel per eos steterit, quo minus pervenire potuerit, dimittere non postponant, illud vel illam nullatenus ulterius resumpturi: neve præfato Ludovico aut complicibus, fautoribus, vicariis, ministris vel officialibus ejusdem, quomodocumque nuncupentur, pareant in aliquo, vel intendant, nec eos, vel aliquem ipsorum recipiant vel admittant, aut de juribus & proventibus quibuscumque ad regnum Romanum vel imperium spectantibus respondere, vel alias eis impendere auxilium, consilium, vel favorem, directe vel indirecte, publice vel occulte, præsumant. Alioquin personas singulares quascumque, ecclesiasticas & sæculares, cujuscumque sint præeminentiæ, cōditionis & status, ecclesiastici vel mundani, excommunicationis; terras vero, civitates, castra, oppida, & loca, necnon universitates, communitates & collegia, quæ contra inhibitionem & mandatum nostrum hujusmodi aliquid facere vel attentare temere præsumpserunt, interdicti sententias, quas exnunc proferimus; necnon personas ecclesiasticas, (præter patriarchas, archiepiscopos & episcopos) privationis omnium dignitatum, personatuum, & aliorum beneficiorum suorum ecclesiasticorum, cum cura vel sine cura, & inhabilitationis pœnam ad ea & similia in posterum obtinenda, incurrere volumus ipso facto: ad privationem dignitatum & prælaturarum dictorum patriarcharum, archiepiscoporum & episcoporum, ac inhibitionem ad ea & similia obtinenda, necnon (nec) privilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium, ac feudorum, bonorum, libertatum, quæ ipsi & quicumque alii clerici vel laici, a Romana, vel quibusvis aliis ecclesiis, seu imperio, quomodolibet obtinent, ac libertatum & immunitatum, tam contra ipsas, quam alias quascumque personas ecclesiasticas & sæculares, cujuscumque status vel conditionis existāt, & alias spirituales & temporales pœnas & sententias, de quibus nobis videbitur, infligendas seu inflictas, declarandas juxta delictum, contumaciam & excessum cujuslibet, si quando & quotiens opportunum cognoverimus, communiter vel divisim, absque monitione & citatione alia nos processuros apertius prædicentes. Non obstantibus fidelitatis, & quibusvis aliis juramentis, per quæ ipsi, vel eorum aliqui, dicto Ludovico sese quomodolibet astrinxissent, ac confœderationibus, societatibus, & ligis cum eodem, seu alio vel aliis, nomine suo, vel mandato per quascumque personas singulares, ecclesiasticas vel sæculares, aut communitates seu universitates, collegia, contractis seu initis sub quacumque forma seu expressione verborum; etiamsi pœnarum adjectionibus, aut juramentorum præstationibus, vel quacumque alia firmitate vallatæ fuissent; utpote in Dei contumeliam, contra bonum pacis, ac in derogationem honoris & status sanctæ matris ecclesiæ, & in præjudicium reipublicæ, animarumque periculum, cū hæretico excommunicato præsum-

ſumptas temere: quæ omnia per proceſſus noſtros alias nulla, caſſa, & irrita declaravimus, & adhuc etiam declaramus, & quatenus de facto proceſſerunt, caſſavimus, annullavimus & irritavimus, & nunc ex ſuperabundanti caſſamus, annullamus & irritamus, etiamſi poſt dictos proceſſus aliqua talia fuerint attentata: juramenta diſſolventes hujuſmodi, & pœnas omnes & ſingulas, ſuper prædictis vel ea tangentibus adjectas quomodolibet, relaxantes de plenitudine poteſtatis. Volumus autem, & autoritate apoſtolica nihilo minus decernentes, quod proceſſus noſter hujuſmodi, præfatum Ludovicum, & alios quos tangere dinoſcitur, apprehendat & arctet, ac ſi eiſdem perſonaliter & ſingulariter publicatus & intimatus ſolenniter extitiſſet, conſtitutione quacumque contraria per prædeceſſores noſtros Romanos pontifices edita, non obſtante. Vt autem proceſſus noſter hujuſmodi, & omnia in eodem contenta, ad ejuſdem Ludovici, & aliorum quorum intereſt, communem notitiam deducantur: chartas ſive membranas proceſſum continentes eumdem, in eodem, Avinione appendi vel affigi oſtiis ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio & patulo judicio publicabunt; ut idem Ludovicus, & alii quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos non pervenerit, vel quod ignorarint eumdem: cum non ſit veriſimile, remanere quoad ipſos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avinione quinto Kalendas Februarii, pontificatus noſtri anno XIV. Volentes itaque dictum proceſſum & contenta in eo (ut plenius innoteſcant partium earumdem fidelibus, ac ipſi, ne per eumdem Ludovicum, ſuoſque ſequaces, complices, & miniſtros, inficiantur, decipiantur, aut opprimantur, ſeu pœnis & ſententiis per proceſſum ipſum inflictis & comminatis involvantur, ſibi providere valeant cautius, & ne prætendere ſuper his valeant ignorantiam) in eiſdem partibus ſolenniter publicari: fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtrictius injungendo mandamus, quatenus per te vel alium, ſeu alios religioſos & ſæculares, de quibus tibi videbitur, proceſſum eumdem, & omnia, & ſingula quæ continentur in eo, in locis & eccleſiis tuarum civitatis & diœceſeos, de quibus expedire videris, eis expoſitis in vulgari, nihilo minus ut clarius intelligantur, publicare ſolenniter, ipſumque Ludovicum excommunicatum, hæreticum & ſchiſmaticum, ſingulis diebus feſtivis & Dominicis publice ſtudeas nunciare: nos de publicatione hujuſmodi, per inſtrumenta publica, principium & finem præſentium continentia, redditurus quantocius poteris nihilo minus certiores. Datum Avinione tertio Kalendas Februarii, pontificatus noſtri anno XIV.

G. C. Multas hic addere Ioannis epiſtolas liceret, quæ ab Odor. Raynaldo & aliis afferuntur: niſi ſuperſedendum huic curæ duxiſſemus jam inde ab Innocentio III. Verum Regeſti ipſius partitionem, cum in manibus noſtris ſit, hic edendam, nec ſine fructu & eruditorum approbatione, duximus.

** DIVISIO REGISTRI IOANNIS XX. in quinque partes.

Rubricæ primæ partis cum principio cujuſque proceſſus.

I. Vniverſis Chriſti fidelibus. Canonizatio beati Ludovici confeſſoris, olim epiſcopi Toloſani. *Sol oriens mundo* &c.

II. Venerabilibus fratribus patriarchis &c. Canonizatio beati Thomæ confeſſoris, olim epiſcopi Herfordenſis. *Vnigenitus filius* &c.

Rubricæ ſecundæ partis cum principio cujuſque proceſſus.

I. Ad perpetuam rei memoriam. Conſtitutio taxationis litterarum apoſtolicarum. *Cum ad ſacroſancta* &c.

II. Ad perpetuam rei memoriam. Diviſio epiſcopatus Toloſani. *Salvator noſter* &c.

III. Ad perpetuam rei memoriam. Proceſſus contra eos qui impugnarent diviſionem epiſcopatus Toloſani. *Nuper ex certis cauſis* &c.

IV. Ad perpetuam rei memoriam. Revocantur bona alienata de menſa quondam epiſcopatus Toloſani. *Romana mater eccleſia* &c.

V. Ad perpetuam rei memoriam. Limitatio archiepiſcopatus Toloſani. *Cum illius, cuius* &c.

VI. Ad perpetuam rei memoriam. Caſſantur privilegia ſeu ſtatuta quæcumque, quæ in poſterum derogarent diviſioni Toloſanæ diœceſis. *Cum ex more* &c.

VII. Ad perpetuam rei memoriam. Erectio in cathedrales, Vaurenſis & Mirapicenſis eccleſiarum. *Salvator noſter* &c.

VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Limitatio diœceſis Mirapicenſis. *Cum illius, cuius* &c.

IX. Ad perpetuam rei memoriam. Limitatio diœceſis Vaurenſis. *Cum illius, cuius* &c.

X. Ad perpetuam rei memoriam. Ordinatio capituli eccleſiæ Vaurenſis. *Sedes apoſtolica* &c.

XI. Ad perpetuam rei memoriam. Aſſignatio facta de bonis epiſcopatus quondam Toloſani, eccleſiæ Appamiarum. *Dudum ad eccleſiam* &c.

XII. Ad perpetuam rei memoriam. Erectio monaſterii de Montealbano. *Nuper ex certis* &c.

XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Limitatio epiſcopatus Montiſalbani. *Cum illius, cuius* &c.

XIV. Ad perpetuam rei memoriam. Limitatio epiſcopatus Rivenſis. *Cum illius, cuius* &c.

XV. Ad perpetuam rei memoriam. Limitatio epiſcopatus & diœceſis Lumberienſis. *Cum illius* &c.

XVI. Ad perpetuam rei memoriam. Revocatio erectionis eccleſiæ Limoſienſis, & erectio villarum Electenſis, & ſancti Pontii Thomeriarum, in civitates, & eccleſiarum earum in cathedrales. *Alma mater eccleſia* &c.

XVII. Ad perpetuam rei memoriam. Limitatio epiſcopatus & diœceſis ſancti Pontii Thomeriarum. *Cum illius* &c.

XVIII. Ad perpetuam rei memoriam. Limitatio epiſcopatus & diœceſis Electenſis. *Cum illius, cuius* &c.

XIX. Ad perpetuam rei memoriam. Erectio eccleſiæ ſancti Pauli de Fenolhodeſio, in collegiatam. *Inter cætera* &c.

XX. Ad perpetuam rei memoriam. Ordinatio collegiatę eccleſiæ ſancti Stephani de Teſcone. *Inter cætera* &c.

XXI Ad perpetuam rei memoriam. Ordinatio collegiatæ eccleſiæ Caſtrinovi de Arrio. *Inter cætera* &c.

XXII Ad perpetuam rei memoriam. Ordinatio collegiatæ eccleſię de Inſula Iordani. *Inter cætera* &c.

XXIII. Ad perpetuam rei memoriam. Ordinatio collegiatæ eccleſiæ de S. Felice. *Inter cætera* &c.

XXIV. Ad perpetuam rei memoriam. Ordinatio capituli eccleſiæ Mirapicenſis. *Sedes apoſtolica* &c.

XXV. Ad perpetuam rei memoriam. Ordinatio capituli

pituli ecclesiæ Lumberiensis. *Sedes Apostolica* &c.

XXVI. Ad perpetuam rei memoriam. Ordinatio capituli ecclesiæ Rivensis. *Sedes Apostolica* &c.

XXVII. Ad perpetuam rei memoriam. Ordinatio collegiatæ ecclesiæ S. Vincentii Montis Regalis. *Sedes Apostolica* &c.

XXVIII. Ad perpetuam rei memoriam. Divisio episcopatus Albiensis in duas diœceses, & erectio villæ Castrensis in civitatem. *Salvator noster* &c.

XXIX. Ad perpetuam rei memoriam. Limitatio episcopatus Castrensis. *Dudum* &c.

XXX Ad perpetuam rei memoriam. Ordinatio capituli ecclesiæ de Bursatio. *Inter cætera* &c.

XXXI Ad perpetuam rei memoriam. Assignatio & deputatio redditūum ecclesiæ Castrensis in cathedralem erectæ. *Cum illius, cujus* &c.

XXXII. Ad perpetuam rei memoriam. Divisio episcopatus Ruthenensis, & erectio civitatis Vabrensis, & ipsius villæ in civitatem. *Salvator noster* &c.

XXXIII. Ad perpetuam rei memoriam. Assignatio redditūum & limitatio episcopatuum Ruthenensis & Vabrensis. *Dudum considerantes* &c.

XXXIV. Ad perpetuam rei memoriam. Divisio episcopatus Claromontensis, in duas diœceses. *Salvator noster* &c.

XXXV. Ad perpetuam rei memoriam. Limitatio facta de episcopatu S. Flori, ab episcopatu Claromontensi. *Dudum* &c.

XXXVI. Ad perpetuam rei memoriam. Assignatio facta de ecclesiis & juribus episcopatus Claromontesis episcopatui S. Flori. *Dudum considerantes* &c.

XXXVII. Ad perpetuam rei memoriam. Divisio episcopatus Agennensis, & erectio villæ Condomiensis in civitatem. *Salvator noster* &c.

XXXVIII. Ad perpetuam rei memoriam. Limitatio episcopatus Condomiensis ab episcopatu Agennensi. *Dudum considerantes* &c.

XXXIX. Ad perpetuam rei memoriam. Divisio episcopatus Petragoricensis.

XL. Ad perpetuam rei memoriam. Limitatio episcopatus Sarlatensis. *Dudum considerantes* &c.

XLI. Ad perpetuam rei memoriam. Ordinatio capituli ecclesiæ collegiatæ ex Capdioto diœcesis Sarlatensis. *Inter cætera* &c.

XLII. Ad perpetuam rei memoriam. Divisio episcopatus Lemovicensis, & erectio civitatis Tutelensis. *Salvator noster* &c.

XLIII. Ad perpetuam rei memoriam. Limitatio episcopatuum Lemovicensis & Tutelensis. *Dudum considerantes* &c.

XLIV. Ad perpetuam rei memoriam. Divisio episcopatus Pictaviensis, & erectio civitatum Malleacensis, & Luciensis, ac limitatio diœcesum ipsarum. *Salvator noster* &c.

XLV. Ad perpetuam rei memoriam. Erectio ecclesiæ Cæsaraugustanæ in metropolitanam. *Romanus Pontifex* &c.

XLVI. Ad perpetuam rei memoriam. Erectio civitatis .. .. in metropolitanam, & provisio de fratre Francisco de Perusio, & ordinatio sex suffraganeorum. *Redemptor noster* &c.

XLVII. Ad perpetuam rei memoriam. Declaratio, quod propter erectiones episcopatuum novorum, impetrantibus justitiam aut gratiam nullum præjudicium generetur. *Sedes Apostolica* &c.

XLVIII. Ad perpetuam rei memoriam. Constitutio suscepti regiminis. *Suscepti* &c.

XLIX. Ad perpetuam rei memoriam. Constitutio *execrabilis* super pluralitate beneficiorū. *Execrabilis* &c.

A L. Ad perpetuam rei memoriam. Compositio facta inter regem Arragonensem & hospitale S. Ioannis Hierosolym. super quibusdam terris regni sui: & ordinatio monasterii de Montesia Valentinæ diœcesis, ordinis Calatravensis. *Ad fructus uberes* &c.

LI. Ad perpetuam rei memoriam. Compositio inter regem Arragoniæ & hospitale S. Ioannis Hierosolym. super facto magistri ordinis de Calatrava: & ordinatio monasterii de Montesia. *Pia matris ecclesiæ cura* &c.

LII. Ad perpetuā rei memoriā. Declaratio regulæ ordinis fratrum Minorum. *Quorumdam exigit* &c.

LIII. Ad perpetuam rei memoriam. Ordinatio monasterii, & totius ordinis Grandimontensis. *Exigente debito* &c.

B LIV. Ad perpetuam rei memoriam. Ædificatio capellæ novæ in castro Bitaride Avinion. diœcesis. *Extollentes* &c.

LV. Ad perpetuam rei memoriam. Provisio dotis dictæ capellæ. *Extollentes* &c.

Rubricæ tertiæ partis cum principio cujusque processus.

I. Ad perpetuam rei memoriam. Trevgæ inter regem Robertum & comitem Sabaudiæ & quosdam alios. *Et si ad pacis* &c.

II. Committitur judicibus, quod notificent dictas trevgas. *Et si ad pacis* &c.

C III. Ad perpetuam rei memoriam. Trevgæ inter regem Angliæ, & Robertum de Brus pro rege Scotiæ se gerentem. *Vocatis* &c.

IV. Ad futuram rei memoriam. Indictio trevgarum inter regem Franciæ & comitem Flandriæ. *Considerantes attentius* &c.

V. Mandatur executoribus, quod notificent seu publicent dictas trevgas. *Considerantes* &c.

VI. Ad futuram rei memoriam. Alia indictio trevgarum inter regem Franciæ & comitem Flandriæ. *Considerantes* &c.

VII. Mandatur executoribus, quod notificent seu publicent dictas trevgas. *Considerantes* &c.

D VIII. Ad futuram rei memoriam. Indictio trevgarum inter comitem Armaniaci & comitissam Fuxensem. *Illius, cujus in pace* &c.

IX. Mandatur executoribus, quod notificent seu publicent ipsas trevgas. *Illius* &c.

X. Ad futuram rei memoriam. Prorogatio trevgarum inter comitem Armaniaci & comitissam Fuxensem. *Ad nostrum pridem* &c.

XI. Executoribus mandatur, quod notificent seu publicent dictam prorogationem trevgarum.

XII. Ad futuram rei memoriam. Indictio trevgarum inter Guichardum dominum de Belloioco, & Henricum dominum de Antiguesо, & quosdam alios. *Etsi ad omnium* &c.

XIII. Mandatur executoribus, quod notificent seu publicent dictas trevgas. *Etsi* &c.

E XIV. Ad futurā rei memoriā. Indictio trevgarum, inter Robertum Siciliæ & Fredericum Trinacriæ reges. *Dudum inter carissimos* &c.

XV. Ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum Inhibitio, quod Fredericus rex Trinacriæ, vel quicunque alii, non invadant regnum Siciliæ, nec terram citra Farum, & insulas sibi adjacentes. *Regis pacifici* &c.

XVI. Ad futuram rei memoriam. Indictio trevgarum inter nobiles viros Amalricum Narbonensem & Gespettrum de Castronovo vicecomites, & quosdam alios. *Nuper ad nostri* &c.

XVII. Ad futuram rei memoriam. Indictio trevgarum, inter nobilem virum, Amadeum comitem Sabaudiæ, & Gerardum ejus primogenitum ex una parte; & Guidonem Delphinum Viennensem, ac comitem Gebennensem ex altera. *Etsi ad omnium corda* &c.

XVIII. Ad futuram rei memoriam. Limitatio temporis ipsarum trevgarum. *Dudum ad nostri apostolatus.*

XIX. Ad futuram rei memoriam. Indictio trevgarum, & temporis eorum limitatio, inter Benedictum Gaietani & Anagniæ comitem Palatinum, & Stephanum de Columna. *Quanto ex potestate* &c.

XX. Mandatur, quod notificent trevgas dictis comiti & Stephano indictas. *Quanto* &c.

XXI. Ad futuram rei memoriam. Confirmatio trevgarum indictarum per legatum inter cives Vercellenses. *Licet ea, quæ de mandato nostro* &c.

XXII. Ad futuram rei memoriam. Promulgatio sententiæ excommunicationis latæ in frangentes trevgas indictas per legatum inter regem Siciliæ, & intrinsecos civitatis Astensis, ex parte una; & Marchionem Salucianum ac comitem Sabaudiæ, ac extrinsecos civitatis ejusdem, ex altera. *Dudum trevgas* &c.

XXIII. Mandatur legato quod notificet trevgas renovatas, & indictas vicario regis Siciliæ, in partibus Pedemontis, ac intrinsecis & extrinsecis, & nobilibus supradictis. *Dudum trevgas* &c.

Rubricæ quartæ partis, cum principio cujusque processus.

I. Ad futuram rei memoriam. Monentur illi, qui spoliaverunt thesaurum ecclesiæ Romanæ in civitate Lucana, quod infra certum tempus restituant. *Infideles & stolidi* &c.

II. Ad futuram rei memoriam. Processus contra occupantes bona quondam domini Gentilis cardinalis, in civitate Lucana. *Infideles & stolidi* &c.

III. Ad perpetuam rei memoriam. Processus contra illos qui spoliaverunt curiales & cives, in civitate Carpentoratensi *Clamores validos* &c.

IV. Ad perpetuam rei memoriam. Denunciatio quod inobedientes spoliatores curialium civitatis Carpentoratensis, citra mare, excommunicationis sententiã incurrerunt. *Dudum sicut evidentia* &c.

V. Ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum. Processus contra illos, qui asportaverunt thesaurum domini Clementis de Montilio. *Cum venerabiles fratres & coepiscopos* &c.

VI. Ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum. Citatio vicecomitis Leumaniæ, & Altivillaris. *Ex injuncto nobis* &c.

VII. Universis ad quos litteræ præsentes pervenerint. Prorogatio citationis ejusdem vicecomitis. *Pridem dilectum* &c.

VIII. Carissimo in Christo filio Roberto regi Siciliæ, &c. Confirmatur sibi commissio vicariatus imperii in partibus Italiæ. *Regalis celsitudinis* &c.

IX. Ad futuram rei memoriam. Monitio, quod vacante imperio, nullus vicarii imperii nomen assumat. *Si fratrum & coepiscoporum* &c.

X. Ad futurã rei memoriam. Constitutio, quod nemo assumat dominium in patrimonio beati Petri, in præjudicium ecclesiæ Romanæ. *Ecclesiæ Romanæ* &c.

XI. Ad futuram rei memoriam. Constitutio, quod nemo assumat dominium in ducatu Spoletano. *Ecclesiæ Romanæ* &c.

A XII. Ad perpetuam rei memoriam. Constitutio, quod nullus assumat dominium in Marchia Anconitana, Massa Trabaria, & terra sanctæ Agathæ, ac civitate Urbini. *Ecclesiæ Romanæ* &c.

XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Processus factus contra turbantes regimen civitatis Ferrariæ, & facientes contra officiales ecclesiæ Romanæ. *Dierum* &c.

XIV. Ad perpetuam rei memoriam. Constitutio contra omnes turbantes regimen ecclesiæ Romanæ, in Marchia Anconitana, & offendentes officiales ipsius. *Dierum* &c.

XV. Monitio quod Chiricus, quidam de Marchia Anconitana, ecclesiæ Romanæ rebelles, tam personæ singulares, quam etiam communitates, redeant ad mandata ecclesiæ. *Ex novis insolentiis* &c.

B

XVI. Processus contra Burdonum, & Galiotium Ancelmitii de Smurillo, Firmanæ diœcesis, & quosdam alios. *Aucta nimiorum* &c.

XVII. Processus contra potestatem, capitaneum, consilium & commune Auximanum, ac Lipacium, & Andream quondam Gonzolini, ecclesiæ Romanæ rebelles. *Sicut mentis nostræ* &c.

XVIII. Processus contra Fridericum, Guidonem, & Sperantiam comites de Monteferetro, & consilium & commune Urbini, ecclesiæ Romanæ rebelles. *Si velletis* &c.

XIX. Processus contra potestatem, capitaneum, consilium, & commune, ac universitatem & populum Racanatensem. *Absorbuit intellectum* &c.

C

XX. Ad futuram rei memoriam. Processus contra Matthæum de Vicecomitibus de Mediolano, canonem de la Scala, & Raynaldum Dan. Passarinum de Mantua, nomen vicarii assumentes. *Olim in nostram* &c.

XXI. Monitio quod Matthæus vicecomes restituat nunciis sedis apostolicæ, Philipponum comitem de Langusco, Ioannem de la Torre, & quosdam alios, quos detinet captivatos. *Inter universas* &c.

XXII. Ad futuram rei memoriam. Declaratio, quod Constantius de Ulmo civis Pergamensis, & alii, se subducentes ab obedientia Matthæi de vicecomite, non includantur in sententiis latis in ipsum Matthæum & sibi adhærentes. *Dum olim evidentia* &c.

D

XXIII. Ad perpetuam rei memoriam. Monitio contra turbantes regimen civitatis Beneventanæ, & facientes contra officiales ecclesiæ Romanæ. *Vos* &c.

XXIV. Dilectis filiis, universitati & populo & communitati Ferrariensi, ecclesiæ Romanæ subjectis. Proceditur contra eos. *Si velletis* &c.

XXV. Ad perpetuam rei memoriam. Constitutio, quod nullus extrahat vel introducat in civitatem Ferrariensem victualia, mercationes, vel alia bona, nisi sub signo ad hoc per officialem domini papæ in dicta civitate deputato. *Ad nostri apostolatus* &c.

E

XXVI. Ad futuram rei memoriam. Processus alius editus contra Ferrarienses. *Dudum ad nostri* &c.

XXVII. Mandatur executoribus quod publicent dictum processum. *Dudum* &c.

XXVIII. Ad futuram rei memoriam. Processus citationis quorundam episcoporum regni Scotiæ. *Hoc mundi* &c.

XXIX. Ad futuram rei memoriam. Processus citationis Roberti de Brus, regnum Scotiæ gubernantis. *Magnitudo domus* &c.

XXX. Declaratio, quod commune & cives Ferrarienses, Arnaldus, Oppizo, Bertoldus, & Nicolaus, qui se dicunt Marchiones Estenses, & nonnulli alii, & eis adhærentes, incurrerunt pœnas & sententias

in diversis aliis processibus contentas, & comminatio gravioris processus. *Mansuetudinem* &c.

XXXI. Mandatur rectori Marchiæ Anconitanæ, quod si Chiricus Guillelmi prior prioratus sancti Benedicti. .... diœces. & .... Raynaldi, & communitates & universitates Serræ, S. Quirici, & Rosoce, infra tempus contentum in processibus contra eos factis, non redierint ad mandata ecclesiæ, quod eos denunciet pœnas & sententias in dictis contentas processibus incurrisse. *A tua memoria* &c.

XXXII. Mandatur eidem rectori, quod si Burdonus, & Galiotus Ancelmitii, infra tempus contentum in processibus contra eos factis, non redierint ad B mandata ecclesiæ, quod eos denunciet pœnas & sententias in dictis contentas processibus incurrisse. *Inter graves* &c.

XXXIII. Processus citationis & monitionis contra Blanchellum de Sigrano, potestatem, ac Bolonium de Cassaro, & Vpizinum de Serragramma, ac defensores, consilium & commune Fanense, ecclesiæ Romanæ rebelles. *Per graves injurias* &c.

XXXIV. Mandatur rectori Marchiæ, quod accedat personaliter, si possit commode, ad civitatem Fanensem, vel per alium seu alios deputandos, & quod præsentent dictis Blanchello, potestati, ac Bolonio, Vpizino, ac defensoribus, consilio & communi Fanensi, processus habitos contra ipsos. *Propter graves & enormes* &c. C

XXXV. Processus citationis & monitionis contra potestatem, consilium & commune, ac .... ecclesiæ Romanæ rebelles. *Effrenata flagitiorum vestrorum temeritas* &c.

XXXVI. Mandatur rectori Marchiæ, quod si tempus contentum in processibus habitis contra potestatem, capitaneum, consilium, & commune......... Auximan. ecclesiæ Romanæ rebelles, sit elapsum, quod omnes & singulos publice nunciet excommunicationis, civitates, communitates, & universitates, castra, & loca, eorum subjecta dominio, interdicti, & alias pœnas & sententias incurrisse. *Dudum potestates, capitaneos* &c.

XXXVII. Processus citationis & monitionis contra D Guillelmum Bort, & hominem quondam Raynaldi de Esio, & eorum complices, ecclesiæ Romanæ rebelles. *Sicut mentis nostræ* &c.

XXXVIII. Mandatur eidem, quod accedat ad civitatem Esinam ad præsentandum Guillelmo Bort, & homini quondam Raynaldi de Esio, processus habitos contra ipsos. *Propter graves & enormes* &c.

XXXIX. Vt provideant eis de securo conductu. *Propter graves* &c. ut supra proxime.

XL. Processus citationis, & monitionis contra Hugolinum Hugolini de Bustarcio, laicum Esinum, ecclesiæ Romanæ rebellem. *Tuorum flagitiorum temeritas* &c.

XLI. Vt provideant Hugolino Hugolini de securo conductu. *Propter graves & enormes excessus* &c. E

XLII. Mandatur rectori Marchiæ, quod accedat personaliter, si possit commode, ad civitatem Esinam, vel ad alium locum ubi Hugolinus Hugolini de Bustarcio domicilium habet; & præsentet sibi processus contra ipsum habitos, vel faciat præsentari. *Propter graves* &c.

XLIII. Mandatur eidem, quod si tempus terminorum contentorum in processibus habitis contra civitates Raccanatensem & Auximanam, sit elapsum, quod publicet eas interdicti; etiam potestates, consilia, capitaneos, & communia, excommunicationis sententias incurrisse. *Dum olim circa præfationem* &c.

A XLIV. Mandatur eidem, quod si tempus contentum in processibus habitis contra Fredericum, Guidonem, & Sperantiam, quondam comites de Monteferetro fratres, consilium & commune Vrbinatense, ecclesiæ Romanæ rebelles, sit elapsum, quod publicet eos omnes & singulos excommunicationis, & terras ac loca eorum interdicti sententias incurrisse. *Dudum Fredericus* &c.

XLV. Mandatur eidem, quod in castro Cinguli publicet, per se vel alium, processus habitos contra potestatem, consilium & commune, ac Appiglatiam quondam Claudii, & alios ut infra, ecclesiæ Romanæ rebelles. *Propter graves & enormes per potestatem* &c.

XLVI. Requiruntur quod provideant potestati, consilio & communi, ac Appiglatiæ quondam Claudii, & aliis ut infra, de securo conductu. *Propter graves & enormes* &c.

XLVII. Mandatur episcopo Bononiensi, quod publicet per se vel publicare faciat privationem Raccanatēsium ab honore episcopalis dignitatis, & erectionem castri Maceratæ in ecclesiam cathedralem. *Propter nefandas & enormes* &c.

XLVIII. Ad perpetuam rei memoriam. Erectio castri Maceratæ & ecclesiæ seu plebis S. Iuliani in ecclesiam cathedralem. *Sicut ex debito rationis*, &c.

XLXIX. Mandatur episcopo Bononiensi, quod nunciet publice in civitate & diœcesi Bononiensi Fredericum Guidonem & Sperantiam fratres, excommunicationis sententiam incurrisse. *De venenosa radice* &c.

L. Mandatur eidem, quod publice nunciet, seu nunciare faciat nominatim in ecclesiis & locis civitatis & diœcesis Bononiensis, pœnas & sententias contentas in processibus habitis contra Raccanatenses, & Auximanos. *Dum olim &c.*

LI. Mandatur episcopo Bononiensi, & rectori Romandiolæ, quod publicet commune & cives civitatis Ferrar. Raynaldū & Opizonem fratres, potestatem, capitaneum, & rectorem, sententias & pœnas contentas in processibus habitis contra eos incurrisse. *Mansuetudinem & consanguinitatem &c.*

LII. Mandatur eidem episcopo, quod nunciet publice in civitate & diœcesi Bononiensi nominatim & expresse excommunicatos, inhabiles & indignos, potestatem, capitaneum, consilium, & commune, ac Lippatium & Andream quondam Gorgolini milites Auximanos, & eis adhærentes, & terras, & loca interdicta. *Dudum* &c.

LIII. Processus citationis & monitionis contra Blanchellum de Sigrano, potestatem ac Bolonguinum de Cassaro, & Vpizinum de Sergramma, ecclesiæ Romanæ rebelles. *Per graves injurias & offensas* &c.

LIV. Mandatur, quod provideatur de securo conductu Blanchello, &c. ut supra proxime. *Nuper contra blanchellum* &c.

LV. Mandatur rectori Marchiæ, quod præsentet processus Blanchello de Sigrano, potestati; Bolonguino & Vpizino, ac defensoribus, consilio & communi civitatis Ferrariensis. *Propter graves*, &c.

LVI. Ad perpetuam rei memoriam. Inhibitio ne aliqui civitatem Anconitanam, terras, castra, & loca ejus, invadere præsumant, & sententia excommunicationis contra tales. *Nimis in multorum dispendium* &c.

LVII. Mandatur rectori Marchiæ, quod in terris & locis provinciæ Anconitanæ, publicet & publicare faciat processus habitos contra præsumentes invadere civitatem Anconitanam. *Nuper ad audientiam Apostolatus nostri*, &c.

LVIII. Ad futuram rei memoriam. Proceſſus contra præſumentes invadere Romandiolæ, Marchiæ Anconitanæ, ducatus Spoleti, patrimonii beati Petri in Tuſcia, Campaniæ & Maritimæ, ac Maſſæ Trabariæ provincias, Veneſinum & Vrbinatenſem olim comitatus, ac Vrbinatenſem & Revent. civitates, & alias terras, civitates, caſtra, villas, & loca ad Romanam eccleſiam ſpectantia. *Inter cætera quorum nos cura* &c.

LIX. Mandatur, quod nuncient in majoribus & aliis eccleſiis urbis, Fridericum, Guidonem, & Sperantiam, & alias perſonas, & communitates, pœnas & ſententias contentas in proceſſibus habitis contra eos incurriſſe. *Dudum adverſus Fridericum* &c.

LX. Mandatur quod publice nuncient in majori eccleſia, & aliis eccleſiis civitatis & diœceſis Piſanæ, Fridericum, Guidonem, & Sperantiam, & dictas alias perſonas, & cõmunitates, pœnas & ſententias contentas in proceſſibus habitis contra eos incurriſſe. *Dudum adverſus Fridericum* &c.

LXI. Mandatur quod procedant ad publicationem & aggravationem pœnarum & ſententiarum inflictarum contra poteſtatem, gubernatores, defenſores, conſilium, & commune Aretin. eccleſiæ Romanæ rebelles. *Dudum adverſus Fridericum* &c.

LXII. Vt inquirant diligenter contra omnes & ſingulos de provincia Tuſciæ, ſi quos invenerint adhærentes Raccanatenſibus, & Auximanenſibus. *Dudum adverſus Fridericum, Guidonem*, &c.

LXIII. Mandatur quod publice nuncient, omnes & ſingulos complices, ſequaces, valitiones, & adjutores, Friderici, Guidonis, & Sperantiæ, & aliorum, &c. pœnas & ſententias contentas in proceſſibus habitis contra Fridericum, &c. incurriſſe. *Dudum adverſus Fridericum* &c.

LXIV. Mandatur rectori Romandiolæ, quod compellat per cenſuras eccleſiaſticas, Fridericum & alios, &c. ad ſatisfaciendum communi & populo Ariminenſi, de damnis, injuriis, & exceſſibus per ipſos eis illatis. *De radice prodiens venenoſa* &c.

LXV. Mandatur eidem rectori, quod puniat pœnis debitis Fridericum, Lippacium, & Auximanum, Petrum Sathon de Sarlat. & communitates, eccleſiæ Romanæ rebelles. *De radice prodiens venenoſa* &c.

LXVI. Mandatur rectori Marchiæ Anconitanæ, ut nunciet, ſeu nunciare faciat, publice complices, adjutores, valitiones, & ſequaces Friderici, Guidonis, & Sperantiæ, olim comitum de Monteferetro, & Lippacii, ac Andreæ de Auximan. ac Vrbinaten. Raccanaten. & Auxan. pœnas & ſententias contentas in proceſſibus habitis contra eos incurriſſe. *Cum omnes* &c.

LXVII. Vt recedant a ſequela & adhærentia rebellium eccleſiæ Romanæ, & quod de cætero nullum dent eis auxilium. *De vobis multa* &c.

LXVIII. Quod inquirant diligenter, ſi invenerint aliquos fautores, defenſores, vel receptatores, rebellium eccleſiæ Romanæ, & quod procedant contra tales. *Cum Lippatius* &c.

LXIX. Mandatur Marchiæ Anconitanæ rectori, quod nunciet vel nunciare faciat, in eccleſiis & locis decretæ ſibi provinciæ, omnes & ſingulos infraſcriptorum rebellium adjutores, valitores, & fautores, pœnas, & ſententias contentas in proceſſibus habitis contra dictos rebelles, incurriſſe. *Cum omnes & ſinguli* &c.

LXX. Mandatur eidem quod citet perſonaliter epiſcopum Fanenſem, ſi ſibi per informationem conſtiterit ipſum epiſcopum celebraſſe, poſt ſententias & pœnas in proceſſibus habitis contra commune Fanenſe promulgatas. *Cum nos propter nefandæ rebellionis* &c.

LXXI. Mandatur eidem, quod inquirat diligenter ſuper conjuratione & conſpiratione factis ut ſupra, per communitates & populos Firmanenſem & Camerinenſem. *Si ex more* &c.

LXXII. Conceditur eidem poteſtas recipiendi a rebellibus & eorum valitionibus, juramenta & cautiones de obediendo mandatis eccleſiæ, cum ad obedientiam redierint. *Dudum propter nefandæ rebellionis* &c.

LXXIII. Mandatur eidem, quod publicet vel publicare faciat indulgentiam conceſſam expugnantibus poteſtatem, capitaneum, conſilium, & commune, univerſitatem & populum Raccanatenſem, necnon & Iacob, Gerardum, Aroletum, Bulgariſorum, Deriolum, Leonem, Zanolum, Pertinallum, cives Raccanatenſes. *Exurgat Deus* &c.

LXXIV. Mandatur, quod publicent in eccleſiis & locis urbis, & circumpoſitæ regionis, indulgentiam conceſſam expugnantibus Raccanatenſes. *Exurgat Deus* &c.

LXXV. Mandatur ut conſtrui faciant eorum ſumptibus & expenſis, infra cathedrales, collegiatas, & parochiales eccleſias, ſuarum civitatis & diœceſis, truncos ſive arcas ad reponendum pecuniarum ſubſidium, quod offeretur per fideles contra impugnantes fideles eccleſiæ. *Sponſi cæleſtis* &c.

LXXVI. Proceſſus indulgentiarum conceſſarum expugnantibus Lippatium, & alios Auximanos. *Exurgat Deus* &c.

LXXVII. Proceſſus indulgentiarum conceſſarum impugnantibus Fridericum de Monteferetro hæreticum, & idolatram. *Exurgat Deus* &c.

LXXVIII. Proceſſus contra poteſtatem, conſilium, officiales & commune Spoletanum. *Prodierunt* &c.

LXXIX. Proceſſus contra poteſtatem, conſilium, & commune Aſſiſinatenſe, ac Mutium ſacrilegum. *Dudum* &c.

LXXX. Ad certitudinem præſentium. Proceſſus contra Matthæum Vicecomitem, & prælatos Mediolan. *Paternæ ſolicitudinis* &c.

LXXXI. Mandatur legato, quod legi faciat & exponi proceſſus habitos contra Matthæum Vicecomitem, & prælatos de Mediolano. *Super nonnullis* &c.

LXXXII. Ad certitudinem præſentium. Citatio Matthæi Vicecomitis de Mediolano. *Dudum fama* &c.

LXXXIII. Mandatur legato, quod proceſſum habitum contra Matthæum Vicecomitem de Mediolano, ex abundanti legi & publicari faciat & exponi. *Nuper nobilem virum* &c.

LXXXIV. Ad certitudinem præſentium. Citatio Matthæi Vicecomitis de Mediolano, ut infra certum tempus ſub certis pœnis ſibi impoſitis apoſtolico conſpectui ſe præſentet. *Non ſine* &c.

LXXXV. Forma citationis dicti Matthæi Vicecomitis. *Super noſtris impedimentis* &c.

LXXXVI. Mandatur legato, quod mittat Matthæo Vicecomiti litteras apoſtolicas de ſecuro conductu. *Ne nobilis vir* &c.

LXXXVII. Forma citationis Aſtulfi abbatis monaſterii S. Ambroſii, Matthæi Cimeliarchæ, & aliorum infraſcriptorum. *Ad reprimendum* &c.

LXXXVIII. Mandatur epiſcopis, Bononienſi & Reginenſi, quod nuncient in eccleſiis & locis ſuarum civitatum & diœceſis, poteſtatem & capitaneum Parmenſis civitat. & Canem de Scala, & eorum conſiliarios, excommunicationis ſententiam incurriſſe. *Olim in noſtram & fratrum noſtrorum notitiam* &c.

LXXXIX.

LXXXIX. Ad futuram rei memoriam. Processus excommunicationis, & suspensionis, hæresis, habitus contra Matthæum Vicecomitē, pro eo, quod citatus secundo tanquam suspectus de hæresi, comparere contumaciter recusavit. *Olim Matthæum de Vicecomitibus* &c. A

LXXXX. Ad futuram rei memoriam. Processus tam citationis, quam contumaciæ, habiti contra dictum Matthæum super impedimento per eum dato venientibus ad curiam. *Dudum frequentibus* &c.

LXXXXI. Ad futuram rei memoriam. Processus sententiæ excommunicationis habitus contra dictum Matthæum, pro eo quod citatus super talliis & exactionibus ecclesiarum, comparere contumaciter recusavit. *Dudum querelis gravibus* &c. B

LXXXXII. Ad futuram rei memoriam. Processus contra prælatos Mediolanenses adhærentes eidem Matthæo pro eo habiti, quod citati super ipsa fautoria, comparere contumaciter recusarunt. *Dudum in consistorio publico* &c.

LXXXXIII. Mandatur archiepiscopo Mediolanensi, & inquisitoribus hæreticæ pravitatis, quod procedant, tam contra Matthæum de Vicecomitibus, & ejus filios, ipsorumque fautores, quam contra Scotum de sancto Geminiano, & Franciscum de Garbinate. *Profanus hostis* &c.

LXXXXIV. Mandatur legato, quod publice nunciet dictum Matthæum & ejus filios, omnes & singulos, expressis eorum nominibus, in civitatibus, locis, & castris suæ legationis, diebus Dominicis & festivis, pulsatis campanis & candelis accensis, excommunicationis sententiam incurrisse: & quod nihilo minus procedat contra eos, tam apostolica, quam imperiali autoritate. *Profanus hostis* &c. C

LXXXXV. Mandatur eidem quod publicet in ecclesiis & locis suæ legationis concessionem indulgentiarum, impugnantibus prædictos Matthæum, ejusque filios. *Profanus hostis* &c.

LXXXXVI. Mandatur patriarchæ Aquilegiensi, & ejus suffraganeis, quod supersedeant a publicatione indulgentiarum concessarum impugnantibus Fredericum olim comitem de Monteferetro, Lippacium & Andream, & alios infra scriptos. *Profanus hostis* &c. D

LXXXXVII. Mandatur archiepiscopo Salzeburgensi, & ejus suffraganeis, quod faciant truncos seu arcas in singulis ecclesiis cathedralibus, collegiatis, seu parochialibus, suarum civitatum & diœcesum, ad reponendum pecuniarum subsidium offerendum impugnantibus. *Profanus hostis* &c.

LXXXXVIII. Mandatur eisdem, quod diligenter procedant in præmissis juxta prædictarum continentiam litterarum. *Profanus hostis* &c.

LXXXXIX. Mandatur legato, quod faciat constitui arcas seu truncos in singulis tam cathedralibus quam collegiatis & parochialibus ecclesiis suæ legationis & aliorum locorum, in quibus dictam indulgentiam duxerit publicandam. *Profanus hostis & impius* &c. E

C. Ad futuram rei memoriam. Ordinatio negotii vicecomitis Leomaniæ. *Terram sanctam* &c.

CI. Datur eidem licentia, quod recedat de curiâ. *Dudum ex certis* &c.

CII Absolvitur dictus vicecomes a quadam summa florenorum, quam legavit fel. record. Clemens PP. V. *Inter curas multiplices* &c.

Rubricæ quintæ partis cum principio cujusque processus.

I. Ad perpetuam rei memoriam. Privatio Hugonis Geraldi, olim execrati episcopi Caturcensis. *Divinis exemplis*, &c.

II. Ad perpetuam rei memoriam. Cassatio fratrum, qui Fratricelli, Birochi, seu Bechini nuncupantur. *Sanctam Romanam* &c.

III. Ad perpetuam rei memoriam. Privatio fratris Isnardi, olim patriarchæ Antiocheni, & administratoris ecclesiæ Papiensis. *Imperscrutabilis*, &c.

IV. Mandatur universis archiepiscopis, episcopis, & electis, ut capiant seu capi faciant Henricum de Sena, de ordine Minorum, & alios, qui cum eo confugerunt ad insulam Siciliæ. *Gloriosam ecclesiam* &c.

V. Ad perpetuam rei memoriam. Ordinatio, quod omnia publica instrumenta, quæ deinceps conficientur in civitate Beneventana, seu ejus tritu, vel districtu, bulla plumbea bullentur. *Affectus benevolentiæ specialis* &c.

VI. Ad certitudinem præsentium. Inhibitio, ne aliquis de provinciis Campaniæ & Maritimæ insurgat contra alium. *Ad hoc dignoscitur* &c.

VII. Mandatur rectori dictarum provinciarum, quod dictam inhibitionem publicet in ecclesiis, civitatibus, terris, castris, & locis ipsarum. *Ad hoc dignoscitur* &c.

VIII. Ad certitudinem præsentium. Inhibitio, ne aliquis præsumat facere confœderationes, seu ligas aliquas, contra provincias Campaniæ & Maritimæ, & earum annullatio. *Licet de cunctis provinciis*, &c.

IX. Mandatur rectori dictarum provinciarum, quod publicet prædictas inhibitionem & annullationem in ecclesiis & locis ipsarum provinciarum. *Licet de cunctis provinciis* &c.

X. Ad perpetuam rei memoriam. Inhibitio, ne populus seu commune civitatis Viterbiensis, eligat aliquem de seipsis vel aliunde ad regimen civitatis ejusdem absque licentia sedis apostolicæ. *Dierum* &c.

XI. Ad perpetuam rei memoriam. Constitutio, ne aliquis præsumat procedere, nec sententias aliquas promulgare, contra officiales aut nuncios sedis apostolicæ. *Matthæus de Potiman.* &c.

XII. Absolvitur G. de Balacto, archidiaconus Forojuliensis, apostolicæ sedis nuncius, a sententia excommunicationis lata in eum per inquisitorem hæreticæ pravitatis. *Ex tua insinuatione* &c.

XIII. Mandatur quod nuncient in locis quibus viderint expedire, ipsum archidiaconum a prædicta sententia absolutum. *Ex insinuationis assertione* &c.

CONCI-

Anno Christi 1317.

** CONCILIVM RAVENNATE IV.

CELEBRATVM BONONIÆ,

Anno Domini MCCCXVII. tempore Ioannis papæ XX.

TITVLI CAPITVLORVM.

PRÆFATIO.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

QVanta sint veneratione digna sacrorum conciliorum statuta, maxime Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini & Calchedonensis, quæ, sicut quatuor evangelia, suscipere & venerari tenemur, ac A sanctorum patrum aliorum concilia & statuta, qui Spiritu sancto illuminati fuerunt, nemo est qui ignoret. Cum igitur ab ipsis sanctis patribus, in ipsis sacris conciliis, inter cætera fuerit præordinatum & salubriter constitutum, provincialia concilia fieri debere, ut ea quæ correctione & reformatione egent, nullatenus negligantur, ita quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum observaretur adversum: idcirco nos Rainaldus permissione Divina, & apostolicæ sedis gratia, sanctæ Ravennatis ecclesiæ archiepiscopus, considerantes quod quamplures, maxime viri ecclesiastici, tum ex temporum tempestate, tum ex morum corruptione & levitate, tum ex elatio- B ne & vanitate, tum ex tenaci & avida cupiditate, tum ex crassa ignorantia & negligentia, tum ex superbia & irreverenti inobedientia, viam coheredum Christi circa gravitatem & honestatem, habitum & incessum ecclesiasticæ religioni condecentes, & quam fideles & catholici habere debent, exorbitabant: pro his, quantum Deus annuerit, reformandis, ad salutem animarum, quam vehementius zelamus pro Divina reverentia, catholicæ fidei unitate & honore, provinciale concilium circa hæc reformanda duximus convocandum & congregandum apud Bononiam. In quo, primo constitutiones editas & promulgatas per bonæ memoriæ fratrem Latinum, tunc apostolicæ sedis legatum in his partibus, & alias per fratrem Bonifa- C cium prædecessorem nostrum, Forlivii, & nos Ravennæ & Argentæ in provincialibus conciliis legi fecimus: ac deinde, ipso sacro approbante concilio, constitutiones infra scriptas duximus statuendas.

CAPITVLA.

Quod episcopus ponat œconomum ad custodiam rerum vacantium ecclesiarum.

Rubrica I.

CVm ecclesiarum vacantium proventuum & redditaum, ac bonorum ipsorum, dispositio ad eorum ordinarios de jure D pertineat: proinde duximus statuendum, quod vacanti ecclesiæ statim per ipsius episcopum œconomus debeat deputari diligens & discretus, qui redditus & proventus ac bona ipsius colligat & conservet, ad ejusdem ecclesiæ & successoris defuncti rectoris ipsius utilitatem & statum. Prohibentes districte canonicis, clericis, seu patrono ecclesiæ sic vacantis, quod de redditibus & proventibus, ac bonis ipsius ecclesiæ, se intromittere vel disponere nullo modo præsumant, nec œconomum, ut prædiximus, ibidem per ipsum deputandum impediant vel E molestent, quo minus sibi injunctum officium libere exequatur: nec aliter alicui eorum competat de consuetudine approbata, vel privilegio speciali. Quod si secus iidem canonici, vel clerici, seu patroni agere præsumpserint: eosdem canonicos, & clericos, ac patronos, præsentis autoritate concilii, privamus illa vice jure eligendi, seu præsentandi: decernentes electionem, seu præsentationem secus & aliter attentatam, ipso jure nullius esse momenti.

II.

ANNO CHRISTI 1317.

Quod nullus præsumat in spiritualibus ministrare, nisi prius ab episcopo loci sibi fuerit animarum cura commissa. Rubrica II.

Cum de jure nullus sacerdos alteri subditum, sine sui superioris commissione seu licentia, solvere valeat, vel ligare, nos quamdam consuetudinem, seu potius abusionem, animarum plenam periculis (quod videlicet sacerdotes aliqui per nonnullos prælatos sæculares seu regulares, quibus in certis ecclesiis parochialibus rectorum institutio de consuetudine competit, in eisdem ecclesiis B instituti, sine sui episcopi autoritate, commissione, vel licentia parochialis ecclesiarum ipsarum, qui ipsius episcopi subditi esse noscuntur, præsumunt solvere & ligare, in suarum præjudicium animarum) cupientes penitus extirpare, hoc sacro approbante concilio, sub privationis & excommunicationis pœnis, inhibemus sacerdotibus memoratis, quod nullo modo præsumant in ecclesiis, in quibus modo prædicto, & per prædictos fuerint instituti, in spiritualibus ministrare, nisi prius ab episcopo loci, prout jura volunt, eis cura commissa fuerit animarum, de quibus idem episcopus tenetur Christo reddere rationem, tanquam de ovibus sibi commissis.

Quod quilibet se faciat promoveri infra annum ad ordinem, quem requirit beneficium suum. Rubrica III.

Solicite pensantes, quantum officii pastoralis debitum prælatos adstringat curis solicitis & continuis intendere, & per remedia salubria providere, in iis præcipue, per quæ D saluti animarum consulitur & providetur: & quod parum est jura condere, nisi sit qui ea mandet executioni. Volentes igitur Pictaviense concilium innovare, & debitæ executioni demandare, statuimus & ordinamus, hoc sacro approbante concilio, & nihilo minus in virtute sanctæ obedientiæ monemus, & peremptorie, quod abbates, decani, archipresbyteri, præpositi, seu quocumque alio nomine censeantur, ad ordi- E nem sacerdotalem se faciant promoveri; archidiaconi vero, ad ordinem diaconatus; inferiores autem beneficiati in ecclesiis nostræ provinciæ Ravennensis instituti, ad ordines sacros, secundum quod unus (munus) cujuscumque beneficii requirit, infra annum se faciant promoveri. Si qui vero prædictorum animo indurato promotionem suam distulerint, & hanc nostram monitionem, statutum & ordinationem adimplere neglexerint: autoritate præsentis concilii, ipso jure sint privati omnibus beneficiis sacros ordines requirentibus, pro quibus promoveri

A tenebantur, quæ obtinent in nostra provincia; nisi cum eis, vel aliquo eorum prædictorum fuerit dispensatum, vel in futurum dispensetur; vel nisi justo impedimento detenti fuerint, quo minus promoveri potuerint: & tunc impedimento cessante, procurent, quam cito poterunt, se ad ordines, ut præmittitur, facere promoveri. Ut autem hoc salubre provinciale statutum, levius & plenius debitum sortiatur effectum, & prætextu ignorantiæ, quantumcumque crassæ, non possint inobedientes, desides, & negligentes, aliqualem prætendere excusationem: adjicientes, statuimus & ordinamus, quod quilibet episcopus sanctæ Ravennatis ecclesiæ suffraganeus, teneatur infra sex menses synodum celebrare, in qua quidem hoc salubre statutum legi faciat. Et denuo omnes, ut supra præmittitur, suæ civitatis & diœcesis moneat & inducat, cum prædicta pœna, ad ordines sacros recipiendos. Item quod in dicta synodo declarent, omnes rectores præsentes & futuros parochialium ecclesiarum quæ curam animarum habent, nec sunt collegiatæ, non promotos ad C ordinem sacerdotalem, infra annum a jure statutum in concilio Lugdunensi, ipso jure fore privatos, nisi cum eis fuerit dispensatum, vel in futurum dispensetur: etsi de novo electi fuerint ad easdem ecclesias, cum hæc sint contra constitutionem bonæ memoriæ Bonifacii papæ octavi. Quos rectores & nos privamus, seu privatos declaramus, autoritate præsentis concilii. Si qui vero in futurum dignitates vel beneficia similia adepti fuerint, teneantur se promoveri facere infra annum ad sacros ordines, secundum quod requirit onus suæ dignitatis vel beneficii: alioquin sint privati ipso jure, autoritate præsentis concilii, beneficiis omnibus, pro quibus promoveri tenentur, quæ in nostra obtinent provincia, nisi & cum talibus dispensetur per superiorem suum.

De vita & honestate clericorum, & ornatu eorum. Rubrica IV.

Quoniam sacerdotium ex indisciplinatione populi apparet non sanum, & propter lascivas dissolutiones clericorum & religiosorum detrahitur Divino honori & ordini clericali, populique minus ex hoc fiunt devoti, in tantum, ut etiam jura ecclesiarum retinere, & alii quandoque temerarie invadere non vereantur, cum incessus, habitus, & vestimenta clericorum & religiosorum, in gravitate, forma, ac colore, distincta sæpius non videantur ab habitu laicorum, quemadmodum esse deberent: proinde statuimus & mandamus, sacro approbante concilio, pro

 hone-

ANNO CHRISTI 1317.

honestate ordinis clericalis, quod nullus religiosus, vel clericus portet arma, nec vestimentum alterius coloris, quam a jure permissi: quæ desuper clausa sint atque talaria. Coronam etiam condecentem portent, per quam designetur regalis esse generis, & sperare se debere assequi partem hereditatis Divinæ: quæ scilicet sit rotunda: & ita tonsi sint inferius, quod aures pateant, ita quod si in sacris fuerint, aut beneficiati in ecclesia cathedrali vel collegiata venerabili, secundum conditionem sui status portent latiorem: alii vero mediocrem vel minorem, suis statibus condecentem. Capita cooperiant pileo, vel bireto, vel armutia oblonga ad aures. Laicorum convivia non frequentent. In domibus ecclesiarum studeant habitare. Prælati, sacerdotes, & alii in dignitatibus vel personatibus constituti, ac canonici cathedralium ecclesiarum in sacris ordinibus constituti, sacerdotes & rectores ecclesiarũ civitatum & suburbiorum, per civitatem incedentes, decentem habitum portent, videlicet cappas, chlamydes, vel tabardos. Sacerdotes vero extra civitatem & suburbia, & alii in sacris ordinibus constituti, saltem tabardos talares, seu condecentes portent. In ecclesiis vero utantur cappis, vel cottis albis. Loca turpia nullo modo ingrediantur, nec tabernas, nisi forte in necessitate in itinere constituti, pro cibo vel potu, vel hospitio, compellantur intrare. Tabernas, merces illicitas, aut personas suspectas, in ecclesiis, vel domibus ecclesiarũ quæ sint intra claustrum vel ad usum clericorum vel ministrorum deputatæ, seu in domibus contiguis ipsi ecclesiæ, nullo modo permittant teneri vel commorari. Si quis autem inventus fuerit arma portare cujuscumque generis, pœnam incurrat 40. solidorum Ravẽnatum. Si vero habitum vel tonsuram incongruentem portaverit, 40. solidorum pœnam incurrat. Si autem ingressus fuerit tabernas, nisi sit in itinere constitutus; vel merces illicitas contraxerit emendendo vel vendendo, per se vel alium, præsertim si vinum vendiderit, vel vendi fecerit, vel passus fuerit, quod in dictis domibus quoquo modo vendantur, videlicet in domibus ecclesiarum, in quibus ministri ecclesiæ consueverunt habitare, vel aliter ipsis ecclesiis contiguis, pœnam 10. librarum incurrat. Et eamdem pœnam incurrant tenentes mulieres suspectas in domibus prædictis, vel teneri facientes. Idem & si teneri, vel habitare patiantur. Si quis vero sine cappa, vel saltem cotta alba, interfuerit Divinis officiis, pœnam quinque solidorum se noverit incurrisse: & eandem pœnam incurrant non portantes chlamydem vel tabardum, incedendo per civitatem: nisi evidens paupertas rationabiliter aliquem vel aliquos excusaret. Et similem pœnam incurrant convivia laicorum frequentantes, & alii qui capitibus discoopertis incedunt, vel incedent. Quas pœnas declaramus clericos sæculares tantum incurrere, & eas teneantur prælati eorum exigere, in usus pauperum convertendas: nec ipsis ullo modo remittere* possit, cum hoc statuatur in favorem ecclesiasticæ honestatis. Si vero fuerit religiosus, qui in prædictis, vel in aliquo prædictorum delinquat, jejunet bis in hebdomada in pane & aqua, publice cum fratribus comedendo, & sedendo in terra. Quam pœnitentiam si non inchoaverit infra mensem, & inchoatam non perfecerit, eum ex nunc capituli voce privamus, & ultimum in choro volumus eum esse. Et hanc pœnam patiatur, quousque dictam pœnitentiam inchoaverit, & inchoatam perfecisse noscatur. Et nihilo minus contra facientes privati sint ipso jure privilegiis & favoribus concilii hujusmodi, & omnium aliorum conciliorum provincialium: quia frustra legis implorat auxilium, qui committit in legem. Omnes autem alias constitutiones nostras & prædecessorum nostrorum provinciales, positas sub titulo, *De vita & honestate clericorum*, cassamus & irritamus, & eas nullius momenti esse volumus, & præsẽtem solummodo constitutionẽ remanere in sui roboris firmitate.

* f. possint.

Quod nullus de cætero recipiatur in canonicum cathedralis ecclesiæ, vel in monachum, seu fratrem alicuius monasterii, seu regularis ecclesiæ, sine licentia speciali sui ordinarii. Rubrica V.

Quoniam experientia docente, quæ rerum est efficax magistra, manifeste cognovimus, ut plurimum personas insufficientes, illitteratas, & alias indignas, ad ecclesiastica beneficia obtinenda, institutas in ecclesiis & monasteriis nostræ provinciæ Ravennatis: ad hæc necessitate quadam urgente illos, ad quos spectat electio seu receptio canonicorum & monachorum in dictis ecclesiis & monasteriis, hoc sæpius inducente nimia laicorum importunitate, interdum affinitate aliqua seu consanguinitate, vel alias singulari & inordinata dilectione, quæ sæpius homines inducunt, ut omisso rationis judicio, carnalitatis sequantur affectũ, & dignis prætermissis, indignos ad honores ecclesiasticos assumant, ex quibus plurima damna proveniunt ecclesiis, & Divinus cultus minuitur, quem summopere desideramus augeri. Cupientes igitur huic pestifero morbo quãtum possumus obviare, & de salubri remedio ecclesiis & monasteriis providere: præsenti approbante concilio, statuimus & ordinamus, quod de cætero nullus instituatur vel recipiatur in fratrem & canonicum alicujus cathe-

cathedralis ecclesiæ vel collegiatæ, vel monachum alicujus monasterii, vel canonicum regularem, sine licentia speciali ordinarii loci ac metropolitani, si videatur opportunum ordinario loci, super quo conscientiam ipsius oneramus. Decernentes ex nunc, prout ex tunc, irritum & inane, quidquid contra factum fuerit, seu attentatum. Hoc autem statutum durare volumus usque ad triennium, seu sequens concilium: infra quod æstimationes bonorum & redditTuum fient, ita quod pro eorum facultatibus competens numerus ministrantium poterit taxari & statui, prout jura requirunt.

Quod nullus recipiatur in aliquo monasterio, seu regulari loco, per potentiam laicorum.

Rubrica VI.

Plerumque contingit, quod propter minas & potentiam laicorum, nonnulli religiosi prælati nostræ provinciæ coguntur indebite nonnullos in suorum locorum fratres recipere, vel conversos, ex quo prælatis ipsis & eorum locis gravamina multa provenire noscuntur. Cupientes igitur laicorum in hac parte temeritates excludere, prædictorum prælatorum ac ipsorum locorum indemnitatibus providere: hoc sacro approbante concilio, provide duximus statuendum seu declarandum, quod modo prædicto recepti in fratres seu conversos quorumcumque locorum, ad eligendum tam active, quam passive fiant inhabiles: nec ad tractatus quoslibet admittantur, nec eisdem in vestimentis per locorum prælatos modo aliquo debeat provideri. Quod & in receptis in monialium monasteriis modo prædicto volumus habere vigorem.

De denunciatione fienda metropolitano de beneficiis vacantibus, ad eum devolutis.

Rubrica VII.

Quoniam ex diutina vacatione damna plurima in spiritualibus & temporalibus ecclesiis solent provenire, sicut jura testantur, & rerum experientia manifestat: volentes itaque juxta debitum officii nostri ecclesiis in provincia Ravenn. constitutis, contra dispendiosas vacationes, de salubri remedio providere, hortamur in Domino omnes fratres coepiscopos nostros, præsentes & absentes, ac alios inferiores prælatos & clericos, cujuscumque status & gradus vel conditionis existant, quatenus pro Dei honore & salute animarum suarum & populi, salubriter & celeriter vacantibus ecclesiis de personis idoneis providere procurent, ne lupus rapax gregem Dominicum invadat, & bona dilapidentur. Nihilo minus, sacro approbante concilio, statuentes, quod si quando contingat propter desidiam seu

A negligentiam, ad nos collationem dignitatis alicujus vel beneficii seu præbendæ cum cura devolvi, teneantur prælatus & capitulum & clerici ecclesiæ, in qua dignitas, beneficium vel præbenda hujusmodi tanto tempore vacaverit, quod ad nos sit collatio devoluta, infra mensem a tempore scientiæ devolutionis hujus, hoc nobis intimare, seu vicario nostro, nobis in remotis agentibus: ne, quod absit, ecclesiæ diu maneant desolatæ, & nos nostro defraudemur desiderio. Illud idem statuimus circa fratres coepi-
B scopos omnes provinciæ Ravennatis suffraganeos, quando de ipsis ad capitula collatio devolvetur. Quod & de patronis autoritate eadem volumus & statuimus intelligi debere. Negligentes & remissi hoc salubre statutum adimplere, & sequenti concilio arguantur, & pœna debita castigentur.

Quod certus canonicorum numerus statuatur in ecclesiis cathedralibus & collegiatis, ubi non est ab antiquo statutus. Rubrica VIII.

Etsi deceat, & satis consonet rationi &
C juri, quibuscumque clericis collegiatarum ecclesiarum certum & determinatum numerum habere clericorum, tanto magis canonicis cathedralium ecclesiarum hoc competit, quanto tãquam caput aliorum in seipsis debent ostendere, qualiter inferiores in domo Dei conversari debeant: non plures in quibuscumq; ecclesiis debent institui, quam ex bonis ipsarum vivere possint: hoc maxime in cathedralibus servari debet, ne propter inordinatam constitutionem cogantur ipso-
D rum canonici, in opprobrium totius cleri, miserabiliter mendicare. Volentes ergo inordinatis receptionibus factis & fiendis in provincia nostra, quantum possumus providere, hoc sacro approbante concilio, statuimus & ordinamus, quod ubicumque in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis determinatus est numerus canonicorum vel clericorum, statuto vel consuetudine, ille servetur, nec augeatur quocumque quæsito colore, nisi justa de causa & de licentia ordina-
E riorum suorum. Ubi autem numerus certus determinatus non est, præcipimus statui & firmari, juxta facultatem ecclesiarum, & ... infra sex menses a publicatione constitutionis præsentis numerandos. Sed quia non est reprehensibile judicandum, sed laudãdum, si secundum varietates temporum varientur etiam humana statuta, & sæpius sit inveniri, quod ecclesiæ antiquo numero canonicorum statuto gravantur: idcirco statuimus, quod si aliquæ ecclesiæ collegiatæ vel cathedrales inveniantur antiquo statuto numero in præsenti rationabiliter prægravari, volumus, quod canonici ipsarum ecclesiarum, de licẽtia suorum ordinariorum, seu

ipsi ordinarii, ubi ad eos solos spectat, reducant seu statuant talem numerum juxta facultatem ipsarum ecclesiarum: ita quod cedentibus vel decedentibus canonicis, nullus de novo, loco cedentis vel decedentis instituatur, quousque pervenerit ad numerum sic ab antiquo statutum, vel de novo statuendum. Et quia nonnulli tam episcopi quam alii provinciæ nostræ, præteriti & præsentes, ut fide dignorum relatione audivimus, ecclesias cathedrales vel collegiatas, quarum institutio vel ordinatio ad eos spectabat, vel ad se spectare prætendebant, de consuetudine vel privilegio, aggravant & aggravarunt indebito & inordinato numero clericorum, & tali, quod nullo modo ecclesiæ prædictæ sic institutis & ordinatis in necessariis providere potuerunt, nec possũt: quod cedit in vituperium, nedum eorum, sed totius cleri: & cum tales clerici non possint ecclesiis deservire, & cogantur quodammodo mendicare: idcirco volentes tali morbo debitam adhibere medelam, statuimus & ordinamus, quod nec episcopi, nec alii, possint vel debeant in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, vel aliis, in quibus institutio vel ordinatio ad ipsos noscitur pertinere, aliquem vel aliquos ultra numerum præsentem de novo instituere sine licentia sui superioris: & si contra fieret, sit irritum ipso jure. Volumus etiam, & eis præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, quod numerum sic ordinatum in prædictis ecclesiis sic institutum redigere debeant ad debitum congruentem numerum. Et quia qui altari servit, de altari vivere debet, & qui ad onus eligitur, a mercede repelli non debet: statuimus & ordinamus, quod prædicti ordinatores, deficientibus propriis redditibus ecclesiarum, in quibus indebitam ordinationem fecerint, in futurum teneantur sic institutis per ipsos, residentibus in ecclesiis in quibus instituti sunt, ipsis ecclesiis in Divinis & aliis deservientibus, necessaria procurare, & tam in victu, quam in vestitu & aliis necessariis, juxta earum exigentiam facultatum.

De clericis non residentibus. Rubrica IX.

Quorundam clericorum desidiam & periculosam negligentiam radicitus extirpare volentes, qui in eorum ecclesiis residere negligunt, in grave præjudicium animarum ipsorum, & scandalum plurimorum, propter quod ecclesiæ sæpius Divinis defraudantur officiis, cultusque Divinus minuitur, quem sũmo cordis desiderio augeri desideramus: hoc sacro approbante concilio, citamus & requirimus, & monemus omnes clericos nostræ provinciæ, cujuscumque ordinis, dignitatis & status & conditionis existant, quatenus infra sex menses, a die præsentis citationis, monitionis & requisitionis numerandos, quorum duos pro primo, duos pro secundo, reliquos duos pro tertio peremptorio eis assignamus, redire debeant ad continuam residentiam faciendam in eorum ecclesiis: eodem sacro approbante concilio statuentes & ordinantes, quod si quis, vel si qui clerici absentes hanc nostram monitionem contempserint, vel in futurum se absentaverint ab eorum ecclesiis, ultra quindecim dies, sine speciali petita licentia & obtenta ab ordinario loci vel ejus vicario, ipso ordinario extra civitatem agente, ipso jure sint privati beneficiis omnibus quæ in nostra provincia obtinent, nisi per superiorem super iis fuerit cum eisdem misericorditer dispensatum.

De quotidianis distributionibus. Rubrica X.

Quia parum est jura condere, nisi executioni debitæ demandentur, & per bonæ memoriæ fratrem Bonifacium prædecessorem nostrum, in concilio per ipsum Forlivii celebrato, inter cætera statutum extiterit, quod ubi statutæ non essent in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis quotidianæ distributiones, in synodis proxime faciendis per singulos suffraganeos Ravennatis ecclesiæ proinde statuerentur, ut per hoc ipsis ecclesiis singulis horis in Divinis melius serviretur; & attendentes patres coepiscopos nostros in executione constitutionis prædictæ ut plurimum hucusque negligentes fuisse: volentes igitur dictam constitutionem tanquam rationabilem executioni debitæ demandare, hoc sacro approbante concilio statuimus & ordinamus, quod quilibet suffraganeorum nostrorum sub pœna inobedientiæ teneatur sic providere, quod in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis, dictæ quotidianæ distributiones fiant, & mensa communis deputetur: vel ubi dictæ distributiones seu mensa commode ordinari non possent, sic per eosdem ordinarios provideatur, quod decenter & devote in Divinis officiis ecclesiis ipsis deserviatur: ut sic cultus Divinus non minuatur, sed potius, ut cupimus, augeatur. Si quis autem suffraganeorum prædicta non observaverit, pœnam statutam contra transgressores canonum poterit formidare, & nihilo minus in sequenti concilio durius increpetur.

De censibus & collectis imponendis. Rubrica XI.

Cum imponendis & exigendis collectis talis modus & divisio debeat observari, ut nulla ecclesia, seu ecclesiastica persona, se indebite prægravari ex iis rationabiliter conqueri possit; ac sæpe contingat dominos suffraganeos ecclesiæ Ravennatis debere Ravennatem ecclesiam visitare pro festivitatibus sanctorũ martyrum Apollinaris, Vitalis, vel aliis

alijs ex causis in provincia emergentibus a nobis evocari; quos non oportet, pro factis provinciæ, propriis stipendiis militare: volentes hoc adhibere remedium opportunum, statuimus & ordinamus, hoc sacro approbante concilio, quod quilibet episcopus nostræ provinciæ, in civitate & diœcesi sua, & de consensu cleri ad hoc specialiter convocati, personas sufficientes & idoneas deputet & ordinet infra tres menses a publicatione præsentis constitutionis, quo omnes redditus & proventus ecclesiarum omnium, monasteriorum & aliorum locorum religiosorum, cujuscumque status vel conditionis existant, discutiant & examinent diligenter, & describant seu describi faciant per publicum notarium, justam æstimationem & debitam unicuique ecclesiæ imponentes: & hoc in monasteriis, prioratibus, ecclesiis, seu locis ecclesiasticis aliis, ubi a decem annis citra non est facta æstimatio ante dicta. De qua quidem taxatione & æstimatione teneatur quilibet episcopus, ad expensas cleri sui, per scripturam publicam archiepiscopali curiæ facere fidem infra tres menses, ex quo dicta æstimatio facta fuit. Secundum quam æstimationem & taxationem statuimus & ordinamus, omnia onera nostræ Ravennat. [ecclesiæ] provinciæ imminentia ad præsens, vel in futurum, debere dividi & partiri inter prælatos & clerum Ravennatis provinciæ. Idem modus etiam & divisio per ipsos observetur in dividendis & distribuendis oneribus specialiter impositis clero suæ civitatis & diœcesis. Circa venerandos quoque patres & coepiscopos nostros ducimus statuendum, volentes parcere gravaminibus subditorum: quod si quando eos laborare contingat, pro factis provinciæ Ravennatis, quindecim equitaturis seu evectionibus ad plus sint contenti, & minus, ut minores non doleant, & juste conqueri possint, se indebite prægravari: & ipsorum procurationibus 12. solidos Bononienses pro quolibet equo; pro palafreno vero domini, unum florenum auri pro qualibet legali dieta, seu die quo laboraverit, taxamus. Si vero pro præfatis causis contingeret abbates & prælatos aliquos, seu canonicos cathedralis ecclesiæ, aut clericos, laborare: abbatibus & prælatis, quatuor equos; canonicis ecclesiæ cathedralis, tres; clerico vero, unum taxamus. Et pro unoquoque equo 10. solidos Bononienses habere debeant a clero, & non ultra: & in hoc sint taciti & contenti. Clericus vero sive laicus, qui sine equo mitteretur a clero, seu iret occasione cleri: sex solidos Bononienses pro qualibet competenti eis dieta taxamus.

De celebratione Missarum. Rubrica XII.

Etsi, propheta testante, doceamur psallere Deo, & singulis horis psallere sapienter: multo fortius hoc debemus attendere, quando Missa præsertim solenniter celebratur, ubi angelicæ hierarchiæ invocantur, & in tali tanto mysterio, ut sancti testantur, assistunt, debemus voce, spiritu, & mente psallere, humiliter & devote. Cum igitur Missa in aliqua ecclesia nostræ provinciæ in nota celebratur, debent omnes, maxime sacerdotes & clerici in ecclesia ipsa, quantum possunt, assistere celebranti, ac omnis clamor, strepitus & tumultus, in eadem ecclesia conquiescere. Quidam vero non debito modo considerantes prædictam Missam quę in nota cantatur, irreverenter prætereunt, se sacris induere, Missas uno concursu cum sacerdote celebrare volentes, ex quo populorum concursus ac pedum strepitus per ecclesiam fit cum quodam sonoroso clamore: & sic Missa quæ celebratur in nota, per indirectum quodammodo impeditur, seu minus devote attenditur. Volentes igitur huic indiscreto actui necessariam adhibere medelam, sacro approbante concilio, monemus omnes sacerdotes tam sæculares, quam regulares nostræ provinciæ, atque statuimus, quatenus cum Missa celebratur in nota in aliqua ecclesia, nullus alius sacerdos Missam celebret in eadem, donec Missa præfata fuerit plene completa. Qui autem contra fecerit, sui ordinarii arbitrio puniatur, ac durius increpetur: pœnas etiam contra inobedientes latas merito poterit formidare.

Quod nullus archipresbyter, præpositus, vel prælatus inferior episcopo, possit in ecclesiis sibi subjectis inquisitiones formare, accusationes admittere, vel ad privationem procedere contra clericos earumdem ecclesiarum. Rubrica XIII.

Quia nonnulli abbates, priores, præpositi, archipresbyteri, & alii ecclesiarum inferiores pręlati, prout est huic sacro concilio intimatum, contra rectores & clericos ecclesiarum subjectarum prelatis eisdem, ordinario jure, inquisitiones formant, accusationes admittunt, ac ad privationē & pœnas alias procedere non verentur; & per hoc, tam juri communi, quam pontificali dignitati plurimum detrahunt: statuimus pręsentis autoritate concilii, quod nullus abbas, prior, prępositus, archipresbyter, seu alius prælatus inferior episcopo, contra rectores seu clericos ecclesiarum subjectarum eisdem, inquisitionem formare, accusationem admittere, vel ad privationem procedere quoquo modo præsumant. Decernentes irritum & inane quidquid contra hoc statutum

ANNO CHRISTI 1317.

tum per talem fuerit attentatum, nisi de speciali privilegio, vel consuetudine legitime præscripta, eis hoc competere dignoscatur. Ordo namque ecclesiasticus confusioni pateret, si pontificalis jurisdictio non servaretur.

De Iudæis. Rubrica XIV.

Quamquam Iudæi per ecclesiam tolerentur, non tamen debent in fidelium detrimentum, seu grave dispendium, tolerari: quod sæpius Christianis accidit, pro gratia contumeliam, & pro familiaritate contemptum reddendo. Ideoque olim provinciale concilium Ravennæ celebratum, considerans ex ipsorum cum Christianis permixta conversatione multa scandala provenisse, statuit, ac perpetua stabilitate firmavit, quod ipsi rotam panni crocei coloris in vestibus superioribus, ac mulieres ipsorum consimilem rotam in capite deberent portare, ut sic a Christianis possent discerni: & quod ad habitandum alicubi ultra mensem recipi non deberent, nisi in locis, in quibus obtinent synagogas. Sed quia nonnulli nescientes a vetitis abstinere, statutum salubre præfati concilii vilipendunt, ignorantia affectata: pœna docente poterunt cognoscere, quam sit grave constitutiones ecclesiasticas præterire. Ideoque sacro approbante concilio, volentes huic morbo salubriter providere, monemus omnes tam clericos, quam laicos nostræ provinciæ, atque statuimus, quatenus nullus de cætero locet domos ipsis Iudæis, nec locatas dimittat, aut vendat, seu quocumque colore concedat, vel inhabitare permittat ultra duos menses a publicatione præsentis constitutionis. Qui vero contra fecerit, ipso facto excommunicationis incurrat sententiam, a qua absolvi non possit, nisi plene satisfecerit in prædictis.

Anno 1311. c. 23.

De cautione recipienda ab usurariis, & de pœnis recipientium usurarios ad ecclesiastica sacramenta, seu sepulturam. Rubrica XV.

Vsurarum voraginem utriusque testamenti pagina reprobatam, in nostra provincia reprimere cupientes, denunciamus, seu declaramus, hoc sacro approbante concilio, omnes usurarios manifestos, donec de usuris, prout patiuntur facultates eorum, plenarie satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum idoneam præstent cautionem, fore communione altaris & ecclesiastica sepultura privatos; eorumque oblationes recipi non debere, nec ipsos absolvi posse; testamenta quoque ipsorum non valere, sed esse irrita ipso jure. Omnes etiam, qui hujusmodi usurariis communionem altaris, ac corpus Christi tradiderint, aut eos ad ecclesiasticam admiserint sepulturam, donec ad arbitrium ordinarii loci satisfecerint, ab officii sui executione decernimus seu declaramus esse suspensos. Adjicientes, ut pœnæ hujusmodi subjaceant omnes, qui tales usurarios absolverint, aut ad communionem altaris admiserint, sive testamentis aut sepulturæ interfuerint eorumdem. Tabelliones quoque de mutuis & contractibus usurariis, vel in fraudem usurarum initis, instrumenta conficientes, vel recipientes scienter, quibus usurarii pœnis subjaceant ipso facto. Cæterum in recipienda ab usurariis pœnitentibus, de usuris restituendis, cautione prædicta, hanc haberi volumus & observari cautelam: ut ante omnia per confessionem usurarii, vel per librum, vel libros rationum ejus, aut per testes sive instrumentum, vel aliquo alio modo, fiat certa & manifesta, si poterit, receptarum quantitas usurarum, non earum tantum, quæ ab incertis, verum etiam quæ sunt a certis universitatibus & personis extortæ. Si vero id non sit possibile, arbitretur & moderetur quantitatem hujusmodi is, qui ex vigore præsentis constitutionis recepturus fuerit cautionem hujusmodi, secundum rectam conscientiam, ex fama, seu vicinorum testimoniis, aut ex conjecturis aliis verisimilibus informandam. Vbi vero per postas libri usurarii non apparuerit, per petentem sibi usuras restitui, de usuris solutis, si petens habuerit instrumenta originalia, vel exemplaria sumpta de originalibus communis civitatis, vel loci illius, in quo contractum fuerit debitum mutui recepti ab usurario, aut alterius obligationis cum illo contractæ, vel cum alio pro eodem, & instrumentũ solutionis, seu liberationis, vel confessionis, solutio usurarum præsumatur & judicetur: & ipso mutuo, vel obligatione, a die contracti debiti seu obligationis, usque ad diem instrumenti confecti solutionis: & ab illo extorsisse usuras, tot denarios pro libra singulis mensibus, quot declarare voluerit diœcesanus episcopus, aut ejus vicarius, vel pœnitentiarius, si ipse usurarius in dicta cautione non declaravit & dixit, quot denarios accipiebat pro libra mensibus singulis. Quando autem solutionis instrumentum aut scriptura non apparuerit, tunc judicetur, usuras per sex menses usurarium extorsisse ab illo, ex illo mutuo, seu obligatione, secundum rationem & taxationem prædictam, pro mense quolibet: dummodo appareat per postas libri, vel alio modo legitimo mutuum, vel obligationem fuisse contractam. Quo facto, promittat solenniter, & juret usurarius ei qui, ut * permittitur, hanc receperit cautionem curiæ ordinarii loci, ubi

* *f. præmittitur,*

ubi usurarius fuerit, omnium quorum interest vel intererit nomine, quod ipse, si poterit, per seipsum, vel alium seu alios, & in præsentia vicarii ordinarii prædicti, vel ejus pœnitentiarii, vel alterius de curiæ licentia, sine difficultate qualibet, de usuris a se receptis, & a patre suo, cæterisque personis, quorum hereditas ad ipsum pervenerit, & de aliis male ablatis, & illicite acquisitis per usurariam pravitatem, usque in quantitatem æstimatam, & etiam majorem, si de majore constiterit, satisfaciet eis, a quibus eas ipse, vel illi receperunt, aut eorum heredibus, si potuerint reperiri: & residuum, de quo, cui restitui debeat, non constabit, ordinario, vel vicario, seu pœnitentiario ipsius ordinarii libere assignabit, pauperibus erogandum, juxta ordinarii arbitrium, sine strepitu judicii, & figura. Et quod nihil dicet, vel allegabit, vel faciet per se, sive per alium, propter quod ipsius curiæ processus, sententiæ, vel præcepta impediantur, aut quomodolibet retardentur circa ipsarum usurarum & illicite acquisitorum modo prædicto restitutionem: speciali pacto se, & suos heredes, & bona obligans ad prædicta, & renuncians expresse, specialiter & generaliter omnibus exceptionibus, juribus & defensionibus, secundum libitum, & expressionem recipientis hujusmodi cautionem. Sed pro his attendendis, & restitutione, & assignatione, ut præmittitur, faciendis, obliget omnia bona sua, illa se constituens precario nomine dictæ curiæ possidere: omnimodam licentiam concedens, & liberam potestatem ipsi curiæ, & recipienti cautionem prædictam, pro ea, apprehendendi, distrahendi, & alienandi de ipsius bonis libere ac impune, autoritate propria, & contradictione non obstante cujusquam, quidquid & quantum, & ubi voluerit ipsa curia, usque ad integram restitutionem & satisfactionem prædictorum. Et eorum occasione renunciet etiam usuris, & sibi promissas remittat, ac juramenta sibi pro eis solvendis, vel non recipiendis, seu repetendis, præstita, relaxet, reddat, aut saltem reddere promittat: & juret, quod libros & quaternos rationum suarum, & instrumenta usuraria quæ habebit, vel habere poterit, absque dolo vel fraude, diminutione sive subtractione, ordinario, vel ejus vicario, seu certo nuncio, dabit & consignabit per se vel alios, pro eodem. Assignet etiam pecuniam quam habet, vel faciat depositum, si poterit, ad arbitrium ordinarii, seu vicarii, vel pœnitentiarii ipsius: quod quidem in cautione ipsa venire censemus. Damnet etiam heredes suos futuros, sub pœna hereditatis amittendæ, ad eadem facienda: ipsi heredes, si præsentes fuerint, eadem se facturos sub pœna & sub

A religione promittant & jurent. Det præterea, si poterit, pignora, vel saltem fidejussores idoneos, qui ad prædicta eodem modo, & sub eisdem pœnis & tenoribus obligent principaliter se & sua, constituentes se principales debitores in prædictis, renunciantes epistolæ divi Hadriani, beneficio novarum constitutionum de fidejussoribus, & omni alii defensioni & juri, ad arbitrium recipientis cautionem eamdem, ex pacto speciali, præstantes simile juramentum. Hæc autem præcipimus fieri coram sacerdote parochiali, & testibus fide dignis ac notario publico, B de ordinarii, vel vicarii, aut pœnitentiarii ipsius mandato, qui recipiat prædictas promissionem & obligationem, renunciationem & cautionem, & cætera supradicta, de his conficiens instrumentum. Denique cautionem ipsam per singulas ordinariorum diœceses, ubi ordinarius vel ejus vicarius præsens non adesset, recipiat rector parochialis ecclesiæ, in qua usurarius habitabat, vel notarius publicus in sacerdotis defectum, qui infra mensem teneatur hoc denunciare loci ordinario vel ejus vicario. C In civitate vero nullus omnino absque ordinarii vel vicarii, seu pœnitentiarii ipsius licentia speciali, nisi forte parochialis sacerdos, ubi non poterit requiri ad hæc cura ordinarii, superveniente subito casu mortis, de illa recipienda se intromittere præsumat: alioquin pœnam 10. librarum Ravennatum incurrat, absque satisfactione debita minime relaxandam. Illos namque, quoad prædicta, declaramus usurarios manifestos, de quibus per parochiam quam inhabitaverint, vel ubi morarentur, fama fuerit extorsisse usuras, vel ipsorum confessione, aut per D idonea argumenta seu alio modo legitimo apparebit. Constitutionem quoque præsentem omnes parochialium ecclesiarum rectores, etiam si collegiatæ fuerint, habeant, legant & intelligant: usurariorum pœnas prædictas frequentius in suis ecclesiis publicantes, & suas cautius evitantes, si Divinam & nostram effugere cupiunt ultionem.

De pœna procurantium male ablata incerta legari sub alio nomine, seu modo. Rubrica XVI.

E Quorumdam fraudibus legis prævaricatorum occurrere intendentes, qui dum male ablata habent, de quibus ignoratur cui sit restitutio facienda, quæ essent per locorum episcopos aut ipsorum autoritate inter pauperes provide dispensanda, legant vel legare procurant, male ablatorum prætextu, de illis non facta mentione, aliquam pecuniæ quantitatem per executores seu alios, excluso fraudulenter ordinario episcopo, dispensandam: hoc sacro approbante concilio

ANNO CHRISTI 1317.

concilio ſtatuimus, quod de cætero quælibet perſona, quæ reſtituere ſeu reſtitui voluerit aliqua male ablata incerta, ſive de quibus, cui facienda ſit reſtitutio, ignoretur, in ſuo teſtamento, codicillo, vel ultima voluntate, expreſſe dicat & clare, *Relinquo iſtud vel illud, ſeu tantum, de male ablatis incertis, ſeu reſtitutione ipſorum*: nec dicat, *relinquo pro remedio animæ meæ, ſeu parentum meorum*: neque aliquid aliud inſeratur, propter quod quæ ſunt ipſius male ablata incerta, non plenarie cognoſcatur, ſub pœna 10. librarum Ravennatum, quas in uſus pauperum convertendas decernimus. Rectoribus, capellanis eccleſiarum mandantes ſub excommunicationis pœna, quod aliquorum ultimis voluntatibus non interſint, ſeu ordinationibus eorumdem, quos ſciverint vel crediderint contra mentem attentare conſtitutionis hujuſmodi, vel in fraudem: & quod exponant infirmis & ipſorum heredibus, ut niſi nominatim & expreſſe legaverint male ablata incerta reſtituenda, non habebunt eccleſiaſticam ſepulturam. Quoſlibet vero clericos, religioſos, vel ſæculares, qui circa hoc fraudem aliquam procuraverint obſervari, ab ingreſſu eccleſiæ & participatione ſacramentorum ſuſpendimus in his ſcriptis.

Quod clerici & religioſi a venationibus ſe abſtineant. Rubrica XVII.

Licet ex dictis ſanctorum & ex ſcriptis conciliorum, omnibus ſervis Dei venationes cum canibus & avibus ſint interdictæ: nonnulli tamen religioſi, ſicut fide dignorum relatione accepimus, hoc minus penſantes, honeſtatis laxatis habenis, monachali modeſtia prorſus abjecta, monaſterii clauſtrum abhorrentes, ſine quo monachus vita carere deſcribitur, ſicut piſces vita carent ſine aqua, more laicorum ipſis intendunt in gravem religionis offenſam, opprobrium & ſcandalum plurimorum. Volentes igitur prædictorum ſtatui periculoſo & deteſtabili ſalubriter occurrere, hoc ſacro approbante concilio, diſtrictius inhibemus religioſis omnibus, cujuſcumque ſtatus, conditionis, religionis, vel ordinationis exiſtant, ne de cætero venari, ſeu ad venandum exire præſumant. Si quidem abbates, priores vel præpoſiti, ſeu alias adminiſtrationes habentes fuerint, per annum ipſo facto ſint ſuſpenſi ab omni adminiſtratione, donec ad mandatum ordinarii plene ſatisfecerint. Inferiores vero ſint ineligibiles, & ultimi ſemper in choro habeantur, donec ad mandatum abbatis, prioris, vel præpoſiti, ſufficienter pœnitentiam egerint de commiſſis.

De pœna iudicum ſæcularium, qui clericos repertos cum armis, vel in aliis maleficiis deprehenſos, detentos retinent, vel ad ſuum iudicem opprobrioſe remittunt. Rubrica XVIII.

Sæculares poteſtates, ſeu rectores vel judices, quorumcumque locorum provinciæ Ravennatis, qui clericos, per ipſos, ſeu ipſorum familias, cum armis vel alias exceſſiſſe, & maxime in habitu clericali repertos, detentos retinent, & ad diœceſanum epiſcopum remittere denegant, requiſiti; ſeu qui clericos ipſos, ſi eoſdem remitti per eos forte contigerit, in ſcandalum & opprobrium ordinis clericalis, tubis præcedentibus & tubantibus, armis apud ipſos inventis, ad eorum collum appenſis, & cum multitudine armatorum, ſeu alias inhoneſte, ad eumdem tranſmittunt epiſcopum: declaramus præſentis autoritate concilii, excommunicationis vinculo innodatos, & eorum ſententias & proceſſus per ipſos ſeu autoritate ipſorum latos & factos, ex tunc fore cenſemus invalidos, donec ſatisfactione præſtita, a prædicta excommunicationis ſententia per ſedem apoſtolicam dumtaxat abſolutionis beneficium meruerint obtinere.

Quod nullus pro eodem delicto debeat duplici pœna puniri. Rubrica XIX.

Cum nullus pro eodem delicto debeat duplici pœna puniri, ſtatuimus & ordinamus, hoc ſacro approbante concilio, quod ſi qua alia pœna ſtatuta eſſet in conſtitutionibus ſynodalibus noſtris, vel ſuffraganeorum noſtrorum, quam in noſtris conſtitutionibus provincialibus, vel prædeceſſorum noſtrorum, ſtatutum circa idem factum reperiatur, quod altera ipſarum ſit contentus loci ordinarius, & una electa & impoſita per ipſum, ſeu eius vicarium, alteram infligere, ſeu inflictam exigere, non poſſit.

De indulgentiis ſeu remiſſionibus. Rubrica XX.

Cum inferior ſuperioris legem habeat obſervare, nec eam poſſit infringere, ſeu etiam abolere, & in jure contineatur, quod epiſcopi plures, vel unus, non poſſint concedere indulgentiam ultra numerum quadraginta dierum, excepto in ſola eccleſiarum conſecratione: quod de uno anno ſtatutum fuit in concilio Forlivii celebrato per bonæ memoriæ fratrem Bonifacium prædeceſſorem noſtrum, circa prælatos eleemoſynarios, ſub rubrica de pauperibus alendis, limitamus & reducimus ad numerum 40. dierum, hoc ſacro approbante concilio. Ad hoc diligenter conſiderantes, quod qui aliis præſunt, lenitatem

Anno Christi 1317.

tatem cum severitate miscere debent, & cum subditis misericorditer agere: ita tamen quod honestas & disciplina clericalis non destituatur, aliam nostram constitutionem provincialem editam & promulgatam per nos in concilio Argentæ celebrato, positam sub titulo, de ætate & qualitate ordinandorum, duximus moderandam: eodem sacro approbante concilio statuentes, quod non obstante constitutione prædicta, nos & quilibet episcopus cum suis subditis dispensare possimus, qui contra tenorem & formam dictæ constitutionis ad ordines sunt promoti, vel in futurum promoverentur. Hortamur tamen pro reverentia Dei dictos dominos episcopos, quod constitutionem ipsam sic salubriter statutam observent, & mandent a subditis observari, ne per proper. vel alias, personas indignas & minus sufficientes ad ordines promoveri contingat: quod solum mens dictæ constitutionis requirit.

An. 1314. 2.

De exequiis episcoporum nunciandis per capitula ecclesiarum cathedralium archiepiscopo & suffraganeis, ut devote ab omnibus celebrentur.

Rubrica XXI.

Item cum negligentia seu contumacia indevotorum, pœna condecenti debeat puniri, & in concilio Ravennæ per nos celebrato inter alia fuerit statutum, quod capitula ecclesiarum cathedralium quam citius commode possent, obitum suorum episcoporum singulis comprovincialibus episcopis deberent nunciare: & si super hoc fuerint negligentes vel remissi, hoc sacro approbante concilio statuimus, quod capitula ipsa infra 10. dies postquam sciverint suum episcopum defunctum fore, archiepiscopo & singulis suffraganeis teneantur nunciare: alioquin pœnam 10. librarum Ravennatum ipso facto incurrant, distribuendarum in usus pios, metropolitani arbitrio.

De beneficiis & indulgentiis concessis in concilio, & de potestate dispensandi & interpretandi constitutiones concilii. Rubrica XXII.

Desiderabiliter affectantes in iis per quæ saluti consulitur animarum, humanæ fragilitati, quæ facile declinat ad malum, via salutifera providere, autoritate Dei omnipotentis & beatorum apostolorum Petri & Pauli, ac approbatione hujus sacri concilii, absolvimus, seu absolvendos decernimus omnes & singulos subditos nostros & suffraganeorum nostrorum, & ecclesiæ Ravennatis, qui pœnas aliquas seu pœnam contentas vel contentam in sacris constitutionibus nostris, seu prædecessorum nostrorum, provincialibus seu synodalibus nostris, vel suffraganeorum nostrorum, vel qui notam inobedientiæ incurrissent, mandatis nostris seu ordinarii vel vicarii nostri, seu ordinarii ejusdem, non parendo, si contriti confiteantur infra unius mensis spatium a notitia præsentis, & ad mandata ordinarii, læso secundum formam ecclesiæ satisfaciant, seu ejus vicarii, eo in remotis agente, vel vicarii capituli ubi ecclesia vacat: super hoc nobis reservantes autoritatem plenariam absolvendi & dispensandi, etiamsi in constitutione specialiter reservatur absolutio & dispensatio concilio provinciali: eamdem autoritatem concedentes, & specialiter committentes, præsentis autoritate concilii, locorum ordinariis, seu eorum vicariis, ipsis in remotis agentibus, & vicariis capituli ubi ecclesia vacat. Hortamur etiam & in Domino obsecramus venerabiles patres & coepiscopos nostros præsentes & absentes, ut pro Divina pietate & reverentia hujus sacri concilii, relaxari faciant quos episcopi vel alii de eorum mandato seu autoritate detinent carceratos: dummodo scandalum inde non oriatur, ac orationes frequentent seu frequentari mandent in Missis pro pace & contra persecutores ecclesiæ, videlicet orationem, *Ecclesiæ tuæ*, ubi non dicitur oratio, *A cunctis*. Relaxamus quoque eadem autoritate omnibus & singulis vere pœnitentibus & confessis, qui ad hoc sacrum concilium accesserunt, vel pro eo laboraverunt, de injunctis pœnitentiis 40. dies, pro singulis diebus quibus laboraverunt vel laborabunt, usque ad festum omnium sanctorum inclusive. Reservamus insuper nobis, hoc sacro approbante concilio, arbitrium puniendi & absolvendi, quos de jure possumus, contemptores & transgressores sacrorum canonum, cujuscumque ordinis, præeminentiæ, dignitatis vel status existant. Ad hæc, eodem sacro approbante concilio nobis specialiter reservamus autoritatem & potestatem declarandi, interpretandi, temperandi, seu minuendi dictas provinciales constitutiones, seu pœnas in eis contentas, & super dictis pœnis misericorditer dispensandi cum omnibus & singulis subditis nostris, & suffraganeorum nostrorum, prout qualitas negotiorum & conditio personarum requireret.

Lectæ & publicatæ fuerunt prædictæ constitutiones per reverendissimum patrem, dominum R. permissione Divina sanctæ Ravennatis ecclesiæ archiepiscopum, in ecclesia cathedrali Bononiæ, assidentibus venerabilibus patribus & dominis, dominis Huberto Bononiensi, fratre Petro Comaclensi, Petro Foropopiliensi, Ioanne Cæsenate, Guidone Regin. pro se & ecclesia sua, & pro fratre Simone Parmēsi episcopo, qui post secundā sessionem, ex rationabili causa se absentans, in omnibus & per omnia commisit vices suas

ANNO CHRISTI 1317.

ſuas eidem, & conſenſit omnibus quæ terminantur in ipſo concilio: Rimbaldo Imolenſi, Guidone Cervienſi, epiſcopis, ac procuratoribus fratris Huguizonis Saſſenatis, fratris Hugolini Faventini, Salionis Adrienſis, epiſcoporum abſentium: Mutinenſi propter infirmitatem ſe canonice excuſante, ſeu ordinandis & ſtatuendis pro ſe & ſuo clero reverenter conſentiente: procuratoribus archidiaconi & capituli Forlivienſis, cum eccleſia ipſa ad præſens paſtore vacet; & capitulorum cathedralium eccleſiarum provinciæ Ravennatis. Præſentibus etiam religioſis & venerabilibus viris, abbatibus, prioribus, præpoſitis, archipreſbyteris, & aliis quampluribus ad concilium ipſum convocatis: Huguizone præpoſito, Catia preſbytero, Gerardino ſubdiacono cardinale, Boninſegna preſbytero, & Albertino ſubdiacono, cantoribus ſanctæ Ravennatis eccleſiæ: Guidone ſanctorum Fabiani & Sebaſtiani, Petro ſancti Petri in curte, Ioanne ſanctæ Euphemiæ, eccleſiarum rectoribus, conventus clericorum Ravennæ: fratre Andrea priore ſanctæ Pelagiæ de Cremona, vicario ipſius domini archiepiſcopi; Conrado archipreſbytero Paduano, & quampluribus aliis: ſub annis Domini MCCCXVII. indictione XV. die XXVII. Octobris.

De monialibus. Rubrica XXIII.

Hæc capitula duo poſtrema poſt concilium condita ſunt a Raynaldo, poteſtate ſibi a concilio facta declarand. ejus conſtitutiones.

Nos Rainaldus permiſſione divina, & apoſtolicæ ſedis gratia, ſanctæ Ravennatis eccleſiæ archiepiſcopus, dudum volentes executioni debitæ demandare conſtitutionem piæ memoriæ Bonifacii papæ VIII. quam edidit & promulgavit ſuper clauſura monialium, & in qua expreſſe ſtatuit, omnes & ſingulas moniales, cujuſcumque religionis, ſtatus vel conditionis exiſterent, ſub perpetua clauſura debere manere, nullique perſonæ ad eas ingreſſum patere: inobedientiæ notam ac maledictionem æternam effugere cupientes, eaſdem moniales, ubi ad nos ſpectat, mādavimus & fecimus includi, ac quaſdam conſtitutiones addidimus ſynodales & provinciales, in quibus, omnibus indiſtincte, tam clericis quam laicis, prohibuimus ingreſſum monaſteriorum, & ad eaſdem acceſſum, ſine noſtra ſeu vicarii noſtri, vel alias ordinarii loci ſeu ejus vicarii, nobis ſeu ordinario loci in remotis agentibus, licentia ſpeciali, pœnas pecuniarias, & ſententias excommunicationis certo modo in contra facientes promulgantes. Verum quia a pluribus perſonis fide dignis, maturis & honeſtate præditis, ſæpius audivimus, quod dictæ noſtræ conſtitutiones, quas pro ſalubri remedio animarum intentionis noſtræ erat ediditſe, ad ruinam & periculum animarum multorum tendere viderentur, cupientes, quantum nobis ex alto conceſſum eſt, ſemper autore Deo, de ſalubri remedio animarum ſaluti conſulere: ſuper hæc etiam ſolicitati ſæpius & requiſiti, conſtitutiones ipſas, autoritate nobis conceſſa in concilio Bononiæ per nos celebrato, declarandi, interpretandi, minuendi, moderandi & mitigandi conſtitutiones provinciales noſtras & prædeceſſorum noſtrorum, & pœnas in eis inſertas, moderamus & declaramus, ac declarando ac mitigando, ſtatuimus, quod nullus de cætero pœnas in dictis conſtitutionibus contentas incurrat pro ingreſſu monaſterii; dummodo locum monialibus pro clauſura deputatum per locorum ordinarios non ingrediantur, in quo caſu firmæ & illibatæ dictæ conſtitutiones permaneant. Concedimus etiam, quod quælibet perſoſona, quæ non ſit notabiliter ſuſpecta, poſſit loqui monialibus memoratis, ſine metu pœnæ, ad cratem ſeu feneſtram ferream, de licentia abbatiſſæ, ſeu prioriſſæ, vel ejus locum tenentis: præſentibus tamen ſemper duabus ex monialibus ab abbatiſſa vel prioriſſa, vel earum vicem tenente, ut præmittitur, ſpecialiter deputatis, quæ ſemper videre poſſint & audire ſororem, ſeu monialem, ad feneſtram vocatam.

De ſalariis notariorum, & ſigilliferorum. Rubrica XXIV.

Cum ad præſidentis officium pertineat, exactiones illicitas prohibere, & operantibus de præmio ſeu mercede condigna juxta qualitates laborum facere provideri, & in concilio dudum per nos Ravennæ celebrato contineatur, ut ſalaria notariorum & ſigilliferorum dominorum epiſcoporum taxarentur & moderarentur, & quamplures querelæ ad nos devenerint ſuper indebitis extorſionibus & oneribus exactis ab eiſdem, ſuper hocque in ſacro concilio per nos nuper Bononiæ celebrato, collatio inter nos & ſuffraganeos noſtros, qui in dicto concilio interfuerunt, habita fuerit: & cum dictum fuerit debere ſuper hoc provideri de remedio opportuno: ſed quia multitudine negotiorum in dicto concilio terminandorum occupati, non potuimus plene tunc temporis circa hoc intendere ſicut deſiderabamus, per præſentem paginam duximus ordinandum, & hortandum dominos epiſcopos, ſuffraganeos eccleſiæ Ravennatis, quatenus quilibet eorum in ſua curia limitare, taxare, & moderari debeat, ad omne ſcandalum tollendum, quantum notarii ſeu ſcriptores eorum vel officialium ipſorum percipere debeant pro quolibet inſtrumento ſeu ſcriptura publica vel privata, & quantum ſigillifer pro ſigillo: noſque ex poteſtate nobis in dicto concilio tradita declarandi conſti-

constitutiones provinciales nostras, & prædecessorum nostrorum, & omni modo, quo melius possumus, volentes quantum in nobis est, dictam constitutionem observare, & executioni debitæ demandare, ordinamus & taxamus, quod in solutione facienda notariis pro scripturis, & sigilliferis pro sigillo, modus infrascriptus debeat observari.

In primis recipere possit notarius de litteris citationis simplicibus, seu brevibus cum registratione, 12. denarios Ravennates vel Bononienses: & sigillifer pro sigillo 6. denarios. De litteris citatoriis, cum narratione prolixa, 2. solidos: & pro sigillo 6. denarios. De citatione per nuncios, sine litteris, videlicet pro commissione & relatione, 12. denarios. Si vero citarentur duo aut plures, recipere posset duos denarios pro quolibet, ultra dictos 12. denarios. De comparatione seu præsentatione, 4. denarios. De consignatione termini, seu prorogatione, 2. denarios pro parte. De licentia, parte absente, 4. denarios. De accusatione contumaciæ, cum protestatione expensarũ, 6. denarios. De protestatione sine scriptis, 6. denarios. De protestatione in scriptis, si fuerit prolixa, solvatur ad modum folii registri, sicut infra continetur in simplici copia. De oblatione libelli, 3. denarios. De exceptionibus in scriptis, 3. denarios pro qualibet, vel aliter ad modum registri. De replicationibus recipiat idem. De litis contestatione & juramento, a qualibet parte, 12. denarios. De registratione libelli recipiat ab actore tantum, quantum pro registro, in simplici copia, ut supra. De petitionibus, pro unaquaque recipiat a ponente 3 denarios, & a respondente 1. denarium. De articulis recipiat ab exhibente, ad modum registri, ut supra. De copia articulorum, recipiat tantumdem. De testibus, pro examinatione & scriptura, de quibus folio continente ad minus 25. lineas pro pagina, & 12. dictiones pro linea, quæ est forma registri, 2. solidos. De copia in publica forma, tantumdem. De simplici copia 16. denarios. De registratione instrumentorum, & aliorum productorum, recipiat ad modum folii registri. De simplici copia, ut supra continetur, 16. denarios. Si instrumenta & alia producta registrari non contingat ex causa, tũc de scriptura, seu annotatione, sicut sunt producta pro quolibet instrumento, 4. denarios. De conclusione in causa a qualibet parte, 16. denarios. De exhibitione suspectorum & confidentium, & assumptione sapientium ad consulendum, a qualibet parte 6. denarios. De articulo quæstionis, super quo debeat consuli, si formabitur, pro parte qualibet 12. denarios, & pro sigillo 10. denarios. De sententia definitiva lata ex causa pecuniaria, vel more civili, quæ æstimationem recipiat, recipiat pro prima libra 2. solidos, & pro singulis libris, usque ad 10. libras, 12. denarios pro libra & abinde supra, usque ad quinquaginta libras, ultra dictam taxationem, 3. denarios pro libra. Ultra vero dictas quantitates, usque ad centum, 2. denarios pro libris, & abinde supra 1. denarium pro libra qualibet, ultra omnes prædictas taxationes: & pro sigillo pendente, si fuerit pendens, 6. solidos ad plus; si non fuerit pendẽs, 2. solidos Bononienses. De interlocutoria, 2. solidos, vel plus, vel minus, arbitrio judicantis: pro sigillo pendente, 2. solidos; & pro non pendente 12. denarios. Item si appelletur ab ea, tantumdem recipiat: si detur in forma publica, & idem de sigillo, ut in proximo. De appellatione viva voce a diffinitiva sententia, 6. denarios. De appellatione in scriptis oblata recipiat ad modum registri in simplici copia: & si fiat in publica, recipiat tantum, quantum habuerit de sententia. De sigillo solvatur ut pro sententia definitiva. Pro sententia super jure decimarum, vel patronatus, si super eo consilium habeatur, recipiat notarius quartam partem ejus, quod consultori. Si autem super causa matrimoniali etiam requiratur consilium, vel super præmissis, vel consimilibus, consilium non haberetur, judex arbitretur, pensatis statu, conditionibus & facultatibus personarum, & qualitate causarum, prout æquum & justum videbitur, religioni & pauperibus compatiendo.

De solutionibus quæ occurrunt circa collationes beneficiorum in primis, si ponatur edictum de rectoria capellæ ruralis vel urbanæ, pro scriptura, commissione & relatione, 3. solidos, pro sigillo 12. denarios. Pro instrumento, confirmatione, collatione, seu investitura ejusdem 30. solidos; considerata tamen qualitate ipsius beneficii: & pro sigillo 2. solidos. Si edictum ponatur pro archipresbyteratu, vel alia dignitate seu personatu sæculari, 4. solidos: pro sigillo 12. denarios. Pro instrumento confirmationis ejusdem, 3. libras: pro sigillo 6. solidos. Si ponatur edictum de prioratu, seu de abbatia, 5. solidos: pro sigillo 2. solidos. Pro instrumento confirmationis ejusdem, 8. libras: pro sigillo 10. solidos. Si de episcopatu ponatur edictum, 10. solidos: & pro sigillo 3. solidos. Pro instrumento confirmationis ejusdẽ, 25. libras: pro sigillo 20. solidos. Si autem collationes, confirmationes, vel investituras hujusmodi, seu causæ eorum alteri committere contingat, ad petitionem partis, vel partium: tunc solvatur notario de commissione tertia pars ejus quod taxatum est: ut nihilo minus taxatio prædicta solvatur notario pro confirmatione. Si autem sponte, seu ex arbitrio committentis fiat commissio: tunc tertia pars, quæ

ANNO CHRISTI 1317.

quæ dabitur notario pro commissione, computetur in salario supra taxato notario scribenti dictam commissionem: & detur pro sigillo id quod supra taxatum est. Si autem solam audientiam & comminationem causæ committi contingat, solvatur pro commissione duplum ejus quod datum fuerit pro edicto. Si autem certum, vel certos articulos committi contingat, solvetur quod taxatum est pro edicto, & tantumdem pro sigillo. De commissione appellationis 10. solidos, pro sigillo pendente 2. solidos, vel 12. denarios. De litteris quæstorum 20. solidos: pro sigillo pendente 3. solidos, alias 2. solidos. De dispensationibus beneficiorum, ætatis vel ordinum, 15. solidos: pro sigillo pendente 4. solidos, alias 12. denarios. De licentia absentandi, seu non residendi, 10. solidos: pro sigillo 12. denarios. Pro littera præsentatoria & testificatoria ad ordines 8. solidos: pro sigillo 6. denarios. De litteris seu instrumentis ordinum 3. solidos: pro sigillo 12. denarios. Et si aliquis casus contingeret, qui non videretur in præmissis expressus, fiat taxatio ejus & reductio, seu restrictio ad arbitrium boni viri secundum formam registri, ut præmittitur, vel alias, prout æquitati & * moderatori dominorum episcoporum, vel eorumdem vicariis videbitur convenire, omnium semper æquitate librata. Et quicumque hoc directe & fideliter observaverit, tamquam fidelis servus Domini, mereatur præmium vitæ æternæ: cogitans quod quidquid recipiet cum taxatione, moderatione & restrictione prædictis, juste recipiet, & licite poterit retinere, & sine aliquo conscientiæ remorsu. Contra vero facientes noverint se plecti debere, etiam pœna in constitutionibus comprehensa. Et ut hæc omnibus nota fiant, in albo stilo describantur, seu clarius in membrana, in loco ubi jus redditur, affigantur, in singulis prætoriis, ubi jus redditur in curiis episcoporum.

* f. moderationi

Et ego Rainaldus permissione Divina & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus, subscripsi.

LEctæ & publicatæ fuerunt supradictæ constitutiones & statuta dicti domini archiepiscopi Ravennatis, in clero civitatis Mutinensis, convocato in episcopali palatio Mutinæ per discretum & sapientem virum dominum Floriamontem, generalem vicarium venerabilis patris domini Bonincontri episcopi Mutinensis, de præcepto & mandato dicti domini episcopi, de verbo ad verbum, in millesimo trecentesimo decimo octavo a nativitate, Indictione prima, die Iovis 29. Decembris, in præsentia domini Iacobi Saraceni, domini Barnabei de Boschettis, domini Bei de Luca, canonicorum ecclesiæ Mutinensis; domini Ioannis præpositi de Limiole, domini Matthæi archipresbyteri de Campogagliano, domini Lamfranchi de Saliceto, priorum fratrum Humiliatorum, presbyteri Petri de Malclavelis, presbyteri Ioannis de Buralibus beneficiati, presbyteri Petri Boni beneficiati, presbyteri Martini beneficiati, domini Alexandri de porta, presbyteri Ioannis capellani domini episcopi prædicti, presbyteri Biachini capellani ecclesiæ Mutinensis, domini Adam, domini Pauli, monachorum sancti Petri Mutinensis, Ottonelli mansionarii dictę ecclesiæ Mutinensis, & præsentibus testibus Guidone de Querieto notario, Rainerio de Salsbegnano nuncio curiæ episcopalis, Nicolao Beroardo, & aliis pluribus.

Et ego Franciscus de Aspett. notarius curiæ episcopalis Mutinensis, publicationi prædictæ interfui rogatus, & subscripsi.

ANNO CHRISTI 1319.

** CONCILIVM TOLOSANVM

Mense Iun. ann. Dom. M. CCC. XIX.

EIus acta nulla video, mentionem tum alibi, tum in Gallia Christiana factam reperio. Ei præfuit Ioannes Raymundi, de Convenis, primus Tolosanus archiepiscopus: qui deinde anno 1327. die 18. Decembris, factus est cardinalis episcopus Portuensis & S. Rufinæ.

ANNO CHRISTI 1320.

** CONCILIVM SENONENSE

Olim cum statutis Trecensibus editum Trecis an. 1530.

Statuta provincialis concilii per reverendum in Christo patrem ac dominum, D. G. Dei gratia Senonensem archiepiscopum, anno Domini MCCCXX. die Iovis post Pentecosten celebrati.

TITVLI LOCORVM.

1. *Vt diœcesani hortentur ad jejunandum in vigilia festi corporis Christi.*
2. *Vt interdicantur loca in quibus clericus a judice laico detinebitur.*
3. *Vt religiosi & religiosæ post annum & diem profiteantur.*
4. *De vita & honestate clericorum.*

LOCVS PRIMVS.

Vt diœcesani hortentur ad ieiunandum in vigilia festi corporis Christi.

STatuimus, ac etiam ordinamus, ut quilibet diœcesanus in sua diœcesi, plebem a Deo sibi commissam, tam per se quam per alios, loco & tempore congruis, salutaribus monitis inducat, ut quarta feria præcedente feriam quintam post octavas Pentecostes, qua summi & magnifici corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sacramenti memoria celebratur, ad honorem tam preciosissimi sacramenti, ac ipsarum plebium salutem animarum, se ab esu carnium abstineant, & jejunent: omnibusque jejunantibus, vereque pœnitentibus & confessis, in remissionem suorum peccaminum, quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia duximus concedendos: totidemque eisdem a quolibet diœcesano in diœcesi sua, autoritate præsentis concilii concedantur. Circa vero processionem solemnem, quæ dicta quinta feria fit a clero & populo in delatione

ANNO CHRISTI 1320.

ne dicti sacramenti his diebus, cum quodammodo Divina inspiratione introducta videatur, nihil quoad præsens injungimus, devotioni cleri & populi relinquentes.

LOCVS SECVNDVS.

Vt interdicantur loca, in quibus clericus a iudice laico detinebitur.

Statuimus, ac etiam ordinamus, ut si contingat aliquem clericum, in villis seu castris diœcesis & provinciæ Senonensis, per judicem capi sæcularem, qui sufficienter requisitus de reddendo dictum clericum suo judici ecclesiastico, non reddiderit seu restituerit, in sua malitia perseverans: in dictis villis seu castris cessabitur, quandiu detinebitur dictus clericus, a Divinis: nedum in ecclesia, infra cujus confines dictus clericus detineri dignoscetur, sed etiam in aliis ecclesiis, si in dictis villis & castris plures ecclesias contigerit esse sitas. Quod ad religiosa monasteria in dictis villis & castris constructa, & alias ecclesias eisdem contiguas, extendi volumus: ne, si in quibusdam cessaretur, in aliis non, cessationis sententia seu interdicti valeat vilipendi. Et prædictas cessationes, autoritate præsentis concilii, ab omnibus tam exemptis quam non exemptis, cum de jure ad hoc teneantur, volumus observari.

LOCVS TERTIVS.

Vt religiosi & religiosæ, post annum & diem profiteantur.

Statuimus, ac etiam ordinamus, ut religiosi & religiosæ, in habitu religionis per annum & diem in suis monasteriis commorantes, dictis die & anno elapsis, per superiores suos, dum tamen in ætate discretionis fuerint constituti, cogantur profiteri expresse, vel saltem ita publice, quod dicta professio celari non valeat.

LOCVS QVARTVS.

De vita & honestate clericorum.

Statuimus insuper, ac etiam ordinamus, ut clerici beneficiati, tam cathedralium quam collegiatarum ecclesiarum, sive sint capellani, canonici, vicarii, seu simplices choriales: caligis rubeis, viridibus, scatatis, croceis, seu albis, ita publice non utantur, sed caligis nigris, seu aliis honestis, tantummodo sint contenti. Quod si a delatione dictarum caligarum, canonice moniti, non destiterint: ipso facto medietate distributionum, quæ insistentibus certis horis distribuantur, autoritate præsentis concilii eos privamus. Quod quidem statutum extende-

A tur, ad presbyteros parochiales & alios presbyteros ordinariis [a] arbitriis puniendos. Et istud idem in clericis crines nutrientibus, barbamque prolixam, seu tonsuram inhonestam, ac a parte exteriori almutiam de cendeto, vel volveto, deferentibus, uniformiter inter clericos prædictos volumus observari.

ANNO CHRISTI 1320.

[a] Corr. ordinariorum arb.

CONCLVSIO CONCILII.

Quarum autoritate litterarum, vobis & vestrum cuilibet districte præcipiendo mandamus, quatenus statuta prædicta in vestris B ecclesiis, & alibi ubi expediens videritis, publicetis & exequamini diligenter, ac faciatis a parochianis vestris, juxta ipsorum tenorem, inviolabiliter observari.

G. C. Sequitur sine nota ulla distinctionis locus quintus, tum sextus, aliique tres: qui minus caute attendentibus videri possent, hujus esse concilii: sed Trecensium duarum synodorum esse, legentibus apparet.

CONCILIVM APVD VALLEMOLETI PALENTINÆ DIOECESIS

ANNO CHRISTI 1322.

C Autoritate Guillermi Sabinensis episcopi & sedis apostolicæ legati celebratum in Hispania anno Domini MCCCXXII. tempore Ioannis papæ XX.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *De constitutionibus.*
2. *De officio ordinarii.*
3. *De foro competenti.*
4. *De feriis.*
5. *De testibus.*
6. *De vita & honestate clericorum.*
7. *De cohabitatione clericorum & mulierum.*
8. *De clericis non residentibus.* (D)
9. *De præbendis.*
10. *De parochiis.*
11. *De decimis.*
12. *De statu monachorum.*
13. *De religiosis domibus.*
14. *De jure patronatus.*
15. *De baptismo.*
16. *De observatione jejuniorum.*
17. *De immunitate ecclesiarum.*
18. *De consanguinitate & affinitate.*
19. *De simonia.*
20. *De magistris.*
21. *De Iudæis & Sarracenis.* (E)
22. *De adulteriis.*
23. *De raptoribus.*
24. *De sortilegiis.*
25. *De purgatione canonica.*
26. *De purgatione vulgari.*
27. *De pœnitentiis.*

In nomine Domini nostri Iesu Christi, amen.

Istæ sunt constitutiones per nos fratrem Guillermum Dei permissione episcopum Sabinensem, apostolicæ sedis legatum, factæ ac editæ in concilio celebrato per nos apud Val-

ANNO CHRISTI 1322.

Vallemoleti Palentinæ diœcesis, prælatis omnibus nostræ legationis ad celebrandum dictum concilium convocatis, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo vigesimo secundo, quarto Nonas Augusti, qua die præfatum concilium extitit terminatum.

PRÆFATIO.

INjunctum nobis legationis exposcit officium, ut attentis studiis & cura pervigili, ad reformandos in clero & populo legationis prædictæ mores & actus devios, prout ex alto præmittitur, intendamus, & in his præcipue apponamus remedium, in quibus majus periculum conspicimus imminere. Hæc est quippe Dei patris ordinatio, hæc lex existit ecclesiæ almæ matris, ut qui obsequiis ecclesiasticis mancipati existunt, solerti cura & providentia præsulis sincere & pure in domo Domini conversentur, & ut cordis oculus nube erroris obductus, illustrationis lumine sit serenus. Ad ista igitur, ad quæ ferventius aspirat nostra intentio, convertentes aciem nostræ mentis, universorum nostræ legationis prælatorum apud Vallemoleti Palentinæ diœcesis ad præmissa agenda concilium duximus convocandum: cum quibus habita discussione solerti & deliberatione matura super his quæ correctione & reformatione indigebant, sacro approbante concilio constitutiones infrascriptas edidimus, easque in majori ecclesia loci prædicti, die secunda Augusti anni præsentis millesimi trecentesimi vigesimi secundi, pontificatus summi patris domini, domini Ioannis PP. XXII. anno sexto, in præsentia dicti concilii, & clericorum aliorum astante multitudine, fecimus publicari. Sed quamquam singulorum auribus juxta canonicas sanctiones non esset, post publicationem hujusmodi, constitutiones prædictas necessarium inculcare: tamen ne aliquis ab ipsarum observantia possit se per ignorantiam aliquatenus excusare, prædictis nostræ legationis prælatis injungimus, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandantes eisdem, quod ipsas constitutiones omnes & singulas in suis cathedralibus ecclesiis, infra octo dierum spatium postquam illuc delatæ fuerint, clero non exempto, qui de ordinaria, exempto vero, nec non religiosis exemptis, tam militaribus, quam non militaribus, auctoritate nostra, & populo convocatis, & deinde in primis eorum synodis solenniter & integraliter faciant publicari. In aliis vero summarie legi procurent, ut crebra hujusmodi lectio harum constitutionum præsentibus præservet, & posteris notitiam largiatur. Mandamus etiam, quod prælati prædicti ad harum constitutionum observantiam dent, quantum in ipsis fuerit, operam diligentem. Volumus insuper, quod constitutiones prædictæ, ad observantiam sui ligent omnes nostræ legationis, & singulos, post duos menses a publicatione prædicta facienda in prædictis ecclesiis cathedralibus numerandos.

CAPITVLA.

I. *De constitutionibus.*

ALma mater ecclesia ab unigenito Dei filio primitus instituta, & a sanctis patribus, succedentibus temporum curriculis ordinata, constituit, ut metropolitani cum suffraganeis suis annis singulis provincialia celebrare concilia non omittant, in quibus super observantia canonum, relevatione ecclesiarum, corrigendis excessibus, & moribus reformandis, diligens cum eis habeant consilium & tractatum, & faciant ac statuant quæ circa hæc viderint expedire. Et quia nonnulli prælatorum per plures annos hoc negligenter facere omiserunt, ex quo plura pervenerunt ecclesiarum dispendia, & etiam pericula animarum: monemus archiepiscopos omnes & singulos, ut statutum generalis concilii super hoc editum diligenter observent, sacro approbante concilio statuentes, ut si archiepiscopi, saltem in biennio semel, loco & tempore opportunis, per se vel per alios, quatenus de jure conceditur, ipsis legitime impeditis, celebrare provincialia concilia omiserint, eo ipso tamdiu ab ingressu ecclesiæ sint suspensi, donec negligentiam suam purgaverint provincialia concilia celebrando. Episcopi etiam synodos in suis diœcesibus super prædictis, prout jura volunt, celebrent annuatim. Quod si forte hoc negligenter omiserint, eo ipso ab ingressu ecclesiæ sint suspensi, donec negligentiam suam purgaverint synodalia concilia celebrando.

Ludovici Bavarii Imp. primum hunc annum ponimus, quo Fridericum competitorem vicit.

Quia vero contingit, venientes ad dicta concilia & synodos, & redeuntes, aliquoties impediri, & in personis & rebus indebite molestari: statuimus, ut quicumque venientes ad dicta concilia & synodos, vel in eis morando, aut etiam redeundo ab ipsis, ceperint, aut in personis vel rebus, eis damna notabilia intulerint, in sententiam excommunicationis incidant ipso facto.

Inter cætera quæ officio prælatorum incumbunt, hoc præcipue desideratur & requiritur, ut in subditis vitæ sanctitas & morum honestas præceptis & prohibitionibus observetur. Volentes igitur, ut hæc per prælatorum diligentiam impleantur, universos ecclesiarum prælatos, archiepiscopos & episcopos, monemus & hortamur in Domino Iesu Christo, ut ipsi in suis conciliis provincialibus & episcopalibus synodis statuant & ordinent ea quæ ad clericorum vitam, reformationem morum, conversationis & habitus honestatem, viderint expedire, injungentes his qui sub eis jurisdictionem obtinent, ut de observantia statutorum & canonum in suis visitationibus inquisitionem faciant diligentem: quam inquisitionem referre suis prælatis in proximis synodis teneantur.

II. *De officio ordinarii.*

Quia notitia catholicæ fidei cuilibet orthodoxo est necessaria ad salutem, & ejus igno-

ignorantia periculosa quam plurimum & nociva: statuimus ut quilibet rector parochialis ecclesiæ in scriptis habeat in Latina & vulgari lingua articulos fidei, præcepta decalogi, sacramenta ecclesiæ, species vitiorum & virtutum, & quater in anno ipsa publicet populo, in festis videlicet nativitatis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, & in Assumptione Virginis gloriosæ, & in diebus Dominicis Quadragesimæ. Quod si rectores in hoc negligentes fuerint, per prælatum suum acriter puniantur.

III. *De foro competenti.*

Ecclesiastica jurisdictio a sæculari distincta dignoscitur, & una per alteram impediri non debet, sed potius adjuvari. Quia vero nonnulli sæculares judices, statuta canonum circa hoc edita contemnentes, clericos & alias personas ecclesiasticas super rebus suis & causis presbyteralibus injuriose compellunt coram se in judicio litigare: statuimus, & universis prælatis in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, ut statutum felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. quod incipit: Quoniam ut intelleximus: in suis conciliis & episcopalibus synodis, & in ecclesiis etiam suarum diœcesum, vbi expedire viderint, faciant publicari, prædictosque judices excommunicatos publice nunciari.

IV. *De feriis.*

Quamvis Divinæ legis præcepto sancitum sit, diebus Dominicis & festivis ab omni opere servili abstinere: nonnulli tamen hujusmodi transgredientes præceptum, & rusticalia opera & artificia manualia diebus prædictis exercere præsumunt. Ne igitur ex transgressione hujusmodi, fidelis populus indignationem Dei omnipotentis incurrat: statuimus, ut nullus in diebus Dominicis & festivis agros colere audeat, aut artificia manualia exercere præsumat, nisi urgente necessitate vel evidenti pietatis causa, & tunc de speciali licentia sacerdotis. Transgressores autem præsentis constitutionis per excommunicationis sententiam a suis ordinariis puniantur.

V. *De testibus.*

Causarum & litium dispendiosa protractio, quæ plerumque per falsorum testium dicta & advocatorum malitiam procuratur, quatenus fieri poterit, juris est auxilio restringenda. Ideoque statuimus ut falsi testes, advocati, mediatores, & aliter eos inducentes ad falsa testimonia perhibenda, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi postquam eis satisfecerint, quibus damna per depositiones & inductiones hujusmodi illata sint, nullatenus absolvantur. Præsentem vero constitutionem prælati faciant in suis ecclesiis cathedralibus & parochialibus, diebus solennibus & in synodis publicari.

VI. *De vita & honestate clericorum.*

Quamvis honestas morum & habitus decentia, omnibus clericis per sacros ordines sint indictæ: in prælatis tamen, archiepiscopis videlicet & episcopis, eo desiderantur amplius, quo ex susceptæ dignitatis debito in seipsis debent ostendere, qualiter alios fideles deceat in domo Domini conversari. Volentes igitur ut prælati prædicti, in conversatione, habitu, & vestitu, aliis exemplum præbeant honestatis: statuimus ut episcopi & superiores prælati succas lineas in publico, & cum eos equitare contigerit, nullatenus tabardos, sed cappas & capellos suæ dignitati deferant congruentes, cappis aut vestibus sericis non utantur: Missas in solennitatibus majoribus in suis ecclesiis, juxta sanctorum patrum statuta, & nunquam secrete in capellis suis, celebrent, nisi causa legitima & necessaria fuerint impediti. Altaria viatica secum portari faciant, in quibus singulis diebus coram se honeste & devote Missam faciant celebrari. Horas canonicas cum suis clericis attente recitent, & in ecclesiis suis cathedralibus Divina officia solenniter celebrent, nisi legitime fuerint impediti.

Cum non solum a malo, sed etiam a mali specie, & præcipue quæ scandali occasionem ministrant, sit secundum Apostolum abstinendum: statuimus sacro approbante concilio, ut nullus clericus sæcularis vel religiosus, in quacumque dignitate vel officio constitutus, exemptus vel non exemptus, etiamsi pontificali præfulgeat dignitate, sponsalibus, baptismo, aut nuptiis filiorum suorum aut filiarum, aut nepotum recte descendentium, sive legitimi, sive illegitimi fuerint, audeat interesse: alioquin, si clericus beneficiatus fuerit, ipso facto medietate fructuum beneficii vel beneficiorum suorum, illo anno quo talibus sponsalibus, baptismo aut nuptiis interfuerit, sit privatus, prædicta medietate fructuum in usum fabricæ ecclesiæ convertenda. Si vero clericus non beneficiatus fuerit, usque ad annum eo ipso sit inhabilis ad beneficium obtinendum. Qui vero de bonis ecclesiasticis, filiis, aut nepotibus supradictis, dotem aut donationem propter nuptias assignaverit: assignatio ipso jure non valeat: & nihilo minus assignans, ipso facto in pœnam subtractionis beneficii incidat supradictam. Idem in religiosis, in militaribus exemptis penitus

tus observetur. Prælati vero prædicti, qui præmissa vel aliquod præmissorum commiserint, per sex menses a collatione beneficiorum suspensi sint, & beneficia quæ medio tempore vacaverint, per eum ad quem collatio de jure vel consuetudine devolvitur, conferantur.

VII. *De cohabitatione clericorum & mulierum.*

Quia clericorum nonnulli famæ suæ prodigi & salutis, in concubinatu publico vitam ducunt enormiter dissolutam: nos talium vitam corrigere, eorumque abolere infamiam cupientes, monemus omnes & singulos clericos, etiamsi sint in dignitatibus, personatibus, aut officiis constituti, ut ipsorum nullus concubinam publice in domo propria vel aliena audeat detinere: sacro approbante concilio statuentes, quod quicumque clerici post duos menses a publicatione constitutionis & monitione hujusmodi in suis ecclesiis, per archiepiscopos & episcopos vel eorum vicarios in synodis, faciendis, concubinam seu concubinas modo prædicto detinuerint, vel dimissam seu dimissas, aut aliam seu alias admiserint, si beneficiati existant, tertia parte fructuum beneficiorum omnium quæ pro illo obtinuerint tempore, ipso facto penitus sint privati. Si vero per alios duos menses, duos immediate prædictos sequentes, in eodem crimine continuaverint vitam fœdam, alia tertia parte fructuum noverint se privatos. Quod si forsan Dei timore contempto, per alios duos menses quatuor prædictos immediate sequentes in peccato perstiterint memorato, reliqua tertia parte fructuum ipsos privamus, omnino sub pœna excommunicationis præcipientes eisdem, quod ad aliquam partem dictorum fructuum, postquam ipsa vel ipsis, ut prædicitur, privati fuerint, manus temerarias aliquatenus non extendant. Et si forsan contrarium tentarent, sub interminatione extremi judicii, prælatis eorum, tam diœcesanis quam aliis, districte præcipimus, quod ad restituendum totum quod de prædictis tertiis fructuum, seu ipsarum aliqua, postquam modo præfato privati existerent, occupaverint, seu detinuerint vel consumpserint, per censuram ecclesiasticam ipsos compellere non omittant. Antedictæ vero partes fructuum, & ipsarum quælibet, in cathedralibus & collegiatis ecclesiis, quod ad bona quæ de communi mensa fuerint, ad communem mensam capituli; alia vero, redemptioni captivorum communiter applicentur. In parochialibus vero medietatem fabricæ ecclesiæ ipsius, aliam vero redemptioni captivorum detentorum ab infidelibus applicamus: volentes & mandantes, quod per manus prælatorum suorum, quibus, quod prædictas partes fructuum recipiant & exigant, committimus & præcipimus, quidquid ex dictis fructibus provenerit, in prædictis usibus fideliter expendatur. Quod si forte nec adhuc ad cor redierint, sed præsens nostrum contemnentes mandatum, se ostenderint tam execrandæ turpitudinis amatores: suis prælatis prædictis, & ipsorum cuilibet, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub animarum suarum periculo, districte præcipimus & mandamus, quod infra quatuor menses a supradictis sex mensibus numerandos, transgressores prædictos qui concubinas præfatas non omnino dimiserint, easdem non admissuri ulterius, nec aliam aliquam, seu aliquas amplius recepturi, omnino beneficiis suis privent, ipsosque in limo peccatorum tam fixos, donec se correxerint, & postea per quinque menses inhabiles esse denuncient ad superiores ordines, & ad quæcumque beneficia ecclesiastica obtinenda. Volumus etiam quod si quis de prædictis, postquam beneficio seu beneficiis privatus fuerit modo prædicto, manus rapaces extenderit ad dictorum beneficiorum fructus, seu ad aliquam eorum partem, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto, a qua non possit absolvi, nisi de sic occupatis restitutione integra, & beneficiorum quibus privati essent, ut prædicitur, dimissione plenaria, prius factis. Verum quia peccata inulta non vult dimitti Dominus ultionum: statuimus, dicto approbante concilio, quod clerici non beneficiati, tam sacerdotes quam diaconi vel subdiaconi, aut inferiores clerici non promoti, qui non erubescunt concubinas publice detinere, si sacerdos fuerit, capellaniam perpetuam aut temporalem tenere vel habere non possit, & usque ad unum annum postquam se a prædicto peccato plene correxerit, ad obtinendum ecclesiasticum beneficium sit inhabilis & indignus. Diaconi & subdiaconi, ac inferiores clerici, usque ad annum post correctionem jam dictam, sint ad superiores ordines inhabiles, & ad quæcumque ecclesiastica beneficia obtinenda. Si vero adhuc incorrigibiles perstiterint, procedatur per alia juris remedia contra ipsos. Et quia majori culpæ justo Dei judicio major debetur & pœna: statuimus quod quicumque in tam profundum peccatorum devenerit, quod publice concubinam seu concubinas detineat infideles, si beneficiati fuerint, post duos menses memoratos a die publicationis prædictæ in ecclesiis, ut prædicitur, faciendæ, ipso facto privati sint beneficiis obtentis, cujuscumque conditionis beneficia ipsa existant, & ipso facto reddantur inhabiles ad quæcumque beneficia obtinenda. Si vero beneficiati non fuerint, ad susci-

suscipiendos sacros ordines,&ad obtinenda beneficia, penitus sint inhabiles&indigni,ac tam beneficiati quam non beneficiati, qui ea sic detinere præsumpserint, per suos prælatos per biennium ad minus in carcere detrudantur: quibus etiam per diœcesanos, seu alios dictorum clericorum prælatos,pœnæ graves aliæ, prout eorum discretioni videbitur, imponantur. Si tamen hi clerici ad cor redeuntes vere pœnituerint de peccato, & ad vitam honestam continuaverint: concedimus quod ipsorum diœcesani cum eis post quinquennium numerandum a sua correctione dumtaxat,possint, quo ad ordines & simplicia beneficia obtinenda, misericorditer dispensare. Volumus insuper & mandamus, quatenus prælati omnes & singuli in suis diœcesibus,per viros probos& timentes Deum, diligentem inquisitionem, quoties expedire viderint,facere non omittant,qui,quot,quales,& ubi fuerint,præmissa crimina tam contagiosa & detestabilia committentes, atque ad pœnas suprapositas in ipsos exequendas insurgant viriliter, ut domus Dei strenui zelatores : concubinæ vero publicæ clericorum, careant ecclesiastica sepultura.

Sicut jure Divino & humano justum dignoscitur,quod juxta mensuram delicti culpabiles puniantur: ita pium & sanctum est, quod rigori detrahatur justitiæ, ut occurratur insurgentibus periculis animarum. Hoc sane felicis recordationis Alexander papa IV.pii more patris considerans,suspensionis &excommunicationis pœnas,quas recolendæ memoriæ dominus Ioannes episcopus Sabinensis apostolicæ sedis legatus,contra clericos concubinarios publicos, ac concubinas eorum,per suum statutum vel constitutiones tulerat, voluit & commisit prælatis aliquibus, quod pœnas prædictas, maxime propter irregularitatum quæ ex hoc sæpius sequebantur periculum, in pœnas alias rationabiles permutarent. Quia igitur per aliam constitutionem nostram, sacro approbante concilio,per condignam inflictionem pœnarum contra delinquentes hujusmodi providimus: congruenter dicto approbante concilio statuimus, quod antedicti legati constitutiones prædictæ, quod ad suspensionis & excommunicationis pœnas, non ligent de cætero, nec habeant istud alicujus roboris firmitatem. Prælatis & omnibus nostræ legationis, quod absolvere possint a prædictis suspensionis & excommunicationis sententiis omnes & singulos suæ jurisdictioni subjectos, quas propter præmissa incurrerent, eisdem præsentis virtute statuti plenam cõcedimus potestatem.

Non solum hi qui peccant,sed qui ad peccandum inducunt, pœna debita plectendi sunt,Divinæ legis judicio pariter & humanæ. Quia vero nonnulli laicorum clericos compellunt, in sacris præcipue ordinibus constitutos, ut aliquas mulieres concubinas recipiant,& cum eis in contubernio publice vivant contra decorem ordinis clericalis, & sacrorum canonum instituta: nos iniquitatem hujusmodi detestantes, excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subjacere quemlibet, cujuscumque status aut conditionis existat, necnon universitatem seu communitatem quamlibet sententiæ interdicti,quæ personam quamvis ecclesiasticam duxerit compellendam ad recipiendum in concubinam mulierem quamcumque. Sententias vero prædictas in synodis episcopalibus,&frequenter in ecclesiis parochialibus,volumus & præcipimus publicari.

VIII. *De clericis non residentibus.*

Canonici & ecclesiarum socii suis episcopis personaliter assistentes, non debent absentes ab ecclesia reputari : ideoq; jure provisum est,ne eis,dum in servitio episcoporũ fuerint,beneficiorũ sacrorum redditus subtrahantur. Propterea statuimus, ut nullus a præbendarum suarum perceptione eos audeat impedire. Capitula vero quæ hoc adimplere renuerint,ad observantiã juris illius per suos prælatos districtius compellantur.

IX. *De præbendis.*

Cum secundum statuta canonum una ecclesia unius debeat esse rectoris, nec beneficia ecclesiarum debeant dividi in plures partes, nisi adeo ipsarum ecclesiarum facultates abundent,quod de eis sufficienter possit pluribus servitoribus provideri: volentes divisiones beneficiorum, quæ plerumque sine rationabili causa fiunt, juris auxilio refrenare : statuimus,ut in qualibet ecclesia,uni cura ipsius ecclesiæ principaliter per eum,ad quem de jure pertinet,committatur,cui per providentiam prælati taliter provideatur, quod redditibus ecclesiæ possit honeste vivere,& onera curæ & alia incumbentia supportare. In ecclesiis autem,in quibus beneficia indebite sunt divisa, cum pluribus clericis ipsarum ecclesiarum nec sufficiant facultates,quando portiones hujusmodi vacare contigerit, uniantur & assignentur curato, donec, ut præmissum est, provisionem habeat competentem.

Cum in personis ecclesiasticis ad sacros ordines & beneficia curam animarum habentia promovendis id honestas major requirat,& amplius desideretur peritia litterarum : statuimus,ut nullus deinceps clericus ad sacros ordines promoveatur, nisi saltem litteraliter sciat loqui.Quod si forte secus actum fuerit,prælatus a collatione sacrorum ordinum, quos tali contulit, & promotus ab executione suscepti ordinis, per annum nove-

noverint se suspensos, nisi ex causa rationabili & multum necessaria, quatenus de jure conceditur, prælatus super hoc viderit dispensandum.

In ecclesiis tot secundum canones instituendi sunt clerici, quot possint de earum redditibus commode sustentari. Ideoque statuimus, ut episcopi, eorumque superiores, diligenter attendant, ut tot clericos in ecclesiis ordinent, quot sustentari possint de proventibus earumdem: ne clerici sua numerositate vilescant, & propter facultatum insufficientiam mendicare cogantur, in opprobrium ordinis clericalis. Et ut hoc efficacius observetur, volumus & mandamus ut prælati infra annum, aut saltem infra biennium, cum consilio discretorum ordinent & provideant, ipsamque provisionem in scriptis redactam apud se conservent, quot clerici ad titulum cujuslibet ecclesiæ juxta ipsarum redditus poterunt ordinari. Prælatus vero quicumque, qui prędicta observare neglexerit, pluresque quam ut præmittitur, ad ordines promovendo, vel promoveri per alium faciendo: per annum a collatione illius ordinis, quem contra hoc nostrum prohibitionis statutum contulit, in archidiaconatu illo vel abbatia unde clerici taliter ordinati fuerint, eo ipso noverit se suspensum.

Religiosos decet ab omni calliditate & fraude seipsos retrahere, & omnimodam puritatem in suis actibus observare. Quia tamen nonnulli religiosi, non solum clerici, sed etiam laici militares, ut quorumdam assertione percepimus, habitum sui ordinis sæcularibus clericis fraudulenter cõferunt, & clericis per episcopos institutis in ecclesiis locorum, ubi dicti religiosi temporale dominium obtinent, vel partem aliquam recipiunt decimarum, exinde violenter expulsis, clericos illos quibus hujusmodi habitum contulerunt, propria temeritate instituunt, & ministrare faciunt in eisdem; quidam etiã eorumdem religiosorum clericos sæculares per episcopos in ecclesiis parochialibus ad ipsos episcopos pertinentibus institutos habitum sui ordinis induunt, & ibidem eos ministrare faciunt, ut sic in locis ipsis ecclesias, earumque redditus, suis usibus valeant applicare: nos has fraudes & violentias detestantes, statuimus ut quicumque religiosi fraudes aut violentias attentare præsumpserint, in sententiam excõmunicationis incidant ipso facto, a qua nullatenus absolvãtur, donec pręlatis & ecclesiis, quos per prędictos excessus læserant, satisfecerint cõpetenter.

Clandestinæ & occultæ beneficiorum collationes, quas nonnulli prælatorum, & aliorum ad quos beneficiorum suorum spectat collatio, faciunt magnam in ipsis beneficiis varietatem, & sic in sinistram suspicionem inducunt, dum beneficia ipsa quorum collationes probari non possunt, per eosdem prælatos plerumque aliis conferuntur, & ob hoc super ipsis beneficiis inter eos, quibus taliter collata fuerant, quæstiones & litigia oriuntur. Ut igitur circa hoc, fraudis & varietatis materia amputetur, statuimus ut cum ecclesiasticorum beneficiorum collatio fieri debeat, fiat in capitulo, si consuetudo id obtinet, vel coram notario publico, aut testibus fide dignis, vel cum patenti ipsius prælati littera, vel alterius, seu aliorum quorumcumque ad quos beneficiorum spectat vel spectare debet dicta collatio, præsentibus testibus in littera ipsa collationis insertis, per quæ probari possit collatio, & de ea nullatenus dubitari: alias volumus quod collatio ipsa nullius obtineat roboris firmitatem, seu nullius penitus sit momenti.

X. *De parochiis.*

Parochiarum divisio a sanctis patribus instituta, certitudinem parochianorum & decimarum debitam solutionem inducit. Cum vero libertas mutandi parochiam per abusum, qui in quibusdam partibus inolevit, parochianis indifferenter conceditur: parochianis ipsis subtrahendi decimas præstatur occasio, & ecclesiis injuria in decimarum, primitiarum, oblationum, & aliorum jurium subtractione damnabili irrogatur. Sed quia in plerisque locis nostræ legationis, talis, ut accepimus, inolevit abusus, quod si parochianus unius ecclesiæ die Resurrectionis, seu alio solẽni, in alia parochia sacram communionem accipiat, vel quia alterius ecclesiæ parochianum velle se esse asserat, ex tũc, quoad decimas reales & personales & alia jura parochialia, parochianus illius in qua communicaverit, vel parochianum se velle esse dixerit, censeatur: volentes abusus prædictos juris remediis extirpare, statuimus ut in civitatibus, castris, municipiis, in quibus parochiæ limitatæ non sunt, per episcopos vel alios prudentes viros, quibus hoc episcopi cõmiserint, infra annum a die publicationis constitutionis hujusmodi, per certos terminos limitentur. Postquam vero sic parochiæ fuerint limitatæ, nec parochianis de una parochia modis præmissis ad aliam se mutare, nec alteri parochiali rectori ipsos sic recipere liceat: alioquin & sic se transferens, & recipiens, sententiam excommunicationis incurrant, & nihilo minus prima ecclesia decimis & aliis obventionibus sibi debitis non privetur. Si vero inter divisas diœceses fuerit limitatio hujusmodi facienda, quilibet prælatorum aliquas certas personas assignet, per quas parochiæ quæ confusæ esse non debent, rationabiliter limitentur. Quod si personæ istæ convenire nõ potuerint, tertius prælatus vicinior ad limita-

mitationem faciendam communiter invocetur, per quem una cum prædictis termini parochiarum & fines diœcesum limitentur.

XI. *De decimis.*

Ut fraudes, quas diversis modis religiosi in dandis decimis animalium & novalium adhibent, a prælatis & ecclesiarum rectoribus cautius evitentur: statuimus, ut postquam religiosi per diœcesanos requisiti fuerint super fraudibus hujusmodi nullatenus adhibendis, religiosi ipsi qui hujusmodi fraudes commiserint, in synodis episcopalibus, & in majoribus locis ipsarum diœcesum excommunicati publice nuncientur, & nihilo minus prælati constitutionem super hoc editam cum diligentia exequantur.

XII. *De statu monachorum.*

Monasteriorum damna quæ per alienationes ab ipsorum abbatibus & conventibus, prioribus, aliis administratoribus quibuscumque, indebite fiunt, refrenare volentes: statuimus ut prælati in synodis suis pœnas in constitutione felicis recordationis domini Clementis papæ V. contentas denunciare, & eas in subditis suis exequi non omittant. In exemptis vero, si alienationes hujusmodi fecerint, hoc superiori ipsorum locorum ordinarii denuncient, ut per eos revocentur alienationes hujusmodi, & puniantur talia facientes.

Regularis observantia a sanctis patribus instituta commode observari non potest, nisi circa ejusdem custodiam inter professores ordinum congregatos ad istud frequens discussio & tractatus diligens habeatur. Quia vero per negligentiam abbatum & priorum, signanter ordinis S. Augustini, qui canonici regulares vocantur, ac S. Benedicti, videlicet monachorum nigrorum, pro ut accepimus, præfatæ constitutionis observantia totaliter est omissa: in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, ut juxta Lateranensis concilii provisionem circa hoc factam, religiosi prædicti, exempti & non exempti, infra legationis nostræ terminos constituti, de triennio in triennium loco & tempore opportunis concilia celebrent, & faciant omnia quæ in statuto præfati concilii continentur. Qui autem implere præmissa neglexerint, præter pœnas graves infligendas eisdem, maledictionem omnipotentis Dei, velut tam salubris transgressores præcepti, se noverint incursuros.

Spretionibus monasteriorum & aliorum religiosorum locorum, quæ plerumque per milites & potentes contra statuta canonica hostiliter devastantur, remediis opportunis occurrere cupientes, inhibemus, ne quævis ecclesiasticæ vel sæculares personæ, monasteria seu grangias, vel quælibet alia ipsorum loca gravent, aut opprimendo devastent, bona ipsorum sive victualia diripiendo, aut ad exactiones eis in pecunia persolvendas per pignorationes rerum suarum, aut etiam vassallorum, seu aliis modis illicitis, indebite cōpellendo: alioquin per prælatos ad requisitionem religiosorum ipsorum per sententiam excōmunicationis in personas, ac interdicti in loca & vassallos eorum, ab insolentiis hujusmodi cōpescantur. Prælati vero per religiosos hujusmodi requisiti, circa sententias proferendas & etiam publicādas se reddant in omnibus promptos, solicitos & attentos.

Ut monasteria in quibus mulieres religionis ordinem profitentur, cautela debita & sufficienti diligentia valeant custodiri: statuimus ut prælati, in quorum diœcesibus monasteria ipsa consistunt, vel prælati sui ordinis, qui jurisdictionem in eis exercent, de privilegio vel de jure, certos viros antiquos probatos & honestos, omni suspicione carentes, & maxime sui ordinis, si haberi potuerint, deputent, qui circa ipsarum custodiam invigilent diligenter, curam adhibentes solicitam, ne quivis sæculares vel religiosi suspecti ad eas intrent, vel ipsæ exeant ad eosdem. Si vero ex aliqua rationabili causa aliquæ bonæ & non suspectæ personæ ad eas intrare debuerint, vel ipsæ exire ad eas: hoc fiat de voluntate expressa illius, qui, ut præmissum est, ad custodiam earum fuerit deputatus, de licentia illius qui monasterio illi præest. Eis etiam cum dictis personis confabulari non liceat, nisi sub testimonio duarum vel trium sororum, loco convenienti & hora congrua: nec in confabulatione absque causa necessaria contrahant magnam moram. Contrarium vero facientes in sententiam excommunicationis incidant ipso facto.

XIII. *De religiosis domibus.*

Hospitalitatem quam ex pietatis officio de jure a clericis, & maxime ecclesiarum rectoribus, impertiri convenit transeuntibus, servari volentes: statuimus ut parochialium ecclesiarum rectores & curati, secundum facultatem bonorum suorum, religiosos, pauperes, & peregrinos transeuntes, caritative recipiant & pertractent in locis, nisi ubi ad hoc sit domus aliqua specialiter deputata. Rectores & curati prædicti diligenter invigilent, ut domus hujusmodi sic convenienter paratæ sint, quod hospitalitas ipsa, ad quam deputatæ fuerint, in eis debite observetur, & ad hoc rectores ipsi per ordinarios compellantur.

XIV. *De iure patronatus.*

Ambitionis improbæ & cupiditatis perversæ studium, per quod ad beneficia nondum vacantia via damnabiliter aperitur, rese-

ANNO CHRISTI 1322.

care & præcludere affectantes, statuimus ut nulli ecclesiarũ patroni ad ecclesias, in quibus jus patronatus obtinent, antequam vacent, cuiquam præsentationes concedant: quas si forte concesserint, eo ipso irritæ sint penitus & inanes. Clerici vero qui hujusmodi litteras præsentationis impetrant, vel pro quibus, ipsis scientibus vel consentientibus, ab alio impetrantur, ad ecclesias ipsas obtinendas in ipsa vacatione reddantur inhabiles ipso facto.

Nonnulli ecclesiarum patroni pueros infantes, & alios, in ecclesiis in quibus jus patronatus obtinent, & in aliis, violenter intrudunt contra canonum instituta, ecclesiarum ipsarum redditus sæpius usurpantes. Cum igitur intrusiones & detentiones prædictę sacris sint canonibus inimicæ, statuimus ut nullus deinceps excessus tam damnabiles attentare pręsumat: alioquin contrarium facientes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, & quousque ecclesiæ & prælato satisfecerint, nullatenus absolvantur. Prælati vero in suis ecclesiis denunciari excommunicatos nominatim faciant talia committentes. Si autem prælati, in denunciatione hujusmodi post duos menses, postquam ad eorum notitiam pervenerit, negligentes fuerint, aut tales intrusos in eisdem ecclesiis instituerint, a collatione beneficiorum per sex menses noverint se suspensos: intrusi & minores quidem si postquam ad ætatem discretionis pervenerint, majores autem ex quo dictæ intrusioni consenserint, tale beneficium scienter detinere præsumpserint, eo ipso per biennium reddantur inhabiles ad ecclesiasticum beneficium obtinendum.

Cum ad ecclesias, in quibus diversi tale jus obtinent patronatus, plures clerici ab eisdem patronis in discordia præsentantur, sępe contigit, quod aliqui ex clericis præsentatis cessiones sibi fieri procurant ab aliis ad eamdem ecclesiam taliter præsentatis, credentes ex hujusmodi cessionibus jus sibi accrescere ad ipsam ecclesiam obtinendam. Nos itaque cessiones hujusmodi fieri prohibentes, decernimus ex eis nihil juris accrescere ipsis clericis procurantibus sibi fieri hujusmodi cessiones, & nihilo minus ea vacatione & vice ipso facto reddantur inhabiles ad id beneficium obtinendum.

Filiis ac nepotibus eorum qui in ecclesiis jus obtinent patronatus, de jure non licet rectores ecclesiarum ipsarum indebitis prandiis & exactionibus aggravare. Quia vero quamplures patronorum, ut relatione certa didicimus, [dictos rectores] plura & immoderata prandia ab ipsis rectoribus extorquẽt: nos talium excessus reprimere volentes, statuimus ut patroni ecclesiarum exactiones hujusmodi deinceps facere non præsumant. Ubi autem dicti patroni prandium se habere asserunt de consuetudine, "non possit sine scandalo removeri: statuimus, ut eo casu descendentes ab uno patrono, vel pluribus, seu omnibus, si ad hoc omnes simul convenire voluerint, cum moderata familia, cum quanta unus pater eorum recipere consuevit, unum prandium a rectore ecclesiæ recipiant, juxta facultates ecclesiæ moderatum: alioquin prandium ipsum, per episcopum in certa quantitate pecuniæ æstimetur, quæ pecunia inter patronos omnes prædictos per episcopum vel alium de ejus mandato dividatur. Si quis vero patronorum contra statutum hujusmodi venire præsumpserit, tamdiu jure præsentandi careat, donec rectori ipsi, aut successori ejusdem, satisfecerit competenter, apud alios remanente, qui in observantia statuti hujusmodi minime deliquerit.

"f. deest, quod

XV. *De baptismo.*

Sacri confectio chrismatis solis episcopis eorumque superioribus est concessa, & ab eis est annis singulis celebranda: a quibus etiam omnes ecclesiarum rectores in suis diœcesibus constituti novum chrisma, juxta præcepta canonum, debent recipere, & concremato veteri, novo uti. Quia vero in observantia dictorum canonum plerique se exhibent negligentes, statuimus ut clerici, religiosi, & alii, exempti & non exempti, annis singulis chrisma novum a suo diœcesano episcopo, vel ab eo qui ex officio suo tenetur illud distribuere, postulent & requirant: alioquin utentes veteri chrismate in baptismo, ipso facto per sex menses a perceptione beneficii; negligentes vero in petendo, per tres menses, ab officio sint suspensi, exemptorum privilegiis quæ circa hoc obtinent, "super salvis. "f. semper

XVI. *De observatione ieiuniorum.*

Ut Quadragesimæ & quatuor temporum jejunia a sanctis patribus instituta, quæ multorum effrenata infringit gulositas, diligentius observentur: statuimus, ut nullus fidelis in ætate legitima constitutus, carnes in Quadragesima vel in quatuor temporibus comedere audeat* nullo modo: alioquin transgressores prohibitionis hujusmodi, in sententiam excommunicationis incidant ipso facto. Hæc vero sententia in synodis episcopalibus, & in parochialibus ecclesiis, singulis diebus Dominicis & festivis a Septuagesima usque ad Pascha solenniter publicetur: vendentes etiam carnes publice in supradictis temporibus, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant. Circa infirmos vero, quos urgens cogit necessitas, servetur quod super hoc canones decreverunt.

XVII.

ANNO CHRISTI 1322.

XVII. *De immunitate ecclesiarum.*

Reverentia specialis quam cuncti fideles ecclesiæ Dei exhibere tenentur, merito nos inducit ut eos qui per illicitos actus Divina officia quæ in ecclesiis celebrantur, perturbare præsumunt, adjectione pœnæ debitæ compescamus. Ideoque universis ecclesiarum prælatis præcipiendo mandamus, ut constitutionem felicis recordationis Gregorii papæ V. quæ incipit; Decet domum Domini; contra sæculares judices, qui causas in ecclesiis audiunt, in ecclesiis suarum diœcesum faciant publicari, & judices ipsos nihilo minus moneant, & inducant, ut ab hujusmodi Divinorum officiorum perturbatione desistant: alioquin contra eos procedere per censuram ecclesiasticam non omittant, sententias insuper per eosdem prolatas, denuncient, virtute dictæ constitutionis, nullius obtinere roboris firmitatem.

Cum negotiationis nundinæ & fori cujuscumque tumultus, a jure in ecclesiis fieri sint penitus interdicti, eo quod per hoc Divina possunt impediri officia, & evidens præbeatur occasio ad multa enormia in ecclesiis committenda: statuimus ut quicumque talia vel aliquid prædictorum in eis exercere præsumpserint, ipso facto excommunicationis sententia sint ligati.

Macellum vero in cœmeteriis sub eadem pœna fieri prohibemus. Sacristæ autem sive "thesaurii cathedralium & collegiatarum, ac rectores parochialium ecclesiarum, diligenter attendant ut negotiatores hujusmodi ab ecclesiis suis abjiciant, & negotiationes quæ earum dehonestant decorem, in eis fieri non permittant. Qui circa hoc negligentes extiterint, per suos ordinarios puniantur.

thesau-
.i

Nonnulli temporalem jurisdictionem indebite exercentes, & alii immunitatem ecclesiasticam, confugientes ad ipsam defensare tenentur exquisitis fraudibus infringere moliuntur. Quosdam enim confugientium hujusmodi, ut habet fide digna relatio, intra ipsam ecclesiam constringunt compedibus & catenis; quosdam vero sic arcte custodiunt, ut eis victualia non possint aliqualiter ministrari; alios etiam dormire vel quiescere non permittunt, & quandoque eos vulnerant, mutilant, comburunt & occidunt, & aliis modis affligunt contra ecclesiasticam libertatem. Volentes igitur horum ausus temerarios juris remedio refrenare, statuimus ne aliquis seu aliqui, præfatis modis vel aliquo ipsorum infringere ecclesiasticam audeant libertatem: alioquin officiales, episcopi, & alii, atque eis præstantes in his scienter consilium, auxilium & favorem, in sententiam excommunicationis incidant ipso facto. Si

rus ob-
rus.

A vero communitas hæc fecerit, vel fieri præceperit, eo ipso ecclesiastico subjaceat interdicto, pœnis & aliis in jure statutis in suo robore duraturis.

Domus Dei quæ ad ejus laudem specialiter deputantur, per nonnullos nobiles & potentes, prælatorum licentia incastellantur, vallantur, & fortalitiis contra sanctorum patrum statuta muniuntur, & in servitutem indebite rediguntur. Ideoque statuimus, ut nullus prædictorum temeritate propria quascumque ecclesias aut cœmeteria incastellare, seu vallare audeat, nisi ex magna & inevitaB bili causa: alioquin si personæ singulares extiterint, in excommunicationis, terræque eorum, interdicti sententias incidant ipso facto. Si vero communitas hoc definierit, vel fieri præceperit, ecclesiastico subjaceat interdicto. Sententiæ vero prædictæ in synodis per episcopos solenniter publicentur.

Quia cælestis illa Ierusalem mater nostra libera est libertate quam contulit ei Christus, justum & dignum dignoscitur, quod quæ ipsius sunt, libertate gaudeant universa. Sed, proh dolor! draco ille antiquus serpens, iniC micus naturalis Christi sponsæ, a timore Dei corda mundanorum hominum sic avertit, & contra libertatem ecclesiasticam sic permovit, quod personas ipsius lædere, ac capere decimas, & alia bona ejus capere, & vastare illius loca, & interdum, proh pudor, ecclesias ipsas ac monasteria invadere, destruere, ac cremare, ac jura ecclesiæ violare diversimode, ausu sacrilego non verentur. Nos igitur præmissa tam gravia, tam horrenda, tanquam sacris canonibus inimica, de medio tollere cupientes, sacro approbante concilio duximus statuendum: quod quicumque, cujusD cumque status, religionis aut conditionis existant, prædicta vel aliquod prædictorum commiserint, seu committentibus prębuerint scienter consilium, auxilium, vel favorem, pręter alias pœnas a jure positas contra tales, viventes quidem ab ingressu arceantur ecclesię, morientes vero, quoad usque plene satisfactum fuerit damna passis, careant ecclesiastica sepultura. Volumus insuper, quod nisi facta satisfactione prædicta nullus possit ipsos absolvere ab his pœnis. Verum quia plerumque humanus pudor a peccando coE hibet, quos ab hoc non retrahit timor Dei: statuimus quod in civitatibus seu locis aliis quibuscumque, in quibus principales malefactores prędicti fuerint, seu personę prędictę ecclesiasticę, aut antedicta bona ex certa scientia recepta & detenta extiterint, quamdiu dicti malefactores, aut bona ecclesię pręmissa, in ipsis fuerint, cessetur inibi totaliter a Divinis. Mandamus nihilo minus prelatis omnibus, quod ipsi in suis ecclesiis cathedralibus & parochialibus suarum diœcesum pręsen-

ANNO CHRISTI 1322.

præsentem constitutionem frequenter faciant publicari.

XVIII. *De consanguinitate & affinitate.*

Clement. *Eos qui*, de consang. & affin.

Cum generalis concilii Viennensis statutum eos qui in gradu prohibito nuptias contrahunt, excommunicationis decernat sententiæ subjacere, & prælati circa ejus publicationem fuerint hactenus negligentes: statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, ut ipsi ecclesiarum prælati in cathedralibus & parochialibus ecclesiis, quatuor anni festis præcipuis, & in diebus Dominicis Quadragesimæ, dictam generalis concilii constitutionem faciant publicari.

XIX. *De simonia.*

Detestandam prælatorum avaritiam, ac aliorum qui jurisdictionem ecclesiasticam in ecclesiis obtinent, quæ labem simoniæ continet, extirpare volentes, sacro approbante concilio statuimus, ut nullus archiepiscopus, vel episcopus, abbas, archidiaconus, archipresbyter, aut quivis alius, ad quem spectat clericorum præsentatio, officiales eorum seu portarii, pro ordinibus collatis seu conferendis, vel quocumque actu vel * licentia ipsos ordines præcedente, quidquam recipere audeat: alioquin si laicus fuerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat; si vero clericus, qui nondum ecclesiasticum beneficium obtinet, usque ad biennium eo ipso reddatur inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtinendum; si autem beneficiatus extiterit, ut decanus, archidiaconus, abbas sæcularis, archipresbyter, vel quivis alius jurisdictionem habens, ipso facto a perceptione beneficii sit suspensus, donec duplum ejus quod receperit, restituat; cujus medietas clerico, a quo recepta fuit pecunia, alia vero medietas fabricæ cathedralis ecclesiæ applicetur. Prælatus vero, si de ejus conscientia vel mandato quidquam receptum fuerit, eo ipso a collatione ordinum sit suspensus, quousque duplum ejus quod receptum est restituat, vel restitui faciat, dicto modo inter fabricam ecclesiæ dividendum.

* littera

Ordinati vero, si post receptionis ordines, pro scripturæ labore, charta & cera, aliquid offerre voluerint, hoc accipi minime prohibetur: ita tamen, quod hæc gratuita oblatio summam quinque morobetinorum usualis monetæ aliquatenus non excedat: a pauperibus autem aut nihil, aut minus recipiat pro prædictis. Archiepiscopi autem vel episcopi, seu vicarii eorum, & ipsis in remotis agentibus, vel sede vacante vicarii per capitulum deputati, nihil omnino recipiant pro præsentatione ad ordines, vel præsentationis litteris, alteri episcopo facienda: alioquin eo ipso * in incidant supradictas.

* f. in pœnas incid. sup.

Quorumdam clericorum & laicorum abusum, qui clericos de novo promotos non permittunt in suis ordinibus ministrare, priusquam eis adhibeant per unum aut plures dies prandia & convivia sumptuosa, vel certam præparent quantitatem pecuniæ, extirpare volentes, statuimus, ut cum clerici qui ad titulum alicujus ecclesiæ, ad subdiaconatus, diaconatus, aut presbyteratus ordines sint promoti, noviter celebrare voluerint, alii clerici illius ecclesiæ eos libere admittant, & eis ad celebrandum ministrent ecclesiæ paramenta, celebrationi ipsorum caritative & amicabiliter assistentes; eisdem etiam secundum quod ordo ipsorum exegerit, portionem integraliter conferant & assignent. Quod si contra hoc nostræ constitutionis edictum clerici quidquam malitiose commiserint, exegerint, aut perceperint: quarta parte fructuum & proventuum beneficii quod in dicta ecclesia obtinent, sint privati, exigenda per eum cui diœcesanus commiserit, & fabricæ illius ecclesiæ applicanda. Laici vero, si clericis noviter promotis contra hoc quidquam molestiæ aut contradictionis objecerint, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto, consuetudine quavis contraria non obstante.

Vt simoniaca labes, quæ vacantibus ecclesiis a patronis & clericis damnabili cupiditate & ambitione frequenter committitur, pœnarum formidine refrenetur: statuimus ut nullus patronus, pro præsentatione ad ecclesiam in qua jus obtinet patronatus, pecuniam aut quodcumque munus recipiat, sive donum; nec clericus audeat per se aut per alium pro præsentatione præmissa munera promittere vel donare: alioquin & præsentans illa vice jure præsentandi sit ipso facto privatus, & præsentato clerico nihil juris ex præsentatione hujusmodi acquiratur, nec etiam ab aliis patronis ea vice ad ecclesiam illam valeat præsentari. Vt autem circa hoc omnis sinistra suspicio conquiescat, præcipimus, quod prælatus, ad quem institutio pertinet, a præsentato clerico antequam in beneficio ipsum instituat, corporale recipiat juramentum, quod pecuniam vel aliud munus quodcumque patrono aut alii pro eodem pro præsentatione hujusmodi nec promisit, nec dedit, per se vel per alium quoquo modo.

Gratia si non gratis datur & recipitur, gratia non est. Nonnulli vero prælatorum, ut accepimus, cum beneficia conferunt, occasione collationis factæ fructus eorumdem beneficiorum, aut aliquam ipsorum partem, seu summam aliquam pecuniæ, exigere ac retinere præsumunt. Cum igitur corruptelam hujusmodi

Anno Christi 1322.

jusmodi sacri canones detestentur: jubemus ne episcopi, vel quivis alius ad quem beneficii collatio pertinet, ratione collationis hujusmodi beneficii aut chanriæ, seu alio quocumque quæsito colore, aliquid præsumant per se vel per alium exigere, seu etiam retinere: nec notarius seu scriptor quidquam nisi moderatum exigat pro collationis littera & sigillo; sed ille libere fructus ipsos percipiat, cui beneficium est collatum. Quod si aliquis ad quem collatio beneficii spectat, contra præmissa fecerit, eo ipso a collatione beneficiorum per sex menses noverit se suspensum: & beneficia ad collationem suam spectantia, quæ medio tempore vacaverint, per eum ad quem collatio ipsorum de jure vel de consuetudine devolvitur, conferantur.

XX. *De magistris.*

Ignorantia, quæ mater cunctorum errorum esse dignoscitur, in clericis qui ad animarum curam & docendi officium assumendi sunt, est diligentius evitanda. Ideoque ab eis studiose vigilandum est, ut per solicitudinem studii eam a se abjiciant, quasi pestem. Volentes igitur ut clerici ad ecclesiasticos ordines promovendi, utilius in scientia valeant informari; optantes etiam, ut constitutio Lateranensis concilii effectum debitum sortiatur: statuimus, ut in qualibet civitate & in aliis locis insignibus, duobus vel tribus in unaquaque diœcesi, ubi & prout prælatis, considerata diœcesis qualitate & latitudine, videbitur expedire, ponantur magistri in grammatica, qui scholares in dicta scientia instruant & informent. In civitatibus vero solennibus magistri in logicalibus deputentur, & eis salaria de circumadjacentibus ecclesiis ipsis prælatis subjectis assignentur, secundum ordinationem & providentiam eorumdem. In locis quoque majoribus, ubi opulenta monasteria sunt constituta, vel collegiatæ ecclesiæ sæculares consistunt, magistri in grammatica statuantur, quibus per abbates & conventus de ecclesiarum redditibus eis pleno jure subjectarum, in quibuscumque existant diœcesibus, provideatur de salario competenti.

Ut autem clerici ad proficiendum in scietia facilius inducantur: statuimus, quod volentes studio litterarum insistere, pro tempore quo insistent, iidem fructus beneficiorum suorum usque ad triennium percipiant, aut etiam majori tempore, si hoc prælatis & suis capitulis expediens videatur. Negligentes vero in scientia proficere, si ad hoc apti fuerint, per subtractionem beneficiorum suorum ab ordinariis compellantur. Et ut hoc salubre statutum efficacius valeat observari: volumus & mandamus, quod quilibet prælatus aliquem de ecclesia sua specialiter deputet, qui de magistris & eorum salariis curam habeat, ac eis provideri faciat, prout superius est expressum. Qui si negligens fuerit, per episcopum pro negligentia puniatur. Nos vero prælatis in virtute obedientiæ districte præcipimus, ut in proximis synodis in suis diœcesibus celebrandis hanc nostræ constitutionis ordinationem diligentius exequantur. Per hoc autem circa dignitates, quibus onus annexum est providendi de salario magistri in grammatica, nihil intendimus immutare.

Cathedrales ecclesiæ personis litteratis, providis & discretis indigent, per quos verbum Dei recte prædicari valeat, & causarum ambiguitates & strepitus commodius expediri. Volentes igitur, ut beneficiati in ipsis ecclesiis opportunitatem habeant proficiendi in scientia, & possint bonis moribus informari: statuimus ut in qualibet cathedrali & collegiata ecclesia aliqui etiam ex beneficiatis apti & docibiles, judicio episcopi vel prælati sui & capituli, saltem unus ex decem de residentibus, assumantur, qui ad studia generalia theologiæ, juris canonici, ac liberalium artium accedere compellantur, & ibidem utiliter perseverare tempore debito, donec ad statum scientiæ competentem perveniant, & medicinæ quoad illos quibus ipsas audire a jure non est prohibitum, idem volumus observari. Sic autem electis & approbatis, tempore quo episcopo & capitulo expedire videbitur, fructus beneficiorum, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis, integraliter assignentur, consuetudinis vel constitutionis statuti illius ecclesiæ obstaculo non obstante. Prælatis vero sub interminatione Divini judicii præcipimus & mandamus, ut præsentem constitutionem in proximis synodis diligenter exequi non omittant.

XXI. *De Judæis & Sarracenis.*

Ecclesia Dei, in qua celebrantur Divina officia & sacramentum eucharistiæ consecratur, purgari debet, ne * communicatione infidelium cum fidelibus profanetur. Volentes igitur abusum evellere, qui in quibusdam partibus inolevit, quo infideles fidelibus se immiscent, cum Divina officia in ecclesia celebrantur, ex quo scandalum frequenter oritur, & fidelium devotio impeditur: præsenti prohibemus edicto, ne quivis infideles in ecclesiis interesse præsumant dum Divina celebrantur officia. Quod si forte ex aliqua necessitate vel rationabili causa, in ecclesia, dum celebrantur Divina, & Missa specialiter, eos interesse contigerit,

* commistione

ANNO CHRISTI 1322.

gerit, postquam præfationem Missæ sacerdos inceperit, ab ecclesia per sacristam in secretiori loco, vel alio apto, juxta ecclesiam recludantur: defendentes vero ipsos, ut prædicitur, & impedientes ne ab ecclesia expellantur, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

Novit hostis Dei calliditas sub ovina pelle lupum inducere, ac sub mellis similitudine fel inferre, contra quod a Christum colentibus, ne fallantur, est cautela diligens adhibenda. Quia igitur in nocturnis vigiliis, quas in ecclesiis fieri aliquorum simplicium devotio introduxit, nefanda sæpe ac enormia sub hac boni specie committuntur: ipsas fieri de cætero firmiter prohibemus. Infideles vero quoscumque ad vigilias istas adducere seu tenere, aut procurare quod tumultum ibi faciant suis vocibus, vel quibuslibet instrumentis, execrabile reputantes: statuimus, quod quicumque circa infideles dumtaxat contra præmissa fecerit, seu aliquod præmissorum, vivens quidem ab ingressu arceatur ecclesiæ, ac moriens ecclesiastica careat sepultura.

Sicut fidelis populus ab infideli est professione divisus, sic eum decet conversatione & moribus ab infidelium ritibus segregari. Ne igitur Christianæ fidei professores, Iudæorum & Sarracenorum superstitionibus polluantur, & simplicium animi ad eorum perfidiam inclinentur: sub excommunicationis pœna, quam ipso facto incurrant, firmiter inhibemus, ne Christiani Iudæorum aut Sarracenorum nuptiis vel sepulturis intersint, nec eorum ritus in his signanter aliqualiter imitentur

Absurdam & irrationabilem corruptelam quæ in Christianæ fidei vergit opprobrium & jacturam, qua contra sanctiones canonicas, Iudæi & Sarraceni Christianis in publicis præficiuntur officiis, sub quorum prætextu Christianis plurimum sunt infesti, extirpare volentes: universis ecclesiarum prælatis sub interminatione Divini judicii præcipimus & mandamus, ut sanctorum patrum statuta super hoc edita, per excommunicationis sententiam & aliarum pœnarum appositionem faciant inviolabiliter observari.

[a] Corr. Ad dilatationē

[a] Ad dilationem fidei Christianæ, & conversationem fidelium debita solicitudine intendentes, statuimus, ut conversis Iudæorum & Sarracenorum, qui plerumque post susceptionem baptismi mendicare propter rerum inopiam compelluntur, & ob hoc nonnulli eorum a receptione fidei retrahuntur, in hospitalibus & piis locis provideatur in necessariis, secundum facultatem & sufficientiam reddituum eorumdem: cujus ordinationem in locis non exemptis discretioni & arbitrio diœcesanorum ducimus committendam. Alii tamen qui apti fuerint ad proficiendum in artificiis aliquibus, per rectores hospitalium prædictorum ponantur & deputentur ad scientias, vel ipsa artificia addiscenda: quibus provideatur in necessariis, quousque in tantum in eis profecerint, quod de scientia vel de artificio commode valeant sustentari. Illis vero non teneantur dicta hospitalia providere, qui ante conversionem aliqua artificia sciverint, de quibus vivere valeant competenter: fiat tamen talibus in principio de hospitalium bonis aliqua moderata subventio, ad habendum instrumenta necessaria pro suo artificio exercendo.

De bonis autem talium conversorum fiat quod circa hoc canones decreverunt. Vt vero prædicta hospitalia ad sustentationem ipsorum sufficere valeant, & etiam aliorum, prælati indulgentias concedant eis qui talibus conversis benefecerint: deputantes aliquos probos viros, qui eleemosynas hujusmodi colligant, & eis pro suis necessitatibus administrent. Vniversos etiam ecclesiarum prælatos monemus & hortamur in Domino Iesu Christo, ut conversis hujusmodi, qui ad clericatum apti fuerint, & clericatum ipsum recipere voluerint, de beneficiis ecclesiasticis suæ conditioni & merito competentibus studeant providere.

Prædicationis officium, quod exerceri non debet nisi ab idoneis & litteratis personis, & eis dumtaxat, quibus per prælatos seu de jure aut privilegio specialiter est commissum, Iudæis & Sarracenis conversis penitus interdicimus, nisi eis qui examinati & approbati fuerint per prælatos, & tales inventi, quod sine errore & scandalo fidei infideles convincere possint & sciant per scripturas, & maxime ex codicibus eorumdem Prælatis etiam interdicimus, ne ipsis conversis litteras concedant super licentia prædicandi dictis infidelibus: nisi probati & examinati fuerint, ut superius est expressum.

Adversus Iudæorum & Sarracenorum induratam malitiam, (qui sub velamine medicinæ, chirurgiæ, & apothecariæ, callide insidiantur & nocent populo Christiano, dum eis medicamenta [a] proponant, ex quibus nonnunquam pericula mortis incurrunt) sanctorum patrum canones salubriter providerunt, prohibentes, ne Christiani eos in infirmitatibus suis vocent, aut ab eis recipiant medicinam. Quia vero prædicti canones propter prælatorum negligentiam non servantur, in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, ut prælati ipsi præcepta canonum tam circa prædicta, quam circa eorumdem evitanda cibaria, per censuram

[a] f. propinant.

ram ecclesiasticam faciant inviolabiliter observari.

Damnandæ cupiditatis iniquitas, qua mercatores Christiani victualia deferunt Sarracenis, notabile damnum * afferunt Christianis: dum ex hoc & Sarracenorum relevatur inopia, & terra Christianorum victualibus sibi necessariis vacuatur. Cum igitur præmissa fieri tempore guerræ sint a jure prohibita, prælatis omnibus & singulis præcipimus & mandamus, ut committentes præmissa, excommunicatos in suis ecclesiis faciant publicari. Sententia autem hujusmodi in cathedralibus & parochialibus ecclesiis, & specialiter partibus Sarracenorum vicinis, saltem quater in anno solenniter publicetur.

*f. affert

XXII. *De adulteriis.*

Lex continentiæ, & tori conjugalis fidelitas, quandoque per concubinarium abusum, quandoque per secundas nuptias, quas plerique de facto, cum de jure non possint, contrahunt contra legis Divinæ præcepta, indebite violatur. Ideoque statuimus, ut quicumque conjugatus concubinam publice detinere præsumpserit, vel conjugatus, aut non conjugatus, concubinam infidelem præsumpserit detinere, tam ipsi quam ipsæ eo ipso sententiam excommunicationis incurrant. Prælati vero sententiam hujusmodi in ecclesiis faciant sæpius publicari.

XXIII. *De raptoribus.*

Execrabilem quorumdam Christianorum abusum, quo nonnulli Christanos rapiunt vel furantur, & eos Sarracenis vendunt, aut aliter quomodocumque trahunt, abhorrentes: statuimus, ut nullus Christianus prædicta vel aliquid prædictorum exercere audeat: alioquin in sententiam excommunicationis incidat ipso facto; & quod postquam a dicta sententia absolutus fuerit, nisi prius satisfecerit, careat ecclesiastica sepultura. Prælatis sub interminatione Divini judicii præcipimus & mandamus, ut filios eorum, videlicet qui prædictis modis subtractos Sarracenis tradunt, cum affectu usque ad tertiam generationem ad sacros ordines & ecclesiastica beneficia non admittant. Sententia vero hujusmodi in cathedralibus ecclesiis, maxime partibus Sarracenorum vicinis, saltem quater in anno solenniter publicetur.

Ex frequentibus prælatorum querelis percipimus, quod nonnullæ religiosæ personæ, exemptæ & non exemptæ, ecclesias, decimas, & alia ecclesiarum & prælatorum bona, mobilia & immobilia, tam notabili læsione violenter usurpant & injuste detinent occupata. Vt igitur tales injuriatores pœna puniantur canonica, & ecclesiæ ab injuriis ac molestiis releventur: præcipimus, ut prælati constitutionem felicis recordationis domini Clementis papæ V. quæ incipit: Religiosi: contra tales in ecclesiis suis publicari faciant diebus Dominicis & festivis, & incidentes in ejusdem constitutionis pœnas, excommunicatos & suspensos nominatim faciant publice nunciari.

XXIV. *De sortilegiis.*

Cum sortilegorum, maleficorum, incantatorum, superstitiosa pernicies sit reprobata a jure canonico & civili, & in his a pluribus excedatur: præsenti constitutione firmiter inhibemus, ne aliqui ad hujusmodi sortilegos, maleficos, incantatores, divinatores accedere, aut ab eis super suis vel aliorum actibus consilium petere præsumant: alioquin tam ipsi, quam ab eis consilia requirentes, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Inhibemus insuper sub excommunicationis pœna, ne aliquis attendat auguriis, aut in agendis secundum augurium consilia dirigantur. Prælati vero & prædicatores verbi Dei, in suis sermonibus auguria dissuadeant omnibus Christianis.

XXV. *De purgatione canonica.*

Cum per sanctorum patrum statuta præcipiatur, ut ecclesiæ * in suis actibus materiæ mature procedatur: statuimus, ut purgatio canonica in causis sacrilegiorum vel aliis quibuscumque nullatenus indicatur, nisi tali casu, pro quo de jure sit purgatio indicenda.

*f. ecclesia in suis actibus mature procedat.

XXVI. *De purgatione vulgari.*

Vulgaris purgationis abusum per canones interdictum, quo suspecti de criminibus, ad se purgandum, ferrum candens, aut aquam ferventem accipiunt, detestantes: statuimus, ut mandantes talem purgationem fieri, tenentes, exhibentes, custodientes, accipientes ad hoc ferrum vel aquam hujusmodi, cum his Deus tentari videatur, & innocentes in hujusmodi purgationibus sine demerito puniantur, in sententiam excommunicationis incidant ipso facto, & nihilo minus sæpius excommunicati publice nuncientur.

ANNO CHRISTI 1322.

XXVII. *De pœnitentiis.*

Pœnitentiæ sacramentum, quod omni fideli, postquam ad annos discretionis pervenerit, est necessarium ad salutem, a nullo est aliqualiter negligendum. Ideoque universis ecclesiarum rectoribus sub pœna excommunicationis districte præcipiendo mandamus, ut constitutionem generalis concilii, quæ incipit: Omnis utriusque sexus: maxime quoad pœnas non confitentium, aut non communicantium, quæ sunt, ut viventes ab ingressu ecclesiæ arceantur, & morientes careant ecclesiastica sepultura, singulis Dominicis diebus, a Septuagesima saltem usque ad Pascha, in suis ecclesiis publicent, & in aliis locis, ubi hoc viderint expedire.

Et ego Roman. quondam magistri Oddonis de Laude publicus apostolica & imperiali autoritate notarius, prædictas constitutiones, prout in ipsarum originali correcto vidi & legi, de mandato, autoritate, & commissione reverendi in Christo patris & domini, domini Guillermi episcopi Sabinensis, apostolicæ sedis legati supradicti, in præsentia discretorum virorum, domini Raimundi Flori canonici Compostellani capellani, & Stephani de Lilio archipresbyteri de Gomera Oxomensis* diœcesis, clerici ipsius domini legati, testium ad hoc vocatorum & rogatorum, die secunda mensis Septembris anni & pontificatus prædictorum, mihi & Bertrando notario publico infrascripto factis, cum eodem Bertrando fideliter auscultavi. Et quia ipsas cum prædicto originali concordare inveni, in testimonium præmissorum me subscripsi, signumque meum hic & in fine cujuslibet folii præsentium constitutionum usque ad medietatem apposui consuetum. Et in uberiorem certitudinem præmissorum, dictus dominus legatus du xit sigillum suum præsentibus foliis in filo colligatis appendi.

*Male legebatur, Oxoniensis

Et ego Bertrandus Vanchi de Chanensi castro, clericus Trevirensis diœcesis, publicus apostolica & imperiali autoritate notarius, prædictas constitutiones, prout in ipsarum originali correcto vidi & legi, de mandato, autoritate, &c.

ANNO CHRISTI 1322.

*** CONCILIUM COLONIENSE

Ab Henrico Coloniensi archiepiscopo & suffraganeis celebratum, anno Dom. MCCCXXII. pridie Kal. Novembr.

In quo Engilberti Coloniensis archiepiscopi synodalia statuta, facta sunt provincialia.

Henricus Dei gratia sanctæ Coloniensis ecclesiæ archiepiscopus, sacri imperii per Italiam archicancellarius, sacro præsente provinciali concilio, ad perpetuam rei memoriam.

Reipublicæ curam gerentes, illud affectanter in corde gerimus, ut nostris subjectis pacem, quie- A tem, & tranquillum statum præparemus, ac nunc novorum editione, nunc antiquorum extensione decretorum, libertatem ac immunitatem ecclesiasticam conservemus, ac insurgentium contra ipsam conatus & appetitus noxios, etiam pœnarum adjectionibus, refrenemus. Sane jamdudum felicis recordationis dominus Engilbertus Colonēsis archiepiscopus prædecessor noster, speculator providus, & subditorum suorum defensor inclytus, ad manutenendam & defendendam libertatem & immunitatem ecclesiasticarum personarum, ac eorum qui in sortem Domini sunt vocati, complura (ultra provisiones tam juris canonici quam civilis) statuta synodalia, non tam salubria & utilia, quam necessaria, promulgavit; B eaque pœnarum adjectionibus, sicut erat expediens, vallavit provide & consulte: quæ de consilio & consensu nostri capituli Coloniensis, ac venerabilium patrum, dominorum, Godefridi Osnaburgensis, & Godefridi Mindensis, ac procuratorum venerabilium dominorum, Adolphi Leodiensis, & Lodovici* Monasteriensis ecclesiarum episcoporum nostrorum suffraganeorum, & procuratorum ecclesiæ Trajectensis, ipsa Trajectensi sede vacante, in præsenti nostro concilio provinciali congregatorum, salvis prædictorum suffraganeorum nostrorum statutis synodalibus, si quæ habent, eis & eorum ecclesiis, monasteriis, & piis locis ecclesiasticisque personis plenius providentibus, C quibus per præsentes præjudicare non intendimus, sed ea in suo robore volumus permanere: autoritate præsentium duximus approbanda, innovanda, & autorizanda, ac ad totam nostram provinciam, ut uniformitas in ea inducatur, in omnibus suis modo & forma & tenoribus extendenda: ipsaque ad totam nostram provinciam extendimus per præsentes, decernentes ea, ut provincialia statuta & decreta, amodo debere firmiter teneri & observari. Quorum quidem statutorum tenor, de verbo ad verbum dinoscitur esse talis.

*Ludolphi

D

In nomine Domini, amen.

Engilbertus Dei gratia &c. *supra pag. 836.*

Item contra eos qui manus in clericos vel personas ecclesiasticas injiciunt temere violentas.

Statuimus, ut sacrilegi, qui suadente diabolo, Dei timore postposito, manus injiciunt in cleric. &c. *ut supra pag. 837. & sequentibus.*

E Hæc omnia & singula statuta, autoritate præsentis concilii provincialis, in omnibus suis, modo, & forma, & clausulis, & tenoribus, ac pœnarum adjectionibus, ad totam nostram provinciam extendimus, & statuta provincialia facimus: decernentes ea, ut statuta provincialia, debere teneri & observari, sic quod in qualibet civitate & diœcesi provinciæ nostræ ea teneantur & observentur, sicut sub verbis nostrę civitatis & diœcesis, tanquam synodalia, sunt concepta ac promulgata, & hactenus observata: salvis tamen aliis statutis synodalibus ecclesiæ nostræ Coloniensis, a nobis sive a prædecessoribus nostris editis: ac etiam statutis suffraganeorum nostrorum, si quæ habent, quibus, si reperiantur in aliquo præsentibus

statutis

statutis contraria, vel diversa ab eisdem, in quantum & in eo in quo melius & plenius provident ecclesiis, monasteriis, & piis locis, ecclesiasticisque personis & earum rebus, & non istis: si vero melius & plenius præsentibus statutis, eisdem providetur: istis, & non illis, decernimus fore standum. Et hoc num melius & plenius per ista statuta, an per illa provideatur, judicio sive arbitrio executorum ipsorum statutorum duximus relinquendum. Præterea executionem præsentium statutorum, ac absolutionem, suspensionem, & relaxationem sententiarum in eisdem latarum, seu eorum autoritate ferendarum, ad nos & ad nostrum officialem Coloniensem in nostra civitate & diœcesi, & ad quemlibet nostrorum suffraganeorum, & ad eorum officiales, sive ad ipsos ad quos de jure vel de consuetudine, quoad synodalia eorum statuta, pertinet, in singulis suis civitatibus & diœcesibus volumus pertinere. Verum ut omnis ambiguitas, & perplexitas, & difficultas, quo ad observantiam præsentium statutorum, in futurum evitentur: de consensu expresso & autoritate præsentis provincialis concilii, retinemus & reservamus nobis potestatem, facultatem, & autoritatem præsentia provincialia statuta, quo ad nostram civitatem & diœcesim, & etiam quo ad singulas civitates & diœceses nostrorum suffraganeorum, si ab aliquo episcoporum nostrorum suffraganeorū, & eorum capitulo requisiti super eo fuerimus, de consilio priorum & capituli ecclesiæ nostræ Coloniensis, in synodo tamen nostra diœcesana, corrigendi, emendandi, interpretandi, tollendi, & in melius commutandi, si hoc nobis ex causis necessariis & legitimis videbitur expedire, provinciali concilio ad id minime convocato. Quia vero per ipsa præsentia statuta provincialia, communi utilitati ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum ac ipsarum bonorum, ut speramus, autore Domino, salubriter providetur: præcipimus & mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, ut ea ab omnibus ecclesiis & ecclesiasticis personis nostræ provinciæ inviolabiliter & firmiter, fraude & dolo exclusis, observentur juxta modum & formam supradictos. In quorum omnium & singulorum testimonium, ea per Hermannum dictum Ratze, publicum imperiali autoritate notarium, conscribi, & in hanc publicam formam redigi, ejusque signo consueto signari mandavimus, ac nostro & capituli nostri Coloniensis sigillis appensis muniri.

Acta sunt hæc in concilio nostro provinciali Coloniæ celebrato, sub anno a nativitate Domini 1322. ultima die mensis Octobris, in palatio nostro Coloniensi, præsentibus capitulo nostræ ecclesiæ Coloniensis, ac venerabilibus in Christo patribus & dominis, Godefrido Osnaburgensis, & Godefrido Mindensis ecclesiarum Dei gratia episcopis, nostris suffraganeis, pro se & suis ecclesiis: ac venerabili in Christo patre & domino Hermanno Hennensis ecclesiæ episcopo, & Lenoldo de Northoff canonico Leodiensi, venerabilis in Christo patris ac domini, D. Adolphi Leodiensis, & dilectis in Christo, magistro Rudegero de Aldendorpe, doctore decretorum, & Friderico de Bicken canonicis Monasteriens. venerabilis in Christo patris & domini Ludovici Monasteriensis, Dei gratia episcoporum, nostrorum suffraganeorum, procuratoribus: ac dilectis in Christo, magistro Reynero doctore in Theologia, ac Gerardo de Vorne, canonicis Trajectensibus, nomine capituli Trajectensis ecclesiæ, ipsa ecclesia Trajectensi episcopi solatio viduata, in præmissis omnibus & singulis, consequentibus & suum consensum expresse adhibentibus. Præsentibus etiam S. Pantaleonis & S. Martini Coloniens. ac S. Cornelii Indensis, Gladebachensis, Tuitiensis, Bruvilerensis, & Sibergensis monasteriorum abbatibus, ordinis S. Benedicti: Bonnens. S. Severini & S. Andreæ ecclesiarum Coloniensium præpositis: item Bonnensis, S. Gereonis Coloniensis*, Sanctensis, S. Andreæ, S. Severini; S. Guniberti, SS. Apostolorum, S. Mariæ ad gradus, decanis, ecclesiarum civitatis & diœcesis Coloniensis: officiali nostro Coloniensi, & Esficensis & Carpensis (Coloniensis diœcesis) ecclesiarum præpositis, ac aliis prælatis, canonicis ecclesiarum rectoribus, & clericis nostrarum civitatis & diœcesis ac provinciæ in multitudine copiosa.

Et ego Hermannus dictus Ratze, de Colonia, publicus imperiali autoritate notarius antedictus, præmissis omnibus & singulis, dum agerentur, una cum personis prænominatis præsens interfui, ea omnia & singula, prout superius, in præsentibus rotulis per me connexis & signatis, de mandato reverendi in Christo patris & domini, domini Henrici Coloniensis ecclesiæ archiepiscopi prædicti continentur, conscripsi, & in hanc publicam formam redegi, meoque signo consueto signavi vocatus & rogatus.

Et nos Godefridus Dei gratia Osnaburgensis ecclesię episcopus, quia omnibus contentis & expressis in præsenti instrumento, cui nostra præsens littera transfigitur, præsentes in concilio provinciali interfuimus, eisque tanquam utilibus & necessariis ecclesiis ecclesiasticisque personis & earum rebus, consensum, præhabita matura deliberatione, adhibuimus pro nobis & ecclesia nostra prædicta: idcirco sigillum nostrum, in signum præstiti consensus & autoritatis a nobis & a toto concilio præsentibus duximus apponendum. Actum & datum die & loco, de quibus in ipso instrumento fit mentio.

Et nos Godefridus Dei gratia Mindensis ecclesiæ episcopus, quia omnibus contentis & expressis in præsenti instrumenro, cui nostra præsens littera transfigitur, præsentes in concilio provinciali interfuimus, eisque tanquam utilibus & necessariis ecclesiis ecclesiasticisque personis & earum rebus, consensum nostrum, præhabita matura deliberatione, adhibuimus pro nobis & ecclesia nostra prædicta: idcirco sigillum nostrum, in signum præstiti consensus & autoritatis a nobis & a toto concilio, pręsentibus duximus apponendum. Actum & datum die & loco, de quibus in ipso instrumento fit mentio, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo secundo.

Universis præsentes litteras visuris & audituris, Adolphus Dei gratia Leodiensis episcopus, salutem, & cognoscere veritatem. Noveritis quod quia venerabilis in Christo pater & dominus D. Hermannus Hennensis episcopus, vices nostras gerens in pontificalibus, & Lenoldus de Northoff canonicus Leodiensis, procuratores nostri, ipsi concilio provinciali reverendi in Christo patris & domini domini Henrici Dei gratia sanctæ Coloniensis ecclesiæ archiepiscopi, Coloniæ celebrato, de quo in instrumento publico, cui præsens nostra transfigitur littera, fit mentio, nomine nostro & ecclesiæ nostræ interfuerunt, ac omnibus & singulis contentis & expressis in eodem instrumento, & præsertim prorogationi statutorum synodalium bonæ memoriæ domini Engilberti sanctę Coloniensis ecclesiæ archiepiscopi, ad totam provinciam Coloniensem, aliisque in dicto instrumento contentis, tamquam utilibus &

ANNO CHRISTI 1322.

& necessariis ecclesiis ecclesiasticisque personis, & earum rebus, pro nobis & nostra ecclesia nomine procuratorio consenserunt. Ideoque nos ea quæ per ipsos in hoc negotio acta sunt, ratificantes & approbantes, sigillum nostrum, in signum adhibiti consensus & autoritatis a nobis similiter & approbationis, præsentibus duximus apponendum. Datum anno Domini MCCCXXII. in crastino B. Martini episcopi.

ANNO CHRISTI 1323.

** CONCILIVM PARISIENSE

Celebratum a Guillelmo de Meloduno Senonensi archiepiscopo, & suffraganeis, pro jurisdictione ecclesiastica & disciplina, anno Domini M. CCC. XXIII.

Ex Codice MS. Victorino edidit Ludov. Bail in Summa conciliorum: nos cum MS. contulimus.

I. *Vt jejunetur in vigilia festi corporis Christi.*

NOs Guillelmus archiepiscopus Senonensis, anno Domini MCCCXXIII. die sabbati post festum beati Matthiæ apostoli continuata de die in diem, a die Lunæ præcedenti, in nostro provinciali concilio una cum suffraganeis nostris cæterisque personis ecclesiasticis nostræ Senonensis provinciæ celebrato, Parisiis congregati: eodem approbante concilio, statuimus & ordinavimus, ut quarta feria, dictam[a] quintam feriam præcedente festum preciosissimi sacramenti, omnes subditi nostri & suffraganeorum nostrorum, ab esu carnium abstineant & jejunent. Quibus jejunantibus sic, vereque pœnitentibus & confessis, in remissionem suorum peccaminum quadraginta dies de indulgentiis duximus concedendum.

[a] *f.* quarta fer. quintam fer. præcedente, in qua celebratur festum præc.

Circa vero solemnem processionem quæ dicta quinta feria fit a clero & populo in delatione prædicti sacramenti iis diebus introducta, videlicet quoad præsens, nihil immutamus: devotioni cleri & populi relinquentes.

II. *Vt interdicantur loca, in quibus clericus a judice laico detinebitur.*

Statuimus & etiam ordinamus, ut si contingat aliquem clerum in villis seu castris diœcesis & provinciæ Senonensis, per judicem capi sæcularem, qui sufficienter requisitus de reddendo eundem clericum suo judici ecclesiastico, non reddiderit seu restituerit, in sua malitia perseverans: in dictis villis seu castris cessetur, quamdiu tenebitur idem clericus, a Divinis, nedum in illa ecclesia intra cujus fines dictus clericus detineri dignoscitur, sed etiam in aliis ecclesiis in dictis villis & castris existentibus, si in dictis villis & castris plures ecclesias contigerit esse sitas. Quod ad religiosorum monasteria in dictis villis & castris constituta, & ad alias ecclesias eisdem contiguas, extendi volumus: ne, si in quibusdam a Divinis cessaretur & non in aliis, cessationis sententia seu jurisdictio valeat vilipendi. Et prædictas cessationes, autoritate prædicti concilii, ab omnibus tam exemptis quam non exemptis, cum de jure ad hoc etiam teneantur, volumus observari.

III. *Vt religiosi post annum & diem profiteantur.*

Præterea quia multi religiosi & religiosæ per annum & diem in habitu religioso in suis monasteriis commorantes, per quam quidem moram tacite sunt professi & suis monasteriis alligati, in animarum suarum periculum, & scandalum plurimorum, suis dimissis habitibus redire ad sæculum non verentur de facto, post modum ad monasteria convolantes, præmissa falso sibi licere facere asserentes: eodem approbante concilio statuimus ac etiam ordinavimus, ut prædicti religiosi ac etiam religiosæ, dictis anno & die elapsis, per superiores suos, dummodo in ætatis discretione fuerint constituti, profiteri expresse, vel saltem ita publice quod dicta professio celari non valeat, compellantur: cum non sit dubium, sic exeuntes, ac etiam contrahentes, sententiam excommunicationis incurrere ipso facto.

IV. *De vita & honestate clericorum.*

Præterea cum sit certum, clericos qui caligas rubeas ac scatatas & alias inhonestas publice deferunt, non modicum detrahere clericalis ordinis dignitati, indignos etiam prærogativa professorum illius ordinis se reddentes: inhonestati talium occurrere cupientes, eodem approbante concilio statuimus ac etiam ordinavimus, ut clerici beneficiati tam cathedralium quam collegiatarum ecclesiarum, sive sint canonici & capellani, vicarii, seu simplices choriales, caligis rubeis, viridibus, scatatis, croceis, seu albis, publice non utantur; sed caligis nigris, seu aliis honestis tantummodo, sint contenti. Quod si a delatione dictarum caligarum canonici moniti non destiterint, ipso facto immediate distributionibus quæ existentibus certis horis distribuuntur, autoritate præsentis concilii nos privamus. Quod quidem statutum ad presbyteros extendi volumus, ordinariorum arbitrio puniendos. Et istud idem in prædictis clericis comam nutrientibus, barbamque prolixam seu tonsuram inhonestam, ac parte exteriori almutias de cendeto seu de velveto deferentibus, ut uniformitas inter prædictos clericos conservetur, volumus observari.

HInc est quod paternitati vestræ autoritate nostra metropolitani mandamus, quatenus prædicta statuta in vestris synodis & alibi, prout vobis expedire videbitur, publicetis seu publicari faciatis, & a vestris subditis juxta tenorem ipsorum inviolabiliter observari.

In quorum testimonium præsentes litteras sigillo nostro duximus sigillandas. Datum ut supra.

G. C. Aliud Senonense concilium supra edidimus ad annum MCCCXX. in quo eadem, quæ hoc anno, & iisdem fere verbis statuta sunt. Vnum autem idemque concilium non esse, ex eo constat, quod quanquam in vocibus multa sint eadem, sunt tamen alia diversa: deinde quod non tantum alius annus adscribatur, sed & dies alia.

AVSCITANÆ synodi statutum unum Ludovicus Bail ad hunc annum edidit: sed cum sit diœcesana illa synodus, locum hic non habet, ut sæculi hujus initio admonui.

ANNO CHRISTI 1324.

CONCILIVM TOLETANVM

Autoritate Ioannis archiepiscopi & primatis Toletani celebratum anno Domini MCCCXXIV. tempore Ioannis papæ XX.

In nomine Domini, amen.

Istæ sunt constitutiones per reverendum patrem & dominum, dominum Ioannem miseratione Divina Toletanum archiepiscopum, primatem Hispaniarum ac regni Castellæ cancellarium, factæ ac editæ in concilio per eum apud Toletum celebrato, anno Domini mille-

ANNO CHRISTI 1324.

millesimo trecentesimo vigesimo quarto, vigesimo primo die mensis Novembris, qua die dictum concilium extitit terminatum.

TITVLI CAPITVLORVM.

PRÆFATIO.

AD fructus uberes, quos in Dei ecclesia episcoporum concilia hactenus produxerunt, conditores canonum considerationis aciem * intendentes, provide constituerunt, eadem concilia pro puniendis excessibus, & reformandis moribus, per metropolitanum cum suis suffraganeis annis singulis celebranda. Quod & reverendus pater dominus frater Guillermus Sabinensis episcopus, in his partibus apostolicæ sedis legatus, quolibet anno, vel ad minus biennio, sub certa forma fieri præcepit, ut quos ad declinandum a malo, & faciendum bonum, virtutum præmia non inducunt, quadam ad hæc facienda necessitate per episcoporum diligentem solicitudinem & suppositam vigilantiam compellantur. Nos igitur, qui desideranter in vos gerimus ipsos canones & præceptum ejusdem domini legati pro viribus observare, convocavimus provinciale concilium in nostra ecclesia Toletana: & intendentes potius ad observationem constitutionum, quam ad multiplicationem earum, sacro approbante concilio præcipimus, constitutiones per dictum dominum legatum editas in concilio per eum apud Vallemoleti * celebrato, cum infrascriptis per nos in præsenti concilio edictis, observari.

* con- tendentes,

* [A.] 1310.

CAPITVLA.

I. *Vt episcopi vocati ad concilium veniant.*

EPiscoporum negligentiæ, qui vocati ad concilium venire negligunt, ex quo ecclesiastica cõtemnitur autoritas, excessus remanẽt impuniti, & correctio morũ cessat, ipsas impunitates auferre volentes, cum nos simus sub certa pœna ad celebrandum concilium obligati, quod celebrare non possumus decenter vel utiliter sine ipsis: præsenti constitutione jubemus, ut episcopi vocati ad concilium personaliter veniant, nisi fuerint impedimento legitimo, de quo nobis fidem facere teneantur, præpediti, * secturi. Quod nisi fecerint, pœnas contra eos statutas a jure, publicari & servari faciemus: ad alias nihilo minus, sicut expedire viderimus, processuri. Et ut plenior informatio habeatur, episcopi in casu in quo sint legitime impediti, & cathedralium ecclesiarum capitula, mittant ad dictum concilium procuratores idoneos de statu propriarum ecclesiarum & diœcesum informatos.

II. *De vestibus clericorum.*

Antiquos canones, qui in clericis superflua & inhonesta prohibent, ad memoriam reducentes: statuimus, quod nullus clericus supertunicale vel tabardum post mensem a tempore publicationis præsentis constitutionis deferat ita longum, quod si ad pedes contingat, nullatenus tamen per terram trahatur, cum hæc non honestas, sed superfluitas & indecentia censeatur. Clericus vero qui contra fecerit, supertunicale ipsum seu tabardum ipso facto amittat, per proprium, seu ejus vicarium, seu officialem, pauperibus erogandum. Caveant & clerici, ne mantellos seu chlamydes nimia longitudine vocandos, * nec cum chordis, & nimis longis, nec tunicarum manicas nobiliter * nimis breves, ita quod brachia nuda appareant: si pœnam consimilem voluerint evitare. Quilibet etiam clericus barbam faciat sibi radi quolibet saltem mense, nec crines deferat nobiliter * infra aures. Cæterum quia in partibus istis morbus detestandæ inhonestatis irrepsit, quod mulieres quæ soldaderas vulgariter nuncupantur, intrant publice domos prælatorum & magnatum ad comedendum, & alia, loquentes prava & inhonesta colloquia plerumque corrumpentia bonos mores, facientes spectaculum de seipsis: præcipimus omnibus, & maxime prælatis, sub obtestatione Divini judicii districtius injungentes, ne hujusmodi mulieres permittant intrare vel esse in domibus eorumdem, nec aliquid dent eisdem.

* Corr. notand.
* Corr. notabiliter
* Corr. notabiliter

III. *Vt clerici fructibus capellaniarum non abutantur.*

Quorumdam clericorum abusum, qui fructus capellaniarum perpetuarum, seu beneficiorum, quæ ex devotione fidelium in eorum instituuntur ecclesiis, autoritate propria sibi appropriant, inter se dividunt sub prætextu, quod ipsi volunt dictis capellaniis seu beneficiis deservire, vel alias, cum de ambitionis radice procedat, & per ipsum cultus Divinus minuatur, quem desideramus augere, & ab institutione capellaniarum seu beneficiorum plurimi retrahantur, penitus reprobamus & prohibemus, expresse præcipiendo, quod hujusmodi capellaniæ, seu beneficia instituta, & de cætero instituenda, habeant juxta ordinationem statuentium proprios servitores. Qui vero sine licentia diœcesani episcopi contra fecerint, abe-

a beneficiis quæ habent in ecclesiis in quibus hæc commiserint, donec plene restituerint quidquid contra præsentem prohibitionem perceperint, sint suspensi.

IV. *Vt nullus curatum beneficium administret, nisi ante legitime per episcopum diœcesanum instructus fuerit.*

Inter episcopales solicitudines illa debet esse præcipua, quæ versatur circa curam seu regimen animarum, quæ in episcoporum potestate consistunt. Propterea ne astutia satanæ eos decipiat, propter rectorum ignorantiam vel defectum, & sanguis subditorum de eorum manibus requiratur: statuimus sacro concilio approbante, quod nullus in curato beneficio administret, donec in eo per diœcesanum episcopum institutione autorizabili fuerit institutus, seu sibi cura commissa fuerit animarum: alioquin jure quod habebat in prædicto beneficio, non obstante contraria consuetudine, sit privatus, privilegiis & gratiis sedis apostolicæ semper salvis.

V. *Vt clerici bona ecclesiæ filiis suis non conferant.*

Vt substantia ecclesiarum quæ solet per clericorum sobolem deperire, ad usus debitos conservetur: statuimus quod nullus clericorum bona intuitu ecclesiæ acquisita, filiis vel filiabus suis det, vel conferat inter vivos, vel in testamento contra canonum instituta dimittat; præcipientes omnibus episcopis in virtute sanctæ obedientiæ, quod jura super hoc edita diligenter observent.

VI. *Vt presbyteri pro Missis celebrandis pecuniam non exigant.*

Multa mentis amaritudine concitamur, gravisque doloris aculeus perfodit mentem nostram, intelligentes, quod aliqui presbyteri detestanda & abominabili ambitione cæcati, pro Missis per eos celebrandis pecuniam exigunt, & super hoc, ac si vellent vendere rem profanam, impudenter mercantur: quandoque etiam publice qui eas faciunt celebrari, æstimantes, ut ex eorum facto pernicioso vendunt gratiam Dei quæ in sacramento Missæ confertur, vel verius ipsum Deum qui nobis sub specie dicti sacramenti se exhibet, pecunia posse vendi. Verum cum dictum sacramentum super omnia preciosum, sit liberaliter sicut cætera sacramenta celebrandum: districtius prohibemus, ne aliquis presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem; sed grate accipiat, si aliquid per facientem Missas celebrari oblatum sibi caritative fuerit, absque pacto & conventione quacumque. Qui vero contrarium fecerit, a celebratione Missæ per annum noverit se suspensum, & alias pro tam gravi excessu ad arbitrium proprii episcopi puniendum.

VII. *Vt presbyteri nonnisi unam Missam in die celebrare præsumant.*

Nullus insuper absque causa necessitatis, excepto die nativitatis Domini, præsumat nisi unam Missam celebrare in die: quia valde felix est, qui celebrat digne unam. Præcipimus etiam in virtute sanctæ obedientiæ omnibus presbyteris, quod Missam celebrent ut frequentius poterunt, & ad minus quater in anno; nisi ex causa rationabili, quam propriis episcopis notificare habeant, eos cessare contingat. Et ne præter criminis conscientiam a celebratione Missarum habeant abstinere: concedimus eis licentiam in hoc casu, si non possint commode copiam sui curati habere, quod possint alii presbytero confiteri, qui ipsos tam a minore excommunicatione, quam aliis omnibus quæ sibi confitebuntur, possit absolvere; exceptis dumtaxat casibus sedi apostolicæ & episcopo reservatis. Alii vero clerici, ut ostendant se ad plus teneri quam laici, ad minus communicent ter in anno: nisi de consilio proprii confessoris duxerint abstinendum.

VIII. *Illos qui Sarracenis subsidia impendunt, excommunicatos esse.*

Quamvis contra illos qui cum Sarracenis mercimonium habuerint, vel eis aliqua rerum subsidia seu consilia per se vel alios quocumque ingenio, quamdiu inter nos & ipsos guerra duraverit, impendenda duxerint, sint a canone excōmunicationis * sententia promulgata: quidam tamen Christiani, perverse verba dicti canonis intelligentes, & quærentes in eis folia & non fructus, non verentur tempore dictæ guerræ ipsis Sarracenis ad terram eorumdem Christianorum venientibus vel mittentibus victualia vendere, & alia rerum subsidia impendere, credentes ex quo non vēdunt, nec mittunt ad dictos Sarracenos, a sententia ipsius canonis excusari. Nos vero perversum intellectum & crudelitatem eorum penitus reprobantes, declaramus & volumus ipsos qui prædicta faciunt vel committunt, incurrere sententiam canonis supradicti: quem canonem simul cum hac nostra constitutione, specialiter in cathedralibus & parochialibus ecclesiis, eisdem Sarracenis vicinis, frequenter præcipimus publicari.

CONCI-

Anno Christi 1326.

** CONCILIVM AVENIONENSE

A trium provinciarum præsulibus celebratum in monasterio S. Rufi, XVIII. Iun. ann. Dom. MCCCXXVI.

Edidit Petr. Gassendus v. cl. post notitiam ecclesiæ Diniensis: nos cum MS codice illustrissimi archiepisc. Remensis coadjutoris Car. Mauri. Tellerii contulimus.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *Ut Missa beatæ Mariæ semel in hebdomada solemniter celebretur.*
2. *De indulgentia associantibus corpus Christi cōcessa.*
3. *De indulgentia concessa devote intercedentibus apud Deum pro domino papa, & ejus regimine prosperando.*
4. *De indulgentiis concessis fidelibus, qui audito nomine Iesu devotius se inclinant.*
5. *De claudendis fontibus baptisterii.*
6. *De sententia excommunicationis ab ordinario lata, exigente excommunicati inobedientia, per prælatos alios publicanda.*
7. *Qualiter contra illos qui excommunicationis sententiam contemnentes, exemplo perniciosa peragunt, procedatur.*
8. *Ne ecclesiasticæ personæ titulum jurisdictionis, quam pacifice possederunt, sæcularibus ostendere teneantur.*
9. *Ut persona ecclesiastica per nullum judicem temporalem in criminalibus & personalibus distringatur.*
10. *Ut clericus contra clericum ad judicem sæcularem vel alium laicum, pro facienda justitia vel inferenda violentia, non recurrat.*
11. Provisio *contra illos qui bona & jura ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum subtrahunt, diminuunt, dissipant, & invadunt.*
12. *Provisio contra illos qui bona & jura ecclesiastica invaserunt vel quomodolibet occuparunt.*
13. *Ne quis in loco suo retineat bona ecclesiarum alibi indebite ablata.*
14. *Ut sæcularis potestas clericum captum cito iudici suo restituat, nihilum exigens ab eodem.*
15. Prorogatio *jurisdictionis, in invasores & occupatores ecclesiasticorum bonorum & jurium exercendæ.*
16. *Ut excommunicati ad nullum officium publicum admittantur.*
17. *Ut nullus ministret toxicum vel alia venenosa.*
18. *De pœnis, toxicum vel herbas mortiferas in mortem alterius ministrantibus, inferendis.*
19. *Qualiter contra exemptos & privilegiatos in diversis abutentes suis privilegiis procedatur.*
20. *Ut presbyteri testamentis parochianorum intersint, & per episcopum distribuantur restitutiones incertæ.*
21. *Quod episcopi in distributionibus legatorum vocentur, prout ad eos pertinet de consuetudine vel de jure.*
22. *Ut nullus confessorum sine diœcesani licentia quemquam præsumat absolvere in casibus infra scriptis.*
23. *Ut nullus occasione cessionis sibi factæ coram ordinario judice quemquam audeat convenire.*
24. *Ut nullus bona ecclesiarum vacantium occupet, nisi sibi per privilegium vel consuetudinem hoc liceat.*
25. *Ut nulla persona ecclesiastica cum potestatibus sæcularibus posse habens, det consilium vel juvamen contra ecclesiasticas libertates.*
26. *Ut nullus in sacris constitutus, vel curam animarum habens, in judiciis sæcularium gerat officium publicum vel privatum.*
27. *De modo probandi electionem sepulturæ illorum qui apud religiosos eam elegisse dicuntur.*
28. *Ut sine novi census impositione vel veteris augmentatione beneficia conferantur.*
29. *Ut monachi in ecclesiis suis infra certum tempus perpetuos vicarios ordinariis repræsentent.*
30. *Ut nullus beneficium conferat, in quo jus tantum obtinet patronatus.*
31. *Ut præsentatus patrono non juret sine diœcesani licentia, nec ab alio se institui patiatur, nec beneficium obtentum dimittat.*
32. *Ut ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ a talliis & exactionibus sæcularium per ordinarios defendantur.*
33. *Ne quæstæ vel aliæ exactiones per sæculares hospitalibus imponantur.*
34. *Ne laici, prætextu alicujus statuti, prohibeant clericos extrahere blada de terris ipsorum.*
35. *Ut domini temporales non impediant quo minus ecclesiarum rectoribus decimæ persolvantur.*
36. *Ne statuta & ordinationes fiant super decimis, funeralibus, oblationibus, & aliis, contra laudabiles consuetudines & ecclesiæ libertates.*
37. *De societatibus, colligationibus, & coniurationibus, quas confratrias appellant, radicitus extirpandis.*
38. *Ut clerici ecclesias præter diœcesani licentiam non teneant, nec ibi armatos tenere præsumant.*
39. *De clericis arma portantibus, & qualiter puniantur.*
40. *Ut prælati remissiones faciant delinquentium, ad invicem requisiti.*
41. *De excommunicatis compellendis redire ad gremium ecclesiæ per iudicem sæcularem & appositionem pœnæ.*
42. *Ne prohibeantur prælati iurisdictionem suam libere exercere.*
43. *Ne prohibeantur directe vel indirecte clerici coram suo iudice litigare.*
44. *Ut in domibus prælatorum, vel in ipsorum officialium præsentia, iniuria nulli fiat.*
45. *De bannis solvendis a clericis, & per quos & qualiter exigantur.*
46. *Qualiter prælati possint benedicere in diœcesi aliena.*
47. *Ut sententia ab uno lata, ab alio denuncietur & observetur.*
48. *De contrahentibus matrimonia clandestina in diœcesi aliena.*
49. *De abusoribus litterarum domini papæ, & legatorum eiusdem: & qualiter puniantur.*
50. *Ut beneficia sine diœcesani licentia non componant.*
51. *Ne beneficiati res ecclesiasticas, absque diœcesani licentia, præterquam in certis casibus alienent.*
52. *In quo statu beneficia debeant dimitti & per successorem teneri.*
53. *De inventario bonorum ecclesiasticorum infra certa tempora faciendo.*
54. *De testamentis per beneficiatos secundum consuetudinem laudabilem faciendis.*
55. *De statutis, bannis, & præconizationibus contra consuetudines editis, prohibendis.*
56. *De contributione expensarum necessaria inter omnes beneficiatos diœcesis facienda.*
57. *Ut Iudæi utriusque sexus signa deferant per quæ ab aliis discernantur.*
58. *Tunc sententia interdicti servetur cum ab ordinario datum fuerit in mandatis.*
59. *Ut absolutio & dispensatio casuum hujus concilii, ab ordinario dari possit.*

PRÆFA-

ANNO CHRISTI 1326.

PRÆFATIO.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti: videlicet anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo vigesimo sexto, die decima octava mensis Iunii, Indictione nona, pontificatus sanctissimi patris & domini nostri Ioannis Divina providentia papæ vigesimi secundi anno decimo. Noverint universi, quia reverēdi in Christo patres Dei gratia, dominus Gasbertus Arelatensis, Iacobus Aquensis, & Bertrandus Ebrodunensis, archiepiscopi, de infrascriptorum episcoporum suffraganeorum præsentium, & vicariorum, & procuratorum suffraganeorum capitulorum, abbatum, suarum diœcesum, provinciarum, absentium consilio & assensu: videlicet dictus dominus Gasbertus Arelatensis archiepiscopus, cum venerabilibus in Christo patribus eadem gratia, dominis, Raymundo Vasionensi, Dragoneto Tricastrino, Othone Carpentoractensi, Goffrido Cavallicensi, Ademario Massiliensi, & Petro Tolonensi, episcopis, ipsius suffraganeis; ac venerabilibus & discretis viris, dominis, Geraldo de Campomilio, episcopatus Avinionensis in spiritualibus & temporalibus, ut* dicitur, ac religioso viro Petro Geraldi priore Valriaci Vasionensis diœcesis, domini Hugonis Aurasicensis episcopi absentis, vicariis generalibus; & cum Arelatensis, Avinionensis, Tricastrini, Vasionensis, Carpentoractēsis, Cavallicēsis, Massiliensis, Tolonensis, Aurasicensis, capitulorum, procuratoribus sufficienter comparentibus: & dictus dominus Iacobus Aquensis archiepiscopus, cum Raymundo Sistaricensi, Bartholomæo Forojuliensi, Guillelmo Vapincensi, Raymūdo Aptensi, episcopis, ipsius suffraganeis præsentibus; & cum venerabili domino Raymundo Ioannis, præposito Regensi, pro se, & procuratorio nomine venerabilis patris domini Rossolini Regensis episcopi absentis; etiam cum Aquensis, Sistaricensis, Forojuliensis, Vapincensis, Aptensis, & Regensis, capitulorum, procuratoribus sufficienter comparentibus: & dictus dominus Bertrandus Ebredunensis archiepiscopus, cū venerabili in Christo patre D. fratre Fulcone Venciensi episcopo præsente, & cum venerabilium in Christo patrum, dominorum, Gaufridi Grassensis, Rostagni Niciensis, Guillelmi Dignensis, Bertrandi Senecensis, A.* Glandatensis, episcoporum, ipsius suffraganeorum absentium, procuratoribus sufficienter comparentibus; necnon & cum Ebredunensis, Vasionensis, Venciensis, Dignensis, Senecensis, Glandatēsis, capitulorum, ac Boscaudonēsis, & sancti Pontii de Nicia monasteriorum abbatum, procuratoribus sufficienter comparentibus: in loco seu monasterio de sancto Rufo prope Avinionem, diœcesis Avinionensis, Arelatensis provinciæ supra dictæ, provinciale concilium celebrantes, prærogata primo jurisdictione de locis ad locum per prædictos dominum Aquensem, Ebredunensem, & eorum suffraganeos, consentiente dicto domino Arelatensi episcopo, & episcopatus Avinionensis in spiritualibus & temporalibus generali vicario, & consentientibus procuratoribus supradictis: ad honorem Dei, & gloriosæ Virginis matris suæ, & omnium civium supernorum, & morum reformationem, delictorum & excessuum correctionem, ac suarum animarum & subditorum suorum utilitatem, & ad statum ecclesiasticum salubrius observandum, statuta infra scripta dicto sacro approbante concilio concorditer ediderunt: quorum tenor sequitur sub his verbis.

* Anselmi

CAPITVLA.

A

I. *Vt Missa beatæ Mariæ semel in hebdomada solemniter celebretur.*

IN primis igitur statuimus & communiter ordinamus, quod Missa de beata Maria, additis collectis, Ecclesiæ tuæ, &, Deus a quo sancta, &c. in die Sabbati, si festum 9. lectionum non impediat, alioquin in alia vacante feria ipsius hebdomadæ, pro pace & tranquillitate, & bono statu ecclesiæ conservando, ac inimicis ejus ad cor & ad pœnitentiam convertendis, solemniter in singulis ecclesiis celebretur. Et ut ad veniendum fideles ferventius inducantur, singulis ad dictam Missam venientibus, vere pœnitentibus & confessis, decem dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus.

B

II. *De indulgentia associantibus corpus Christi, cum ad infirmos portatur, concessa.*

Si propter Christum reverentia impendi præcipitur, dignum est sacrum corpus ejus coli veneratione præcipua, quod utique pro nobis in illius passionis memoriam consecratur. Statuimus igitur & jubemus, quatenus singuli rectores, priores & vicarii nostrarum ecclesiarum, provinciarum, civitatum & diœcesum, parochianos suos salutaribus monitis inducere studeant, ut sanctissimum corpus Dominicum, dum presbyter ipsū portat in viaticum ministrandum ægroto, reverenter associent, ac luminarium adhibitione decenter honorent: illis qui associabunt de die vel de nocte, sine luminaribus, decem dies, qui vero cum luminaribus, vel etiam luminaria mittent per aliū, de die, viginti dies; de nocte, triginta dierum indulgentiam ex concessione nostra, dum tamen vere pœnitentes & cōfessi fuerint, habituris.

C

D

III. *De indulgentia concessa devote intercedentibus apud Deum pro domino papa, & eius regimine prosperando.*

Item cum secundum sacræ scripturæ testimonium *multum valeat deprecatio iusti assidua*, eo quod *oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum*, ut Psalmista testatur: pia deliberatione præsentis concilii duximus concedendum, quod quicumque Christianus fidelis, vere pœnitens & confessus, nostrarum provinciarum, civitatum & diœcesum, devotas orationes effundere, & pia vota emittere curaverit, præsertim in Missarum solemniis, ante Divinæ majestatis conspectum, a quo bona cuncta procedunt, ut per suam ineffabilem misericordiam sanctissimum patrem & dominum nostrum

Iacob. 5. *Psal. 33.*

E

ANNO CHRISTI 1326.

ANNO CHRISTI 1326.

strum papam regere, & in suæ pacis gratia conservare ac custodire, fidemque catholicam toto orbe terrarum multiplicare dignetur, videlicet quilibet nostrum archiepiscoporum per totam suam provinciam, & quilibet nostrum episcoporum per totam suam civitatem & diœcesim[*], de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Deest 10. dies, aut 20.

IV. *De indulgentiis concessis fidelibus, qui audito nomine Iesu devotius se inclinant.*

Cum felicis recordationis dominus Gregorius papa decimus, per sacrum constitutionis oraculum invitaverit quoslibet Christiani nominis charactere insignitos, ut nomen illud quod est super omne nomen, a quo non est sub cælo datum aliud hominibus nomen, videlicet Iesu Christi, exhibitione reverentiæ spiritualis attollerent, & præcipue dum aguntur sacra mysteria, illico, quandocumque recolitur veneratione dignum devota capitis inclinatione monstrarent: nos de nostrorum subditorum salute soliciti, volumus, ut singuli rectores ecclesiarum & vicarii, nostrarum diœcesum, ad hoc ipsum faciendum plebes sibi subjectas moneant efficaciter & inducant. Vt illud libentius faciant, quo uberioris retributionis præmium exinde senserint proventurum: nos singulis, in illius gloriosi nominis memoriam Iesu se inclinantibus reverenter, utiq; vere pœnitentibus & confessis, decem dierum concedimus indulgentiam, qui, ut præfertur, id fecerint, valiturã.

V. *De claudendis fontibus baptisterii.*

Sacri fontes in quibus originalis aboletur culpæ contagium, probaptismale aquæ visibile sacramentum, coli debent digno venerationis honore: ut nec indevotis contrectationibus pateãt, nec extrinsecus advenientium inquinamento sordescant. Statuimus igitur, ut singuli parochialium ecclesiarum rectores, nostrarum civitatum & diœcesum, in quibus sint fundati fontes hujusmodi, eos infra instans festum nativitatis Dominicæ, sic claudi cum clavibus faciant, & aptari, quod nullus sordibus ad illos ingressus immineat, potiorque reverentia illius, quod ibi traditur, sacramenti, succedat: quinque solidorum pœna quibuslibet feriendis, qui hoc agere contempserint, in opus ecclesiæ, vel pios usus alios, ad nostrum arbitrium cedendorum.

VI. *De sententia excommunicationis ab ordinario lata, exigente excommunicati inobedientia, per prælatos alios publicanda.*

Item statuimus, quod ex quo per propriam civitatem & diœcesim lata per prælatum aliquem excommunicationis, suspen- A sionis, & interdicti sententia, competenti tempore fuerit divulgata & ibidem, exigente rebellium & inobedientium duritia, per decem dies extiterit solemniter & publice aggravata, ex tunc requisito proprio metropolitano, & approbatam publicante seu publicari faciente dictam sententiam, licitum sit eidem prælato hujus autoritate concilii, cæteros episcopos & prælatos requirere, ut ipsius sententias, quarum tenorem & causam declaret in scriptis, in suis districtibus servent & faciant observari, publicent, & faciant diebus ad hoc congruen- B tibus publicari.

VII. *Qualiter contra illos qui excommunicationis sententiam contemnentes, exemplo perniciosa peragunt, procedatur.*

Cæterum abominabitur[a], proh dolor! (sicut ad nostrum, tam de longinquo, quam e vicino, pervenit auditũ) in quibusdam partibus inolere cœpit abusio. Nam aliqui filii Belial, qui nec Deum timent, nec homines reverentur, iniquitatem bibunt ut C aquam: qui dum sententias vilipendũt, dum medicinam quæ fuerat ad salutem rejiciũt, mortis incurrunt periculum, & ad interitum, suæ perversitatis exemplo, nonnunquam inducunt alios & seducunt. Isti quidem in Dei opprobriũ, in cõtemptum promulgatoris, & sententiæ promulgatæ neglectum, non minus viliter quam damnabiliter procedere, immo verius execrabiliter excedere, non formidant, utpote dum adulterium presbyteri vel prælati confingentes, officium & interdictum sibi usurpantes ministerium, excommunicationem, immo verius execrationem, versa sed perversa vice in excom- D municatores seu denunciatores suos, simulare præsumunt, accensos palearum fasciculos, aut candelas de sepo, seu carbones aut titiones ardentes, in patellis, conchis, aut sartaginibus, vel in similibus, vituperabiliter extinguendo. Cum igitur talia, & his similia, in Dei vergant opprobrium, & in ecclesiasticæ disciplinæ redundent contemptum: statuimus, & sub pœna excommunicationis districtius inhibemus, ne quis clericus vel laicus, cujuscumque ordinis, dignitatis, E conditionis, vel status existat, rem tantæ perniciei de cætero, per se, vel alium, attentare præsumat. Qui vero hujusmodi saluberrimi statuti transgressor extiterit, & infra triduum emendam exinde competentem non exhibuerit: ex tunc se sciat ipso facto excommunicationis vinculo innodatum. Locus autem ubi hæc vel similia, domino loci sciente, seu mandante, vel ratum habente, vel postquam requisitus fuerit, vel ejus locum tenens, infra decem dies corrigere negligente, præsũpta fuerint, ecclesiastico

[a] Corr. abominabilis

ANNO CHRISTI 1326.

tamdiu sit & remaneat suppositus interdicto, donec ad mandatum ecclesiæ, quam delinquens offenderit, & prælato quem irreverenter despexerit, sufficiens & idonea satisfactio & realis emenda præstita fuerit, per eundem: quam, cum in talibus non sit relaxanda vindicta offensis*, prælatus minime remittere valeat ullo casu. Eisdem pœnis subjacere volumus illos & illas, qui vel quæ talia fieri mandaverint, vel alias opem vel operam aut consilium præbuerint, si rem tam detestabilem prodire contigerit detestabiliter in effectum: addito, quod eorum posteri usque ad secundam generationem, in clericorum collegium nullatenus admittantur, nisi prius per metropolitanum, cum uno suffraganeo, cum ipso fuerit super hoc misericorditer dispensatum. Si vero clericus beneficiatus, vel in dignitate seu personatu vel officio constitutus, taliter excesserit: ultra pœnam laico inflictam, beneficio, si quod in provinciis nostris obtinet, sit ipso facto præsentis concilii autoritate privatus: non beneficiatus autem, ad obtinendum officium sit ex tunc inhabilis & indignus.

* al. vindicta, offensus prælatus

VIII. *Ne ecclesiasticæ personæ titulum jurisdictionis, quam pacifice possederunt, sæcularibus ostendere teneantur.*

Item, quod sæculares domini, cujuscumque conditionis existant, vel baillivi, seu officiales eorum, qui prælatos vel alios ecclesiarum rectores cogunt ostendere, quare merum vel mixtum imperium, aut justitias altas, medias, vel minores tenent, licet tenuerint pacifice multis annis, & si coram eis hoc non probent, usurpare, accipere, & sibi applicare sine alia causæ cognitione motu proprio non verentur: si a talibus excessibus desistere moniti neglexerint, & ad usurpandum sine alia causa rationabili processerint, tam ipsi, quam illi qui eis in hac parte obedierint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto.

IX. *Ut persona ecclesiastica per nullum judicem temporalem in criminalibus & personalibus distringatur.*

Item, ut nullus dominus temporalis, vel judex, seu delegatus ejusdem, cujuscumque dignitatis, conditionis, vel status existat, clericum, vel personam ecclesiasticam aut religiosam, coram se, super criminalibus vel personalibus citet, seu citari faciat, vel quoquomodo distringat: quod si fecerit, & in hoc perstiterit, & intra dies octo non se correxerit, & quod iniquitate præsumpsit non relaxaverit, ex tunc sententiam excommunicationis incurrat.

X. *Ut clericus contra clericum ad judicem sæcularem vel alium laicum, pro facienda justitia vel inferenda violentia, non recurrat.*

Item, prohibemus statuendo, & statuimus prohibendo, ut nulla persona ecclesiastica, de clerico, vel ecclesiastica persona qualicumque, conquerens super spiritualibus, vel ecclesiasticis, aut criminalibus, vel personalibus quibuscumque, recurrat ad curiam, vel principem, aut dominum alium sæcularem, vel laicum alium quemcumque, super justitia facienda, vel violentia clerico, in persona vel rebus ad eum pertinentibus, inferenda; nec cum ipso, vel ipsis, super eisdem, sine cõscientia prælati, vel officialis sui, pactum aliquod inire præsumat, nec factum observet aliquãdo. Querelam exponens, vel denunciationem faciens, & in eis persistens, vel paciscens, & pactum observans: a jure suo, eo ipso cadat, nulla alia super hoc expectata sententia: & donec super hoc ad arbitrium prælati satisfecerit, omni beneficio ecclesiastico quod obtinet noverit se suspensum, & ab obtinendo indignum.

XI. *Provisio contra illos qui bona & jura ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum subtrahunt, diminuunt, dissipant, & invadunt.*

Quoniam aliqui suis finibus non contenti, passim aliena diripiunt, & ecclesiasticas libertates infringere non verentur: approbante præsenti concilio statuimus, quod qualibet persona, sæcularis aut ecclesiastica, nobilis aut alia, cujuscumque præeminẽtiæ, dignitatis, officii, conditionis, aut status fuerit, quæ ecclesias, aut capellas, aut earum cœmeteria, hospitalia, reclusoria, domos, possessiones, loca, villas, castra, census, tascas*, trezena, laudimia, vintena, feuda, lesda, pedagia, molẽdina, piscarias, pasquerias, sive reclausas, jurisdictiones, seu alia quæque jura, seu etiam earum homines, aut familias, animalia, seu bona quælibet, immobilia aut mobilia (quæ quidem mobilia valorem decem solidorum monetæ currentis excedant) sive domos religiosas, aut hospitalia seu reclusoria, vel leprosarias, quomodolibet invadere, capere, occupare, detinere, pignorare, seu gadiare per se, vel per alium, vel inquietare quomodolibet seu turbare; necnon & qui contra ecclesias, sive capellas aut clericos, sive personas ecclesiasticas, sive earum homines, loca, villas, castra, seu mansiones, aut contra libertates ecclesiasticas, vel domos religiosas, aut hospitalia, sive reclusoria, vel leprosarias, quomodolibet edere vel facere quævis statuta & banna, vel præconizationes, aut novitates quascumque, sive quibuslibet ex prædictis directe vel indirecte violen-

ANNO CHRISTI 1326.

Media pars hujus capituli ad verbum descripta est ex concilio Avenion. ann. 1209. cap. 1. conc. Insulano, ann. 1288. c. 9.

* taxas

ANNO CHRISTI 1326.

violentias, aut molestias irrogare; seu eis super bonis quibuslibet ecclesiasticis seu patrimonialibus quæstas aut alias angarias sive parangarias, aut necessitates quaslibet aliqualiter imponere vel inferre; sive domos ecclesiarum aut clericorum, seu personarum ecclesiasticarũ, occasione quacumque serrare sive claudere quoquo modo; seu eorũ bona quæcumque bannire, seu etiam vias nouas aliquas ubilibet adinvenire vel facere, per quas ecclesiæ, seu earum villæ, castra, vel loca, in pedagiis sive lesdis, aut quibuslibet juribus aliis, possint in aliquo diminui, vel etiam pejorari; sive itinera, aut vias vel stratas publicas, aut privatas, infra limites sive territoria, vel districtus locorum, villarum, sive castrorum ecclesiasticæ jurisdictionis, auferre, vel sibi quomodolibet appropriare, attribuere, seu etiam applicare, vel terminos eorum arctare præsumpserit seu attentaverit, per suam potentiam aut violentiam sive malitiam: nisi infra sex dies super iis, a die captionis seu invasionis, attentationis, turbationis, seu inquietationis sive præsumptionis hujusmodi, per emendam seu per revocationem debitam, seu alias, ut res exegerit, plene satisfecerit, excommunicationis sententiæ subjaceat ipso facto. Quam siquidem excommunicationis sententiam, cum de præmissis, seu eorum aliquibus, cuilibet ordinario vel ejus officiali summarie constiterit, aut de plano ex mero officio, & sine strepitu judicii, & figura, volumus, & statuendo mandamus, executioni debitæ, per ipsum quemlibet ordinarium seu officialem ipsius certificatum de plano, mandari per universas ecclesias nostrarum civitatum & diœcesum, sicut viderit commodius expedire. Super quo tam in genere, quam etiam contra quascumque personas singulariter denominandas, plenam habeat facultatem, & insuper etiam ad aggravandam hujusmodi sententiam, prout ei videbitur expedire. Et si dominus vel rector civitatis, castri, villæ, vel loci alicujus, aut officialis ejus, in prædictis vel aliquo prædictorum culpabilis fuerit, & per sex dies in excommunicatione perstiterit: civitas, castrum, villa, vel locus hujusmodi, ecclesiastico subjaceant interdicto. Si vero universitas deliquerit in prædictis, illi qui universitatem vel singulas personas ad id induxerint, commoverint, vel defenderint, & singuli qui in aliquo præmissorum culpabiles fuerint, post sex dies ipso facto excommunicationem incurrant: universitas vero ipsa, nisi infra decem dies emendam fecerit competentem, ecclesiastico subjaceat interdicto. Si vero prædicta injuria per alium quemlibet illata fuerit, & dominus, vel rector, aut officialis, infra cujus jurisdictionem prædicta injuria fuerit irrogata, requisitus per ordinariũ, seu vicariũ vel officialem ejusdem, aut vicegerentem, aut locum tenentem, aut etiam delegatum, infra decem dies satisfactionem vel emendam non fecerit competentem: excommunicationem se noverit incurrisse, quam si per decem dies sustinuerit, terra cui præfuerit, ecclesiastico subjaceat interdicto.

XII. *Provisio contra illos qui bona & iura ecclesiastica inuaserunt vel quomodolibet occuparunt.*

Item statuimus & etiam ordinamus, quod quæcumque persona, cujuscumque gradus, dignitatis, status, vel conditionis existat, quæ bona quæcumque sive jura ad ecclesias vel ecclesiasticas personas quomodolibet pertinentia, detinet occupata, vel quæ in præjudicium ecclesiarum seu personarum ecclesiasticarum & jurium earumdem aliquas fecerint indebitas novitates, plene restituat, & cum effectu revocet, nisi satisfactionem faciat infra mensem, postquam fuerit requisita: quod nisi fecerit, excõmunicationis sententiæ se noverit subjacere. Et si universitas vel dominus, seu rector, aut officialis, fuerit in præmissis culpabilis: ecclesiastico universitas ipsa, & locus hujusmodi ubi prædicta seu aliquid prædictorum commissa fuerint (quæ sub ejus dominio fuerit alioquin locus situs, ubi habuerit suum domicilium principale) subjaceat interdicto. Vniversitatem autem sufficienter requisitam, quoad præsens propositum, reputamus: cum dominus vel officialis qui ibi præfuerit nominatim expressa injuria, ut quam revocari faciat, fuerit requisitus; vel cum per tres Dominicos publice, dum celebrabuntur Divina mysteria, per sacerdotem parochialem, vel ejus locum tenentem, de mandatis ordinarii vel officialis ejusdem significatum fuerit, quod de injuria, novitate, & damnis, nominatim exprimendis, satisfaciat competenter.

XIII. *Ne quis in loco suo retineat bona ecclesiarum alibi indebite ablata.*

Item, quod loca ad quæ bona ecclesiarum vel ecclesiasticarum personarum, per violentiam manifestam seu notoriam injuriam sine causa probabili ablata, seu arrestata devenerint, tamdiu, post decem dies, ex quo significatum fuerit locorum domino vel rectori, interdicta permaneant, quamdiu bona hujusmodi ibi fuerint detenta, & competens non exhibeatur emenda.

XIV. *Vt sæcularis potestas clericum captum cito judici suo restituat, nihilum exigens ab eodem.*

Item, quia privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate, attendentes quod nonnulli domini temporales, vicarii, clavarii, & alii sæcularium curiarum officiales, obtentu seu occasione aliquarum licentiarum, ex causa eis ad certum tempus, vel simpliciter, vel ad certas personas, ab archiepiscopis & episcopis concessarum, hac occasione, prout comperimus, manus temerarias ad capiendum clericos passim & indifferenter, aliasq; personas ecclesiasticas, incurialiter*, & eo modo quo possint turpius ad majorem confusionem ecclesiæ ac cleri, extendere non verentur; quinimmo ipsos suis mancipant carceribus ac ibidem nonnunquam eos faciunt radi totaliter, ut palliare possint excessus suos, & illos confingere clericos non fuisse, vel non esse in possessione clericatus, seu quasi, in suarum animarum periculum, & enervationem ecclesiasticæ libertatis: prohibemus, ne a quoquam talia vel similia de cætero attententur, revocantes ex nunc licentias sub quacumque forma verborum, super hujusmodi captionibus vel detentionibus, generaliter vel specialiter, per litteras, vel oraculo vivæ vocis, vel alias quomodolibet faciendis, concessas. Alioquin contrarium facientes, cujuscumque status, conditionis, vel dignitatis existant, sive sint laici, sive ecclesiasticæ personæ, regulares, vel etiam sæculares, hanc nostram excommunicationis sentētiam, quam in his scriptis præsentibus ferimus, incurrere volumus ipso facto: nisi forte in eo dumtaxat casu, cum scilicet eos adhuc flagrante crimine capi contigerit, antequam ad alios extraneos actus divertant, recta via eos ad curiam ecclesiasticam duxerint, & eos restituerint sine fraude. Si vero de nocte talem ceperint, debeant ultro in crastinum, sine retentione bonorum suorum, & læsione personarum, sine requisitione alia reddere eos curiæ supradictæ: nec eis liceat aliquid a captis hujusmodi, dono vel gratia, sub colore aliquo extorquere, vel recipere gratis data. Quod si in castris vel villis captiones hujusmodi fieri contingat, adducant ipsos ad ecclesiasticam curiam, vel transmittant quamcitius sub fida custodia, in expensis curiæ ipsius moderatis. Quod si secus egerint, vel in fraudem aliquam super hoc aliquid attentaverint: eadem sententia involvantur. Et si clericum detentum de loco ad locum mutaverint, omnia loca illa tamdiu remaneant interdicta, donec clericum captum, cum armis, & aliis rebus

* al. infimiliter. forte inciviliter

A suis diœcesano restituerint, & de injuria irrogata ad arbitrium diœcesani satisfecerint, & ipsa sententia per ipsum fuerit relaxata.

XV. *Prorogatio jurisdictionis in invasores & occupatores ecclesiasticorum bonorum & jurium exercendæ.*

Item, cuilibet ordinario, infra cujus jurisdictionem fuerit injuria vel violentia ecclesiis ecclesiasticisque personis, aut in rebus vel eorum juribus irrogata, seu eorum B possessio, vel quasi, turbata, vel indebite occupata: contra ipsos injuriantes vel perturbantes, seu in præmissis, vel eorum aliquo, quomodolibet delinquentes, ac inde præstantes auxilium, cōsilium, vel favorem, cujuscumque dignitatis vel status existant, procedendi simpliciter, summarie, & de plano ac sine strepitu judicii, & figura citandi, informationes recipiendi, inquisitiones, faciendi, definiendi, declarandi, & omnem jurisdictionem ecclesiasticam exercendi, ubilibet infra vestras provincias, ci- C vitates, & diœceses, plenam & expressam autoritate præsentis concilii nos & episcopi, archiepiscopi, & procuratores episcoporum absentium, habentes ad hoc mandatum sufficiens, concedimus facultatem. Nec objici valeat contra tales processus, quod extra territorium jus dixerit sic procedens: quia, quoad præmissa & quælibet præmissorum, jurisdictionem nostram, & nostrorum, vicissim inter nos prorogavimus, vices nostras nobis ad invicem, ac dictarum provinciarum, civitatum, ac diœcesum, singulisque officialibus & lo- D cum tenentibus, præsentibus & futuris, in solidum committentes: universis nostris subditis injungentes, ut in præmissis ordinario ac ejus officiali, seu locum tenenti, sic procedenti pareant & intendant. Quod nisi fecerint: possit procedens per censuram ecclesiasticam animadvertere in eosdem. Et nihilo minus si nos archiepiscopi & episcopi, per sic procedentem requisiti, prætermiserimus suas in hac parte requisitiones aliquatenus exaudire, aut id super quo requisiti fuerimus, non curaverimus perduce- E re ad effectum: sic non exaudiens, nec ad effectum perducens, eo ipso per unum mensem, autoritate præsentis concilii, a pontificalibus sit suspensus: præsenti statuto post decennium minime valituro: ita tamen quod per hoc sic procedenti in aliena civitate vel diœcesi, nullum jus aut jurisdictio in posterum ex longinquitate temporis, vel alias, post decennium acquiratur.

XV.

XVI. *Ut excommunicati ad nullum officium publicum admittantur.*

Item statuimus quod excommunicati, in judices, consules, rectores, bailivos, potestates, assessores, vel notarios, vel ad alia quævis publica officia, nullatenus assumantur, nec etiam admittantur: & si de facto admissi fuerint, sententia per eos vel eorum autoritate in judicio vel extra habita, & monimenta coram eis, vel per eos facta, nulla, & nulli sint ipso jure. Et nihilo minus quicumque, cujuscumque dignitatis, status, aut conditionis existant, si tales excommunicatos ad aliquod officiorum prædictorum scienter assumpserint, vel assumptos per alios approbaverint, vel confirmaverint, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto. Et si requisiti per ordinarium, vel alium ejus nomine hujusmodi excommunicatos infra decem dies a tempore requisitionis, a prædictis officiis sic assumptos, non amoverint cum effectu: loca illa, in quibus ad aliquod prædictorum officiorum assumpti fuerint, sic & tamdiu remaneant ecclesiastico supposita interdicto, donec sic excommunicati, a susceptis officiis realiter, & sine fraude, & sine aliqua restitutionis spe, quandiu in excommunicatione perstiterint, sint amoti: universitas ac civitas castri vel villæ, quæ excommunicatos, & in ecclesia publice denunciatos, ad aliquid prædictorum officiorum assumpserit vel elegerit, ubi eis alias hoc liceret, ecclesiastico etiam sit supposita interdicto.

XVII. *Ut nullus ministret toxicum, vel alia venenosa.*

Item statuimus, & sub pœna excommunicationis districtius inhibemus, ne quis apothecariorum, vel quis alius, cujuscumque conditionis vel sexus existat, toxicum vendat nec donet, nec alio modo ministret alicui, vel alia venenosa, nisi prius significet curiæ ordinarii, ut sciri possit suis temporibus, si casus toxicationis contingeret, quis fuerit emptor ille vel alius qualiscumque: quodque apothecarius quilibet ad hoc observandum, juramento coram suo superiore corporaliter præstito pro se, & sua familia, specialiter astringatur. Aliter autem dantes & vendentes, & ad homicidium perpetrandum recipientes quomodolibet, vel ementes, & ad hoc consilium vel consensum tacite vel expresse præstantes, excommunicationis vinculo subjaceant, ad sedem apostolicam pro absolutionis beneficio remittendi, & alias, sicut fuerit justum, puniendi.

XVIII. *De pœnis, toxicam vel herbas mortiferas in mortem alterius ministrantibus, inferendis.*

Item, quod quicumque alium toxicare, aut opem ad hoc vel consilium dare, vel in necem alterius toxicum dictare; seu vendere, vel aliter ministrare præsumpserit, vel herbas mortiferas in mortem vel abortivum cujusquam dederit, eo ipso excommunicationem incurrat, a qua non nisi per sedem apostolicam absolvatur. Et si clericus beneficiatus sit, illo sit privatus beneficio ipso facto, & ab ordine quem susceperat degradetur, tradendus curiæ sæculari. Sed & tali vel simili suspicione probabili infamatus, & ex verisimilibus præsumptionibus, & perspicuis indiciis, apud bonos & graves notatus, ad honorem vel dignitatem ecclesiasticam nullatenus admittatur. Et nihilo minus ad detentionem personæ honestam, prout requiret personæ status, & sceleris immanitas suadebit, ad inveniendam veritatis certitudinem, sicut superioris discretioni visum fuerit, procedatur.

XIX. *Qualiter contra exemptos & privilegiatos in diversis abutentes suis privilegiis procedatur.*

Item dolentes referimus, quod nonnulli religiosi, hospitalarii, Cistercienses, & alii tam exempti, quam privilegiati, de privilegiorum sibi forte aut ordini suo indultorum prærogativa temere confidentes, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententias, ab ordinariis vel officialibus ipsorum rationabiliter promulgatas, observare non curant: quinimmo in contemptum clavium, excommunicatos, suspensos, & interdictos hujusmodi, ad Divina recipiunt, aut interdum in donatos, aut confratres, contra mentem concilii Lateranensis, admittunt: receptatorum in hac parte genus pessimum imitantes, sine quibus, delinquentes in his & similibus diu forsitan non laterent. Sed nec his contenti, domos conventuales alterius ordinis quam sui, eisdem ordinariis lege diœcesani subjectas, & a sui fundatione jurisdictioni prælatorum, salva regula seu ordinis sui disciplina, suppositas, tam prænominati, quam cæteri religiosi, etiam non exēpti nec privilegiati, vendicant sibi; & prælatis, quasi furtim, succedente postmodum violentia, substrahere moliuntur: sicque de suis indulgentiis seu privilegiis confidentes, alios fidentius in jure suo molestant: ita quod autoritate, immo temeritate propria, nunc in vestimentis ovium venientes, nunc sæculari fulti potentia, violentiam per se, vel per alium inferentes, possessiones, & quasi, domorum

ANNO CHRISTI 1326.

morum hujusmodi, ac rerum & jurium ad eos spectantium, occupare, & cum armis aliquoties invadere non verentur, & occupata tenere contendunt in prælatorum præjudicium, plurimorum scandalum, & enormem nihilo minus illius ordinis cujus erant ab initio, & cui ab antiquo subesse consueverant, læsionem. Cum igitur tales, & tam enormiter excedentes, & notorie delinquentes, receptatoribus non impares, ac improbis raptatoribus nequiores, perinde ut alios jura censeant puniendos: nos, quatenus in ipsos animadvertere possumus, & a jure nobis permittitur, & maxime si de privilegiis suis non velint copiam facere, requisiti; volentes, ubi eos indulta sibi privilegia non defendunt, correctionis & reformationis officium exercere, & ambientium effrenatam cupidinem reprimere cupientes: statuimus & concorditer ordinamus, ut tales & similes, in præmissis & similibus tam enormiter excedentes, & tam notorie delinquentes, nisi destiterint, & saniori ducti consilio, congruenter infra dies octo ex quo fuerint requisiti, revocare seu emendare distulerint, una cum illis qui se ad eos sic ligati reduxerint, & eis qui translationem hujusmodi acceptaverint*, & exinde monasteria, domos, vel conventuales res, & jura hujusmodi occupare seu invadere cum armis vel sine armis præsumpserint, necnon & omnes qui eis ad hoc opem vel operam præstiterint, aut, ut sic occupata detineant, consilium vel juvamen præbuerint, excommunicationi subjaceant ipso facto. Sed & cum ipsi prælatis non deferant, sed potius vilipendant eosdem: prælati etiam contra, quamdiu sic steterint, & ausu temerario eis vel officialibus eorum in præmissis restiterint, in privilegiis vel aliis juribus suis tueri eos vel defendere minime teneantur. Dignum est enim, ut qua mensura mensi fuerint, eadem remetiatur & eis: ut ignorantes ignorari, & contemptores sentiant se contemni. Qua enim fronte, prælatorum invocabunt auxilium, qui committere non formidant in ipsos? Statuimus insuper, præcipimus, & concorditer ordinamus, ut singulares personæ, tam* suimet quam ipsius conventus, mixtim translationem taliter* fieri procurantes, ab illius domus seu conventus consortio penitus & in perpetuum excludantur, vitam suam alibi sub arcta pœnitentia, sui superioris abitrio, finituræ. Circa translationem autem singularium personarum, ad rectiorem forte regulam transire cupientium, nihil per hoc intendimus extra formam a jure traditam immutare.

* al. attentaverint

* al. tam foris

* al. totaliter

XX. *Vt presbyteri testamentis parochianorum intersint, & per episcopum distribuantur restitutiones incertæ.*

Item, ne relictæ in testamentis vel aliis ultimis voluntatibus emendæ, vel ad pias causas eleemosynæ, vel restitutiones certæ vel incertæ, forsitan occultentur: statuimus, ut vel presbyter parochialis interesse rogetur ordinationi testantis, si tamen haberi poterit, aut quod notarius infra octo dies a die obitus numerandos, prælato vel officiali aut presbytero parochiali, copiam illius articuli ubi quævis eleemosyna piis est usibus deputata, vel emenda, seu restitutio facienda, sub pœna excommunicationis quam ipso facto, si negaret, incurrat, facere fideliter teneatur; & ille, vel illi, sic cum heredibus & executoribus testatoris ordinare festinent, quod emendæ non occultentur, & eleemosynæ sic relictæ, vel restitutiones hujusmodi, non pereant, ad tempus magnum, vel modicum, aut forte perpetuo faciendæ. Adjicientes insuper, quod incertæ restitutiones, nulli per aliquem executorem testamenti, vel alium, præter diœcesani licentiam, præbeantur: nec aliquis* distribuere præsumat* alibi, quam ubi prælatus duxerit ordinandum, etsi a testatore contrarium dictum esset. Ad hoc adjicimus, quod presbyteri in synodos venientes, prælato suo vel officiali ejus, in scriptis, testatorum & executorum nomina, & quantitatem hujusmodi, præsentare in virtute obedientiæ teneantur.

* al. aliquid

* al. præsumant

XXI. *Quod episcopi in distributionibus legatorum vocentur, prout ad eos pertinet de consuetudine vel de iure.*

Cum in eo in quo alicujus interesse rationabiliter tangitur, ejus vocatio debita requiratur: volumus & jubemus, quod in distributionibus legatorum, quorum divisioni seu executioni habent interesse episcopi de consuetudine vel de jure, vocari debeant episcopi seu loca tenentes ipsorum: quibus equidem non vocatis, nulla præsumatur fieri distributio de legatis; & si facta fuerit, heredi seu successori, vel illi a quo* relictum est, nulla ex tali distributione liberatio acquiratur.

* al. cui

XXII. *Vt nullus confessor, sine diœcesani licentia quemcumque præsumat absoluere in casibus infrascriptis.*

Item ut nullus, cujuscumque ordinis vel religionis seu conditionis existat, confitentes in cujusquam civitate vel diœcesi, præter specialem vel generalem licentiam ipsius diœcesani, de facto absolvere quemquam vel

vel ligare præsumat, in casibus eidem diœcesano a jure, consuetudine, vel statuto provinciali vel synodali, specialiter reservatis. Casus vero sunt hi: In excommunicato a canone, in incendiario nondum etiam publicato, in blasphemo famoso, in votis relaxandis vel commutandis; in his quæ consueta sunt in diœcesi episcopo reservari, utpote in oppressione puerorum, in homicidiis, in sacrilegiis ultra decem solidos, in violatoribus ecclesiarum, in violatoribus ecclesiasticæ libertatis & immunitatis, in incestu cum consanguineis & affinibus, in ascendentibus & descendentibus in infinitum, & in collateralibus usque ad secundum gradum inclusive; in carnali cognitione sanctimonialis, aut defloratione virginis violenta; in illis qui in ecclesia luxuriam commiserint per carnalem copulam consummatam, in restitutionibus incertis ultra xx. solidos in una persona, in clandestine contrahentibus, in eo qui consuetus est multo tempore pravitatem usurariam exercere, in falso teste, in falsario litterarum vel instrumentorum, vel subtrahente aliena instrumenta seu delente, in falsario monetæ, in impediente legatum sedis apostolicæ, in proditore domini vel patris, in hæresis sectatore, in supponente partum vel necante, vel abortivum sibi vel alii procurante; in muliere, quæ ab alio quam a marito proprio concepit infantem, quem maritus suus existimat esse suum, propter quem legitimi defraudantur hereditate paterna; in toxicatione vel aliud mortiferum procurante, vel ministrante, vel opem aut consilium adhibente; in coeunte cum Iudæa vel Sarracena, vel bruto, vel e contra; in sortilegis ad quos communiter recurritur pro sortilegiis faciendis; in his qui corpore Christi, oleo sancto, vel chrismate abutuntur; in depopulatoribus agrorum, vinearum, vel arborum; in excommunicatis qui scienter ingerunt se Divinis, & commoniti nolunt ecclesia exire, Divinum officium perturbantes; in illis qui scienter excommunicatorum corpora recipiunt ad ecclesiasticam sepulturam, vel consepeliunt ibi contra parochialis presbyteri voluntatem; in illis qui scienter celebrant in ecclesia interdicta, quibus non est a jure vel privilegio concessum, cum ex hoc reconcilianda sit ecclesia supradicta.

XXIII. *Ut nullus occasione cessionis sibi factæ coram extraordinario iudice quemquam audeat convenire.*

Item, quod nullus clericus vel persona ecclesiastica, ex causa, vel occasione, vel ratione donationis vel cessionis sibi factæ, vel de cætero faciendæ, aut emptionis, permutationis, vel in solutum dationis, quæ emptio, permutatio, vel in solutum datio, in fraudem fierent, quemquam coram extraordinario judice audeat convenire: si secus egerit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.

XXIV. *Ut nullus bona ecclesiarum vacantium occupet, nisi sibi per privilegium vel consuetudinem hoc liceret.*

Item, quod nullus omnino prælatus, abbas, prior, vel patronus clericus, vel laicus, cujuscumque ordinis, status, vel dignitatis, ordinis, vel religionis existat, bona ecclesiarum vacantium metropolitanæ vel suffraganeæ, prioratus, abbatiæ, vel alterius cujuscumque monasterii vel ecclesiæ, per promotionem, aut mortem vel resignationem, vel mutationem, vel absolutionem, aut alio quocumque modo vacantium, capere vel per se, vel per alium, aut occupare vel usurpare præsumat, nisi sibi per privilegium vel consuetudinem hoc liceret. Quod si fecerit, tam ipse, quam gratis obedientes ei aliqualiter in hac parte, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto.

XXV. *Ut nulla persona ecclesiastica cum potestatibus sæcularibus posse habens, det consilium vel iuuamen contra ecclesiasticas libertates.*

Item, quod quælibet ecclesiasticæ personæ, sæcularium forte principum curias & consilia frequentantes, majores, vel minores, vel mediæ, cujuscumque dignitatis, ordinis, conditionis, vel status existant, si scienter contra Deum & justitiam & ecclesiasticam libertatem, in præjudicium alicujus ecclesiæ vel prælati, seu rectoris ecclesiastici, consilium, vel favorem aut juvamen ecclesiasticæ libertati contrarium dederint, darive procuraverint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto: a qua non nisi emendato damno, seu alio dispendio, circa sedem apostolicam absolvantur.

XXVI. *Ut nullus in sacris constitutus vel curam animarum habens, in iudiciis sæcularium gerat officium publicum vel priuatum.*

Item, quod nullus clericus habens curam animarum, vel in sacris ordinibus constitutus, possit esse de cætero in judiciis sive causis in curia sæculari procurator, syndicus, vel actor, vel judex, aut baillivus, in exercenda jurisdictione domini temporalis pro aliquo laico. Quod si monitus, infra mensem non destiterit: ex tunc talis, si beneficiatus fuerit, beneficiis hujusmodi autoritate præsentis concilii suspendatur; non beneficiatus

ANNO CHRISTI 1326.

neficiatus vero, a liminibus ecclesiæ arceatur.

XXVII. *De modo probandi electionem sepulturæ illorum qui apud religiosos eam elegisse dicuntur.*

Item statuimus, nequis illorum funera defunctorum, quos fratres Prædicatores & Minores apud se sepulturam elegisse probaverint, deferri ad domos & ecclesias eorum impediat: salvo tamen jure portandi funus ad parochialem ecclesiam, ex consuetudine laudabili hactenus observata: nec circa prædicta injuriam fratribus ipsis aut funeri, solitam omittendo campanarum pulsationem, vel aliter, inferre præsumat. Super hac autem probatione, volumus, summarie & de plano, sine sumptibus & scriptura quacumque, per exhibitionem ordinationis testantis, aut productionem testium, coram parochialis ecclesiæ rectore procedere, si tamen potuerit & voluerit interesse. Quo absente utique, vel nolente, coram officiali vel ejus locum tenente, si funus in civitate fuerit, hoc probari sufficiet, vel coram personis publicis & honestis, si hoc extra fortasse contingat. Aliter equidem ubi erunt funera, ea de domibus extrahi prohibemus: incursuris excommunicationis sententiam ipso facto quibuscumque contra tenorem hujusmodi constitutionis extrahentibus de domibus funera, aut facientibus, procurantibus, seu permittentibus extrahi, & præsumentibus, in hoc, auxilium, favorem, aut consilium impertiri. Quod autem circa fratres prædictos, quoad probationem & extractionis funeris inhibitionem, statuimus: ad alios religiosos, apud quos sepultura electa fuerit, extendi jubemus.

XXVIII. *Ut sine novi census impositione, vel veteris augmentatione, beneficia conferantur.*

Item, quod prioratus beneficii, seu alterius ecclesiastici, facta cum novi census impositione vel pensionis antiquæ augmentatione collatio, non valeat ipso jure, & per proximum superiorem, illa vice, personæ idoneæ sine dicti oneris vitio conferatur, ac si ad eum propter negligentiam fuisset alias collatio dicti beneficii devoluta.

XXIX. *Ut monachi in ecclesiis suis infra certum tempus perpetuos vicarios ordinariis repræsentent*

Item statuimus, quod in singulis ecclesiis per monachos solitis gubernari, infra sex menses, priores earum suis diœcesanis ad curam animarum perpetuos presbyteros repræsentent. Quod nisi fecerint, ex tunc hac vice episcopi instituant perpetuos presbyteros in cura prædicta, & ipsos priores compellant ad providendum eisdem presbyteris, prout idem instituens duxerit ordinandum.

XXX. *Ut nullus beneficium conferat in quo jus tantum obtinet patronatus.*

Item statuimus, quod nullus in aliquo beneficio ecclesiastico solum jus obtinens patronatus, cum ipsum vacare contigerit, ad ipsum conferendum procedat. Quod si secus egerit, in illa vacatione jus præstandi ipso facto amittat: & superior ad quem institutio pertinet, plenam ejus dispositionem habeat illa vice.

XXXI. *Ut præsentatus patrono non juret sine diœcesani licentia, nec ab alio se institui patiatur, nec beneficium obtentum dimittat.*

Item sub pœna excommunicationis præcipimus, nequis a patrono clerico vel laico præsentatus, aut præsentandus, præstet aliquod juramentum in manibus patroni, vel alterius cujuscumque, sine speciali ipsius ordinarii licentia & concessu: de quo in institutione vel post, possint præstare juramentum patronis, ratione temporalium, prout eis competit de jure vel onsuetudine. Quodque præsentatus vel præsentandus hujusmodi, ab alio quam ab ordinario, cui de jure competit, in ecclesia parochiali se institui nullatenus patiatur: nec ex quo per ordinarium institutus fuerit vel admissus, beneficium dimittat hujusmodi, non petita ipsius ordinarii licentia, vel concessu, vel nisi alia sufficiens causa subsit, legitima, probabilis, & honesta.

XXXII. *Ut ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ a talliis & exactionibus sæcularium per ordinarios defendantur.*

Item quod clerici, & hospitalia, & ecclesiæ, a talliis & exactionibus, quas domini temporales faciunt, etiam ratione possessionum temporalium, necnon & in patrimonialibus, secundum leges & canones defendantur per ordinarios, nimis hactenus super hoc negligentes: ne paulatim totum usurpent temporales domini, in præjudicium & enervationem ecclesiasticæ libertatis.

XXXIII *Ne quæstæ, vel aliæ exactiones, per sæculares hospitalibus imponantur.*

Item, quod dicti sæculares, cujuscumque gradus, dignitatis, seu conditionis existant, hospitalia usibus pauperum deputata, occasione cavalgarum, talliarum, quæstarum, vel aliarum illicitarum exactionum, quocumque

cumque nomine appellentur, nec onerare, nec molestare præsumant. Alioquin si requisiti, desistere & emẽdam præstare noluerint, vel si de cætero contra fecerint, ipso facto sententiam excõmunicationis incurrãt.

XXXIV. *Ne laici prætextu alicuius statuti prohibeant clericos extrahere blada de terris ipsorum.*

Item cum statuta sæcularium ecclesias aut ecclesiasticas personas non astringant: statuimus, ut sæculares, cujuscumque dignitatis, conditionis aut status fuerint, qui prætextu statuti ne bladum extrahatur de terra, vel castro vel villa; vel quo certo precio vendatur, invitos clericos vel ecclesiasticas personas astringere (maxime cum ipsi non habeant aliunde forsitan unde vivant) aut super angariis vel parangariis, aut aliis quibuscumque, cum nec in eis, nec eorum bonis, aliquam habeant potestatem, coarctare præsumpserint, excommunicationi subjaceant ipso facto: & locus, ubi hoc per dominum loci, vel universitatem ejus, aut eorum conniventia vel commissu, attentatum fuerit, ecclesiastico subjaceat interdicto, nisi moniti, infra mensem emendaverint, & de perpetratis satisfactionem exhibere studuerint competentem.

XXXV. *Ut domini temporales non impediant vel prohibeant quo minus ecclesiarum rectoribus decimæ persolvantur.*

Item quod domini temporales, bailivi, seu officiales ipsorum, clericos & ecclesiarum rectores non impediant, quo minus decimæ ipsis, prout ad eos pertinent, per parochianos suos reddantur fideliter & solvãtur: nec eisdem parochianis inhibeãt, quod non solvant. Alioquin si contra fecerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant.

XXXVI. *Ne statuta & ordinationes fiant super decimis, funeralibus, oblationibus, & aliis, contra laudabiles cõsuetudines & ecclesiæ libertates.*

Item quod laici, cujuscumque gradus, dignitatis, vel conditionis existant, vel universitas, statuentes vel ordinantes in se, vel inter se, vel præconizari facientes, vel subditis suis mandantes, quod non præstent decimas ecclesiis, vel non offerant, vel in ultimis voluntatibus quidquam relinquant eis, vel rectoribus earundem, vel quod laudabiles cõsuetudines ecclesiæ in spiritualibus vel aliis infringant, vel alias non observent, vel aliud æquipollens, directe vel indirecte, tacite vel expresse, vel alio quomodolibet injungẽtes, ipso facto excommunicationem incurrant, a qua, antequam emenda competens præstita fuerit, minime absolvantur; universitas autem ecclesiastico subjaceat interdicto.

XXXVII. *De societatibus, colligationibus & conjurationibus quas confratrias appellant, radicitus extirpandis.*

Item quia in quibusdam nostrarum provinciarum partibus nobiles plerumque, & interdum alii, colligationes, societates, conjurationes faciunt, tam canonibus quam humanis legibus interdictas, semel in anno sub confratriæ nomine se in loco aliquo congregantes, ubi conventiculas, & colligationes faciunt, & pacto juramento vallata ineunt, quod se adversus quoscumq; præterquam dominos suos, ad invicem adjuvent, & in omni casu unus alteri det auxilium, consilium, & favorem; & interdum se omnes veste consimili cum signis aliquibus exquisitis vel characteribus, inducẽtes, unum majorẽ se eligunt cui jurant in omnibus obedire: ex quibus justitia offenditur, mortes & deprædationes sequuntur, pax & securitas exulãt, innocentes & inopes opprimuntur, & ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ, quibus tales oppido sunt infesti, in personis, rebus, juribus & jurisdictionibus, injurias diversas & damna plurima patiuntur. Nos volentes his ausibus pestiferis & conatibus perniciosis extemplo occurrere, & de remedio possibili providere, & a peccato subditos nostros, prout pastorali incumbit officio, cohibere: autoritate præsentis concilii, omnes conventiculas, colligationes, societates, & cõjurationes, quas fraternitates vel confratrias appellant, ab olim factas per clericos vel laicos, cujuscumque gradus, status, dignitatis, vel conditionis existant, necnon & pacta, conventiones, ordinationes inter eos habitas & habita, irritamus, dissolvimus & cassamus; & cassos & irritos, & cassa & irrita nunciamus: decernentes, omnia juramenta super observandis prædictis præstita, aut illicita aut temeraria; & nullum teneri volumus ad observantiam eorum: a quibus juramentis eos absolvimus ad cautelam. Ut tamen pro incauto seu temerario sacramento a suis confessoribus pœnitentiam recipiant salutarem: autoritate prædicta prohibẽtes eisdem, sub excommunicationis pœna (quam venientes in contrariũ, postquam præsens statutũ in ecclesiis quarum parochiani existũt, fuerit per duos dies Dominicos publicatum, incurrere volumus ipso facto) quod occasione prædictarum colligationum, societatum, conventionum, & juramẽtorum, ab inde in antea simul non conveniant, hujusmodi confratrias non faciãt, alter alteri non obediat, nec præstet adjutoriũ nec favorem, nec vestes signa rei jam damnatæ præbentes deferant, nec se confratres, priores, abbates prædictæ societatis appellent. Quinimmo infra decem dies a tempore dictę publicationis*, unusquisque alios, quantum est in eo, a prædictis juramẽtis absolvat; & se nolle esse de prædicta societate ulterius publice protestetur. Prohibemus etiam, quod amodo tales conjura-

* al. public. petant a confessore, ut, quãtum est in eo,

ANNO CHRISTI 1326.

rationes, conspirationes, conventiones, etiam sub nomine confratriæ, non fiant: alioquin & de facto attentatas cassamus & irritamus, & facientes & attentantes excommunicationis sententiæ volumus subjacere: a qua, nisi per concilium provinciale, præterquam in mortis articulo, nullatenus absolvantur. Per hoc autem, confratrias olim in honorem Dei, & beatæ Mariæ, & aliorum sanctorum, pro subsidiis pauperum introductas; in quibus conjurationes & juramenta non interveniunt hujusmodi, non intendimus reprobare.

XXXVIII. *Ut clerici ecclesias, præter diœcesani licentiam, non teneant, nec ibi armatos tenere præsumant.*

Item prohibemus sub pœna excommunicationis, quam ipso facto contrafacientes incurrant, ne regulares aut etiam clerici sæculares, ad muniendas contra ordinarios ecclesias, vel earum jura indebite occupanda, præter diœcesani cui dictæ subsũt ecclesiæ, vel locum ejus tenentis, licentiam vel mandatum, arma portare, vel armatos adducere, vel tenere, vel receptare de propria diœcesi vel aliena præsumant.

XXXIX. *De clericis arma portantibus, & qualiter puniantur.*

Item statuimus, ut nullus clericus arma portare præsumat absque illius, cui competit, licentia speciali. Qui vero contra fecerit, præter id quod armorum amissione mulctatur, de nocte si portaverit, decem librarum; si de die, centum solidorum pœna monetæ currentis, irremissibiliter feriatur.

XL. *Ut prælati remissiones faciant delinquentium ad inuicem requisiti.*

Item statuimus, quod singuli episcopi, & eorum officiales, vicarii, locum tenentes & vicem gerentes ipsorum, in delictis remissionem faciant cum fuerint requisiti. Et si is qui deliquisse dicitur, de diœcesi non fuerit ejus, a quo remissio postulatur fieri, sufficiant solæ litteræ requirentis: si vero de ejus diœcesi fuerit, semiplena probatio sufficiat in hac parte.

XLI. *De excommunicatis compellendis redire ad gremium ecclesiæ per iudicem sæcularem, & appositionem pœnæ.*

Item cum nonnulli claves sanctæ matris ecclesiæ contemnentes, excommunicationis sententiam, non sine animarum suarum periculo, frequenter diu sustineant animo indurato: statuimus, ut quicumque hujusmodi sententiam, per nos vel per nostras curias promulgatam, per duos menses postquam noverit in se prolatam, eam duxerit pertinaci spiritu sustinendam, non curans modo debito absolutionis beneficium petere ab eisdem, vel ab ea curia per quam fuerit excommunicationis vinculo innodatus: requiratur per eamdem curiam dominus temporalis, aut ipsius bajulus, vel judex loci ubi talis excommunicatus noscitur commorari, & moneatur attente, ut infra competentem terminum ab ipsa curia præfigendum, suum subditum sic excommunicatum compellat omnino satisfacere super eo, pro quo in eum excommunicationis sententia fuerit promulgata, & absolutionis beneficium postulare. Si vero dominus, bailivus, sive judex, hæc non curaverit efficaciter adimplere: in ipsum per eandem curiam excommunicationis sententia proferatur. Et deinde si adhuc dictum suum subditum cogere contempserit: locus ille, donec compulerit ipsum, interdicto ecclesiastico supponatur. Cæterum ut iidem excommunicati, qui Divino non inclinantur amore ut ad gremiũ ecclesiæ revertantur, temporali metu pœnæ ad id propensius inclinentur: statuimus, ut laici quinque solidos, clerici vero decem, & presbyteri quindecim solidos Viennens. bonorum, pro quolibet mense quo in excommunicatione permanserint, antequam absolutionis beneficium impendatur, eidem solvere teneantur (nisi propter paupertatem, vel aliam causam rationabilem, memorata curia misericorditer agere voluerit cum eisdem) in usus pios ad diœcesani arbitrium convertendos.

XLII. *Ne prohibeantur prælati iurisdictionem suam libere exercere.*

Item cum jure cautum existat, archiepiscopos & episcopos in totis suis diœcesibus jurisdictionem ordinariam obtinere, & in quolibet loco suarum diœcesum non exẽpto, per se vel alium posse pro tribunali sedere, causas audire spectantes ad forum ecclesiasticum, & personas ecclesiasticas, cum earum excessus exegerint, capere & carceribus mancipare, aliaque omnia ad sua spectantia officia libere exercere; & nonnulli domini temporales, judices, & rectores, ac officiales eorum, Deum & ecclesiasticam libertatem sacrorumque statuta canonum offendere in suarum animarum grande periculum non verentes, personas ecclesiasticas, quas in diversis locis nostrarũ civitatum, & diœcesum, ac provinciarum, suis excessibus & delictis exigentibus, capi & carceri mancipari contigerit, interdum de carceribus extrahunt violenter, impediendo quo minus de illis & earum delictis & excessibus per judices ecclesiasticos, ad quos pertinet, exhiberi libere valeat justitiæ complementum: nos talium obviari damnandis ausibus, jusque servari super his in eisdem civitate, diœcesi, ac provinciis cupientes, hoc præsente concilio approbãte statuimus, quod omnes & singuli temporales domini, judices,

ANNO CHRIST. 1326

judices, rectores, vel officiales eorum, qui A talia de cætero in eisdem civitatibus, vel diœcesibus, aut provinciis, præsumpserint attentare, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant: eorumque terræ* ac loca, nisi infra decem dies postquam fuerint super hoc requisiti, destiterint, ex tūc ecclesiastico subjaceant interdicto: donec spoliatis carceribus plenarie, & libere restitutis, ei, cujus jurisdictionem sic læserint, emendam præstiterint condecentem.

*al. curiæ

XLIII. *Ne prohibeantur directe vel indirecte clerici coram suo judice litigare.* B

Item cum nonnulli temporale dominium obtinentes, seu sæcularis justitiæ potestatis gerentes officium, jurisdictionem sanctæ matris ecclesiæ subvertere vel minuere exquisitis astutiis moliantur: nos eorum malitias ultione canonica reprimere cupientes, approbante præsenti consilio statuimus, inhibentes ne quis in foro ecclesiastico litigantes seu litigare volentes, super causis mere ecclesiasticis, sive quæ ad forum ecclesiæ de antiqua & approbata consuetudine & C hactenus pacifice observata, pertinere noscuntur, ad desistendum compellat per ipsorum vel parentum ac consanguineorum, seu rerum eorum vel personarum captionem, aut aliis quibuscumque modis. Si vero contra præsumpserint, excommunicationis sententiæ, præsentis autoritate concilii, se noverint subjacere. [Licet regularis observantiæ professores, & alios quos sedes apostolica exemptionis & libertatis munitos declaravit titulo, & insignivit privilegiis, attollere condignis favoribus D intendimus, ipsorumque privilegia, quatenus ad nos attinet, conservare penitus illibata: sic tamen eos suis manere contentos juribus affectamus]

Quæ inclusis ducibus clausimus, sunt initium c. 15. conc. Bituric. a. 1276. ab inconsulente quodam librario perperam addita. Et absunt a codice nostro MS. sed quoniam a Bin. edita, repræsentamus.

XLIV. *Ut in domibus prælatorum, vel in ipsorum officialium præsentia, injuria nulli fiat.*

Item cum illos quos Dei timor a malo non revocat, saltem coercere debeat severitas disciplinæ, præsenti concilio duximus statuendum, quod si persona, cujuscumque conditionis, status, seu ordinis existat, infra domos archiepiscopales, vel episcopales, E nostrarum civitatum vel diœcesum ac provinciarum, & alibi ubicumque nos vel suffraganei, seu nostri vel eorum officiales, eos audient, aliquem facto graviter vituperaverit, seu injuriam irrogaverit, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto, & alias puniatur.

XLV. *De bannis solvendis a clericis & per quos & qualiter exigantur.*

Item statuimus sub pœna excommunicationis, quod nullus dominus temporalis audeat compellere ecclesias, vel ecclesiasticas personas, vel earum familias, servientes, seu nuncios, solvere bannum seu banna pro animalibus suis quibuscumque, vel personis prædictis. Et, ne personæ ecclesiasticæ, vel earum familiæ, propter hoc habeant materiam delinquendi: statuimus, ut banna, quæ a laicis committuntur pro fructibus alienis, vel eorum animalibus, in vineis, pratis, aut possessionibus, vel defensis, inventis, eadem ab ipsis clericis & personis ecclesiasticis, ipsorumque familiis, & animalibus earumdem, applicanda curiæ singulorum diœcesanorum de cætero committantur. Volentes & præcipientes, ut a presbyteris singularum ecclesiarum nostrarum diœcesum, curam habentibus, banna ipsa, quotiescumque in locis ipsorum committi contigerit, autoritate diœcesani exigantur fideliter, & leventur, eidem curiæ per eosdem postmodum in singulis synodis ex integro assignanda. Si qui vero sic banna commissa solvere recusaverint, per ipsos presbyteros requisiti: ex tunc ad duplicata banna eadem teneantur, & ad ea sic duplicata solvenda per eandem curiam compellantur. Presbyteri vero prædicti dictæ curiæ, banna hujusmodi solvere recusantes manifestare procurent: alioquin si super hoc fuerint reperti negligētes, juxta ipsum curiæ arbitrium exinde punientur. In civitatibus vero, vel castris alicui nostrum, seu nostrorum diœcesanorum temporali jurisdictioni subjectis, per nostros mandatarios, seu ipsorum diœcesanorum, prædicta banna exigi volumus & levari, & cuilibet diœcesanorum nostrorum, prout ad nos vel quemlibet eorumdem pertinuerint, restitui per eosdem. Cæterum super denunciatione prædictorum bannorum, cum ab aliquo vel aliquibus committuntur, custodibus sive gardiis juratis fidem decernimus adhibendam. Porro per solutionem dictorum bannorum, ab emendandis talliis sive damnis, prout justum fuerit, nullum volumus excusari.

ANNO CHRISTI 1326.

XLVI. *Qualiter prælati possint benedicere in aliena.*

Item statuimus, quod quilibet archiepiscoporum prædictorum, & singuli episcopi provinciarum nostrarum, dum equitabunt per dictas provincias, possint, etiam in alia diœcesi, dictarum provinciarum populum benedicere, ut ex hoc, populi devotio augeatur, & etiam in diœcesi Arelatensi, Aquēsi, Ebredunensi, tamen prædictis* civitatibus dumtaxat: exceptis semper civitatibus, & locis aliis, in quibus alter ex nobis dictis archiepiscopis vel diœcesanis, præsens esset.

Corr. excepti. Nimirum ex diœcesi archiepiscopi, excipit civitatem metropolitanam.

ANNO CHRISTI 1326.

XLVII. *Ut sententiam ab uno latam alius servare teneatur.*

Item sententiam excommunicationis vel interdicti latam ab uno, alii denunciari & observari faciant, cum a proferente super hoc fuerint requisiti: addentes, quod prædictæ sententiæ excommunicationis & interdicti, non nisi ex justis causis, & cum maturitate, solennitate debita proferantur.

XLVIII. *De contrahentibus matrimonia clandestina in diœcesi aliena.*

Item statuimus, quod quæcumque persona pro matrimonio clandestine celebrando diœcesim suam exiverit, & ibi ipsum matrimonium contraxerit sine licentia proprii sacerdotis: ipso facto excommunicationis sententiam incurrat, & ut excommunicatus vitetur & publicetur, donec ad arbitrium diœcesani, ecclesiæ parochiali satisfecerit, in cujus injuriam hoc præsumpserat, & absolutionis beneficium meruerit obtinere.

XLIX. *De abusoribus litterarum domini papæ & legatorum ejusdem, & qualiter puniantur.*

Item quia sunt nonnulli clerici, qui litteris domini papæ vel legatorum ejus nequiter abutuntur: idcirco autoritate præsentis concilii excommunicamus omnes illos, qui litteras obtentas, aliis ejusdem nominis ad abutendum tradunt; & eos, qui eas recipiunt tali modo. Item qui ad loca æquivoca aliquem citari faciunt, ut fraudulenter & malitiose vexent & decipiant sic citatum laboribus & expensis. Item omnes illos, qui per litteras domini papæ & legatorum ejus, personas non comprehensas in rescriptis, per excogitatam malitiam, litem ubi non est simulantes, citari faciunt & procurant ad testimonium prohibendum veritatis. Item omnes illos, qui litteras apostolicas vel legatorum ejusdem sedis ad futuras trahunt controversias, quæ nondum fuerant, tempore impetrationis, exortæ. Item omnes illos, qui per litteram quasi de bonis pro suo prioratu vel pro sua ecclesia impetratam, ad instantiam aliquorum aliquos citari faciunt, cum quibus ratione prioratus seu ecclesiæ, quorum nomine est littera impetrata, non habent aliquid quæstionis de littera post iter arreptum. De omnibus prædicto modo abutentibus idem per omnia statuentes: necnon de omnibus illis, qui per quascumque litteras apostolicas aliquos citari faciunt, contra quos non habent aliquid quæstionis, vel, contra constitutionem felicis recordationis domini Bonifacii papæ octavi, adversarios ad remota loca notorie faciunt evocari. Si quis vero super rebus ad dotem spectantibus litteram apostolicam impetraverit, & illius autoritate aliquem vel aliquos, cum quibus ratione dotis non habet aliquid quæstionis, fecerit fatigari: autoritate præsentis concilii, eadem excommunicationis sententia qua superius, nominatim noverit se ligatum. De illis vero, qui falso se crucesignatos asserunt, cum non sint, & sic tanquam crucesignati litteras apostolicas impetrant, per quas aliquos fatigant laboribus & expensis; item de illis, qui privilegium crucesignatorum impetrant sub illa forma, *postquam iter arripuerit transmarinum*, & ante iter arreptum per illud privilegium aliquos faciunt fatigari: talium abusorum absolutio, postquam parti læsæ satisfecerint, plene suo ordinario reservatur, aliis pœnis a jure statutis eis nihilo minus per suos ordinarios, vel [a] illius quem indebite vexaverint, si ibi reperti fuerint, infligendis. Hæc autem contra abusores litterarum domini papæ, & legatorum ipsius, autoritate præsentis concilii duximus statuenda: ejusdem sedis apostolicæ & legatorum ejus autoritate in omnibus semper salva.

[a] *f.* vel ordinarium illius quem

L. *Ut beneficiati sine diœcesani licentia non componant.*

Item sub interminatione anathematis prohibemus, ne aliquis prædictarum, Arelatensis, Aquensis, & Ebredunensis, provinciarum super decimis vel aliis juribus, debitis ecclesiis parochialibus, cum aliquibus religiosis componere audeat, sine autoritate diœcesani, vel jus uni ecclesiæ debitum alteri audeat assignare.

LI. *Ne beneficiati res ecclesiasticas absque diœcesani licentia, præterquam in certis casibus, alienent.*

Item statuimus prohibentes, ne aliquis, cujuscumque dignitatis vel status existat, ecclesiasticas possessiones, aut quæcumque alia jura immobilia alienet, quocumque titulo, in quascumque personas, cujuscumque status vel religionis, ordinis aut dignitatis existat, sine sui diœcesani consilio & assensu. Qui vero contrarium fecerit, proventus sui beneficii unius anni ipso facto amittat, in propriam utilitatem ipsius beneficii ad diœcesani arbitrium convertendos. Excipimus autem a prohibitione prædicta, quando possessiones erunt [a] minus utiles: quo casu pro utilitate beneficii, in emphyteusim perpetuam dari possint. Sed pro accepto seu pro introitu nihil ultra recipere audeat, quam valeat census, vel canon, vel pars fructuum unius anni, quæ vel qui, ratione dominii, retinetur: salvis etiam consuetudinibus rationabilibus hactenus observatis, quas non intendimus immutare.

[a] *al.* erunt hujusmodi census, ut pro util.

LII.

ANNO CHRISTI 1326.

LII. *In quo statu beneficia debent dimitti, & per successorem teneri.*

Item statuimus, quod si contingat aliquem, ecclesiam suam quomodolibet dimittere sine morte, juxta æstimationem legitimam, & ejusdem ecclesiæ facultates, relinquat ibidem in bonis mobilibus; quod primo personæ necessariæ ecclesiæ, & domui ejusdem, inde possint vivere usque ad novos fructus, & commode sustentari, & omnia onera interim ecclesiæ incumbentia supportare: quodque successor quilibet, omnia ornamenta ecclesiastica, & universam domus supellectilem, in pannis & aliis, in illo statu conservet, & meliori si poterit, ac reddere teneatur in eo, in quo recipiet ecclesiam supradictam.

LIII. *De inventario bonorum ecclesiasticorum infra certa tempora faciendo.*

Item statuimus quod priores ecclesiarum & hospitalium pauperum, & omnes alii ecclesiastica beneficia obtinentes, faciant inventarium cum publico instrumento, vel in chartulario, quod penes ecclesiam debebit remanere, de omnibus immobilibus & mobilibus bonis (scilicet instrumentis, privilegiis, vasis æneis & ferreis atque vinariis) in principio sui regiminis infra sex menses. Et idem faciant instituti post primam synodum, infra sex menses. Et qui prædicta non fecerit, in decima fructuum dicti beneficii puniatur, operi, vel ornamentis, aut utilitati propriæ ecclesiæ per ordinarium applicanda.

LIV. *De testamentis per beneficiatos secundum consuetudinem laudabilem faciendis.*

Item statuta olim per prædecessores nostros edita super testamentis vel aliis ultimis voluntatibus, per prælatos vel beneficiatos alios faciendis, ac consuetudines rationabiles hactenus in singulis provinciis observatas, autoritate præsentis concilii approbamus, & in suo robore volumus permanere.

LV. *De statutis, bannis, præconizationibus contra consuetudines editis, prohibendis.*

Item statuimus, quod quicumque contra ecclesiasticas consuetudines antiquas rationabiles[a], approbatas, & hactenus pacifice observatas, statuta, banna, prohibitiones, vel præconizationes, aut præcepta, scienter fecerint, aut fieri procuraverint, aut servari, seu facientibus vel servantibus, in hoc, consilium vel opem, directe vel indirecte, præstiterint, per diœcesanos locorum aut officiales, vel procuratores eorum, præsentis autoritate concilii moneantur, ut infra unum mensem a tempore monitionis hujusmodi numerandum, statuta, banna, prohibitiones, præconizationes, & præcepta hujusmodi, cum effectu debeant revocare, ad consimilia nunquam ulterius processuri: alioquin excommunicationis sententia, quam in his scriptis ex nunc in ipsos ferimus, sint ligati.

[a] ratio-nabiliter

LVI. *De contributione expensarum necessaria inter omnes beneficiatos diœcesis facienda.*

Item statuimus, quod si archiepiscopus, vel episcopus, vel aliquis rector alicujus ecclesiæ civitatis vel diœcesis, ac provinciarum, expensas necessarias fecerit in legatis, & nunciis sedis apostolicæ, expensæ illæ solvantur de communi distributione ecclesiarum, civitatum, & diœcesum, infra quas dictæ expensæ fuerint factæ: & istæ expensæ semel in anno in una synodo colligantur.

LVII. *Ut Judæi utriusque sexus, signa deferant per quæ ab aliis discernantur.*

Item decernimus, quod Judæi masculi, a quatuordecim annis & supra, deferant extra domos in superiori veste, in pectore, signum rotæ, cujus rotunditas in quantitate sit trium vel quatuor digitorum, nisi sint in [a] magisterio constituti; mulieres autem Judeæ, a duodecim annis & supra, cornalia[b] deferant extra domum. Si vero Judæi, quocumque prætextu contra fecerint, Christianorum eis participatio denegetur. Hac eadem pœna Judæos decernimus compellendos ad satisfaciendum ecclesiæ, pro decimis & oblationibus, de domibus & possessionibus, quas noscuntur in ipsarum parochiis possidere.

[a] al. viagio
[b] al. cornu

LVIII. *Tunc sententia interdicti servetur cum ab ordinario datum fuerit in mandatis.*

In singulis autem casibus supradictis, in quibus lata est sententia interdicti: tunc demum servari eam volumus & mandamus, cum ab ordinario vel ejus officiali, seu locum tenente, seu delegato, datum fuerit in mandatis.

LIX. *De absolutione & dispensatione casuum hujus concilii.*

Item adjicimus, quod in casibus ubi dispensatio vel absolutio non reperiretur in ordinatione præsentis concilii sedi apostolicæ specialiter vel aliter reservata: episcopi, pro suæ discretionis arbitrio, juxta negotii qualitatem & personarum conditionem, provideant & dispensent: aut pro reconciliationis, & absolutionis, seu dispensationis remedio, remittant culpabiles ad suum, vel aliquem alium de prædictis, metro-

ANNO CHRISTI 1326.

metropolitanum, de quo sibi magis expedire videbitur: & sicut illius saluti de cujus agetur excessu, pensatis tam negotii quam personæ circumstantiis, magis crediderint opportunam.

Acta fuerunt hæc in claustro monasterii de sancto Rufo, prædictis anno, die, mense, Indictione & pontificatu prædictis: præsentibus, reverendis in Christo patribus, dominis archiepiscopis & episcopis supradictis; ac venerabilibus & discretis viris, dominis, Bernardo de monte Valrano, archidiacono trans Ligerim in ecclesia Turonensi, Guillelmo de Concontre canonico Aquensi, Gauselino de Condensaco, sancti sepulchri de Clausona, Arelatensis diœcesis; & Bernardo de Ancima presbytero, ac Petro Vasconis notario infra scripto, & pluribus aliis ad promissa vocatis testibus & rogatis.

Et ego Petrus de Ronaco clericus Lemovicensis diœcesis, publicus apostolica autoritate notarius, supradictorum statutorum, cum in supra dicto provinciali concilio credebantur*, ordinabantur, & legebantur, una cum supra nominatis archiepiscopis, episcopis, vicariis, procuratoribus, & testibus, præsens fui: & ad requisitionem dictorum archiepiscoporum, ea in hanc publicam redegi formam, signumque meum hic apposui, & super in quatuor conglutinationibus supra factis.

*f. condebantur

ANNO CHRISTI 1326.

** CONCILIVM MARCIACENSE

A Guillelmo de Flavacourt Auscitano archiepiscopo cum suffraganeis celebratum, anno Dom. MCCCXXVI.

Ex codice MS. locupletissimæ bibliothecæ illustrissimi archiepiscopi Remensis coadjutoris, Car. Maurit. Tellerii.

Hæ sunt constitutiones provinciales concilii generalis Auscitani celebrati apud Marciacum Auscitanæ diœcesis, sub anno Dom. MCCC XXVI. die Lunæ, VIII. Decembr.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *De ætate & qualitate ordinandorum.*
2. *Ut clerici peregrini non recipiantur sine litteris sui episcopi.*
3. *Ut qui peregrinos sine litteris ad efficienda sacramenta recipiunt, sint excommunicati.*
4. *De officio archidiaconi.*
5. *De officio legati.*
6. *De officio ordinarii.*
7. *Ut nuncii ab episcopis missi, a nemine prohibeantur fungi officio.*
8. *De immunitate ecclesiæ vel clericorum.*
9. *Ne domini temporales, coram se clericos in judicio evocent.*
10. *Ut de causis ecclesiasticis se non intromittant.*
11. *De confugientibus ad ecclesiam.*
12. *Qualiter observatio juramenti pertinet ad judicem ecclesiasticum.*
13. *De observatione statutorum.*
14. *De privilegio mulierum.*
15. *De perjuriis.*
16. *De exceptionibus.*
17. *De appellationibus.*
18. *De vita & honestate clericorum, &c.*
19. *De horis dicendis.*
20. *De nocte non ire.*
21. *De sepulturis.*
22. *De non sepeliendis in ecclesia.*
23. *De modestia in exequiis adhibenda.*
24. *Ut jus ecclesiæ parochialis servetur.*
25. *Ne corpus membratim in diversis locis sepeliatur.*
26. *Iterum, ut jus ecclesiæ parochialis servetur.*
27. *Ut pax inter prælatos & curatos servetur.*
28. *De decimis.*
29. *Quod decimæ præferantur angariis.*
30. *Ne impediantur decimæ.*
31. *Item de decimis.*
32. *De detentoribus decimarum.*
33. *Item de decimis.*
34. *De pauperibus rectoribus.*
35. *Ut pauperum ecclesiarum jura defendantur communibus expensis.*
36. *Ut præsentati a religiosis ad ecclesias, & ab episcopis instituti, amoveri postea non possint.*
37. *Quod non fiat nova fundatio sine licentia.*
38. *De censibus & procurationibus.*
39. *De visitatione archidiaconi.*
40. *De consecratione ecclesiæ.*
41. *De reliquiis & veneratione sanctorum.*
42. *De sancta Martha.*
43. *De ecclesiis ædificandis.*
44. *Qualiter chrisma & oleum debeant custodiri.*
45. *Indulgentia visitantibus ecclesias.*
46. *Quod in ecclesiis non teneantur parlamenta.*
47. *De excommunicatis.*
48. *De sententia excommunicationis.*
49. *De statutis contra ecclesiæ libertatem.*
50. *Ut publicetur constitutio Gregorii X.*
51. *De iis qui retinent instrumentum soluti debiti.*
52. *De interdictis.*
53. *De iis qui talliant clericos, religiosos, leprosos, reclusos.*
54. *Quod non pignorentur bona ecclesiæ.*
55. *Ut locus non interdicatur pro pecuniario debito.*
56. *Ut prædicta statuta publicentur.*

CAPITVLA.

I. *De ætate & qualitate ordinandorum.*

Observari præcipimus, quod nullus episcopus curatum officium exerceat, nisi præmissa summarie causa cognitionis vitæ & morum; & idem observari præcipimus in beneficiis non curatis. *Mendosum totum.*

II. *Ut clerici peregrini non recipiantur sine litteris sui episcopi.*

Statuimus quod ordinarii clericos aut religiosos quoscumque, de alienis diœcesibus se ad suas diœceses transferentes, ad Divina officia non admittant, sine suorum litteris prælatorum. Quia dicti peregrini de diversis partibus confluunt ad provinciam Auscitanam, & plures, ut creditur, non ordinati secundum canonicas sanctiones, & plures excommunicati, apostatæ, & criminosi, suos episcopos metu suorum criminum fugientes, qui se asserunt mendaciter sacerdotes,

ANNO CHRISTI 1326.

tes, in contemptum Dei & animarum: nullus in ecclesia sua recipiat clericum peregrinum ad officiandum, sine litteris commendatariis ordinarii sui & licentia sui episcopi: alioquin clericus peregrinus sententiam excommunicationis incurrat.

III. *Vt qui eos sine litteris ad efficienda sacramenta recipiunt, sint excommunicati.*

Irrevocabili constitutione sancimus, quod rectores ecclesiarum, & subcapellani eorum, recipientes peregrinos presbyteros ignotos, absque suorum diœcesanorum litteris recommendatoriis, ad efficiendum ecclesiastica sacramenta, ipso facto sint excommunicationis sententia innodati.

IV. *De officio archidiaconi.*

Statuimus, ut nullus archidiaconus de causis matrimoniorum vel sponsaliorum cognoscere, vel censura ecclesiastica uti valeat, sine mandato sui episcopi speciali: & si aliter præsumptum fuerit, viribus careat ipso facto. nec de præscripta legitima consuetudine aliud sibi competat in hoc casu.

V. *De officio legati.*

Vt fraus circa judices & conservatores sedis apostolicæ, vel legati ejusdem processus ac litteras, in nostra provincia facilius evitetur; & ne vocandi advocati coram eis, indebite fatigentur laboribus & expensis: præcipiendo mandamus, statuta domini nostri Benedicti felicis recordationis, quondam sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ summi Pontificis, quorum unum, *Statutum*, ac aliud, *A constitutione*; nec non & domini Simonis quondam legati regni Franciæ, quorum unum, *Cum iuris remedia*, & aliud, *Cæca cordis ambitio*, incipiunt, frequenter in synodis publicari; & si contra prædicta statuta vel aliqua eorumdem a quocumque præsumptum extiterit, nullum ordinarium ....

Conc. Bituric. ann. 1276. c. 2.

VI. *De officio ordinarii.*

. Vt prælatorum, judicum, inquisitorum, & visitatorum officium eo fructuosius, quo liberius, valeat exerceri: præsenti statuto universis & singulis, tam religiosis, quam clericis ac laicis, duximus inhibendum, ne ipsos impedire vel turbare præsumant, quo minus in privatis locis, religiosis, vel aliis eisdem subjectis, liberum officii sui debitum exequantur. Alioquin si laici fuerint, excommunicationis; si religiosi & clerici, interdicti ipso facto incurrant sententias. Prælati vero, si in præmissis transgressores extiterint, per nostros judices animadversione debita puniantur.

VII. *Vt nuncii ab episcopis missi, a nemine prohibeantur fungi officio suo.*

Item, si quis nuncios nostros, suffraganeorum nostrorum seu judicum nostrorum suorumque, missos per nos vel eos pro convocandis conciliis synodis, citationibus, vel executionibus faciẽdis per se, vel per alium, vel alios clam vel palam impediverit, arrestaverit litteras eisdem abstulerit, fregerit, deleverit, vel occultaverit, percusserit, vel in præmissis, vel aliquo præmissorum, dederit consilium, auxilium, vel favorem: eo ipso sit excommunicationis vinculo irretitus. Et locum ubi talia perpetrata extiterint, usque ad condignam satisfactionem supponimus ecclesiastico interdicto. Et nihilo minus constitutionem per dominum Simonem legatum quondam editam super hoc, publicari mandamus, & eam penitus observari: absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, vel quamcumque revocationem ipsius, aut suspensionem etiam interdicti, per vim vel per metum extortam, præsentis constitutionis autoritate omnino viribus vacuamus. Ne autem sine vindicta, violentiæ crescat audacia: eos qui absolutionis [a] sententiæ revocationis hujusmodi vel metu extorserint, excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.

Conc. Bituric. ann. 1276. c. 16.

[a] Corr. ex sup qui absolutionis, aut sententiæ revocationis beneficium vi vel metu ext.

VIII. *De immunitate ecclesiæ vel clericorum.*

Quicumque judices absolutionis, vel relaxationis cujuslibet excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiarum beneficium impertiri vi vel metu compulerit: per locorum ordinarium excommunicatus publice nuncietur, & dictum absolutionis vel relaxationis beneficium denuncietur aliquatenus non tenere: & sic absolutionem vel relaxationem hujusmodi obtinentes, excommunicati vel interdicti denuncientur publice sicut prius.

IX. *Ne domini temporales, clericos coram se in iudicio evocent.*

Prohibemus ne domini vel judices temporales, personas ecclesiasticas super actionibus personalibus coram se in judicio evocent: nec vocati, ad allegandum coram eisdem privilegium, venire teneantur. Et si ipsas coram se litigare prædictas personas compulerint quoquo modo, per se vel per alios, eo ipso excommunicationis incurrant sententiam, quæ nullatenus relaxetur, nisi læsis hujusmodi de damnis & expensis per ipsos fuerit integre satisfactum: eorum processibus & sententiis super hujusmodi........

ANNO CHRISTI 1316.

A

X. *Vt de causis ecclesiasticis se non intromittant.*

Item quod de excommunicationis suspensionis vel interdicti sententiis, scilicet an juste latæ fuerint vel injuste, vel de aliis causis spiritualibus[a], vel ecclesiasticis, seu alias ad forũ ecclesiæ de jure vel antiqua consuetudine spectantibus, se nullatenus intromittant: nec judices ecclesiasticos, nec super ipsis recurrentes ad ipsos, in hujusmodi quomodolibet impediant vel perturbent: nec super prædictis dent cõsilium, auxilium, vel favorem. Aliter prædictæ excommunicationis sententia sint ligati: quæ nisi satisfactio facta prius fuerit, minime relaxetur.

[a] *Mendose habebat codex MS.* specialibus,

B

XI. *De confugientibus ad ecclesiam.*

Conc Bituric. ann. 1276. c. 12.

Item publicari & observari præcipimus statutum dicti domini Simonis: quo cavetur, quod quicumque fugientes ad ecclesiarum tutelam ibidem vulneraverit, mutilaverit, interfecerit, victualia subtraxerit, vel ne habere aut dare eis valeant impediverit, per se vel alium, seu alios; aut custodes, ne exinde exire potuerint quoquo modo posuerit; incenderit, inde extorserit violenter, præterquam in casibus a canonibus permissis; extractos vulnerare, seu mutilare, aut ultimum inferre supplicium præsumpserit; & quicumque prædicta aut aliqua prædictorum fieri præceperit aut procuraverit, seu consilium vel opem adhibuerit hujusmodi sceleribus perpetrandis: taliter delinquentes excommunicationis sententiæ subjaceant ipso facto. Item quicumque talibus mutilatoribus * & interfectoribus, & quicumque hujusmodi mutilationes, & homicidia fieri præceperit, vel procuraverit; & quicumque facientibus talia consilium vel opem impertiverit: beneficia & feuda, si qua ab ecclesiis taliter violatis obtinent, ipso facto amittant; & ad ecclesiam, a qua id obtinent, remittantur. Filii autem eorumdem non poterunt de prædictis aliquid obtinere; & ad beneficta ecclesiastica ex tunc assequenda eo ipso efficiantur inhabiles & indigni. Vt .... quondam domini Simonis. Nos autem ad prædicti statuti pleniorem observationem quoad quædam adjicimus: quod quicumque de cætero culpabiles quoquo modo inventi fuerint in præmissis, vel aliquo præmissorum, quousque plene satisfecerint ecclesiis violatis, & illis quorum interest, Christiana careant sepultura: etiamsi in articulo mortis ab excommunicationis sententia super prædictis a quoquam forsan fuerint absoluti.

XII. *Qualiter observatio iuramenti pertinet ad iudicem ecclesiasticum.*

ANNO CHRISTI 1316.

Si qui laici principaliter, vel fidejussorio nomine, super contractibus, vel alias juramento præstito, vel fidei interpositione, se obligaverint: poterunt super hujusmodi sub ecclesiastico judice conveniri: ad cujus forum, ratione juramenti vel interpositionis fidei, causæ hujusmodi cognitio noscitur pertinere. Provida deliberatione adjicimus statuendo, quod si aliqui personas ad immunitatem ecclesiasticam[a] de eadem immunitate violenter abstraxerint, si sic extrahentes contingat ad dictam immunitatem confugere, sive recursum habere, non gaudeant immunitate prædicta, nec etiam defendat eosdem: quia manifesti juris est, quod non detur eis ab ecclesia subveniri, per quos constat in ecclesia scandalum generari. Vt ecclesiæ nostræ provinciæ personæque ecclesiasticæ in plenitudine[b] statuendo præcipimus observari statutum domini[c] in quo inter alia continetur, ut omnes qui nova pedagia constituunt, & qui antiqua ad clericos & res ipsorum extenderint, eo ipso sint excommunicationis sententia ligati.

[a] *Deest for[san]* pertinent

[b] *Deest al[i]quid*

[c] *Deest Gu[i]donis. H[oc] statutum c. 10. co[nc.] Bitur. an[n.] 1276.*

C

XIII. *De observatione statutorum.*

Cum contingat interdum, quod nonnulli prælati, canonici, seu clerici .... officialis ministri, seu alii quicumque laici, in novitate suæ creationis, vel alias, jurant se consuetudines & statuta, scripta vel non scripta, ecclesiasticorum seu laicorum aliquorum, inviolabiliter observare: cum juramentum non sit ad iniquitatis vinculum institutum, præcipimus publicari frequenter in synodis, hujusmodi juramenta, ad impossibilia illicita, seu libertati ecclesiasticæ obviantia, aliquatenus non extendi; nec jurantes hujusmodi qualitercumque, vel sub quacumque forma verborum, nisi ad licita possibilia, & libertati ecclesiasticæ non obviantia, non autem ad alia, per præstationem hujusmodi juramenti obligari.

D

XIV. *De privilegio mulierum.*

E

Cũ statutum sit, quod mulieres alienationibus dotũ & donationibus propter nuptias cõsentientes non cõtravenire, proprio juramento firmantes, teneantur juramenta hujusmodi non vi vel dolo præstita observare: si judices sæculares easdem præfatas alienationes audiverint, cum eis constiterit de hujusmodi juramento, post duos menses a publicatione hujusmodi in excommunicationis sententias incidant ipso facto.

XV.

XV. *De perjuriis.*

Statuimus, ut quicumque in transgressione juramenti manifeste fuerint deprehensi, ad mandatum nostrum, suffraganeorum, officialium nostrorum vel eorum judicio, vel sedis apostolicæ competenter, prout ad quælibet taliũ urisdictio noscitur pertinere, in ecclesia eorundem publice denuncientur perjuri. Quod si admoniti, satisfacere noluerint: ex tunc excommunicentur candelis extinctis, & pulsatis campanis, singulis diebus Dominicis & festivis, & denuncientur intestabiles & infames, nec ad testimonium vel ad actus legitimos admittantur, nec in foro pœnitentiæ, præterquam in mortis articulo, absolvi valeant: nisi a nobis vel suffraganeis nostris, prout eis subsunt, vel ab illo seu ab illis qui a nobis vel ipsis super hujusmodi mandatum fuerint[a] speciale: & nomina talium ne lateant, per rectores in ecclesiis scribantur: & hoc statutum frequenter in ecclesiis cathedralibus & parochialibus præcipimus publicari. Officiales autem, qui in observatione prædicti statuti negligentes fuerint, ipso facto ingressu ecclesiæ usque ad mensem se noverint interdictos.

XVI. *De exceptionibus.*

Si sæculares judices exceptionem de re per ecclesiam judicata, nisi ad eos pertineat cognitio de consuetudine vel de jure, coram ipsis propositam recusent admittere: eo ipso eosdem tamdiu interdicto ecclesiastico volumus subjacere, quousque dictas exceptiones duxerint admittendas.

XVII. *De appellationibus.*

Cum honor superioribus, obedientia & reverentia debeantur, & ordo confundatur ecclesiasticus si sua unicuique jurisdictio non servetur: statuimus ut suffraganei ecclesiæ Auscitanæ, eorundem officiales, & vicarii ipsis suffraganeis agentibus in remotis, appellantes, vel alias recurrentes ad nos, vel nostram curiam, si ad nos jurisdictio pertinet de consuetudine vel de jure, non impediant quomodolibet, vel perturbent, nec judicent, statuant, præcipiant aliquid, nec fatigent eorum subditos aliquatenus per se, alium, vel alios, quo minus nostra, vel nostræ curiæ, seu commissariorum nostrorum mandata, in præmissis libere exequantur. Item quod causas quarum examinatio vel decisio ad eosdem de jure vel de consuetudine pertinet, cognoscendas vel definiendas alicui non cõmittant in fraudem, & ad eosdem suffraneos vicarios prior appellatio deferatur: nec super præmissis vel præmissorum aliquo dent auxilium consilium, vel favorem. Suf-

A fraganei in prædictorum aliquo delinquentes, ingressu ecclesiæ per mensem; cæteri vero, ecclesiastico interdicto eo ipso usque ad condignam satisfactionem se noverint subjacere.

XVIII. *De vita & honestate clericorum; &c.*

Circa vitam & honestatem sacerdotum, religiosorum, clericorum, & laicorum, statuta per nos seu prædecessores nostros, aliis conciliis provincialibus edita, præcipimus firmiter observari: & quod suffraganei in suis diœcesibus statuant, informent, corrigant, & emendent, prout saluti prædicto-
B rum viderint expedire. Præcipimus statuendo, quod rectores ecclesiarum, Missas in suis ecclesiis celebrantes, saltem unum clericum superpelliceo indutum, qui sibi ministret in obsequio Divinorum, necessario habere teneantur.

XIX. *De horis dicendis.*

Statuimus, quod omnes clerici in sacris ordinibus constituti, & beneficium ecclesiasticum, maxime cum cura obtinentes, &
C omnes religiosi clerici, ad omnes septem horas canonicas omni die dicendas vigilent diligenter (nam ad eas dicendas sunt ex debito obligati, nisi eos infirmitatis gravitas excusaret) & quam frequentius ad eas dicendas ad ecclesias conveniant horis & temporibus consuetis. Tẽpore vero interdicti Missæ celebrentur, & alia dicantur Divina singulis diebus in ecclesiis & monasteriis, sicut prius, nisi pollutæ fuerint seminis vel sanguinis effusione: submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, campanis etiam non pulsatis. In festivitatibus vero natalis Domini, Paschæ, Pente-
D costes, & Assumptionis virginis gloriosæ, cãpanæ pulsentur, & januis apertis alta voce Divina officia solemniter celebrẽtur, interdictis admissis, & excommunicatis exclusis.

Præcipientes nihilo minus firmiter observari, quod canonici, religiosi, clerici cathedralium ecclesiarum & collegiatarum, qui in ecclesiis prædictis ad Divina dicenda officia non conveniunt, etiam interdicti tempore, distributiones quotidianas, in quibus-
E cumque rebus consistant, præterquam illud quod datur loco præbendæ ordinariæ in anniversaria defunctorum, recipiant, cõsuetudine contraria non obstante. Sed inter illos qui ipsis Divinis officiis interfuerint cõmuniter, dumtaxat dividatur. Et si absentes, qui in ipsis Divinis officiis non interfuerint, aliquid de præmissis per se vel per alium perceperint: perceptores dominium non acquirunt, & ad restitutionem eorundem sunt astricti: & nihilo minus ad eam faciendam per censuram ecclesiasticam compellantur, nisi eos causa legitima excusaret.

ANNO CHRISTI 1316.

XX. *De nocte non ire.*

Vt laicorum ſcandalum evitetur, & clerici ab illicitis arceantur: ſtatuimus, ut in locis in quibus poſt ſonitum campanæ ſeu buccinæ, de nocte laici ire ſine lumine prohibentur, clerici ſine lumine non incedant. Si contra fecerint: pœnæ, quæ propter hoc in locis quibuſlibet imponitur, eos præcipimus autoritate ſtatuti hujus ſubjacere, vel plus, vel minus, prout ordinariis eorum videbitur faciendum, per capellanos vel officiales ordinariorum locorum, eorumdem ordinariorum nomine, ab ipſis clericis exigendæ. Quod ſi requiſiti ſolvere noluerint, duplicatum ſolvere compellantur: & idem de . . . . fructum præcipimus obſervari.

XXI. *De ſepulturis.*

Obſervari præcipimus, ne religioſi vel ſæculares clerici, cujuſcumque ſtatus aut conditionis exiſtant, inducant aliquos ad vovendum, jurandum fide interpoſita, ſeu alias promittendũ, ut apud eorum eccleſias exigant ſepulturas, vel jam electas ulterius non immutent. Si ſecus egerint, electio nulla erit: & apud illas eccleſias ſepeliri debebunt, apud quas de jure ſepeliendi fuiſſent, ſi alia ſepultura non electa forſitan deceſſiſſent: & ipſi, ſi contra fecerint, & eorũ eccleſiæ & cœmeteria pœnis ſuper hoc edictis ſubjacebunt Si vero ſuper ſepultura alicujus defuncti in dubium revocetur: ad ordinarium vel officialem illius, ſub cujus juriſdictione degebat tempore mortis ejus, protinus recurratur, qui ſummarie, & abſque figura & ſtrepitu judicii, de dubio cognoſcens hujuſmodi, antequam corpus defuncti tradatur eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſi poſſit abſque dedecore & ſcandalo reſervari, breviter prædictam definiat quæſtionem; & quod inde definierit, appellatione ceſſante executioni debitæ demandetur. Si vero caſu cognitionis, vel propter officialis abſentiam, dicti dubii deciſionem differri contingat, & cadaver hujuſmodi abſque ſcandalo inhumatum nequeat reſervari: ſi in parochia ſua hujuſmodi objerit, in eadem; ſi vero in alia, in ipſa abſque ipſarum precum præjudicio tumuletur, quouſque dictum dubium fuerit terminatum. Si qui autem præmiſſis contradictores exiterint aut rebelles, recipiendo ipſum corpus, alibi deportando, ſepeliendo, dando conſilium, auxilium, vel favorem, eo ipſo eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, a quo nullatenus liberentur quouſque ad cognitionem ordinarii ſatisfactionem fecerint competenter.

XXII. *De non ſepeliendis in eccleſia.*

Item ne corpora laicorum ſepeliantur infra ecleſias ſine licentia prælati & rectoris, quamvis ab antiquo haberent ſepulturas, vel aliquod deprædictis, eoſdem excommunicationis ſententiæ ipſo facto volumus ſubjacere.

XXIII. *De modeſtia in exequiis adhibenda.*

Mendi- quinat- mum e- capitul-

Firmiter duximus ſtatuendum, propter multos clamores qui ad nos ſæpe & ſæpius proveniunt, quod in exequiis in eccleſia mortuis impendendis, impedimenta complura proveniunt per amicos, cognatos, alioſve domeſticos in eccleſia funere exiſtentes; cantilenas, lamentationes, ululatus, & altos clamores, vociferando, emittendo, & faciendo ſonitus cum . . . . & aliis inſtrumentis, vel quidquid Divinum officium alias impediendo: idcirco ut non ſint in eccleſia lamentatrices, lugentes magnis & altis clamoribus, vel quidquid aliud non faciendo, propter hoc quod Divinum officium perturbetur, etſi contrarium acceptetur, ceſſetur a Divinis in dictis obſequiis quamdiu duraverit impedimentum prædictum: & nihilo minus prædicta impedientes per ordinarios alias legitime puniantur.

XXIV. *Vt ius eccleſiæ parochialis ſeruetur.*

Vt honor debitus eccleſiæ matri per ejuſdem parochianos ſubditos obſervetur, in qua conſueverunt cæleſti pabulo refici dum vivebant; & juxta Apoſtolum, ſint conſolationum ſocii, qui fuere paſſionum: ſtatuimus, ut quicumque extra ſuam parochialem eccleſiam elegerit ſepulturam, ejus corpus ante ipſius ſepulturam, ſi in ſua parochia exceſſerit, vel ad ipſam deportari contigerit, matri eccleſiæ ſolemniter præſentetur, & eidem reddatur de funeralibus debitum prout de jure, ut in parochia decenter eſt fieri conſuetum. Contrarium facientes ipſo facto ſubjaceant interdicto & tranſgreſſorum nomine, per rectores locorum, ordinariis intimentur, vel interdicti ſententiam a ſubditis obſervari faciant, & prout juſtum fuerit aggravent.

XXV. *Ne corpus membratim in diuerſis locis ſepeliatur.*

Firmiter præcipimus obſervari, ut nullus fidelis, cujuſcumque ſtatus, conditionis, nobilitatis, & dignitatis, ubicumque debitum naturæ perſolvens, ejus corpus membratim in dictis locis eligat ſepeliri, ne aliquod corpus defuncti, impio

pio pietatis affectu .... exenteretur, aut aliud membratim, vel frustatim, alias in frusta, inhumaniter concidatur, ipsum subsequēter aliquibus * in mensura exponant ignibus decoquendo, ut tandem excussis a carne ossibus, ea sejuncta a carne alibi tumulentur: immo si commode fieri poterit, corpus defuncti absque divisione deferatur ad locum in quo vivens elegit sepeliri, aut in civitate, castro, ubi decesserit, tradatur ad templum ecclesiasticæ sepulturæ: ita quod demū & toto tempore ossa ibidem remaneant, aut ad locum ubi vivens sepulturam elegit, deportetur & tumuletur ibidem. Contrarium facientes ipso facto se noverint excōmunicationis vinculo innodatos: a qua non poterunt, præterquā in mortis articulo, nisi per sedem apostolicam liberari; & nihilo minus corpus quod sic fuerit inhumaniter pertractatum, ecclesiastica careat sepultura.

XXVI. *Ut ius ecclesiæ parochialis servetur.*

Ut honor debitus parochialibus observetur, & animarum periculis obvietur: salubriter duximus statuendum, quod parochiani diebus Dominicis & festivis ad parochiales ecclesias veniant, Missas integras audituri. Et si per duos Dominicos integros continuos, Missas in dictis ecclesiis nō audiverint: ex tunc habeant parochiales presbyteri cōminari .... in ecclesiis nominatim postea excommunicatos.

XXVII. *Ut pax inter prælatos & curatos servetur.*

Volentes inter prælatos & rectores ecclesiarum, quæstionis & scandali materiam amputare: ut inter eosdem pacis tranquillitas vigeat, & fervor exæstuet caritatis, præcipimus firmiter observari constitutionem editam per dominum Bonifacium papam octavuum, quæ incipit, *Super custodiam præeminentiæ pastoralis.*

XXVIII. *De decimis.*

Porro cum nonnulli decimas detineant plerisque locis provinciæ Auscitanensis, non absque.... provinciæ, gravique suarum periculo animarum: statuendo præcipimus, ut per locorum episcopos ipsas decimas abjurare, resignare, dimittere, & ecclesiis restituere, juris remediis quibuscumque poterunt, absque diffugio compellantur: super quibus ipsorum ordinariorum conscientias intendimus onerare. Mandantes nihilo minus, quod tam detentores ipsarum decimarum, ante ipsarum restitutionem plenariam si decesserint (cum eosdem detentores in mortali non sit dubium decessisse) quā eorum filii, uxores, & familiæ, sepultura careāt Christiana: nec ipsi, nec eorum filii usque ad quartam generationem inclusive, ad tonsuram clericorum, sacros ordines, vel ecclesiastica beneficia aliquando admittantur. Si qua aliter eis collata extiterint beneficia: eorum collatio nullam habeat roboris firmitatem, & eorum beneficia aliis libere conferantur. Si vero ordinarii prædictis tonsuram, sacrum ordinem, beneficium ecclesiasticum quodcumque, aliter contulerint: ab illorum eo ipso per annum noverint se collatione suspendi: & loca ubi sepulti fuerint, per annum ecclesiastico subjaceant interdicto. Quam constitutionem in synodis frequenter præcipimus publicari, ut nemo super istis se valeat per ignorantiam excusare. Item omnes laici indistincte ad præstationem decimarum de novalibus .... & possessionibus suis, per excommunicationis in personas, & interdicti in terram sententias, per ordinarios compellantur: & si requisiti, sine solutione vel satisfactione prædictarum decimarum decesserint, Christiana careant sepultura.

XXIX. *Quod decima præferatur angariis.*

Cum decimæ & primitiæ ordinatione Divina ecclesiis debeantur: statuendo præcipimus, ut possessiones, in garba, vinearum, in vindemia, virgultorū, pratorum, & aliarum possessionum cultores, statim ex eis collectis fructibus, & fructuum* animalium quorumcumque, ex quo maturo non indiguerint nutrimento, novem partibus sibi retentis, decimā partem immediate subsequentem integre, de prædictis nullis inde primitus deductis tribus*, sēsib* ex primis agreriis, seu servitiis aliis, necnō de aliis omnibus bonis licite acquisitis, ecclesiis*, quibus debētur, censura ecclesiastica per locorū ordinarios cōpellantur: contraria consuetudine qualibet non obstante, quam tollimus. Idem de primitiis prædictorum, in quantum est de jure vel consuetudine debitum, præcipimus observari. Si vero aliquod prædictorum fructuum vel fœtuum, ad dominos, emptores, servitores, mercenarios, vel quoscumque alios, non decimatum seu non primitiatum transiverit: ecclesia, seu rector, solutionem decimarum & primitiarum, a quocumque maluerit, eandem poterit vendicare. Uno tamen solvente, alter remaneat liberatus.

* f. fœtuum

* f. tributis, censibus, expēsis, ag.

* Deest solvere,

XXX. *Ne impediantur decimæ.*

Præcipimus publicari, quod nulli religiosi vel alii, in sermonibus suis, confessionibus, vel alibi, de cætero talia præsumant proponere, quæ audientium animos a decimarum vel aliarum rerum, ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, seu aliis piis locis debitarum solutione trahant, vel corrumpant: immo verbo & opere informent eosdem

ANNO CHRISTI 1326.

dem, ut ad solutionem prædictorum promptæ voluntatis animo sint attenti.

XXXI. *Item de decimis.*

Cum decimæ, quæ jure Divino & canonico ecclesiis parochialibus & ecclesiasticis personis debentur, a quibusdam laicis detineantur & percipiantur in dictarum ecclesiarum, & ecclesiasticarum personarum, maximum præjudicium, ex prava consuetudine, quæ dicēda est potius corruptela: statuimus quod detentores prædicti, & eorum uxores, & filiifamilias, in morte careant ecclesiastica sepultura, & quod eorum filiisfamilias, vel *filiis filiorumfamilias, beneficia ecclesiastica, tonsuræ, vel alii ordines minime conferantur: ut prædictis pœnis astricti, decimas dimittant facilius personis & ecclesiis ad quas spectant.

XXXII. *De detentoribus decimarum.*

Cum alias statutum per nos fuerit, & per prædecessores nostros, in provincialibus conciliis hactenus celebratis, quod detentores decimarum ecclesiasticarū, ante ipsarum restitutionē plenariam si decesserint, cum eosdē in mortali non sit dubium decessisse tam ipsi detentores, quam eorum filii & familiæ*, careant ecclesiastica sepultura: statuendo adjicimus, ut uxores & familiæ pœna consimili arceantur.

*f. filiæ

XXXIII. *Item de decimis.*

Statuendo decernimus & denunciamus, omnes laicos utriusque sexus, cujuscumque dignitatis, status, seu conditionis existant, qui vel quæ decimas ecclesiarum detinent occupatas in nostra provincia Auscitana, excommunicentur, & eorum sententias aggravādo, uxores eorū, filios, filias, familias* interdictas. Item laici non solvant decimas laicis.

XXXIV. *De pauperibus rectoribus.*

Provideri præcipimus per locorum ordinarios, quod si rectores ecclesiarū sibi subjectarum, de redditibus suarum ecclesiarum nequeunt commode sustentari, nec alia incumbentia onera supportare: tantū de decimis suarum parochiarum eisdem rectoribus, per quoscumque percipientes easdem, tam exemptis quam non exemptis, faciant assignari, quod exinde possint commode sustentari, & episcopalia jura solvere, & alia incumbentia onera supportare. Item quod religiosi exempti, de terris & possessionibus acquisitis hactenus, & amodo acquirendis, decimas integre solvant illis ecclesiis, quibus possessiones eædem & terræ fuerant primitus decimales. Super his enim, est ipsis ordinariis, nisi de rebus exemptis agatur, jurisdictio attributa.

XXXV. *Vt pauperes ecclesiæ ius suum prosequantur communibus expensis.*

Quoniam frequenter, propter paupertatem ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum, multa insurgunt incommoda ecclesiis & personis ecclesiasticis, sive in agendo sive in defendendo non valentibus prosequi jura sua: sacro approbante cōcilio statuimus, quod ad arbitrium diœcesani vel officialis sui, de communi contributione expensarum & sumptuum totius diœcesis, in qua casus seu necessitas hujusmodi evenerit, in prosecutione juris sui ecclesiastici provideant eisdem, & officiales sint favorabiles in justitia exhibenda.

XXXVI. *Vt præsentati a religiosis ad ecclesias, & ab episcopis instituti, postea amoueri non possint.*

Vniversis episcopis observari præcipimus, quod presbyteri seu rectores, per religiosos in eorū ecclesiis in quibus jus obtinēt patronatus præsentati, & per episcopos instituti, ab eis, nisi per episcopos & ex causa rationabili, non valeant amoveri: quia ex quo instituti in eis sunt, censentur perpetui, consuetudine vel statuto quolibet cōtrario non obstante. Religiosi vero & monachi, quibus, ne a quoquam interdici, suspendi vel excommunicari valeant, a sede apostolica est indultum, si ad aliqua loca pia vel prioratus ordinariis subjectos, destinati fuerint per superiores, ut ibi regant ipsos, ut proprii ipsorum locorum ministri: sed ipsi monachi resideant in eisdem: quamdiu morentur in illis, ratione eorundem locorum seu prioratuum, non solum in prædictis, sed etiam in aliis, possint, si deliquerint, a suis ordinariis puniri prout justitia suadet.

XXXVII. *Quod non fiat noua fundatio sine licentia.*

Observari præcipimus, ut ordinarii in suis diœcesibus religiosos exemptos nō permittant construere oratoria, seu capellas, in locis non exemptis, sine ipsorum ordinariorum licentia speciali: nec ipsis constructis, ipsi exempti celebrent Divina tempore interdicti in locis exemptis, nisi prout eis a jure vel speciali privilegio est concessum. Si contra fecerint, cōpescantur, & si conservatores ipsorum exemptorū propter hoc in ordinarios aliquas sententias tulerint: tāquam a jure nullatenus revocatæ observentur.

XXXVIII. *De censibus & procurationibus.*

Ex querelis quamplurium rectorum ecclesiarum intelleximus, quod archidiaconi, in suis archidiaconatibus, prout ad eos pertinet, visitationis beneficium impendentes, ex multitudine onerosa quam secum tunc ducunt, & plusquam expediat vel deceat,

ANNO CHRIST. 1326.

deceat, gravent nimium in expensis. Nos A volentes super hoc utiliter providere, rectoribus parochialium ecclesiarum, quæ in suis proventibus in nostra provincia ut plurimum sunt tenues, sacro approbante concilio, duximus statuendum: ut nullus archidiaconus, dum visitat archidiaconatum suum, ultra quinque equitaturas (in quibus.. ...si ducat, intelligimus cum quinq; garçonibus peditibus, non cum canibus vel avibus venatoriis) secum ducat: & pro illis tantum procurationem in victualibus, non sumptuosam, vel in pecunia a nolente dare: quam B pecuniam pro una procuratione integra triginta solidos Turonenses...... taxamus, una die recipiat, visitata ecclesia ad hoc sufficieti: nullis per archidiaconum, si magis quam in pecunia, ut permittitur, procurationem in victualibus recipere voluerit, ad prandiũ invitatis. Si autem una ecclesia ad dictam procurationem præstandam absque gravamine non sufficiat: aliqua, vel aliquæ de aliis circumvicinis ecclesiis, visitatis tamen primitus, attribuantur, prout suppetierint facultates. Si autem unus rector plures teneat ecclesias, sibi pro uno beneficio assignatas, & si omnes simul vel divisim visitaverit: nisi ad unam, pro illis procurationibus, rector earũ minime teneatur. Sit etiam cautus archidiaconus visitare volens, ut in principio suæ visitationis quos secum tunc ducere voluerit, sic informet, quod nec ipse, nec quisquam suorum, aliquod munus, quodcumque sit, & qualitercumque offeratur, recipiat: nullo per eos, vel aliquos eorumdem, in prædictis acquisito, fraude, vel aliquo prædictorum. Si autem præsumptum fuerit: percipientes, usque ad restitutionem dupli D illius quod receperint, ecclesiæ vel rectori a quo receperint, faciendam, excommunicationis sententiæ ipso facto se noverint subjacere. Archidiaconus autem contra præsentem constitutionem [a] tamdiu ab officio eo ipso noverit se suspensum, quousque de duplo hujusmodi, si receperit ultra prætaxatum modum visitandi, aggravando ecclesias vel rectores earum, ipsis per ipsum fuerit plenarie satisfactum, nulla eis in hoc dantium remissione, libertate, seu gratia valitura. Et si a personis & locis non visitatis, E pecuniarium donum, spe futuræ visitationis vel convivationis, quocumque quæsito colore seu figmento, per se, alium, vel alios, receperint: eo ipso pœnis subjaceant supradictis. Si autem ultra prædictum numerum duxerint, vel petierint: juste poterit denegari. Nam quod de prædicto numero diximus, debet intelligi secundum tolerantiam in iis locis in quibus ampliores sũt redditus, & ecclesiæ facultates. In pauperibus autem tantam volumus tenere mensuram, ut & ac-

[a] est, fa-s,

cessu majoris minores non se doleant gravari: nec sub tali indulgentia, illi qui paucioribus equis hactenus uti solebant, ducendi plures credant sibi indutam de cætero potestatem.

XXXIX. *De visitatione archidiaconi.*

Ad excusationem vero nostram apud Deum & homines, omnibus archidiaconis nostris in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus: quatenus circa præmissorum observationem mandatorum, diligentiam adhibeant & operam efficacem: ne propter eorum incuriam vel negligentiam grex Dominicus exponatur ulterius, luporum dæmonum faucibus laniandus. Illud autem quod de....:. & oblationibus consuetis & prægressionibus, antiquitas laudabiliter statuit, nobilitas [a] autem pro majori parte neglexit: in remissionem injungimus peccatorum, ut in antiquum statum diligenter studeant reformare. Alioquin quod fraude & negligentia eorum fuerit deperditum, in districto examine ab eisdem a supremo judice requiretur. Item quod omnes rectores habentes beneficium curatum, infra annum, a tempore ipsis commissi regiminis numerando, se faciant ad presbyteratum ordinem promoveri: alioquin, justo impedimento cessante, eodem beneficio noverint esse privatos.

[a] Corr. nobilitas

XL. *De consecratione ecclesiæ.*

Licet ecclesia nondum consecrata, ex quo est Divino cultui dedicata, & ibidem sunt Divina officia celebrata, cum consecrata eodem gaudeat privilegio immunitatis: libertatem statuimus, ut si ipsam pollui contigerit seminis vel sanguinis effusione hominis violenta, vel in ipsa, vel in ejus cœmeteriis, excommunicatorum, interdictorum, hæreticorum, schismaticorum, paganorum, vel Iudæorum corpora sepeliri: corporibus velocius hujusmodi, si ab aliis discerni poterunt, exhumatis, & extra ecclesiam & cœmeteria procul ejectis, debent ecclesia & cœmeterium reconciliari protinus, per episcopum tantum, & non alium, aspersione aquæ solenniter benedictæ. Si vero de facto inferior episcopo ecclesiam & cœmeterium hujusmodi vel etiam consecratam reconciliare præsumpserit: eo ipso, ecclesiastico supponitur interdicto.

XLI. *De reliquiis & veneratione Sanctorum.*

Ad Divini honorem nominis & gloriam, exaltationem fidei catholicæ...... fidelium & salutem, statuendo, sacro probante concilio, observari præcipimus: ut de cætero, annis singulis, perpetuo in ecclesiis

ANNO CHRISTI 1320.

ecclesiis quibuscumque provinciæ nostræ, festa beatorum apostolorum Domini nostri Iesu Christi salvatoris omnium, qui viventes in carne suo pretioso sanguine sanctam Dei ecclesiam plantarunt; quatuor Evangelistarum, quorum fideli studio effugatis tenebris, veritas transfulsit; & quatuor doctorum confessorum ipsius sanctæ matris ecclesiæ, Gregorii, Augustini, Ambrosii, antistitum, Hieronymi presbyteri .... quorum doctrinis & verborum facundia, tota fabrica ejusdem ecclesiæ, illud * quibusdam rutilantibus, sub officio duplici solenniter celebrentur.

Vt reliquiæ Sanctorum majori reverentia in posterum habeantur, & ne simplicitas Christiana variis figmentis ac falsis documentis decipiatur, sicut occasione quæstus in plerisque locis fieri consuevit: observari præcipimus, ut antiquæ reliquiæ amodo extra capsas vel vasa nullatenus ostendantur, nec exponantur venales: inventas autem de novo nemo venerari præsumat, nisi a Romana ecclesia fuerint approbatæ: nec quæstor aliquis permittatur portare reliquias, crucem, vel catenas, nec publice in ecclesiis prædicare ultra suarum continentiam litterarum, propter falsa quæ quandoque interserunt: nisi de eorum ordinariorum licentia speciali. Et si contra præsumptum extiterit ab ipsis, debite puniantur.

XLII. *De sancta Martha.*

Cum Dominus noster Iesus Christus, æternus Dei filius, speciali prærogativa amoris beatam Martham sororem beatæ Magdalenæ honorandam decreverit, ad ejus hospitium declinando, quæ circa ejusdem Domini redemptoris nostri ministerium solicitam curam gessit, per quam & vita designatur activa, quæ contemplatione * sua & secure tanquam fructuosior & utilior antefertur: dignum est, ut eamdem ejusdem Domini nostri Iesu Christi hospitem in Dei ecclesia dignis laudibus attollamus. Ideoque de consensu concilii præcipiendo statuimus, ut quarto Kalendas Augusti, sub officio novem lectionum festum ejus celebretur, quolibet anno, in omnibus & singulis ecclesiis provinciæ Auscitanæ: mandantes, ut omnes episcopi, in omnibus ecclesiis, prout eis subsunt, festum hujusmodi in Kalendariis earumdem, ut prædicitur, more aliorum Sanctorum, dicta die faciant annotari.

XLIII. *De ecclesiis ædificandis.*

Cum præsens & visibilis ecclesia militans, triumphanti cælesti civitati Ierusalem non immerito comparetur, & locum ubi sanctissimum corpus Domini nostri Iesu Christi conficitur & conservatur, & nostræ reconciliationis ad Dominum instrumenta, videlicet sacramenta ecclesiastica, ministrantur, pro offensis & culpis populi revertentis ad supplicandum Divinæ majestati specialiter deputatum, in quo etiam delictorum venia confidentius impetratur; inter cætera firmo fundamento ac humanis expolitis ædificiis communiri deceat, ut Deo gratus existat, inspicientibus & ingredientibus sit devotus & placidus, & considerantes illiciat, & reficiat, & formet: sacro approbante concilio statuimus, ut episcopi, abbates, & prælati, rectores ecclesiarum, & religiosi quicumque, in suis admonitionibus, prædicationibus, confessionibus, & ubicumque, quantum commode potuerint, clericos, plebes, & populos, inducant attentius & informent, quod cum ecclesiæ ordin. subjectæ, constructione, reparatione, emendatione & ornamentis ecclesiasticis indiguerint; ad prædicta facienda & hujusmodi, de bonis * .... collatis contribuant, & eleemosynas conferant competentes. Ordinarii autem locorum provideant, quod ecclesiæ rurales quæ eis subsunt, taliter reparentur, quod in eisdem, saltem semel in anno, scilicet in die invocationis ipsarum, decenter Missæ valeant celebrari: rectores parochianos & subditos ecclesiarum earumdem, ad præmissa omnia, si necesse fuerit, compellendo: constituendo nihilo minus rectores, & aliquos illarum ecclesiarum parochialium collectores, operarios, executores, qui ad præmissa complenda sint fideles, soliciti, & attenti. Vt autem devotius & facilius omnes & singuli ad præmissa inclinentur: omnibus vere pœnitentibus & confessis, tam qui prædictas pias eleemosynas & caritativa subsidia erogaverint, quam religiosis & aliis qui ad hæc facienda induxerint, quadraginta dies de injunctis eisdem pœnitentiis, de omnipotentis Dei confisi clementia, misericorditer relaxamus. Suffraganei vero in suis diœcesibus concedant indulgentias in prædictis, ut Deus ministraverit, & fructum exinde noverint provenire.

* f. fidelatis

XLIV. *Qualiter chrisma & oleum debeant custodiri.*

Omnes ministros ecclesiarumque rectores provinciæ Auscitanæ exhortamur in Domino, eis nihilo minus in virtute sanctæ obedientiæ injungendo, ut in cunctis ecclesiis sibi commissis, chrisma & eucharistiam sub clavibus fideliter conservent: ne inde possint horribilia exerceri. Ne ipsas ponant super fictilibus vasis, arcis propriis, aut etiam alienis: ad habendum calices argenteos studeant: & vasa, & ministerii vestimenta, pallas

pallas altaris, necnon & ipsa corporalia tam nitida & munda teneant, ne alicui sint horrori: ut potius Dei basilicæ, quam domus laicæ videantur. Nimis enim videtur absurdum, in sacris sordes negligere, quæ dedecent in profanis. Si autem propter ingruentem necessitatem, aliqua vasa vel supellectilia in ecclesiis conservanda poni contigerit: necessitate cessante ab ecclesiis expellantur. Transgressores prædictorum, ordinariorum arbitrio puniantur.

XLV. *Indulgentiæ visitantibus ecclesias.*

Ad Divini cultus augmentum, ad devotionem populi excitandam, ad temporalis pœnæ pro delictis debitæ remissionem facilius consequendam: de Dei omnipotentis confisi clementia, sacro approbante concilio, omnibus visitantibus ecclesias cathedrales nostræ provinciæ, singulis annis, in vigiliis, & in die solennitatis invocationis cujuslibet earumdem, vere pœnitentibus & contritis, XL. dies, & in singulis diebus octavarum solennitatum ipsarum, XX. de injunctis eis pœnitentiis misericorditer indulgemus. Et statuendo præcipimus, quod quilibet suffraganeorum nostrorum, de voluntate nostra & coepiscoporum suorum, prædictis indulgeant illud idem. Item præcipimus, quod in singulis ecclesiis cathedralibus, regularibus, collegiatis, & parochialibus nostræ provinciæ, dum Missarum solennia celebrabuntur, ibidem, immediate prius orationem Dominicam pro pace & bono statu ecclesiæ, regum, principum & comitum, populi & terræ, juxta varietatem temporum, ad Dominum fiat oratio specialis.

XLVI. *Quod in ecclesiis non teneantur parlamenta.*

Cum ecclesia Domini, domus orationis esse debeat, non alterius negotiationis, ut cum pace & quiete intentis præcordiis devotæ orationes & sacra solennia in ea valeant celebrari; & nimis absurdum sit & crudele, quod ibi exerceatur judicium sanguinis, ubi est tutela refugii constituta: præsenti prohibemus edicto, ne de cætero judices sæculares, cujuscumque conditionis sint aut status, causas suas, maxime ubi de sanguinis effusione & corporali pœna agitur, in ecclesiis vel cœmeteriis audeant agitare, statuta, parlamenta facere, nisi pietate suadeantur, consuetudine cōtraria non obstante. Contrarium facientes, post publicationem præsentis edicti, quam eis in synodis per ordinarium, prout ei subsunt, fieri[a] excommunicationis sententiæ ipso facto volumus exercere[b]. Processus eorum nihilo minus, & prolatæ sententiæ, in dictis locis omni careant roboris firmitate.

[a] ...eest, vo- ...nus [b] ...orr. sub- ...ere.

XLVII. *De excommunicatis.*

Quicumque dominium temporale obtinentes, interdixerint subditis suis, ne prælatis, aut clericis, seu personis ecclesiasticis, quodcumque vendant, aut emant aliquid ab eisdem, neque ipsis bladum molant, quo carius panem aut alia obsequia exhibeant; cum talia præsumantur in derogationem ecclesiasticæ libertatis, denuncientur & publicentur ipso facto excommunicationis vinculo innodati. Si autem communitas, seu universitas quorumcumque locorum, contra prædictas personas quoquo modo in prædictis deliquerint: tamdiu eo ipso subjaceant interdicto, quousque eis per eos fuerit plenarie satisfactum. Item constitutionem dominorum Alexandri IV. *Quia nonnulli*, & Bonifacii VIII. *Clerici laicos fere*, Romanorum pontificū, præcipimus observari.

XLVIII. *De sententia excommunicationis.*

Excommunicamus, & mandamus denunciari excommunicatos publice, omnes concubinarios, usurarios, adulteros manifestos. Item nullus professus religiosus, tacite vel expresse habitum suæ religionis dimittat temere ubilibet, nec accedat ad quævis litterarum studia, nisi de sui superioris petita canonice licentia & obtenta. Contrarium facientes, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto.

XLIX. *De statutis contra ecclesiæ libertatem.*

Quicumque statuta edita, & consuetudines introductas contra ecclesiasticam libertatem[a], statutarii & scriptores statutorum ipsorum, necnon domini temporales, consules, rectores, & consiliarii locorum, ubi hujusmodi statuta de cætero edita fuerint vel servata; & illi qui secundum ea facere præsumpserint vel judicare, vel in formam publicam scribere judicata vel facta, vel contra dictam ecclesię libertatem, fraudem directe vel indirecte, consilium vel opem duxerint adhibendum: nisi infra mensem, a tempore publicationis hujusmodi numerando, prædicta cum satisfactione debita duxerint revocanda, in excommunicationis sententiam se noverint incidisse ipso facto.

[a] *Add.* servari fecerint; *ex concilio Bituric. ann.* 1276. c. II.

L. *Ut publicetur constitutio Gregorii X.*

Constitutionem domini Gregorii decimi, quæ incipit, *Pro eo*, in synodis suffraganeorum publicari præcipimus, & ab ipsis subditis inviolabiliter observari.

LI.

ANNO CHRISTI 1326.

LI. *De iis qui retinent instrumentum soluti debiti.*

Excommunicamus, & excommunicatos publice denunciari præcipimus creditores, qui instrumentum soluti debiti detinent: nisi infra quindecim dies, si commode fieri poterit, restituerint requisiti ipsum instrumentum debitori, vel alii legitimo pro eodem; vel saltem ipsum cancellaverint, vel fregerint, * instrumentum fecerint de soluto. infra terminum antedictum. Et hanc constitutionem frequenter in parochialibus ecclesiis provinciæ Auscitanæ præcipimus publicari.

* *Deest*, vel

LII. *De interdictis.*

Supponimus ecclesiastico interdicto omnem locum provinciæ Auscitanæ, ubi manifesta rapina ecclesiarum, religiosorum, clericorum, vel personarum ecclesiasticarum reponitur: quamdiu dicta rapina ibi fuerit; vel clericus, aut persona ecclesiastica, contra voluntatem sui prælati, inibi capta a quocumque detinetur. Et si de loco in locum mutata fuerit: primus locus, & alia unde & ubi mutatur, usque ad dignam satisfactionem, eo ipso, ecclesiastico remaneant interdicto. Et si in prædictis quispiam concesserit scienter, ipso facto pœna consimili sit ligatus.

LIII. *De iis qui talliant clericos, religiosos, reclusos leprosos.*

Excommunicamus, & excommunicatos denunciari publice præcipimus comites, barones, consules, bajulos, & alios quoscumque, qui clericos, religiosos, reclusos leprosos, ratione personarum, vel patrimonii ipsorum, ausi fuerint talliare, vel aliquid pro tallia exigere ab eisdem: nisi sic exacta, infra quindecim dies plene restituerint, requisiti.

XLIV. *Quod non pignorentur bona ecclesiæ.*

Personæ ecclesiasticæ vel earum bona pro aliis non marchientur, vel pignorentur. Contrarium facientes, nisi de præmissis satisfecerint infra mensem, ipso facto sint excommunicationis vinculo innodati. Universitates locorum subjaceant ecclesiastico interdicto, consuetudine contraria non obstante.

LV. *Ut locus non interdicatur pro pecuniario debito.*

Præcipimus quod nullus locus pro pecuniario debito supponatur ecclesiastico interdicto, sine sedis apostolicæ speciali licentia: secus præsumptum, ipso jure est irritum & inane. Denunciari præcipimus publice excommunicatos universos & singulos, qui apud ædes sacras deposita ecclesiarum vel ecclesiasticarum personarum arrestaverint, saisinaverint, vel occupaverint; & qui arrestari, saisiri, vel occupari mandaverint; & qui talia occupata, saisita, seu arrestata, receperint; & qui in prædictis scienter dederint, publice vel occulte, consilium, auxilium, vel favorem.

ANNO CHRISTI 1326.

LVI. *Ut prædicta statuta publicentur.*

Præcipimus autem omnibus suffraganeis nostris, ut prædicta statuta habeant, & ea in synodis suis, singulis annis publicent, & faciant a subditis inviolabiliter observari.

OBSERVATIO GAB. COSS.

Anni M. CCC. XXVI. qui huic adscribitur concilio, certissimus est character constitutus in die ipso, qui habitum notatur, nempe VIII. Decembris, incidente in feriam secundam. Quare aliunde intrusum oportet esse capitulum in MS. nostro ad omnium calcem subjectum, quo promulgatæ dicuntur hæ constitutiones apud Nugarolum anno M. CCC. III. Itaque hic a nobis omissum est, eoque libentius, quod superius editum est ad calcem Nugarolensis illius concilii. Quod quidem concilium, quin eo loci ac temporis agitatum sit, dubitare monumentum istud non sinit. Sed illius statutorum, quæ descripsimus ex Severtii summa, cur suspecta sit fides, suo loco diximus. Hæc certe statuta non esse unius omnia concilii, argumentum habemus maximum in 27. & 32. quæ idem iisdemque verbis edicunt. Quid vero si priora capitula pertineant ad ann. M. CCC. XXVI. qui in titulo diserte exprimitur; posteriora, ad M. CCC. III qui ad calcem notatur? Nam in eo quo usi sumus codice, præpostere collocantur Auscitana illa cōcilia, & posteriora prioribus anteponuntur. Immo perturbata esse ibidem multa, satis intelligimus ex concilio Nugarolensi anni M. CC XC. cujus capitulum 21. continet interpretationem statuti olim in Nugarolensi concilio editi, quod tamen est textum ejusdem concilii capitulum. Hoc ad illud concilium admonueramus, sed observatio nostra prætermissa est operarum negligentia, vel potius nostra, qui minus iis credere debuimus.

* ** CONCILIVM SILVANECTENSE

ANNO CHRISTI 1326.

A Guillelmo de Bria archiepiscopo Remensi, & ejusdem provinciæ coepiscopis, anno Domini M. CCC. XXVI. celebratum.

Ex synodalibus Remensis ecclesiæ MSS.

TITULI CAPITULORUM.

PRÆFATIO.

Universis præsentes litteras inspecturis, Guillelmus miseratione Divina Remensis archiepiscopus, Gerardus Suessionensis, Albertus Laudunensis, Ioannes Belvacensis, Petrus Catalaunensis, Fulcandus Novionensis, Petrus Silvanectensis, episcopi, personaliter, una cum aliorum suffraganeorum Remensis provinciæ absentium & cathedralium ecclesiarum

clesiarum procuratoribus, in concilio provinciali apud Silvanectum congregatis, aliis omnibus qui potuerunt & debuerunt concitari, ad hoc evocatis, in Domino salutem.

CAPITULA.

I. *Ordo celebrandi concilii.*

IN hoc sacro provinciali concilio ordinem procedendi cupientes statuere Deo gratum, ut suavis & dulcior reddatur pastoralis solicitudinis labor in fructu: ordinamus pro futuris temporibus, ut ingressu sacri provincialis concilii Missa de Spiritu sancto per nos archiepiscopum, & successores nostros archiepiscopos Remenses, vel quibus committemus, in pontificalibus celebrabitur solenniter, suffraganeis secundum suum ordinem in capis & baculis pastoralibus, una cum abbatibus præsentibus secundum sui decentiam status ornatis: qua completa præponetur verbum Dei, & indulgentia concedetur, & statim decantabitur: *Veni creator Spiritus*: ita quod totam spem nostram ad solam referentes summæ providentiam Trinitatis, procedamus confidenter ad tractatum & expeditionem in concilio agendorum, horis & diebus sequentibus opportunis. Quibus peractis fiet diffinitio per archiepiscopum seu ejus commissarium: & statuta, si quæ sunt ibidem facta, pronunciabuntur suffraganeis, cum mitris & baculis pastoralibus, ac præsentibus aliis in concilio congregatis. Et data benedictione recedere poterunt ad hujusmodi concilium congregati.

II. *Ne beneficiati alienas in se suscipiant obligationes.*

Hoc igitur observato ordine statuto usque ad tractatum agendorum, deliberatione præhabita diligenter super gravibus querimoniis totius Remensis provinciæ nostrorum subditorum: inter cætera, autoritate hujus concilii statuimus, & sub pœna privationis suorum beneficiorum inhibemus, ut beneficia ecclesiastica obtinentes, alienas in se suscipiant obligationes: salvis pœnis aliis contra tales in jure constitutis.

III. *De decimis persoluendis.*

Cumque in pluribus dictæ provinciæ partibus, decimæ minus plene solvantur: autoritate dicti concilii moneantur debitores decimarum, sub pœna excommunicationis, ut de suis debite satisfaciant decimis: ac nomina non solventium vel super satisfactione minus plena suspectorum, per illos quibus decimæ hujusmodi subtrahuntur, ad tunc proximum futurum provinciale concilium referentur, ipsius concilii debitam ultionem ac remedium super hoc audituri.

IV. *Ut excommunicati, ab agendo & testificando in utroque foro repellantur.*

Præterea, ut ab agendo, patrocinando, & testificando, excommunicati majori excommunicatione a jure vel ab homine, etiam in sæculari foro repellantur: districte præcipimus & mandamus judicibus ecclesiasticis ordinariis, jura super hoc constituta observare.

V. *Ut immunitas ecclesiastica seruetur.*

Insuper ut immunitatem ecclesiasticam consequi possint ad ecclesiam causa immunitatis fugientes, prout jura volunt: ne iisdem in alimentis, & aliis sibi necessariis ministrandis, quisquam obviare præsumat, denegans quo minus eis necessaria ministrentur a volentibus eis ministrare, & laici extrahentes ipsos sine autoritate diœcesani, ac immunitatem ecclesiasticam, quoad fugientes ad eam, & alias impedientes, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant autoritate illius concilii in eos promulgatam.

VI. *Ne clandestina matrimonia contrahantur.*

Cæterum ut matrimonia clandestina contrahentes coerceantur, in eos sententiam excommunicationis proferimus: quam ipso facto incurrant totaliter contrahentes, constitutione edita contra illos qui clandestinas conjunctiones prohibere contempserint, & qui eis præsumpserint interesse præcedente suo matte.

VII. *Ut ecclesiasticorum judiciorum executio non impediatur.*

Postremo ut litterarum & mandatorum curiarum ecclesiasticarum portitores & executores defendantur adversus temerarios & nefandos laicorum abusus, qui eos capiunt, & incarcerant, litteras & processus hujusmodi lacerant, ac ecclesiasticam nequiter præsumunt impedire jurisdictionem: sententias excommunicationis, tam a jure, quam autoritate constitutionis recolendæ memoriæ domini Simonis, olim in regno Franciæ apostolicæ sedis legati, in[a] concilio suæ legationis promulgatas quas incurrant: districte hujus concilii[b] provincialis, volumus & mandamus & præcipimus per totam provinciam Remensem publicari; & ubicumque tales apparuerint præsumptores eas incurrentes, nominatim excommunicatos nunciari, a Christi fidelibus arctius evitari.

In quorum omnium & singulorum testimonium & munimen, litteris præsentibus nostra sigilla sunt expensa. Datum apud Silvanectum, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo sexto, die Veneris post Dominicam, qua cantatur, Miser cordia Domini.

[a] Concil. Bituric. ann. 1276. c. 16.

[b] *Deest*, autoritate.

ANNO CHRISTI 1326.

A

*** CONCILIVM COMPLVTENSE

Ex bibliotheca Vallicellana nunc primum editum.

In nomine Domini nostri Iesu Christi, Amen.

CONstitutiones per reverendum patrem & dominum, D. Ioannem Divina miseratione Toletanum archiepiscopum, primatem Hispaniarum, ac regni Castellæ cancellarium, factæ in concilio per eum apud Alcalam de Henares celebrato, anno Domini M. CCC. XXVI. vigesimo quinto mensis Iunii: qua die concilium extitit finitum.

B

PRÆFATIO.

CVm ex officii nostri debito curis solicitemur continuis, & assidua meditatione pulsemur, & juxta creditæ nobis dispensationis officium, subditorum commodis, in quorum prosperitate prosperamur, quantum nobis ex alto concessum, solicitudinis studio intendimus: idcirco nos Ioannes miseratione Divina archiepiscopus Toletanus, primas Hispaniarum, ac regni Castellæ cancellarius, attendentes in ore[a] prædecessorum nostrorum, qui multa statuta salubria in Dei ecclesia statuerunt, cupientes eorum inhærere vestigiis: in concilio quod apud locum de Alcala nostræ diœcesis celebravimus, præsentibus venerabilibus fratribus nostris, Petro Segoviensi, & Ioanne Oxomense, & Fernando Conchensi, episcopis; & procuratoribus Palentini, Seguntini, & Cordubensis, episcoporum: pro reformatione & relevatione ecclesiasticæ libertatis, constitutiones edidimus subsequentes, quas per suffraganeos nostros irrefragabiliter volumus observari.

[a] *f.* morem

C

CAPITVLA.

D

I. *De suffraganeo, qui ab alio quam a metropolitano consecratus est.*

QVamvis a sacris sit canonibus institutum, ut episcopi suis metropolitanis reverentiam promittere teneantur: quia tamen ipsa experientia rerum magistra nos edocente, probavimus nonnullos suffraganeorum nostrorum, nobis & nostræ Toletanæ ecclesiæ, in eisdem promittendis negligentes hactenus extitisse: idcirco concilio approbante, præsenti constitutione duximus statuendum, ut episcopus, per alium quam per nos, sine nostra licentia consecratus, ex quo suam fuerit ingressus diœcesim, usque ad annum, legitimo impedimento cessante, ad nos accedere personaliter teneatur, ad promittendum nobis & nostræ ecclesiæ reverentiam & obedientiam, ut tenetur: nisi de nostra speliciali licentia dictus terminus sibi per nos extiterit prorogatus. Alias contrarium faciens, tamdiu ab ingressu ecclesiæ sit suspensus, donec ad nos venerit, & obedientiam præstiterit a canonibus diffinitam.

E

II. *De immunitate ecclesiarum.*

Quamvis dudum bonæ memoriæ D. Gundisalvus prædecessor noster, in concilio[a] apud Pennam fidelem per eumdem provide congregato, aliqua statuerit in constitutione, quæ incipit: *Item cum ea quæ Divini iuris*: quæ non solum ad utilitatem omnium ecclesiarum nostrarum diœcesum & provinciæ cedere dignoscuntur, sed & ad tuitionem ecclesiasticæ libertatis: quam constitutionem in omnibus volumus inviolabiliter observari. Sed quia novis morbis nova convenit antidota præparari, approbante concilio decrevimus statuendum, ut quotiescumque aliquis excommunicatus fuerit ab homine vel a jure, pro eo quod[b] .... ecclesiarum vel ecclesiasticarum personarum rapuerit, deprædaverit, seu invaserit, vel alias eisdem personis quantumlibet atroces injurias[c] corporales, postquam per episcopum, in cujus diœcesi est commissum delictum, in dicta diœcesi excommunicatus fuerit, & publice nunciatus: si super ejusdem denunciatione per eumdem episcopum fuerimus requisiti, & prætextu requisitionis prædictæ, exceptis * injunxerimus, quatenus in suis diœcesibus excommunicatum præfatum faciant publice nunciari juxta nostri tenoris mandatum: suffraganei nostri in suis cathedralibus ecclesiis, ac aliis suarum diœcesum, teneantur talem facere publicari. Et si sic publice nunciatum ad locum aliquem declinare contingat: quamdiu ibi moram traxerit, si hoc nobis visum fuerit expedire, de mandato nostro cessetur inibi a Divinis. Eadem statuentes, si propter commissum in diœcesi nostra delictum, per nos dicti suffraganei fuerint requisiti; vel bona, quæ in aliis diœcesibus suffraganeorum nostrorum sunt mensæ nostræ vel dominio deputata, fuerint, ut prædicitur, invasa, vel etiam occupata. Super quibus bonis nostris invasis seu occupatis, in alicujus suffraganei nostri diœcesi consistentibus, idem suffraganeus requisitus, sicuti propriis, vel suæ ecclesiæ invasis, procedere teneatur, & denunciare, ut superius est expressum. Idem quoque nos procedere & facere teneamur super invasionibus, & occupationibus bonorum, quæ suffraganei nostri habere in nostra diœcesi dignoscuntur. Et si forte dicti suffraganei mandatum nostrum super præmissis infra mensem neglexerint adimplere: ex tunc ab ingressu ecclesiæ tamdiu noverint se suspensos, donec dictum mandatum adimpleverint cum effectu.

[a] In appendice hujus tomi ad ann. 136[...]

[b] *f.* possessiones, bona.

[c] *Deest*, intulerit

ANNO CHRISTI 1326.

ANNO CHRISTI 1327.

** CONCILIVM ROFFIACENSE

Ab Arnaldo Burdegalensi archiepiscopo cum suffraganeis celebratum anno Dom. M.CCC. XXVII. die Mercurii post festum B. Hilarii hiemalis.

Ex MSS. duobus collegii Paris. Soc. IESV nunc primum editum.

CAPITVLA.

I. *Contra iudices sæculares, clericos capientes & detinentes.*

QVoniam in quibusdam constitutionibus nostris provincialibus continetur, quod nisi judices, vel quicumque alii sæculares, capientes clericos vel alias ecclesiasticas personas, requisiti vel moniti sic captos deliberent[a] vel restituant, cessetur penitus a Divinis: & quoniam comperimus, & quotidie experimur, quamplures dictorum judicum, vel aliorum sæcularium, propter suam inhumanitatem commode non posse requiri, vel etiam moneri; & quod ecclesiis & personis ecclesiasticis, ac rebus & consanguineis eorumdem sic monentium, vel requirentium, non verentur inferre injurias & contumelias infinitas: idcirco deliberatione præhabita diligenti, in nostro provinciali concilio, anno Domini M.CCC. XXVI.[b] apud Roffiacum Pictavensis diœcesis celebrato, duximus statuendum: quod de cætero quicumque religiosi vel sæculares, vel eorum loca tenentes, ad quos cura, vel regimen, vel administratio ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, vel beneficiorum quorumcumque ecclesiasticorum, dignoscitur pertinere, vel pro tempore pertinebit, quam cito noverint clericum vel clericos, vel alias personas ecclesiasticas, in locis, castris, & villis, in quibus regunt vel administrant, tam per judicem quam per quemcumque alium sæcularem detineri, absque aliqua requisitione vel monitione, dictis detentoribus vel aliis facienda, tenorem & formam nostrarum dictarum constitutionum teneant viriliter & observent, cessantes & cessare facientes ipso facto penitus a Divinis, quamdiu detinebuntur ibidem. In cæteris autem volumus nostras prædictas constitutiones in suo robore perdurare. Quod si prædicti regentes vel administrantes, aut eorum loca tenentes, ignorantiam crassam prætenderint vel supinam, a Divinis, ut præmittitur, non cessando: ipso facto excommunicationis sententiæ ipsos volumus subjacere.

[a] al. capti restituti, vel recedant

[b] Nondum in Galliis al. latus erat annus 1326 cum tunc a Paschate, annus d[...]cretur initium.

II. *Vt clerici postulare possint in foro sæculari pro ecclesiis.*

Item in eodem concilio duximus statuendum in favorem ecclesiarum, & non A obstantibus aliquibus constitutionibus nostris provincialibus, seu synodalibus suffraganeorum nostrorum, super hoc editis: quod quicumq; clericus, vel sacerdos, aut alia persona ecclesiastica, postulare possit in foro sæculari pro ecclesiis quibuscumque, ecclesiasticisque personis, & rebus eorum, absque excommunicationis vel interdicti sententia, seu alia, propter hoc incurrenda: dum tamen inde non sequatur aliquod donum, pretium, vel promissum, etsi a volentibus offerretur: alias nostris constitutionibus prædictis super hoc editis, in suo robore duraturis. B

Acta sunt apud Roffiacum Pictavensis diœcesis, anno & diebus quibus supra, in concilio provinciali, per reverendum patrem D. Arnaldum Dei gratia Bardigalensem archiepiscopum celebrato.

ANNO CHRISTI 1327.

CONCILIVM AVENIONENSE

Contra Nicolaum V. antipapam ejusque errorem, celebratum tempore Ioannis papæ XX.

NIcolaus V. Petrus Corbariensis antea nominatus, ordinis Minorum, contra Ioannem XX. (quem Ludovicus IV. acerrime oderat) studio & opera ejusdem Ludovici antipapa creatus fuerat. Qui cum præter schisma ecclesiæ illatum, publice doceret C Iesum, ejusque discipulos, adeo pauperes semper fuisse, ut nihil unquam neque in commune, neque privatim habuissent, indictum est hoc concilium, quo antipapam jure meritoque condemnavit, erroremque ejusdem, sacræ scripturæ contrarium, refutavit. *Tempore vigesimi primi schismatis*, inquit Marius capite vigesimo primo lib. de schismatibus & concil. *per Ioannem* XXII. *Avenione concilium est institutum contra Petrum Corbariensem ordinis Minorum, antipapam creatum a Ludovico Bavaro. Is vero alio concilio in Italia indicto*, Ioannem XXII *hæreticum declaraverat, defendens* Iesum, *ejusque discipulos, adeo paupères fuisse, ut nihil neque in commune, neque privatim habuissent. Id quod in prædicto concilio Avenionensi* D *etiam refutatum est.* Hæc ex Ioanne Mario.

ANNO CHRISTI 1329.

** CONCILIVM COMPENDIENSE

A Guillelmo de Bria Remensi archiepiscopo, cum suffraganeis celebratum anno Domini MCCCXXIX.

Contra impedientes jurisdictionem & libertatem ecclesiasticam.

Ex synodalibus ecclesiæ Remensis MSS.

CAPITVLA.

ANNO CHRISTI 1329.

PRÆFATIO.

Vniversis præsentes litteras inspecturis, Guillelmus miseratione Divina Remensis archiepiscopus, Albertus Laudunensis, Simon Catalaunensis, Fulcandus Novionensis, episcopi personaliter, una cum aliorum suffraganeorum Remensis provinciæ absentium, & cathedralium ecclesiarum procuratoribus, in concilio provinciali apud Compendium congregatis, aliis omnibus qui potuerunt & debuerunt concitari, ad hoc evocatis, in Domino salutem.

CAPITVLA.

I. *Vt constitutiones de immunitatibus & iuribus ecclesiarum habeantur & seruentur.*

IN hoc sacro provinciali concilio, deliberatione præhabita diligenti super pressuris, gravaminibus, oppressionibus, juris transgressionibus, & offensis, ad nostram deductis notitiam, & eidem concilio referatis, super quibus per sacros canones, summorum pontificum, ac legatorum sedis apostolicæ, & provincialium conciliorum Remensis provinciæ statuta, in multis idonee est provisum; ac parum, & illusorium videretur, jura, & conciliorum provincialium statuta, & alias constitutiones condere, nisi sortirentur effectum & executioni demandarentur: quocirca autoritate hujus concilii præcipimus, hortamur, & injungimus judicibus ordinariis ecclesiasticis Remensis provinciæ, constitutiones pro libertatibus & immunitatibus ecclesiarum, ac pro bonis, juribus, & jurisdictionibus suis tuendis, ac defendendis, ad subveniendum ecclesiis & ecclesiasticis personis, & occurrendum violentiis, oppressionibus, & injuriis subditorum, prout commode poterunt, habere studeant & procurent infra proximum festum nativitatis. Nihilo minus, ut singuli ordinarii prædicti in districtibus suis, secundum exigentiã & frequentiam excessuum & delictorum a jure, constitutionibus, & statutis prædictis, curent & faciant, excommunicationis, suspensionis, interdicti, cessationis a Divinis sententias, & ecclesiasticas censuras generaliter adversus transgressores, diligenter publicari, & observari; & incidentes in sententias a canonibus & constitutionibus prædictis promulgatas, cum de hoc sibi constiterit, nominatim declarent sententias hujusmodi incurrisse: & quousque suæ absolutionis beneficium obtinuerint, publice denuncientur sic ligati, & mandentur arctius evitari.

II. *Aduersus usurarios*

Item ordinamus, & autoritate hujus concilii mandamus & districtius injungimus omnibus ordinariis, judicibus ecclesiasticis, subditis nostris prædictis, ad quorum dignoscitur spectare officium: ut constitutiones contra usurarios, & de usuris & contractibus illicitis diffamatos & suspectos, editas, solerter & diligenter observent, & effectui mancipent, & etiam exequantur.

III. *Ne clerici se vel bona sua sæculari potestati submittant.*

Præterea statuimus, & sub pœna suspensionis inhibemus, ne aliqua persona ecclesiastica, per obligationem & connexionem quamcumque, jurisdictioni vel coertioni, seu compulsioni alicujus domini vel judicis sæcularis, se vel bona sua submittat: & specialiter ne ad donum quintæ vel alterius partis debiti, sicut multi facere consueverunt, se obliget. Contrarium vero facientes, suspensionis sententiæ, sive sui judicis arbitrio, subjacebunt.

IV. *Ne religiosus, beneficii sui bona alicui ad vitam alienet, accepta pecunia.*

Cæterum ordinamus, ne quis religiosus, monasterio, prioratui, ecclesiæ, seu administrationi, cujus [a] præsidens, jura, redditus, aut possessiones ejusdem, alicui, ad vitam ejusdem seu aliquod non modicum tempus, pecunia exinde recepta, quovis modo concedat, sine assensu & decreto diœcesani loci. Alioquin, una cum suspensione ab officio, quam eo ipso latam a canone incurrit, cadat administratione: & contractus nullus & irritus habeatur: nec administrationi a qua cecidit, se immiscere præsumat, diœcesano inconsulto. Per hoc non intendentes sacris canonibus in aliquo derogare.

[a] Addendum, est

V. *De citationibus extra prouinciam non exequendis.*

Deinde ordinamus, quod nullus citationes seu alia mandata ad trahendum aliquem seu aliquos de Remensi provincia extra eamdem proviciam, & ultra fines regni Franciæ, nisi ordinariorum locorum primitus super hoc requisito consilio, exequatur: ut per hoc, abusionibus, & periculis corporum, & bonorum deprædationibus, quæ frequenter propter hoc contigerunt, & contingere possent, in futurum, prout erit possibile, occurratur.

VI. *Ne generales citationes fiant.*

Nihilo minus ordinamus, ad obviandum malitiis hominum circa abusum generalium citationum sub tali forma: *citetis omnes illos &*

ANNO CHRISTI 1329.

& illas, quos vobis lator præsentium nominabit, vel alia similia: citationes hujusmodi nullatenus executioni demandentur, locorum ordinariis inconsultis.

VII. *De perturbantibus ordinariam iurisdictionem ecclesiasticam.*

Mandamus & ordinamus insuper, ut omnes & singuli parochialium ecclesiarum Remensis provinciæ sacerdotes, singulis diebus solemnibus, Dominicis & festivis, palam & publice, intelligibiliter in vulgari ad communem intelligentiam denuncient in ecclesiis suis, in generali hora Missæ, canonum & conciliorum provincialium autoritate excommunicatos ipso facto omnes & singulos, usurpantes, impedientes, & perturbantes ordinariam jurisdictionem ecclesiasticam, nobis archiepiscopo & suffraganeis de jure vel de consuetudine in Remensi provincia competentem; & specialiter usurpantes, impedientes, & perturbantes metropolicam jurisdictionem, curiam* Remensem, & libertatem exercitiumque cujuslibet jurisdictionis ecclesiasticæ prædictæ, directe vel indirecte, tacite vel expresse, aut alio quoquo modo. Quam excommunicationis sententiam autoritate conciliorum hujusmodi incurrunt ipso facto taliter delinquentes: & eos volumus & mandamus, cum de hoc constiterit, declarari & denunciari nominatim excommunicatos, & tãquam excommunicatos arctius evitari.

*Corr Curia Remensis

In quorum omnium, & singulorum testimonium & munimen, præsentibus litteris nostra sigilla sunt appensa. Datum apud Compendium, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono, die Veneris post Exaltationem sanctæ Crucis, continuata de die in diem a feria secunda post festum Nativitatis beatæ Mariæ virginis præcedente.

ANNO CHRISTI 1329.

** CONVENTUS PARISIENSIS

Prælatorum & baronum regni Franciæ, coram Philippo Valesio Rege habitus, anno MCCCXXIX. exeunte.

De temporali ecclesiasticorum jurisdictione.

Extat in Bib. ioth. Pa...r. ...os contul....us cum MS & emendavimus.

ANno Domini MCCXXIX. die prima mensis Septembris, dominus Philippus de gratia Dei Francorum rex Christianissimus, filius quondam claræ memoriæ domini Caroli comitis Valesii, mandavit prælatos & barones regni Franciæ ad diem octavarum festi B. Andreæ proximo subsequentis convenire, per litteras suas infra ceram inclusas. Quarum quidem litterarum, prælatis videlicet directarum, tenor sequitur & est talis.

*Ejusdem exempli data littera ad alios prælatos.

Philippus Dei gratia Francorum rex, dilecto & fideli nostro episcopo Eduensi*, salutem. Quanto magis scientia Divina, Divinarumque scripturarum notitia, ac cæterarum virtutum magistra rerum experientia, vigent in vobis: tanto plenius nostis, quantum & qualiter omnes & singuli clerici & laici regni, tanquam mẽbra simul in uno corpore vivẽtia, sibi ad invicem tenentur cõpati, mutuũque præstare consilium & auxilium, spiritualiter & temporaliter, ad defensionẽ & A custodiam unitatis & pacis optatæ cunctis mortalibus, & veræ unionis; & contraria, suis quique contenti juribus, pro viribus propulsanda. Cum igitur ad nostram ductum fuerit notitiam, quod vos, gentesque & officiales vestri, asseritis, per baillivos & alios officiarios nostros, & per barones aliquos regni nostri, vobis ac subditis vestris; dictique baillivi & officiales nostri, ac barones prædicti, asserunt etiam per vos & officiales vestros, ac per curiarum vestrarum satellites & cursores, nobis & ipsis, nostrisq; & eorum subditis quamplura fuisse retroactis temporibus illata, & in præsenti adhuc inferri hinc inde gravamina, insolitasque & indebitas novitates, propter quas illius veræ unitatis connexio, quæ inter vos & ipsos vigere debet, ut est dictum, suæ quodammodo indissolubilitatis in- B tegritatem amittit. Quod si nobis, qui subditorum nostrorum, tam clericorum quã laicorum, concordiam & unitatem diligimus, displicet, non est mirum. Et idcirco volentes super his de salubri remedio, quantum cum Dei adjutorio possumus, providere, requirimus vos, nihilo minus tenore præsentium mandantes, quatenus ad diem octavarum festi sancti Andreæ proxime venturum, Parisius personaliter intersitis, advisi super gravaminibus & novitatibus, quæ & quas per prædictos asseritis vobis fuisse illata & illatas. Nos autem prædictis baillivis & officialibus nostris, atque baronibus, damus per nostras alias litteras in mandatis, ut dicta die Parisius similiter intersint personaliter, advisi super gravaminibus & novitatibus, C quas sibi, & subditis suis, per vos & officiales vestros asserũt fuisse illatas: ut super omnibus & singulis hinc inde illatis gravaminibus, per nos & consilium nostrum, de tam salubri possit remedio provideri, quod inter vos & ipsos amoris vinculum incorruptibile, & sinceræ caritatis affectio indissolubilis, futuris temporibus debeant observari. Datum Paris. prima die Septembris, anno prædicto, die Veneris.

Die vero superius in dictis litteris contenta, prælati Parisius convenerunt die Veneris, xv. mensis Decembris, in palatio regali: & comparuerunt coram Rege ibidem prælati adinvicem, videlicet domini, Bituricensis, Auxitanus, Turonensis, Rotomagensis, Senonensis, archiepiscopi; Belvacensis, Catalaunensis, Laudunensis, Parisiensis, Noviomen- D sis, Carnotensis, Constantiensis, Andegavensis, Pictavensis, Meldensis, Cameracensis*, sancti Flori, Briocensis, Cabilonensis, & Eduensis, episcopi. Qua die, ipso rege sedente, & consiliariis suis, necnon aliquibus baronibus ibidem assistentibus, & facta dignitati regiæ reverentia per prælatos, nobilis & discretus vir dominus Petrus de Cugneriis, miles & consiliarius dicti domini regis, in præsentia omnium & in publico locutus est pro rege, facto themate suo: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Et prosecutus est juxta illud thema, materiam suam, concludendo ad duo. Primo, quod regi debebatur reverentia & subjectio: secundo, quod debebat esse spiritualium & temporalium divisio, ut spiritualia ad præla- E tos, & temporalia ad regem & barones pertinerent: & hoc probavit per multas rationes facti & juris. Et finaliter conclusit, quod prælati essent contenti spiritualibus, & in eis defenderet eos rex.

*al. Cenvenarum

Matth. 22.

Sequuntur articuli, in quibus usurpatam ab ecclesiasticis jurisdictionem temporalem aiebat.

His auditis dixerunt prælati, quod super his volebant deliberare: & fuit assignata dies Veneris sequens: qua die respondit pro prælatis dictus dom. electus Senon. & proposuit infra scripta apud Vicẽnas, ubi Rex tenuit dictam diem, dicens sic: Quia dominus Petrus de Cugneriis pridie proponens contra ecclesiam Gallicanam, cepit thema suum quod scribitur Matth. 22.

ANNO CHRISTI 1329.

22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo, &c. Et paulo post*: Vt ergo respondeam præmissis, secundum concordantiam vocalem & realem: accipio quod dictum est 1. Petri 2. protestatione præmissa, quod quidquid dicturus sum, volo dicere non ad finem subeundi quodcumque judicium, sed solum ad domini regis & ei assistentium conscientiam informandam. *Tum prolixam orationem instituit, qua primum de reverentia regibus debita, eorumque potestate summa disserit; deinde probat contra Petrum de Cugneriis, posse personæ ecclesiastici convenire jurisdictionem temporalem simul cum ecclesiastica.*

Altera autem die Veneris immediate subsequente, videlicet die 29. Decembris, in palatio regali Parisius convenerunt prælati, & Rege ibidem more solito sedente, assistentibus sibi consiliariis suis & baronibus, reverendus pater dominus Petrus Bertrandi, Divina providentia Eduensis episcopus, locutus est in publico coram rege, facto pro themate suo, *Ne indigneris Domine si loquar.* (Genes. 18.)

Quod thema applicuit ad hoc quod propter regis magnificentiam, consilii sui prudentiam, & loquentis insufficientiam (cum magnum negotium esset) loqui formidabat. Sed de regia benignitate confisus, audaciam assumebat: & quia fuerat sibi a dominis prælatis injunctum. Deinde fecit thema suum tale: *Domine refugium factus es nobis.* (Psal. 89.)

Et persecutus est thema, regis magnificentiam commendando: deinde vocationem suam ad regnum Franciæ, quasi mirabilem declarando: tertio, quomodo debet esse pugil ecclesiæ, ostendendo. Et istud probavit satis breviter, per autoritates & rationes multas. Postmodum respondit ad ea quæ proposita fuerunt per dictum dominum Petrum de Cugneriis, in modum infra scriptum, ad informandum conscientiam domini Regis, & ad præstandum consilium super prædictis duntaxat, & non ad finem ordinando judicii, seu responsionis faciendæ, per quam sententia, ordinatio, vel statutum, aut quivis alius processus sequi possent, vel jus aliud personæ cuicumque acquiri. *Tum multis refellit sexaginta sex argumenta Petri de Cugneriis.*

Quibus rationibus sic factis per dictum episcopum, fuit petitum ex persona domini regis, quod præfatæ responsiones, prout dictæ fuerant & propositæ, verbo tenus in scriptis redigerentur & traderentur. Super quibus petitis, prælati adinvicem diligenter habuerunt deliberationem: & tandem deliberaverunt inter se tradere, loco responsionum prædictarum, domino regi cedulam infra scriptam in Gallico: licet sit in Latino translata, cujus tenor sequitur in hæc verba.

" Supplicant regiæ majestati prælati præsentes (tamen se aliquo judicio minime submittendo) quod ei placeat jura, libertates, privilegia canonica, consuetudines, & saisinas, quæ & quas ecclesiæ Gallicanæ habent, & habuerunt temporibus retroactis, eis defendere & servare, specialiter super cognitione actionum personalium, realium, & mixtarum, necnon & introductarum, maxime inter laicos. Item super cognitione clericorum, quando per laicos, quia fit eis petitio, aut quando clerici super violentia in bonis illorum illata per laicos conqueruntur. Item super cognitione contractuum initorum coram judice sæculari. Item quod non impediantur quin eorum notarii, contractus recipere valeant, quacumque parte suarum diœcesum. Item quod non impediantur super inventariis faciendis de bonis defunctorum, quorum de jure vel consuetudine, vel compositione, executores existunt. Item quod non impediantur super cognitione hypothecarum, quam habent de jure vel consuetudine. Item quod non impediantur super cognitione viduarum & pupillorum, & super bonis intestatorum, quantum ad eos pertinet de consuetudine vel de jure. Item quod non impediantur in quacumque parte diœcesis suæ, quin possint habere suos officiales, & suos clericos capere, & ab ipsis clericis necnon a laicis emendas pecuniarias exigere, debitas de consuetudine vel de jure. Item quod non impediantur super cognitione rerum futurarum a personis ecclesiasticis. Item quod tam super captione, quam super cognitione clericorum non conjugatorum, & conjugatorum, eorum jura & consuetudines observentur & confirmentur eisdem: quia vobis manifeste ostenderunt quod hæc debent fieri de jure Divino & humano. Item significant regiæ majestati, quod super abusibus quos aliqui conquerentes imponunt officialibus & gentibus suis, dicendo quod ipsi abutuntur, eis imponendo crimina, ut redimant, & emendas ac expensas ab innocentibus exigendo, proferendoque sententias excommunicationis, una sola citatione non peremptoria præcedente: ac super eo quod propositum fuerat contra ipsos prælatos, quod ipsi conferebant tonsuras indignis; & dictorum officiales imponunt malitiose laicis pro extorsione pecuniarum inde ab eis exigendarum, quod ipsi sunt circa fidem suspecti, quodque clericos super maleficiis accusatos, & eis redditos per judicem sæcularem, dimittunt impunitos. Item quod labores & expensas multas irrationabiliter conferunt, prætextu participationum cum excommunicatis. Item quod laicis malitiose usuras imponunt, ut redimant se, & conjugatis tam viris quam mulieribus, quod adulteria commiserant. Item super abusibus quos facere dicuntur procuratores eorum, & super abusibus quos religiosi faciunt in multis civitatibus. Item super injuriis & gravaminibus, quæ alicui, ut dicitur, faciunt ratione privilegiorum eis indultorum. Item super eo quod dicitur, quod litigantes in curia ecclesiastica contra officium, non reperiunt advocatos: necnon super omnibus aliis in quibus eorum officiales invenirentur negligentes abusi fuisse vel convicti, tam in prædictis quam aliis, quæ si scirent, non permitterent ullo modo ipsi, & sunt parati corrigere & facere corrigi & emendari, & pro futuris temporibus, tam per statuta synodalia & provincialia, quam per alia, quæ poterunt bona remedia salubriter providere. Super aliis vero articulis supplicant dicti prælati, quatenus jura ecclesiæ, sive de jure, aut per privilegium, seu compositionem vel consuetudinem acquisita, placeat domino regi servare & defendere, ac etiam confirmare; ubi autem in dictis capitulis essent aliqua contra jus, privilegium, consuetudinem, vel compositionem, ipsi prælati nollent ea aliqualiter sustinere. Supplicant iidem domino regi, ut pro Dei honore, in statu, in quo sui boni prædecessores tenuerunt ecclesiam, ipse eam teneat & defendat, nec ei faciat aliquam novitatem, & placeat ei proclamationes & inhibitiones factas (scilicet quod nullus laicus trahat alium laicum coram judice ecclesiastico) revocare, quia hoc esset omnia ecclesiarum jura tollere. Et licet in aliquibus locis pro toleranda eorum malitia, in talibus proclamationibus seu inhibitionibus verba quæ sequuntur opponant: videlicet quod laicus non trahat alium laicum coram ecclesia super casibus pertinentibus ad judices sæculares (hoc est propter jura ecclesiæ usurpanda) quia multa pervenirent ad forum laicorum, quæ nihilo minus pertinent ad ecclesiasticum, si jus & consuetudo tolleretur, per quæ in electione laici est quod possit alios laicos in foro ecclesiæ convenire. Item quia tales proclamationes seu inhibitiones factæ, licet etiam essent bene generales, dant occasionem omnimodo jurisdictionem ecclesiasticam perturbandi. Vnde reges Franciæ quondam semper prohibuerunt

ANNO CHRISTI 1329.

runt tales proclamationes seu inhibitiones fieri & factas penitus faciebant revocari, & ad nihilum reduci.

Post hæc, die Veneris sequenti apud Vicenas venerunt prælati coram domino rege ad audiendam rationem suam: ubi dominus Petrus dictus de Cugneriis proposuit pro domino rege, sic dicendo. *Pax vobis ego sum nolite timere*: & prosecutus est, qualiter prælati non essent turbati, de aliquibus quæ essent dicta, quia intentio domini regis erat servare jura ecclesiæ & prælatorum, quæ habebant tam de jure, quam de consuetudine bona & rationabili. Et interseruit inter primam conclusionem & ultimam, & probare voluit quod causarum civilium cognitio non poterat ad ecclesiam pertinere: quia temporalia debent pertinere ad temporales, & spiritualia ad spirituales. *Subjiciuntur ejus rationes.*

Luc 24.

Quæ responsio audita cum non videretur sufficere prælatis: statim dictus episcopus Eduensis respondit pro prælatis, in modum qui insequitur. Primo commendans, &c. *Et infra*: Quare conclusit dictus episcopus, quod placeret domino regi, magis claram & magis consolativam dare responsionem prælatis: ne ab ipsius præsentia recederent contristati; & ne daretur laicis materia, jura eorum & consuetudines ecclesiæ impugnare; quia de ipsius domini regis bona conscientia nullatenus dubitabant. Et tunc fuit responsum ex parte domini regis: quod non erat intentionis suæ, consuetudines ecclesiæ, de quibus sibi constaret, impugnare.

Postmodum die Dominica sequenti, iterato venerunt prælati ad dominum regem apud Vicenas, & proposuit dominus Senonensis ultimam supplicationem factam per prælatos, & ultimam responsionem factam pro parte domini regis. Ad quod cum dominus Bituricensis significasset prælatis, dominum regem dixisse, ut non timerent prælati, quia nihil suo tempore perderent, & quod defenderet eos in suis juribus & consuetudinibus, quia nolebat tempore suo exemplum dare aliis ecclesiam impugnandi: quæ verba asseruit ibidem se dixisse: de his verbis idem dominus Senonensis nomine prælatorum regratiatus est domino regi. Secundo dixit idem dominus Senonensis, quod quædam præconizationes factæ erant in præjudicium jurisdictionis ecclesiasticæ: quas supplicabant revocari. Tunc dominus rex respondit ore proprio, quod non erant factæ de suo mandato: nec aliquid sciebat, nec eas ratas habebat. Tertio dixit, quod de aliquibus abusibus, de quibus temporales erant conquesti, taliter ordinaverant prælati, quod dominus rex & cæteri, merito deberent contentari. Quarto supplicavit regi, quod vellet eos consolari de benigna sua responsione clariori. Tunc respondit dictus dominus Petrus pro domino rege, quod placebat regi, si prælati emendarent ea quæ essent emendanda & corrigenda, expectare usque ad festum Nativitatis Domini proxime venturum: infra quem terminum nihil innovaret. Et si infra dictum terminum prælati non emendassent emendanda, vel correxissent corrigenda: dominus rex apponeret tale remedium, quod esset gratum Deo & populo. Et sic prælati receperunt licentiam a domino rege, & recesserunt.

OBSERVATIO G. COSS.

Regem secundum ecclesiasticos omnino judicasse, eaque de re scripsisse ad Ioannẽ papam, testatur Pontificis ad ipsum litteræ, datæ III. Non Iun. hujus anni: quibus in litteris ab Odorico Raynaldo ad hunc annum descriptis, sic Pontifex. *Litteras regias, fervorem magnæ devotionis & fidei, quibus erga Deum & ecclesiam præfulgere regalis serenitas noscitur, recensentes delectabiliter, & responsionem perversis detractoribus, laudere sinceritatem regiam circa præmissa molientibus factam, sicut catholicum & orthodoxum decebat principem, describentes, recepimus lata manu.*

ANNO CHRISTI 1329.

** CONCILIUM MARCIACENSE

Ex MS. codice illustrissimi archiepiscopi Remensis coadjutoris, Car. Maurit. Tellerii.

Hæ sunt constitutiones provinciales editæ in concilio generali Auscitano, apud Marciacum diœcesis Auscitanæ per reverendum in Christo patrem ac dominum, D. Guillelmum Divina miseratione archiepiscopum, sub anno Domini MCCCXXIX. die sancti Nicolai hiemalis celebrato.

NOS G.ᵃ permissione Divina archiepiscopus Auscitanus, & nos G. Lectorensis, G. Tarbiensis, A. Olorensis, P. Bajonensis, & G. Adurensis, episcopi; præsentibus viris venerabilibus ac discretis, domino Raimundo clerici vicario & officiali domini G episcopi Convenensis, ac procuratoris ejusdem; domino Arnaldo Falcaudi, vicario generali & procuratore domini episcopi Agennensis; domino Bernardo electo monasterii Reulæᵇ, procuratore domini episcopi Lascurrensis; dom. Viviano de Rupeforti; Ioanne de Villanova, procuratore domini episcopi Coseranensis; dom. Hugone de Pardeilano, præposito S. Iustini; Guillelmo Capani, & Bernaldo Sanhi canonico & procuratore capituli Auscitani; magistro Vvillelmo....... de Laillato, procuratore capituli Lectorensis, & Guillelmo Anelii de Maladicina procuratore capituli Convenensis; magistro Petro Arquori, procuratore capituli Tarbensis; magistro Bernardo de Sarano, procuratore capituli Lascurrensis; dominis Bernardo archipresbytero Delborea & Ceritio de Fas .... procuratore capituli Bajonensis; Henrico de Cadilone, procuratore capituli Aquensis; domino Viviano de Rupeforti, procuratore capituli Coseranensis,....... clerico procuratore capituli Vasatensis; dominis abbatibus de Simorra, de Pessano, de sancto Sabino, de Tasca, electo monasterii Regulæᶜ de Luco, Auxitanæ, Tarbensis, Olorensis, & Lascurrensis diœcesum; necnon & procuratoribus nonnullorum aliorum prælatorum, abbatum, præpositorum, decanorum, capitulorum, collegiatarum ecclesiarum, & aliorum archidiaconorum, in prædicta provincia constitutorum, ad præsens concilium vocatorum & mandatorum, ac nobiscum interessentibus & vocatis personaliter, apud Marciacum Auscitanensis diœcesis concilium celebrantes provinciale.

ᵃ Guillelmus

ᵇ Regulæ

ᶜ Regulæ

Attendentes, & deliberata maturitate pensantes, tam horrendum tamque detestabile atque damnabile scelus, olim evidenter commissum palam & publice, suadente diabolo, truculenta pensata rabie infideli, in magnam Divinæ majestatis offensam, ac universalis ecclesiæ scandalum & gravamen, & regiæ majestatis (sub cujus pace & gardia speciali atque protectione, omnes universaliter archiepiscopi & episcopi hujus regni Franciæ noscuntur existere & defendi) per Tercellum de Brulato, Bernardum de Caneto, Remundum G. de Arivanta, Ioannem & Arnaldum ejus fratres, Spurium de Medo, Petrum Spurium de Sanguineda dictum d'Arbocave, Arnaldum Guillelmum de Serignaco, Spurium de Iu, Manentonum & Ioannem de Capitevilla fratres, invasores, occisores, culpabiles homicidii enormiter perpetrati, in personam bonæ memoriæ domini Anelancii, quondam episcopi Adurensis, commissi: quem murtro nefandissimo, de die, ac pensatis insidiis, prope locum de Nogoralio Auscitanæ diœcesis, invaserunt, occiderunt, culpabilesque fuerunt, nullaque debita de causa

ANNO CHRISTI 1330.

sa atrociatque sævo crimine vindictam fuisse secutam: A nec etiam prædictos sicarios ad emendam ecclesiæ redusse, licet ad duos annos, & amplius, expectatos. Attendentesque insuper, superius nominatos per suæ divulgationem malitiæ seipsos vantasse, & publice detexisse se fore culpabiles homicidii memorati, perpetrati in personam domini episcopi supradicti: de tanta malitia nequiter gloriando. Quæ omnia & singula nobis & nostro concilio fore notoria, necnon & toti provinciæ Auscitanæ, quæ nulla possunt tergiversatione celari.

Idcirco protestatione præmissa, & ante omnia in his scriptis, quod prædicenda, ordinanda, & requirenda, non intendimus ad pœnam mutilationis, vel sanguinis cujuscumque, sed dumtaxat ad finem canonicum, & maxime constitutionis nostræ provinciæ B Auscitanæ * quæ incipit: *Quia quod contra prælatos*, &c. Nos omnes & singuli prædicti, ac præsentibus omnibus & singulis supradictis, in præsenti concilio præsidentes, dictos Tercellum de Beulato, Bernardum de Caneto, Remundum G. de Arivanta, Ioannem & Arnaldum ejusdem Remundi fratres, spurium de Sanguineda, alias dictum d'Arbocave, Arnaldum Guillelmum de Serignaco, spuriū de Iu, Manentonum & Ioannem de Capitevilla fratres, esse & fuisse invasores, occisores, culpabiles notorie & evidenter mortis episcopi supradicti. Declaramus, & declarando in his scriptis definimus, omnes supradictos & singulos incidisse in pœnas constitutionis provincialis, quæ incipit: *Quia quod contra prælatos*.

* Concil. Nugarol. ann. 1290. c. 5.

Item, quia archiepiscopo & episcopis prædictis, & concilio præsenti, Theobaldum & Manaldum de Barbasano fratres, Guillelmum de Moncadie, Arnaldum dominum de Morlana, Theobaldum de Tulagueto, prænominatos malefactores, post commissum per eosdem dictum crimen, receptasse, & quod de die in diem receptare non cessant: decernimus & declaramus, prædictos receptatores incidisse in constitutionem superius nominatam, & pœnas ejusdem.

Verum quia ad ulteriorem executionem dictæ nostræ declarationis constitutionis provincialis, atque pœnarum contentarum in ea, quæ executionem criminalem & realem requirunt, procedere non possumus nec valemus: hinc est, quod nos archiepiscopus, D episcopi, & præsidentes * in ipso concilio, in personam egregii viri comitis Armaniaci absentis, requirimus palam publice in his scriptis vos nobilem virum dominum G. de Bauceria militem, senescallum dicti comitis Armaniaci, ac ipsius comitis repræsentantem personam; necnon & vos dominum Remundum de Montiliis, judicem ordinarium dicti comitis Armaniaci, tamquam immediatos superiores temporales dictorum malefactorum, videlicet Tercelli de Beulato, Bernardi de Caneto, Raymundi G. de Arivanta, Ioannis & Arnaldi ejus fratrum, spurii de Medo, spurii de Sanguineda alias dicti d'Arbocave, Arnaldi G. de Serignaco, spurii de Iu, Manantoni & Ioannis de Capitevilla fratrum; præsentes coram nobis in nostro provinciali concilio, ac vice E & nomine dicti comitis: quatenus nostram prædictam & nostri concilii declarationem, & contenta in nostra dicta constitutione, quam vobis de verbo ad verbum transcriptam de nostris constitutionibus exhibemus, sub præsenti nostra requisitione inserta, realiter & cum effectu, sine dilatione, prout tenemini, exequamini diligenter justitia mediante. Quod si forsan hoc facere denegaveritis aut distuleritis indebite: protestamur, quod nos singuli prædicti & concilium * præsentes, deputamus vos negligentes esse de justitia facienda: & de præmissis nos posse

* Corr. præsentes

* f. in concilio præsentes

persequi justitiam contra vos & comitem supradictum coram Romana curia, & coram domino nostro rege Franciæ, sicut & in quantum de jure poterimus, & ad nos noverimus pertinere. Requirentes vos notarios infrascriptos, ut de præmissis omnibus & singulis, retineatis & conficiatis unum vel plura ejusdem tenoris publicum seu publica instrumenta.

Acta fuerunt hæc in ecclesia B. Mariæ de Marciaco, prædictæ diœcesis Auscitanæ, die undecima mensis Decembris, anno Domini M. CCC XXX. præsentibus venerabilibus & discretis viris, dominis, Godefrido Durandi priore Castrosaraceni, Bernardo Iuliano canonico Tholosano, decretorum doctoribus, Remundo Fabri, Andrea Pistore, & Petro Clerici, legum professoribus, ac pluribus aliis, ad præmissa vocatis specialiter ac rogatis.

ANNO CHRISTI 1330.

*** CONCILIVM LAMETHENSE.

Ex Cod. MS. bibliothecæ Cottonianæ edidit collector Anglicanus Tom. II.

Constitutiones provinciales domini Simonis Mepham, Cantuariensis archiepiscopi, editæ apud Lamhith, circa annum Domini M. CCC. XXX.

TITVLI CAPITVLORVM.

CAPITVLA.

I. *De ornamentis altaris, & clericis circa administrantibus.*

Linteamina, corporalia, pallæ, tuellæ, manutergia, & alia altaris ornamenta integra......... sint, & munda, & sæpe abluantur per personas a canonibus deputatas, ad reverentiam Salvatoris nostri, & totius cælestis curiæ; quem, huic sacramento conficiendo, & confecto, non dubium est interesse. Item, verba canonis, præsertim in iis quæ ad substantiam sacramenti pertinent, plene, integre, & cum summa animi devotione proferantur. Non tamen ita fit morosus sacerdos in præmissis, quod fastidium ingeneret auditoribus, & officium suum privet devotionis pinguedine; quia injuste monentes perdunt suavitatem unguenti;

ANNO CHRISTI CIRCITER 1330.

guenti; idest, pinguedinis, aut rationis. Nullus sacerdos parochialis præsumat Missam celebrare, antequam matutinale persolverit officium; id est, Primam, ac Tertiam de die. Item, nullus clericus permittatur ministrare in officio altaris, nisi indutus sit superpellicio, tempore, quo Missarum solemnia peragantur: & accendentur duæ candelæ, vel ad minus una.

II. *Qualiter sacerdos se habebit in audiendo confessiones.*

Sacerdos, in pœnitentia injungenda, circumstantias criminis", qualitatem personæ, & genus delicti, tempus, & locum, causam, & moram in peccato factam, devotionem animi pœnitentis. Et his consideratis, & diligenter pensatis ac discrete, majorem vel minorem pœnitenti injungat pœnitentiam. Item sacerdos, ad audiendum confessiones, communem eligat sibi locum, ubi communiter ab omnibus videri poterit in ecclesia: & in locis absconditis, non recipiat sacerdos alicujus, & maxime mulieris, confessionem: nisi pro maxima necessitate, aut infirmitate pœnitentis. Item nullus sacerdos, alterius parochianum recipiat ad pœnitentiam, nisi de licentia sui presbyteri, vel episcopi. Item sacerdos talem injungat pœnitentiam uxori, ut viro suo non reddatur suspecta de aliquo crimine occulto & enormi. Idem de viro est observandum. Item in furto, rapina, fraude, simonia, & maxime detentione decimarum, seu abstractione alicujus juris ecclesiastici, diligenter sibi caveant sacerdotes, ne aliquibus injungant pœnitentias, nisi cum satisfactione, & restitutione facienda injuriam passis: cum non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Item, in majoribus criminibus, & atrocioribus, & dubiis, sacerdos consulat episcopum, vel ipsum qui vices ejus gerit, aut providos & discretos, quorum consilio certificatus sciat, quos, & qualiter ligare possit & absolvere. Et ne, quod absit, pœnitens in desperationem cadat: moneat ipsum diligenter, ut bonum, quicquid interim possit, faciat, ut Deus cor suum illustret ad pœnitentiã. Et hoc idem faciat de eo, qui peccatum confitetur, etiã cum ab eo non vult abstinere: quo casu munus absolutionis non poterit ei impendi, cum venia non legitur concessa, nisi se corrigenti. Item caveant sacerdotes, ne peccata inquirant, aut nomina personarum, cum quibus peccaverant, non inquirant, sed circumstantias tantum, & qualitatem peccati: cum scriptum sit, *Deus vitam meam, &* non alterius, *nunciaui tibi.*

"Deest considerat

Psal. 55.

III. *Sacerdos non debet celebrare in mortali peccato, nec detegere peccata alicuius.*

Prohibemus, quod nullus sacerdos lapsus in mortale peccatum, ad altare præsumat accedere celebraturus, antequam confiteatur. Quidam enim errant, credentes, quod mortalia delentur per confessionem generalem. Item, nullus sacerdos ira, odio, vel metu, etiam mortis, audeat in aliquo detegere alicujus confessionem, signo vel verbo, specialiter, nec generaliter. Et si super hoc convictus fuerit, sine spe reconciliationis, non immerito debet degradari: cum sæpe contingat, quod rectores ecclesiarum, ac etiam nonnulli sacerdotes, & in sacris ordinibus consistentes, eo quod nonnulli ut eis videtur, quoad forum pœnitentiale sunt subjecti, vel omnino non confitentur, vel ad quosdam accedunt, qui nullam ipsos absolvendi vel ligandi habeant potestatem.

Per archidiaconatus singulorum statuimus, quod duo presbyteri idonei præficiantur in singulis decanatibus, competentis litteraturæ, & probatæ opinionis, ad confessiones talium audiendas & pœnitentias eisdem injungendas, quibus per nos, vel vicem nostram gerentes, autoritatem volumus impartiri: firmiter inhibentes, ne religiosi, monachi, vel canonici, anachoretæ, eremitæ, subditum alicujus audeant ad pœnitentiam admittere.

IV. *De conseruatione olei, & chrismatis etiam reuerentia.*

Cum magna reverentia deferatur oleum infirmorum ad infirmos, & ipsos inungant sacerdotes cum magna devotione, & orationum celebritate, quæ ad hæc sunt ordinatæ. Item, ad sacramentum extremæ unctionis moneant sæpe populum Domini sacerdotes: scilicet omnes a XIIII. annis, & ultra, sive supra, & ad omnes communiter se paratos exhibeant, cum necesse fuerit. Item, tam sanctum oleum, quam chrisma, sub fideli custodia, clave exhibita, conservetur, ut non possit ad illa temeraria manus ostendi", ad horribilia sequenda".

" Corr. extendi
" f. exequenda.

V. *De matrimonio celebrando, & editione bannorum.*

Matrimonium similiter, sicut & alia sacramenta, cum honore & reverentia, de die, in facie ecclesiæ, non cum risu, ac contemptu, celebretur. In matrimonio contrahendo, semper in tribus Dominicis, vel festivis diebus, & a se distantibus, tribus edictis, perquirat sacerdos a populo, sub pœna excommunicationis, de legitimatione sponsi, & sponsæ. Si quis autem sacerdos hujusmodi edictum non observaverit: pœnam

ANNO CHRISTI CIRCITER 1330.

pœnam nuper in concilio......, super hoc statutam non evadet. Item, prohibeant laicis sacerdotes in ecclesia frequenter, sub pœna excommunicationis, ne dent mutuo fidem matrimonio contrahendo, nisi in loco celebri, & coram presbyteris, & populis ad hoc convocatis.

A

VI. *De sacramento Ordinis, & examinatione in eo facienda.*

Cum quanta reverentia, & cordis contritione, & animi devotione, ad sacramentum Ordinis sit accedendum, ex eo patet, quod nisi a summo sacerdote, id est episcopo, confertur, & nisi passim: & hoc certis temporibus, & jejunio, non solummodo ab ordinandis, sed ab universa plebe. Hinc est, quod sanctorum canonum statuta servantes, prohibemus, ut nullus ad ordines accedat, vel admittatur, nisi fuerit canonice examinatus. Item, minores clerici ad inferiores gradus non admittantur, nisi idoneos habeant præsentatores, & per testimonium eorum admittantur. Nullus simoniacus, homicida, excommunicatus, usurarius, sacrilegus, incendiarius, vel falsarius, vel aliud habens canonicum impedimentum, ad quoscumque ordines præsumat accedere. Item, ordinati in Hibernia, Vallia, vel Scotia, maxime facti * litteris sui diœcesani & nostris commendatoriis, seu dimissoriis: non admittantur ad Ordinis sic suscepti executionem in episcopatu nostro, nisi magna necessitas, ut cum eis dispensetur a nobis, aliud inducat: nec etiam tunc admittantur, nisi prius legitime constiterit de ipsorum ordinatione, vitæ munditia, pariter & litteratura. Item prohibemus, ut nullus abbas vel prior, monachos suos, vel canonicos, ab alienis episcopis faciat ordinari: nisi cum litteris sui episcopi diœcesani, vel gerentis vices suas, assensum suum exprimentibus.

* *leg.* sine litteris

VII. *Ne res ecclesiæ impignorentur, sive vendantur a laicis, non pro necessitate.*

Vasa & vestimenta sacra, cum libris ecclesiæ, nullus laicus Iudæis aut Christianis impignorare, vel vendere præsumat: sed nec possessiones ecclesiasticas, vel redditus locare, vel infeodare, sive alio modo alienare præsumat, nisi urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcat, & prius diœcesani episcopi ad id consensus accedat. Si quis autem cōtra hoc facere præsumpserit, id quod fecerit, suis sumptibus revocet: is etiam, qui sic ecclesiastica beneficia receperit, & detinere præsumpserit, excommunicationis sententia feriatur, & antequam ea restituerit, nullatenus absolvatur.

VIII. *Ne de bonis ecclesiasticis, domus in laico feodo ædificentur; nec ecclesiastica beneficia laicis tradantur ad firmam.*

Quamplures non solum filiis & nepotibus suis, verum etiam concubinis, per patrimonium IesuChristi, domos in laico feodo ædificare præsumunt: ad quos, ecclesiasticos proventus deportantes, dum proximis consanguineis bona ecclesiastica congregant, iram Dei & damnationem perpetuam thesaurizant. Ne igitur istud de cætero fiat, districtius inhibemus: statuentes, ut is, vel illi, qui taliter, absque licentia & assensu sui diœcesani, fecerit, per annum ad minus, a perceptione fructuum beneficii sui suspendatur: nisi ad commonitionem episcopi, vel archidiaconi sui, quod fecerit citius emendaverit. Item, nullus clericus aliquod beneficium ecclesiasticum alicui laico tradat ad firmam, nec etiam fructus decimarum, ante separationem earundem, eis vendere præsumat. Si quis clericus, etiam in casu licito, beneficium suum alicui committere voluerit: statuimus, ut illud tali committat, qui velit & possit domos & ædificia ecclesiæ sustinere, & alia onera ipsius parochiæ episcopalia vel archidiaconalia supportare. Qui autem alterius beneficium sic acceperit, archidiacono loci præsentetur, & capitulo: & tanquam generalis procurator, quoad illud beneficium, pro tempore quo inter eos convenerit, ibidem instituatur omnino.

B

C

IX. *Ne inclusi, vel inclusæ, aliquo modo constituantur, sine licentia episcopi diœcesani.*

Ad hæc, districtius inhibemus, ne inclusi, vel inclusæ, constituantur alicubi, sine nostra licentia speciali, pensatis sociis, moribus, & qualitate personæ, & unde debeat sustentari. In domibus eorum, personæ sæculares nullatenus hospitentur, sine causa honesta, & manifesta.

D

X. *De sententia excommunicationis generali, quater in anno publicanda.*

Præcipimus, ut singulis annis, ter vel quater, in genere solemniter excommunicentur sortiarii, perjuri super sacrosancta, incendiarii, usurarii, fures atrociores, raptores, falsarii, malitiose impedientes executionem rationabilium testamentorum, & detentores decimarum: nec absolvantur, nec eis pœnitentia ab aliquo inferiori injungatur, nisi ab episcopo, vel ejus vices gerente, præterquam in mortis articulo: & tunc injungatur eisdem, quod si convaluerint, episcopum adeant, ab eo, vel autoritate sua, condignam pœnitentiam suscepturi.

E

CONCI-

ANNO CH. 1331 1332

** CONCILIUM MAGHFELDENSE.

Ex codice MS. edidit collector Anglicanus tomo II.

Constitutio venerabilis patris, domini Simonis Mepham, declarans omnia festa, quæ per annum a cunctis Christi fidelibus dedicari debent, & ab omni opere sæculari reverenter observari: edita apud Maghfeld XVI. Kalend. Augusti, anno Domini MCCCXXXII.

SImon, permissione Divina, Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, venerabili fratri nostro, Roberto, Dei gratia, Sarum episcopo, salutem, & fraternam in Domino caritatem. Ex scripturis sacris didicimus, vitia sæpe ingerere, & virtutes esse mentiri: dum videlicet sub figmento sanctitatis ad execranda proceditur, & sub specie cultus Divini, ad abominabilem Deo victimam properatur. Ab exordio nempe conditionis humanæ, die duntaxat septimo hebdomadæ, statuit omnium conditor ab operibus abstinendum: sed succedente tempore gratiæ, militans adjecit ecclesia dies plurimos ab omnibus catholicis feriandos. Et quilibet postmodum usus hominum, tolerante ecclesia, propter operandi necessitatem, nonnullos a feriandi ritu subtraxit: & quosdam in diversis catholicorum partibus festivis superaddit localiter ad observandos, qui quasi a primordiis, ob venerationem sanctorum, in festivandi consuetudinem introducti fuerunt. Inconstantia tamen humana, ut plerumque in deteriora labente, quod in electorum Dei receptum erat honorem, conversum est in blasphemiam & abominationem: dum videlicet conventiculæ negotiationis, & alia exercitia illicita, diebus hujusmodi potissime ingeruntur: quod vero ad devotionis parabatur compendium, in dissolutionis exigitur cumulum, dum in ipsis festivitatibus taberna potius quam ecclesia, comessationes & ebrietates uberius abundant, quam lacrymæ & orationes; lascivus insistitur & contumeliis, magis quam otio contemplationis: & quod prætermittendum non est, mercenarii sunt, quorum operibus res publicæ Regi non poterit sub colore licito sic ab operibus mechanicis; diebus etiam, quos festivos constituunt, a sanctorum vigiliis abstinent, licet non minus per hebdomadam capientes. Propterea, de salario, per quod reipublicæ graviter retardatur, quin potius impeditur, nec propter Dei honorem, sicut deceret, sabatizant; sed etiam, juxta præmissa, Dominum ipsum, & sanctam ecclesiam in diebus hujusmodi, abominationes suas pessimas scandalizant, tanquam solemnitates ipsæ ad profanationis, & perversitatis exercitium gratis fuerant institutæ: quæ quanto magis protenduntur in uno, tanto abundantius cultores abusionū hujusmodi in suis excessibus insolescūt.

Totum loc mendosum est.

Ut igitur tam superstitiosis adinventionibus, & etiā fraudulentis mercenariorum hujusmodi conjecturis occurratur, & eorum attenuetur occasio: memoriæ sanctorum feriandæ, juxta primam ecclesiæ institutionem, in debita habeantur veneratione, reservata facultate viris ecclesiasticis, aliisque majoribus, ac sibi ipsis sufficientibus, quorumcumque festorum, prout eis placuerint, ad Dei honorem, in suis ecclesiis, & capellis solemniter venerandi: de fratrum nostrorum consilio, dies festos præsentibus inserere duximus; quibus, videlicet ab universis popularium operibus, etiam reipublicæ utilibus, per nostram Cantuariensem provinciam, fuerit regulariter abstinendum.

Imprimis, sacrum diem Dominicum, ab hora diei

A Sabbati vespertina inchoando, non antea præveniendo, ne Iudaicæ professionis participes videantur. Quod etiam in festis, quæ suas habent vigilias, observetur. Item festa, Nativitatis Domini; sanctorum Stephani, Ioannis, Innocentium, Thomæ martyris; Circumcisionis, Epiphaniæ Domini, Purificationis beatæ Mariæ, S. Matthæi Apostoli, Annunciation. B Mariæ, Pascha cum tribus diebus sequentibus; S. Marci Evangelistæ, apostolorum Philippi & Iacobi; Invention. sanctæ Crucis, Ascensionis Domini, Pentecostes cum tribus diebus sequentibus, Ioannis Baptistæ; apostolorum Petri & Pauli, Translationis S. Thomæ; S. Mariæ Magdalenæ, S. Iacobi apostoli, Assumptionis beatæ Mariæ, S. Laurentii, S. Bartholomæi, Nativitatis S. Mariæ, Exaltat. sanctæ Crucis; Matthæi apostoli, S. Michaelis, S. Lucæ

B evangelistæ, apostolorum Simonis & Iudæ, Omnium Sanctorum, S. Andreæ apostoli, S. Nicolai, Conceptionis beatæ Mariæ, S. Thomæ apostoli; solemnes dedicationes ecclesiarum parochialium, & sanctorum, in quorum honore ecclesiæ parochiales dedicantur. Alia festa, quæ in singulis dictæ provinciæ diœcesibus, per locorum ordinarios, ex certa scientia, peculiariter indicuntur.

Vobis igitur mandamus, quatenus præmissa omnia & singula ad subditorum nostrorum notitiam deducentes, eos moneatis, & efficaciter inducatis, ut festa superius connumerata, prout suis acciderint temporibus, summo opere observentur, & debito venerentur honore, & ad parochiales eorum ecclesias re-

C verenter diebus ipsis accedant, Missarum & aliorum Divinorum officiorum complementum expectent, pro ipsorum, cæterorumque fidelium, vivorum & defunctorum, salute; & Deum devote, & sinceris mentibus oraturi, sic festorum ipsorum decurrendo solemnia, ut ipsi & alii catholici, pro quibus oraverint, sanctos, quorum festa celebraverint, intercessores mereantur habere assiduos apud Deum. Intimetis etiam subditis vestris hujusmodi, quod reliquis sanctorum festivitatibus, impune poterunt ad opera procedere consueta. Si vero aliqui operarii conductitii occurrerint, qui festis peculiaribus, non, ut præfertur, inductis, a consuetis operibus cessare præsumpserint, ut sic, secun-

D dum præmissa, eos defraudent, quorum ministerio se astrinxerint: ipsos a superstitionibus hujusmodi canonice compescatis, & faciatis per alios compesci per ecclesiasticas censuras; & quid feceritis in præmissis, nos, citra festivitatem beatæ Mariæ virginis, proximo nunc futuram, certificetis per vestras litteras patentes, harum seriem continentes.

Datum apud Maghfeld XVI. Kal. Augusti, anno Domini MCCCXXXII. & nostræ consecrationis anno XIII.

ANNO CHRISTI 1332.

Alia ejusdem statuta duo.

I. *Presbyteri stipendiarii non recipient oblationes, neque denarios pro requisitione triennali, sive legitima, & jurent rectoribus, vel vicariis, in quorum celebrant*

E *ecclesiis; debent etiam interesse cancellis, Missis, & horis canonicis, induti superpelliciis propriis.*

PResbyteri, necnon alii sacerdotes stipendiarii, propriis sumptibus, vel per annos sustentati, Divina celebrantes, in archiepiscopatu nostro non recipiant oblationes, portiones, denarios pro requisitis, tricennalia, vel aliquam partem certam quotam; præsertim oblationes pro corporibus mortuorum præsentibus, non obtenta licentia a rectoribus, vel vicariis ecclesiarum, in quibus celebraverunt, nullo modo; nec asportent, in præjudicium rectorum vel vicariorum ecclesiarum prædictarum, vel eorum

ANNO CHRISTI 1332.

vicem gerentium, ne sententiam majoris excommunicationis, in hac parte latam incurrant, immiscendo, ut prius, in Divinis. Prædicti vero presbyteri, die Dominica vel festiva, post admissionem suam, jurabunt coram rectoribus, vel vicariis, seu eorum vicem gerentibus, si nulli vicarii fuerint ibidem, alioquin coram ipsis vicariis parochianis, vel locorum, inter Missarum solemnia, aperte coram ipsis, sacrosanctis evangeliis inspectis & tactis: quod ecclesiis parochialibus, & capellis, in quibus Divina celebrantur, eorumque rectoribus, vel vicariis, seu eorum loca tenentibus, vel quorum interest, nullum omnino inferent præjudicium circa oblationes, portiones, obventiones, denarios pro requisitis, tricennalia, & jura, quocumque nomine censeantur: immo, quatenus de jure est, eosdem observabunt indemnes in præmissis, & singulis præmissorum.

Iurent etiam specialiter dicti sacerdotes, quod odia, scandala, rixas, aut contentiones, inter rectorem & parochianos, nullo modo sustineant, aut aliquo modo foveant; sed, quatenus in eis est, concordiam nutriant & servent inter eosdem. Et in dicto archiepiscopatu nostro, non celebrent Divina, sed eis interdicatur expresse, donec prædicta præstiterint juramenta, vel saltem non stet per ipsos, quo minus præstent. Et si celebrent in loco sic interdicto, irregularitatem incurrant præter alias pœnas, quas canones inducunt contra rium facientibus. Et si fuerint commoniti coram episcopo, vel archidiacono, seu officiali ejus, se infirmasse prædictum juramentum, vel si fuerint diffamati, & se purgare nequeunt: amovebuntur omnino, & tanquam perjuri, interdicatur eis prædicta celebratio, in dicto archiepiscopatu nostro, donec fuerit super hoc canonice dispensatum. Item, non audiant confessiones parochianorum, vel ecclesiasticarum capellarum, in quibus Divina ministraverint, nisi in casibus a jure permissis, nec oblationes hujusmodi ecclesiæ sibi appropriabunt: & si sic, crimen sacrilegii incurrant, nisi de licentia præsidentium petita & obtenta. Item, debent interesse cancello, matutinis, vesperis, & aliis Divinis officiis, debitis horis, induti superpelliciis, quæ sub propriis expensis providebunt; & non in navi ecclesiæ, cœmeteriis, nec in campis erunt. Sed si fuerint requisiti, etiam commoniti super his per præsidentes, non reddant se elatos, nec erigant verticem contra præsidentem, nec propter hoc excitabunt aliquos, qui foveant & protegant; & quod ad interessendum prædictis horis, & magnis Missis, debet eis injungi in virtute obedientiæ, quod sint præsentes, canentes, legentes, & psalmodizantes. Dicti vero presbyteri, dictis diebus Dominicis & festivis, vel si corpus adest præsens, suas Missas, post lectum evãgelium majoris Missæ, incipiant, ut compleant, & non prius, nisi de licentia rectoris vel vicarii specialiter obtenta. Item, presbyteri non detrahant rectoribus vel vicariis ecclesiarum, vel capellarum, ubi celebraverunt, sed humiliter præbebunt & facient debitam reverentiam. Item, non exercebunt tabernas, nec spectacula, nec cellas meretricum, nec ludos noxios prohibitos. Dicti vero rectores, vel vicarii, vel eorum loca tenentes, debent benigne recipere juramentum prædictum, & habebunt copiam in ecclesiis de prædictis.

II. *Vt decimæ fideliter dentur Deo & ecclesiæ, de omnibus bonis, quæ innovantur per annum, sicut inferius in specie declaratur.*

Sancta ecclesia constituit & ordinavit, quod prælati & ordinarii ecclesiarum, hæreticos, & in fide dubios, ut ad fidem ecclesiæ revocentur, & revocatos compellant in ea, qua vocati sunt, fide permanere. Intelleximus, quod nonnulli parochiani nostri, hæresi, errore, & diffidentia jam pervertant*, articulos fidei catholicæ relinquentes, & libertatibus ecclesiasticis obviantes, ecclesias, ausu temerario, suo jure penitus spoliando; decimas ecclesiæ suæ de jure debitas, & alia jura retinendo ecclesiastica. Et qui alios, cum poterit, ab errore non revocat, seipsum errare demõstrat. Cum igitur ecclesia & ecclesiarum rectores, tales filios non cogunt, ut reddant, illos ac seipsos perdunt. Nos igitur volentes & cupientes statuta nostrorum superiorum, ut tenemur, servare, & mandatis ecclesiæ obedire, obviando maleficiis; & medelam ecclesiasticam tribuere. Cum igitur, sacro eloquio jubente, de omnibus, quæ innovantur per annum, & nullo tempore excludi, fideliter decimæ sint, cum omnibus integritatibus, absque diminutione solvendæ: licet unicuique capellano parochiali, parochianos suos, per cẽsuram ecclesiasticam, ad solutionem decimarum compellere. Vnde, propter tales quotidianos defectus, & hominum malitias, omnibus & singulis mandamus, in virtute sanctæ obedientiæ, firmiter injungendo, quatenus diligenter moneatis, & efficaciter inducatis, ac quilibet vestrum induci faciat in parochia sua, quod dicti parochiani omnes & singuli per se integre, & sine diminutione, decimas inferius annotatas suis ecclesiis persolvant: scilicet, decimam lactis, a proximo tempore suæ monitionis, tam in mense Augusti, quam in aliis mensibus.

** f. pervertantur.*

Et dicit cõstit. dom. Roberti Vvinchelse, Cantuariẽsis archiepiscopi, capitulo, *Quoniam propter diversas*; in quadam particula, quæ sic incipit: De lacte autem volumus quod decima solvatur; videlicet de caseo, tẽpore suo, & de lacte, in autumno & hieme; nisi parochiani competentem pro talibus decimis voluerint facere redemptionem, & hoc ad commodum ecclesiæ &c. Etiam persolvant decimam vivariorum, piscariorum, fluviorum, stagnorum, pecorum, columbariorum, fructuum. & bestiarum, de proventibus boscorum, pannagii, silvarum, vvarenarum, aucupationum, hortorum, curtilagiorum, lanæ, lini, vini, & grani; turbariorum, in locis ubi fodiuntur & fabricantur; cuniculorum, cygnorum, pavonum, aucarum & anatum, ovorum, chevicium, ... giorum, apum, mellis, & ceræ, molendinorum, falconum, artificiorum, & negotiationum; necnon pullorum equinorum, agnorum, vitulorum, secundum verum valorem, & omnium provenientium rerum aliarum, de cætero satisfaciant competenter ecclesiis, quibus de jure tenentur: nullis expensis, ratione præstationis decimarum, deductis, decimis retinendis, seu deducendis, nisi tantum præstatione artificiorum, & negotiationum. Quod si monitionibus nostris parere contempserint, per sententias suspensionis, excommunicationis, & interdicti, ad præstationem dictarum decimarum compellatis.

Vide sup. ad ann. 1300.

VITA ET EPISTOLÆ BENEDICTI PAPÆ XI. VVLGO XII.

ANNO CHRISTI 1334.

Consule quæ supra sunt dicta in Benedicto X.

Benedictus XI. qui nomine pristino dictus erat Iacobus Tolosanus, ex ordinis Cisterciensis cardinale, die post obitum Ioannis decimosexto ad pontificatum evectus est, decimo tertio Kalendas Ianuarii, anno MCCCXXXIV regnãte Ludovico IV. imperatore. Initio sedis suæ, censuras contra eumdem Ludovicum Bavarum a prædecessore latas non tantum confirmavit, verum etiam imperialem dignitatem tanquam vacantem, & ad se velut ad Christi vicarium devolutam, eidem abstulit. Interim ne Italia exter-

externo hosti pateret, multos proceres Italiæ in urbibus quas possidebant, sedis apostolicæ vicarios creavit. Romanis per legatum persuasit, ut senatoriam dignitatem, quam diu regio nomine gesserant, suis tandem & ecclesiæ auspiciis administrarent. Sanctorum animas a peccatis suis sufficienter expiatas, ante diem judicii beatas esse, Deique clara visione frui definivit. Vnica ordinatione sex cardinales, viros virtutibus ornatissimos, creavit. Omnibus modis regem Franciæ cum Anglo conciliare studuit; sed frustra. In rebus honestis & justis constantissimus perstitit; bonos amore complexus, improborum voluntati & conatibus, quantum fieri potuit, repugnavit. Septem annis, tribus mensibus, & septemdecim diebus, pontificatu functus, obiit Avenione septimo Kalendas Maii, anno Domini 1342. Ejus mors gravem animi dolorem omnibus inflixit. Ejus tempore Petrarcha lauro coronatus est.

EPISTOLA I.

BENEDICTI PAPÆ XI.

Definit, animas sufficienter purgatas, clara Dei visione frui.

Benedictus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

BEnedictus Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui sacrosanctam Romanam, catholicam & apostolicam ecclesiam (quam ut vineam plantavit dextera sua, quamque ut præcipuam in ecclesiarum omnium caput erexit, & victricem, Matth. 16. dicente Domino ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.*) sua miseratione non deserit, sed per beatos apostolos suos, præcipue Petrum & Paulum, singulares ejusdem ecclesiæ defensores, pia benignitate & continua pietate custodit, quatenus eisdem rectoribus gubernata, in se stabilis maneat, fundata super firmam petram, omnesque Christianæ fidei cultores illi obediant, illi pareant, illi intendant, sub illius magisterio degant, sub ejus disciplina & correctione consistant.

Et paulo post: Sane dudum tempore felicis recordationis Ioannis vigesimi secundi prædecessoris nostri, inter nonnullos etiam theologicæ facultatis magistros, super visione animarum justorum hominum post mortem suam, in quibus nihil erat purgabile, cum de hoc sæculo decesserunt; vel si fuerat, jam purgatum fuerat ex toto; an Divinam essentiam videant ante corporum suorum resumptionem ac judicium generale, & super nonnullis aliis orta materia quæstionis: ipsorum aliqui negativam, aliqui affirmativam, alii vero secundum suas imaginationes, de visione Divinæ essentiæ ab animabus hujusmodi, diversa & diversimode ostendere nitebantur, prout ex dictis & scriptis eorum noscitur apparere: super rejectis suis vero concertationibus, quas hic causa brevitatis omittimus, quia ita ex nostris etiam determinationibus inter se decidebant. Cumque idem prædecessor noster, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad decisionem concertationum hujusmodi se pararet, in suo consistorio publico, tam fratribus suis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam prelatis & magistris in theologia, qui multi aderant præsentes, injungendo districtius & mandando, ut super materia de visione prædicta, quando requirerentur ab eo, deliberate unusquisque diceret quod sentiret: tamen morte præventus, sicut Domino placuit, perficere nequivit.

A Defuncto itaque prædecessore præfato, nos Divina dignatione ad apicem summi apostolatus assumpti, diligentius attendentes, quanta ex præmissis eorum concertationibus non solutis, animarum imminent pericula, quanta exinde possunt scandala suboriri, ut ipsorum varietas pereat, & veritatis soliditas innotescat, habita prius super prædictis solicita examinatione & diligenti deliberatione cum fratribus nostris dictæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, de ipsorum fratrum consilio, hac in perpetuum valitura constitutione, autoritate apostolica definimus: quod secundum communem Dei ordinationem, animæ sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante Domini nostri B Iesu Christi passionem decesserunt, necnon sanctorum apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, ut aliorum fidelium defunctorum, post sacramentum baptismi ab eis susceptum, in quibus nihil purgabile fuit quando decesserunt, nec erit quando decedent etiam in futurum, vel si tunc erit aliquid purgabile in eisdem, tamen post mortem suam purgabunt, atque animæ puerorum eodem Christi baptismate renatorum, & baptizandorum, cum fuerint baptizati, ante usum liberi arbitrii decedentium, mox post mortem suam & purgationem præfatam in illis qui purgatione hujusmodi indigebant, etiam ante resumptionem suorum corporum & judicium generale, post ascensio- C nem Domini nostri Iesu Christi in cælum, fuerunt, sunt, & erunt in cælo, cælorum regno, & paradiso cælesti, cum Christo, sanctorum angelorum consortio aggregatæ, ac post Christi Iesu passionem & mortem viderunt & vident & videbunt Divinam essentiam immediate, se bene & clare & aperte illis ostendentem; quodque sic videntes, eadem Divina essentia perfruuntur: necnon quod tali visione & fruitione, eorum animæ qui jam decesserant, sunt vere beatæ, & habent vitam æternam & requiem.

*** II. Constitutio de moderandis procurationibus visitantium.

Extat tomo II. collectionis Anglicanæ: sed ex MS. nostro emendatiorem damus.

D *Benedictus episcopus, servus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

VAs electionis Paulus apostolus, egregius prædicator, se & eos qui secum erant, propriis manibus exhibebat, ut pseudo . . . . . & subdolis operariis, sub prædicationis specie lucra sectantibus, locum præcluderet; & aliis, quos ipse pascebat pabulo verbi Dei, non existeret onerosus. Sane licet circa modestiam in exigendis procurationibus observandam, a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus salubria manaverint instituta: quia tamen, sicut experientia docet, nonnulli prælatorum sic se reddiderunt & reddunt in dictarum procurationum exa- E ctionibus onerosos, ut oppressi subditi, hujusmodi nequeant onera supportare, & victum longi temporis brevis hora consumat: nos attendentes, quod parentes debent thesaurizare filiis, non fastuosis deliciis eorum substantiam absorbere; ac cupientes pro diversitate conditionum visitantium prælatorum, & provinciarum, ac ecclesiasticarum etiam facultatum, certum modum sufficientem visitantibus, & supportabilem visitatis, in præmissis fore de cætero observandum: de fratrum nostrorum consilio, præsentis constitutionis edicto, statuimus, quod cum in Franciæ, Navarræ, ac Majoricarum regnis ac terris, provinciis, & partibus adjacentibus, & vicinis eisdem, necnon in Delphinatu, ac Burgundiæ, Sabaudiæ, provin-

provinciæ, & Forcalcarii comitatibus, archiepiscopi & episcopi, aliique prælati & personæ ecclesiasticæ, quibus id de jure competit vel consuetudine, suos subditos personaliter visitabunt, iidem archiepiscopi a suis vel suffraganeorum suorum cathedralibus ecclesiis, procuratione unius diei, sive in victualibus, sive a volentibus in pecunia, ultra CCC. a monasteriis vero, ac aliis ecclesiis vel prioratibus sæcularibus vel regularibus, habentibus collegium vel conventum XII. vel plurium personarum, ultra CCL. ab habentibus vero pauciorum personarum collegium vel conventum, & quibusvis aliis ecclesiis & prioratibus, & locis ultra CC. episcopi etiā ab ecclesiis cathedralib⁹ ultra CC. a monasteriis vero, & ecclesiis aliis, prioratibus sæcularibus vel regularibus, habentibus collegium XII. vel plurium personarum, ultra CLX. ab habentibus vero collegium duodecim pauciorum, & quibuslibet aliis ecclesiis, prioratibus, & locis, ultra CXL. abbates quoque à monasteriis, vel prioratibus, habentibus collegium XII, vel plurium personarum, ultra centum; ab aliis vero habentibus minus collegium, ac ecclesiis, prioratibus, & locis quibuscumque, ultra LXXX. archidiaconi quoque ultra XXXV. archipresbyteri vero ultra VIII. Turonensiū argenti valorem recipere non præsumant. Si vero præfati archiepiscopi, episcopi, & prælati, ac personæ ecclesiasticæ, ex privilegio apostolico per alios visitare, & procurationes recipere valeant in pecunia numerata: iidem archiepiscopi a suis & aliis ecclesiis cathedralibus, ac prioratibus sæcularibus & regularibus habentibus collegium duodecim vel plurium personarum, ultra CXX. a monasteriis vero, & ecclesiis aliis, ac prioratibus sæcularibus & regularibus habentibus collegium XII. vel plurium personarum ultra C. ab habentibus vero minus collegium, & quibuslibet aliis ecclesiis, prioratibus, & locis, ultra LXXX. episcopi etiam ab eisdem ecclesiis, monasteriis, prioratibus, atque locis, ultra LXXX. abbates ultra LX. archidiaconi ultra XXX. Turonensium argenti valorem non recipiant quovis modo.

In Alemanniæ quoque, Angliæ, Vngariæ, Boemiæ, Poloniæ, Norvvegiæ, Daciæ, Scotiæ & Sueciæ regnis ac terris, provinciis & partibus eisdem adjacentibus, archiepiscopi, episcopi, aliique prælati, & personæ ecclesiasticæ, cum ut præmittitur personaliter visitabunt: iidem archiepiscopi, etiamsi primates existant, a suis vel suffraganeorum suorum ecclesiis cathedralibus, & personis eorum, pro procuratione unius diei, sive in victualibus, sive a volentibus in pecunia, ultra CCCXX. a monasteriis vero, & ecclesiis aliis, & prioratibus sæcularibus vel regularibus, habentibus collegium XII. vel plurium personarum, ultra CCLX. ab aliis vero monasteriis, ecclesiis, seu prioratibus, minus collegium habentibus, aliisque ecclesiis, prioratibus, & locis, ultra CCXX. Episcopi etiam a cathedralibus ecclesiis, ultra CCXX. a monasteriis vero aliisque ecclesiis, & prioratibus sæcularibus vel regularibus, habentibus collegium XII. vel plurium personarum, ultra CLXXX. ab habentibus vero minus collegium, & quibuslibet ecclesiis aliis, prioratibus, & locis, ultra CL. abbates insuper a monasteriis, prioratibus, seu ecclesiis habentibus collegium XII. vel plurium personarum, ultra C. ab habentibus vero minus collegium, ac ecclesiis, prioratibus & locis aliis quibuslibet, ultra LXXX. archidiaconi vero ultra XL. archipresbyteri etiam ultra X. Turonensiū argenti valorem recipere non præsumant. Si vero iidem archiepiscopi, episcopi, & prælati, ac personæ ecclesiasticæ, ex privilegio apostolico, per alios visitare, & procurationes recipere valeant in pecunia numerata: dicti archiepisco-

A pi, etiamsi primates existant, ab hujusmodi ecclesiis, prioratibus, monasteriis, atque locis, ultra C. episcopi ultra LXXX. abbates ultra LX. archidiaconi ultra XXX. Turonensium argenti valorem, pro procuratione qualibet unius diei, recipere non præsumant.

In Castellæ quoque, Legionis, Arragoniæ, & Portugaliæ regnis & dominiis, terris & provinciis regum Castellæ, Arragoniæ, & Portugaliæ, ac partibus adjacentibus, & vicinis eisdem, excepto Sardiniæ & Corsicæ regno, archiepiscopi, episcopi, & prælati, ac personæ ecclesiasticæ, cum, ut præmittitur, personaliter visitabunt: iidem archiepiscopi, a suis & suffraganeorum suorum ecclesiis cathedralibus, pro procuratione unius diei, sive in victualibus, sive a volentibus in pecunia, ultra CL. a monasteriis vero & ecclesiis aliis, ac prioratibus, sæcularibus vel regulari- B bus, habentibus collegium XII. vel plurium personarum, ultra CXX. ab habentibus vero minus collegium, aliisque ecclesiis, prioratibus, & locis, ultra C. episcopi etiam a cathedralibus ultra C. a monasteriis vero ac prioratibus, sæcularibus vel regularibus habentibus collegium XII. vel plurium personarum, ultra LXXX. ab habentibus vero minus collegium, aliisque ecclesiis, prioratibus, & locis, ultra LX. abbates etiam a monasteriis vel prioratibus habentibus collegiū XII. vel pluriū personarū, ultra L. ab habentibus vero minus collegiū, & quibuslibet aliis ecclesiis, prioratibus, & locis, ultra LX. Archidiaconi vero ultra XXV. Archipresbyteri autē ultra V. Turonensiū argenti valorem recipere non præsumant. Si vero proximo nominati archiepiscopi, episcopi, & prælati, ac aliæ personæ ecclesiasticæ, ex privilegio apostolico, C alios visitare, & procurationes recipere possint in pecunia numerata: iidem archiepiscopi, ab eisdem, suis vel suffraganeorū suorum eccl. ultra LXXX. a monasteriis vero, & ecclesiis aliis, ac prioratibus sæcularibus vel regularibus, habentibus collegiū XII. vel pluriū personarum, ultra LX. ab habentibus vero minus collegiū, ac quibuslibet aliis ecclesiis, prioratibus, sive locis, ultra L. episcopi etiam ab eisdem ecclesiis, monasteriis, prioratibus, sive locis, ultra XL. abbates vero ab eisdem monasteriis, prioratibus, ecclesiis, sive locis, ultra XXX. archidiaconi vero, ultra XX Turonensium argenti valorem recipere non attentent.

In Appuliæ vero, Calabriæ, Terrælaboris, Siciliæ, Longobardiæ, Tusciæ, Sardiniæ, Corsicæ, ac cæte- D ris aliis Italiæ partibus, necnon Sclavoniæ, Archajæ, Cypri, ac cæteris regnis, insulis, & aliis provinciis, & partibus omnibus ultramontanis, etiam transmarinis: patriarchæ, archiepiscopi, & episcopi, ac prælati, aliæque personæ ecclesiasticæ consistentes, cum, ut præmittitur, personaliter visitabunt, iidem patriarchæ & archiepiscopi, a suis vel suffraganeorum suorum ecclesiis cathedralibus, pro procuratione unius diei, sive in victualibus, sive a volentibus in pecunia numerata, ultra LX. a monasteriis vero, & ecclesiis aliis, ac prioratibus sæcularibus vel regular. habentibus collegiū XII. vel plurium personarū. ultra L. ab habentibus vero minus collegium, & quibuslibet aliis ecclesiis, prioratibus atq; locis, ultra XL. Episcopi etiam a cathedralibus ecclesiis, ultra L. a monasteriis E vero, aliisque ecclesiis ac prioratibus, sæcularibus vel regularibus, habentibus collegium duodecim vel plurium personarum, ultra XL. ab habentibus vero minus collegium, & ecclesiis aliis, seu prioratibus vel locis quibuslibet, ultra XXX. abbates vero a suis monasteriis, vel prioratibus, simile collegium vel majus habentibus, ultra XX. ab habentibus vero minus collegium, & quibuslibet aliis ecclesiis, prioratibus, atque locis, ultra XVI. archidiaconi ultra X. Turonensium argenti valorem non audeant recipere quovis

quovis modo. Si vero præfati patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, & prælati, & personæ ecclesiasticæ, proxime nominati, ex privilegio apostolico, per alios visitare, & procurationes recipere valeant in pecunia numerata: dicti patriarchæ, seu archiepiscopi, ab eisdem suis & suffraganeorum suorum ecclesiis cathedralibus, ultra XL. a monasteriis quoque, & ecclesiis aliis, ac prioratibus sæcularibus vel regularibus, habentibus collegium XII. vel plurium personarum, ultra XXX. ab habentibus vero minus collegium, & aliis ecclesiis, prioratibus, sive locis & subditis quibuscumque, ultra XXVIII. episcopi quoque a suis cathedralibus, & quibuslibet monasteriis, & ecclesiis, prioratibus, atque locis, ultra XX. abbates etiam ultra X. necnon archidiaconi ultra V. Turonensium argenti valorem recipere non præsumant.

Istæque expensæ seu sumptus universi, seu taxatio pecuniaria unius procurationis, totius videlicet diei, in pecunia, vel victualibus, & necessariis aliis, prædictam summam vel valorem aliquatenus non excedant: nec ultra dictas summas, vel taxationes, seu valores earum, prætextu cujusvis consuetudinis, vel aliter, ipsis prælatis vel familiis eorumdem, quidquam exigere liceat vel recipere, etiã a volente. Illud quoque, quod archidiaconis superius duximus ordinandum, locum habere volumus in decanis, præpositis, aliisque personis ecclesiasticis superius non expressis, quibus visitationis officium & procurationis receptio, ex privilegio apostolicæ sedis, vel de jure, seu de consuetudine, competere dignoscitur: decanis ruralibus dumtaxat exceptis, qui in aliquibus regionibus archipresbyteri nominantur; circa quos, in receptione hujusmodi procurationis, id quod statutum est de aliis archipresbyteris, volumus observari.

Nostræ tamen intentionis existit, quod si ex conventione, vel consuetudine, ecclesiæ tam cathedrales, quam collegiatæ, & aliæ quælibet sæculares vel regulares, ac etiam monasteria, prioratus conventuales, & loca alia quævis ecclesiastica, eorũq; capitula, collegia, seu conventus, rectores etiam, & personæ, prælatis quibusvis visitantibus, ut præfertur, minus debeãt vel consueverint solvere, quam per nos superius est statutum, ad solvendum ultra conventionem hujusmodi nullatenus astringantur; sed super his circa eos conventio & consuetudo hujusmodi observentur. Hujusmodi etiã moderationes & taxationes, ad prælatos quoslibet, qui prætextu cujusvis consuetudinis, in monasteriis, vel locis aliis ecclesiasticis, gratis recipiuntur ad pabulum caritatis, extendimus, & etiam prorogamus: proviso nihilo minus, quod in locis quibuslibet, secundum quod major vel minor eorum copia fuerit in eisdem, necnon juxta majorem vel minorem personarum & evectionum numerum hujusmodi visitantium, expensarum majorum vel minorum debita moderatio teneatur: ita tamen, quod majores expensæ non excedant summam superius limitatam.

Insuper prædictis omnibus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, & aliis superius nominatis, visitantibus, ne ultra conventionem vel consuetudinem hujusmodi, circa personas & loca ubi fuerint, nec ultra moderationes & taxationes prædictas, quicquam præsumant recipere, districtius inhibemus. Volentes etiam constitutionem præsentem, pœnæ adjectione, juvari: statuimus, quod si dicti visitantes, per se, vel, si ex privilegio eis competat, per alios visitationis officium exercuerint, & procurationes receperint, ut præfertur, ipsi vel familiares eorum, ultra moderationes & taxationes prædictas, aliquid scienter exegerint seu receperint, etiam a volentibus, duplum ejus, quod iidem prælati, vel eis scientibus aut ratum habentibus eorum familia, taliter exegerint seu rece- A perint, infra duos menses post receptionem seu scientiam hujusmodi, ecclesiis, monasteriis, & locis aliis, a quibus illa receperint, restituere teneantur. Si vero dictis prælatis per alios visitantibus, ii qui pro eis visitationis officium exercebunt, per se vel alios, ultra moderationes vel taxationes prædictas, quicquam exegerint seu receperint, etiam a volẽte: duplum ejus, quod ultra receperint, ecclesiis, monasteriis, vel locis aliis, a quibus id receptum fuerit, infra præfatum terminum reddere teneantur. Alioquin extunc dicti prælati, quod ultra moderationes & taxationes prædictas, seu conventionem vel consuetudinem hujusmodi, receperint in pecunia numerata: duplum ipsum eisdem ecclesiis, monasteriis, sive locis, ultra dictum tempus reddere differentes, ingressum ecclesiæ sibi noverint interdictum. B Ii vero pro prædictis prælatis visitationem hujusmodi, ut præmittitur, exercentes, ab officio & beneficio noverint se suspensos: quousque gravatis ecclesiis, & monasteriis, sive locis, de hujusmodi duplo plenariam satisfactionem impendant.

Adjicientes constitutioni præsenti, quod si quis de familia prælati personaliter visitantis, aliquid ultra moderationes & taxationes præfatas, per se vel alios, prælato ignorante, nec ratum habente, receperit ab ecclesiis, monasteriis, & locis aliis visitatis: duplum ejus quod ultra receperit, de suo proprio, infra duos menses post receptionem hujusmodi, ecclesiis, monasteriis, & locis aliis, a quibus illa receperit, reddere C teneatur. Alioquin extunc taliter recipiens, si clericus fuerit, tamdiu ob officio & beneficio sit eo ipso suspensus. Si vero laicus, tamdiu ingressum ecclesiæ sibi noverit interdictum, & a cõmunione eucharistiæ ipso facto sentiat se suspensum: donec de duplo, hujusmodi gravatis ecclesiis, monasteriis, sive locis, satisfecerit cum effectu; nulla eisdem, ultra moderationes & taxationes prædictas recipientibus, in his donantiũ remissione, liberalitate, seu gratia, valitura.

Cæterum moderationes & taxationes hujusmodi, in illis locis volumus observari, in quibus id fieri poterit secundum ecclesiæ, monasterii, vel loci alicujus facultates. In aliis autem, tantam præcipimus modestiam adhiberi: quod per hoc, quæ ad exonerationem locorum ecclesiasticorum statuenda providimus, non valeant se gravari: nec per hoc dicti prælati, exigendi amplius quam ipsi subditi pati possunt, indultam sibi existiment potestatem.

D Præmissis quoque adjiciendo statutum, quod si dicti prælati, vel aliquis eorumdẽ, ex apostolica indulgẽtia, vel consuetudine, seu de jure, petant sibi ab ecclesiis, monasteriis, sive locis aliis ecclesiasticis, eorumq; capitulis, collegiis, vel cõventibus, rectoribus, seu personis, moderatum seu caritativum subsidium exhiberi: non possint a singulis ecclesiis, monasteriis, sive locis, pro subsidio hujusmodi, ultra petere vel recipere, etiã a volentibus, nisi quantum ascenderent singulæ procurationes in pecunia per nos superius moderatæ, quas iidem prælati reciperent, quando ex E privilegio per alium visitarent.

Porro Turonenses prædictos, tales fore intelligimus, quod duodecim ipsorum valeant unum Florenum boni & puri auri legalis, ponderis & conii Floretini.

Per constitutionem autem hujusmodi, nolumus, quod dicti prælati, vel alii, quibus visitationis officium, & procurationum receptio, ex privilegio sedis apostolicæ, vel aliter de consuetudine, vel de jure, competere minime dinoscuntur, jus visitandi, vel procurationes percipiendi, sibi valeant vendicare: nec per constitutionem eandem, aliis constitutionibus, super præmissis, per prædecessores nostros dudum editis, quoad alia contenta, in eis aliquatenus derogetur.

Insuper

Insuper abbates Cisterciensis ordinis, sua monasteria visitantes, sub præsenti constitutione nostra nolumus comprehendi: eum super eis, per aliam ordinationem nostram, duxerimus specialiter providendum.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, intentionis, inhibitionis, adjectionis, & præcepti, ac voluntatis infringere, vel etiam ausu temerario contravenire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit: indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Avinioni xv. Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri, anno secundo.

III. Constitutiones super reformatione canonicorum regularium ordinis S. Augustini Avinione editæ, Id. Maii anno Domini M.CCC. XXXIX.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD decorem ecclesiæ sponsę Dei, & sanctarum religionum fundatarum in ea: quæ licet diversis distinctæ sunt gradibus, in unius tamen veræ fidei propositum coeuntes, eandem ecclesiam venustant variis floribus meritorum. Pro injunctæ nobis apostolicæ servitutis officio, summis vigiliis & indefessis studiis intendentes ad ea, quæ, pro Divini nominis laude, personarum religionum* ipsarum mentium puritatem, honestatem morum, regularis observantiæ disciplinam, & sacrarum peritiam scripturarum respiciunt: labores nostros libenter impendimus, & opportunæ solicitudinis diligentiam adhibemus. Ideoque inter religiones alias in agro ejusdem plantatas ecclesiæ, ad religionem canonicorum regularium, ordinis S. Augustini, ab eodem glorioso doctore in primitiva ecclesia sacris institutionibus stabilitam, gerentes præcipuæ caritatis affectum; ac nolentes, quæ in eadem religione reformanda cognovimus, absque reformationis remedio præterire: omnia quæ in religione prædicta, tam in prima institutione ipsius, quam a sacris canonibus sunt salubriter instituta, omnino immota, in sua firmitate manere censentes, nonnulla quæ experientia deesse probavit, & supplenda dictæ religionis utilitas....... necessitas persuadet, statuenda providimus in ea, perpetuis futuris temporibus observanda.

De creatione canonicorum.

I. Statuimus igitur, ut quando in ecclesia cathedrali, monasterio, seu loco alio religionis ejusdem, canonicorum creatio fuerit facienda, nullus recipiatur vel induatur in canonicum, nisi persona idonea, vel de cujus idoneitate spes verisimilis habeatur, & talis, qui inibi in Divinis, vel aliis, Deo possit & velit debite impendere obsequia opportuna: & quod hujusmodi creatio & habitus traditio fiant publice infra ecclesiam, monasterium, seu locum alium conventualem religionis ejusdem, nisi causa rationabilis eas alibi fieri suaderet: nullisque promissionibus seu obligationibus cum juramento, vel sine, cuiquam faciendis: quod si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur: quodque hujusmodi creatio seu habitus traditio, non nisi personæ seu personis religionis ejusdem, quæ tunc etiam in ecclesia, monasterio, seu loco prædictis fieri debeant, aliquatenus committatur. Ii vero qui creati fuerint in canonicos, infra probationis tempus, in loco, in quo saltem septem canonici resideant, necesse habeant residere: eisque idoneus & fidelis deputetur instructor, qui eos instruere valeat in Divinis officiis, & observantia regulari. Cæterum, si canonicorum A creatio fuerit facienda, eaque pertineat ad prælatum: una cum capitulo, vel conventu, fieri debeat eorundem. Si capitulum, seu conventus, vel eorum major pars, pure ad eam procedere, vel creationi faciendæ sine causa rationabili renuerint consentire: prælatus, ex quo sibi evidenter expediens vel necessarium apparebit, hujusmodi canonicorum creationem fieri debere, vel prælatum, vel capitulum, seu conventum, aut illum seu illos, ad quem seu quos pertinuerit, concorditer deliberatum & definitum fuerit fore creationem hujusmodi faciendam: tunc prælatus moneat capitulum seu conventum, & in virtute obedientiæ eis injungat, ut pure, ac secundum Dominum, infra unius mensis spatium, ad dictam creationem cum eo in primo casu procedant, vel in secundo, creationi faciēdæ suum B præstent consensum. Quod si prælati, capitulum, seu conventus, monitioni vel injunctioni hujusmodi parere neglexerint, vel recusaverint: creatio ipsa, ea vice libere pertineat ad prælatum, dummodo per eum nil in præmissis factum fuerit fraudulenter. In casu autem devolutionis hujusmodi, prælatus faciendi eandem creationem, cum consilio seniorum eorundem capituli, vel conventus; de personis idoneis liberam habeat facultatem: ita tamen, quod tunc per dictum prælatum, tot & non plures creentur, quot, attentis facultatibus, ac statu antiquo & debito locorum, rationabiliter creandi, seu creati fuissent, si prælatus & capitulum, seu conventus, in creatione hujusmodi concorditer convenissent. Rursus eorum arbitrium, qui ad privata C suorum commoda recurvantes affectum, creationi faciendæ canonicorum hujusmodi nolunt aliter cōsentire, nisi concedatur eisdem, quod unus vel plures, quos maluerint seu nominaverint, in canonicos creentur, penitus detestantes: hoc deinceps omnino fieri prohibemus. Decernentes, concessiones hujusmodi si quæ eis factæ fuerint, fore nullas: quodque nulli ex receptione seu creatione ex ea vel ob eam secuta, jus aliquid in loco, in quo, seu ad quem factæ fuerint, aliquatenus acquiratur. Insuper præmissis adjicimus, quod capitulum, vel conventus religionis ejusdem, in novitate sui prælati nequeant eidem prælato, vel alteri occasione ipsius, facere gratiam, super receptionem vel creationem canonicorum plurium, quam duorum: nec ad hujusmodi pro duobus gratiam facien- D dam, nisi de libera eorum voluntate processerit, intendimus obligare.

De professione canonicorum.

II. Præsenti quoque statuimus sanctione, quod singuli canonici religionis ejusdem, professionem expressam faciant, non clandestine, sed patenter: &, si commode fieri poterit, in ecclesia, & cum Missa. Quod si forte prælatus ad quem spectabit, professionem ipsam recipere, tempore probationis elapso, per canonicum profiteri volentem, congruo loco & tempore humiliter requisitus, professionem eandem recipere sine rationabili causa renuerit, vel ultra debitum forte distulerit: dictus canonicus extunc in sua ecclesia, vel monasterio, ac membris ipsius, ad omnia E idoneus censeatur, *si foret expresse professus* teneatur, cum ad hoc opportunitas se obtulerit, expresse nihilo minus profiteri: alioquin, extunc ad præmissa, donec expresse professus fuerit, minus idoneus habeatur: ac nihilo minus possit per proprium prælatum ad profitendum expresse compelli. Prælatus quoque, qui professionem ab eo recipere renuerit, aut distulerit, ut præfertur, ad ipsius professionem admittendam expresse, per suum immediatum superiorem religionis ejusdem, seu eum ad quem pertinuerit, compellatur.

*f. ac si f. e pr.
*f. sed teneatur.

De prohibitis præbendis.

III. Prohibemus insuper, ne in ecclesia cathedrali, seu monasterio, vel loco alio religionis ejusdem, quivis clericus sæcularis, vel laicus, recipiatur ad præbendam seu etiam portionem, nisi eidem ecclesiæ, seu mona-

monasterio, vel loco, dederit primitus se & sua: nec hujusmodi præbenda seu portio, ad vitam, vel ad tempus vendatur, detur, seu alias concedatur eidem. Quicquid autem contra prohibitionem hujusmodi attentatum fuerit, omnino decernimus irritum & inane: ac nihilo minus recipientes, vendentes, dantes, & concedentes hujusmodi, ultra pœnas a jure statutas, superiorum suorum arbitrio puniantur. Per præmissa vero non intendimus circa officia vel ministeria, aut alia obsequia opportuna, inibi consueta per sæculares clericos vel laicos exerceri, aliquid immutari.

De priore claustrali.

IV. Ut autem dicta religio salubriter in omnibus dirigatur, in ecclesia, seu monasterio, locove alio collegiato, seu conventuali religionis ejusdem, superiorem dictæ religionis non habente; ac etiam in quolibet collegiato, seu conventuali loco, XII. vel majorem numerum canonicorum habente, etiamsi superiorem in ipsa religione habeat; necnon in loco alio etiam minorem duodenario numerum habente, in quo prior claustralis esse consueverit: constituatur hujusmodi prior claustralis. Dicti quoque prioris constitutio fiat per illum, seu illos, ad quem, vel ad quos pertinuerit, cum consilio aliquorum seniorum illius loci, in quo constituetur: attentius providendo, quod persona quæ zelum religionis ordinatum habeat, quæve existat idonea ad exercendum prioris claustralis officium, in loco, in quo constituta fuerit, assumatur. Dictus vero prior, cum eum abesse, vel sic impediri contigerit, quod incumbens sibi officium per se nequeat exercere, teneatur aliquem ex canonicis dicti loci, ad hoc idoneum, deputare; qui, hujusmodi absentia vel impedimento durante, vices ipsius gerat, nisi alicui ex privilegio, seu statuto, vel consuetudine, ratione dignitatis, personatus, vel alterius beneficii, præmissis casibus gerere vices hujusmodi competere nosceretur; vel nisi dicti prioris superior aliquem ad hoc pro ipso priore duxerit deputandum. In loco autem, in quo, secundum præmissa, prior claustralis fuerit statuendus, præsidens tali loco, cum ipsum impediri, vel abesse contigerit, ut de priore claustrali præmittitur, teneatur aliquem in loco sui, quoad officium prioris claustralis pertinet, ad eaque deputare. Per hoc autem, quod volumus constitutionem dicti prioris, de consilio seniorum fieri: non intendimus, circa amotionem ipsius, de pristina observantia, aliquid immutare.

De capitulis quotidianis.

V. Pro regulari disciplina attentius observanda, in ecclesia cathedrali, seu monasterio, loco* vel alio conventuali religionis ejusdem, diebus singulis; in aliis vero locis, in quibus quatuor, aut plures canonici fuerint deputati, saltem semel in septimana, ac etiam sæpius in eisdem, si in ipsis sæpius, ac in quibusvis locis aliis non conventualibus, toties & quando in eis fieri consuetum, regulare capitulum teneatur: in quo, antequam ad tractanda alia procedatur, canonicorum excessus, transgressiones, & negligentiæ corrigantur, ac de disciplina & reformatione regulari tractetur salubriter & agatur: nullo ibidem proterve aut clamose, seu irreverenter se habere, quomodolibet præsumente.

* Corr. locove

De capitulis annalibus.

VI. In singulis quoque ecclesiis cathedralibus, monasteriis, atque locis collegiatis seu conventualibus religionis præfatæ principalibus, non ab aliis dependentibus, etiamsi in eis alias non fuerit consuetum, & in singulis aliis locis religionis ejusdem, habentibus membra sibi subjecta, si inibi solitum est capitulum celebrari, annis singulis capitulum celebretur, die videlicet ad hoc statuto, vel per ipsum capitulum annis singulis statuendo: in loco scilicet principali, & non alibi, nisi evidens necessitas suaderet hujusmodi capitulum alibi celebrandum. Prælatus autem loci principalis, in loco in quo celebrabitur ipsum capitulum, eidem capitulo studeat omnino personaliter interesse; cui etiam præesse debebit. Quod si eum tunc ab eodem capitulo abesse contigerit, teneatur alicui idoneo, loci & religionis ejusdem, committere vices suas, qui intersit, & præsit capitulo memorato, nisi ex privilegio, statuto, vel consuetudine, alteri hoc competere nosceretur.

Ad hujusmodi autem capitulum * affectus, præpositi, priores, & administratores eidem loco principali immediate subjecti; necnon, ubi fuerit consuetum, etiam canonici administrationem non habentes, extra ecclesias, monasteria, & loca prædicta morantes; personaliter convenire, impedimento cessante legitimo; aut impedimento hujusmodi subsistente, abbates, præpositi, priores, & administratores præfati, procuratorem idoneum sufficienter instructum, cum mandato legitimo, causam, seu causas impedimenti hujusmodi, & expresse potestatem jurandi in animas ipsorum constituentium causas hujusmodi fore veras, & reddendi rationem infrascriptam, & alia faciendi, quæ facere possent, si essent præsentes, potestatem continente, ad ipsum capitulum dirigere teneantur. Is vero, qui tunc præerit dicto capitulo, cum quatuor senioribus, per ipsum capitulum aut majorem partem ipsius eligendis, an causæ hujusmodi sufficientes fuerint arbitrati, vel eis non venientibus, aut nullum talem procuratorem mittentibus, vel causas minus sufficientes prætendentibus, de pœna condigna ob hoc talibus infligenda, habeat æstimare, quam ipse solus præsidens, infligendi, & alias contra ipsos absentes, si opus fuerit, autoritate apostolica, prout justitia & regularia instituta suaserint, procedēdi habeat facultatē.

Convenientes autem ad dictum capitulum, vitam ducant communem, & faciant proportionaliter simul omnes expensas: nisi forte ex consuetudine, vel statuto, aut alia ordinatione rationabili, incumbat alii, seu aliis, onus expensarum hujusmodi faciendi: Quos tamen, si ex hoc, quod singulis annis fieri volumus capitulum memoratum, vel ex aliis supra vel infra statutis, ampliores expensas fieri contigerit, nolumus in expensis plus solito onerari: sed tunc, hujusmodi ampliores expensæ fiant per omnes simul proportionaliter, ut præfertur. Quod si forsan aliquis ex locis prædictis, in quibus, ut præfertur, debet dictum capitulum celebrari, membra habeat adeo sibi remota, quod administratores principales dictorum membrorum nequeant, annis singulis, ad ipsum capitulum, absque notabili dispendio, convenire: tunc dictum capitulum teneatur ordinare, quando dicti administratores ad capitulum hujusmodi debeant convenire.

In hujusmodi autem capitulo, tractetur præcipue de reformatione morum, & observantia regulari: ac corrigantur, & reformētur in eo, quæ super spiritualibus, & temporalibus religionis ejusdem, corrigenda fuerint, & etiam reformanda. Ipsoque capitulo perdurante, abbates, priores, præpositi, & archidiaconi, cæterique administrationem in religione prædicta habentes, quovis nomine censeantur, de suis administrationibus eidem capitulo teneantur offerre, & in scriptis tradere rationem, declarādo videlicet, si administrationes ipsæ aliquibus, & quantis, & ex quibus causis, quibusve personis, & quibuslibet obligationibus, & an sub usuris sint debitis obligatæ; & an ipsa debita possint de rebus extantibus mobilibus persolvi, aliaque onera sibi suis administrationibus incumbentia supportari, sine debitorum augmento: & generaliter, an administrationes ipsæ in casu desolationis, & qua re, vel in statu prosperitatis existant. Hujusmodi autem rationum scripturæ, continentes administrationum ipsarum tam onera, quam augmenta, in loco princi-

principali, cujus tenetur capitulum, sub fida custodia fideliter conserventur, eorum, a quibus reddita fuerit, propriis subscriptionibus communitæ.

Volumus autem, quod in casu, ubi abbatibus, prioribus, præpositis, archidiaconis, & aliis administrationem habentibus, minime videtur expediens, sed periculosum esset, revelare in dicto capitulo commoda seu augmenta, quæ de administratione hujusmodi superessent: quatuor eligendis de dicto capitulo, duobus per ipsum abbatem, seu priorem, vel præpositum, seu archidiaconum, vel quemvis alium administrationem habentem, & duobus aliis per capitulum, vel majorem partem ipsius (qui quatuor, hujusmodi officium in virtute obedientiæ recipere teneantur) revelare prædicta quæ supersunt, in quibuscumque rebus consistant, fideliter teneantur: eisdem quatuor sic electis juramentum in præsentia dicti capituli præstituris, quod non revelabunt prædicta, nisi cedentibus vel decedentibus iis, qui reddiderint rationem, vel alia causa rationabili exigente; & tunc etiam, de licentia superioris sui, vel illius qui dictam reddidit rationem.

De capitulis provincialibus.

VII. Constitutionem insuper concilii generalis, de communi capitulo abbatum, atque priorum abbates proprios non habentium, in singulis regnis sive provinciis faciendo, volentes exacta diligentia observari: statuimus, quod in religione prædicta, in singulis provinciis per nos designatis inferius & distinctis, fiat in loco, qui ad hoc fuerit deputatus, de quadriennio in quadriennium, salvo jure diœcesani, commune seu provinciale capitulum abbatum, præpositorum, priorum, cæterorumque prælatorum abbates seu alios prælatos superiores ejusdem religionis non habentium; necnon præpositorum, priorum, vel aliorum majorum in ecclesiis cathedralibus post antistites existentium, ac post ipsos antistites regularem curam canonicorum habentium, quocumque nomine nuncupentur; sive prænominati, exempti, sive non exempti existant: ad quod universi conveniant impedimentum canonicum non habentes, dictam constitutionem juxta præfatum provinciale concilium, & alia in ea, tam provide, quam salubriter instituta, & in religione præfata, irrefragabiliter observantes. Qui vero ad præfatum capitulum personaliter venire nequiverint, legitime impediti, ad allegandam causam impedimenti hujusmodi, etiam probandam, necnon ad recipiendum ordinationes, seu statuta, atque mandata in dicto capitulo facienda, ac si idem taliter impeditus, personaliter præsens esset, canonicum suum ecclesiæ ejusdem, monasterii, sive loci, si commode fieri possit, alioquin aliam personam idoneam, cum sufficienti mandato, causam impedimenti hujusmodi continente, & etiam potestatem in animam constituentis eundem jurandi, causam hujusmodi esse veram, ad dictum capitulum mittere teneatur. Personæ vero, quæ præfuerint hujusmodi provincialibus capitulis celebrandis, quarum potestatem de uno provinciali ad aliud provinciale capitulum volumus perdurare, arbitrentur, & discernant, an excusationum causæ dictorum non venientium ad capitulum, veræ & sufficientes, vel insufficientes existant: a quarum arbitrio, seu decreto, super hoc nulli appellare liceat, vel etiam reclamare.

Non venientes autem ad dictum capitulum, legitimo impedimento cessante, aut cum subest impedimentum, procuratorem ad illud, cum sufficienti mandato, ut præmittitur, non mittentes: teneantur expensas, quas fuerant in veniendo ad dictum capitulum, morando, & redeundo facturi, juxta præsidentium dicto capitulo, seu majoris partis eorum, arbitrium æstimandas, in termino per ipsos

A præsidentes statuendo, de bonis suæ administrationis persolvere, in utilitatem ipsius provincialis capituli convertendas: super quibus, nulli in totum, vel in partem, gratia fieri valeat, vel remissio indulgeri possit. Etiam prædicti * eorundem, ad earum solutionem, per censuram ecclesiasticam, autoritate apostolica, coercere, suosque processus & sententias publicare, seu facere publicari, in locis dictæ religionis, provinciæ tamen ejusdem. Et nihilo minus alias contra non venientes præfatos, maxime si, ut correctionem evitent, sive ut nesciatur status ecclesiæ, vel monasterii eorundem, vel alias malitiose, se subtrahant, prout dictis præsidentibus seu majori parti ipsorum visum fuerit, procedatur.

B Circa præsidentes vero ac visitatores in eisdem capitulis deputandos, & alia quæcumque in eis exequenda, illa serventur, quæ in eiusdem generalis concilii, & felicis recordationis Honorii papæ III. prædecessoris nostri, constitutionibus expressius continentur, prout statui & religioni congruit eorundem: servatis tamen statutis, ordinationibus, & adjectionibus nostris, supra & etiam infra scriptis.

Ad hæc, decrevimus, abbates, priores, & maiores præfatos, capitula, conventus, cunctosque canonicos ecclesiarum, ac monasteriorum eiusdem religionis, etiamsi in ipsis ecclesiis, vel monasteriis, sive extra ea, ubicumque prioratus, officia, vel administrationes habuerint, seu moram traxerint, tam exemptos
C quam non exemptos, dictorum capitulorum provincialium districtionibus, correctionibus, & ordinationibus subjici, & ipsis astringi, eosque ad observationem illarum fore per præsidentes, seu alios ad quos pertinuerit, compellendos. Decernimus etiam, quoscumque dictarum ecclesiarum, & monasteriorum, vel aliorum locorum religionis eiusdem canonicos, beneficia obtinentes, ad contribuendum, in expensis moderatis & rationabilibus, per capitulum annuale religionis eiusdem immediate præcedens taxandis, secundum eorum exigentiam facultatum, quas dicti convenientes facient, ad ipsa capitula eundo, morando, & redeundo (imposita tamen dictis convenien-
D tibus secundum suarum exigentiam facultatum de dictis expensis congrua portione) fore per eosdem convenientes, autoritate apostolica, per remedia opportuna, sublato appellationis obstaculo, compellendos. Ordinariis locorum, exemptis & non exemptis, districtius iniungentes, quod nullum prædictis impedimentum apponant, vel apponi permittant: sed legitime requisiti, ea faciant executioni mandari, & inviolabiliter observari. Quod si forte tempore, quo imminebit provinciale capitulum celebrandum, contigerit ecclesias cathedrales religionis eiusdem, carere maioribus prælatis, vel monasteria seu loca religionis eiusdem, suis vacare seu carere pastori-
E bus; qui, si adessent, astricti forent ad conveniendum in provinciali capitulo memorato: capitula ecclesiarum, seu conventus monasteriorum, aliorumque locorum conventualium prædictorum, teneantur personam sufficientem de gremio eorumdem, si commode fieri possit, alioquin aliunde, transmittere ad huiusmodi capitulum celebrandum, ad faciendum & adimplendum omnia, juxta arbitrium præsidentium, quæ facere possent & tenerentur prælati, seu majores præfati, si venirent ad dictum capitulum, & in eo personaliter interessent.

Quod autem præmittitur de provinciali capitulo, de quadriennio in quadriennium celebrando, ad cujuslibet hæsitationis scrupulum amputandum, ad sanum referri volumus intellectum: ut scilicet cum uno anno provinciale capitulum fuerit celebratum, duobus futuris annis proximis ab illo valeat abstineri,

eo

eo in alio anno immediate sequenti omnimode celebrando. Hujusmodi vero commune seu provinciale capitulum, apud unum de monasteriis religionis ejusdem ad hoc aptum, si in eadem existat provincia, debeat celebrari: alioquin, celebretur in loco alio congruo & securo, de quo, ac die primi capituli hujusmodi celebrandi, & aliis ad hoc facientibus, opportune providebunt illi, qui super hoc per sedem apostolicam deputati fuerint prima vice. Et ut super eodem capitulo, & per illud extunc in posterum rationabilis ordinatio habeatur: in dicto capitulo primitus celebrando, & in aliis etiam per successiones temporum similiter celebrandis, præsidentes eisdem, seu pars major eorum, provideant & ordinare procurent, per quem, in sequenti capitulo, sermo fieri, Missaque debeat celebrari. Eligant quoque tam locum, in quo alia vice proxima hujusmodi capitulum fuerit celebrandum, quam eos, qui præsidentes esse debeant in eodem.

Provideatur etiam, qui abbates, quive præpositi, seu alii ex eis qui ad ipsum capitulum venire tenentur, quæ, & quot, & quoties, ecclesias cathedrales, monasteria, & loca alia religionis ejusdem, debeant, usque ad aliud proximum sequens provinciale capitulum, visitare. Cæterum prohibemus, ne venientes ad provincialia seu annalia capitula, secum ducant, vel duci faciant, seu permittant evectiones, seu familiares numero superfluos, seu quomodolibet excessivos, aut tales, de quibus præsumi valeat, quod alicui ad ipsa capitula venienti, aut in eis moranti, vel de illis redeunti, aut ecclesiis, monasteriis, prioratibus, vel aliis eorum, inferant, per se, vel alios, in personis vel rebus, injuriam, offensam, vel qui in aliquo de dictis capitulis, aut in ecclesia, vel monasterio, seu loco, quibus illa contigerit celebrari, scandalum suscitare, vel turbationem facere, seu discordiam vel contentionem movere, verisimiliter præsumatur: sed numero evectionum, & familiarium, statui cujuslibet eorum congruo, sint contenti. Si quis autem eorum scienter, & ex proposito, duxerit vel tenuerit aliquem, vel aliquos, ad inferendum injuriam vel offensam hujusmodi, ut turbetur, vel impediatur imminens capitulum, vel aliquem seu aliquos ad hoc convocaverit, & ob hoc turbatio vel impedimentum, secuta fuerit vel secutum; necnon quicumque alius de personis religionis ejusdem consentiens in præmissis extiterit, præstando auxilium, vel favorem, scienter & ex proposito, ut præmissum est, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto. Eandem quoque excommunicationis sententiam, quicumque religionis præfatæ per se vel alium impedierit malitiose, scienter & ex proposito, quo minus dicta capitula, provinciale videlicet & annale, & eorum quodlibet valeat celebrari; aut propterea, præsumpserit euntes ad illa, vel aliquos eorundem, vel in eis morantes, seu de ipsis redeuntes, capere, seu capi facere, seu captos detinere, aut impedire, vel eis, aut eorum familiaribus, in personis vel rebus inferre damna, injurias, vel offensas; necnon, quicumque ipsius religionis, qui, ad hoc ne fiat, aut impediatur visitatio, malitiose & ex proposito, prædicta, vel eorum aliquid, per se vel alium commiserit in præmissis*, abbatum, priorum, vel aliorum proprios subiectos visitantium, vel in personas visitatorum, qui in provincialibus capitulis, aut per abbates, seu prælatos alios fuerint deputati, vel familiarium eorumdem, aut in bonis eorum; dum tamen propter hoc visitatio huiusmodi fuerit impedita: ipso facto excommunicationis sententiam incurrant. Præsidentes autem provincialibus & annualibus capitulis prælibatis, & eorum quilibet, postquam simpliciter & de plano eis constiterit, aliquem ex prædictis, præfatam

* f. in personas

A excommunicationis sententiam incurrisse: ipsum excommunicatum, per omnia eiusdem religionis loca vicina, de quibus eis videbitur, tamdiu solemniter publicent & faciant ab aliis, autoritate apostolica; publicari, eos ad hoc, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo: donec excommunicatus huiusmodi condignam super hoc satisfactionem impenderit, & absolutionis beneficium meruerit obtinere. Possint autem ab huiusmodi excommunicationis sententia, congrua satisfactione præmissa, absolvi per præsidentes dictis provincialibus capitulis, & quemlibet eorumdem, quorum

B offensa conservet* eorum provinciale capitulum, aut per visitatores deputatos ab eo. Illi vero, quorum offensa respiciet annale capitulum, per prælatos, qui huiusmodi annali, seu annalibus capitulis præfuerint, aut per ipsos prælatos visitantes, seu per visitatores deputatos, ab eis, congrua satisfactione præmissa, absolvi valeant: nisi forsan offensa adeo gravis existeret, quod super ea sedes apostolica foret merito consulenda.

* f. concernat

Vt autem professores religionis ejusdem quietius & liberius valeant Domino famulari: districte præcipimus, tam diœcesanis, quam personis, qui provincialibus capitulis præsidebunt, ut advocatos, patronos, magnates, rectores, vicedominos, consules, milites, & quoscumque alios, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescant: ne cathedrales ecclesias, monasteria, & loca alia religionis eiusdem præsumant offendere, in personis, aut rebus eorum; eosque, si forte eisdem offensas intulerint, ad satisfaciendum eis compellere non omittant.

C

Vt autem de provinciis, in quibus dicta capitula provincialia fuerint celebranda, distincta limitatio habeatur, nec de ipsis in posterum hæsitetur: quamlibet provinciam, quoad huiusmodi provincialia tenenda & celebranda capitula, prout sequitur, limitamus. Imprimis, urbs Romana cum episcopatibus nobis immediate subiectis, in nostra speciali provincia constitutis, cum toto regno Siciliæ, pro una provincia computentur: provinciæ Thebarum, Cretensis, Atheniensis, Patracensis, Corinthia, & Neopactensis, cum toto patriarchatu Constantinopolitano, pro una; regnum Cypri, pro una; regnum Corsicæ, & Sardiniæ, pro una; provinciæ Pisanensis, Ianuensis, Mediolanensis, & Ravennas, cum episcopatibus Placent. Ferrar. & Arimin. pro una; Aquilegensis, ac Gradensis, cum provinciis Iadrensi, Spalatensi, & Ragus. & Antibar. pro una: Strigoniensis, Colossensis, & Guenienfis, cum episcopatu Canuensi, pro una: Rigonens. pro una: Salzeburgensis, Magdeburgensis, & Bremensis, pro una; Coloniensis, Moguntiensis, & Trevirensis, cum episcopatu Lambargensi, pro una; Ebredunensis, Viennensis, & Aquensis, & . . . . pro una; Lugdunensis, Tarantasiensis, & Bisiniciense*, pro una; Remensis, & Senonensis, pro una; Rotomagensis, & Turonensis, pro una; Burdegalensis, & Bituricensis, cum episcopatu Aniciensi, pro una; Narbonensis, Tolosan. & Auxitan pro una; Tarraconensis, & Cæsaraugustanensis, cum episcopatu Maioricarum, pro una; Toletana, Hispalensis, Compostellan ac Bracarensis, pro una; Cantuariensis & Eboracensis, pro una; tota Hibernia, pro una; totum regnum Scotiæ, pro una; regna Daciæ, Norvegiæ, & Svveciæ, pro una provincia computentur. Si qui vero episcopatus, vel monasteria, aut loca alia, dictæ religionis existant, quæ in aliqua dictarum provinciarum minime includantur: quoad dicta capitula provincialia, intelliguntur esse de illa provincia, cui viciniora existere dignoscuntur.

D

* Corr. Bisuntinensis

E

VIII. Visitatores siquidē, qui, secūdum constitutionē dicti

De visitatoribus.

dicti generalis concilii, fuerint in provincialibus capitulis deputati, sint soliciti circa hujusmodi visitationis officium exequendum; & quantum statui & religioni eorum convenit, observare studeant, quod in dictis constitutionibus præfatorum concilii, & Honorii, super * statuta. Quod si omiserint illa exequi diligenter, a præsidentibus provincialibus capitulis, cum eis hujusmodi negligentia nota fuerit, graviter arguãtur; & per eos, prout qualitas culpæ ipsorum exegerit, puniantur. Ut autem dictorum visitatorum officium cum sinceritate procedat, districtius inhibemus, ne quis visitatoris sibi deputati, eodem anno, valeat * visitator. Dicti autem visitatores, & familiares eorum, in ecclesia cathedrali, seu monasterio, vel alio loco ipsius religionis, ad quæ visitationis causa duxerint declarandum*, ultra duos dies nequaquam remaneant, nisi evidens necessitas foret, vel magna utilitas ecclesiæ, vel monasterii, sive loci hujusmodi, ampliorem moram visitatorum, vel familiarium exigeret eorundem: quo casu possint ulterius remanere, ita tamen, quod id faciant de consilio seniorum dictæ ecclesiæ, seu monasterii, sive loci. Dicti quoque visitatores, vel familiares eorum, ecclesiæ, monasterio, sive loco, cui officium visitationis impendunt, onerosi nequaquam existant, nec sumptuosas epulas quærant: sed, cum gratiarum actione recipiant, quod honeste & competenter eis fuerit ministratum.

*f. super his statutũ est,

* Deest for. esse

* Corr. declinandum

Caveant insuper, ne quisquam ipsorum, aut familiares eorum, per se, vel per interpositam personam, aliquam pecuniam, hujusmodi, vel alia occasione quacumque, nisi pro expensis dumtaxat, & tunc, secundum infrascriptum modum, exigant, aut etiam a nolente recipiant: neque aliquid munus, quodcumque sit, vel qualitercumque offeratur, præsumant recipere a quocumque; ut non quæ sua sunt videantur quærere, sed quæ Christi: quod si fuerit contra præsumptum, duplum ejus, quod receperint, ecclesiæ, monasterio, sive loco, a qua, vel quo id receptum fuerit, infra mensem reddere teneantur. Alioquin, duplum ipsum eis ultra dictum tempus restituere differentes, tamdiu sint ab officio beneficioque suspensi, quousq; gravatis ecclesiis, monasteriis, sive locis, de hujusmodi duplo, plenariam satisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium liberalitate, remissione, vel gratia valitura. Et nihilo minus iidem visitatores, si opus fuerit, per præsidentes dictis capitulis provincialibus, & eorum quemlibet, ad restitutionem præfati dupli, autoritate apostolica, per censuram ecclesiasticam, & alia opportuna remedia compellantur.

Cõcedimus tamen, ut præsidẽtes dictis capitulis, vel pars major eorum, ordinare possint, prout, & quando eis visum fuerit expedire, quod dicti visitatores expẽsas recipiant in pecunia, & eo casu, quo hoc duxerint ordinandum, dictas expensas, omni odio & favore remotis, moderari habeant, & taxare. Proviso tamen, quod in summa constitutione, quam super moderatione procurationum edidimus, quæ incipit, *Vas electionis*, nullatenus excedatur. Isti etiam præsidentes discrete provideant, ut cum inter loca visitata & visitanda magna fuerit distantia, quantum quilibet eorundem locorum, visitatus scilicet & etiam visitandus, solvere habeant visitatori, pro suis sumptibus moderatis. Si tamen monasteria visitanda in facultatibus sint collapsa, tunc de expensis, quas dicti visitatores facturi erunt, occasione visitationis locorum hujusmodi collapsorum, provideatur eisdem, de communi contributione, in provinciali capitulo facienda. Ut autem via scandalis præcludatur, inhibemus visitatoribus memoratis, ne illos, seu eorum nomina, qui eis aliqua secreta in visitationibus revelaverint, præsumant aliis revelare, sed tunc demum, dicti visitatores procedant

Vide supra proxime.

A super dictis revelatis, sic, & prout secundum canonica decreta instituta fuerit procedendum. Quod si dicti visitatores contra inhibitionem hujusmodi revelantes*, seu eorum nomina detexerint, prout facti qualitas exiget, per præsidentes, vel eorum quemlibet puniantur.

*Corr. revelaverint,

IX. Cum in provinciali & annuali capitulis, & aliis negotiis, expensæ necessariæ requirentur: ut onus divisum in partes levius supportetur, statuimus, quod in eisdem capitulis, cujusquam contradictione vel absentia non obstante, pro communibus libertatibus defendendis, necnon necessitatibus, utilitatibus, & aliis plerumque occurrentibus necessariarum oneribus expensarum, autoritate apostolica, imponantur collectæ, subventiones, seu contributiones; videlicet in capitulo provinciali pro tangentibus ipsum capitulum, secundum arbitrium ipsius provincialis capituli, vel
B majoris partis ejusdem. In annali vero capitulo, pro tangentibus ipsum annale capitulum, vel locum principalem, ubi debet ipsum capitulum celebrari, secundum arbitrium prælati, præsidentis ipsi annali capitulo, & diffinitorum, ubi diffinitores fuerint; & ubi non fuerint, secundum arbitrium ipsius capituli, seu majoris partis ejusdem. Volumus tamen, quod libertates, necessitates, seu utilitates, & alia, pro quibus hujusmodi collectæ, subventiones, seu contributiones fuerint imponendæ, in eisdem capitulis provincialibus & annalibus, clare & explicite exponantur: & aliter, quam ut permittitur, imponi non possint. Et si secus actum fuerit, impositio & processus, ac sententiæ, occasione hujusmodi impositionis, facti & latæ, omni careant roboris firmitate: ac nihilo minus restituatur eis-
C dem, quicquid, occasione hujusmodi, ab ipsis exactum fuerit & receptum. De dictis autem subventionibus, & contributionibus, seu collectis, possit membris necessitatem patientibus subveniri: prout expositis prius dictis necessitatibus annali capitulo prædictis, quorum arbitrio subventiones, contributiones, seu collectæ hujusmodi imponi habuerint, in ipso annali capitulo fuerint arbitrati: proviso tamen, quod administratores dictorum membrorum necessitatem patientium, expendere habeant, pro dictis necessitatibus, quantum membra ipsa poterunt sustinere.

De subventionibus.

Ut autem in conservatione collectarum, subventionum, seu contributionum hujusmodi, adhibeatur cautela diligens, & etiam opportuna: præcipimus, ut
D illæ, quæ impositæ fuerint in capitulo provinciali, per tres bonos & fideles de illis, qui ad ipsum capitulum pervenire tenentur, in aliqua ecclesia, monasterio, seu alio loco convenienti & securo; quæ vero impositæ fuerint in annali, per tres fideles canonicos loci, in quo imponentur (quorum unum ponat ille qui præfuerit ipsi capitulo annali; alium vero, priores & administratores; & tertium, capitulum ecclesiæ, seu conventus monasterii, seu loci hujusmodi * annale capitulum fieri debet) in una area ferata, tribus diversificatis seris & clavibus fideliter custodiantur, & in usus dumtaxat, pro quibus impositæ fuerint, convertantur. Pro iis autem collectis, & subventionibus, seu contributionibus fideliter conservandis, &, ut præmittitur,
E expendendis, dicti tres, qui ad hoc fuerint in provinciali capitulo deputati, præstent in præsidentium ipsius capituli; & alii præfati tres canonici, in prælati, præsidentis, & capituli, seu conventus loci principalis, cujus annale capitulum celebratur, præsentia, corporaliter juramentum: nec imponi valeat alia contributio, quamdiu aliquid de prima contributione, quod sufficiat, contigerit superesse.

* Deest fort. ubi

Habeant autem dicti præsidentes, & eorum quilibet, quoad hujusmodi provincialia capitula; similiter quoque prælati, seu alii qui præerunt dictis annalibus

libus capitulis, quoad ipsa capitula annalia, autoritate apostolica supradicta, exigendi, colligendi, & levandi collectas, subventiones, & contributiones prædictas & contradictores & rebelles quoslibet, eadem autoritate per censuram ecclesiasticam, vel alia juris & ipsius religionis remedia, remoto cujuslibet appellationis remedio, compellendi, & publicandi, & exequendi libere processus suos, ac sententias super præmissis habitos, & prolatas, in ecclesiis cathedralibus, monasteriis, aliisve locis religionis ejusdem, quando & quoties visum fuerit expedire, necnon & absolvendi, congrua tamen satisfactione præmissa a dictis sententiis, & relaxandi ac tollendi omnes processus & sententias eorundem, & cum eis, qui dictis legati sententiis, per simplicitatem, & juris ignorantiam, non tamen in contemptum clavium, celebrando Divina, vel se ingerendo eisdem, irregularitatem incurrerunt, super* B enim irregularitate hujusmodi, dispensandi liberam potestatem.

De studentibus in ecclesiis, & monasteriis.

X. Quoniam, per exercitium lectionis, studentes litterarum scientiis imbuuntur: nos cupientes, ut viri religionis ejusdem, in primitivis, & deinde in Divinis, & canonici juris scientiis instruantur: statuimus, quod in qualibet ecclesia cathedrali, monasterio, locove alio conventuali seu collegiato dictæ religionis, cui ad hoc suppetent facultates, habeatur magister, qui canonicos doceat, infra septa locorum, in scientiis primitivis; videlicet in grammatica, logica, & philosophia: proviso attentius, ut sæculares instruendi, cum ipsis canonicis docendis, in eisdem monasteriis, sive locis, nullatenus admittantur. In ecclesiis tamen cathedralibus C religionis ejusdem, jura super hoc edita observentur. Provideatur autem quotidie præfato magistro, si alius quam canonicus ejusdem loci fuerit, sufficienter in pane & vino, & pitancia, per illos, qui talia tenentur in eadem ecclesia, monasterio, sive loco, canonicis ministrare. Eidem quoque magistro, pro vestimentis, ac calciamentis, ac salario suis, congrua pensio assignetur annua, summam viginti librarum Turonensium parvorũ nequaquam excedens. Quæ infrascripta communi contributione solvatur, donec pro ea certi perpetui redditus fuerint assignati.

Si vero in locis prædictis fuerit canonicus ad hujusmodi instructionem idoneus, ipse per superiorem suũ, D ad quem hoc pertinuerit, deputetur instructor, & ad hoc, si necesse fuerit, compellatur. Cui siquidem instructori canonico, ultra victum & vestitum, pro libris emendis, & aliis necessitatibus suis, juxta dispositionem superioris sui, decem libræ parvorum Turonensium assignentur. Prælati vero, seu alii ad quos spectaverit, canonicos instruendos dociles, tam de capite, quam de membris, cum consilio seniorum eligere, & de ipsorum certo numero, ac de locis & temporibus, quibus lectionibus, quibusve Divinis officiis, seu obsequiis aliis opportunis intendant, ordinare pure & provide teneantur. Si tamen dicti canonici instruendi, teneri & instrui commode in loco principali nequiverint, & propter hoc fuerit hactenus consuetum, ipsos instruendos in aliquo de membris illius E loci teneri, atque instrui: non intendimus circa hoc, dummodo ibidem vigeat observantia regularis, aliquid immutare. Possint autem præfatus magister, seu instructor, etiam instruendi, cum consilio seniorum, prout expediens visum fuerit eis ad quos pertinuerit, removeri, & per eos, loco eorum qui remoti fuerint, alii subrogari.

Præcipimus insuper cunctis visitatoribus, in provincialibus capitulis deputatis, quod ea, quæ sunt de magistro, seu instructore, & personis instruendis, & aliis, circa hæc superius ordinata, faciant autoritate apostolica, per censuram ecclesiasticam, & alia opportuna remedia, appellatione remota, firmiter observari. Et nihilo minus ea, quæ super prædictis fecerint & invenerint, præsidentibus capitulo provinciali referant: qui etiam, autoritate Apostolica, si eis vel majori parti ipsorum visum fuerit, contra negligentes vel rebelles in præmissis procedant, sicut viderint expedire.

De mittendis ad studia.

XI. Quia vero expedire dinoscitur, ut iidem canonici, postquam in scientiis primitivis fuerint eruditi, ad sacræ Theologiæ vel canonum transeant facultates: statuimus, ut ecclesia cathedralis, monasteriũ, prioratus, locusve alius religionis ejusdem, cum membris suis inferius declarandis, de quolibet vicenario numero canonicorum, unum canonicum aptum pro hujusmodi scientiis acquirendis, ad generalia seu solemnia studia mittere, & cuilibet mittendornm ipsorum teneantur, de infrascripta annua pensione, providere. Hujusmodi autem vicenarium numerum sic volumus computari: ut, videlicet illi duntaxat canonici numerum ipsum efficiant in hoc casu, qui fuerint in ecclesia, monasterio, vel loco alio ei subjecto habente octo vel plures canonicos, præter priorem seu administratorem loci subjecti, & ipsorum ᵃ canonicis ipsius ecclesiæ seu monasterii, & loci alterius principalis, in computatione, ac missione hujusmodi conjungantur. Quod si forsan, ultra dictum numerum vicenarium, aliqui superessent, qui tamen vicenarium alium non complerent: non propter hoc arctentur aliquid mittere ad studia prælibata. Ubi autem hujusmodi ecclesia, monasterium, sive locus, admittendi plures ad prædicta studia, quam præmittitur, astringeretur, de consuetudine, vel ordinatione alia, seu statuto: non intendimus consuetudini, ordinationi, seu statuto hujusmodi, per præmissa aliquatenus derogare. Si vero in hujusmodi ecclesia, monasterio, vel loco alio principali, vicenarius canonicorum numerus exiſtat ᵇ: numerus tamen major senario ibidem sit: teneantur visitatores per provinciale capitulum deputati, cum in ea, vel eo, visitationis officium exercebunt, inquirere de facultatibus, & oneribus hujusmodi ecclesiæ, monasterii, sive loci: & si hujusmodi oneribus supportatis ᶜ invenerint facultates sufficere, pro uno, vel pluribus canonicis ad dicta studia destinandis, relationem de hoc faciant in provinciali concilio subsequenti, in quo præsidentes, cum consilio & assensu minoris partis capituli, ordinent autoritate apostolica, juxta hujusmodi suppetentiam facultatum, de uno, vel pluribus canonicis ad eadem studia destinandis. Eligantur autem ipsi canonici mittendi, prout ad scientias Theologiæ, vel juris canonici, seu magis ad unam quam alteram, aptiores poterunt inveniri: sic tamen, quod si tot apti recipiantur pro ipsius Theologiæ studio, ad minus medietas mittendorum pro ipso Theologiæ studio destinetur, & qui electus fuerit ad unam de iis scientiis, ad aliã proprio arbitrio nequeat se transferre: quod si fecerit, de studio revocetur.

Ut autem ad electionem canonicorum, ad prædicta studia mittendorum, sincere & cum celeritate congrua procedatur, capitulum ecclesiæ cathedralis religionis prædictæ, septem; abbas vero, prior, & quivis alius prælatus monasterii, seu prioratus, & loci conventualis religionis ejusdem, habentis vicenarium, aut majorem numerum canonicorum, quinque; habentis vero numerum minorem, tres canonicos seniores (qui dictam electionem facere habeant, infra quinque dies, post festum beatæ Mariæ Magdalenæ, quod primitus a publicatione hujusmodi nostræ constitutionis, in eorum capitulis annalibus facta, occurrerit, & deinde, singulis annis, in perpetuum, quoties electio de canonicis, ut præmittitur, mittendis extiterit facienda) infra idem tempus eligere teneantur. Seniores autem

ᵃ *leg.* & ipsorum canonici, *videlicet locorum subjectorum*, canonicis ipsius eccl. &c.

ᵇ *f.* non exiſtat

ᶜ *f.* supportandis

autem ipsi, antequam ad hujusmodi electionem procedant, juramentum præstent (ad quod præstandum per superiores suos, si opus fuerit, eos volumus coarctari) quod timore, amore, odio, precio, seu favore rejectis, illos ex canonicis in scientiis primitivis, & regularibus observantiis informatis, ac vita & moribus commendandis, eligant ad studia supradicta, quos magis dociles & aptiores esse crediderint,* alterutram ex theologiæ & juris canonici scientiis, ad quas fuerint destinandi. Cum vero dicti seniores præstiterint hujusmodi juramentum, teneantur tres dies cum consilio instructorum*, si canonicus extiterit, juramento simili adstringendi, eligere coram ecclesiæ cathedralis capitulo, vel abbate, seu priore, vel alio prælato, mittendos *præfatis eligere. Electione autem hujusmodi facta, per seniores eosdem, vel majorem partem numeri eorundem, cum consilio, ut præmittitur, institutoris: is, ad quem pertinuerit, licentiam eundi ad studia supradicta, infra sex dies post habitam de dicta electione notitiam, eis concedere sit adstrictus. Iidem electi mittendi ad Parisiense studium, illuc in Exaltationis sanctæ Crucis; alii vero ad alia studia destinandi, illuc in S. Lucæ festis, vel citra, adesse procurent. Quod si forsan dictum capitulum, infra prædictos quinque dies, præfatos septem seniores non elegerit; aut si ipsis septem ab eodem capitulo, vel dictis quinque, seu tribus senioribus, à præfato abbate, seu priore, vel alio prælato, ut præfertur, electis, iidem seniores, vel eorum major pars, in casu quolibet prædictorum, infra dictos tres dies, hujusmodi canonicos mittendos non duxerint eligendos: ex tunc in ecclesia cathedrali, ad illum qui præest in regularibus disciplinis, post antistitem; in monasterio vero seu prioratu, locove alio, ad abbatem, seu priorem, vel alium prælatum quemcunque, eo ipso hujusmodi electio devolvatur. Ille vero, ad quem ipsa electio fuerit devoluta, electionem dictorum mittendorum, infra triduum post notitiam devolutionis hujusmodi, cum consilio quatuor canonicorum discretorum suæ ecclesiæ, seu monasterii, aut prioratus, vel loci hujusmodi, quos ad hoc elegerit, & simili astrinxerit juramento, facere teneatur. Qui vero in præmissis repertus fuerit deliquisse, prout delicti qualitas exegerit, puniatur: nihilominus, iis, quæ circa hæc negligenter omissa, vel dolose commissa fuerint, supplendis quantocius, & etiam reformandis.

* Corr. ad alterutram

* Corr. instructoris

* Corr. præfatis, mitt. cl.

De pensionibus studentium.

XII. Quoniam insistentes litterarum studiis, diuersa subire oportet onera expensarum, prædictis canonicis, qui mittentur ad studia generalia, magistris & bacallariis legentibus, ac scholaribus studentibus, in subsequentibus quantitatibus, pro expensis hujusmodi, fore decrevimus pensiones, annis singulis ministrandas: videlicet in theologia * sexaginta, bacallario quadraginta, ac scholari similiter quadraginta; in jure vero canonico, doctori quadraginta, bacallario ac scholari vero, cuilibet eorum, videlicet triginta quinque libras Turonensium parvorum, vel eorum valorem in alia moneta, tam pro victualibus, vestimentis, ac calciamentis, quam pro libris & quibuscunque necessitatibus aliis eorundem. Si vero in aliqua ecclesia, monasterio, sive loco, est taxatum sive ordinatum, quid, & quantum assignari debeat canonico, in studio existenti: illud detur & assignetur loco pensionis prædictæ, etiamsi eandem excedat, ei qui, ut præmissum est, ad studium transmittetur. Ubi vero huiusmodi taxatio, vel ordinatio non est facta: volumus, quod ii qui tenentur canonicis residentibus in suis ecclesiis, monasteriis, sive locis, de victualibus & vestiariis providere, provisionem integraliter facere teneantur iis, qui mittentur ad huiusmodi studia, etiã si taxationem dictarum pensionum excedat, loco pensionum huiusmodi, integraliter facere teneantur. Quod si huiusmodi taxatio, ordinatio, sive provisio, ad summam dictarum non ascenderet pensionum: de infrascripta communi contributione, id quod ei defuerit, suppleatur. Et si forte taxatio, ordinatio, sive provisio præfatæ, non in pecunia, sed in aliis rebus, ipsis canonicis consueverint assignari: ne super exterminatione earum possit altercatio suboriri, in primo annali capitulo ecclesiæ, monasterii, sive loci eorum, qui mittentur ad studia, tres probi viri per ipsum capitulum, vel maiorem partem ipsius deputentur, qui in pecunia valorem provisionis eiusdem computando, ea quæ computanda fuerant, de bono & æquo, & compensando unum annum cum alio, debeant æstimare. Quæ quidem pensiones, provisiones, seu alia, quæ loco earum fuerint assignanda per eos, qui ad eorum solutionem tenebuntur, festo Assumptionis beatæ Mariæ, anno quolibet, collectoribus ad* eorum deputatis integraliter persolvantur; & per eos, illis videlicet qui ad studium Parisiense, in festo Exaltationis sanctæ Crucis, vel circa illud; eis vero, qui ad alia studia generalia, vel solemnia fuerint deputati, in festo beati Lucæ, vel circa, singulis annis, infallibiliter transmittantur.

* f. deest, doctori

Si quis vero abbas, præpositus, prior, vel administrator, vel quicunque alius, qui ad prædicta solvenda tenebuntur, illud, quod ipsorum quilibet, pro rata contingente, in termino ad hoc statuto, solvere dictis collectoribus non curarent: teneantur extunc ultra quantitatem, ad quam erunt, ut præmittitur, obligati, quintam partem eiusdem quantitatis, nomine pœnæ, solvere dictis collectoribus, infra mensem. Quod si non fecerint, sit eis eo ipso tamdiu ecclesiæ interdictus ingressus, donec tam principalem quantitatem, quam huiusmodi quintam partem, duxerint persolvendas. Et si extunc, per quatuor menses, pertinaciter huiusmodi sustinuerint interdictum: sint ipso facto tamdiu a Divinis suspensi, donec utrumque duxerint persolvendum, nulla sibi remissione præmissorum quomodolibet profutura. Quantitas autem huiusmodi, pœnæ nomine, ut præmittitur, exsolvenda, in acquisitionem librorum utilium, & profectus alios dictorum studentium, iuxta superioris eorum arbitrium, convertatur. Quod si priores, præpositi, vel alii administratores quicunque, qui non præsunt collegio, nec habent electionem * assumi, abbatibus tamen, seu prælatis aliis eiusdem religionis subiecti, huiusmodi summas solvere contempserint, & prænominatas pœnas, per alios quatuor menses immediate sequentes, sustinuerint animis induratis: excommunicationis incurrant sententiam eo ipso, a qua, satisfactione præmissa possint absolvi, tam per diœcesanos locorum, quam præsidentes deputatos in capitulis provincialibus eiusdem provinciæ, cuius erunt, vel alterum eorundem. Quod si huiusmodi sententiam, per annum, animis pertinacibus sustinuerint: eo ipso quibuscunque obtentis beneficiis sint privati, per illos, ad quorum collationem vel aliam dispositionem pertinuerint, libere personis aliis conferendis.

Nullus autem, cuiuscunque fuerit præeminentiæ, conditionis, dignitatis, aut status, sive collector pensionum huiusmodi, seu reddituum assignandorum pro ipsis, aliquid sibi, vel alteri, seu usui cuicunque de præfatis pensionibus, vel fructibus, redditibus, seu proventibus, qui assignabuntur pro pensionibus ipsis, quomodolibet applicare, vel alienare præsumat, in diminutionem pensionum, seu præiudicium studentium prædictorum. Si quis autem collector, vel quivis alius, adversus hæc aliquid applicaverit, vel alienaverit; necnon collector, qui dictas pensiones in supradictis terminis eisdem studentibus mittere non curaverit;

rit: prout culpæ qualitas exegerit, per illos, ad quos pertinuerit, puniatur: & nihilo minus, si solvendo fuerit, de damnis & interesse satisfacere compellatur.

Ut autem onus pensionum hujusmodi levius supportetur, contributiones, quæ pro pensionibus studentium, & instructorum prædictorum, fuerint faciendæ, solvantur per capitulum ecclesiæ cathedralis, & per abbatem, priorem, & præpositum, seu conventum, & quemvis alium administratorem monasterii, prioratus, locive alterius religionis ejusdem, necnon per beneficiatos quorumlibet beneficiorum canonicalium, ad ecclesiam, monasterium, vel locum alium pertinentium, vel dependentium ab eodem, juxta divisionem inter eos omnes, secundum taxationem vel æstimationem decimæ in taxatis; in non taxatis vero beneficiis, secundum taxationem proportionabiliter & rationabiliter, juxta valorem ipsorum, in primo cujuslibet ecclesiæ cathedralis, monasterii, seu prioratus, vel alterius loci ipsius religionis, annali capitulo faciendam, per illum, qui eidem capitulo præerit, & per ipsum capitulum, seu majorem partem ipsius. Quam si forte, in hujusmodi annali capitulo, facere neglexerint, vel noluerint: tunc præsidentes provinciali capitulo illius provinciæ, & quilibet ipsorum præsidentium, ac visitatores per dictum provinciale capitulum deputati, & eorum quilibet, ipsos autoritate apostolica, per censuram ecclesiasticam, & alia opportuna remedia, ad illam faciendam, appellatione cessante, compellere teneantur; donec ea, quæ per communem contributionem, in supplemẽtum hujusmodi, dari debent studentibus, & instructoribus præfatis, in certis & perpetuis redditibus, de novo pro iis acquisitis, fuerint assignata. Si qui vero ex prædictis beneficiatis proventus habeant adeo tenues & exiles, quod secundum communem æstimationem, non sufficiant, supportatis ejus necessariis oneribus, ad ratam contributionis hujusmodi: ad eandem contributionem minime teneantur.

Ad hæc, prohibemus, ne ulli canonico quodcunque beneficium, quantumcunque modicum, vel alias pensionem habenti, nisi illo vel illa omnino dimisso, vel dimissa, aliqua de dictis pensionibus studentium assignetur: quod si secus actum fuerit, nullius penitus sit momenti. Si vero ipsi canonico hujusmodi pensionem studentium obtinenti, beneficium aliquod, quantumcumque modicum, conferatur: volumus, quod, adepta pacifica possessione ipsius, cesset dicta pensio ipso facto, eaque privatus existat, studenti alteri assignanda, ut non desit studens de numero instituto. Nec per litteras a sede apostolica, vel legatis ipsius, super provisione canonicorum, aut quorumlibet aliorum, obtentas, de pensione aliqua studentium prædictorum cuiquam valeat provideri, nec possit alicui alteri, nisi fuerit de studentibus supradictis, ipsa pensio per aliquem assignari: alias nulla fiat assignatio hujusmodi ipso jure: & tam assignans, quam recipiens, ad restitutionem omnium, quæ inde recepta fuerint, teneantur; quæ in libris, vel aliis necessitatibus dictorum studentium convertantur. Alienationem quoque librorum, qui dictis studentibus fuerint deputati, seu distractionem, vel etiam obligationem ipsorum, per eos fieri districtius prohibemus: nisi studens hujusmodi utiliores libros emat, & etiam id faciat, licentia sui immediati superioris obtenta: volentes, quod libri prædicti, defunctis eisdem studentibus, ad ecclesias, monasteria, & loca alia, ad quæ pertinuerint, libere revertantur.

Volumus etiam, quod si in ecclesia, monasterio, & loco alio religionis ejusdem, libri multiplicati fuerint, libris necessariis in ecclesiis, monasteriis, & locis aliis remanentibus, cæterorum librorum, per antistitem, abbatem, seu aliquem ad quem pertinuerit, de consilio sui capituli, seu conventus, vel majoris partis ipsorum, fiat conveniens distributio inter studentes eosdem, fiatque prius de personis studentium, quibus dicti libri tradentur, & librorum nominibus prædictorum, memorialis scriptura, quæ in ecclesia, monasterio, seu loco hujusmodi conservetur. Proviso tamen, quod pulcriores & utiliores, in eisdem ecclesia, monasterio, sive loco alio, debeant remanere. Si quis vero de studentibus ipsis, per se vel alium, librum seu libros hujusmodi, qui sic pervenerint ad eundem, contra hæc distraxerit aut obligaverit: eo ipso, sit inhabilis, per biennium, ad quodcunque beneficium obtinendum; & nihilo minus, de studio revocetur, & loco sui alius subrogetur, & etiam per suum superiorem, prout facti qualitas exegerit, puniatur. Possit tamen dictus superior super inhabilitate hujusmodi dispensare, si sibi visum fuerit expedire. Ubi autem erit aliquis de ipsis studentibus, qui sit vitæ laudabilis, & alias idoneus, & discretus, & ad bacallariatum & magisterium dispositus, vel propinquus, vel de cujus fructu scientiæ adquirendæ possit verisimilis spes haberi: prior dictorum studentium, qui erit pro tempore, cum consilio aliquorum studentium eorundem proborum, scribat præsidentibus antedictis, ut proprio prælato ipsius mandent, & ordinent cum eodem, quod talem de studio non revocet; sed eum in scientia proficere, & ad statum bacallariatus, & honorem magisterii pervenire, lecturamque continuare permittat, ipsumque, & alios similes, quos in scientia laudabiliter proficere noverit, dignis attollat honoribus, & promotionibus offerat opportunis.

Provideant quoque præsidentes, & alii prælati convenientes in ipso capitulo provinciali, quod canonici ad dicta studia transmittendi, prout convenientius & commodius fieri poterit, insimul commorentur, quatuor vel quinque ad minus; & quatuor vel quinque hujusmodi, duobus servitoribus sint contenti. Præcavere nempe volentes, & etiam providere, ut dictis scholaribus, in dictis studiis pro tempore morantibus, regularis non desit salubre gubernaculum disciplinæ: ordinamus, quod in capitulis provinciarum, in quibus erunt hujusmodi studia, præsidentes, unum de iis qui debent ad provinciale capitulum venire, vicinum loco ubi studium erit, quem, quoties eis placuerit, ponere valeant, & mutare, deputent & assignent, qui ex dictis studentibus unum inibi priorem studentium constituat, per annum solummodo duraturum: quem tamen priorem, tam ipse, quam etiam præsidentes, & quilibet eorundem, mutare valeant, infra annum, & quoties eis videbitur expedire. Constituatur autem ipse prior talis, qui sit potens in opere & sermone; ut canonicos studentes, pensionarios, & alias etiam beneficiatos, in bono instituat, & a malo studeat revocare: ipsosque, quoties sibi videbitur expedire, convocet ad aliquem locum competentem, eisque quoad regularem præsideat disciplinam; & potestatem habeat illos corrigendi, puniendi, & absolvendi, & cum eis dispensandi, quamdiu in ipsis studiis moram traxerint, ab omnibus a quibus, & super quibus, & prout posset superior post antistitem, vel abbas, seu alius prælatus eorum proprius in ecclesia, monasterio, vel alio loco, unde claustrales existunt; ipsosque informandi, & instruendi, & tenendi sub regularibus disciplinis, & illos etiam coercendi, ne vagentur, vel actibus seu operibus vacent illicitis, sed studeant, & proficiant, sicut decet, juventque laudabiliter & honeste.

Provideat insuper idem prior studentium, quod di-

cti canonici pensionarii studentes, expensas faciant moderatas, non superfluas, nec aliquatenus excessivas; eosque cogat ad reddendum de receptis & expensis, in fine mensis cujuslibet, vel prout alias sibi videbitur, rationem illi, vel illis providis & discretis, quos idem prior ad id duxerit deputandos. Et quando ipsorum studentium conditio, seu demerita suaserint, eos a studio revocandos: idem prior teneatur id, consulte tamen & caute, antistiti, abbati, vel alii prælato eorum proprio, per suas litteras intimare. Idemque antistes, abbas, seu prælatus proprius, eos revocare debeat, & in locis eorum canonicos totidem subrogare, per modum suprascriptum, appellatione, contradictione, vel reclamatione rejectis. Concedimus quoque prædicto priori, canonicos studentes pensionarios, & alios etiam beneficiatos, quamdiu in ipsis studiis fuerint, ab excommunicationum, suspensionum, & interdictorum sententiis, per statuta provincialia, seu cujusvis ecclesiæ, monasterii, sive loci dictæ religionis, vel diœcesanum, contra studentes, in locis ubi erunt studia, generaliter promulgatis, congrua satisfactione præmissa, juxta formam ecclesiæ, autoritate apostolica, absolvendi; & cum eis, super irregularitate, quam sic ligati, celebrando Divina, seu alias ingerendo, per simplicitatem, & juris ignorantiam, non tamen in contemptum clavium, incurrerint, dispensandi, autoritate prædicta, liberam potestatem.

Per hoc vero, dictos canonicos studentes, à potestate antistitis, vel aliorum ordinariorum suorum, vel alterius prælati sui, nolumus aliquatenus eximere, vel etiam liberare. Quilibet autem dictorum canonicorum religionis ejusdem, hujusmodi studiis insistens, pensionarius, & alius etiam beneficiatus, præfato eorum priori de quinque solidis Turonensium parvorū, vel eorum valore in alia moneta, providere, annis singulis, teneatur: ad quorum solutionem, idem prior possit eosdem, per censuram ecclesiasticam, & alia ipsius religionis remedia, autoritate apostolica, remoto appellationis obstaculo, coercere. Idem tamen prior sumptus nunciorum subeat, quos, pro præmissis, duxerit transmittendos. Dicti quoque præsidentes, in singulis eorum provincialibus capitulis, deputent aliquem de illis, qui debent ad dictum provinciale capitulum convenire, idoneum ac vicinum studio, in quo studentes hujusmodi morabuntur: & tam hujusmodi deputatus, quam etiam visitatores in provinciali capitulo ordinati, diligenter & fideliter se informent, an ea, quæ per nos de studentibus, & eorum pensionibus, & aliis, circa hæc statuta & ordinata existunt, fuerint effectui mancipata: & si qua invenerint non completa, eorum plenam relationem, & etiam informationem, qualiter compleri possint, faciant in proximo provinciali capitulo eorundem, in quo ordinari debeat quod efficaciter compleantur.

Habeant insuper præsidentes præfati, & quilibet eorundem, faciendi compleri, & inviolabiliter observari, autoritate apostolica, omnia & singula supradicta; necnon contradictores, & rebelles, per censuram ecclesiasticam, & per alia juris, seu ipsius ordinis remedia, sublato appellationis obstaculo, compellendi; & processus & sententias eorum in locis religionis ejusdem solemniter publicandi; & illos * illorum incurrerint congrua satisfactione præmissa, juxta formam ecclesiæ, absolvendi; & cum illis, ex eis qui hujusmodi ligati sententiis, per simplicitatem & juris ignorantiam, non tamen in contemptum claviū, Divina celebrarint officia, vel ingesserint se eisdem, super irregularitate per eos exinde contracta, autoritate prædicta dispensandi, liberam facultatem.

* *f* illos qui eas inc.

Rursus statuimus, & etiam ordinamus, quod nullus religionis ejusdem, ad recipiendum magistratus seu doctoratus honorem, de cætero assumatur, nisi præstito per eum primitus juramento, in præsentia dicti prioris studentium, ac sex proborum & discretorum ex studentibus antedictis, quod in assumptione ipsius honoris, vel ante, seu post, ejus occasione, circa cibos, vestes, vel alia non expendat, per se vel alium, undecunque habuerit, vel fuerit sibi datum, nec quātum in eo fuerit, a quibusvis aliis expendi permittat, ultra valorem duorum millium Turonensium argenti. Illi, qui etiam ad bacallariatum fuerint assumendi, juramentum similiter præstare teneantur in præsentia prioris studentium, & quatuor proborum & discretorum de studentibus memoratis, quod hujusmodi sui bacallariatus prætextu, ipsa die qua bacallarii erūt, vel ante, seu post, nullū festū seu conviviū faciet per se, vel alios, aut, quantū in eis fuerit, fieri permittēt a quibuscunque aliis, etiam eorum consanguineis, vel amicis.

Ad hæc, statuimus & etiam ordinamus, quod quilibet ipsius religionis, qui in dicto Parisiensi, vel in aliquo alio generali studio, per sex annos in theologia studuerint, in illis primitivis scientiis prius sufficienter instructi, & alias sufficientes ad hoc idonei fuerint, possint in ipso Parisiensi studio, cursus bibliæ facere consuetos. Qui vero, per octo annos in theologia studuerint, librum sententiarum legere valeant, si ad hoc sufficientes fuerint, in Parisiensi studio prælibato. Et quod in eodem Parisiensi, & alio quocunque studio, in quo ad magisterium in theologia licentia dari poterit, seu consueverit, cum digni reperti ad hoc extiterint, ad magisterium ac doctoratum in theologia libere admittantur. Illi vero religionis ejusdem, qui in ipso Parisiensi, vel quovis alio studio generali, audiverint jura canonica, per sex annos, de quibus, per tres annos ad minus, decretum audiverint, dummodo sufficientes & idonei fuerint, possint ad bacallariatum, & lecturam juris canonici, sive decretorum, in eodem Parisiensi & quolibet alio studio, in capa sive * religioni congruenti assumi. Qui vero, per quinque annos in Parisiensi, vel alio generali studio, jura canonica, ut bacallarii, legerint, & de hoc primo fidē fecerint, per eorum proprium iuramentum, se credere eos verum iurasse, possint, si voluerint, in capa similiter eorum religioni congruenti, ad magisterium in decretis, vel ad lecturam decretorum, in eodem Parisiensi & quolibet alio studio generali, dilatione, & difficultate malitiosa, & impedimento quibuscunque sublatis, sicut ibidem consueverunt assumi cæteri clerici sæculares, assumi, & per cancellarium ecclesiæ Parisiensis, in Parisiensi vel in alio quolibet studio generali, per illum ad quem pertinuerit, ad hujusmodi magisterium, seu doctoratus honorem, promoveātur libere, & etiam admittantur. Non obstantibus quibuscunque consuetudinibus ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum locorum religionis ejusdem, necnon Parisiensis, & aliorū locorū, atque studiorū, contrariis juramentis, confirmationibus apostolicis, ac quibusvis firmitatibus aliis roboratis; & illis præsertim, quibus in eodem Parisiensi studio caveri dicitur, quod nullus possit legere cursum bibliæ, nisi studuerit inibi VII. annis; nec permittatur sententias legere, nisi ibidem studuerit decem annis; quodque nullus canonicus, vel religiosus alius legat ibidem jura canonica, vel ad bacallariatus statum, aut magisterii honorem, in jure canonico permittatur assumi, seu quod nullus sine rubea capa decretum legat, seu legere permittatur ibidem, aut quod nullus ibi legere valeat jura canonica, vel ad bacallariatum assumi, seu ut bacallarius legere decretales, aut ad magisterium ascendere in decretis, sive doctor fieri decretorum, aut ad lecturā in decretis assumi, seu ipsam continuare, nisi ibidem, vel

* *Corr.* suæ religioni

vel in aliquo studio generali, audiverit jura canonica per quinque, vel alibi iura civilia, per tres annos, aut alibi iura civilia, per quinque, & ibi vel in alio generali studio iura canonica per tres annos, prout sic, vel aliter, in statutis ipsius Parisiensis studii dicitur contineri, vel de consuetudine observari; & aliis consuetudinibus, vel statutis Parisiensis studii, vel quibuscumque, sub quacumque forma vel expressione verborum, in contrarium editis vel edendis; necnon quibuslibet privilegiis, vel indulgentiis generalibus, aut specialibus, aut litteris apostolicis contrariis ordinibus, ecclesiis, monasteriis, locis, & studiis quibuscumque, sive universitatibus magistrorum, vel scholarium eorundem, seu personis ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus, exemptis & non exemptis, cuiuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, sub quavis forma vel expressione verborum concessis: per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus huiusmodi statutorum, & ordinationum, & singulorum contentorum in eisdem præsentibus impediri valeat quomodolibet, vel differri; & de quibus, quorumque totis tenoribus, plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, oporteat in illis vel aliis nostris litteris fieri mentionem: quibus non intendimus, quoad alia, in aliquo derogari.

De mittendis ad beneficia. * Corr. religiosis vagandi

XIII. Vt cultus augeatur Divinus, & religionis * vacandi materia præcludatur: statuimus, quod canonici religionis ejusdem, extra ecclesias, monasteria, sive loca alia principalia, obtinentes prioratus, seu quævis alia beneficia, quibus ad hoc suppetent facultates, in ipsis beneficiis residere, & sociũ, vel socios sui ordinis secum habere, juxta ipsarum facultatum suppetentiam teneantur, statutis & consuetudinibus contrariis non obstãtibus quibuscumque. quos socium vel socios hujusmodi, prælatus, seu is ad quem hoc pertinuerit, prout locis congruere noverit & personis, & cum consilio & assensu sui capituli seu conventus, vocatis iis, qui dicta beneficia obtinebunt hujusmodi, suppetentiam arbitrando, assignet eisdem. Quod si hujusmodi priores, seu administratores, quibus fuerint canonici in socios assignati, cessante causa rationabili, relinquendo arbitrium assignantis, recusent admittere sibi assignatos, vel eis sufficienter & decenter in necessariis providere: cogantur ad hæc per censuram ecclesiasticam, & alia juris remedia opportuna; & nihilo minus, de hujusmodi inobedientia puniantur.

Qui autem in ecclesiis cathedralibus, seu monasteriis, dignitates, personatus, officia, seu administrationes alias habuerint, & in eisdem ecclesiis, seu monasteriis, consueverint residere: cogantur officium incumbens eis, tam in Divinis, quam in aliis, debite exercere; familiam quoq; excessivam, præsertim infra claustra, non teneant; aut talem, per quam verisimiliter præsumatur, in ecclesiis, seu monasteriis scandalum generari. Et quia, secundum præmissa, nonnulli de canonicis regularibus, qui in ecclesiis, seu monasteriis consueverant residere, habebunt extra in suis prioratibus, seu beneficiis aliis, residentiam facere: in capitulo annali cujuslibet ecclesiæ, & monasterii, per prælatum & capitulum, vel majorem partem ipsius, scito & cognito diligenter quot mittentur extra, pro residentia in dictis prioratibus & beneficiis facienda; proinde ordinetur, quot loco eorum, qui extra mittentur, in ipsis ecclesiis seu monasteriis fuerint subrogandi. Obtinentes autem beneficia simplicia, quibus cura non imminet animarum, quorum ad tenendum socium non sufficiunt facultates: si propinqua sint ecclesiis, vel monasteriis, a quibus illa dependent, in dictis ecclesiis, vel monasteriis, victualia canonicis ministrare tenentur, dummodo ad hoc redditus beneficii hujusmodi obtinentis sufficere dinoscantur. Quod si hujusmodi beneficia longe distant ab ecclesiis, seu monasteriis, quibus subsunt, ac prioratibus vel administrationibus ubi canonici residere cõsueverint, sint propinqua: modo præmisso, & cum satisfactione simili expensarum, obtinẽtes hujusmodi beneficia, seu administratores eorum, ad residendum in dictis prioratibus seu administrationibus deputentur, nisi per fundatores hujusmodi beneficiorum aliter fuerit ordinatum: cui ordinationi per hoc non intendimus derogare. Super distantia vero, seu propinquitate beneficiorum hujusmodi, stetur arbitrio annalis capituli, ejusque in hoc deliberatio observetur. Quod si dicta beneficia simplicia, tam ab ecclesiis vel monasteriis, quam ab eorum prioratibus, seu administrationibus, sint remota, per dictum annale capitulum ordinetur, nisi tales debeant residere: proviso tamen, quod Divinus cultus exerceatur debite in beneficiis memoratis. Canonici autem in huiusmodi prioratibus, seu administrationibus commorantes, in ecclesia, horis congruis, cum dictis prioribus, seu administratoribus, simul intersint, canonicas horas dicant, in Missis celebrandis suas hebdomadas ordinate teneant, & in locis ubi tres fuerint, vel plures, una per eos Missa ad minus cum nota, die qualibet celebretur, & horæ etiam canonicæ cum nota dicantur.

Dicti quoque canonici, socii priorum & administratorum prædictorum, in una domo communi regulariter jaceant, camerulis, & cellulis eis penitus interdictis, in una etiam domo vescantur. Prior insuper, & administrator, & canonici (nisi infirmitas, vel alia evidens ratio interdum aliud suaserit faciendum) in vestitu etiam & tonsura, a communi ecclesiæ, monasterii, sive loci * fuerint, cui institutione, vel debita observantia non recedant, ac suo priori vel administratori, juxta ordinationem prælati sui, vel superioris, obediãt humiliter & devote. Et si aliquando dictos canonicos in prioratibus seu administrationibus mori, aut fugitivos fieri forsan continget: priores, seu administratores prædicti, diem mortis, aut fugæ, seu recessus ipsorum, prælatis eorum superioribus, ut in ecclesiis, seu monasteriis eorum principalibus, pro defunctis consueta fiant suffragia, seu fugitivos revocare, vel in prioratibus seu administrationibus alios loco eorum subrogare valeant, quam cito commode poterunt, intimare per suas litteras, teneantur. Quod si priores, seu administratores prædicti, diẽ obitus, aut fugæ, sive recessus hujusmodi, prælatis suis superioribus significare distulerint: tertiam partem illorum, quæ canonicus expendisset, si non fuisset mortuus, vel in fuga, pro pitantia capituli, vel conventus ecclesiæ, monasterii, vel loci principalis, solvere teneantur.

* f. cujus fuerint, instit.

Insuper, canonici prædicti, non soli, sed honeste associati, & cum habitu decenti incedant; nec in villis, in quibus prioratus seu administrationes hujusmodi fuerint, comedere, vel bibere, aut ingredi domos præsumant, nisi cum honestis personis, & tunc de sui prioris, seu administratoris licentia speciali: qui vero contrarium fecerint, regulari subjaceant disciplinæ. Vt hæc efficacius observentur, antistites, abbates, & cæteri eorundem canonicorum superiores, necnon alii qui ad visitandum per eos fuerint deputati, cum prioratus & administrationes hujusmodi visitabunt, circa illa observanda, & non observata etiam corrigenda, curam habeant diligentem.

De obtinẽtibus beneficia a sede apostolica.

XIV. Præcipimus, quod canonici religionis præfatæ, qualiacumq; in ipsa religione autoritate sedis apostolicæ, vel legatorũ ipsius, beneficia obtinentes, obediãt superioribus suis religionis ejusdẽ, ipsorumq; subsint correctionibus, ordinationibus, punitionibus, & statutis; & beneficiis hujusmodi, ex causis rationabilib[9] privari, & ab illis amoveri possint. quemadmodũ posset, si foret per superiores suos de ipsis beneficiis eis provisũ.

De infirmariis.

XV. Cum expediat, infirmis de domo seu loco congruo provideri: statuimus, quod in ecclesiis, monasteriis, & locis aliis conventualibus religionis ejusdem, in quibus certa domus, seu locus, deputata vel deputatus non fuerit pro infirmis, ii ad quos id pertinuerit, quibus ad hoc suppetent facultates, domum, seu locum hujusmodi, sufficientes, juxta statum & facultates locorum, quantocius commode fieri poterit, deputare seu construere teneantur, eisdem infirmis sufficienter delictis" victualibus, servitoribus, medicis, & rebus medicinalibus, & aliis quibuslibet necessariis, providendo. Ad quæ peragenda & complenda, per superiores suos immediatos, & per præsidentes, ac visitatores, & eorum quemlibet, autoritate apostolica, per censuram ecclesiasticam, & alia opportuna remedia compellantur. Vbi autem administratores eorum, qui ad præmissa tenentur, sufficientes ad ea peragenda non habuerint facultates: in capitulo annali, per ipsum capitulum, vel majorem partem ipsius, autoritate apostolica ordinetur, quod administrationes hujusmodi, sufficientes ad hoc reddantur per assignationes pensionũ, prout infra in alio casu, sub rubrica de victualibus, & aliis ministrandis, noscitur esse provisũ.

*Corr. de lectis,

Quod antiquus canonicorum numerus teneatur.

XVI. Cum sit consonum rationi, ut obtinentes beneficia, ipsorum onera debeant supportare: statuimus, quod in monasteriis, prioratibus, & aliis beneficiis quibuscumque religionis ejusdem, personis quibuslibet extra præfatam religionem, cujuscumque sint dignitatis, gradus vel præeminentiæ, etiamsi fuerint sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, collatis vel commendatis, seu de cætero conferendis vel commendandis, tot canonici teneantur, quot in eis tenerentur, si per canonicos regulares monasteria, prioratus, & beneficia hujusmodi regerentur: & quod nihilo minus canonico in eisdem monasteriis, prioratibus, & beneficiis committatur, id quod supra vel circa alios canonicos inibi residentes haberet exercere administrator canonicus, si præesset eisdem, quantum ad ea quæ pertinent ad regulam, seu disciplinam, vel observantiam regularem. Et quod quilibet prædictorum, hujusmodi monasteria, prioratus, & beneficia quomodolibet obtinentes, ad procurationes, & alia quælibet onera, ipsis monasteriis, prioratibus, & beneficiis incumbentia, supportanda, persolvenda, & reddenda integre sint astricti; quodque ad hæc, & alia supradicta, autoritate apostolica, per censuram ecclesiasticam, & alias, compelli valeant per capitulorum provincialium præsidentes, & quemlibet eorumdem, prout per superiores suos possent & deberent compelli canonici regulares, si præessent monasteriis, prioratibus, & beneficiis memoratis: nisi fuerint sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, quos nolimus talium compulsionibus subjacere.

De personis sæcularibus & animalibus tenendis, vel non, in ecclesiis vel monasteriis.

XVII. Prohibemus, ne canonici regulares, in ecclesiis cathedralibus, monasteriis, seu locis aliis collegiatis seu conventualibus religionis ejusdem, teneant, aut nutriant equos, seu alias evectiones, novæ" familiares seu servitores habeant sæculares, nisi ratione dignitatum, officiorum, vel administrationum suarum, quæ gesserint, id eis permissum fore noscatur. In infirmitorio tamen, & coquina monasterii, seu prioratus, & aliis officiis, atque servitiis aliis communibus, possint tenere sæculares servitores honestos, & prout in ecclesiis, seu monasteriis, & aliis locis prædictis fuerit hactenus rationabiliter observatum, non in excessivo, sed moderato numero, juxta arbitrium prælati immediati. Servitores autem sæculares hujusmodi, quanto minus fieri poterit, cum canonicis conversentur, nec cum eis in communi comedant, nec bibant, et amsi presbyteri fuerint, vel clerici sæculares: nisi forte tales fuerint presbyteri, vel alii in sacris ordini-

*Corr. neve

A bus constituti, qui essent inibi perpetui, & cum canonicis etiam in refectorio comedere assueti: & tunc a canonicis sedeant segregati, cum habitu consueto, & etiam honesto, se * eisdem canonicis in silentio, & observantiis aliis honestis, quamdiu cum eis fuerint commorantes, quibus provideatur, juxta morem inibi rationabiliter observatum. Et si presbyteri, seu sæculares clerici perpetui prædicti, infra ecclesiarum seu monasteriorum septa, deliquerint seu excesserint in levibus: per ademptionem participantiæ, seu portionis quam fuissent alias percepturi, per immediatum prælatum regularem loci, unde sumunt prædicta, vel per illum qui inibi præerit, regularibus disciplinis possint corrigi & puniri. Caveant igitur abbates, præpositi, priores, & cæteri quicumque ipsius religionis, ne lautis conviviis & comessationibus occupentur, nec in iis sumptus immoderatos faciant, vel alias etiam excessivos: a familiarium quoque servitorum, aut sequacium, necnon raubarum seu vestium multitudine

B indecenti, & excessiva, ubique diligenter studeant abstinere, & honeste ac laudabiliter conversari. Dicti quoque abbates, necnon præpositi, priores, cæterique administratores, & professores alii religionis ejusdem, extra loca sua proficiscentes, associati incedant, prout ipsorum congruit honestati: & ubi canonicorum numerus sufficiens affuerit, & ad hæc etiam suppetant facultates, abbates, & alii prælati, saltem religionis suæ duos socios secum ducant. Præsidentes autem capitulis provincialibus, ac visitatores per ipsa capitula deputati, necnon prælati alii religionis ejusdem, quoad suos subditos, attente provideant, quod præmissa diligentius observentur, transgressores arguendo, &

C prout expediens fuerit, puniendo.

De ætate & qualitate ad ordines & beneficia promovendorum.

XVIII. Præsentium autoritate statuimus, quod canonici beneficia simplicia obtinentes, & alii non beneficiati religionis ejusdem, ad mandatum prælati sui, infra terminum per eum præfigendum eisdem, se faciant ad ordines quoslibet promoveri: nisi eos causa rationabilis, quam ipsi prælato infra dictum terminum exponere habeant, excusaret. Quod si non fecerint, beneficiati eo ipso ab obtentis beneficiis sint suspensi; non beneficiati vero, ad beneficia obtinenda sint & remaneant inhabiles, donec promoti fuerint

D ad ordines supradictos. Quodque prioratus curam animarum habentes, & alia beneficia curata, quorum prioratuum & beneficiorum cura per perpetuos vicarios exercetur, committi nequeant vel conferri, nisi eis, qui vicesimum annum" suæ ætatis: qui autem hujusmodi prioratus, seu beneficia habuerint, infra annum computandum a tempore collationis, seu commissionis sibi factæ de eis, & possessionis adeptæ, vel infra vicesimum quintum ætatis suæ annum, si ante annum ipsum, prioratus, seu beneficia hujusmodi eis collata fuerint, seu commissa, se faciant ad sacerdotium promoveri. Prioratus quoque conventuales, dignitates, personatus, officia, seu admi-

E nistrationes, videlicet sacristia, thesauraria, eleemosynaria, operaria, cameraria, & similia, quæ in ecclesiis, monasteriis, & aliis locis conventualibus seu collegiatis dictæ religionis, officia, seu administrationes, & beneficia fuerint, etiamsi eisdem officiis, seu administrationibus, animarum cura nullatenus sit annexa, alicui, nisi vicesimum quintum annum attigerit, conferri nequeant, aut committi. Et qui prioratus, dignitates, personatus, officia, seu administrationes hujusmodi obtinuerint, infra annum a tempore collationis, seu cõmissionis eis factæ de ipsis, & adeptæ possessionis eorum, se faciant ad sacerdotium promoveri: vel saltem ad ordinẽ, quem dignitates, personatus, officia, vel administrationes obtenta requirent, de jure, cõsuetudine, seu statuto: nec contra hoc aliquo quoquam valeat dispensari. Nos

* Deest attigerint

Nos insuper commissiones, seu collationes factas contra præmissa, decrevimus fore irritas & inanes. Ii quoque, qui iuxta præmissa, cessante causa rationabili, ad ordines promoti non fuerint, sint prioratibus, dignitatibus, personatibus, officiis, administrationibus & beneficiis prædictis, eo ipso privati, quæ ipsis iterum ea vice nullatenus conferantur. Nostræ vero intentionis existit, quod præsens constitutio, quantum ..... de recipiendis ordinibus per priores & alios beneficiatos præmisimus: illos etiam, post duos menses a tempore publicationis præsentium constitutionum, in eorum annali capitulo facere constringat, qui etiam in præsenti talia beneficia obtinent, vel dictæ publicationis tempore obtinebunt, dummodo ætatis legitimæ sint effecti: alias, cum ad ætatem legitimam pervenerint, ad recipiendum, secundum præmissa, dictos ordines sint astricti, nisi foret aliud canonicum, quod eos ab huiusmodi susceptione ordinum excusaret.

De forma & honestate habitus & vestimentorum.

XIX. Dignum fore censentes, ut canonici religionis præfatæ, non solum morum & vitæ, sed etiam habitus & vestimentorum refulgeant honestate: districtius inhibemus, ne dicti canonici, extra septa ecclesiarum, monasteriorum, seu locorum suorum, proficiscentes, portent alias vestes super habitum, quam capas, seu mantellos honestos, vel redontellos*, seu clochias talares; vel circa usum & consuetudinem laudabilem ecclesiarum, monasteriorum, & locorum suorum: usum, seu verius abusum manticarum, seu tabardorum, necnon redondellorum, vel clochiarum notabilem habentium brevitatem, eisdem canonicis penitus prohibentes. Præcipimus quoq; quod in ecclesiis, monasteriis, & aliis locis religionis præfatæ, in quibus canonici capas a parte anteriori apertas, de panno laneo, consuevere deferre, quæ in quibusdam locis capæ de choro vulgariter nuncupantur, ipsas honestas, non nimia longitudine, vel brevitate notandas, portare debeant, locis & temporibus consuetis. Deferant etiam capas hujusmodi, a festo Omnium Sanctorum, usque ad festum Paschæ, infra septa quarumcumque cathedralium ecclesiarum religionis ejusdem, ac monasteriorum, & aliorum locorum, mediatos superiores ipsius religionis non habentium, in quibus monasteriis, sive locis, fuerit duodenarius canonicorum numerus, licet hactenus ipsas ibidem non consueverint deportare. Sane infra ecclesias, claustrum, capitulum, refectorium, ac dormitorium, non capuciis, sed almuciis honestis utantur. Capucia vero, si ea per ipsos extra loca prædicta deferri contigerit, sint honesta: & illa, quæ cum capis & mantellis, clochiis seu rodondellis, portaverint, unius cum eis & ejusdem coloris existant: nisi ex privilegio aut institutione laudabili, capucia certi coloris aut formæ, essent assueti portare. Almuciæ autem, si de panno fuerint, illius, cujus capæ esse debent, coloris existant. Per hoc autem non liceat portare capucia, vel redondellos, seu clochias, eis quibus alias portare licitum non existit.

* *Infra vocat rodontelles, & rodondellos. Nempe rotūdos. Vocat & clockias forte quia vestes illæ, ima parte rotunda latioresq: sunt ad clochiæ, sive clocca, hoc est campanæ, formam. Vide hic 1822. B*

Prohibemus etiam, ne dicti canonici de cætero ferant forraturas, de ventribus Variorum aut Squirolorum, etiam cum dorsis permixtis. Præcipimus etiam, quod canonici dictæ religionis, infra ecclesias & claustra locorum cathedralium, aliorumque conventualium seu collegiatorum ipsius religionis, & alibi conventualiter incedentes, portent superpellicia magna & ampla, juxta cujuslibet ecclesiæ consuetudinem rationabilem, quæ in longitudine manicarum ultra manum, quatuor digitis transversalibus, vel circa, in sua longitudine protendantur. Extra ecclesias vero, claustra, & loca prædicta, & ubique, sub capis, rodondellis, seu clochiis, vel mantellis, in locis debitis, uti possint superpelliciis, quorum manicæ usque ad cubitum in latitudine, vel circa, & eorum longitudo usque

A que ad mediam tibiam, vel circa, protendantur. Per hoc autem nolumus derogare consuetudini quorumdam locorum, quæ ab antiquo, vel ab institutione, habent usum superpelliciorum, ad formam roquetorum, seu camisiatum Romanarum: proviso tamen, quod minoris longitudinis superpellicia non existant, & adeo manicas longas habeant, quod ex eis brachia usque ad pugnum valeant cooperiri: per formas autem hujusmodi superpelliciorum & habituum* non intendimus prohibere, nec circa eas aliquid innovare.

Statuimus insuper, quod canonici dictæ religionis, vestibus albi, bruni, nigri, seu quasi nigri coloris
B duntaxat utantur: quodque illi, qui altero tantum de dictis coloribus uti consueverunt, seu tenentur, non possint ad alium portandum seu assumendum aliquatenus se transferre, nisi ad album dumtaxat. Vestis quoque superior, habitui proxima, sit rotunda per circuitum, & non fissa, nec longitudine nimia, aut brevitate, notandā. Ab eisdem quoque canonicis, in eorum vestibus, lignatæ* manicæ non portentur, nec in apparenti consutitiæ, vel quomodolibet botonatæ. In cathedralibus autem ecclesiis antistites, seu præpositi, priores, seu alii non habentes superiores religionis ejusdem, sic alias formam honestam vestium & calceamentorum ordinent & disponant, quod sit omnibus canonicis ejusdem ecclesiæ, seu monasterii, tam
C intrinsecis, quam extrinsecis, uniformis: ipsamque tam abbates, quam præpositi, priores & administratores, ac cæteri quicumque canonici, & alii, per proprios eorū antistites, vel abbates, seu prælatos alios; abbates vero, & cæteri prælati superiores proprios ejusdē religionis non habentes, per præsidentes provincialibus capitulis, seu per quemlibet eorum, ac per visitatores in ipsis capitulis deputandos, tenere & servare cogantur. Qui vero vestem, vel habitum, contra ordinationem præsentis constitutionis, deferre præsumpserit, per dictos superiores, vel præsidentes, sive per visitatores, seu eorum quemlibet, sic debite puniatur; quod cæteri a similibus arceantur; & nihilo minus, ab eo auferatur vestis prohibita, pauperibus eroganda: & si infra spatium quindecim dierum, a tempore monitionis seu præcepti sibi facti computandum, ve-
D stem, vel habitum huiusmodi non dimiserit cum effectu, vel ablationi prædictæ restiterit, si beneficiatus fuerit, per quatuor mensium spatium ab administratione temporalium sit suspensus; non beneficiatus vero, dicto tempore sit inhabilis ad ecclesiasticum quodcumque beneficium obtinendum. Qui autem exhibens se in publico habitu, sub supertunicali, vel cotardia, vel guarnacia, vel alias temere occultaverit* fimo, intus emendare noluerit, juxta præmissam personarū distinctionem, dictas suspensionis & inhabilitatis pœnas per idem tempus incurrat. Iniungimus insuper præsidentibus, visitatoribus, & prælatis aliis religionis prædictæ, ut contra transgressores eorum, quæ circa honestatem vestium & habitus superius sunt statuta,
E prout ad eos & eorum quemlibet pertinuerit, monitionem prædictam, cum transgressio eius nota fuerit, facere non omittant. Et nihilo minus, præsidentes, & visitatores prædicti, monere teneantur abbates, præpositos, & alios ad quos id pertinuerit, religionis prædictæ, ut præmissa, quæ, ut prædictum est, circa honestatem vestium & habitus sunt statuta, servent & faciant a suis subditis diligentius observari.

* *f. ligatæ*

De petenda licentia a volentibus extra ecclesiam, vel monasteriū progredi, & exire.

XX. Ut in religione prædicta vitetur dissolutio, & obedientia teneatur: districtius inhibemus, ne quivis canonicus dictæ religionis, de ecclesia, monasterio, vel loco suo conventuali exeat, nisi primitus obtenta licentia ab illo, qui eam valeat impertiri, quavis consuetudine contraria non obstante; quodque causam exitus veraciter & absque fictione exponat ei, a quo

a quo erit licentia obtinenda. Qui vero hujusmodi licentiam concesserit canonicis claustralibus, nullam administrationem vel beneficium obtinentibus, terminum redeundi, quanto convenientius poterit, breviorem assignet eisdem. Sane administratoribus & beneficiatis, qui habent residere in claustro, possit dari licentia, sine præfixione termini, si hoc concedenti visum fuerit expedire. Si quis autem exiverit ecclesiam, monasterium, seu locum alium conventualem, sine licentia; vel in termino assignato, justa causa cessante, non redierit: pœna, quæ in tali casu per statuta vel consuetudines ejusdem monasterii, seu alterius loci, infligenda fuerit, infligatur eisdem. Et si super hoc, statutum, vel consuetudo aliqua non existat, pœna, quæ sequitur, infligatur: videlicet quod illi, qui infra novem dies, post exitum terminum prædictum, redierint, ultimi stent sub choro, ac secunda, & quarta, & sexta feriis ejusdem septimanæ, in pane & aqua jejunent. Illis vero, qui infra hujusmodi novem dies non redierint, pœna quæ sequitur, imponatur: videlicet quod a porta regulari, parlatorio, seu alio loco decenti, per claustrum, cum magistro novitiorum, vel alio ad hoc deputato, ad capitulum veniat, camisiam, femoralia, & caligas tantum habens, superpellicium in brachiis, ac ferulam seu virgam in manibus suis ferens, cum quibus in dicto capitulo, venia prius recepta, & recognita culpa sua, coram omnibus verberetur: & nihilo minus, alia pœnitentia, sive pœna, pro qualitate demeriti, imponatur eidem, secundum arbitrium imponentis. Quod si, sine scandalo, hujusmodi pœna imponi non posset: in pœnam aliam, secundum sui prælati arbitrium, de proborum & seniorum consilio conventus commutetur, quam in dicti conventus præsentia facere teneatur: proviso attentius, quod mensuram peccati, correctionis inflictio non excedat. Simili quoque, vel alia condigna pœna puniantur canonici in prioratibus, seu administrationibus aliis exterius assignati, qui sine licentia priorum seu administratorum eorundem, de ipsis prioratibus seu administrationibus recedentes, fuerint evagati, vel in termino non redierint assignato. Si autem de dictis prioratibus seu administrationibus, ad claustrum, seu ad prælatum suum, a suis prioribus seu administratoribus licentia non petita, vel petita & non obtenta, venerint: eidem prælato, seu superiori suo, causam sui adventus statim exponant: qui prælatus, seu superior, an causa hujusmodi rationabilis & vera fuerit, arbitretur; & si causam minus rationabilem, seu falsam esse repererit, vel si hujusmodi venientes nullam causam ei exposuerint, aut licentiam non petierint: per prælatum, aut superiorem eorum, prout eis visum fuerit expediens, puniantur. Nullus quoque canonicus pernoctaturus extra ecclesiam, monasterium, vel alium locum suum, abire sine breviario permittatur: in quo pensum servitutis suæ, dicendo horas canonicas, possit solvere Creatori.

De prohibita alienatione.

XXI. Perpetuo prohibemus edicto, ne civitas, castrum, villa, vel feodum notabile, aut jurisdictio alicujus ipsorum, vel grangia, seu latum territorium, sive magnus possessionum sive terrarum numerus, vendi, vel etiam principaliter, specialiter, & expresse obligari, seu monasterium, vel prioratus, aut ecclesia religionis præfatæ alio transferri valeant per quoscumque, etiam in casu alias a jure concesso, absque licentia sedis apostolicæ speciali: omnem venditionem, obligationem, & translationem de præmissis, contra hæc factam, irritam decernendo. Ac nihilo minus, quilibet capitulis provincialibus præsidentium, ac visitatorum, alienationes hujusmodi, & facientes easdem, ac consentientes eisdem, sedi apostolicæ, si exempti fuerint; alioquin ordinariis, seu diœcesano ipsorum, intimare per censuram authenticam, vel litteras eorum sigillis munitas, quam cito commode poterunt, teneantur.

De fictis & dolosis contractibus.

XXII. Multis fraudibus atque dolis, quæ per nonnullos religionis ejusdem, in damnum & præjudicium ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, & aliorum locorum, prout experientia docuit, committuntur, opportunis obviare remediis, quantum cum Deo possumus, salubriter cupientes: hoc consultissimo prohibemus edicto, ne abbates, præpositi, ac priores, vel quivis administratores, & alii præpositi, seu conversi religionis ejusdem, prætextu administrationum, vel negociorum quæ gerunt, fraudulentos vel dolosos aut simulatos vel fictos contractus inire, vel mutua simulata vel ficta suscipere, sive proprio, sive fidejussorio, vel quovis alio nomine alieno, neve etiam confiteri instrumentis publicis, vel authenticis, aliisve scripturis, se a patre, fratre, nepote, vel consanguineo, seu quolibet alio conjuncto, affine, vel familiari servitore, amico, seu mercatore, recepisse mutuo, vel alias, pecuniam, panes, bladum, vinum, equos, boves, sive animalia alia, vel res seu alia bona, eaque in utilitatem locorum quibus præsident, vel administrationum quas gerunt, fuisse conversa (cum tamen nec pro se, seu locis eorum, neque pro administrationibus suis, ipsa receperint) quoquo modo præsumant. Similiter etiam prohibemus, ne fingant, seu ponant, vel scribant, se fore principales debitores, neve ut tales se obligent, ubi re vera non principales, seu fidejussores existunt, neve in talibus contractibus, ut præfertur, simulate conceptis, se, ac alios suo nomine, loca *, quod jura, possessiones, redditus, proventus, bona & jura locorum ipsorum obligent, vel submittant, neque in fraudem seu dolose confiteantur, vel alios præsertim debitores eorum faciant confiteri, seu etiam obligari, vel super iis instrumenta, vel authenticas seu alias scripturas, in fraudem confici; continentia, quod jura, redditus, possessiones, animalia, blada, pecuniam, seu alia bona, ad ipsos, vel monasteria, seu quævis alia loca ipsius religionis, pertinentia, seu debita fuerint, sunt, vel esse debent patris, matris, seu fratris eorum, vel aliarum personarum prædictarum, & ad ipsas personas pertinere, vel debita ejus fore, vel alios quoscumque contractus similes fraudulenter & dolose confingi faciant, fierive procurent, per quos ecclesiæ, monasteria, & alia loca religionis ipsius, quibus præsunt, ac jura, redditus, possessiones, seu alia bona ipsorum, damnificari, gravari, obligari, vel alias impediri, seu deperire valeant quovis modo. Nos autem, omnes prænominatos, in grave & enorme præjudicium administrationum suarum talia committentes, vel fieri facientes, aut eis consentientes, præter alias pœnas juris, nisi infra duorum mensium spatium, a tempore contractus seu commissi huiusmodi numerandum, ea, quantum eis possibile fuerit, tolli fecerint, & cessare, & ecclesias, monasteria, prioratus, administrationes, loca prædicta, seu reddi fecerint indēnia, seu a talibus dispendiis liberaverint, excommunicationis sententiæ, eo ipso, decrevimus subjacere. Quod si forte præmissa effectualiter non potuerint revocare: teneantur, infra alios duos menses, illos duos immediate sequentes, ea suis superioribus revelare. Quod si non fecerint, sententiam excommunicationis incurrant: & alias pro dictis excessibus debite puniantur taliter, quod cedat cæteris in exemplum. Possint autem præsidentes, ac visitatores in provincialibus capitulis deputati, & eorum quilibet, abbates, & alios quoscumque prælatos, ac administratores non habentes superiores religionis eiusdem, qui huiusmodi sententiam excommunicationis incurrent, satisfactione præmissa absolvere, & cum eis, super irregularitate, si per simplicitatem

&

& juris ignorantiam, non tamen in contemptum clavium, Divina celebraverint, vel se ingesserint eisdem, inde contracta misericorditer dispensare; cæteros vero consimiliter absolvere, & cum eis in similibus casibus dispensare valeant immediati superiores eorum.

De mutuis. XXIII. Monasteriorum, & locorum religionis ejusdem dispendiis, quæ ex mutuorum contractu plerumque proveniunt precario, consultius intendentes: statuimus, quod abbas, præpositus, prior, seu quivis alius administrator dictæ religionis, cum per ipsum fuerit mutuum suscipiendum, ultra summam communi providentia, per annale capitulum, seu majorem partem ipsius, taxandam, infrascriptam solemnitatem observet: videlicet ut quilibet de prædictis superiorem ejusdem religionis non habens, qui habebit recipere mutuum supradictum, tractatum ad minus duorum dierum, non continuatorum, sed interpolatorum, cũ capitulo seu conventu suo diligentem habeat & maturum: & nihilo minus, de consensu sui capituli, vel conventus, mutuum hujusmodi recipiatur ab eo. In monasterio vero, prioratu, & administratione conventuali, vel non conventuali, superiorem immediatum in eadem religione habente: in conventuali videlicet, cũ conventu ipsius; in non conventuali, cum conventu superioris ecclesiæ, monasterii, sive loci, tractatus hujusmodi habeatur. Et nihilo minus in utroque licentia seu autoritas interveniat dicti superioris, quocunque nomine censeatur: eo plene certificato, in quantum commode fieri poterit, de omnibus, quæ intervenire debent in tractatu præfato. In quo quidem agatur, & clare liqueat, ob quam causam, cujusve summæ, & si fieri potest, a quibus creditoribus, & sub quibus conditionibus, & obligationibus, quibusve terminis, solvẽdum suscipiatur mutuum sæpe dictum. De iis nihilo minus authentica conficienda scriptura, in qua ea omnia, ac nomina illorum qui interfuerint in tractatu, ac etiam consentientium, recipientiũ, & autorizantium, exprimantur; & ipsorum autorizantium sigilla, scripturæ hujusmodi apponantur.

Prohibemus insuper, ne, prætextu alicujus procuratorii generalis (etiamsi contineatur in eo, quod procurator mutuum possit recipere, aut obligare ecclesiam, monasterium, vel alium locum) mutuum recipi valeat, ecclesia, monasterium, seu locus alius obligari: nisi prius prædicta omnia fuerint observata. Volumus autẽ, quod pecunia, quæ taliter, ut præmittitur, mutuo recipietur, nõ remaneat in solius antistitis, seu abbatis, vel prioris, vel administratoris hujusmodi contractum ineuntis principaliter potestate; sed, si commode fieri poterit, tradatur tribus, seu pluribus, aut paucioribus viris, prout expediens videbitur, providis & discretis, qui dictum mutuum ad illas utilitates seu necessitates convertant, ob quas noscitur fuisse contractum, qui super hoc fideliter exequendo, juramenti vinculo astringantur: districtius inhibentes, ne eorum, quæ debentur ecclesiis, monasteriis, seu locis aliis religionis ejusdem, remissio fraudulosa, & notabiliter damnosa, a quoquã valeat attentari. Permittimus tamen, quod si antistes, vel abbas, vel alii quicunque administratores religionis ejusdem, a locis quibus præfuerint; aut loca ipsa, a locis aliis dictæ religionis quibus subsunt, sint multum remota, & casus aliquis evidenter utilis seu necessarius occurrat, cui succurri non valeat, nisi ultra dictã summam communi providentia taxatam mutuum cõtrahatur: licitum sit eisdem absque solemnitate hujusmodi, & pœnis infrascriptis, ut tali casu valeat provideri, tantam, absque fraude qualibet, summam recipere mutuo, quanta necessaria fuerit pro casu præfato, sive ut sibi provideant pro eodem. Recipientes autem mutuum in casu hujusmodi, si superiores ejusdem religionis non habuerint, conventibus propriis; si vero superiores tales habuerint, eisdem superioribus (pro nihilo minus suis conventibus, si conventum habeant) infra octo dies, postquam eorum præsentiam habere commode potuerint, id exponere, & de iis quæ in ipso tractatu intervenerint, eos certiores reddere teneãtur; & conficiatur inde scriptura, si ipsis superioribus vel conventibus visum fuerit expedire. Prælatus autem, seu quivis administrator, qui semel receperit, sive particulariter, sive simul, summam prædictam, communi providentia, ut præmittitur, prætaxatam: quodcunque mutuum recipiat ultra eam, nisi esset modicum, quod tamen quartam partem ejusdem summæ non excedat, teneatur, sub infrascriptis pœnis, solemnitatem suprascriptam plenarie observare. Quod si abbas, præpositus, prior, vel administrator alius dictæ religionis, quocũque nomine censeatur, contra præmissa faciens, mutuum ultra prædictam summam communi providentia taxatam, absque dicta solemnitate, recipiendo, locũ sibi commissum, aut jura, redditus, seu possessiones ipsius expresse obligaverit, vel litteras, vel instrumenta concessionis, vel recognitionis, super hoc concesserit; seu alias submiserit: nisi infra sex menses immediate sequentes, obligationes & submissiones hujusmodi cessare fecerit, sit ei extunc, donec ea compleverit, ecclesiæ interdictus ingressus. Et insuper præpositi, priores, & alii administratores, superiorem ejusdem religionis, non tamen conventum habentes, si præfatum interdictum, per alios sex menses præfatos sex immediate sequentes, pertinaciter sustinuerint: sint extunc a suis administrationibus suspensi, donec obligationes prædictæ tollantur, & eorum administrationes redditæ fuerint indemnes. Suspensione autem hujusmodi durante, superiores immediati taliter suspensorum, administrationes eorum recipiant, easque per se vel alios fideliter gerere, & indemnes, pro posse, reddere studeant: ac nihilo minus, suspensos eosdem aliter punire, prout culpæ qualitas exegerit, non omittant. Si quis autem taliter suspensorum, superioribus ipsis in prædictis de facto contradicere præsumpserit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto: quam si sustinuerit pertinaci animo per sex menses, a dignitate, officio, administratione, seu beneficio, per eum obtenta vel obtento, privetur.

XXIV. Quoniam ex minus provida locatione locorum religionis ejusdem, seu concessione ipsorum ad firmam, seu proventuum locorum ipsorum, plurima pertulit hactenus dicta religio detrimenta: salubri prohibemus edicto, ne abbates, priores, præpositi, aut cæteri administratores religionis ipsius, sine causa necessaria vel utili, loca suæ administrationi commissa, vel proventus ipsorum locorum, ad firmam tradere seu locare præsumant. Quod si ex causa hujusmodi id facere voluerint, & capitulum seu conventum habuerint, non tamen superiorem religionis ejusdem: debeãt cum eodem capitulo seu conventu præmittere tractatum, de causa hujusmodi & de quantitate precii, & sub quibus obligationibus, & de persona illius, cui firma seu obligatio hujusmodi fuerit facienda, ipsamque facere cum consilio ipsius capituli, seu cõventus, vel majoris partis eiusdem. Si vero capitulum, seu conventũ proprium, & nihilo minus superiorem eiusdem religionis habuerint: non solum cum ipso capitulo, seu conventu, sed etiam cum eodem superiore, dictum tractatum præhabeant: & cum consilio capituli, seu conventus ipsorum, vel maioris partis eiusdem, ac de dicti superioris licentia, & non aliter, ad eas procedant. Si autem priores, vel præpositi, aut alii administratores extiterint, non habentes conventum, sed antistitem, abbatem, vel superiorem religionis eiusdem: tractatum prædictũ cũ eodẽ superiore præmittãt, & cũ ipsius licẽtia, & non

De locis tradendis ad firmam, vel non.

& non aliter, faciant firmam, seu locationem præfatam. Per hoc autem non intendimus prohibere, quo minus redditus, proventus administrationum suarum locare, seu vendere valeant, absque solennitate præmissa, ad tempus modicum, juxta morem in regione, qua erunt, solitum observari: statutis ecclesiarum, monasteriorum, vel aliorum locorum religionis ejusdem, si qua super hoc fuerint, rationabilibus observatis. Si tamen ex hujusmodi locatione, seu venditione proventuum, ad tempus modicum, ut præmittitur, faciendis, contingeret infra annum recipi pecuniam, vel aliud quod precium proventuum rei locatæ unius anni excederet: tunc solennitates præmissas volumus observari.

A

Similì modo etiam prohibemus, ne aliquo casu firme, sive locationes, seu venditiones hujusmodi, fiant per eosdem personis suspectis; neve quibusvis firmariis, seu conductoribus, sive emptoribus, liber originalis censuum, aut instrumenta, seu munimenta originalia, super juribus ecclesiarum vel administrationum confecta, tradantur; neve jurisdictiones per se, aut cum universitate, seu civitates, vel villæ, vel insignia loca, seu castra, vel fortalitia locentur, seu ad firmam tradantur, sive sub locatione, vel firma includantur: redditus tamen, seu proventus civitatum, villarum, locorum, castrorum, & fortalitiorum hujusmodi, prout præmittitur, vendi valeant seu locari. Vbi autem, occasione firmarum, aut locationum, seu venditionum hujusmodi, continget personas vel bona ecclesiastica ipsius religionis obligari, vel submitti: obligationes & submissiones hujusmodi fieri volumus ecclesiasticæ iurisdictioni & coertioni duntaxat, & per ecclesiasticā iurisdictionem & coertionem executioni mandari. Firmas autem, sive locationes, seu venditiones prædictas, locorumque traditiones, contra præmissa factas, instrumenta quoque, & alia quælibet documenta super eis confecta, viribus carere decrevimus, & nullius existere firmitatis. Et nihilo minus, abbates, priores, præpositi, & cæteri administratores, superiorem religionis eiusdem non habentes, qui contra fecerint: per præsidentes capitulis, vel per visitatores deputandos in eis, corrigantur. Cæteri vero per antistites, seu alios immediatos superiores eorum, si eis visum fuerit, in quinta parte precii locationis seu firmæ, fabricæ, seu ornamentis ecclesiæ, monasterii, seu loci, cui immediate suberunt, applicanda, & alias debite puniantur.

B

C

De registris & inventariis.

XXV. Vt ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum locorum religionis eiusdem, bona & iura salubriter conserventur: statuimus, quod præsidentes ecclesiis cathedralibus, monasteriis, prioratibus, & administrationibus aliis quibuscumque dictæ religionis, quamprimum commode poterunt, conficiant, seu confici faciant registra, in quibus possessiones, census, iura, & cætera bona immobilia, quæcumque & qualiacumque fuerint, ad eorum administrationes spectantia, singillatim & specifice describantur. Fiant etiam per eosdem registra de ornamentis ecclesiasticis, vasis, lectis, animalibus, & aliis rebus mobilibus, & se moventibus, pro agricultura, & alia instructione locorum, necessariis vel utilibus: & huiusmodi registra, in locis subiectis aliis locis superioribus religionis eiusdem, duplicentur, quorum unum in loco superiori, & reliquum in subiecto serventur. Visitatores quoque in provincialibus capitulis deputati, cum visitabunt loca suæ visitationi commissa, prælati, & etiam alii superiores,, cum fuerit opportunum, diligenter inquirant, an res & bona prædicta necessaria pro instructione locorum, teneantur in locis eisdem: & provideant, quod perpetuo teneantur in eis; & defectus, si quos in iis repererint, faciant emendari, & secundum quod culpa exegerit, puniant delinquentes.

Insuper, præsidentes præfati, cum possessiones administrationum suarum fuerint assecuti, inventoria de bonis mobilibus, & se moventibus, repertis in administrationibus ipsis, conficiant: ii vero, qui habent superiores religionis eiusdem, huiusmodi inventoria faciant duplicata, quorum unum in loco subiecto, & superiori reliquum assignetur: ut per ea, in quo statu administrationes ipsas receperint, valeat apparere. Fiant autem huiusmodi inventoria & registra per tabellionem, vel saltem in aliarum publicarum præsentia personarum. Adjicimus etiam, quod præsidentes ecclesiis cathedralibus, monasteriis, & locis aliis dictæ religionis, qui bona mobilia prioratuum, administrationum, & beneficiorum quorumlibet religionis eiusdem sibi subiectorum, vacantium in eisdem, tempore huiusmodi inventa, seu illa durante obvenientia, ex privilegio, vel consuetudine, seu alia causa rationabili, ad se asserunt pertinere; vasa, vestimenta, seu alia ornamenta Divino cultui deputata; animalia etiam tam pro agricultura, quam pro aliis ipsorum locorum necessitatibus, teneri inibi consueta; vasa vinaria, & coquinæ; lectos etiam, & alia supellectilia necessaria, seu vasa, nisi forte aurea vel argentea fuerint, nullatenus occupare, vel exinde asportare, aut sibi appropriare præsumant. In apprehendendis quoque bonis aliis, constitutionem felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. prædecessoris nostri, super hoc editam, quæ incipit, *Præsenti*, diligenter observent. Qui vero secus fecerint, juxta qualitatem delinquentium personarum, pœnas incurrant, quæ per constitutionem eandem ejus transgressoribus infliguntur.

De offic. ordi. in 6.

De solvendis censibus & redditibus pro alimētis constitutis.

XXVI. Cum sit rationi consonum, illos non debere onera recusare, qui rerum commoda complectuntur: statuimus, quod antistites, abbates, præpositi, archidiaconi, priores, & administratores cæteri religionis præfatæ, qui census, redditus, pensiones, seu quicumque similia debent, vel debebunt in posterum, pro alimentis quotidianis, vel pro vestiariis, cathedralibus ecclesiis, monasteriis, præposituris, prioratibus, officiis, administrationibus, seu locis aliis religionis ejusdem, sive in blado, vino, carnibus, oleo, piscibus, seu rebus aliis quibuscumque consistant, illa eis in terminis consuetis, vel præfixis, seu in antea præfigendis, integre solvere non omittant. Quod si præpositi, priores, archidiaconi, ac cæteri administratores ejusdem religionis, ea in ipsis terminis, vel saltem post, infra mensem, non solverint requisiti: quantum ascendit quarta pars illius debiti, ultra ipsum debitum nomine pœnæ solvere teneantur. Et si infra alium mensem immediate sequentem, non solverint, tam pœnam, quam etiam ipsum debitum principale: eo ipso sint, donec de prædictis fuerit integraliter satisfactum, a temporalium administratione suspensi. Et prælatus, durante suspensione prædicta, ministret per alium temporalia beneficii illius, qui suspensionem incurrit supradictam, & satisfaciat de prædictis. Antistites vero, si post lapsum terminum requisiti, infra duorum mensium spatium a die requisitionis hujusmodi computandum, satisfacere contempserint: pœnam tertiæ partis debiti incurrant irremissibiliter eo ipso. Abbates autem, & alii prælati religionis ejusdem, si post requisitionem consimilem, infra mensem satisfacere contempserint, incurrant pœnam consimilem ipso facto. Et si abbates, & alii prælati hujusmodi, per alium mensem sequentem, solvere non curaverint: a stallo chori, & loco capituli deputatis eisdem, sint ipso facto & tamdiu maneant suspensi, donec integraliter de debito & pœna satisfecerint memoratis; nulla remissione profutura eisdem. In prædictis tamen

D

E

men casibus, de principali debito satisfacto, antistites, abbates, & alii prælati prædicti, libere; inferiores vero, de suorum licentia prælatorum, remittere valeant pœnas præfatas, ab aliis, quam a præfatis antistitibus, abbatibus, & prælatis, sibi debitas pro prædictis.

Institutionibus regularibus inhærentes: statuimus, ut canonici in ecclesiis cathedralibus, monasteriis, sive locis aliis, collegiatis seu conventualibus dictæ religionis, constituti, consuetudine, seu usu,* .... abusu contrario obstante, in refectorio comedant in communi, nisi in casibus, in quibus & prout eisdem licitum est seu permissum, extra refectorium comededere, secundum regularia & canonica instituta: proviso, quod illi, quibus incumbit onus providendi, de victu canonicis eisdem provideant, & decenter, non in pecunia, sed in victualibus, prout cuilibet opus erit, de qua sufficientia & decentia victualium tractetur, & si expedierit, ordinetur in capitulo annali: decernentes, quod si redditus, vel pensiones, alicui ex canonicis singulariter hactenus, pro victualibus, fuerint assignati, nullatenus dimittantur eidem. Nos enim assignationes hujusmodi revocamus, & pro revocatis haberi volumus, & eas deinceps fieri prohibemus. Illi quoque, quibus incumbit onus, de vestiariis, calciamentis, & aliis coporis indumentis necessariis, dictis canonicis providendi, eisdem provideant sufficienter & decenter, a tempore congruo, juxta suppetentiam facultatum, & conditionem, seu qualitatem regionis: & illud quod dandum erit singulis canonicis, pro vestiario, & aliis prædictis, ordinetur & taxetur, si opus fuerit, in annali capitulo memorato. Ad hoc subjungimus, quod illi, qui prædicta ministrare tenentur, ad ea, omni excusatione cessante, ut præmittitur, ministranda, per superiores suos, aut in defectum eorum, per visitatores, vel præsidentes, in capitulo provinciali deputatos, & eorum quemlibet, compellantur: nec audiantur, si dicant privilegium, statutum, ordinationem, vel consuetudinem, contraria se habere; aut pro suis personis, eorumque statu, juxta personarum & officiorum decentiam, sustentandis, se asserant indigere Nulla quoque super hæc appellatio, nullave suppositio eis prosit: sed si tertio moniti, per aliqua dierum competentia intervalla,* monentis arbitrio relinquenda, præmissis efficaciter parere contempserint, removeantur a suis administrationibus, vel officiis, ipsaque aliis personis idoneis, prædicta complere volentibus, committantur. Abbates vero, præpositi, priores, ac cæteri non* superiores religionis ejusdem, vel habentes, si præsint collegiis, seu conventibus, qui de prædictis providere tenentur: non habentes siquidem superiores, a præsidentibus, ac visitatoribus, & eorum quolibet; cæteri vero, tam ab eisdem, quam & a dictis suis superioribus, per censuram ecclesiasticam, aliis remediis ad hoc congruentibus, ad id omnino cogantur: eisdem superioribus, nisi suos subditos; necnon dictis præsidentibus, ac visitatoribus, nisi abbates, priores, præpositos, & alios supradictos, efficaciter ad præmissa compulerint, graviter arguendis, & taliter corrigendis, quod cedat cæteris in exemplum. Cæterum, si redditus & proventus dignitatum, officiorum, seu administrationum, quibus onus prædictum incumbit, aut dicta victualia, vestiaria, seu alia pro victu seu vestitu necessaria, canonicis ministranda non suffecerint: possit prælatus in suo annali capitulo, cum consilio & assensu ejusdem capituli, vel maioris partis ipsius, autoritate apostolica, prioratibus, administrationibus, & aliis beneficiis per canonicos dictæ religionis solitis gubernari, quibus, eorum supportatis oneribus, ad hoc suffecerint facultates (vocatis tamen ad hoc prioribus, vel administratoribus, & aliis beneficiatis, qui eisdem præfuerint) pensiones perpetuas imponere, pro sufficienti supplemento defectus victualium, & vestimentorum, & aliorum necessariorum, pro habitu corporis duntaxat. Quas quidem pensiones extunc, tam illi qui eisdem prioratibus, administrationibus, & beneficiis aliis, tempore hujusmodi impositionis, præfuerint, quam successores eorum, solvere teneantur.

*f. seu potius abusu

*Deest, habentes

XXVII. Ut salutis autori purius serviatur, statuimus, quod universi canonici religionis præfatæ, ab esu carnium diebus sabbati, & per totum Adventum Domini, studeant abstinere: non obstantibus statutis, vel consuetudinibus contrariis quibuscumque. Super abstinentia vero hujusmodi ab esu carnium in quarta feria, & septuagesima, prælati, sive alii ad quos spectaverit, consuetudines & statuta antiqua, & nova, honesta & rationabilia, suorum locorum servent, & faciant observari. Illis tamen, qui ad majorem abstinentiam sunt astricti, per hæc esum carnium non intendimus indulgere.

De abstinentia carnium.

XXVIII. Rursus præcipimus, quod canonici religionis ejusdem, residentes in claustris, omnes simul, vel si similitudo* eorum non sinit, saltem quanto plures ex ipsis commode poterunt, in una domo dormiant & quiescant, juxta regularia & canonica instituta, non habentes separatas cameras, sive cellas: exceptis illis, qui propter senectutem, vel invaletudines corporales, aut propter administrationes, seu officia quæ gesserint, vel ex aliis causis, juxta depositionem sui superioris, rationabiliter excusantur. Statuimus etiam, quod in dormitoriis cellas non habentibus, cellæ de cætero nullæ fiant. Permittimus tamen, quod in eis, ubi sunt cellæ jam factæ, remaneant: sed a parte anteriori debeant aperiri, ita quod a transeuntibus, ii qui intra fuerint, conspici valeant, & videri; & quod per prælatos locorum, intra sex menses a tempore quo præsentes constitutiones fuerint multiplicatæ*, vel ipsis negligentibus, seu non valentibus, per visitatores in provincialibus capitulis deputatos, in prima visitatione quam impenderint, omnes tales cellæ ab anteriori parte valeant aperiri. Et si super hoc fuerint aliqui resistentes, vel impedimentum præstantes, seu præstari procurantes, vel dantes auxilium, consilium, vel favorem, publice vel occulte, vel hujusmodi cellas de novo facere præsumentes: excommunicationis incurrant sententiam, ipso facto: quos etiam ipsi prælati, & visitatores præfati, per alia juris & ipsius religionis remedia, valeant super his, autoritate apostolica, coercere. Ab hujusmodi autem excommunicatione, si ipsam incurrerint, possint absolvi per visitatores præfatos, vel per prælatos immediatos eorum, & cum eis, super irregularitate, si quam forsan contraxerint per simplicitatem, & juris ignorantiam, non tamen in contemptum clavium, celebrando, vel se ingerendo eisdem, per eosdem valeat dispensari.

De cellis sive * tenendis in dormitorio.

*Corr multitudo

*Corr. publicatæ

XXIX. Religionis ejusdem consulere commodis, & præcavere dispendiis cupientes: statuimus, ut si quis ecclesiæ cathedrali, monasterio, prioratui, præpositura, seu administrationi cuivis dictæ religionis præsidens, aut simplex canonicus, seu conversus religionis ejusdem, privilegia, litteras, vel instrumenta concessa seu confecta super libertatibus, possessionibus, rebus aut juribus eorumdem, aut vasa aurea, seu argentea, Divino cultui dedicata, necnon reliquias, ornamenta ecclesiastica, libros, aut res alias notabiles vel pretiosas ipsorũ, extra ecclesiã, monasteriũ, prioratũ seu administrationes hujusmodi, in damnum ipsorũ, apud suos consanguineos, vel propinquos, seu quoscumque alios, fraudulenter transportare, seu tenere præsumpserit, nisi ea, infra duorum mensium spatium,

De privilegiis, & rebus aliis non tenendis extra loca administrationum.

tium, prout possibile ei fuerit, ad loca ipsa reduxerit, vel eadem loca, seu administrationes, infra idem spatium, indemnia reddiderit: extunc præsidens ipse, tamdiu donec prædicta, ut præfertur, emendaverit, ab administratione temporalium sit suspensus; simplex vero canonicus, vel conversus, ad beneficia seu officia quælibet religionis ipsius obtinenda, sit eo ipso tamdiu inhabilis, quousque per immediatum superiorem ipsius, satisfactione præmissa, cum eo fuerit misericorditer dispensatum. Et si præsidentis ejusdem, qui tamen antistes non fuerit, culpa extiterit manifesta: per præsidentes in provinciali capitulo, seu visitatores per idem capitulum deputatos, pœnæ graviori subdatur.

De celebratione Missarum, confessione, & communione.

XXX. Hortamur præpositos, priores & administratores, singulosque canonicos dictæ religionis constitutos, in ecclesiis, monasteriis, & aliis eorum locis conventualibus residentes, ut si non frequentius, saltem bis in septimana; residentes autem in prioratibus, vel aliis locis non conventualibus, saltem semel in hebdomada; in scholis vero, vel alibi commorantes, infra quindecim dies saltem semel, salva honestate, & debita devotione, Missas studeat celebrare: alii vero canonici, non sacerdotes, ubilibet constituti, in qualibet quindena saltem semel confiteantur, & quolibet mense, reverenter eucharistiæ suscipiant sacramentum, nisi forte de proprii confessoris consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab ejus perceptione, eorum aliquis duxerit abstinendum. Per hoc autem statutis, consuetudinibus, ordinationibus, seu observantiis ecclesiarum, monasteriorum, seu locorum prædictorum, per quæ frequentius, pro certis diebus, confiteri, communicare, vel celebrare habeant, vel sæpius celebrando, locorum onera supportare, in aliquo non intendimus derogare. Adjicientes, quod abbates, præpositi, seu priores, & cæteri locis conventualibus prælidentes, die qualibet, rationabili causa cessante, Missam celebrent, vel audiant: & nihilo minus, in solennibus festis, in suis monasteriis, sive locis, Missas solennes studeant celebrare. Hortamur, quod in ecclesiis, monasteriis, sive locis aliis conventualibus, cum modestia, humiliter, & devote, horis nocturnis & diurnis, ad Divina officia universi & singuli canonici studeant convenire, ipsaque non transcurrendo, aut syncopando, sed tractim & distincte psallant & celebrent, ac devote. Sane in ecclesiis cathedralibus, monasteriis, & locis aliis conventualibus religionis ejusdem, Missa major per canonicum celebretur: & si inibi magnus, & ad hoc sufficiens fuerit canonicorum numerus, in officiis diaconatus aut subdiaconatus, ministrent hujusmodi celebranti. Et qui hebdomadarius fuerit Missæ majoris, cessante impedimento legitimo, horas canonicas incipiat, & collectas & orationes dicat. Transgressores vero præmissorum, debitæ subjaceant disciplinæ.

De reliquiis, & custodia ornamentorū, & provisione librorum.

XXXI. Denique, soliciti sint antistites & abbates, præpositi, priores, sacristæ, & administratores alii religionis præfatæ, quocumq; nomine censeantur, quibus hæc incumbunt, ecclesias, oratoria, altaria, reliquias, vasa, corporalia vestimenta, & alia ornamenta ecclesiastica, munda & nitida conseruare, & facere ab aliis conservari. De.....mariis quoque missalibus, aliis libris, & vestimentis, & ornamentis quibuslibet necessariis, juxta facultates, & exigentiam locorum suorum, ecclesiis & locis eisdem omnino provideant, seu faciant provideri. Quod si præmissa, pro posse, adimplere neglexerint, ad ea complenda competentibus remediis compellantur: & si opus fuerit, pars proventuum beneficiorum eorum, qui superiores habent in ipsa religione, pro præmissis necessaria, per superiores recipiatur eosdem, & in prædictorum provisionem per aliquem idoneum convertatur.

De criminalibus causis canonicorū ubi agitētur.

XXXII. In favorem religionis præfatæ, prohibemus, ne antistites & alii ecclesiastici judices, trahant professores religionis ejusdem, in causis criminalibus, ad eorum consistorium, seu judiciale tribunal, ubi causæ communiter audiuntur, sed alibi audiant dictas causas: nisi forte criminis manifesti enormitas aliud suaserit faciendum.

De venatoribus, & armis.

XXXIII. Porro a venationibus & aucupationibus canonici dictæ religionis abstineant, nec eis interesse, aut canes ad opus venandi, vel aves venaticas, per se vel alios tenere præsumant, nec a familiaribus secum morantibus teneri permittant: nisi saltus, vivaria, vel gerenas, propria; vel jus venandi in alienis haberent: quo casu hoc eis permittitur, dum tamen infra monasterium, seu domos quas inhabitant, aut eorum clausuras, venaticos canes non teneant, nec venationi præsentiam exhibeant personalem. Si qui vero eorum venationi, aut aucupationi, clamose, vel alias cum canibus vel avibus, ex proposito, interfuerint: si quidem abbas fuerit, vel prior, seu præpositus, aut alius administrator quicumque, non habens superiorem ejusdem religionis, per annum se noverit a beneficiorum collatione suspensum: quo casu jus collationis hujusmodi, eo modo quo sibi competebat, ad priorem claustralem, cum consilio & assensu conventus, vel majoris partis ipsius, durante suspensione hujusmodi, devolvatur. Si vero alius fuerit, ab administratione, si quam obtinet, sit per annum suspensus: quod si nullam administrationem habeat, eo ipso, per annum reddatur inhabilis ad administrationem, seu aliud ecclesiasticum beneficium obtinendum. Dicti quoque canonici infra septa suarum ecclesiarum, seu monasteriorum, arma nullatenus teneant, sine suorum licentia prælatorum: tenentes vero absque dicta licentia, per superiorem suum taliter puniantur, quod ipsorum pœna cedat aliis in exemplum. Super inhabilitate tamen & suspensione prædictis, præsidentes, & eorum quilibet, cum prælatis, & prælati cum eorum subditis, possint, si eis expediens visum fuerit, dispensare, injuncta transgressoribus pœnitentia salutari.

De delatoribus.

XXXIV. Quia nonnulli canonici dictæ religionis, contra prælatos vel superiores frequenter multa proponunt; non ut omnia per eos proposita probent, quod nec forte possent, sed ut infament de omnibus, & probatis forsan illorum aliquibus, finem consequantur optatum: districtius inhibemus, ne quivis canonicus religionis ejusdem, contra suum prælatum, vel superiorem, super crimine vel criminibus, deinceps quomodolibet admittatur; nisi prius se obligaverit ad pœnam congruam, si in probatione propositorum, vel alicujus eorum, defecerit, per eum irremissibiliter subeundam.

De collapsis ecclesiis & monasteriis in religione.

XXXV. Si aliqua ecclesia cathedralis, monasterium, seu alius locus religionis ejusdem, in religione, vel regulari observantia adeo sint collapsa, quod per antistitem, abbatem, vel alium prælatum, seu administratorem, vel canonicos proprios, verisimiliter nequeant reparari: statuimus, quod per præsidentes provinciali capitulo, & quemlibet eorumdem, ad requisitionem seu relationem visitatorum, prout eidem capitulo super hoc consulendo videbitur expedire, vel sine consultatione hujusmodi, si ex dilatione consulendi dictum capitulum * immineret, auctoritate apostolica, de alia ecclesia, monasterio, seu loco, in qua, vel quo, ejusdem religionis noscatur observantia reflorere, canonici assumantur idonei, & ad dictam ecclesiam, monasterium, sive locum, collapsam seu collapsum, mittantur, ibidem, quamdiu expediens

* Deest, periculum

diens fuerit, moraturi; per quos ecclesia, monasterium, seu locus hujusmodi reparetur. Illi vero canonici, ob quorum culpam, ejusdem ecclesiæ, monasterii, sive loci hujusmodi, lapsus seu deformatio noscitur contigisse, in ecclesia, seu monasterio, vel loco, de quo vel qua assumpti fuerint ii, qui ad ecclesiam, monasterium, seu locum, collapsam, vel collapsum, ut præmittitur, transmittentur, vel loco alio, in quo eadem religio vigeat, per præsidentes eosdem, & eorum quemlibet, prout expediens fuerit, autoritate apostolica, collocentur, ubi eorum mores valeant reformari: districtius inhibentes, ne monasteria, seu loca alia collegiata, seu conventualia, religionis ejusdem, ecclesiis, monasteriis, sive locis, religiosorum quorumcumque alterius habitus, uniantur, vel etiam submittantur, sine licentia sedis apostolicæ speciali: si secus actum fuerit, decernentes irritum & inane.

De canonicis, & conversis, proprietariis, & negotiatoribus.

XXXVI. Licet contra religiosos proprietarios sit provisum per canonicas sanctiones: tamen specialius providere volentes contra illos canonicos & conversos dictæ religionis, qui suæ salutis obliti, contra regulares & canonicas institutiones, pecuniam congregant, jura, possessiones, redditus, seu censsus annuos, & alia bona emunt, seu emi faciunt, aliquando proprio, & sæpe nomine alieno, multis super his figmentis adhibitis, aliis tradunt animalia nutrienda, & cum augmento vel lucro sibi aut alteri reddenda, eorum nomine seu pro ipsis; & alios multos contractus diversimode tanquam negotiatores exercent, necnon appetentes & sectantes lucra turpia, peculium occultant, & illicite detinent, in suarum periculum animarum: decernimus omnia præmissa, quæ tamen restitutioni non subjaceant aliorum, nedum post obitum, sed etiam in vita ipsorum canonicorum * conversorum, fore administrationi, ad quam pertinuerint, applicanda, quacumque consuetudine contraria non obstante; quodque nulli canonico, vel converso, talia faciendi licentia a quoquam valeat indulgeri; & quod præfati canonici & conversi prædicta committentes, seu quicumque religionis ejusdem, supradicta retineant, sibi ipsis appropriantes, vel applicationi hujusmodi resistentes, vel impedimentum publice aut occulte ecclesiæ præstantes, seu præstari procurantes, vel dictum peculium habentes, & non revelantes prælatis propriis: si per eosdem prælatos specialiter & nominatim moniti, infra mensem post monitionem hujusmodi immediate sequentem, a prædictis non destiterint, vel peculium non revelaverint, & restituerint, si restituendi habuerint facultatem, sint eo ipso inhabiles ad prioratus, officia, administrationes, & beneficia quælibet, in religione hujusmodi obtinenda. Concedimus tamen, quod cum talibus canonicis, seu conversis, antistites, abbates, præpositi, & alii prælati eorum immediati, possint super inhabilitate hujusmodi dispensare, quando eis videbitur expedire: dummodo a prædictis destiterint, & peculium & alia supradicta revelaverint, & restituerint, ut præfertur. Teneantur insuper prælati & superiores præfati, in suis annalibus capitulis monere generaliter annuatim omnes proprietarios, ut ab omnibus supradictis desistant excessibus, & peculium, si quod habent, revelent, & restituere non postponant.

* Adde, &

De conspiratoribus.

XXXVII. Cum ex conspirationis & conjurationis crimine, si forte transeat impunitum, multa mala & scandala possint exoriri: statuimus, quod conspiratores, & conjuratores, si qui religionis ejusdem de crimine hujusmodi legitime convicti fuerint, vel confessi, præter alias pœnas talibus a jure vel alio quovis modo inflictas, eo ipso beneficiis & administrationibus quibuslibet, quæ obtinuerint, sint privati; si vero beneficiati non fuerint, eo ipso reddantur inhabiles ad quævis beneficia, seu administrationes ecclesiasticas, quomodolibet obtinenda. Contra conspiratores autem, & conjuratores occultos, quorum notitia non habetur, per superiorem, aut visitatores, etiam pœnæ aliæ, prout expedire videbitur, generaliter statuantur. Si vero aliquis de prædictis ad cor reductus, illi, vel illis, qui tanguntur ex eis, ipsas patefecerit tali tempore, quod possint hujusmodi factionibus obviare: dignus absolutione & venia habeatur.

De fugitivis & ejectis.

XXXVIII. Ne canonici religionis præfatæ, vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurrant: statuimus, ut præsidentes provincialibus capitulis, necnon abbates, præpositi, priores, & alii ad quos id pertinuerit, fugitivos, & ejectos de ordine suo requirant solicite annuatim: qui, si in ecclesiis seu monasteriis recipi poterunt secundum ordinem regularem, recipiant * in eis, salva ordinis disciplina. Quod si disciplinati, incorrigibiles apparuerint: autoritate nostra provideant præsidentes, & alii prædicti, ut apud easdem ecclesias, seu monasteria, in locis competentibus, a communi fratrum consortio segregati, ponantur ad agendam pœnitentiam: ubique vitæ necessaria ministrentur eisdem, nec pateat aliis fratribus, aut cuiquam alteri, accessus ad eos, nisi prius a superiore petita super hoc licentia, & obtenta. Si vero hujusmodi fugitivos & ejectos, inobedientes invenerint, eos excommunicent: & tamdiu faciant ab ecclesiarum prælatis excommunicatos publice nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur.

* Corr. recipiantur

Insuper statuimus, quod prælati, & alii ad quos pertinuerit in ipsa religione correctiones facere regulares, quoties & quando adeo pro gravioribus culpis habebunt pœnitentias injungere, faciant cum aliquorum proborum consilio, & tractatu præhabito cum eisdem. Per præmissa vero iurisdictioni ordinariorum non intendimus derogare. Vt autem statuta huiusmodi, quæ religionis eiusdem salutem sapiunt, & profectum, ad cunctorum professorum eiusdem ordinis notitiam reducantur, ac inviolabiliter & fideliter observentur ab eis: apostolica autoritate, præsentium tenore, præcipimus, quod statuta prædicta in primis provincialibus capitulis eorumdem, a principio usque ad finem, publice legantur, & solemniter publicentur, eorum singulæ copiæ singulis ecclesiis, monasteriis, atque locis religionis eiusdem, habentibus capitula, collegia, seu conventus, per præsidentes dictis capitulis, eorum sigillata sigillis tradantur, & etiam assignentur; expensis tamen capitulorum, seu conventuum, quibus huiusmodi dandæ fuerint copiæ, conscribenda: quodque in singulis ecclesiis, monasteriis, atque locis dicti ordinis, statuta præfata bis in anno legantur; statutis aliis & consuetudinibus dicti ordinis, & privilegiis quibuscumque, si qua forsan huiusmodi statutis per nos editis obviarent, omni, quoad hæc, deinceps robore carentibus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, ordinationum, voluntatum, inhibitionum, concessionum, & mandatorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit: indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum Avinioni. Id. Maii, pontificatus nostri anno quinto.

ANNO CHRISTI 1335.

*** CONCILIUM ROTOMAGENSE

A Petro archiepiſcopo cum ſuffraganeis habitum in monaſterio B. Mariæ de Prato prope Rotomagum, anno Dom. M. CCC. XXXV. menſe Septembri.

Ex MS. V. Cl. Emerici Bigotii.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De Divinis officiis religioſe celebrandis.*
2. *De vita & honeſtate clericorum.*
3. *De vita & honeſtate monachorum.*
4. *Ut capellani in beneficiis deſervire compellantur.*
5. *Ut patroni ad beneficia non præſentent pro pecunia.*
6. *Ut non impediantur eccleſiaſtici decimas colligere.*
7. *Ut prælati negligentes non ſint in promovendo paſſagio ultramarino.*
8. *De inſtauratione fabricæ, librorum, & ornamentorum.*
9. *De parochis inſtitutis per alios, quam diœceſanos.*
10. *Ut caſus in quibus incurritur excommunicatio, prima Dominica menſis in eccleſiis publicentur.*
11. *Ut publice exponantur caſus, ſedi apoſtolicæ & diœceſanis reſervati.*
12. *Ut rectores eccleſiarum ſint favorabiles ordinibus Mendicantium.*
13. *Ut hæc & alia provincialia ſtatuta publicentur.*

PRÆFATIO.

AScendens ad patrem paſtor æternus, Dei filius, gregem proprii ſanguinis effuſione comparatum, per ſanctos apoſtolos, quorum in locum ſuccedunt & vice funguntur pontifices, voluit & decrevit protectione continua cuſtodiri: ut Chriſtianus populus iiſdem rectoribus gubernetur, & obſervetur a noxiis, & ad ſalutaria dirigatur. Et quamvis ſancti patres multa ſtatuerint ſalubria, quæ pro reformatione morum in populo, & in clero, ſuis in temporibus videbantur poſſe ſufficere: dierum tamen creſcente malitia, nulla viris ſanctis ad humanæ naturæ varietatem & ejus machinationem inopinabilis, ſufficit ad elucidandum ambiguitatem, vel attingit. Hac itaque conſideratione, nos Petrus miſeratione Divina Rotomagenſis archiepiſcopus, ac eadem gratia Ioannes Abrincenſis, & G. Sagienſis, perſonaliter; necnon G. Bajocenſis, Guido Lexovienſis, Gaufridus Ebroicenſis, & Guillelmus Conſtantienſis, epiſcopi, per procuratores idoneos conſtitutos, in provinciali concilio, in prioratu beatæ Mariæ de Prato juxta Rotomagum convocati, & inſimul congregati; vocatis etiam ad dictum concilium, tam eccleſiarum cathedralium capitulis, quam abbatibus, conventualibuſque prioribus, ordinum quorumcumque, necnon ſæcularium aliquorum collegiatorum provinciæ Rotomagenſis capitulis, per ſe, & per procuratores idoneos, præſentibus in concilio memorato: ipſo toto approbante concilio, pro reformandis moribus præſertim in clero, & pro relevandis, in quantum eſt nobis poſſibile, ab oppreſſionibus, eccleſiis, ſalva tamen in omnibus ſedis apoſtolicæ autoritate, infra ſcripta duximus ſtatuenda.

CAPITULA.

I. *De Divinis officiis religioſe celebrandis.*

PRimo, quia plerumque cathedralium eccleſiarum, & collegiatarum, ſæcularium & regularium eccleſiarum, perſonæ (quæ in puritate conſcientiæ & animi devotione, ſacrificium laudis Altiſſimo, cujus, utpote peculiaris populus, ſunt mancipati obſequiis, jugiter offerre deberent) ſacra Miſſarum ſolemnia, aliaſque horas canonicas, tranſcurrendo & ſyncopando, variaque & otioſa, interdum inhoneſta intermiſcendo colloquia, & multipliciter alias indevote pſallere non verentur; tarde quoque ad eccleſias conveniunt & ad chorum, & inde abſque cauſa rationabili, ſed currendo potius poſt ſuas voluntates illicitas, non expletis Divinis officiis, diſcedendo: ideo ſtatuit præſens concilium, quod conſtitutio ſuper his edita in generali concilio Viennenſi, quæ ſic incipit: *Gravi nimirum* &c. [item concilium præcipit] inviolabiliter obſervetur, & ſingula contenta in ea frequenter in ſynodis, capitulis, Kalendis ſeu convocationibus, doceantur; & inſuper in cathedralium & collegiatarum, tam ſæcularium, quam regularium, eccleſiarum capitulis recitentur, & intelligibiliter exponantur; & tranſgreſſores ipſius, per ordinarium & alios ſuperiores, ſic rigide, mediante juſtitia, puniantur, quod, etſi non amore virtutis, ſaltem pœnæ formidine, inducantur ad impendendum cordis & labiorum ſuorum Altiſſimo gratum fructum.

Clement. de celebratione Miſſarum.

II. *De vita & honeſtate clericorum.*

Rurſus quia perſonæ eccleſiaſticæ, præſertim curam animarum habentes (quæ ſicut aliis præſunt, ſic præ illis exemplari vita præfulgere deberent operibus virtutis) in multis hujus provinciæ partibus, quod dolenter referimus, in ſtatu, geſtu, & habitu, ſic diſſolute & inhoneſte incedunt, quod non ſolum in clericali, ſed potius in ſæculari videntur malitia mancipari plerique: quod procul dubio Majeſtatem Divinam non mediocriter offendunt, qui ſic vitam inhoneſtam ducunt, & ultra modum diſſolutam, quo immaculata Dei ſancta mater eccleſia contemptibilis redditur, qui tales illo pernicioſo exemplo multos pertrahunt ad ruinam: ideo ſtatuit præſens concilium, quod conſtitutio ſuper his, in provinciali concilio, in eodem prioratu de Prato, necnon & omnes aliæ conſtitutiones in dicto

ANNO CHRISTI 1335.

dicto provinciali concilio editæ, quæ incipiunt: *Non debent irreprehensibiliter iudicari:* quas omnes & singulas præsens concilium approbavit, & etiam innovavit; [& quæ] in synodis, capitulis, convocationibus decanatuum, frequenter recitentur, & intelligibiliter exponantur; & transgressores ipsarum, per locorum diœcesanos & alios superiores, sic rigide, mediante justitia, puniantur, quod cedat cæteris in exemplum; &, si se reddant incorrigibiles in præmissis, quod a corpore cleri, tanquam membra inutilia, abscindantur, prout ordo poscit rationis, loco eorum viris idoneis & Deum timentibus subrogatis.

III. *De vita & honestate monachorum.*

Quia etiam in præsenti concilio relatum est, quod in plerisque hujusmodi provinciæ partibus constitutio generalis concilii Viennensis quæ incipit, *Ne in agro Dominico*, contemnitur; monachi etiam dissolute & inhoneste per patriam pervagantur, publice arma portantes, cum habitu nimirum breviato, nodato, stricto, & aliis quamplurimum indecenter ornato: ideo statuit præsens concilium, quod dicta constitutio generalis concilii, & omnia contenta in ea, cum diligentia observentur; & transgressores omnes, per illos ad quos pertinebit, rigide puniantur; & abbas ac priores, in his quæ ad eorum pertinebunt officium, illos quos repererint incorrigibiles in præmissis, diœcesanis, aut eorum vicariis, habeant denotare, ut per eorum providentiam malo occurratur.

Clem. de statu monachorum.

* *f.* nimium

IV. *Vt capellani in beneficiis deseruire compellantur.*

Præsenti quoque concilio reprobatum est, quod si qui instituantur in capellaniis perpetuis fundatis per testatores & alios Christi fideles, plerumque in illis non deserviunt, nec faciunt deservire; atque perceptis, & frequenter in malis usibus consumptis fructibus & proventibus, eorumdem libros & ornamenta distrahunt, & consumunt illos, & eorum domos pro derelictis dimittunt; ex quibus inter cætera, illa sequuntur inconvenientia, quod & eorum fundatores suo fraudantur desiderio, & alii Christi fideles a fundatione consimiliter retrahuntur. Et ideo statuit præsens concilium, quod locorum ordinarii, & alii ad quos pertinebit, ad corrigendum hæc & similia diligenter intendant; & ad impendendum debitum obsequium, per subministrationem beneficiorum hujusmodi, & aliis juris remediis, ipsos compellere non postponant.

A

V. *Vt patroni ad beneficia non præsentent pro pecunia.*

Cæterum quia plerumque ecclesiarum patroni ad ecclesias & alia bona ecclesiastica præsentant pro pecunia, & pro alio illicito commodo vel emolumento, odibile Deo crimen simoniæ committendo: ideo præsens concilium, constitutionem synodalem, in quibusdam partibus provinciæ præsentis super his editam, ad totam provinciam extendendo, statuit quod hoc de B cætero prohibeatur fieri; & qui de cætero contrarium fecerit, tam dans, quam permittens, aut recipiens, sub quovis colore quæsito, post monitionem etiam generalem, excommunicationis incurrent sententiam ipso facto: a qua non poterunt absolvi, præterquam in mortis articulo, nisi per diœcesanos, seu illos quibus specialiter id duxerint committendum, & insuper plenaria restitutione facta de eo omni, quod occasione eorum fuerit ante receptum, C quod per manus diœcesanorum in pios usus decrevit præsens concilium convertendum.

VI. *Vt non impediantur ecclesiastici decimas colligere.*

Ex frequentibus quoque personarum ecclesiasticarum querelis significatum est præsenti concilio, quod plerique qui nomen Domini in vanum recipere non verentur, viris sæpe ecclesiasticis multas inferunt molestias, ipsos contra sacrorum canonum præcepta impediendo, ac minis & coloribus D quæsitis multipliciter perturbando, quo minus decimas quas percipere consuevimus, possint per se vel per alios colligere, & ubi voluerint cum quadrigis, seu animalibus, aut aliis, deportare. Ideo præsens concilium talia de cætero fieri prohibuit, statuendo, ut talia facientes, & fieri facientes, nisi requisiti desistant, & omne impedimentum sine difficultate amoveant, post monitionem etiam generalem, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto: E a qua non absolvantur, nisi prout superius de aliis est expressum. Et idem etiam statuit de decimis novalium, quæ ad ipsos pertinent, seu imposterum pertinebunt.

VII. *Vt prælati, negligentes non sint in promouendo passagio ultramarino.*

Item, quod ecclesiarum prælati, capitula, & ecclesiarum rectores, in promotione instantis sancti ultramarini passagii, quod

ANNO CHRISTI 1335.

dominus rex Francorum assumpsit, se red- A dant plerique modo negligentes, non celebrando Missas pro persecutione sancti ejusdem passagii, per sedem apostolicam septimanis singulis ad celebrandum deputatas, neque populum ad orandum & subveniendum, prout per apostolicas litteras injunctum est, exhortando: ideo præcipit distincte idem concilium, quod in præmissis diligenter de cætero curam adhibeant, si Dei & ipsius sedis apostolicæ effugere voluerint ultionem, exponendo pœnas & in- B dulgentias concessas ipsi sancto passagio, & super hoc sæpius prædicando, per se vel per alios, & ad subveniendum salutaribus monitis exhortando. Legata quoque donata, & alia emolumenta, quæ ex ordinatione apostolica debent dicto sancto passagio applicari, solicite, fideliter, & curiose exigere non postponant, alia omnia dictum passagium continentia, juxta litterarum apostolicarum super his directarum continentiam & tenorem.

VIII. *De instauratione fabricæ, librorum, & ornamentorum.* C

Constitutionem super reparatione cancellorum & librorum ecclesiasticorum, alias in provinciali synodo editam (quæ incipit:
„ Statuimus quod abbates, & priores, & aliæ
„ personæ ecclesiasticæ, quæ percipiunt ma-
„ jores decimas in ecclesiis parochialibus,
„ compellantur ad restaurandum fabricam,
„ libros, & ornamenta, pro rata pro qua per-
„ cipiuntur in eisdem, juxta tamen consue-
„ tudinem & usum hactenus observatum) declarando: statuit præsens concilium, quod D quoties alicujus cancelli imminebit reparatio facienda, si sit pecunia vel thesaurus penes thesaurarios ecclesiæ, vel quoscumque alios, ante omnia in reparatione hujusmodi expendantur. Si autem non sit thesaurus, & super hos sit aliqua consuetudo introducta, servetur: dummodo debite & legitime introducta sit. Si non sit pecunia vel thesaurus, vel consuetudo legitime introducta: ii qui recipiunt grossas decimas, pro partibus quibus recipiunt, ad reparatio- E nem hujusmodi teneantur. Et quia causæ hujusmodi celeritatem desiderant, procedatur summarie & de plano, ac sine strepitu, & judicii figura. Nihilo minus statuentes, quod quando cito de cætero imminebit reparatio facienda, ad manus diœcesanorum ponantur, arrestentur, & teneantur, & quicumque de cætero, post hujusmodi arrestum, scienter dictas decimas capere, seu de loco ad locum transferre præsumpserint, seu capi & arrestari mandaverint, aut procuraverint, nisi intra quindecim dierum spatium bona hujusmodi fuerint restituta, vel satisfactio pro eis impensa, post monitionem generalem, excommunicationis sententiam incurrent ipso facto: a qua non poterunt absolvi, nisi prout de aliis expressum est superius, restitutioneque prius facta de ablatis.

IX. *De parochis institutis per alios quam per diœcesanos.*

Porro quia aliqui plerumque in parochialibus ecclesiis instituuntur per alios, quam per diœcesanos, sine autoritate ipsorum: statuit idem concilium, quod quoties aliquem sic de cætero continget institui, idem institutus, infra quadraginta dies a tempore corporaliter adeptæ possessionis, coram diœcesano seu ejus vicario comparere [a] personaliter, fidem facturus debitam de titulo, si quem habet in beneficio sic adepto, ac præstiturus diœcesano de & super obedientia, fidelitate, & residentia, & aliis consuetis, debitum & solitum juramentum: & ad hoc per locorum decanos, statim elapsis dictis quadraginta diebus, per captionem & detentionem fructuum & proventuum ecclesiæ, compellatur.

[a] *Deest*, debeat

X. *Ut casus in quibus incurritur excommunicatio, prima Dominica mensis in ecclesiis publicentur.*

Quia vero in multis articulis, variisque de causis, excommunicationis sententiæ, tam sacrorum canonum, quam provincialium & synodalium constitutionum autoritate, prolatæ sunt, quas plerumque laici & ignari incurrunt, ob hoc quia constitutiones hujusmodi minime publicantur, non sine multis periculis animarum: statuit præsens concilium, quod quilibet diœcesanus in sua synodo casus, de quibus ipsis videbitur, per quos quis generalium, provincialium, seu synodalium constitutionum autoritate, potest excommunicationis sententiam incurrere, quovis modo diligenter exponat, & inter consuetudines synodales inseri faciat & conscribi: & provincialibus [a] presbyteris injungat, ut recepta earumdem copia, hanc diligenter & intelligibiliter lingua materna exponant in suis ecclesiis prima Dominica cujuslibet mensis, ne populus subditus, in causam crassæ ignorantiæ & supinæ, in suarum animarum periculum, prolabatur.

[a] *Corr.* parochialibus

ANNO CHRISTI 1335.

XI. *Vt publice exponantur casus sedi apostolicæ & diœcesanis reservati.*

Quia etiam plerique religiosi, excommunicatos a canone, præterquam in casibus à jure permissis, aliqui etiam sæculares, sicut fide digna tenet assertio, a peccatis quæ sibi in foro pœnitentiæ aperiuntur, frequenter absolvunt, etiam in casibus sedi apostolicæ & diœcesanis specialiter reservatis, in hoc graviter delinquendo, & confitentes hujusmodi decipiendo, qui se, cum tamen non sint, reputant a dictis omnibus absolutos; necnon religiosi aliqui excommunicatos a canone (præterquam in casibus a jure permissis, vel per privilegia eisdem concessa) vel a sententiis quæ per statuta provincialia aut synodalia promulgantur, aut a pœna & culpa absolvunt, excommunicationis, autoritate constiturionis generalis concilii Viennensis, incurrendo sententiam ipso facto, seque & populum decipiendo catholicum, non sine gravibus periculis animarum. Ideo statuit præsens concilium, quod singuli diœcesani in suis synodis, & decani in suis capitulis, seu Kalendis, exponant casus dictæ sedi apostolicæ & diœcesanis specialiter reservatos, populum instruendo quod de præmissis absolvi non possunt, nisi per diœcesanos aut eorum pœnitentiarios, vel illos quibus hoc specialiter dicti diœcesani duxerint concedendum. Et si qui religiosi vel sæculares asserant, sibi potestatem in dictis casibus per diœcesanum fuisse concessam: de ipsa, antequam ea utantur in aliqua parochia, teneantur curato illius parochiæ, per litteras potestatem hujusmodi continentes, facere promptam fidem: quas litteras præcipimus gratis eis exhiberi.

XII. *Vt rectores ecclesiarum sint favorabiles ordinibus mendicantium.*

Eosdem tamen parochialium ecclesiarum rectores, aliasque personas ecclesiasticas provinciæ memoratæ, in Domino exhortamur, ut fratres Prædicatores, Minores, & aliorum mendicantium ordinum, cum ad eorum loca & monasteria accesserint, ipsis se exhibeant favorabiles & benignos.

XIII. *Vt hæc & alia provincialia statuta publicentur.*

Præcipit quoque, quod omnes diœcesani copiam hujusmodi constitutionum, & aliorum provincialium conciliorum recipiant, & in suis synodis frequenter publicare procurent, & ea in suis civitatibus & diœcesibus faciant firmiter observari.

Actum in provinciali concilio, loco prædicto, die Lunæ post Nativitatem beatæ Mariæ virginis, cum continuatione dierum aliorum, anno Domini MCCCXXXV.

ANNO CHRISTI 1336.

*** CONCILIVM APVD CASTRVM GONTERII,

A Petro Turonensi archiepiscopo & suffraganeis celebratum anno Dom. MCCCXXXVI.

Ex MS. collegii Parif. Soc. IESV.

TITVLI CAPITVLORVM.

PRÆFATIO.

AD decus & decorem totius ecclesiæ provinciæ Turonensis, cujus lactis dulcedine alimur, sanctitate decoramur, naturaliter cogimur, & totis cordis visceribus compellimur, injurias repellere, & jura ipsius, prout nobis possibile est, conservare intacta: nos Petrus permissione Divina archiepiscopus Turonensis, nostrorum prædecessorum vestigiis inhærentes, nonnulla quæ pro honestate & utilitate ecclesiæ a sanctis retro patribus sunt statuta, summarie recitantes, Dei Christi nomine primitus invocato, vocatis suffraganeis nostris, abbatibus, & capitulis, & aliis qui fuerant evocandi, & præsentibus qui voluerunt & potuerunt interesse, nostrum provinciale concilium apud Castrum Gonterii, Andegavensis diœcesis, duximus celebrandum. In quo de consilio & consensu dictorum suffraganeorum nostrorum, abbatum, & aliorum vocatorum, & deliberatione totius præsentis sacrosancti concilii, capitula quæ sequuntur, duximus statuenda, promulganda, seu etiam innovanda.

CAPITVLA.

I. *Vt iniuria non fiat litigantibus in foro ecclesiastico & propinquis eorum.*

EXigit perversorum improbitas, ut qui pœnarum timore impositarum, libertates, & jurisdictiones ecclesiasticas usurpare, impedire, diminuere, seu turbare non verentur, pœnarum aliarum adjectione terreantur. Cum igitur in concilio Salmurensi, quod incipit, *In nomine Domini, Amen. Nos Gaufridus.* §. *Præterea.* contra impedientes jurisdictionem ecclesiasticam declaratæ salubriter, & statutæ fuerint certæ pœnæ: nos de- (ann. 1315. c. 2.)

ANNO CHRISTI 1336.

declarando decernimus, & decernendo declaramus, quod banna in....... & quascumque damnificationes, ipsis litigantibus, vel litigare volentibus in curia ecclesiastica, vel propinquis eorum, clam vel palam, directe vel indirecte, & alias quomodolibet inferendas, & generaliter omnes alios modos, quibus jurisdictionẽ ecclesiasticam contigerit impediri, sub fine in verbis variis coloribus quæ sunt*, in dicto concilio intelligimus comprehendi. Quæ verba ita debere accipi & declarari promulgamus. Cujus concilii pœnas, ad infringentes & violantes consuetudines antiquas & libertates ecclesiarum & personarum provinciæ Turonensis, duximus extendendas.

*Corr. quæsito

II. *De usurpantibus iurisdictionem spiritualem.*

Item cum pridem recolendæ memoriæ dominus Simon, quondam legatus in Francia, in suo concilio Bituris celebrato (ann. 1276. c. 7.) provide duxerit statuendum, quod si quis temporalem jurisdictionem exercens, de excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiis, videlicet an juste vel injuste latæ essent, aut aliis mere ecclesiasticis seu spiritualibus causis, decisionem seu cognitionem præsumeret usurpare, per diœcesanos locorum, autoritate dicti concilii, desistere moneretur: & nisi competenter monitus desisteret, ad hoc eum per censuram ecclesiasticam compellerent ordinarii memorati. Nos statutum hujusmodi, quod male fuit hactenus observatum, volentes juris executione supplere: omnes & singulos, qui jurisdictionem temporalem exercent, & in posterum exercebunt, præsentis concilii autoritate monemus, ut quidquid usurpare præsumpserint hactenus de prædictis, id studeant effectualiter revocare, & a talibus abstineant in futurum. Omnes autem illos ex eisdem, qui post mensem, a publicatione præsentis concilii numerandum, prædictorum cognitionem, & decisionem præsumpserint usurpare, autoritate præsentis concilii excommunicationis sententiam incurrere statuimus ipso facto.

III. *De pedagiis non exigendis a clericis.*

Porro cum juris sit provisione statutũ, quod pro rebus ecclesiasticarũ personarũ pedagia nullatenus exigantur; & in provinciali concilio Nannetis (ann. 1264. c. 7.) pridem celebrato provide fuerit prohibitum, ne pro rebus clericorum aut quarumcumque ecclesiasticarum personarum, quas non mercimonii causa per terram duci faciunt, vel per aquam, quisquam pedagia exigat, vel coustumas aut exactiones alias, quocumque nomine censeantur; statutumque fuerit in eodem, quod si aliquis, a locorum ordinariis in generali canonica monitione præmissa, ut a prædictis desistat, contra hoc attentare præsumeret, excommunicationis sententiam incurreret ipso facto: contra quod concilium multas fraudes cognovimus hactenus esse commissas. Nos volentes prohibitionem & statutum dicti concilii perpetuis temporibus observari; dictum concilium, prohibitiones, & statuta hujusmodi, autoritate præsentis concilii innovamus: clericos quoque, & personas ecclesiasticas, qui vina, blada, & alias res de suis rebus patrimonialibus hereditariis, seu beneficiis, collecta, habita, & percepta, causa vendendi, ut pecuniam inde habitam in suos usus convertant, per terram duci faciunt vel per aquam, intelligimus, & debere intelligi declaramus, hoc non facere mercimonii causa, taleque commercium esse clericis & personis ecclesiasticis licitum, & liberum a pedagiorum, coustumarum, & exactione quacumque. Ut omnis fraus in prædictis, quatenus fieri poterit, evitetur: præhabita statuta, pœnas, & sententias præfati concilii, illos qui a vectoribus & ductoribus rerum prædictarum, quas dicti clerici & personæ ecclesiasticæ taliter duci faciunt per terram, vel per aquam, pro ipsis rebus & ductione, vel vectatione earumdem, exigunt pedagia vel coustumas, præsentis autoritate concilii comprehendere declaramus: non obstante consuetudine & usu contrariis, si quis fuit; qui dicendus est potius abusus, & etiam corruptela.

IV. *De cessione, & de vexatione per privilegiatos.*

Item prohibemus districte, ne (sicut alias nostram provinciam visitantes comperimus pluries esse factum) aliquis aliquos adversarios suos, maxime illum seu illos qui circa ipsum vel suos familiares, consanguineos, vel affines, in foro ecclesiastico suas justitias prosequuntur per aliquem seu aliquos privilegiatos, qui contra eos nihil habeant quæstionis, malitiose seu vexationis causa, virtute privilegiorum privilegiatorum prædictorum, maxime ad remota, seu diversa loca deinceps citari, aut vexari faciat indebite quovis modo, vel procuretur; & ne talibus privilegiis contra personas hujusmodi, fraudulentas seu fictas vexationis causa deinceps faciat cessiones. In omnes autem & singulos, qui post mensem a tempore publicationis præsentis concilii, prædicta aut eorum aliqua malitiose & fraudulenter de cætero præsumpserint attentare, autoritate præsentis concilii excommunicationis sententiam promulgamus.

V. De

ANNO CHRISTI 1336.

V. *De injicientibus manus in superiores.*

*ann. 1273. c. 1. Item cum in provinciali concilio * Redonis celebrato statutum extiterit, quod si aliquis in hoc genus sacrilegii inciderit, quod in episcopum, abbatem, vel abbatissam, manus injecerit, vel in domos ipsorum ignem immiserit; si clericus fuerit, omni beneficio ecclesiastico, tam obtento, quam obtinendo, ipso facto sine spe restitutionis sit privatus; si vero laicus prædicta attentaverit, vel aliquid de prædictis, ejus liberi usque in gradum tertium, a susceptione primæ tonsuræ, & omnium ordinum, ac quolibet beneficio ecclesiastico, habeantur per totam provinciam Turonensem penitus alieni. Cujusmodi concilium a nonnullis in hac parte male fuit sæpius intellectum. Nos ad omnem ambiguitatem tollendam, quantum ad pœnas prædictas incurrendas, in casu in quo clericus sæcularis, vel alius episcopi subditus in episcopum, religiosus in abbatem, monialis in abbatissam, proprios, vel domos eorundem attentaverint, prædicta non aliter intelligimus, & debere intelligi declaramus.

VI. *De invadentibus & detinentibus bona ecclesiastica.*

*ann. 1268. c. 1. Sane cum dudum in concilio * Castri Gonterii fuerit provida deliberatione statutum, quod barones, & milites, & baillivi, potestates, personæve aliæ sæculares, si post monitiones & inhibitiones legitimas, generaliter per locorum ordinarios, vel de eorum mandato eis factas, ecclesias, domos, prioratusve, aut possessiones, vel res alias ecclesiasticas, indebite occuparent, seu invaderent, aut in religiosis domibus ponerent comestores, ipso facto essent excommunicationis sententiæ vinculo innodati: & in alio

*ann. 1273. c. 3. provinciali concilio postmodum * Redonis celebrato, statutum hujusmodi fuerit innovatum, adjecto, ut loca ad quæ bona taliter occupata deferrentur, & in quibus detinerentur, supponeret diœcesanus episcopus, prout & quando videret expedire, ecclesiastico interdicto: declarato etiam in concilio memorato, bona ecclesiastica intelligenda in hoc casu, non solum bona propria clericorum, verum etiam deposita, commodata, & ab iis conducta, & precario concessa, & quorum eædem personæ habent possessionem vel detentionem quamcumque, & quæ in ipsorum servitio caperentur; necnon si personarum ecclesiasticarum occasione, & in ipsorum præjudicium vel contemptum, homines eorum, & bona ipsorum hominum qui sub jurisdictione temporali consisterent ecclesiæ, caperentur, vel invaderentur, hac appellatione voluit dictum concilium contineri; & quia facientes & consentientes par pœna constringit, receptatores & defensores, invasores, raptores & malefactores hujusmodi, de quibus superius fit mentio, eisdem pœnis quibus & maleficos ipsos, eo ipso quod eosdem reciperent vel defenderent, voluit & præcepit dictum concilium subjacere: nos statuta conciliorum hujusmodi, sacri præsentis approbatione concilii innovamus. Et quoniam rerum & negotiorum experientia nos instruxit, quod personæ sæculares superius declaratæ, hujusmodi abusibus non contentæ, ad captiones & incarcerationes clericorum & ecclesiasticarum personarum, quod pejus est, damnabiliter manus laxant: statuimus & etiam ordinamus, quod si qua potestas sæcularis, cujuscumque præeminentiæ, conditionis aut status existat, per se vel per submissam personam bona hujusmodi receperit, vel occupaverit, captave & occupata detinuerit, personasve ecclesiasticas incarcerare & imprisionare præsumpserit, vel incarceratas seu imprisionatas detinere: dominus temporalis, sub cujus districtu & dominio temporali delicta & excessus hujusmodi commissi fuerint, & etiam perpetrati, & locorum ad quæ hujusmodi personas ecclesiasticas & bona transferri continget, si præsens fuerit in diœcesi ubi delictum hujusmodi fuerit perpetratum, & tute & commode possit adiri; vel si absens fuerit, baillivus ejus, seu senescallus, aut locum tenens ipsorum, vel alterius eorundem; vel si commode & tute nequeant inveniri, publice & in generali, in ecclesia cathedrali, ex parte ordinarii loci sub quo delicta hujusmodi fuerint perpetrata, super præmissis restitutio requiratur; & nisi infra octo dies, a tempore requisitionis hujusmodi numerandos, personas ecclesiasticas sic captas & detentas restituant ordinariis eorundem, bonaque superius declarata, sic capta & occupata & invasa, plene reddant & restituant, & super hoc emendationem faciant ecclesiæ & læsis competenter: civitatem, castellaniam, castrum, villam, in quibus delicta hujusmodi fuerint perpetrata & commissa, & ad quas personæ ecclesiasticæ vel bona hujusmodi translata fuerint (quandiu detinebuntur ibidem, & donec personas ecclesiasticas & bona sic capta & detenta restituant, & super hoc emendam faciant competenter) ex tunc ecclesiastico supponimus interdicto, pœnis, tam in conciliis supra dictis, quam aliis juribus, appositis contra tales, in suo robore duraturis.

VII. *De immunitate ecclesiæ.*

Quia vero scandalosum est, & quamplurimum

ANNO CHRISTI 1336.

rimum contrarium rationi, ut in Dei ecclesia, ad quam pro securitate homines consueverunt recurrere, & in qua devotæ sunt orationes faciendæ, alicui injuria inferatur, aut a suis malevolis diffidetur, tumultus vel impetus excitetur: omnes & singulos in Dei ecclesia seu cœmeterio existentes* injuriose percutientur, aut animo malevolo diffidentur, tumultumve seu impetum ex quibus oriatur scandalum aut Divinum officium perturbetur, facientes, & in ipsis, vel eorum aliquo facientes, ejusdem autoritate concilii, sententia excommunicationis percellimus.

VIII. *De impedientibus oblationes ecclesiæ.*

Cæterum quia ex plurimorum questione didicimus, quod nonnulli contra rectores ecclesiarum rancore concepto, quibusdam cogitatis machinationibus & conspirationibus, pro juribus ecclesiæ minuendis, quandoque clam, nonnunquam palam & publice, parochianis ecclesiarum, & aliis ad ecclesias causa peregrinationis & devotionis accedentibus, inhibent, ne oblationes debitas & consuetas reddant; & quandoque, ut alibi eas faciant, quam ubi consueverunt & tenentur offerre, seu ex devotione ordinaverunt, per minas & alias machinationes inducunt: nos talibus machinationibus illicitis & prohibitionibus, ut tenemur, obviare volentes: præsentis autoritate concilii, inhibentes malitiose ne oblationes debitæ, vel alias ex devotione fidelium faciendæ, ubi ab antiquo fieri consueverunt, vel alias ex devotione fidelium fuerint ordinatæ, offerantur; & fraudulenter inducentes, ut alibi & ad alia opera fiant, quam hactenus consueverunt fieri, &, ut prædicitur, ex devotione fidelium fuerat ordinatum; eorumque complices & consortes, & ad hoc solicitantes clam vel palam eosdem, sententiam excommunicationis incurrere volumus ipso facto.

IX. *De statutis hujus concilii publicandis populo certis diebus.*

Præterea ne quis super pœnis in præsenti concilio statutis, prætextu ignorantiæ se valeat excusare: statuimus & etiam ordinamus, quod rectores ecclesiarum quarumcumque provinciæ Turonensis, statuta in præsenti concilio ordinata, perpetuo, anno quolibet, prima die Dominica in Adventu Domini, Dominica post festum Epiphaniæ Domini, prima die Dominica in Quadragesima, Dominica in Passione Domini, Dominica post Pentecosten, Dominica post festum Assumptionis beatæ Mariæ virginis, per se, vel per alios, in suis ecclesiis publicent populo congregato, & lingua materna sufficienter exponant, dum ibi Divina contigerit celebrari: pœna, si defecerint in præmissis, contra eos arbitrio ordinariorum imponenda.

X. *De certis diebus, quibus Missam celebrare non licet in domibus sine capellis.*

Item autoritate præsentis concilii statuimus, & etiam ordinamus, quod quotiescumque per aliquem episcopum, alicui nobili, aut alii personæ sæculari, celebrandi Divina officia in domibus suis seu capellis, licentiam contigerit impartiri, quod illi sex dies, scilicet prima dies Dominica in Adventu Domini, Dominica post festum Epiphaniæ, prima dies Dominica in Quadragesima, Dominica in Passione, Dominica post Pentecosten, Dominica post festum Assumptionis beatæ Mariæ virginis, ab ista generali concessione sint excepti: in quibus sex diebus per nullum poterit in dictis domibus seu capellis celebrari, nisi per rectorem parochialis ecclesiæ, vel ejus capellanum vel alium de mandato rectoris ejusdem: qui in ipsorum nobilium vel aliorum præsentia, prædicta capitula tenebuntur publicare, dum Divina dictis diebus inibi celebrabunt: ne velamento alicujus ignorantiæ super hoc se valeant excusare, & concessæ ad præsens indulgentiæ, quantum ad hos sex dies, restringantur.

XI. *De publicandis priorum conciliorum certis quibusdam statutis.*

Item ordinamus, & districte præcipimus, quod singuli episcopi provinciæ Turonensis, ea de conciliis provincialibus, & a prædecessoribus nostris hactenus editis, quæ pro subditorum securitate viderint publicanda, maxime pœnalia, & specialiter capitulum, *Item præcipimus potestates*, &c. dudum editum in concilio Turonensi, in capitulo, *Ad honorem*, in singulis ecclesiis parochialibus suarum civitatum & diœcesum, & alibi, ubi & quando viderint opportunum, faciant sine moræ dispendio publicari, & lingua materna exponi, ne laici, & alii simplices homines, pœnas in ipsis contentas periculose incurrant: & ne ab hoc se valeant prætextu ignorantiæ excusare.

ann. 1282. c. 10. Corr. incipiente

XII. *Ut episcopus in sua diœcesi absolvat a casibus hujus concilii.*

In omnibus casibus, in quibus excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententias duximus in præsenti concilio promulgandas, cuilibet episcopo in suis civitate & diœcesi, absolvendi hujusmodi excommunicatos & suspensos, & interdicti hujusmodi

ANNO CHRISTI 1336.

modi relaxandi, in forma ecclesiæ, autoritate præsentis concilii concedimus potestatem.

In quorum omnium testimonium, sigillum nostrum, una cum sigillis suffraganeorum nostrorum ad hoc præsentium & consentientium, præsentibus duximus apponendum. Datum & actum ut supra, die Mercurii ante festum beati Clementis, anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo sexto.

ANNO CHRISTI 1337.

** CONCILIUM AVENIONENSE,

A trium provinciarum episcopis in monasterio S. Rufi anno Dom. MCCCXXXVII. celebratum.

Nunc primum prodit ex cod. MS. illustrissimi archiepiscopi Rem. coadjutoris, Car. Maur. Tellerii.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De Missa B. Mariæ semel in hebdomada celebranda.*
2. *De indulgentia associantibus corpus Christi, cum ad infirmos portatur, concessa.*
3. *De claudendis fontibus baptismalibus.*
4. *De sacramento Eucharistiæ in tempore Paschali a parochialibus solum presbyteris ministrando.*
5. *Ut beneficiati, & in sacris ordinibus constituti, in diebus Sabbati a carnibus habeant abstinere.*
6. *Qualiter prælati possint benedicere in diœcesi aliena.*
7. *De sententia excommunicationis ab ordinario lata, exigente excommunicati inobedientia, per prælatos alios publicanda.*
8. *Ut censura ecclesiastica sic urgente contumacia exerceatur, quod nullus ultra juris terminos abutatur.*
9. *Qualiter contra illos, qui excommunicationis sententiam contemnentes, exemplo perniciosa peragunt, procedatur.*
10. *Ne ecclesiasticæ personæ titulum jurisdictionis, quam pacifice possederunt, sæculari ostendere teneantur.*
11. *Ut persona ecclesiastica per nullum judicem temporalem in criminalibus vel personalibus distringatur.*
12. *Ut clericus contra clericum, ad judicem sæcularem vel alium laicum, pro facienda justitia vel inferenda violentia, non recurrat.*
13. *Provisio contra illos qui bona & jura ecclesiasticarum personarum subtrahunt, diminuunt, dissipant, & invadunt.*
14. *Provisio contra illos, qui bona & jura ecclesiastica invaserunt, vel quomodolibet occuparunt.*
15. *Ut hi qui res ab ecclesiis qualitercumque tenent, in alienatione earum, teneantur de jure ecclesiarum expressam facere mentionem.*
16. *Ne quis in loco suo retineat bona ecclesiarum alibi indebite ablatarum.*
17. *Ut sæcularis potestas clericum per ipsam captum, cito judici suo restituat, nihil exigens ab eodem.*
18. *Ut deferentibus litteras pro jurisdictione ecclesiastica exercenda nulla injuria vel violentia inferatur.*
19. *Prorogatio jurisdictionis in invasores, occupatores, ecclesiasticorum bonorum & jurium exercendæ.*
20. *Ut excommunicati, ad nullum publicum officium admittantur.*
21. *Ut nullus sine superioris licentia alicui quomodolibet ministret toxicum vel alia venenosa.*
22. *De pœnis, toxicum vel herbas mortiferas in mortem alicujus ministrantibus, inferendis.*
23. *Qualiter contra exemptos & privilegiatos, in diversis abutentes suis privilegiis, procedatur.*
24. *Ut testamentis parochianorum intersint presbyteri, & per episcopum distribuantur restitutiones incertæ.*
25. *Quod episcopi in distributionibus legatorum vocentur, prout ad eos pertinet vel de consuetudine vel de jure.*
26. *Ut nullus confessorum, sine diœcesani licentia, quemquam præsumat absolvere in casibus infra scriptis.*
27. *De instrumentis debitorum soluto debito restituendis, & si apud debitores remaneant, cancellandis.*
28. *Ut instrumenta debitorum, vel manuscripta, post certum tempus, nullam in foro ecclesiastico ad probationem habeant roboris firmitatem.*
29. *Ut nullus bona ecclesiarum vacantium occupet, nisi si per consuetudinem vel privilegium hoc licuerit.*
30. *Ut nulla persona ecclesiastica cum potestatibus sæcularibus posse habens, det consilium vel juvamen, contra ecclesiasticas libertates.*
31. *Ut nullus in sacris ordinibus constitutus, & curam animarum habens, in judiciis sæcularium curiarum gerat officium publicum vel privatum.*
32. *De modo probandi electionem sepulturæ illorum, qui apud religiosos elegisse dicuntur.*
33. *Ut sine novi census impositione vel veteris augmentatione beneficia conferantur.*
34. *Ut monachi in ecclesiis suis infra certum tempus perpetuos vicarios repræsentent.*
35. *Ut nullus beneficium conferat, in quo jus tantum obtinet patronatus.*
36. *Ut præsentatus patrono non juret, sine diœcesani licentia, nec ab alio institui se patiatur, nec beneficium obtentum dimittat.*
37. *Ut ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ a talliis & exactionibus sæcularium per ordinarios defendantur.*
38. *Ut clerici, macellariorum & tabernariorum officia personaliter exercentes, moneantur ut a prædictis desistant officiis, si gaudere voluerint privilegio clericali.*
39. *Ne quæstæ vel aliæ exactiones per sæculares hospitalibus imponantur.*
40. *Ut domini temporales non impediant vel prohibeant, quominus ecclesiarum rectoribus decimæ persolvantur.*
41. *Ne statuta & ordinationes fiant super decimis, funeralibus, oblationibus, & aliis, contra laudabiles consuetudines & ecclesiæ libertates.*
42. *De societatibus, colligationibus, & conjurationibus, quas confratrias appellant, radicitus extirpandis.*
43. *Ne clerici, præter diœcesani licentiam, ecclesias teneant, nec ibi armatos tenere præsumant.*
44. *De clericis arma portantibus, & qualiter puniantur.*
45. *De honestate clericorum circa barbam non nutriendam, & coronam debitam deferendam.*
46. *De honestate canonicorum sæcularium, & dignitates habentium, in vestibus deferendis.*
47. *Ut hi qui voces in capitulis non habent, cum habentibus se non ingerant, nec ad distributiones quæ dantur, capitulantibus admittantur.*
48. *Ut canonici, præsertim dignitates habentes, per duos menses in ecclesiis suis residentiam annis singulis facere personaliter teneantur.*

49. *Ut canonici, prætextu seu colore cujusvis officii vel servitii, distributiones non recipiant quas non essent recepturi.*
50. *Ut hi qui dignitates seu personatus habent, seu habituri sunt, intra certum tempus, ad sacros ordines, prout dignitates seu personatus ejusmodi exigunt, se faciant promoveri.*
51. *Ut prælati remissionem delinquentium adinvicem faciant requisiti.*
52. *De excommunicatis compellendis redire ad gremium ecclesiæ per judicem sæcularem & appositionem pœnæ.*
53. *Ne prohibeantur prælati jurisdictionem suam exercere.*
54. *Ne prohibeantur directe vel indirecte clerici coram suo judice litigare.*
55. *Ut infra domos prælatorum, & in eorum officialium præsentia, injuria nulli fiat.*
56. *De bannis solvendis a clericis, & per quos & qualiter exigantur.*
57. *De contrahentibus matrimonia clandestina in diœcesi aliena.*
58. *De abusoribus litterarum domini Papæ, & legatorum, & qualiter puniantur.*
59. *Ut beneficiati sine diœcesani licentia non componant.*
60. *Ne beneficiati res ecclesiasticas absque diœcesani licentia, præterquam in certis casibus, alienent.*
61. *In quo statu debeant dimitti beneficia, & per successorem teneri.*
62. *De inventario bonorum ecclesiasticorum infra certa tempora faciendo.*
63. *De testamentis per beneficiatos secundum consuetudines laudabiles faciendis.*
64. *De statutis, bannis, & praeconizationibus contra consuetudines ecclesiæ editis, prohibendis.*
65. *De contributione expensarum, necessaria inter omnes beneficiatos diœcesis, facienda.*
66 *Ut Iudæi utriusque sexus, signa deferant, per quæ ab aliis discernantur.*
67. *Tunc sententia interdicti servetur, cum ab ordinario datum fuerit in mandatis.*
68. *De Iudæis pro medicina exhibenda non requirendis, nec, si se ingesserint, admittendis.*
69. *Cum absolutio vel dispensatio in casibus præsentis concilii, superiori non reservatur, per ordinarium, vel per alium ad quem ordinarius remittet, expediri poterit, vel debebit.*

PRÆFATIO.

In nomine Domini, Amen.

ANtiqui patres, sanctitatis gratia prædití, & tam exemplo quam opere, beatitudinis munere affluentes, curam pastoralis solicitudinis salubriter exercentes, sua sæpius concilia celebrarunt, in quibus per justitiæ regulam, suis consuluerunt temporibus opportuno regimine ecclesiasticæ disciplinæ, morum gestus induxerunt laudabiles, & subditorum errantium periculis feliciter obviarunt. Ideoque nos permissione Divina Galbertus [a] Arelatensis, Bertrandus Ebredunensis, & Armandus Aquensis, archiepiscopi, prædictorum patrum antiquorum vestigiis inhærentes, ac subditorum nostrorum saluti, quantum nobis ex alto permittitur, prospicere cupientes: de infra scriptorum episcoporum suffraganeorum, & capitulorum nostrarum provinciarum absentium, consilio & assensu: videlicet nos Galbertus Arelatensis archiepiscopus, cum venerabilibus in Christo patribus, dominis eadem gratia, Petro Aurasicensi, Hugone Tricastinensi, Ia-

[a] *alias Gasbertus vocatur.*

A cobo Tolonensi, Hugone Carpentoracensi, Philippo Cavallicensi, Ioanne Massiliensi, Ioanne Avinionensi, & Rocherio Vasionensi; & cum Arelatensis, Aurasicensis, Tricastrinensis, Tolonensis, Carpentoracensis, Cavallicensis, Massiliensis, Avinionensis, & Vasionensis capitulorum procuratoribus sufficienter comparentibus; & nos Bertrandus Ebredunensis archiepiscopus, cum Bertrando Senesiensi, Elziario Diniensi, Iacobo Glandatensi, Arnaldo Vencienfi, & Guillelmo Niciensi; & cum discreto viro magistro Ioanne Durandi, clerico intitulato in ecclesia.................. Grassensis absentis; & cum Senesiensis, Glandatensis, Grassensis, Venciensis, & Niciensis, capitulorum procuratoribus sufficienter comparentibus; & nos Armandus Aquensis archiepiscopus, cum Bartholomæo Forojuliensi, Gaufridio Regensi, Rostanno Cistaricensi, & Guillelmo Aptensi, episcopis nostris suffraganeis; ac cum religioso viro fratre Lantelmo Desparrone, priore prioratus de Alamon Vapincensis diœcesis, procuratore venerabilis patris domini Dragoneti episcopi Vapincensis absentis; ac cum Regensis, Cistaricensis, Aptensis, & Vapincensis, capitulorum procuratoribus sufficienter comparentibus: in loco seu monasterio sancti Rufi, ordinis sancti Augustini, Avinionensis diœcesis, Arelatensis supra dictæ provinciæ, provinciale concilium celebrantes, prorogata primo jurisdictione de locis ad locum, per nos Ebredunensem & Aquensem archiepiscopos, nostrosque suffraganeos præsentes, nobis Galberto Arelatensi archiepiscopo, & Ioanne Avinionensi episcopo, & procuratoribus supradictis hac vice consentientibus: ad honorem omnipotentis Dei, & præcelsæ gloriosæ Virginis matris suæ, totiusq; cælestis curiæ beatorum, ac morum reformationem, delictorum & excessuum correctionem, ac animarum nostrarum & subditorum nostrorum utilitatem, & statum ecclesiasticum salubrius conservandum: hoc sacro approbante concilio ad infra scripta statuta edenda, seu aliqua eorum innovanda & declaranda, processimus ut inferius continetur. Protestati tamen fuimus ante omnia, quod per infra scripta statuta, seu aliqua eorumdem, statutis provincialibus, seu synodalibus, seu ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum, olim rationabiliter editis in nostris provinciis, derogare non intendimus: nisi si & in quantum dictis nostris statutis infra scriptis reperirentur per contrarietatem vel alias obviare.

CAPITULA.

I. *De Missa B: Mariæ semel in hebdomada celebranda.*

In primis statuimus, &c. *ut in concil. Avenion. ann.* 1326. *cap.* 1.

II. *De indulgentia associantibus corpus Christi, cum ad infirmos portatur, concessa.*

Si propter Christum reverentia sanctis ejus impendi, *&c. Ibid. cap.* 2.

III. *De claudendis fontibus baptismalibus.*

Sacri fontes, &c. *Ibid. cap.* 5.

IV. *De sacramento Eucharistiæ in tempore Paschali a parochialibus solum presbyteris ministrando.*

Item desiderantes, illud præceptū generalis concilii,

concilii, pro animarum salute & catholicæ fidei .... quod omnis utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerit, reverenter recipiat ad minus in Paschate Eucharistiæ sacramentum, sic a Christi fidelibus solicitudini nostræ commissis efficaciter observari, quod nulli, quæsitis coloribus, & simulatis devotionibus, vel alias, dum ab aliis quam a propriis sacerdotibus recipere velle se asserunt corpus Christi, fraudem quærentes facere canoni, fraudent potius semetipsos: præsentis deliberatione concilii statuimus inhibendo, quod curati nostrarum civitatum, diœcesum, & provinciarum, nulli parochiano suo, cujuscumque conditionis vel sexus existat, in festo Paschæ, nec in octo diebus immediate præcedentibus, & octo subsequentibus, concedant licentiam recipiendi, nisi ex causa infirmitatis, nec etiam alicui conferendi seu ministrandi, sacramentum Eucharistiæ extra ecclesias suas parochiales, vel alias ecclesias ubi per ipsos curatos ministrari extitit consuetum. Si qui autem curati, hujusmodi statuti fuerint transgressores: autoritate præsentis concilii, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. Prælati autem sic præsens statutum diligenter observent, ut alicui, nisi ex causa rationabili, recipiendi sacramentum prædictum illo tempore, alibi quam in parochiali ecclesia, licentiam non concedant.

V. *Ut beneficiati & in sacris ordinibus constituti, in diebus sabbati a carnibus habeant abstinere.*

Item cum deceat viros ecclesiasticos, præsertim beneficia ecclesiastica obtinentes, in modo vivendi sic inter homines exemplariter conversari, ut laici eorum informentur exemplo, non autem ex clericorum abusu corruptis moribus deformentur: statuimus, quod clerici beneficiati, aut in sacris ordinibus constituti, ab inde in antea semper in diebus sabbati, pro honore B. Mariæ, carnibus abstineant: nisi ex causa necessitatis; de qua comedentis conscientiæ relinquatur, vel nisi festum Natalis Domini in die sabbati contigerit evenire. Alioquin contrarium facientes, pro quolibet die Sabbati quo carnes comedere attentaverint, per unum mensem ipso facto ab ingressu ecclesiæ sint suspensi.

VI. *Qualiter prælati possint benedicere in diœcesi aliena.*

Item statuimus quod quilibet, &c. *ut in concil. Avenion. ann.* 1326. *cap.* 46.

VII. *De sententia excommunicationis ab ordinario lata, exigente excommunicati inobedientia, per prælatos publicanda.*

Item statuimus, quod ex quo per propriam civitatem, &c. *Ibid. cap* 6.

VIII. *Ut censura ecclesiastica sic, urgente contumacia, exerceatur, quod nullus ultra iuris terminos abutatur.*

Item cum censura ecclesiastica sit eo moderamine a viris ecclesiasticis exercenda, quod officium debitum operando, non cogatur ad noxam & scandalum tendere, quæ ad medelam & remedium est inducta; & excommunicationis lata sententia, contra contumaces & in excommunicationis sententia dormientes, possit expressis a jure provisionibus aggravari, quod ad peregrinas adinventiones & multipliciter perniciosas recurrere, sit tam inutile, quam damnosum: statuimus quod ab inde in antea nullus ecclesiasticam jurisdictionem exercens, contra excommunicatos ab ipsis, quantocumque tempore excommunicationis sententiam animo sustinuerint indurato, procedat ad faciendum projici lapides in domum excommunicationis sententia innodati, vel faciendum venire capellanum indutum veste sacerdotali, ad domum excommunicati prædicti, vel portandum libitinam seu feretrum, vel alia similia, quæ a jure non reperiuntur expressa; sed aliis provisis a jure remediis utantur ad pœnam contumacium aggravandam. Exercentes autem jurisdictionem ecclesiasticam hujusmodi, qui contrarium fecerint: excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, nec subditi nostri, curati vel alii, eisdem teneantur in prædictis aliqualiter.

IX. *Qualiter contra illos, qui excommunicationis sententiam contemnentes, exemplo pernicioso peragunt, procedatur.*

Cæterum abominabitur, proh dolor, &c: *ut in conc. Auen. ann.* 1326. *cap.* 7.

X. *Ne ecclesiasticæ personæ, titulum iurisdictionis, quam pacifice possederunt, sæculari ostendere teneantur.*

Item quod sæculares domini, &c. *Ibid. cap.* 8.

XI. *Ut persona ecclesiastica per nullum iudicem temporalem in criminalibus vel personalibus distringatur.*

Item quod nullus dominus, &c. *Ibid. c.* 9.

XII. *Ut clericus contra clericum, ad iudicem sæcularem vel alium laicum, pro facienda iustitia vel inferenda violentia, non recurrat.*

Item prohibemus statuendo, &c. *Ibid.* A *cap.* 10.

XIII. *Provisio contra illos qui bona & iura ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum subtrahunt, diminuunt, dissipant, & invadunt.*

Quoniam aliqui, &c. *Ibid. cap.* 11.

XIV. *Provisio contra illos qui bona & iura ecclesiastica invaserunt, vel quomodolibet occuparunt.*

Item statuimus & etiam ordinamus, &c. B *Ibid. cap.* 12.

XV. *Vt hi qui res ab ecclesiis qualitercumque tenent, in alienatione earum teneantur de iure ecclesiarum expressam facere mentionem.*

Item cum quidam suæ salutis immemores, tenentes ab ecclesiis castra, villas, domos, terras, nemora, prata, seu quasvis alias possessiones, in emphyteosim, vel sub certo feudo, dominio, seignoria, censu, servitio, pensione, vel præstatione quacumque, plerumque illas vel illa vendunt, permutant, C vel donant, seu alias ignorante domino distrahunt, nulla de emphyteosi, feudo, dominio, seignoria, censu, servitio, pensione, vel præstatione, quodve ab ecclesia teneatur, habita mentione; quin immo interdum ipsas seu ipsos, tanquam ab omni censu, servitio & pensione, seu quovis alio jure ecclesiis debito liberas, alienant: nos tam saluti talia volentium attentare, quam indemnitati ecclesiarum providere volentes: statuimus, quod quicumq; tenens ab ecclesiis nostris, vel nobis subjectis, castra, villas, domos, possessiones, vel alienas res immobiles, seu loca D vel jura, cum ad venditionem, donationem, permutationem, seu quamvis aliam alienationem eorum vel earum, duxerit procedendum, de feudo, emphyteosi, & si canon vel pensio propria non solvatur, servitio, censu, dominio vel seignoria, pensione, seu quavis alia præstatione, eisdem ecclesiis debitis (etsi in alienatione de jure vel de consuetudine non sit illius a quo tenetur requirenda scientia vel consensus) expressam debeat facere mentionem. Alias si aliquod prædictorum, ecclesiis prædictis debitorum, in contractu seu alienatione hujusmodi negaverit, vel scienter omiserit: excommunicatio- E nis incurrat sententiam ipso facto. Eandem pœnam incurrat notarius, qui scienter, sine expressione hujusmodi jurium, de contractu fecerit instrumentum.

XVI. *Ne quis in loco suo retineat bona ecclesiarum alibi indebite ablata.*

Item quod loca, &c. *ut in concil. Avenion. ann.* 1326. *cap.* 13.

XVII. *Vt sæcularis potestas clericum per ipsam captum, cito iudici suo restituat, nihil exigens ab eodem.*

Item quod privilegium, &c. *Ibid. c.* 14.

XVIII. *Vt deferentibus litteras pro iurisdictione ecclesiastica exercenda, nulla iniuria vel violentia inferatur.*

Cum justitiæ jus suum cuilibet tribuenti, & ipsius ministris ac reipublicæ, plurimum detrahatur, si processus ipsorum ministrorum justitiæ, iniquorum contingat machinationibus impediri: nos volentes talium, justitiæ cultum impedientium, ausus temerarios timore disciplinæ ecclesiasticæ cohibere, provisione præsentis concilii duximus statuendum: quod si quis, cujuscumque status & conditionis existat, nuncios aut executores nostros, & suffraganeorum nostrorum, officialium & vicariorum, seu eorum loca tenentium, vel vices gerentium, aut alias litteras & scripturas judiciales nostras, vel suffraganeorum, vicariorum, & officialium prædictorum deferentes, hac occasione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, vulnerare, interficere, vel mutilare, seu litteras & scripturas prædictas auferre, seu eas rumpere, cancellare, vel alias destruere quoquo modo, vel ablata celare, vel deferentes compellere ad frangendum, vel, ut eorum verbis utamur, ad manducandum hujusmodi litteras vel scripturas, aut quod prædicta seu aliqua prædictorum fiant procuraverit, aut facientibus dederit consilium vel favorem: excommunicationis sententiæ, quam ex nunc ferimus, subjaceat ipso facto: a qua, nisi prius judici cujus autoritatem contempserit, & passo injuriam, & cæteris quorum intererit, prout excessus exigit atrocitas, satisfecerit, nullatenus absolvatur.

XIX. *Prorogatio iurisdictionis, in invasores occupatores ecclesiasticorum bonorum & iurium exercendæ.*

Item cum quanto quis passus injuriam in majori statu existit, tanto atrocior injuria judicetur, & idcirco sit cautius & uberius providendum: statuimus, ut si cui nostrum archiepiscoporum, vel episcoporum, vel ecclesiarum nostrarum, vel nostrorum familiariũ, in personis vel rebus fuerit injuria vel violẽtia irrogata, vel possessio, seu quasi, turbata sit: possit quilibet ex nobis archiepiscopis, & episcopis, nostris officialibus, & vicariis, & vices gerentibus, & loca tenentibus eorundem, procedere de jure, consuetudine, vel statuto, contra injuriatores & turbatores hujusmodi, si in propria diœcesi facta essent: sic etiam possit, si extra pro-

ANNO CHRISTI 1337.

propriam diœcesim & provinciam, dum tamen infra nostras provincias sint commissa, simpliciter & de plano, sine strepitu & figura judicii, necnon citare, informationes recipere, inquirere, definire, declarare, & omnem jurisdictionem & censuram ecclesiasticam exercere, ad satisfactionem sufficientem & debitam obtinendam. Per hoc autem non intendimus, quod ordinario præjudicium generetur, quin etiam ex officio possit procedere ad pœnam debitam imponendam, ac etiam ad faciendum satisfieri injuriam passis, si ab eis fuerit requisitus. Et ut prædicta omnia & singula, roboris obtineant firmitatem: nos omnes archiepiscopi, episcopi, & procuratores episcoporum absentium. *Reliqua in concil. Auenion. ann.* 1326. *c.* 15. *in medio, ubi male legitur:* nos & episcopi, archiepiscopi.

XX. *Vt excommunicati, ad nullum publicum officiun admittantur.*

Item statuimus quod excommunicati *&c. Ibid. c.* 16.

XXI. *Vt nullus sine superioris licentia alicui quomodolibet ministret toxicum vel alia venenosa.*

Item statuimus, & sub pœna excommunicationis *&c. Ibid. c.* 17.

XXII. *De pœnis, toxicum vel herbas mortiferas in mortem alicuius ministrantibus, inferendis.*

Item quod quicumque alium toxicare, *&c. Ibid. c.* 18.

XXIII. *Qualiter contra exemptos & priuilegiatos in diuersis abutentes suis priuilegiis procedatur.*

Item dolentes referimus, *&c. Ibid. c.* 19.

XXIV. *Vt testamentis parochianorum intersint presbyteri, & per episcopum distribuantur restitutiones incertæ.*

Item ne relictæ in testamentis, *&c. Ibid. cap.* 20.

XXV. *Quod episcopi in distributionibus legatorum vocentur, prout ad eos pertinet de consuetudine vel de jure.*

Cum in eo in quo alicujus interesse, *&c. Ibid. cap.* 21.

XXVI. *Vt nullus confessorum, sine diœcesani licentia, quemquam præsumat absoluere in casibus infrascriptis.*

Item ut nullus, cujuscumque religionis, *&c. Ibid. cap.* 22.

XXVII. *De instrumentis debitorum soluto debito restituendis, & si apud debitores remaneant, cancellandis.*

Item cum nulla juris patiatur ratio, quod bis idem debitum exigatur: nos volentes materiam bis exigendi idem debitum, & vexationis indebitæ, quantum possumus, amputare: statuimus, quod nullus creditorum, Christianus aut Iudæus, postquam fuerit ei de integro debito satisfactum, possit, contra voluntatem debitoris, instrumentum vel manuscriptum soluti jam debiti retinere: nisi forsitan creditor, ad aliqualem cautelam, vellet instrumentum prædictum vel manuscriptum in præsentia solventis cancellare, & ruptum penes se conservare. Quod si instrumentum vel manuscriptum, ut præmittitur, cancellatum & ruptum penes se conservare voluerit: a quoquam[a] si petatur, fidem facere teneatur de soluto. Creditor autem, postquam per debitorem soluto debito requisitus, restituere vel rumpere & cancellare non curaverit instrumentum vel manuscriptum prædicta: eo ipso, autoritate præsentis concilii, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto: si vero Iudæus fuerit, a participatione fidelium sit exclusus.

[a] *f per apocham, si p.*

XXVIII. *Vt instrumenta debitorum, vel manuscripta, post certum tempus nullam in foro ecclesiastico ad probationem habeant roboris firmitatem.*

Item, fraudibus creditorum, qui sibi debitum bis in totum, vel in parte, exigere plerumque nituntur, occurrere cupientes, ac negligentes jus suum persequi ad persecutionis diligentiam invitantes: statuimus, & autoritate præsentis concilii ordinamus, quod in curiis nostris, & suffraganeorum nostrorum, nullum instrumentum publicum super mutuo, seu deposito, seu venditione & emptione rerum mobilium confectum (post decem annos a tempore contractus & confectionis instrumenti, si dies solutionis vel solutionum non sit appositus ibi, alias a tempore solutionis ultimæ computandos) nullam fidem faciat nec ad probationem debiti aliquid suffragetur. Et hoc[*] sive instrumentum hujusmodi, ad faciendum probationem contra clericos, sive etiam contra laicos, ratione juramenti, vel alias de consuetudine, vel de jure, in curia spirituali conventos, quomodolibet inducatur, nisi intra prædictum decem annorum spatium hujusmodi præscriptio ...... sub testimonio instrumenti publici .... fuisset quodammodo interrupta. Mandamentum autem vulgariter appellatur post tres annos computandos, ut supra in prædictis

[*] *Deest forte* manuscriptum

dictis curiis spiritualibus nullam fidem faciat, nec aliam habeat roboris firmitatem.

XXIX. *Ut nullus bona ecclesiarum vacantium occupet, nisi si per consuetudinem vel privilegium hoc liceret.*

Item quod nullus omnino prælatus, abbas, *&c. ut in concil. Avenion. ann.* 1326. *c.* 24.

XXX. *Ut nulla persona ecclesiastica cum potestatibus sæcularibus posse habens, det consilium vel juvamen contra ecclesiasticas libertates.*

Item, quod quælibet ecclesiasticæ personæ, *&c. Ibid. c.* 25.

XXXI. *Ut nullus in sacris ordinibus constitutus, vel curam animarum habens, in iudiciis sæcularium curiarum gerat officium publicum vel privatum.*

Item, quod nullus clericus, *&c. Ibid. c.* 26.

XXXII. *De modo probandi electionem sepulturæ illorum qui apud religiosos elegisse dicuntur.*

Item statuimus, ne quis illorum funera, *&c. Ibid. c.* 27.

XXXIII. *Ut sine novi census impositione, vel veteris augmentatione, beneficia conferantur.*

Item quod prioratus, *&c. Ibid. c.* 28.

XXXIV. *Ut monachi in ecclesiis suis infra certum tempus perpetuos vicarios repræsentent.*

Item statuimus quod in singulis ecclesiis, *&c. Ibid. c.* 29.

XXXV. *Ut nullus beneficium conferat, in quo ius tantum obtinet patronatus.*

Item statuimus quod nullus, *&c. Ibid. cap.* 30.

XXXVI. *Ut præsentatus patrono non iuret sine diœcesani licentia, nec ab alio institui se patiatur, nec beneficium obentum dimittat.*

Item sub pœna excommunicationis, *&c. Ibid. c.* 31.

XXXVII. *Ut ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ a talliis & exactionibus sæcularium per ordinarios defendantur.*

Item quod clerici & hospitalia, *&c. Ibid. cap.* 32.

XXXVIII. *Ut clerici, macellariorum & tabernariorum officia personaliter exercentes, moneantur ut a prædictis desistant officiis, si gaudere voluerint privilegio clericali.*

Item cupientes clericos, sortes[a] electos, sic professionis viam quam elegerunt modeste servare, quod respicientes retro, negotiationes non exerceant ecclesiastico statui minime congruentes ac attendentes quod dignum existit, ut qui similem cum sæcularibus vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam: autoritate præsentis concilii ordinamus, quod nos archiepiscopi & episcopi, per nos vel officiales nostros, infra mensem, sub obtestatione Divini nominis, omnibus curatis nostrarum civitatum & diœcesum districte mandemus, quod ipsi, omnes clericos, solutos & conjugatos, carnificum seu macellariorum aut tabernariorum officium publice personaliter exercentes, sub pœna excommunicationis, infra mensem a tempore mandati nostri hujusmodi certificati in scriptis, specifice debeant nobis seu nostris intimare. Qua intimatione & informatione receptis, nos sine moræ dispendio, per nos aut officiales nostros prædictos, ad monitionem nominatim faciendam, & alia contenta in constitutione Viennensis[b] concilii super hoc edita, exacta diligentia procedamus.

[a] *f.* in partem sortis sanctorum electos, *ut Coloss.* 1, 12.

[b] Clement. *Diœcesanis*, de vit. & hon. cler.

XXXIX. *Ne quæstæ vel aliæ exactiones per sæculares hospitalibus imponantur.*

Item quod domini sæculares, vel quicumque alicujuscumque, *&c. ut in concil. Avenion. cap.* 33.

XL. *Item de eodem.*

Item cum statuta sæcularium, ecclesias aut personas ecclesiasticas non astringant: statuimus, ut sæculares, cujuscumque dignitatis, conditionis, aut status fuerint, qui prætextu statuti ne bladum extrahatur de terra, castro, villa, vel quod certo precio vendatur, invitos clericos vel ecclesiasticas personas astringere (maxime cum ipsi non habeant aliunde forsitan unde vivant) aut super angariis vel parangariis aut aliis quibuscumque, cum nec in eis nec in eorum bonis aliquam habeant potestatem, coarctare præsumpserint, excommunicationi subjaceant ipso facto, & locus ubi hoc per dominum loci, vel universitatem ejus, aut eorum conniventia vel permissu, attentatum fuerit, ecclesiastico subjaceat interdicto: nisi moniti, infra mensem emendaverint, & de perpetratis satisfactionem exhibere studuerint competentem.

XLI. *Ut domini temporales non impediant vel prohibeant, quo minus ecclesiarum rectoribus decimæ persolvantur.*

Item quod domini temporales, *&c. ut in concilio Avenion. ann.* 1327. *c.* 35.

XLII.

ANNO CHRISTI 1337.

XLII. *Ne statuta & ordinationes fiant super decimis, funeralibus, obligationibus, & aliis, contra laudabiles consuetudines & ecclesiæ libertates.*

Item quod laici, &c. *Ibid. cap.* 36.

XLIII. *De societatibus, colligationibus, & conjurationibus, quas confratrias appellant, radicitus extirpandis.*

Item quia in quibusdam nostrarum, &c. *Ibid. cap.* 27.

XLIV. *Ne clerici, præter diœcesani licentiam, ecclesias muniant, nec ibi armatos tenere præsumant.*

Item prohibemus sub pœna, &c. *Ibid. cap.* 38.

XLV. *De clericis arma portantibus, & qualiter puniantur.*

Item statuimus, &c. *Ibid. cap.* 39.

XLI. *De honestate clericorum circa barbam non nutriendam, & coronam debitam deferendam.*

Insolentias clericorum, quæ tam ex inordinato habitu, quam ex gestu deformi, dissolutiones ridiculas non solum gignunt in clero, sed apud ipsos laicos inde, otionem pariunt & exempla scandalosa producunt, compescere cupientes: statuimus, quod omnes clerici, cujuscumque status aut conditionis existant, coronam rotundam deferant, non nimia parvitate notandam, infra octo dies ex quo illam* receperint; a barbis nutriendis, postquam ad tempus rasuræ congruens pervenerint, studeant abstinere. Exinde vero tam barbam, cum ad tempus rasuræ congruens pervenerint, ut præfertur (quam tonsuram, singulis mensibus, nisi ex justa causa id facere studuerint, qua cessante ad hoc illos arctari volumus) radi facere teneantur. Quod si præmissa non fecerint, beneficia in nostris provinciis seu diœcesibus obtinentes, pœnam centesimæ partis fructuum beneficiorum hujusmodi, quoties defecerint in præmissis (valore tamen ipsorum fructuum juxta taxationem decimæ quoad hæc attinet æstimato) ipso facto incurrant. Quam centesimam si occupaverint, vel sibi appropriaverint: tamdiu sint ab omnium fructuum prædictorum beneficiorum perceptione ipso jure suspensi, donec integram ejusdem centesimæ partis semel vel pluries commissæ* restitutionem ordinariis suis fecerint. Clerici vero soluti, beneficia non habentes, in clericali statu viventes, quoties contra præmissa fecerint, in pœnam duodecim denariorum

* *for.* ex quo tonsuram receperint

* *Corr.* omissæ

A monetæ currentis incidant ipso facto, in usus pios ordinariorum arbitrio convertendam.

XLII. *De honestate canonicorum sæcularium & dignitates habentium in vestibus deferendis.*

Item statuimus, quod in nostris provinciis seu diœcesibus, omnes canonici cathedralium & collegiatarum ecclesiarum; necnon rectores, & perpetui vicarii, & capellani curati parochialium ecclesiarum, præsentes & posteri; inde canonici in dignitatibus
B seu personatibus constituti in ecclesiis & civitatibus, alii vero canonici in ecclesiis, ac rectores perpetui vicarii & capellani curati in suis ecclesiis & parochiis, vestes superiores clausas non nimia brevitate notandas; cum manicis decenter longis pariter & rotundis, ac capitiis seu capsanis vulgariter appellatis, notabiliter non apertis aut magnis: videlicet omnes prælati, canonici, tam dignitates seu personatus habentes, quam etiam non habentes, post medium;
C & aliæ suprascriptæ personæ, post unum annum a tempore publicationis statuti hujusmodi numerandum, astringantur portare præcise. Quod si præmissa facere neglexerint, vestibus, quas contra præsens statutum portaverint, sint ipso facto privati: quas si etiam requisiti non tradiderint ordinariis per ipsos in pia opera convertendas, illi qui distributiones percipiunt, eas, quamdiu dictas vestes tradere distulerint, perdant etiam ipso facto. Quarum quidem distributionum medietas, capitulo; & alia medietas, ordinarii arbitrio, præfatis operibus applicetur. Aliæ vero personæ prædictæ, quæ
D distributiones non recipiunt; ipso jure vestes amittant, in usus quoscumque permissos per ordinarios convertendas.

XLVIII. *Ut ii qui voces in capitulis non habent, cum habentibus se non ingerant, nec ad distributiones quæ dantur capitulantibus, admittantur.*

Item cum nullus cathedralis vel collegiatæ ecclesiæ canonicus nisi sit subdiaconus,
E nec etiam habens dignitatem, personatum, vel officium certum requirens ordinem, nisi in illo sit ordine constitutus, vocem de jure in capitulo habeat, etiamsi ab aliis libere concedatur: statuimus, inhibentes ne prædicti vocem in capitulo non habentes, cum vocem habentibus, quando ipsum tenent capitulum, ullatenus se ingerant, nec per alios admittantur, etiam ex causa videndi, audiendi, vel sciendi, quæ per tenentes capitulum dicentur, tractabuntur, ordinabuntur, vel etiam statuentur; nec de distributionibus seu emolumentis, quas tenentes

nentes capitulum pro interessendo capitulo recipiunt de consuetudine vel statuto, quicquam recipiant prædicti vocem in capitulo non habentes. Quod si contra præmissa fecerint, vel aliquid, seu aliqua præmissorum: sint per mensem a perceptione fructuum beneficiorum suorum quæ in illa obtinent ecclesia, & distributionum, ipso facto suspensi. Qui si de his quicquam perceperint, durante suspensione prædicta: duplum capitulo infra sex dies reddere teneantur. Quod si non fecerint, duret dicta suspensio donec duplum solverint supradictum: quacumque donatione, concessione, remissione, vel gratia, contra hæc nullatenus valitura.

XLIX. *Ut canonici, præsertim dignitates habentes, per duos menses in ecclesiis suis residentiam annis singulis facere personaliter teneantur.*

Item quod omnes canonici & maxime dignitates, personatus, vel officia in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis obtinentes, præsentes & futuri, teneantur singulis annis per duos menses in dictis ecclesiis residentiam facere personalem: quocumque statuto, vel consuetudine contraria non obstante: quam nisi fecerint, extunc omnium fructuum & obventuum suorum beneficiorum totius anni, quæ in ecclesia obtinent, quartam partem secundum taxationem decimæ ipso jure amittant. Cujus quartæ medietas capitulo, alia vero medietas fabricæ vel aliæ necessitati ecclesiæ, ad arbitrium episcopi & capituli, applicetur. Quæ pœna nullatenus remitti valeat, etiamsi prælatus & capitulum super hoc convenirent: nec super residentia non facienda in duobus mensibus supradictis valeat idem prælatus, nisi ex causa studii, dispensare. Præmissa autem pœna, longa infirmitate præpeditis, aut existentibus obsequiis domini nostri papæ, vel prælati proprii...... negotia sine fictione aut fraude, aut in his qui dispensationem obtinuerant absentandi ex causa studii, non vendicet sibi locum. Per præmissa vero, circa illos qui de consuetudine vel statuto ecclesiarum, ad continuam vel majorem residentiam, per se vel alium, sunt astricti, non intendimus aliquid immutare.

L. *Ut canonici, prætextu cuiusuis officii vel seruitii, distributiones non recipiant, quas non essent recepturi.*

Item cum laborantibus in vinea Domini diurnus denarius debeatur, & negligentibus seminare in benedictionibus, messis etiam temporalis debeat denegari: autoritate præsentis concilii constituimus, & etiam ordinamus, ut nullus canonicus cathedralis seu collegiatæ ecclesiæ, seu alii A clerici perpetui beneficiati in eisdem ecclesiis, cujuscumque dignitatis, status, aut conditionis existant, etiam prætextu alicujus assumpti initi officii, vel etiam servitii colorati, distributiones quotidianas, quæ solis canonicis horis interessentibus dari debent, recipiat: nisi in eisdem horis personaliter intersit, aut occasione dicti officii, & pro negotiis capituli utilibus, omni fraude cessante, fuerit personaliter occupatus: quacumque remissione, donatione, vel gratia, contra hæc nullatenus valitura.

B

LI. *Ut hi qui dignitates seu personatus habent, seu habituri sunt, intra certum tempus ad sacros ordines, prout dignitates seu personatus eiusmodi exigunt, se faciant promoueri.*

Item quia decet illos [& ipsis incumbi] qui ad servitium altaris & ecclesiæ Domini dedicati fore specialiter dignoscuntur, si sua digne & salubriter velint adimplere ministeria, ad sacros ordines promoveri, ne lucra amplecti avide, & humeros ab oneribus, C præsertim honorabilibus, subducere censeantur: nos attendentes quod nonnulli canonici cathedralium & collegiatarum ecclesiarum nostrarum provinciarum, civitatum, & diœcesum, in dignitatibus seu personatibus constituti in propriæ salutis dispendium non curaverunt hactenus, quod cum displicentia referimus, neque curant, immo potius in effectu recusant ad sacros, quos requirunt dignitates vel personatus quos obtinent, promoveri, quasi sperantes verisimiliter, sed damnabiliter, quod, cum D de Christi patrimonio fuerint sublimati, a clericali statu sicut a multis * esse comperitur, illusis ecclesiis retrocedent; ex quibus minutus est cultus Divinus, & minui amplius abusu excrescente timetur, nisi super hoc provisionis accommodæ remedium apponatur: & idcirco volentes prout nostro incumbit officio, hujusmodi abusum illusivum & illusionem abusivam, a nostris subditis abolere, & insuper cultum Divinum non minui, sed augeri nostris temporibus E affectantes: præsentis concilii autoritate statuimus concorditer, & etiam ordinamus, utilitate & necessitate nostrarum ecclesiarum id summopere poscentibus, ut omnes & singuli canonici, in cathedralibus seu collegiatis ecclesiis nostrarum provinciarum dignitates seu personatus obtinentes, vel qui in posterum obtinebunt, intra unum annum a die publicati statuti præsentis dignitates seu personatus præsentialiter obtinentes; qui autem obtinebunt in posterum, a die acceptæ possessionis pacificæ dignitatum seu personatuum hujusmodi in antea continue numerandum, ad sacros ordines, prout dignitates seu personatus hujusmodi exigunt,

* Deest factum

exigunt, se faciant promoveri. Alioquin si infra idem tempus non se fecerint, ut præmittitur, promoveri, à perceptione fructuum & obventionum dignitatis seu personatus hujusmodi, donec ad dictos ordines sint promoti, eo ipso noverint se suspensos. Et si durante suspensione hujusmodi se ingerere præsumpserint: prædictis dignitatibus seu personatibus sint ipso facto privati. Volumus autem quod fructus & proventus dignitatum seu personatuum, qui durante suspensione prædicta de his dignitatibus seu personatibus recipientur, in utilitatem dignitatum seu personatuum prædictorum, per ordinarium & ejus capitulum integre convertantur.

LII. *Vt prælati remissionem delinquentium adinuicem faciant requisiti.*

Item statuimus quod archiepiscopi, *&c. ut in concilio Auenion. ann.* 1326. *c.* 40.

LIII. *De excommunicatis compellendis redire ad gremium ecclesiæ per iudicem sæcularem & appositionem pœnæ.*

Item cum nonnulli claves, *&c. Ibid. c.* 41.

LIV. *Ne prohibeantur prælati iurisdictionem suam exercere.*

Item cum jure cautum existat, *&c. Ibid. cap.* 42.

LV. *Ne prohibeantur directe vel indirecte clerici coram suo iudice litigare.*

Item cum nonnulli temporale dominium, *&c. Ibid. cap.* 43.

LVI. *Vt intra domos prælatorum, & in eorum officialium præsentia, iniuria nulli fiat.*

Item cum illos quos Dei, *&c. Ibid. c.* 44.

LVII. *De bannis soluendis a clericis, & per quos & qualiter exigantur.*

Item statuimus quod sub pœna excommunicationis, *&c. Ibid. c.* 45.

LVIII. *De contrahentibus matrimonia clandestina in diœcesi aliena.*

Item statuimus quod quæcumque personæ, *&c. Ibid. cap.* 46.

LIX. *De abusoribus litterarum domini papæ & legatorum, & qualiter puniantur.*

Item quia sunt nonnulli laici & clerici, *&c. Ibid. cap.* 49.

A

LX. *Vt beneficiati sine diœcesani licentia non componant.*

Item sub interminatione anathematis, *&c. Ibid. c.* 50.

LXI. *Ne beneficiati res ecclesiasticas absque diœcesani licentia, præterquam in certis casibus, alienent.*

Item statuimus prohibentes, ne aliquis, *&c. Ibid. c.* 51.

B

LXII. *In quo statu debeant dimitti beneficia & per successorem teneri.*

Item statuimus, quod si contingat aliquem, *&c. Ibid. c.* 52.

LXIII. *De inuentario bonorum ecclesiasticorum infra certa tempora faciendo.*

Item statuimus quod priores ecclesiarum, *&c. Ibid. cap.* 53.

C

LXIV. *De testamentis per beneficiatos secundum consuetudines laudabiles faciendis.*

Item statuta olim, *&c. Ibid. c.* 54.

LXV. *De statutis, bannis, & præconizationibus contra consuetudinem ecclesiæ editis, prohibendis.*

Item statuimus quod quicumque contra, *&c. Ibid. cap* 55.

LXVI. *De contributione expensarum necessaria, inter omnes beneficiatos diœcesis facienda.*

D

Item statuimus quod si archiepiscopus vel episcopus, *&c. Ibid. cap.* 56.

LXVII. *Vt Iudæi utriusque sexus signa deferant, per quæ ab aliis discernantur.*

Item decernimus quod Iudæi masculi, *&c. Ibid. cap.* 57.

E

LXVIII. *Tunc sententia interdicti seruetur, cum ab ordinario datum fuerit in mandatis.*

In singulis autem casibus supradictis, in quibus lata est sententia interdicti, tunc demum servari eam volumus & mandamus, cum ab ordinario, vel ejus officiali, seu locum tenenti, seu delegato, datum fuerit in mandatis. Mandans autem, diligenter attendat, quod tunc demum dictam sententiam mandet

det servari, quando illius loci dominus ..... A si vero plures fuerint pro indiviso obtinentes, quorum aliquis recusat, alius vero est obedire paratus: tunc demum superior, vel superiores proximi si plures fuerint, officiales ejus seu eorum officiales requirantur & moneantur, ut infra unum mensem, a die monitionis in antea numerandum, emendam fieri faciat, & satisfactionem debitam super eis, super quibus dicta sententia est prolata. Quod si non fecerit, extunc per dictum ordinarium, officialem, vel locumtenentem, seu delegatum ejusdem, dictam interdicti sententiam mandet & faciat per B censuram ecclesiasticam firmiter observari.

LXIX. *De Iudæis pro medicina exhibenda non requirendis, nec, si se ingesserint, admittendis.*

Item, quia inter Christianos, non sine Catholicæ fidei opprobrio, adeo invaluit perniciosus abusus, ut ii qui Iudæorum, utpote nostræ inimicorum fidei, fœtidos actus & opera spernere & abhorrere deberent, ad ipsos Iudæos, qui se physicos vel chirurgos asserunt, pro medicamentis, immo verius nocumentis, indifferenter recurrant: C propter quod eorumdem Iudæorum servilis status ultra metas erigitur, inflatur, & superbit cæcitas, & ipsi fidem catholicam parvi pendunt, & exinde familiaritates & conversationes multiplices, multorum utique incentiva malorum, inter ipsos Christianos & Iudæos prodeuntes, pluribus nefandis sceleribus, quæ reperiuntur perpetrata, causas creduntur verisimiliter præbuisse; & darent in posterum aliis sceleribus iis forsitan pejoribus occasionem sive causam, nisi salubris provisio talibus obviaret. Idcirco nos, quibus est cura diligens per omnia superni nu- D minis religionem tueri, subditosque nostros a noxiis, quantum cum Deo possumus, præservare: statuimus, & etiam ordinamus, ut amodo nullus Christianus nostrarum provinciarum, civitatum, & diœcesum, cujusvis sexus, status, conditionis aut dignitatis existat, in infirmitate sua, vel alias, Iudæum quemquam physicum vel chirurgicum, [a] medicamen sive curam recipiendam ab eodem adeat requirat, vel requiri faciat: nec etiam ipsius Iudæi ad eum sponte vel alias E venientis, aut mittentis, percipere audeat per se vel alium, quovis exquisito colore, medicinam, consilium, alias quam facturus fuerat, sive curam, nisi facienti immineret periculum, & Christiani medici, physici, vel chirurgici, haberi commode in præfato periculo copia non valeret: interdicentes pari modo Iudæis utriusque sexus, ut in curandis infirmitatibus Christianorum nullatenus se audeant immiscere. Qui autem hujus statuti extiterit violator: si Iudæus fuerit, eidem communio fidelium subtrahatur; Christianus vero, superioris sui arbitrio puniatur.

[a] Deest, ad

LXX. *Cum absolutio vel dispensatio in casibus præsentis concilii superiori non reseruatur, per ordinarium, vel per alium ad quem ordinarius remittet, expediri poterit vel debebit.*

Item adjicimus, quod in casibus ubi dispensatio vel absolutio non reperiretur in ordinatione præsentis concilij alij reservata, episcopi, pro suæ discretionis arbitrio, juxta qualitatem negotii & personarum conditionem, provideant & dispensent, aut pro reconciliationis & absolutionis seu dispensationis remedio, remittant culpabiles ad suum vel aliquem alium de prædictis metropolitanis, de quo sibi magis expedire videbitur: & sicut illius saluti, de cujus agetur excessu, pensatis tam negotii, quam personæ circunstantiis, magis crediderit opportunum.

In quorum omnium fidem & testimonium nos Galbertus Arelatensis, Bertrandus Ebredunensis, Armandus Aquensis, archiepiscopi supradicti, præsens instrumentum publicum publicari mandavimus per notarium infrascriptum, & sigillorum nostrorum appensione muniri, ad majoris roboris firmitatem & certitudinem pleniorem. Et nos siquidem Bertrandus Senesiensis, Elziarius Diniensis, Iacobus Glandatensis, Arnaldus Venciensis, & Guillelmus Niciensis, episcopi supradicti, prius prædictorum procuratorum interveniente conesnsu, omnia & singula in dictis statutis contenta, grata habentes & rata, ideo præsenti instrumento prædicta statuta continenti, ad majus prædictorum testimonium, sigilla nostra fecimus appendi. Actum & datum in prædicto monasterio sancti Rufi, anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo septimo, Indictione quinta, die tertia mensis Septembris, pontificatus sanctissimi patris & domini nostri domini Benedicti Divina providentia papæ duodecimi anno tertio: præsentibus venerabilibus viris, dominis, Vasconia juris civilis professore, Albiensis; Petro Gervasii, Vivariensis, ecclesiarum canonicis; Durando Mercatoris, rectore de Monteclarano, Caturcensis; Amalrico Saonis clerico, Vticensis, diœcesum, & Ramondo Astorgii jurisperito cive Montisalbaneo, & pluribus aliis testibus ad præmissa.

Ego vero Guillelmus de Rega clericus Agennensis, publicus apostolicus & imperiali autoritate notarius, prædictorum statutorum editioni, ordinationi, & recitationi, una cum supra nominatis dominis archiepiscopis, episcopis, procuratoribus, & testibus præsens fui: eaque ad requisitionem dictorum dominorum archiepiscoporum publicavi, & in hanc publicam formam redegi, signumque meum ante subscriptionem meam in quinque conglutinationibus superius factis consuetum apposui, in testimonium veritatis.

ANNO CHRISTI 1339.

** CONCILIVM TOLETANVM

Autoritate Ægidii Toletani archiepiſcopi, ad reformandos mores eccleſiæ celebratum anno Domini MCCCXXXIX. tempore Benedicti papæ XI.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. De non alienando eccleſiæ dominio.
2. Vt nullus, niſi litteratus, ad clericatum promoveatur.
3. Vt ex qualibet cathedrali vel collegiata eccleſia ſaltem unus ex decem clericis aſſumatur, qui ad ſtudia theologiæ & iuris canonici accedere compellatur.
4. De procuratoribus epiſcoporum ad concilium mittendis.
5. Vt rectores eccleſiarum nomina ſuorum parochianorum annuatim in ſcriptis redigant.

PRÆFATIO.

Ægidius miſeratione Divina archiepiſcopus Toletanus, Hiſpaniarum primas & regni Caſtellæ cancellarius, venerabilibus in Chriſto fratribus Dei gratia epiſcopis, ſuffraganeis noſtris, & aliis civitatis & diœceſis ac provinciæ Toletanæ prælatis, ac eorum capitulis, ſalutem in Chriſto ſalutis autore.

Officii noſtri debitum expoſcit, ut ſolicitudinis ſtudium*, & indefeſſas operationes, prout poſſibilitati noſtræ permittitur, adhibeamus, ac cautela noſtra cuſtodiat, ne in his quæ venerabilium ſunt eccleſiarum, aliquid invaſtabile invaleſcat, quod quietem impediat earumdem: utque ſint in eccleſia Dei viri litterati, qui jura ipſius tueantur, & in eorum nitore Altiſſimus delectetur, ad cujus laudem & gloriam, & felicem ſtatum ac relevationem eccleſiarum, quæ ad præmiſſa pertinent, ſalubriter ordinentur Igitur ad editarum conſtitutionum obſervationem potius, quam ad earum multiplicationem, ſummopere intendentes, præſentibus venerabilibus in Chriſto fratribus noſtris Petro Segobienſi, fratre Alphonſo Seguntinenſi & Ioanne Giennenſi, epiſcopis ſuffraganeis noſtris, & Palentinenſis, Oxomenſis, Cordubenſis & Conchenſis epiſcoporum & cathedralium eccleſiarum provinciæ Toletanæ procuratoribus, in concilio congregatis, has edidimus conſtitutiones, quas jubemus in ſynodis in noſtra provincia proxime celebrandis publicari & inviolabiliter obſervari.

CAPITVLA.

I. *De non alienando eccleſiæ dominio.*

Diſpendia eccleſiarum, tamquam noſtris moleſta viſceribus, inferunt nobis doloris acerbi puncturas: nec illa diſſimulare poſſumus, cum ea conſpicimus & ſentimus. Proinde quia experientia docente vaſſallos eccleſiarum novimus enormibus collidi jacturis, & eccleſias ipſas in ſuis juribus defraudari, cum in ipſarum eccleſiarum locis per eos qui non ſunt eccleſiæ vaſſalli, poſſeſiones acquiri contingat, veſtigiis prædeceſſorum noſtrorum archiepiſcoporum Toletanorum inhærentes, ſacro approbante concilio, ſtatuimus ne quivis, cujuſcumque ſtatus aut conditionis exiſtat, poſ-

A ſeſſiones in locis, in quibus eccleſia dominium obtinet temporale, conſiſtentes, eis qui ejuſdem eccleſiæ vaſſalli tunc non ſint, vendere, aut quovis alio titulo in eos transferre præſumat: alioquin tam vendentes, aut alias transferentes, quam ementes, & alias ipſas poſſeſſiones recipientes, excommunicationis ſententiæ ipſo facto volumus ſubjacere; & venditiones, & emptiones, & alienationes ipſas caſſamus, & caſſas & irritas nunciamus, ac decernimus nullius prorſus exiſtere firmitatis: & nihilo minus poſſeſſiones ſic alienatæ ipſo facto loci domino B applicentur. Per hanc tamen conſtitutionem non intendimus prohibere, quin perſonæ, canonici, & alii cathedralium & collegiatarum eccleſiarum, quarum dominium eſt temporale, beneficiati ac clerici, in locis ipſis eccleſiæ commorantes, poſſint poſſeſſiones ipſas emere, & quovis alio titulo acquirere, eaſque eccleſiis cathedralibus, collegiatis & parochialibus ſuæ diœceſis, aut vaſſallis eccleſiæ tantum, in vita vendere, & in morte donare, relinquere, ſeu legare. C Abſolutio excommunicationis hujuſmodi conſtitutionis, poſt ſatisfactionem condignam hujus conſtitutionis, cuilibet epiſcopo in ſua diœceſi ſit commiſſa.

II. *Vt nullus, niſi litteratus, ad clericatum promoveatur.*

Quia in conſtitutione recolendæ memoriæ domini fratris Guillelmi quondam epiſcopi Sabinenſis, in Caſtellæ & Legionenſibus partibus apoſtolicæ ſedis legati, quæ incipit, *Cum in perſonis*, continetur quod in perſonis eccleſiaſticis ad ſacros ordines & be- D neficia curam animarum habentia promovendis, idoneitas major requiritur, & amplior deſideratur peritia litterarum; ſitque ibi ſalubriter ſtatutum, quod nullus clericus ad ſacros ordines promoveatur, niſi ſaltem litteraliter ſciat loqui: pari ratione ſacro approbante concilio ſtatuimus, quod quamdiu inveniatur clericus qui litterate ſciat loqui, vel promotus ad ſacerdotium, qui poſſit & velit in beneficio, cui cura imminet animarum, inſtitui, epiſcopis diſ- E penſandi, ut is promoveatur ad ſacros ordines & ad beneficium cum cura, qui litteraliter neſcit loqui, & illud eidem conferendi facultas, præterquam circa beneficiatos in eccleſiis cathedralibus & collegiatis, ſit penitus interdicta. Quod ſi ſecus factum fuerit, ſit irritum & inane. Inſuper volumus, & diſtricte præcipiendo mandamus, quod quilibet epiſcopus quotieſcumque ordines habeat celebrare*, tunc omnia promovendis coram ſe vocatis, conſtitutionem dicti domini legati, quæ incipit, *Deteſtandam prælatorum avaritiam*, in latino & vulgari faciat publicari.

Sup. ad ann. 1322.

* ſante omnia

III. *Vt*

ANNO CHRISTI 1339.

III. *Ut ex qualibet cathedrali vel collegiata ecclesia saltem unus ex decem clericis assumatur, qui ad studia theologiæ & iuris canonici accedere compellatur.*

In alia etiam constitutione ejusdem legati, quæ incipit, *Cathedrales ecclesiæ*, statutum est, ut in qualibet cathedrali vel collegiata ecclesia, aliqui clerici ex " beneficiis apti & docibiles, judicio episcopi vel prælati & capituli, saltem unus ex decem de residentibus assumatur, qui ad studia generalia, theologiæ, & juris canonici, ac liberalium artium accedere compellatur. Quia nonnulli in executione hujusmodi constitutionis sunt remissi; volentes eorum negligentiam juris executione suppleri sacro approbante concilio statuimus, ut si infra sex mensium spatium, juxta constitutionem ipsam ad studia litterarum mittere distulerint, extunc ea vice potestas eligendi & mittendi, ad nos & successores nostros totaliter devolvatur, consuetudinis vel statuti illius ecclesiæ obstaculo non obstante.

" *f.* beneficiatis

IV. *De procuratoribus episcoporum ad concilium mittendis.*

Cum vero in constitutione domini Ioannis quondam archiepiscopi Toletani prædecessoris nostri, quæ incipit, *Episcoporum negligentiæ*, contineatur, quod episcopi in casu, in quo fuerint legitime impediti, & cathedralium ecclesiarum capitula mittant ad concilium procuratores idoneos, de statu propriarum ecclesiarum & diœcesum informatos: statuimus, quod episcopi taliter impediti, procuratores alios ab illis qui per eorum capitula fuerint constituti, mittere teneantur. Quod si secus actum fuerit, contra eos perinde procedatur, ac si neminem transmisissent.

V. *Ut rectores ecclesiarum nomina suorum parochianorum annuatim in scriptis redigant.*

Cum nonnulli rectores ecclesiarum, & eorum vicarii, in observando constitutionem generalis concilii, quæ incipit, *Omnis utriusque sexus*, inveniantur hactenus negligentes plurimum & remissi; ideoque universis & singulis ecclesiarum rectoribus, eorum vicariis, sub pœna excommunicationis præcipiendo mandamus, quatenus dictam constitutionem diligenter observent, & nihilo minus quilibet eorum in sua parochia nomina suorum parochianorum, qui ad annos discretionis pervenerint, annuatim in

A scriptis redigant: & illos qui sibi vel alteri potestatem habenti, de quo constet ei, confessi fuerint, consignet, eosque ad recipiendum eucharistiam excitet. Quod si eam non receperint, nisi de consilio proprii sacerdotis abstineant, necnon & reliqui non confessi: post lapsum anni ab ecclesia, donec confessi fuerint, expellantur, & si sic decesserint, ecclesiastica careant sepultura.

ANNO CHRISTI 1339.

Datum in ecclesia Toletana XIV Kalendas Iunii anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo nono, Indictione septima, pontificatus sancti patris & domini nostri, domini Benedicti Divina providentia papæ XII. anno V. quo dictum concilium extitit terminatum, sub sigilli nostri appensione, præsentibus Blasio Eximini archidiacono de Talavera, & Gonsalvo Roderici thesaurario, & Ioanne Martini canonico ecclesiæ Toletanæ, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. B

Et ego Martinus Nuncai portionarius in ecclesia Toletana, publicus in civitate & diœcesi Toletana archiepiscopali autoritate notarius, dictarum constitutionum publicationi & aliis omnibus & singulis supradictis, una cum dictis testibus, rogatus præsens fui, easque de mandato prædicti concilii publicavi, meoque sigillo signavi.

ANNO CHRISTI 1341.

" ** CONCILIABULUM

CONSTANTINOPOLITANUM, C

In quo Palamica hæresis confirmata, anno Dom. MCCCXLI.

INter Gregorii Palamæ, monachi primum ac deinde Thessalonicensis episcopi, errores quibus hodieque infecta est Græca omnis ecclesia, hi fuerunt duo; alter quod distinctam esse naturam Divinam diceret ab ejus ἐνεργείᾳ, hoc est actu, quo nomine Dei proprietates sive attributa intelligebat, ut ex Demetrio Cydonio constat, & manifeste Petavius noster ostendit Theologic. dogm. lib. I. c. XIII. alter, lumen illud aspectabile quo in Thabore monte circumfusus est Christus, minime creatum fuisse, sed æternum ac Divinum, ipsumque quo Deus induitur. D Gregorium cum oppugnarent Barlaamus monachus, ejusque adjutor Acindynus, sedandæ controversiæ coacta est Constantinopoli synodus in templo S. Sophiæ, in qua, præsente Andronico imperatore qui Gregorio Palamæ favebat, Barlaami & Acindyni catholica doctrina, & duobus illis Palamicæ hæreseos capitibus contraria, damnata est. Quam pseudosynodum, tres aliæ consecutæ sunt, eidem hæresi suffragantes, quas ibidem Petavius explicat. Sed quia instituti nostri non est, illa Græculorum conciliabula, quæ post eorum a Romana ecclesia discessionem, infinita coacta sunt, persequi; & ne hoc quidem attigissem, nisi maximi esset supra cætera nominis: aliis uberius enarrandis supersedeo. Hujus epitomen refero ex Nili schismatici synopsi conciliorum: cujus cum partes cæteræ, suum quemque locum superius habuerint, hanc E desiderari non patiar: ne qua desit ex eo libello particula, quam hinc abesse conqueri merito quivis possit.

ANNO CHRISTI 1341.

ΕΚ ΤΗΣ ΝΕΙΛΟΥ ΣΥΝΟΨΕΩΣ.

Ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ αὕτη σύνοδος ἐνάτη, γέγονεν ἐπὶ τῆς βασιλείας τοῦ μακαρίτου καὶ ἀοιδίμου βασιλέως κυρίου Ἀνδρονίκου τοῦ Παλαιολόγου, καὶ Ἰωάννου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, κατὰ Βαρλαὰμ, καὶ Ἀκινδύνου. ἐδογμάτισαν γὰρ οὗτοι, νῦν μὲν οὐδεμίαν διάκρισιν εἶναι ἐπὶ τῆς θείας φύσεως οὐσίας, καὶ ἐνεργείας, ἀλλὰ ταυτὸν εἶναι καὶ ἀδιάφορον· νῦν δὲ διάκρισιν μὲν εἶναι ἔλεγον· πλὴν τὴν μὲν οὐσίαν ἄκτιστον, τὰς δὲ αὐτῆς οὐσιώδεις ἐνεργείας καὶ φυσικὰς συγχωροῦντες ἑτέρας εἶναι, πλὴν οὐκ ἀκτίστους, ἀλλὰ κτιστάς. καὶ ἔτι τὸ ἐν τῷ Θαβωρίῳ ἐκλάμψαν θεῖον ἐκεῖνο φῶς, φάσμα ἁπλῶς καὶ κτίσμα, γινόμενον καὶ ἀπογινόμενον· ἀλλὰ οὔτε θείας φύσεως φυσικὴν αἴγλην, καὶ θεότητα, καὶ φῶς ἀπρόσιτον καὶ ὂν, καὶ λεγόμενον. κατὰ τούτων οὖν οὕτω λεγόντων συνήχθη ἡ ἁγία σύνοδος αὕτη, ἐλέγξασα τούτους ἀνοηταίνοντας καὶ ψευδομένους κατὰ πᾶν εἶδος λόγου, καὶ ἀσεβοῦντας μᾶλλον τῶν ἄλλων αἱρετικῶν. παρῆσαν δὲ τῇ συνόδῳ ταύτῃ Ἰσίδωρος Κωνσταντινουπόλεως, Λάζαρος Ἱεροσολύμων, Ἀλεξανδρείας, καὶ Ἀντιοχείας διὰ ἐποπτηρητῶν, Γρηγόριος ὁ Παλαμᾶς, Φιλόθεος ὁ Κόκκινος, καὶ ἕτεροι μοναχοὶ πολλοὶ ἐνάρετοι καὶ λογάδες, οἳ καὶ αὐτοὺς ἀνεθεμάτισαν.

Παρελάβομεν, ὅτι θεὸν [a] ἐνεργοῦντα δηλοῖ, θεότητος [b] δὲ ἐνέργειαν· οὐδὲν δὲ τῶν τριῶν ἐνέργεια [c].

[a] Corr. θεὸς [b] Corr. θεότης [c] Corr. ἐνέργειαν.

Παρελάβομεν, ὅτι τὸ μηδεμίαν δύναμιν ἢ ἐνέργειαν ἔχον, οὔτε τί ἐστιν· οὐδὲ ἐστιν αὐτοῦ θέσις ἢ ἀφαίρεσις· τὸ δὲ ἔχον, ἕτερόν ἐστι πάντως οὗ ἔχει.

EX NILI SYNOPSI.

Sancta & œcumenica synodus nona, imperante beatæ memoriæ, & celebri imperatore D. Andronico Palæologo, & Ioanne ejus filio, adversus Barlaamum & Acindynum habita est. Docebant enim isti, modo nullam esse distinctionem inter Divinæ naturæ substãtiam, & ejus actum, sed unum idemque esse: modo, distinctionem aliquam esse dicebant; verum ita, ut substantiam, increatam; substantiales vero atque naturales ejus actus, concederent diversos esse, non tamen increatos sed creatos. Præterea Divinũ illud lumen, quod in Thaborio monte refulsit, omnino phantasma & creaturam fuisse, orientem ac intercidentem, dicebant; at neque Divinæ naturæ naturalem splendorem, & Divinitatem, & lumen, quod est & vocatur inaccessum. Adversus hos igitur ista docentes, congregata est hæc sancta synodus, quæ cõvicit eos insaniæ, omnigeniq; mendacii, atq; impietatis, qua cæteros hæreticos superarẽt. Interfuerunt huic synodo Isidorus Constantinopolitanus, Lazarus Hierosolymitanus, tum Alexandrinus ac Antiochenus per legatos, Gregorius Palamas, Philotheus Coccinus, & alii monachi multi virtute insignes ac selecti: qui etiam hos anathemate percusserunt.

Traditione accepimus, Dei nomine, significari operantem. Divinitatis, operationem; nullo vero nomine, trium actum significari.

Traditione accepimus, quod nullam virtutem aut operationem habet, nec aliquid esse; neque poni tollive posse. Quod autem habet, omnino ab eo quod habet, esse diversum.

G. C. De his vocibus θεὸς & θεότης, & quomodo altera operantem, actum altera significet, deque Palamitarum super ea re doctrina, vide Petavium Theolog. dogmat. lib. I. cap. XIII.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1341.

** CONCILIUM ANGLICANUM PROVINCIÆ CANTUARIENSIS

Contra procurantes sibi beneficia antequam vacent, anno Domini circiter MCCCXLI. celebratum.

Edidit collector Anglicanus, nulla temporis apposita nota: nisi quod Ioanni Stretfordio Cantuariensi archiepiscopo tribuit: illudque proxime collocat, post ejusdem diœcesana statuta anni MCCCXLI.

Esurientis avaritiæ cultus sic cupide sitim conatur reficere voluntatis, ut tramite rationis abjecto, clerici quidam, ecclesiastica beneficia patronatus archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, & aliarum, tam ecclesiasticarum, quam sæcularium personarum, de possessoribus suis plena, inhumaniter ambientes, ea, [a] quæ temporibus longe retroactis, figmentis variis prætendentes vacasse, dum temporalium cathedralium vel conventualium ecclesiarum, ratione vacationis earum, vel terrarum aliarum custodia fuerat penes regem: se ad ipsa præsentari, vel sibi per eum conferri procurant, licet post prætensas vacationes hujusmodi, a diversis tantis temporibus possessa fuerint, quod vix aut nulla sit alicujus memoria causæ vacationis deductæ: quæ [b] etiam aliquoties minus vera, & quæ nunquam subsint, allegantur. Quarum occasione præsentationum seu collationum, si per locorum ordinarios præsentati vel collatarii non admittantur hujusmodi, sicut non possunt, possessoribus canonice non amotis: ipsi extunc episcopos in foro sæculari implacitant, vel implacitari procurant: vacationum causas, non juris & facti, sed juris tantum, in dicto foro sæculari discuti facientes; quo, beneficiorum hujusmodi possessores non fiunt, nec admittuntur partes, ad litem taliter agitatam; nec ordinariorum hujusmodi, de & super institutione, vel collatione, ac inductione, factis in beneficiis hujusmodi fides adhibetur in curia sæculari. Unde accidit [c] episcopis & aliis, quos litem [d] hujusmodi non afficit, nec auget [e] periculum, lites ipsas nullo modo vel segniter defendentibus, pro præsentante & præsentatis, collatore seu collatariis, in foro sæculari jus evincitur patronatus: timoreque vano executionis talis judicii, cum a curia sæculari episcopis scribitur, quod præsentatos, seu collatarios admittant hujusmodi, quandoque per se, quandoque per alios juris ignaros, quibus aliquotiens vices suas committunt, taliter præsentatos, vel hujusmodi

[a] Corr. eaque [b] for. quanquam [c] Deest quod [d] Corr. litium [e] Corr. nec angit

ANNO CHRISTI 1341.

modi collatarios, admittunt, & in locum viventis possessoris per sententiam ecclesiasticam non amoti, de facto instituunt; & in beneficiorum re vera non vacantium possessionem inducunt, quin verius intrudunt, & vitiosos constituunt detentores, in animarum deceptionem multiplicem, & possessorum justorum læsionem enormem.

A

Nos igitur, adversus excessus hujusmodi, præsentis provisione concilii cupientes occurrere: statuimus, quod quicumque clerici, ad dignitates, personatus, vel officia, seu præbendas, aut alia beneficia ecclesiastica quæcumque, plena & occupata, de facto se præsentari, seu ea sibi conferri, de cætero in nostra provincia procurantes, si directe vel indirecte, contra episcopos seu alios, in curia sæculari effectualiter prosequantur, nisi prius de causis vacationum prætensarum, ad ordinariorum mandata inquiri, & possessores, per judices ecclesiasticos competentes canonice faciant amoveri, majoris excommunicationis sententiam incurrant ipso facto: & tanquam sic excommunicati, prout sunt, ad beneficia talia nullatenus admittantur, sed inhabiles ad ea hoc ipso perpetuo censeantur.

B

Si vero quisquam contra hæc in occupato per alium beneficio instituatur, vel admittatur de facto: institutio seu admissio hujusmodi, eo ipso, nullius penitus sit momenti. Et si episcopus fuerit sic instituens vel admittens, a collatione beneficiorum per duos menses; inferior vero episcopo, ab officio & beneficio, donec resarciatur priori possessori omne damnum, quod occasione institutionis vel admissionis & inductionis hujusmodi noscitur incurrisse, præsentis autoritate concilii noverint se suspensos. Et institutus taliter, vel admissus, si se, vel alium suo nomine, in beneficio per aliquem occupato contra hæc patiatur induci, ipso facto censeatur intrusor, & pœnas intrusionis in constitutione Othoboni contentas, necnon alias a canonibus & sanctis inflictas patribus, eo ipso incurrat.

C

Per præmissa autem vel infrascripta, dignitati regiæ vel coronæ, in iis quæ ad eas pertinent, non intendimus derogare; sed ambitionem insatiabilem clericorum supradicta illicite procurantium & prosequentium, ut præmittitur cohibere; nec ordinariorum potestati, qua, beneficia ad episcoporum collationem spectantia quovis modo occupata, de facto, illicite non de jure conferre poterunt, volumus derogare, nec eorum collationes beneficiorum admittentes hujusmodi coarctare. Cæterum, ne in foro regis evincenti jus patronatus adversus alium, sua victoria sit inutilis, si scribatur ordinario, quod admittat præsentatum, ab illo qui jus patronatus evicit, ad beneficium hujusmodi, si de jure vacaverit, & de facto non obsistat jus canonicum: admittatur libere hujusmodi præsentatus. Sed si beneficium prædictum non vacaverit, illud domino regi vel justiciariis suis intimet ordinarius; excusando se, quod quia beneficium tale non vacat ad præsens, nequit mandatum regium adimplere præsentatus; quia per evincentem in foro sæculari contra ordinarium, ultra prosequens, spreta forma prosecutionis in foro ecclesiæ, ut præmittitur, facienda, supradictas excommunicationis, inhabilitatis, & alias pœnas juris & constitutionum editis in hac parte, ipso facto incurrat. Jus vero patronatus evincenti licebit præsentare, si voluerit, ad beneficium hujusmodi, possessorem, ut suum jus imposterum habeat declaratum.

D

E

VITA ET EPISTOLA CLEMENTIS PAPÆ VI.

ANNO CHRISTI 1342.

Clemens VI. Lemovicensis, Petrus antea vocatus, ex monastica vita assumptus archiepiscopus Rotomagensis, vir doctissimus & eloquentissimus, post Benedictum undecimum pontifex electus est Avenione anno Domini 1342. ipsis Nonis Maii, decimo quarto Kalendas Junii coronatus. Post, sequentibus quatuor temporibus decem cardinales creavit: anno vero evoluto duos alios ordinavit, inter quos duo erant ejus nepotes, tertius frater germanus, quartus ei affinitate conjunctus. A Romanis rogatus, jubileum, quod centum annorum spatio constitutum erat, ad quinquaginta revocavit. Mandavit, ait Trithemius in chronico Hirsaugiensi anno 1346. principibus, ut infra certum terminū quem iis præfixerat, nisi jus electionis velint amittere, in locum Ludovici (jam ante ob raptum alienæ uxoris per sententiam depositi) alium eligant imperatorem, qui mandatis « ecclesiæ, ut filium decet, pareat: alioquin se necessario curā, ut supremum caput, de imperio habiturum. « Convenientes itaque in Reyns infra Bopardiam juxta « Rhenum, undecimo die mensis Julii, Baldevinus archiepiscopus Trevirensis, Walramus archiepiscopus « Coloniensis, Gerlacus cui papa de Moguntina ecclesia providerat, Joannes rex Bohemiæ, & dux Saxoniæ, « Carolum Joannis supradicti Bohemiæ regis primogenitum, in regem Romanorum unanimiter præsentem « elegerunt, & Bonnæ per Coloniensem inunxerunt. « Carolus rex memor accepti beneficii, Nicolaum Rentii, qui Romæ tyrannidem exercebat, Avenionem vinctum ad pontificem misit. Quem dum Clemens compedibus constrinxisset, ad Urbem duos cardinales destinavit, qui perturbatum reipublicæ statum in meliorem formam revocarent. Avenionem urbem Galliæ a Joanna regina filia Roberti regis Siciliæ emit, & Tarentinum ejusdem maritum, Neapolitanum regem declaratum, cum Hungariæ rege reconciliavit. Vicecomites cum Florentinis necessitudinis fœdere revinxit, ut ea ratione ruinam quam Ludovicus Bavarus Italiæ minabatur, facilius propulsaret. Quin etiam pacem, licet frustra, inter Franciæ & Angliæ reges componere maxime studuit. Hujus indultu Colonienses & Trevirenses, propter Turcicam expeditionem contributione pecuniarum promotam, impetrarunt, quod per totam diœcesim quibuslibet jejuniis extra quadragesimam ovis & lacticiniis licite vescantur. Creatis aliquot cardinalibus, Ivoneque Britanno in sanctorum numerum relato, mortuus est Avenione VIII. Idus Decembris, anno 1352. cum pontificatum annis decem, mensibus sex & diebus 28. administrasset.

EPISTOLA CLEMENTIS PAPÆ VI.

AD OMNES ARCHIEPISCOPOS EORUMQUE suffraganeos,

De Flagellantium hæreticorum condemnatione.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Moguntinensi, ejusque suffraganeis, salutem & apostolicam benedictionem.

Inter solicitudines innumeras & immensas, quibus ultra vires ex apostolicæ servitutis debito perurgemur, illud cordi nostro potissime insidet, & ad hoc attentius studia nostra convertimus & conatus, ut apud omnes Christi nominis professores orthodoxa fides fulgeat, & sic catholicæ & apostolicæ ecclesiæ norma sine quocumque fictionis, simulationis, seu velaminis pallio, pure & laudabiliter observetur, quod a vinea Domini sabaoth, cujus cura nobis licet immerito est commissa, vepres & urticæ, tam periculose quam damnabiliter succrescentes, evellantur radicitus, & vulpe-

Vulpeculæ quæ ipsam demoliri nituntur, per apostolicæ sedis providentiam abigantur. Sane molesta nobis, licet fide digna, magnorum relatio, & multorum assertio, nostrum & fratrum nostrorum non mediocriter turbavit auditum, quod in partibus regni Alemanniæ & ejus convicinis, quædam, sub prætextu devotionis* *agendæ pœnitentiæ, vana religio & superstitiosa adinventio, procurante satore malorum insurrexit, per quam multitudo simplicium hominum qui se Flagellatores appellant (decepta verbis fictis & mendacibus malignorum, asserentium salvatorem nostrum in Hierosolymis patriarchæ Hierosolymitano apparuisse, cum tamen a longis temporibus nullus ibidem præsentialiter fuerit patriarcha, & sibi aliqua dixisse, quæ colorem non habentia nec saporem, in quibusdam sanctæ scripturæ obviare noscuntur) in illam cordis vesaniam & in magnæ damnationis præcipitium est deducta, & de die in diem suggestione hostis antiqui, se, ut Dominicum gregem devoret, transferentis in angelum lucis, nimium succrescendo deduci, cortina trahente cortinam, periculosius formidatur, quod per societates & conventicula, licet caudas invicem habeant colligatas,* dividētes, diversas circumeunt patrias, cæterorum vitam & statum contemnendo se justificant, & claves ecclesiæ vilipendunt, ac in contemptum disciplinæ ecclesiasticæ, crucem Domini ante se, & habitum certum nigrum, videlicet ante & retro, ipsius vivificæ crucis impressum habent signaculo, sine superioris licentia deferentes, sub nomine pœnitentiæ vitam gerunt insolitam, congregationes, conventicula, & coadunationes, quæ a jure sunt prohibitæ, faciunt, & ad alios actus prosiliunt a vita & moribus communibus & observantia fidelium alienos, ordinationes & statuta quibus utuntur, immo verius abutuntur, propria temeritate fecerunt errores * suspicione & vacua & judicio carentia rationis. Sed ex eo tanquam Deo & hominibus amplius odioso turbamur acerbius, & durius anxiamur, quod quidam religiosi, præsertim de ordine mendicantium, qui alios ab invio revocare debuerunt, & ad viam reducere veritatis, ab utero matris ecclesiæ velut maledictionis filii nequiter aberrantes, linguas suas, ut alios pertrahant in errorem, acuunt, quibus corda debilia vulnerant infirmorum, & ignorantes Dei justitiam, & suæ prudentiæ innitentes, dum legē Dei voluntate* subjecti, alios, in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis prædicando, & dogmatizando contra ecclesiasticam libertatem & fidei catholicæ puritatem, ab ipsa fidei veritate subducere moliuntur, & ut efficacius efficiant, & conceptum virus latenter effundant, blandis prius sermonibus auditores, quasi bonum vinum ponendo, satagunt irretire, ut cum inebriati fuerint, illud quod est deterius ingerentes, cum ipsis in perditionis laqueum incidant, & in profundum malorum demergantur. Nos igitur pernicioso & periculoso principio, per quod ultra Divinæ majestatis offensam, magnum reipublicæ paratur periculum, & apud fideles scandalum generatur, ne deteriores pariter processus & successus subsequantur, obviare volentes: & considerantes quod (cum plerique ex ipsis seu adhærentibus eisdem, sub colore pietatis ad iniquitatis opera laxantes, crudeliter manus suas in Judæos, quos pietas Christiana recipit & sustinet, injicientes, eos aliqualiter non permittentes, & frequenter Christianorum sanguinem effundere, & opportunitate captata, bona clericorum arripere & suis usibus applicare, ac superiorem jurisdictionem usurpare, & ad multa alia illicita prorumpere minime vereantur) timendum est, quod tam præsumptuosa temeritas & temeraria præsumptio, nisi eis per salubre antidotum occurratur, parituræ sunt non levem perniciem, & aliquorum morbus letali * conjugio serpens apud plurimos, sero recipiat medicinam: attendentes insuper quod error cui non resistitur, quodammodo approbari videtur, & quod ex officio nobis injuncto compellimur, ut, quos per iter devium errando currere, & plures in præcipitium secum trahere perspicimus, ac in dispersione multarum gentium ambulare, revocemus a devio, & ut in viam veritatis & justitiæ gressus suos dirigant, providere per opportuna remedia studeamus: fraternitati vestræ per apostolica scripta committimus, & districte præcipiendo mandamus, quatenus singuli vestrum in singulis civitatibus vestris & diœcesibus, per vos vel alium seu alios, adinventiones (quas una cum societatibus, conventiculis & congregationibus ac statutis & ordinationibus, a supradictis, qui se, ut præmittitur, flagellatores appellant, temerarie attentatos, de eorumdem fratrum nostrorum consilio perpetuæ prohibitioni subjicimus, & tanquam illicita reprobamus) autoritate nostra reprobas & illicitas publice nuncietis, ac omnes tam clericos, quam laicos, sæculares & regulares, de prædicta superstitiosa secta seu societate, quocumque appellentur nomine, existentes, vel eam sectantes, autoritate prædicta monere & inducere studeatis, ut ab hujusmodi observantia, secta & vana religione desistere & resilire procurent, quodque nullus deinceps prædictam sectam, seu conventiculum præsumat intrare, ac ritus & statuta societatum hujusmodi observare: contrarium facientes per censuram ecclesiasticam compescendo: necnon & eos in quos temporalem jurisdictionem habetis, & *pœnas temporales, de quibus expedire videtis, appellatione postposita, compellatis. Sane ut religiosi & alii errorum magistri, qui de dogmatizando simplices decipiunt, & cæci ducatum cæcis præbentes, ipsos in foveam secum trahunt, etsi non Divino amore, saltem humana confusione a tam iniquo proposito revocentur: omnes & singulos, cujuscumque sint ordinis, religionis, dignitatis, præeminentiæ sive status, quos in prædictis nobis constiterit deliquisse, capi, non obstante quocumq; privilegio vel indulto, quod in hoc eis suffragari nolumus, faciatis, & tam diu captos detineatis, donec aliud a nobis receperitis in mandatis: invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Per prædicta tamen nequaquam intendimus prohibere, quin Christi fideles impositam sibi canonice pœnitentiam, vel eam non impositam, dummodo recta intentione & pura devotione ad illam peragendam procedant, in suis hospitiis vel alibi, absque superstitionibus, congregationibus, societatibus, & cōventiculis supradictis, possint facere, & se in bonis operibus exercendo, virtutum Domino, prout inspiraverit, in humilitatis spiritu deservire. Cæterum quia patentes litteræ nequeunt singulis vestrum propter viarum discrimina commode portari: volumus quod per te, frater archiepiscope, earum transcriptum publica manu scriptum & tuo communitum sigillo, vobis * suffraganeis transmittatis *, cui adhiberi volumus plenam fidem.

Datum Avenione 3. Kalendas Novembris pontificatus nostri anno octavo.

Add. &

Add. se

Corr. per pœnas

Corr. trāsmittatur

Corr. contagio

** CONCILIUM LONDINENSE.

ANNO CHRISTI 1342.

Ex MS. primum editum tomo II. collectionis Anglicanæ.

Constitutiones venerabilis patris domini Ioannis Stretford, Cantuariensis archiepiscopi, editæ Londini, in concilio provinciali, die x. mensis Octobris, anno Domini MCCCXLII.

TITULI

ANNO CHRISTI 1342.

TITVLI CAPITVLORVM.

CAPITVLA.

I. *Ne in privatis oratoriis, Missarum solemnia, sine licentia episcopi, de cætero celebrentur.*

QVam sit inhonestum, & reverentiæ Divinæ contrarium, in privatis oratoriis, vel capellis, aut domibus minime consecratis, sacrarum Missarum celebrare mysteria, non tantum veteris testamenti pagina, & sanctiones canonicæ, verum etiam traditiones principum sæcularium, considerationis judicio prospexerunt. Quas sacerdotes sæculares nequiter contemnentes, nulla necessitate cogente, Divina celebrantes in eis, varia discrimina pariunt animabus: dum ecclesiarum parochiani a suis ex hoc se retrahentes parochialibus ecclesiis, ac sic informationibus sæcularibus, quæ in eis solent fieri, frequenter carentes, nonnullis presbyteris, & communioni quorundam, illicite & temerarie se ingerunt; ac contra doctrinam, qua præcipitur, iniquam conditionem alteri per alterum non afferri, plurimis ex hoc malis emergentibus, parochialium ecclesiarum detrahitur honori, & commodo consueto. Nos de fratrum nostrorum concilii assensu & consilio, decernimus quemquam in oratorio, vel capellis, aut domibus hujusmodi, seu in loco minime dedicato [seu delibato] Missarum solemnia, diœcesani non obtenta licentia, contra canonum prohibitionem, de cætero celebrantem, suspensionem a Divinorum celebratione per mensem incurrere ipso facto. Licentiam autem ab episcopis nostræ provinciæ, Missas in locis hujusmodi non consecratis, celebrandi concessam, & in posterum concedendam personis aliis, quam magnatibus, seu nobilibus, moram facientibus in locis ab ecclesiis parochialibus notabiliter distantibus, aut notorie debilibus, vel infirmis, irritam decernimus & inanem. Per hoc tamen, ecclesiarum prælatis, & rectoribus, & ecclesiarum canonicis cathedralium, vel religiosis, non intendimus derogare, quo minus ipsi, in oratoriis suis, ab antiquo constructis, Missas possint licite celebrare, seu facere

A celebrari, sicut fieri consuevit. Sacerdotes insuper, quos in oratoriis, seu capellis regum, seu reginarum Angliæ, aut liberorum suorum, erectis, vel erigendis, Missas celebrare contigerit, pœna prædicta nolumus coarctari.

II. *Ne instituti in beneficiis, vel ad sacros ordines promoti, indebite pro suis litteris prægraventur.*

Nova & insatiabilis cupiditas adinvenit, ut pro litteris, in testimonium clericorum ad beneficia ecclesiastica admissorum, & ordinatorum litteris, pro scripturarum labore, ac sigillis, fiant multoties exactiones immensæ, id reprobante canone, dicente: quod, sicut non decet episcopum manus impositionem vendere; ita nec ministrum, nec notarium, ministerium eorundem, nec calamum venundare. B Archidiaconorum, & suorum officialium, necnon aliorum talium certificatariorum, litteras inquisitionum, super beneficiis vacantibus, tradere factas renuunt præsentatis, nisi prius nimis excessivam summam pecuniæ habeant pro scriptura. Nos hunc abusum abolere volentes, præsentis deliberatione concilii duximus ordinandum, quod pro scriptura litterarum inquisitionum, institutionum, & collationum, vel commissionum ad inducendum, vel certificatoriæ ipsarum in beneficiis, ultra XII. denarios, & pro litteris vero cujuslibet sacri ordinis, VI. denarios, dicti clerici, per se, vel alios, ultro non recipiant quovis modo. Cæterique ordinarii, suis tenentur ministris stipendia constituere, C quibus debent merito contentari, pro sigillatione litterarum. hoc * aut marescallis, pro introitu, seu janitoribus, hostiariis, vel barbitonsoribus episcoporum, a clericis minoribus vel majoribus ordinibus decoratis, nil omnino exigi volumus, vel persolvi, ne cujusvis speciei velamine, solutio, pro sigillis litterarum, vel introitu supradictis, in quæstum damnabilem convertatur. Et ne temeritas, provisa remedia violans, prætereat impunita, sed, contra præmissa, quicquam recipiatur ab aliquo: duplum sic recepti reddi præcipimus, infra mensem; alioquin, extunc clerici beneficiati, receptorum per ipsos iniquorum duplum restituere differentes, ab officio & beneficio noverint se suspensos. D Clerici vero non beneficiati, & laici, ingressum ecclesiæ sibi noverint interdici, quousq; de duplo satisfactionem impenderint solventibus cōpetentem.

III. *Archidiaconi, ad mandatum episcoporum, tenentur inducere institutos, sumptibus moderatis.*

Item archidiaconi, & eorum officiales, aliique ministri ecclesiastici nostræ provinciæ, post collationem beneficiorum ecclesiasticorum, vel institutionem factam, in ipsis promotis in illis beneficiis, ad superioris mandata, inducere, ac inductionis certificatorias litteras facere, vel concedere differunt, nisi prius eis de immoderata summa pecuniæ satisfaciant. Sacro approbante concilio statuimus, quod ii sic promoti, ad E mandatum superioris, tenentur inducere, pro inductione hujusmodi facienda, sumptibus moderatis; videlicet si archidiaconus inducat, xl. denar. ac suus officialis inducens, II. solid. perceptione, pro singulis suis, & suorum expensis, pro dieta, penitus sit contentus. Ipsi tamen inducendo, ut præmittitur, optione servata ante. . . . . pecuniæ quantitate, seu in aliis necessariis ipsum inductorem, & suos voluerit procurare. Siquid vero ultra hoc ab inductoribus, occasione præmissorum, recipiatur, uel recipiant, quidquam amplius propter inductionem faciendam per ipsos, vel inductionum certificatorias litteras facere, & inductis tradere, acquisitis coloribus, deferre illos contingat

indebite,

ANNO CHRISTI 1342.

indebite, culpabiles in hac parte, suspensionem ab officio & ingressu ecclesiæ, tam diu eos volumus incurrere ipso facto, donec hæc contra* recepta solventibus restituant, & læso sua culpa satisfaciant in præmissis.

* f. contra jus recepta, aut aliquid simile.

IV. *De eleemosynis faciendis ecclesiarum appropriatarum parochianis.*

Ne de decimis, & ecclesiarū rebus cæteris dispensandi, viris ecclesiasticis, permisit sibi* facultas, hujusmodi rerum compendio, pauperes ne defraudentur. Sed religiosi nostræ provinciæ approbatas* obtinentes sibi ecclesias, fructus, & redditus, & proventus earum sic suis cupide nituntur usibus applicare, quod dispensandi . . . . parochianis sic appropriatarum ecclesiarum regeneratis filiis, quatenus* indigentibus, quibus, tanquam suis domesticis naturalibus, instructus* exēplo, quam extraneis, plus tenentur in nullo exhibent, nec in eos exercere curant quævis opera caritatis. Unde sic nimis agentes avari, decimarum & ecclesiasticorum jurium debitores, nedum indevotos efficiunt, sed eorum perversos invasores, & consumptores, turbatoresque nefandos occasionaliter constituunt, in suarum propriarum, & ipsorum, grave periculum animarum, & scandalum plurimorum. Unde sacri hujusmodi approbatione concilii statuimus, quod religiosi prædicti, beneficia appropriata obtinentes ecclesiastica, secundum beneficiorum hujusmodi facultates, annis singulis, pauperibus parochianis, circa eleemosynæ quantitatem* ipsorum locorum moderandam arbitrio, per ipsos episcopos distribuere compellantur, sub pœna sequestrationis, & subtractionis fructuum proventuum beneficiorum hujusmodi, donec in præmissis paruerint competenter.

* f. permissa sit fac

* appropriatas

* f. quamvis

* Add. ordinariorum

V. *De reparatione ecclesiarum, & clausurarum cœmeteriorum, & qui facere debent.*

Licet parochiani ecclesiarum parochialium suarum, tam naves & tectum ecclesiarum, intus & exterius, quam campanile, altaria, & imagines, fenestras quoque vitreas in dictis navibus existentes, & cœmeteriorum clausuras, de laudabili consuetudine in nostra provincia diutius obtenta, facere, ac quoties fuerit, reparare suis sumptibus teneantur: tamen religiosi, & alii, possessiones, aut prædia, seu redditus, infra fines & limites ecclesiarum hujus nostræ provinciæ Cantuariensis, obtinentes, potissime degentes extra parochiam ecclesiarum, fabricæ earundem, aut cœmeteriorum clausuris, & cæteris incumbentibus oneribus a parochianis supportandis, de consuetudine, & de jure, cum iis contribuere (quamvis utplurimū onera hujusmodi, secundum prædiorum ac possessionum quantitatem in parochiis existentium, limitentur, & taxentur) recusant injuste. Sed religiosi in locis variis nostræ provinciæ, possessiones & prædia diversa in parochiis hujusmodi ecclesiarum, per acquisitiones novas, necnon & alii extra parochiam degentes, occupant & obtinent his diebus, adeo ut earum reliqui parochiani, in ipsarum ecclesiarum degentes parochiis, onera, circa refectionem seu reparationem præmissorum, eisdem incumbentia, per se nequeant supportare: unde domorum Dei publicus deformatur aspectus; & eorum ex his dehonestatis sequuntur alia incommoda manifesta. Nos igitur, præsentis approbatione concilii, duximus statuendum, quod tam religiosi, quam alii, possessiones, aut prædia, seu redditus, quæ de gleba reficiendarum ecclesiarum, seu dote non existunt, in quibuscumque parochiis nostræ provinciæ obtinentes, seu in posterum habituri, in ipsis degentes, vel alibi, ad quævis onera parochianis prædictis in iis incumbentia, de consuetudine, vel de jure, quæ, consideratis possessionum & redditūum quantitatibus, in-

A venit,* vel imponentur eisdem cū cæteris parochianis ecclesiarum hujusmodi, quoties opus fuerit... ......ad quod, cum necesse fuerit, censuris ecclesiasticis, per locorum ordinarios, compellantur.

ANNO CHRISTI 1342.

* f. convenienter imponentur

VI. *Quantum pro insinuatione testamentorum quorumcumque, & calculi, seu compoti administrationis in bonis, acquietanciis litteris, pro labore recipi debeat, per quemcumque judicem ecclesiasticum.*

Adeo quorundam animos, temporibus nostris, sæva cupiditas occupavit, quod quæstum reputantes pietatem, non curant quibus studiis cupiditatis sitim reficiant, dum venale aliquid exhibent nefando cōmercio, gratis impendere quod deberent. Sane, licet bonæ memoriæ Simon, archiepiscopus Cantuariensis, præ- B decessor noster, provincialis concilii deliberatione statuerit, quod pro insinuatione testamenti cujusvis defuncti, cujus bonorum inventarium cētum solid. summā non excedit, nihil penitus exigatur: quia tamen circa testamentorum insinuationes defunctorum, quorum inventarium bonorum dictam summam excedit, seu circa id quod pro acquietanciis calculorū, vel cōpotorum administrationis bonorum concernentium hujusmodi testamentū, quid determinate debeat recipi, minime providetur; locorū ordinarii, tā pro insinuationibus, quā acquietanciarū litteris, in hac parte, sic immoderate & excessive pecuniā exigunt, quod defunctorum exhaustis & consumptis facultatibus, per extortiones illicitas in præmissis, decedentiū voluntates C ultimæ, etiā in iis quæ relinquuntur in usus pauperū, vel alias pias causas, de residuo nequeant adimpleri: quorum occasione, laici contra dictos ordinarios veluti consumentes, vel usurpantes, quæ tueri tenentur, exasperantur non modicum, necnon ad fraudes, & superstitiosas inventiones periculose quotidie provocātur. Ut igitur tantæ usurpationis cōtumelia depellatur: statuimus, quod pro probatione, vel approbatione, seu insinuatione testamentorum quorūcumque, nihil per episcopos, seu ordinarios alios recipiatur omnino. Per clericos tamen scribētes insinuationes hujusmodi, sex denarios duntaxat recipi permittimus pro labore. Quod si aliquod inventarium bonorum cujus- D cumque defuncti in compoto xxx. solidorum summam reperiatur excedere, quod ad centum solidos minime extendatur: pro compoto, & agendis omnibus circa ipsum, acquietantiarumque litteris, seu aliis quibuscumque, episcopi, aut ordinarii, seu deputati ab eis ad audiendum compotum, vel ministri alii compotum hujusmodi intendentes, ultra XII. denarios recipere non præsumant. Si vero centum solidorum summam, aut ultra, minus tamen xx. librarum, hujusmodi contineat inventarium: perceptione trium solidorum penitus sint contenti. Sed si xx. aut ultra, citra tamen LX. librarum summam habeat: ultra quinque solidos pro laboribus, litteris, & scripturis, & aliis non admittant. Quod si LX. librarum vel ultra, minus tamen C. libris, summā attingat hujusmodi inventariū, X. solidos pro E præmissis recipiant, & non ultra. Si vero hujusmodi inventarium C. librarum, vel amplius, minus tamen CLX. libr. summam contineat: ultra XX. solidos pro prædictis recipere non præsumant. Sed si CLX. librarum summam, vel ampliorem contineat, pro singulis L. libris, quas ultra C. libras, contineri contigerit in eisdem, ordinarii, pro prædictis singulis, X. solidos, cum prædictis XX. solidis recipere valeāt, & nō ultra. Clericos tamē, pro singulis acquietanciarū litteris, quas in hac parte scribūt, ultra præmissa, VI. denarios recipere permittimus pro labore. Si vero quemquam, in aliquo casuum prædictorum, ultra summam prætaxatam, quavis cautela, in pecunia numerata, seu rebus aliis, contingat recipere: duplum, quod ultra recipit,

Anno Christi 1342.

fabricæ ecclesiæ cathedralis loci, infra mensem, reddere teneatur: alioquin, extunc episcopi duplum ipsum, ultra prædictum tempus restituere differentes, esse ecclesiæ ingressum sibi interdictum, inferiores utique a beneficio & officio noverint se suspensos, quousque, de duplo hujusmodi, prædictis ecclesiis cathedralibus, plenariam satisfactionem impendant, in ipsa probatione, seu insinuatione testamentorum quocumq; *vel ante administrationis & cōputorum redditiones fideliter, acquietanciarum litteræ testamentorum executoribus nullatenus concedantur, sub pœna suspensionis, ab ingressu ecclesiæ, per VI. menses, quam contrafacientes incurrere volumus, ipso facto.

VII. *De visitatione, & procuratione archidiaconorum, & aliorum ordinariorum.*

Quamvis lex naturæ fructum laboris tribuat operanti, sic tamen æqu...... ut non laborantem potissime circa ea quibus vacare tenetur, ex debito non mandare præcipiat negligentem. Sane nonnulli archidiaconi, & alii superiores, & inferiores ordinarii nostræ provinciæ, lucris temporalibus inhiantes, & quæ Dei sunt projicientes a tergo, suarum visitationum progressibus, venationi, & aliis vacantes insolentiis, ad loca visitanda multotiens tales mittunt, quorum exhortatione, seu informatione, clerus & populus non instruitur ab ecclesiis, quas die visitationis non ingrediuntur, nec inspiciunt, & a quibusdam, per se, vel alios, nullatenus visitatis, necnon & a pluribus, quas perfunctorie visitare faciunt, immo quarum quælibet, ad procurationem unius diei consuetam, pro ipsis archidiaconis, & suis ordinatis famulis competenter sufficeret, a singulis ecclesiis, rectoribus, seu vicariis earundem, procurationes solidas, & pecuniam, contra sanctiones, exigere non formidant, excogitata & superstitiosa quadam fraude, sæpius visitaturi, dies visitationum hujusmodi faciendarum prævenientes, in noctibus ipsos dies præcedentibus, rectorum, seu vicariorum ad eorum sumptum, cum excessivis & onerosis famulis, & vecturis, morantur, ac in crastino, visitatione impensa, procurationem plenam, & solidam extorquent in pecunia, pro diæta, tanquam in victualibus minime procurati; etiam licet cum talibus dicto die prandeat visitans. Nos, in præmissis, tam subditorum quieti, quam excedentium saluti, cupientes occurrere, districtius inhibemus, præsentis autoritate concilii, ne quis procurationem, ratione visitationis solvendam, ab aliqua præsumat recipere ecclesia, nisi visitationis officium eidem diligens impenderit, scrutatis personaliter & inspectis per ipsum cum effectu, quæ fuerint indaganda.

Si quis vero plures visitare voluerit ecclesias uno die, procuratione unica, in victualibus, vel pecunia, ad quam omnes & singulas, sic die unico visitatas, proportionaliter faciat contribuere, prout tradunt canones, sit contentus; & si nocte præcedente suam visitationem, in quavis ecclesia faciendam, ad sumptus rectoris, seu vicarii visitandi, seu die visitationis, in prandio steterit cum eisdem, veram æstimationem hujusmodi sumptuum in procurationem, si eam in pecunia visitans licite duxerit exigendam, computare seu allocare, vel pro eo in toto studeat compensare: ita quod non ultra sumptus hujusmodi, solidam procurationem in pecunia, nec amplius, quam deductis eisdem sumptibus, de procuratione in pecunia exsolvenda superest, præsumat recipere, vel exigere quovis modo. Si quis autem aliter fecerit, donec indebite percepta restituerit, ab ingressu ecclesiæ noverit se suspensum. Verum quia plures archidiaconi, & alii ordinarii, honoris prærogativa, vel nobilitate generis decorati, in suis visitationibus incedentes, familiarium & vecturarum statutum in canonibus numerum excedunt, sic quod procurantes eosdem in victualibus, excessive & indebite onerantur, ultra æstimationem procurationis, quæ in pecunia solet solvi: nos visitatis hujusmodi, an in pecunia quantitatis solitæ, vel in victualibus, visitantes eosdem voluerint procurare, optionem reservamus. Si visitatas insuper capellas habuerit dependentes ab ea: statuimus, quod pro ecclesiæ, capellarumque suarum hujusmodi visitatione, procuratione, ut pro una ecclesia præstari solet in diœcesi, cujus est ecclesia, visitantes archidiaconi, & alii ordinarii sint contenti, sub pœna suspensionis ab officio & beneficio, quam ipso facto incurrant, donec duplum illius, quod ultra procurationem hujusmodi unicam receperunt, suæ ecclesiæ solverint cathedrali. Item, visitantes archidiaconi, & alii ordinarii, tam in ecclesiis, quā ornamentis earum, & cœmeteriorum clausuris, mansorum domibus, reparantes defectus ipsos, sub pecuniariis pœnis, præcipiunt reparari, & a non parentibus censuris extorquent pœnas hujusmodi, quibus dicti defectus poterunt debite emendari, inde suas bursas, cum jactura pauperum iis diebus oppressorum, insolite nequiter impregnātes. Cum igitur, ne propter tales exactiones pœnales, adversus archidiaconos, & alios ordinarios, & eorum ministros, detur legalis occasio malignandi, nec ecclesiasticos viros deceat quæstibus inhonestis, & pœnalibus anhelari, vel ditari: statuimus, quod pœnæ hujusmodi cōcives* arctæ fuerint, in reparationem convertantur hujusmodi defectuum repertorū, sub pœna suspensionis ab officio, quam cōtra præmissa sibi ipsis pœnas hujusmodi applicātes, donec sic recepta ad reparationem dictorum defectuum cum effectu assignent, incurrere decrevimus ipso facto.

VIII. *De consistoriis episcoporum, & capitulis archidiaconorum, & aliorum ordinariorum, in certis locis celebrandis.*

Excussis subditorum oneribus, in eorum quiete superiores quiescunt sua*intus, & foventur in pace. Sane considerantes ex eo, quod quidam episcoporum, archidiaconorum, & aliorum ordinariorum officiales, sua consistoria, sessiones, & capitula, de tribus in tres, vel de quatuor in quatuor septimanas, annis singulis celebrantes, per varia loca suarum jurisdictionum, & decanatuum nostræ provinciæ, illuc frequenter, quo vitæ necessaria venalia, difficultate obtineant, declinantes, rectores, & vicarios ecclesiarum, in locis, quibus hujusmodi sua celebrant consistoria, sessiones, seu capitula, vel vicinis, similibus sumptibus onerant excessive, ac scandali, & calumniæ materiam suscitant gravaminis.

f. suaviter

Quod si rectores & vicarios ecclesiarum hujusmodi, diebus illis, splendide non procurentur ad votum, ipsos laboribus vexantes, quæsitis coloribus, & causis confictis, infestant graviter & molestant. Propter quæ, & alias justas causas, præsentis statuimus deliberatione concilii, quod hujusmodi consistoria singula, sessiones, & capitula, in locis jurisdictionum & decanatuum prædictorum...... insignibus, vel saltem, in quibus victualia communiter valeant inveniri venalia, de cætero celebrentur: quodque officiales, & cæteri ordinariorum ministri, suorum sumptibus dominorum, tam in hujusmodi celebratione consistoriorū, sessionum, & capitulorum, quam in aliis actibus, quos pro suis exercent dominis, faciant quæ incumbunt. Citationes autem ad consistoria, sessiones, aut capitula hujusmodi, in locis aliis, quam superius expressis, celebranda, & processus, quos in eis contigerit in posterū fieri, ipso jure decrevimus fore nullos, ac officiales prædictos, pro suorum dominorum expediendis negotiis, sumptus exigentes, seu ipsos, occasione nō præstati sumptus hujusmodi, infestātes, eo ipso ab officio, &

& ingressu ecclesiæ suspensos volumus remanere.

Item, quia episcopi, archidiaconi, & eorum officiales, & alii ordinarii, eorumque commissarii, citationes primarias, pro correctionibus delinquentium, fieri per rectores, vicarios, seu parochiales sacerdotes demandant, ipsis frequenter imponitur, quod super iis, quibus fit citatio, confessiones citatorum occultas, in foro ecclesiæ eis perverse revelant, quapropter in ipsos scandalizatur turpiter, & illis extunc parochiani peccatum renuunt profiteri: statuimus, quod hujusmodi citationes primariæ, dictorum ordinariorum autoritate, fiendæ per rectores, aut alios prædictos, de cætero non mandentur, sed fiant per officiales, decanos, apparitores, & ministros alios eorundem. Si vero citationes hujusmodi primariæ, rectoribus, aut vicariis, vel presbyteris demandentur, ipsis super iis parere minime teneantur; sed citationes ipsæ primariæ, factæ per eos, ac exinde subsecutæ censuræ, vel processus, sint ipso jure irritæ & inanes.

IX. *De apparitoribus.*

Cum apparitorum onerosa multitudine, qui nihil habent honesti, subditis excessiva gravamina cumulentur, dum archidiaconi locorum, in archidiaconatuum suorum singulis decanatibus, apparitores equites, qui in decanatibus hujusmodi sub se habentes alios apparitores pedites, cum garcionibus, ad malum naturaliter deditis, incedentes, ad sumptus rectorum, & vicariorum hujusmodi, ad quos nimis frequenter declinant, cum ipsis diutine morantur, quibus etiam non contenti apparitores prædicti, pecuniarum collectas, in quatuor anni capitulis generalibus, faciunt inter eos; agnos, lanam, & garbas suis temporibus colligendo, & non conferentes eisdem, per fas vel nefas, infestari procurant, & malitiose vexari. Unde præsentis approbatione concilii statuimus, quod singuli nostri suffraganei unum apparitorem equitem habeant dumtaxat, pro diœcesibus eorundem. Locorum vero archidiaconi nostræ provinciæ, pro suorum archidiaconatuum singulis decanatibus, unum apparitorem, non equitem, sed peditem habeant tantummodo incedentem, qui cum rectoribus, aut ecclesiarum vicariis, ultra noctem & diem unicam, singulis quarteriis in anno, sumptibus non morentur, nisi per eosdem invitati fuerint ad morandum specialiter, nec, in capitulis generalibus, collectas in pecunia, seu alias de lanis, agnis, vel rebus aliis faciant aliquales, gratis, cum eis data fuerint, cum gratiarum recipere valeant actione. Quod si plures contra hoc fuerint deputati, vel eorũ aliqui præmissa temere violaverint: deputantes eosdem, tamdiu ipso facto ab officio & beneficio sint suspensi, donec hujusmodi amoverint deputatos, quos etiam ab apparitorum officio perpetuo suspendimus ipso facto.

X. *Ne pro peccato notorio, in recidivo continuato, secunda vice recipiatur pecunia, & de pœna recipien.is.*

Quoniam reus culpam non timescit aliquam, cujus pœnam minimis existimat redimendam, nec pro hujusmodi . . . . noxius subtrahitur appetitus, nostræque provinciæ archidiaconi, & eorum officiales, ac eorum superiores quidam alii, cum eorum peccant subditi, tam clerici, quam laici, adulterando, fornicando, seu alias notorie excedendo recidivationes, & incorrigibiliter, corporalem & manifestam, in aliorum terrorem, pœnam debitam subeundam, pro pecunia, indifferenter remittunt, adeo quod delinquentes hujusmodi dicuntur a multis, ac suorum criminum conductores, pecuniamque recipientes & imbursantes hujusmodi, eam in usus pauperum, vel pias causas alias, non convertunt. Unde tam inter populares, A quam inter judices ecclesiasticos, suscitatur grave scandalum, & malum provocatur exemplum. Statuimus idcirco, quod pro delicto notorio in recidivo continuato diutius, secunda vice non recipiatur pecunia quovis modo, sub pœna restitutionis dupli pecuniæ contra hoc receptæ, infra mensem post receptionem ejusdem, fabricæ cathedralis ecclesiæ applicandæ, & suspensionis ab officio, quam, taliter recipientes pecuniam, ejus duplum infra mensem non restituentes, incurrere volumus, ipso facto. In commutationibus pœnitentiarum corporalium pro pecunia, quam absque magna & urgente causa fieri prohibemus, locorum ordinarii taliter moderentur, quod delinquentibus pœnitentias corporales graves, & pœnitentias imponunt adeo excessivas, ut causative, & per obliquum cogantur suas redimere pœnitentias pecuniaria gravi summa. Sed commutationes hujusmodi, cum faciendæ in posterum videantur, sic B fiant modeste, quod rapax non judicetur accipiens, & dans ipse nimium non gravetur, sub pœnis prædictis superius annotatis.

XI. *Ne aliquis fatigetur, ad purgandum se de peccato sibi objecto, extra decanatum in quo moratur.*

Item, licet quis purgari debet, ubi noscitur infamatus, cum nostræ provinciæ episcoporum, archidiaconorum, & aliorum ordinariorum & ministri, officiales, quadam, ut apparet, excogitata malitia, tam clericis, quam laicis se purgaturos offerentibus de impositis, extra locum jurisdictionum suarum, in quibus eos deliquisse, seu jurisdictionis loca remotiora & ruC ralia, ubi non reperiuntur victualia, & vitæ necessaria venalia, difficultate ad se purgandum, cum compurgatorum excessivo numero statuunt, seu præfigunt, & sicut propter fatigationem expensarum, ac producendorum compurgatorum, ad tam remota loca difficultatem, redemptionem pecuniariam cogant facere innocentes, adeo quod aliqui eorum magis eligant crimen, quod nunquam commiserant, confiteri, & pœnitentiam, quam non meruerint, subire, quam se & compurgatores suos tot laboribus, & sumptibus fatigare. Propterea, statuimus, quod de cætero, diffamati de criminibus, seu excessibus, & de eis se purgare voD lentes, de uno decanatu in alium, seu ad alia loca, quæ insignia superius ordinata nullatenus protrahatur. Indicenda vero purgatione diffamatis hujusmodi, episcopi, archidiaconi, & cæteri ordinarii, aut eorum officiales, ultra VI. manus, pro fornicatione, seu simili crimine, pro graviore siquidem, ut pro adulterio, vel majori, ultra XII. manus compurgatorum numerum non imponant, sub pœna suspensionis ab officio, quam contrafacientes incurrere volumus, ipso facto. Illum insuper archidiaconorum, & suorum officialium, aliorumque ordinariorum detestantes abusum, quo a sacerdotibus, in suis jurisdictionibus, celebraturis DiE vina, priusquam id faciant, certam & excessivam quantitatem pecuniæ exigunt liberalitatem, quæ sacerdotes hujusmodi clericos sua nomina inserentes in matriculis, de uno denario solebat respicere, & exactionem censualem VI. denariorum, vel circiter, illicite convertentes. Statuimus, quod de cætero, a dictis sacerdotibus, ultra denarium unicum, pro quo nostrorum nomina registrentur, in primis admissionibus eorum, ad celebranda Divina, dicti archidiaconi, cæterique ordinarii, quibus super eorum ministri recipere non audeant quovis modo, sub pœna suspensionis a celebratione Divinorum, & ingressus ecclesiæ, quam contrafacientes incurrant, quousque duplum perceptorum hujusmodi fabricæ ecclesiæ cathedralis locorum persolvant.

ANNO CHRISTI 1342.

Hoc capitulum prius descriptum est iisdem pene verbis ad ann. 1341. Ex quo emendationes multæ peti possunt. Nã hic est inquinatissimum.

XII. *De iis, qui beneficia ecclesiastica possessa per alios obtinere nituntur, possessoribus non canonice amotis.*

Esurietis avaritiæ cultus sic cupide sitim conatur reficere voluptatis, ut abjecto rationis tramite, clerici quidam fas & nefas improbe permiscentes, ecclesiastica beneficia patronatus archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, & aliarum tam ecclesiasticarum quam sæcularium personarum de possessoribus suis plena, inhumaniter ambientes, ea quæ temporibus longe retroactis, figmentis variis prætendentes vacasse, dum cathedralium, vel conventualium ecclesiarum, ratione vacationis earum, vel terrarum aliarum custodia fuerat penes regem, ad ipsa præsentari, vel sibi per ipsum conferri procurant, licet post prætensas vacationes hujusmodi a diversis tantis temporibus possessa fuerint, quod vix aut nulla sit alicujus memoria causæ vacationis deductæ; quæ etiam, quanquam falsissimam, & quæ nunquam suffuit, allegatur, præsentationem, seu collationem, si per locorum ordinarios, vel collatarii non admittatur, hujusmodi breve regium, *Quare non admisit*, nuncupatum, impetrant contra episcopos, & eos implacitant, vacationem, non formam juris, & facti, sed jurisdictionem tamen, quarum convictionem sæcularis potestatis abusus usurpat indebite, in foro conantes distincte sæculari beneficiorum hujusmodi possessores non facientes vel admittentes partes litem taliter agitatam, nec ordinariorum litteris, institutione, vel collatione, ac inductione factis, in beneficiis hujusmodi fides adhibetur in curia sæculari. Unde accidit, quod episcopis, & aliis, quos litem hujusmodi non afficit, nec auget periculum lites ipsas nullo modo, vel segniter defendentibus, per præsentantes, & præsentatos, collatore, seu collatariis, in foro sæculari jus evincitur patronatus, timoreque vano executionis inducto, cum a foro sæculari scribitur episcopis, quod præsentantes ac collatarios admittant hujusmodi, quãdoq; per se, quãdoq; per alios juris ignaros, quibus aliquotiens vices suas committunt, taliter præsentatos vel collatarios admittunt, & in locum viventis possessoris per sententiam non amoti, de facto instituunt; & in beneficiorum revera non vacantium possessionibus inducunt, quin verius intrudunt, & vitiosos constituunt detentores, in animarum deceptionem multiplicem, & possessorum justorum læsionem enormem. Nos adversus tantæ temeritatis excessus, præsentis concilii provisione antidota, cupientes occurrere: statuimus, quod quicumque clerici ad dignitates, personatus, officia, vel præbendas, aut alia beneficia ecclesiastica quæcumque, plena & occupata, de facto, se præsentari seu ea sibi conferri, per quoscumque de cætero procurantes, directe vel indirecte, virtute breviũ, *Quare non admisit*, vel, *quare impedit*, &c. aut similium, tacite inductis brevibus, beneficiorum possessoribus, & eis vacat rite non amotis, qua episcopos, seu alios in sæculari curia prosequantur, nisi de causis vacationum prætensarum, ad ordinariorum mandata, inquiri faciant, & possessores per judices ecclesiasticos cõpetentes faciãt canonice primitus amoveri, majoris excõmunicationis sententiam incurrant, ipso facto, & tanquam sic excommunicati ad beneficia talia nullatenus admittantur, sed inhabiles ad ea perpetuo censeantur. Si vero contra hæc quisquam in occupato beneficio instituatur, vel admittatur de facto, institutio seu admissio hujusmodi omni juris effectu careat: & quicumque sit instituens, vel admittens, jure proprio, vel delegato, taliter præsentatum, vel collatarium, in obtento per alium beneficio, ipsius possessoris sufficienti autoritate, in foro ecclesiæ sententialiter, primitus non amoto a beneficio & officio, tamdiu noverit se suspensum, donec beneficii possessori priori resarciatur, ut cõvenit, omne damnum. Et institutus taliter, vel admissus, si se in occupato per alium beneficio, contra hoc patiatur induci, censeatur intrusor, & pœnas intrusionis, in constitutione Othoboni, quæ incipit, *Amoris proprii*, cõtentas, necnon alias a canonibus, & sanctis patribus inflictas, ipso facto, incurrant. Per præmissa tamen non intendimus ordinariorum potestati, qua beneficia ad ipsorum collationem spectantia, quovis modo, de facto occupata, non de jure conferri poterunt, derogare, nec eorum collationes beneficiorum admittentes hujusmodi coarctare. Cæterum, ne in foro regio evincenti ius patronat⁹ adversus aliũ, sua victoria sit inutilis, si scribatur ordinario, quod admittat præsentatum ab illo, qui jus patronatus evicit, ad beneficiũ huiusmodi, si de iure vacaverit, & de facto non obsistat canonicũ, admittatur libere huiusmodi præsentatus: si beneficium prædictum non vacaverit, illud domino regi, & iustitiariis intimet ordinarius, excusando se, quod, quia tale beneficium non vacat, ad præsens nequit regium mandatum adimplere, præsentatusque per evincentem in foro sæculari contra ordinarium prosequens, ultra in foro ecclesiæ, ut præmittitur, facienda, supradictas sententias, & alias pœnas, ipso facto, incurrant. Ius vero patronatus evincenti licebit præsentare, si voluerit, ad beneficium hujusmodi, possessorem, ut suum ius in posterum habeat declaratum.

** CONCILIVM LONDINENSE, anno Domini MCCCXLII. celebratum.

Secundum hoc provinciale concilium hoc anno Londini habitum profert Anglicanus collector. In quo quanquam errorem suspico: tamen, quia nihil nobis ex quo emendemus suppetit, utrumque concilium ejus fide ad hunc annum edimus.

Constitutiones venerabilis patris, Ioannis de Stretford, Cantuariensis archiepiscopi, editæ anno Dom. MCCCXLII. die Mercurii proximo post festum sancti Edvvardi regis & martyris, in ecclesia S. Pauli Londinensi, in præsentia comprovincialium episcoporum, videlicet dominorum Radulphi Londoniensis, Rogeri Coventriensis & Litchfeldensis, Ioannis Exoniensis, Roberti Saresburiensis, Roberti Cicestrensis, Thomæ Herefordensis, Radulphi Bathoniensis, Simonis Eliensis, Thomæ Lincolniensis, VVlstani VVigorniensis, David Bangorensis, & procuratorum cæterorum episcoporum absentium sufficienter comparentium tunc ibidem.

TITVLI CAPITVLORVM.

8. *De*

ANNO CHRISTI 1342.

8. *De testamentis, & bonis testatorum, sive intestatorum.*
9. *De languidis in extremis sua bona in fraudem alienantibus, & procurantibus.*
10. *Ne in vigiliis mortuorum fiant inhonesta.*
11. *De celebrantibus clandestina matrimonia in ecclesiis, oratoriis, vel capellis.*
12. *De laicis impedientibus executionem juris ecclesiastici fieri.*
13. *De excommunicatis incarceratis, sine prelato ecclesiæ, nullo modo liberandis.*
14. *De herbis & arboribus in cœmeteriis crescentibus.*
15. *De violatione sequestri.*
16. *De impetrantibus, & dolose prosequentibus breve regium, contra adversarios, in alienis comitatibus.*
17. *De publicatione constitutionum facienda.*

PRÆFATIO.

SPonsam Christi sacrosanctam ecclesiam, privilegio libertatis cælitus decoratam, quorumdam ambitiones illicite infestarunt. Vnde sanctæ Romanæ ecclesiæ summi pontifices, & principes sæculares, & specialiter reges Angliæ catholici & illustres, intra memoriam revolventes, quot C plagis Ægyptii fuere percussi, eo quod populum Dei, filios Israel, typum gerentes ministrorum altaris, servituti indebitæ subjicere præsumpserunt, quodque oppressiones & gravamina, quibus in Anglia libertas ecclesiastica depressa extitit & calcata, oppressionum autoribus non præsumant [a], sed ipsis inde non modicum suæ prodiit salutis periculum, & notorium detrimentum: ecclesiam Anglicanam quam plurimis libertatum, privilegiorum, & immunitatum prærogativis munire salubriter curaverunt: D quia, cum ab adolescentia flexibili ad malum, humana sensualitas adeo morum subversionem in clero & populo suscitavit, quod non sufficiunt provisa remedia, ut cohibeant noxios appetitus, & jura ecclesiæ Dei sanctæ, ac libertates ipsius conservent illæsa. Nos Ioannes, permissione divina, Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, & sedis apostolicæ legatus, invocata Spiritus sancti gratia, utile fore prævidimus, autoritate concilii præsentis, de fratrum suffraganeorum nostrorum coepiscoporum E nostræ Cantuariensis provinciæ consilio & assensu, circa remedia perversis opponenda conatibus, ad vitia extirpanda, ac deformata in ecclesia, clero, & populo, reformanda, utiliter ordinare in ipsa nostra Cantuariensi provincia, futuris temporibus observanda.

[a] *f.* non prosunt

CAPITVLA.

I. *De pace ecclesiæ & regni Angliæ observanda, & de denunciatione facienda.*

SVperius Dei munere reformatus, rex Anglorum Edvvardus, pacem Anglicanæ ecclesiæ ac regni cupiens firmiter observari, nos, & cæteros coepisco- A pos dicti regni olim litteris suis rogavit, ut communes malefactores, & pacis ecclesiæ sanctæ atque suæ turbatores, & violatores, felones, necnon feloniarum manutentores, conspiratores, falsos juratores in assisis & juratis, coram justitiariis regis, deferentes scienter, falsarum querelarum assumptores, manutentores, & fautores earum, per quos turbationem, & pacis violationem, libertatis ac jurium ecclesiæ, atque regni, in ipso regno non ambigitur procurari, in singulis diœcesibus, ecclesiastica compescerentur censura: proprios desiderans, pro suis gravibus in his excessibus, majoris excommunicationis sententia innodari, seu excommunicatos publice nunciari. Vnde nos, piæ mentis dicti regis imitatione laudabili excitati, audaciam perfidorum hujusmodi compescere cu- B pientes, omnes malefactores prædictos, taliter in posterum, in nostra Cantuariensi provincia delinquentes scienter, præsentis autoritate concilii, majoris excommunicationis sententiam volumus & pronunciamus incurrere ipso facto: quorum absolutionem locorum ordinariis, seu, sedibus ecclesiarum cathedralium vacantibus, iis qui jurisdictionem episcopalem exercebunt ibidem, præterquam in mortis articulo, reservamus. Cæterum, ut hujusmodi delinquentium facinora eo amplius evitentur, quo ipsi delinquentes excommunicati solemnius fuerint denunciati: hoc provinciali concilio approbante præcipimus, quod omnes & singuli malefactores prædicti, in singulis cathedralibus, collegiatis, & parochialibus ecclesiis nostræ provinciæ antedictæ, prima Dominica Quadragesimæ, ac in festo corporis Christi, & aliis diebus festivis & solemnibus, annuatim, excommunicati publice nuncientur in genere, cum intimatione reservationis prædictæ.

II. *De habitu, & honestate clericorum, in tonsura, & vestibus.*

Exterior habitus, mores, & conditiones intrinsecas personarum frequenter ostendit. Et licet clericorum gestus exemplum esse debet, & informatio laicorum: tamen clericorum abusus, qui plus solito invaluit his diebus, in tonsuris, vestibus, & ornamentis equorum, ac aliis, abominabile scandalum modo populo generavit, dum ecclesiasticas dignitates, personatus, præbendas honorabiles, & beneficia curata obtinentes, in sacris etiam ordinibus constituti, coronamque [a] regni cælestis & perfectionis esse indicium distrare contemnunt, & omnium extensorum quasi ad scapulas utentes discrimine, velut effeminati, militari potius, quam clericali habitu induti superiori, scilicet brevi, stricto notabiliter, cum excessive latis, vel longis manicis, cubitos non tangentibus, sed pendulis, furrata, vel sendalo revolutis, & ut vulgariter dicitur, reversatis, ac capucii cum tipettis, miræ longitudinis, barbisque prolixis incedere, & suis digitis annulos indifferenter portare publice, ac zonis stipatis preciosis miræ magnitudinis supercingi, bursis, cum imaginibus variis sculptis, annellatis, & deauratis, & ad ipsas patenter cum cultellis, ad modum gladiorum pendentibus, caligis etiam rubeis, etiam scaccatis, viridibus sotularibus, etiam rostratis, & incisis multimode, ac cropriis ad sellas, cornibus ad colla pendentibus, epitogiis, ac clocis [b] furratis, uti patenter ad oram, contra sanctiones canonicas temere non verentur, adeo quod a laicis vix aut nulla patet distinctio clericorum; unde professionis & ordinis suorum prærogativa suis reddunt demeritis se indignos.

[a] *Corr.* coronam, quæ reg. cæl. & perf. est indic. deferre contemnunt, & ctinium

[b] *Vide supra, pag.* 1281.

Nos igitur hujusmodi erroribus, quibus ut plurimum clericorum gestus, tam in magistrorum, & scholarium universitatibus, nostræ provinciæ dehonestis, contra exnunc obviare volentes: hoc sacro appro-

ANNO CHRISTI 1342.

bante concilio, statuimus & præcipimus, quod quicumque ecclesiastica obtinentes beneficia nostræ provinciæ, in ordinibus sacris potissime constituti, vestes & tonsuram clericales deferant, suo statui competentes. Si qui autem clerici nostræ provinciæ publice incedentes in ea veste superiori, brevi, vel stricta notabiliter, aut ea cum longis, vel latis excessive manicis, cubitos circumquaque non tangentibus, sed pendulis, crinibus intonsis, barbisve prolixis, aut annulis suis utantur digitis publice: alii quoque, quibus dignitatis ratione & honoris, hoc congruit, sed in præmissis, vel aliquibus præmissorum superius expressis, excesserint, nisi, infra sex mensium spatium a tempore commissi excessus hujusmodi, moniti se correxerint, & effectualiter dictos dimittant excessus, ecclesiastica habentes beneficia, post prædictorum lapsum sex mensium, ipso facto ab officio suspensionem incurrant, in qua si per tres menses sequentes steterint, suis extunc beneficiis, nulla requisita monitione alia, sint ipso jure suspensi, nec extunc per suos diœcesanos, quibus eorum absolutionem, præsentis autoritate concilii, reservatis, prius ab hujusmodi absolvantur, quam quintam partem unius anni suorum beneficiorum ecclesiasticorum persolvant, per diœcesanos eorum, in quorum diœcesibus hujusmodi beneficia obtinent, pauperibus in locis beneficiorum ipsorum degentibus, infra tres menses postea, fideliter erogandum: & si suspensionibus durantibus hujusmodi, Divinis, seu administrationi dictorum beneficiorum se ingesserint, & immiscuerint, sicut prius, extunc dictis beneficiis sint eo ipso privati. Non beneficiati vero clerici, publice & communiter pro clericis se gerentes, si in iis excesserint, nisi moniti, infra sex mensium spatium, se correxerint cum effectu, eo ipso sint inhabiles per quatuor menses, ad beneficium ecclesiasticum obtinendum: & præter hoc, in universitatibus prædictis, studio litterarum vacantes, & pro clericis se gerentes, si se a præmissis effectualiter non abstineant, ad quoscumque gradus ecclesiasticos & honores, in ipsis universitatibus, ipso facto reddantur inhabiles, donec suis moribus atque gestu maturitatem exhibeant honestis scholaribus competentem, salvis pœnis aliis editis quæ* hujusmodi delinquentes. Præsenti tamen constitutione nolumus prohibere, quin clerici apertis & patentibus super tunicis, aliter mensibus nuncupatis, cum manicis, competentibus locis, & temporibus opportunis; ac etiam nominantes pro eo dumtaxat tempore, in quo per patriam iter faciunt, breves & strictas vestes sibi assumere, & illis uti valeant prout eis videbitur expedire. Verum cum fronte libera cæteros arguere nequeant episcopi, si seipsos, & domesticos propiores non corrigant in hac parte: statuimus, quod episcopi nostræ provinciæ, honestatem, & tonsuram, in vestibus & supradictis cæteris observent, & a suis clericis commensalibus faciant observari. Ad hæc, quia parum valeret jura condere, nisi essent, qui ea executioni debitæ demandarent: dicti præcipimus autoritate concilii, ut locorum ordinarii, quibus de subditorum excessibus spectat inquirere, in locis suæ jurisdictioni subjectis, per se, vel per alios, super his annuatim inquirant, & contra reos in hac parte constitutionem præsentem observent, & diligenti cautela faciant observari.

* Corr. editis contra hujusm.

III. *De dimissionibus beneficiorum ecclesiasticorum ad firmam.*

Licet bonæ memoriæ Othobonus, & Otho, quondam sedis apostolicæ in Anglia legati, suis prohibere constitutionibus curavissent, ne ecclesiæ laicis, vel clericis, ultra quinquennium, tradantur ad firmam: quidam tamen, excogitato fraudis machinamento, A noviter contra eas, ac etiam constitutiones illas suas, ecclesias laicis, & quandoque mulieribus, aut clericis, non obtenta diœcesanorum licentia, d mittunt ad firmam. Et ut figmentis fucata veritas obumbretur in ministris* super traditione hujusmodi ecclesiarum laicis ad firmam, confectis, nomen clerici cum nomine laici contrahentis inseri faciunt, licet clericus nominaliter adjectus contrahens non existat: præfati vero laici, prætextu firmarum hujusmodi, in ecclesiarum sic admissarum mansis & domibus, cum uxoribus, pueris, & familia sua morantur, tabernas in eis publicas facientes, & inhonesta alia exercentes; unde scandala pullulant, & subtrahitur parochianorum devotio, ac ecclesiis hujusmodi circa sua jura plurimum derogatur. Quapropter, hoc provinciali concilio approbante, constitutionibus adjiciendo prædictis, statuimus, quod quotiescumque beneficium ecclesiasticum nostræ provinciæ, clerico & laico ad firmam extunc dimissum fuerit, vel in ministris* super firmarum hujusmodi dimissione confectis, nomen laici, cum clerici nomine, amodo inseratur, ut clericus fingatur fore firmarius, cum non sit; seu si laici, fructus, & proventus, & redditus dimissorum beneficiorum ad firmam, nomine suo colligant, & eos directe in usus suos convertant; hujusmodi contractus non teneant, nec ex eis aliquid alteri obligetur, sed sic ex tunc hujusmodi beneficia tradentes, & recipientes ad firmam, tertiæ partis proventuum beneficii sic dimissi, vel æstimationis ipsius, si ambo sint solvendo, pœna plecti volumus, apponere* nomine clerici non obstante. Et quia religiosi, & alii ecclesiastica beneficia nostræ provinciæ in proprios usus tenentes, se C constitutionibus prædictis asserunt ligari: præsentis concilii approbatione statuimus, quod si ipsi beneficia hujusmodi, vel suas, quas, virtute appropriationum hujusmodi in eis decimarum & proventuum percipiunt, portiones, ad firmam tradiderint clericis, non obtenta diœcesanorum licentia; vel laicis quovis modo, seu aliter qualitercumque, præsentis aut dictarum constitutionum tenorem excesserint: pœna prædicta de cætero percellantur.

ANNO CHRISTI 1342.

* Corr. instrumentis

* Corr. instrumentis

* Corr. apposito nom.

IV. *De decimis & oblationibus, & impedientium pœnis.*

Erroris damnabilis devio excæcati, suarum animarum excidia non devitant: dum frugum suarum decimam solventes, pro labore, metentibus, ea minime computata, non absque errore calculi, pro decima undecimam solvunt garbam: contendentes, se mercenariis de frugibus non decimatis, posse pro autumnali labore potissimum*, solvere autem decimationem, mercedem novi testamenti & veteris imperium, contemnentes. Quorumdam etiam laicorum superstitiosa malitia noviter adinvenit, quod cum garbas aliquas decimales, non tamen signatas, pro decimis in suis terris dimittunt, in servientes virorum ecclesiasticorum, garbas aut res alias pro decimis sic dimissas, nomine decimæ abducentes, & asportantes, ut in sceleratos exclamant, eosque arrestari, vel attachiari faciunt, sicut fures, ac ipsos, & eorum dominos, propter asportationem, & abductionem decimarum hujusmodi infestant, & multipliciter inquietant. Ipsorum etiam alii, pro eo quod garbarum & fœni seu rerum aliarum decimæ per solum ducuntur eorũ, viros ecclesiasticos, & eorũ ministros in foro sæculari implacitant, & gravibus* fatibus, laboribus, & expensis. Alii præterea vias & itinera in prædia, & a prædiis, per quæ decimas asportent, seu ipsæ consueverunt abduci, difficilia & per longos circuitus remota exhibent, & per ea tantum decimas ducentes sinunt transire,

* f. gravãtitibus

ANNO CHRISTI 1342.

transire, seu duci vehicula difficulter, contra ecclesiasticam libertatem. Quidam insuper garbas expositas, & signatas pro decima, non permittunt a suis terris abduci, quamdiu quicquam in illis de bladis remanet eorumdem, sed ipsas scienter tolerant a suis & aliorum animalibus conteri & consumi, ac circa decimarum præstationem, collationem, & abductionem earum, impedimenta multimoda inferunt, & inferri faciunt, & procurant, in libertatum & jurium ecclesiasticorum violationem, & præjudicium manifestum, suarumque grave dispendium animarum. Nos igitur perversorum hujusmodi conatibus, & ausibus damnabilibus, salutari remedio cupientes occurrere, omnes & singulos exnunc in præmissis, vel eorum aliquo, in nostra provincia excedentes, ac illicita supradicta, vel illorum aliquid, fieri mandantes, seu etiam procurantes, nomine ve suo facta, rata & accepta habentes, quorum nefandis machinationibus, juri, seu juribus, & consuetudini approbatæ, ac libertati ecclesiasticæ quicquam subtrahitur, seu aliquid injuriæ, damni, vel molestiæ infertur contra ecclesiasticam libertatem,* concilii, pronunciamus vinculo majoris excommunicationis involvi, eorumque absolutionem diœcesanis locorum, præterquā in mortis articulo, specialiter reservamus.

* leg. autoritate præsentis concilii,

V. *De silva cadua decimanda.*

Quamquam exsolventibus bene decimas Deus frugum omnium abundantiam, & possessionum promiserit libertatem: tamen dolentes referimus, quod nonnulli nostræ provinciæ, qui testamenti veteris atque novi decimam, de suis silvis cæduis, & lignis arborum cæduarum excisis in eis, circa quæ minus, quam circa fructus agrorum, impendunt laboris, decimas Deo & ecclesiis, quibus debentur notorie, propter hoc, quod ipsas in præteritum non dederunt, solvere contradicunt: quia æstimant idcirco licere, quia lege moris de longa invaluisse consuetudine arbitrantur, in dubium etiam revocantes quæ silva cædua sit dicenda. Nos igitur advertentes, quod si sua portione sit ecclesia defraudata diutine, crimen propterea non minuitur, sed augetur, ac fames, & penuriæ, omniumque rerum egestas opprimunt hujusmodi decimas non solventes: hujusmodi declaramus provisione concilii, silvam cæduam illam fore, quod cujuscumque existens generis arborum * in hoc habet, & quæ etiam succisa rursus ex stirpibus aut radicibus renascatur: ac ex ea decimam, utpote realem, & prædialem, vel parochialibus, vel matricibus ecclesiis persolvendam; necnon silvarum possessores hujusmodi ad præstationem decimarum, cum censura ecclesiastica, fore canonice compellendos.

VI. *Contra oblationes auferentes.*

Immoderatæ temeritatis præsumptio, dum non solum alienum concupiscit indebite, sed manum extendit impudenter ad vetita, judicii rationem subvertit, & Divinam vindictam vehementius provocat, quo ausu sacrilego, a laicis irreverenter ecclesiasticis deputata usibus contrectantur. In multis autem partibus nostræ provinciæ, consuetudo, quam verius * jam excrevit pessima corruptela, dum oblationes factæ in ecclesiis, capellis, aut in cujusvis earum particularibus cœmeteriis, ad altaria, cruces, imagines, seu reliquias exeuntes* in eis, per laicos occupantur illicite, ac in usus varios suo arbitrio convertuntur: quamvis prohibitione veteris legis, panes oblatos filiis Israel, nisi Aaron & filiis suis, comedere non liceret; & longe amplius in ecclesia, quæ sub Spiritus sancti gratia, non sub legis umbra coruscat lucidius, Divinove intuitu in locis prædictis oblata laici non contingent.

* Corr. existentes

Vnde, præsentis deliberatione concilii, quoscumque laicos, oblationes in ecclesiis, capellis, aut cujusvis earum porticu, vel cœmeteriis, seu quocumque alio loco, Divino intuitu factas, vel faciendas in nostra provincia, occupantes, auferentes, seu disponentes quovis modo de ipsis, prætextu, etiam cum* suis operis, consuetudinis, aliove colore, nisi de consensu ecclesiasticarum personarum, ad quas oblationum hujusmodi perceptio pertinet, & ex causa sufficienti, & licentia per episcopum loci primitus approbanda, eo ipso majoris excommunicationis sententiæ decrevimus subjacere.

VII. *De debitis intestatorum solvendis, & de testamentis non impediendis.*

Statutum bonæ memoriæ Bonifacii, quondam Cantuariensis archiepiscopi, prædecessoris nostri, circa bona testatorum & ascriptitiorum, aliorumque servilis conditionis hominum ultimas voluntates, quod incipit, *Cæterum contingit interdum* &c. a multis in dubium revocatum, noviter recensentes, quibusdam ad id additis, & aliis ab eo subtractis, seu* verbis infrascriptis, decrevimus sic in posterum firmiter observandum.

Vide sup. ad ann. 1261.

* f. sub

Cæterum contingit interdum, quod clericis, aut laicis Divino judicio decedentibus intestatis, domini feodorum non permittunt debita defunctorum solvi de bonis mobilibus eorumdem, nec in usus uxorum suarum, liberorum suorum, & parentum, vel alias, pro dispositione ordinariorum, bona prædicta, pro ea portione, quæ, secundum consuetudinem patriæ, defunctos contingit, permittunt distribui pro eisdem. Alii siquidem ascriptitiorum, & aliorum servilis conditionis hominum, necnon solutarum, & conjugatarum mulierum, ac suarum propriarum uxorum, vel etiam aliorum, impediunt, vel impedire procurant factionem liberi testamenti, & ipsius executiones, & dictorum testantium voluntatem ultimam, tam contra jura, quam consuetudines ecclesiæ Anglicanæ hactenus approbatas, in Divinæ majestatis offensam, & læsionem juris ecclesiastici evidentem. Vnde nos præsentis deliberatione concilii, omnes & singulos in his, vel eorum aliquo, de cætero delinquentes, majoris excommunicationis sententia fore decrevimus innodatos. Testamentis etiam coram ordinariis locorum, ad quos pertinet probare, approbatis, hujusmodi testamentorum probatio, & approbatio, nisi positione laicalis feodi, si id in testamento aliquo legari contingat, nullatenus a laicis requiratur; vel impediant clerici vel laici, aut cujusvis conditionis homines, seu impediri procurent, quo minus testamenta, voluntates ultimæ defunctorum procedant, & consequantur effectum in his, quæ legari possunt de consuetudine, vel de jure. Si qui vero contra hoc scienter venire præsumpserint in futurum, sciant se, præsentis autoritate concilii, majori excommunicationis sententia esse involutos: ac contra eos, & alios in præmissis nequiter excedentes, tanquam contra violatores, & perturbatores ecclesiasticarum libertatum, gladium spiritualem decernimus extendendum.

Inhibemus etiam, ne cuiquam executori testamenti cujusquam administrare permittatur de bonis alicujus testatoris, nisi prius fiat de dictis bonis fidele inventarium, sumptibus funeris, & circa confectionem inventarii hujusmodi * apponendum, dumtaxat exceptis. Inventarium vero hujusmodi, locorum ordinariis tradi volumus, infra tempus eorum arbitrio moderandum. Et postquam coram ordinariis, juxta morem, probatum fuerit testamentum, non committatur aliquibus in bonis hujusmodi executio, seu administratio a talibus, qui debitum administrationis

ANNO CHRISTI 1342.

tionis suæ, possint, & si oporteat sufficienter caveant, ac fideliter promittant, reddere rationem, cum super hoc per locorum ordinarios fuerint congrue requisiti.

Item statuimus præsentis autoritate concilii, ne aliqui religiosi, cujuscumque professionis existant, sint executores testamentorum, nisi hoc de ordinariorum voluntate & licentia concedatur: & hoc quod de probatione contingente defunctum, in parochiali ecclesia jus percipiat consuetum.

Statuimus præterea, quod nullus executor aliquid sibi applicet, vel appropriet de bonis defuncti, cujus testamentum exequitur, titulo emptionis, vel aliter, nisi quod fuerit sibi donatum a testatore inter vivos, vel in suo testamento vel ultima voluntate relictum, aut pro ipsius executoris labore, ordinarii arbitrio, fuit ordinatum, vel si quod fuerit debitum a defuncto, aut pro moderatis suæ administrationis expensis, sub pœna suspensionis ab ingressu ecclesiæ, quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto: cujus absolutionem non obtineant, donec applicata, vel appropriata sibi sic indebite, restituerint, & ecclesiæ cathedralis fabricæ, cujus defunctus erat subditus, duplum sic appropriatorum vel applicatorum sibi ipsis, solverint de propriis suis bonis. Omnia vero & singula supradicta mandamus, per singulas ecclesias Cantuariensis provinciæ, bina vice annuatim solemniter publicari.

VIII. *De testamentis, & bonis testatorum, sive intestatorum.*

Ita ecclesiasticorum quorumdam judicum nostræ Cantuariensis provinciæ interiores oculos, damnatæ ambitionis improbitas excæcavit, quod executores testamentorum clericorum beneficiatorum, & aliorum cujuscumque conditionis hominum decedentium, de bonis ad hujusmodi testamenta spectantibus, juxta testantium arbitrium, prout legalis & canonica sanxit autoritas, disponere non permittunt: sed sic testantium, & ab intestato decedentium, bona mobilia in suis jurisdictionibus habentium tempore suæ mortis, quæ post solutionem debitorum, in pias causas de jure converti debent, usurpant indebite; ubi ipsis, & creditoribus exclusis, ea quandoque distribuunt, sicut volunt. Quæ plurimum intuentes, dum ægritudinibus fatigantur, in ecclesiarum fraudem, vel damnum suorum creditorum, liberorum, & suarum uxorum, qui & quæ, tam de jure, quam consuetudine, certam quotam dictorum bonorum habere deberent, sua mobilia, dum adhuc vivunt, multoties alienant. Sic creditores, & alii supradicti, debitis sibi carent, non absque gravibus periculis animarum. Propter quæ statuimus, quod episcopi, & alii inferiores ecclesiastici judices nostræ provinciæ, de bonis clericorum beneficiatorum, quos testari posse constat, de consuetudine regni Angliæ, seu aliorum testantium quorumcumque, præterquam in casibus expresse permissis, quovis quæsito colore, nullatenus intromittat: sed executores testamentorum ipsorum permittant libere de eisdem disponere, necnon ab intestato decedentium, solutis debitis eorumdem, bona quæ superarunt, in pias causas, personis decedentium consanguineis, servitoribus, & propinquis, seu alias pro defunctorum animarum salute, distribuant, & convertant, nihil inde sibi retento: nisi forsan aliquod rationabile, pro ipsorum ordinariorum labore, fuerit retinendum, sub pœna suspensionis ab ingressu ecclesiæ, contra ecclesiasticos judices facientes contrarium,* incurrere volumus ipso facto, donec de præmissis satisfecerint competenter.

* Deest, quam eos

XI. *De languidis in extremis sua bona in fraudem alienantibus, & procurantibus.*

Cordis dolore concutimur, intuentes, quod in nostra provincia, malitia hominum excrescente, pessima corruptela, dum ecclesiarum prælati, & beneficiati clerici, aliique nonnulli laici, mortis vicinæ conjecturam verisimilem obtinentes, universa bona sua, seu quotam eorum notabilem, donare inter vivos, seu aliter alienare possint, adeo quod ne dum ecclesiæ, ad quarum, seu cancellorum, librorum, vel ornamentorum earum reparationem, dum vivebant,* fuerant, suis excluduntur remediis, sed rex & creditores alii, quibus sic alienantes efficaciter tenebantur, suis juribus, uxoresque & liberi conjugatorum, suis portionibus, de jure vel de consuetudine ipsis debitis, irrecuperabiliter fraudantur. Nonnulli assistentes languentibus in extremis, hujusmodi alienationes, sive* consuluerunt, & temere procurarunt, ipsosque languentes consiliis & persuasionibus perversis a volũtate testandi nequiter averterunt: ex quibus impediri testamenti liberam factionem, & ecclesias, ac cæteros supradictos suo jure non ambigitur maliciose privari. Unde, præsentis deliberatione concilii, omnes & singulos in nostra provincia donantes, seu alienantes taliter bona sua malitiose, seu fraudulenter, ac hujusmodi malitiæ sive fraudis conscios, recipientes sic alienata in eos, & ad hoc dantes consilium, auxilium, vel favorem, majoris excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto. Donantes insuper, & sua bona in ipsa provincia taliter alienantes, propter sui gravitatem excessus, non obstante quacumque absolutione impensa a prædicta sententia, ecclesiastica careant sepultura. Cæterum, ne probatione fraudis vel malitiæ in hac parte, difficultas provisionem præsentem reddat inutilem: quoties aliqui bona sua omnia, inter vivos, quovis titulo alienant, seu in quantitate tam notabili, quod appareat de residuo ecclesiis vel creditoribus aliis de suis debitis, uxoribus & liberis de portionibus supradictis, non posse satisfieri, sicut decet: alienatio hujusmodi per malitiam sive fraudem eo ipso fieri censeatur, malitiæ sive fraudis probatione minime requisita.

* leg. obligati fuerãt, vel simile aliquid

* f. sive donationes

X. *Ne in vigiliis mortuorum fiant inhonesta.*]

Quia sæpe, quod credebat conjectura prodesse, experimento inutile reperitur: idcirco quod credit observantia generalis opinione probabili, utile reputans, & postea tendit ad noxam, rationabilem imitationem* admittit. Sane servare fidelium devotio consuevit, ut obeuntibus hominibus, vel mulieribus, ante corporum sepulturam nocturnæ agerentur vigiliæ, in privatis quandoque domibus, pro defunctis, ut illuc convenientes & vigilantes fideles, devotis precibus Deo fusis, intercederent pro eisdem. Inimici tamen satellitis insidiis, quod salubriter custodivit antiquitas, superstitioso errore, adeo in scurrilitatem nequiter est conversum, ut in vigiliis mortuorum hujusmodi, neglectis orationibus, illuc conventiculæ ineantur illicitæ atque fœdæ: unde adulteria, fornicationes, & furta sequuntur, & alia perpetrantur casualiter multa mala. Quia siquidem morbus iste, quasi communis invaluit, eidem adhibendam medelam statuimus, quod in nostra provincia, peractis a viris ecclesiasticis mortuorum memoriis, inhibent* in privatis domibus, in quibus mortuorum corpora usque ad sepulturam requiescunt, frequenter de cætero non recipentur* ad consuetos populares, nocturnas vigilias peragendum defunctorum (propinquis amicis, & iis qui psalteria forsan dicere pro defunctis voluerint, duntaxat exceptis) sub pœna excommunicationis majoris,

* Corr irritationem

* f. inhibeant ne

* f. consueti pop. ad noct. vig. perag.

ANNO CHRISTI 1342.

ris, quam, totam præmissam vigiliam facientes hujusmodi, & receptores taliter vigilantium, non immerito poterunt formidare.

XI. *De celebrantibus clandestina matrimonia in ecclesiis, oratoriis, vel capellis.*

Humana concupiscentia, semper ad malum proclive, quod est prohibitum, frequenter id ardentius appetit, quam quod licet. Unde personæ variæ, quæ propter consanguinitatem, vel affinitatem, seu alia impedimenta legitima, matrimonialiter ad invicem de jure nequeunt copulari, multoties desiderant id de facto, ut sub matrimonii consueti velamine, possint carius* operam perniciosam & illicitam liberius adimplere. Qui sua scientes impedimenta nota fore in parochiis, in quibus degunt, quia parochiales presbyteros, propter hujusmodi impedimenta notoria, seu famam impedimenti vehementem, ad solemnizationem matrimonii, inter tales, paratos non inveniunt: ad loca remota, & præcipue civitates, & municipia populosa, in quibus præmissorum non habetur notitia, transferunt se ad tempus, & illuc quandoque, bannis non editis publice, nec horis, nec temporibus opportunis, aliquoties in ecclesiis, aliquoties in capellis, seu oratoriis, matrimonia inter ipsos de facto solemnizari procurant, & ibidem morantes, vel ad proprias partes postea redeuntes, & adinvicem cohabitantes, ut conjuges, quia locorum ordinarii, & populares alii, pro timore vexationum & sumptuum, ipsos super illicita copula nolunt vel non audent impetere, seu eorum denunciando crimina propalare, illicite remanent copulati, in suarum interitum animarum. Nos igitur hoc tam frequens vitium extirpare volentes, præsentis concilii autoritate, statuimus, quod exnunc matrimonia contrahentes, & inter se solemnizari facientes, hujusmodi impedimenta scientes, aut suspicionem habentes verisimilem eorumdem; sacerdotesque, solemnizationes matrimoniorum prohibitorum hujusmodi, seu etiam laicorum, inter tamen alios, quam suos parochianos, in posterum facientes, diœcesanorum & curatorum contrahentium super hoc licentia non petita; clandestinorũ etiã matrimoniorũ in ecclesiis, oratoriis, vel capellis, solemnizationi interessentes, conscii præmissorum, majoris excommunicationis sententiam incurrant ipso facto; & quod quater, annis singulis, in genere excommunicati publice nuncientur, pœnisque aliis contra celebrantes matrimonia bannis non editis, vel alias clandestine statutis, a jure nihilo minus arceantur. Sive quia constitutio bonæ memoriæ Simonis, quondam Cantuariensis archiepiscopi, prædecessoris nostri proximi, quæ incipit, *Item quia ex contractibus &c.* juxta suorum verborum corticem, opinione multorum, in sui fine videtur dubia, seu obscura: ipsam constitutionem reddere pro futuro cupientes indubiam esse, sic intelligendam fore, hoc approbante concilio, declaramus, quod quivis sacerdos sæcularis, qui solemnizationem matrimonii, extra parochialem ecclesiam, vel capellam habentem jura parochialia sibi competentia, ab antiquo interesse præsumpserit, pœnam in ea latam subeat ipso facto.

* *Corr.* caris

Cõc. Lond. an. 1328. c. 8.

XII. *De laicis impedientibus executionem juris ecclesiastici fieri.*

Accidit novitate perversa, quod cum ecclesiarum prælati de morum disciplina, peccatis, & excessibus subditorum nituntur inquirere, magnates, & potestates aliæ sæculares, officia impedire molientes eorum, inhibent laicis ipsorum tenentibus, aut nativis, ne ad ordinariorum citationes, pro suorum

A criminum vel excessuum correctionibus canonice subeundis, quorum correctio & punitio ad ipsos ordinarios noscitur pertinere, de consuetudine, vel de jure, aut pro testamentorum approbationibus, insinuationibus, aut calculis de bonis defunctorum administratis per eos, seu compotis, & aliis testamentariis juribus, extra locum sui dominii, veniant, aut comparreant coram eis. Et ne in locis sui dominii per prælatos exerceantur, præmissi impediunt, & procurant nequiter impediri, sibique super his jurisdictionem ecclesiasticam exercentes, & suis subditis, pro eorum culpis & excessibus, pœnitentias corporales seu pecuniarias imponentes, ac ipsos facere cogentes easdem, sicut ordinariis ipsis licet, aut pro pœnitentiis corporalibus, juxta modum excessuum suis impositis, redemptiones pecuniarias, prout iuste poterunt, admittentes, de & super extorsionibus excessivis indictantur, sicque indictatos attachiant, & incarcerant, aut super his in foro sæculari eos sibi respondere compellunt, quibus mulctas pecuniarias, ea occasione, in dicto foro sæculari imponi procurant & faciunt indebite, pro libito voluntatis frequenter; & multi cum turmis & strepitu ad judicia concurrunt ecclesiastica, ac judices litigantesque, seu habentes ibidem alia expedire, graviter sic exterrent, quod ecclesiastica confunditur jurisdictio, & opprobriose officium prælatorum suspenditur, & nequiter impeditur, ac in culpam facile homines corruentes, dum pœna non reprimit transgressores, impunitatẽ sibi pœnalem nutriũt, & antiqui hostis insidiis levem aditum præparant, & frequẽtem.

Alii siquidem multos, pro eo quod causas, & negotia in foro ecclesiastico, de jure, vel consuetudine pertractanda, ibidem contra adversarios suos manent*, necnon advocatos postulantes pro eis, & procurantes; alios quoque ministros ecclesiasticos & judices cognoscentes, super his indictari, & attachiari, carcerique mancipari, & alias in foro sæculari multipliciter fatigari faciunt, & procurant; suisque tenentibus & aliis ad forum ecclesiasticum, seu pro causis, seu pro negotiis in ipso de consuetudine & de jure tractandis, recurrentibus, si non desistant, & in foro sæculari super iis litigent, imponunt sæpissime graves mulctas, ipsosque affligunt, & vexant injuste, multimodis laboribus & expensis. Alii vero episcopos, & alios vero quoscumque ordinariam habentes jurisdictionem suam in civitatibus, vel locis aliis eis subjectis, debite exercere volentes vi, & super iis, quæ spectant notorie ad eosdem, seu pro executione jurisdictionis ecclesiasticæ, mandata sua licita & canonica destinantes, executionesque eorum debite exercendo impediunt, vel impediri procurant injuste, ac nuncios mandata hujusmodi deferentes, & facere debite justas executiones volentes, capere, verberare, & male pertractare injuriose præsumunt. Quidam etiam domini temporales, & eorum baillivi, bona decedentium ab intestato in suis districtibus ad ipsos dominos prætendentes fore, quamvis erronee, devoluta, ne per ordinarios bona hujusmodi, pro solutione debitorum sic decedentium, ac in alios pios usus, pro animarum ipsarum salute, convertantur utiliter, consensu regio, & magnatum regni Angliæ, tanquam pro jure ecclesiasticaque libertate ab olim extitit ordinatum, impediunt, in derogationem ecclesiasticę libertatis, jurisque, & jurisdictionis ecclesiasticorum impedimentum, & læsionem enormem. Nos igitur, præsentis deliberatione concilii, omnes & singulos, in præmissis vel eorum aliquibus delinquentes, seu præmissa, vel eorum aliqua facientibus, consensum ad ea dantes, consilium, auxilium, vel favorem, aut ea, vel eorum aliqua in suis facta negotiis, nominibus eorundem, rata, vel accepta habentes, hoc sacro approbante concilio,

* *Corr.* movent,

ANNO CHRISTI 1342.

cilio, pronunciamus majoris excommunicationis sententia innodari, quorum absolutionem diœcesanis locorum specialiter reservamus, & delinquentes hujusmodi quater, annis singulis, in cunctis ecclesiis parochialibus nostræ provinciæ Cantuariensis, excommunicatos in genere præcipimus publice nunciari.

XIII. *De excommunicatis incarceratis, sine prælato ecclesiæ, nullo modo liberandis.*

Sæculi principes potestatem recipientes a Deo, quod ecclesiæ sacerdotes superborum cervicibus imponere nequeunt, solent ab ipsis terrore disciplinæ, suæ potestatis gladio extorquere. Unde veneranda tradit antiquitas, quod si excommunicati, humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum, animo indurato arroganter abjiciunt, invocata regia potestas in auxilium, tenetur ex debito rigore severitatis, rebelles hujusmodi compescere custodia carcerali. Si* contingit interdum, quod excommunicatis, etiam pro manifestis offensis, ad significationem prælatorum, prout consuetudo regni Angliæ obtinet, captis, & carceri mancipatis, per breve regium demandatur episcopis, quod si capti, de stando & parendo juri cautionem accipiant, exhibeant ipsos, & quibus detinentur carceribus, faciant liberari. Alioquin, si episcopi hoc non fecerint, sicut ante debitam satisfactionem, nec possint, de jure tenentur: vicecomitibus aliud breve dirigitur, quod cautione hujusmodi ab incarceratis accepta, ipsos liberent indilate. Suggesto insuper regiæ curiæ, licet minus veraciter, pro tali excommunicato incarcerato, quod ipse paratus est mandatis ecclesiæ obedire: mandatur vicecomitibus, ut incarceratum hujusmodi excommunicatum, vel partium, ad quarum instantiam excommunicantur, non habita mentione, a carcere liberent & dimittant: ac quandoque, ut prius, suggesto quod incarcerati excommunicati fuerint, ipsos curent celeriter liberare, nec processibus judicum ecclesiasticorum, super causa excommunicationis hujusmodi, fides aliqua adhibeatur; sed sic excommunicati, in supradictis casibus, ad mandata & præcepta hujusmodi, indebite liberentur. Propter quæ ecclesiasticorum judicum confunditur officium, dum laici clave potestatis & scientia penitus destituti, quos sic tenet obsequendi necessitas, quod de his, quæ ad jurisdictionem ecclesiasticam pertinent, ipsis cognoscendi, vel imperandi prohibetur autoritas, falcem in messem nituntur mittere alienam, excommunicatorumque sic liberatorum indebite communione nefanda, tam vicecomites, & ballivi liberantes eosdem, quam cæteri populares, variique fideles communicantes cum liberatis excommunicatis hujusmodi, pestifere maculantur, & animarum gravia inde pericula cumulantur. Contra quæ providere zelantes, statuimus, quod excommunicati capti in nostra provincia, sic exeuntes a carcere, contra consuetudines & libertates ecclesiæ Angliæ, ad eorum majorem confusionem & ruborem, solemniter in locis insignibus, pulsatis campanis, candelis accensis, excommunicati publice nuncientur, ac ipsis commercium, ad eorum commodum, & fidelium communio inhibeatur omnino, communicantesque cum eisdem illicite, censura ecclesiastica tamen deleta, acriter puniantur.

* Corr. Sed cont.

XIV. *De herbis & arboribus in cœmeteriis crescentibus.*

Quia diutius sæcularibus legibus prohibetur, ne de rebus ecclesiarum disponendi laicis sit facultas, usurpationis illius contumelia longe noscitur depellenda. Quia quidam nostræ provinciæ ecclesiarum parochiani, suæ potestatis ignorantes terminos limitatos, seu arroganter potius non servantes, arbores ac herbas, in ecclesiarum & capellarum nostræ provinciæ cœmeteriis crescentes, suæ voluntatis arbitrio prosternentes, ac evellentes, seu metentes, præter & contra voluntatem rectorum, & vicariorum ecclesiarum & capellarum hujusmodi, seu custodum deputatorum per ipsos, eas, suis, aut ecclesiarum, vel aliorum usibus, ausu sacrilego applicare noscuntur; unde animarum pericula, contentiones, & scandala, graviter inter ecclesiarum prælatos, & parochianos eorum quasi quotidie suscitantur: præsentis autoritate concilii declaramus, temerarios hujusmodi contemptores, majorum excommunicationum sententiis latis tam in constitutione Othoboni, apostolicæ sedis in Angliam legati, quam in concilio Oxoniensi, contra violatores ecclesiasticæ libertatis, existere involutos; quos, post usurpationem in his de cætero factam illicite, excommunicatos fore præcipimus rite & canonice, publice nunciari per rectores, aut vicarios, qui ecclesias suas offensas senserint ex præmissis; ac usurpatores prædictos, in eorum confusionem & ruborem, a communione fidelium decernimus repellendos, donec de præmissis effectualem emendam offerant, & fecerint competenter.

XV. *De violatione sequestri.*

Frequens perversorum audacia, erigens rebellionis cervicem, episcoporum, vel vicariorum suorum generalium principalium sequestra, ex causis justis & veris, in bonis ecclesiasticis, vel aliis in casibus a jure permissis, interposita legitime, calcata reverentia, injuste violare præsumunt: adeo quod eorum præcepta canonica illicite contemnuntur. Ut igitur taliter delinquentes a suis excessibus arceantur: præsentis statuimus deliberatione concilii, quod in dicta provincia nostra, violatores hujusmodi sequestrorum, post & contra publicationem eorum palam factam, in locis, quibus bona sic sequestrata consistunt, majoris excommunicationis sententiam incurrant, ipso facto. Si tamen sequestrum fuerit appellatum, & sequestratio hujusmodi legitime prosecuta: ea pendente, possessores bonorum sequestratorum, & alii, libere & impune utantur eisdem.

XVI. *De impetrantibus, & dolose prosequentibus breve regium, contra adversarios, in alienis comitatibus.*

Dierum invalescens malitia, qua mundus in deteriora jugiter labitur, hominum mentes in apertam facit malitiam prosilire. Unde nostræ provinciæ nonnulli, aliis malignari conantes, brevia regia de compoto, seu transgressione, & alia, contra illos quibus nocere desiderant, ad extraneos comitatus, in quibus sui nunquam adversarii fuerint, contraxerint, vel deliquerint ibidem, bonave administrarint inibi cujuscumque, fraudulenter & malitiose impetrare præsumunt: & adeo contra eos ignorantes clam prosequuntur, ut illis,* quoniam utlegantur, vel foris banniuntur a regno. Unde cum processus & sententiæ, contra ignorantes taliter indefensos habiti, a jure merito reprobentur, nec sit malitiis hominum indulgendum: statuimus, quod quicumque clerici, vel laici, in nostra provincia, talia subreptitie, fraudulenter, & malitiose de cætero, ut præmittitur, impetrantes, & prosequentes, facientes, procurantes, seu ad ea impendentes scienter consilium, auxilium, vel favorem, aut ea rata habentes nomine suo acta, sententiam majoris excommunicationis incurrant, ipso facto.

XVII. *De publicatione constitutionum facienda.*

Hujus autem concilii constitutiones, & provisa remedia, præcipimus in nostra Cantuariensi provincia, futuris temporibus, inviolabilier servari: mandantes coepiscopis & suffraganeis universis, ut ipsas

ANNO CHRISTI 1342.

ipsas constitutiones per se, & alios, ut jus exigit, publicent & faciant publicari, ac in publicam notitiam deduci, ad utilitatem communem, laudem & gloriam nominis Iesu Christi, qui extirpet vitia, & plantet virtutes Ecclesiæ, atque regni Angliæ gubernacula dirigat, pacem tribuat, & concordiam foveat, Amen.

ANNO CHRISTI 1344.

*** CONCILIVM NOVIOMENSE

A Ioanne Remensi archiepiscopo & suffraganeis, anno Domini MCCCXLIV. XXVI. Iul. celebratum.

Ex codice synodalium Remensis ecclesiæ.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *De impedientibus iurisdictionem ecclesiasticam.*
2. *De citationibus ecclesiasticis.*
3. *Ut personæ ecclesiasticæ diffidationes non faciant.*
4. *Ut Divinum officium in omnibus ecclesiis fiat secundum usum cathedralis.*
5. *De impedientibus ne clerici vendant, vel emant, vel eorum terræ colantur.*
6. *De captis clericis, sine pecunia restituendis.*
7. *Ne ab histrionibus idololatriæ fiant.*
8. *Ut clerici impositas a laicis iudicibus pœnas non peragant.*
9. *De decimis persolvendis.*
10. *Ut capitula præbeant prælatis instrumenta, & vicissim.*
11. *De honestate clericorum.*
12. *Ne miracula publicentur ordinario inconsulto.*
13. *Ut clericis captis vestes & tonsuræ clericales non auferantur.*
14. *Ut laici se clericos non fingant.*
15. *De excommunicatis fraudem facientibus ut absolvantur.*
16. *De excessibus promotorum curiarum ecclesiasticarum.*
17. *De moderandis impensis quæ a procuratoribus fiunt.*

PRÆFATIO.

VNiversis præsentes litteras inspecturis, Ioannes permissione Divina Remensis archiepiscopus P. Suessionensis, H. Laudunensis, I. Ambianensis, I. Tornacensis, R. Morinensis, R. Silvanectensis, eadem permissione episcopi, Remensis provinciæ suffraganei, personaliter; una cum aliorum suffraganeorum Remensis provinciæ absentium, & cathedralium ecclesiarum, procuratoribus, in concilio provinciali apud Novionum pro reformandis moribus in clero, & gravaminibus eidem illatis multipliciter reparandis, celebrato, aliis omnibus qui potuerunt & debuerunt concitari, adhoc evocatis, salutem in Domino.

CAPITVLA.

I. *De impedientibus iurisdictionem ecclesiasticam.*

CVm ad nostrum jam pluries auditum pervenerit ex querimoniali relatione plurimorum, quod nonnulli tam domini temporales, quam eorum judices & ministri sæculares, pluresque alii pacis turbatores, non solum contra jura, sed & sedis apostolicæ legatorum, conciliorumque provincia-

A lium ordinationes & statuta, necnon contra prohibitiones & inhibitiones prædictorum jurium ac ordinationum & statutorum, damnabiliter in suarum periculum animarum, Dei timore postposito, multipliciter delinquentes; pœnas in eisdem juribus, ordinationibus, & statutis appositas sæpius incurrere, easdemque animo indurato diutius sustinere non verentes, quamplures pressuras, injurias, oppressiones, gravamina, transgressiones, & offensas, viris ecclesiasticis, non solum in eorum bonis, sed B etiam in personis propriis, necnon turbationes & impedimenta multiplicia & diversa contra libertatem & jurisdictionem ecclesiasticam, inferre, seu inferri facere, per suos satellites & ministros non formidant: videlicet facientes per eorum villas & castra publice proclamari, ne aliquis de ipsorum subditis aut burgensibus, sub certis pœnis se obliget coram judicibus ecclesiasticis, seu deputatis ab eis, vel per litteras suarum curiarum, aut citari faciat alterum coram ipsis, necnon inhibendo, aut etiam inhiberi faciendo curatis in eorum terris seu C dominio temporali constitutis, ac etiam notariis, & tabellionibus, & commissariis aliis dictarum curiarum, sub pœnis gravibus tam corporis quam bonorum, ne litteras dictarum curiarum recipiant, sigillent, seu aliter quomodolibet exequantur: quodque prædicti tabelliones & notarii, seu alii commissarii in terra seu dominio aut districtu prædictorum dominorum temporalium, seu judicum sæcularium, suas non faciant auditiones, informationes, vel inquæstas, & ne suum officium exerceant in locis supradictis: ac plures de dictis tabellionibus, & D notariis, ac commissariis, suas auditiones, informationes vel inquestas ibidem prout licet facientes, propter hoc incarcerando, ac in carcere mancipando, gravesque injurias & minas tales eisdem inferendo, quod eos justo metu ductos recedere oportuit sæpius, & oportet, prædictis suis auditionibus, informationibus & inquæstis non inceptis, vel saltem imperfectis: ac etiam plures de dictis curatis, tabellionibus, notariis, ac E commissariis, ac litterarum dictarum curiarum portitoribus, interdum carceri mancipando, mutilando graviter verberando, viliterque tractando, & quod est horribilius, aliquos morti tradendo, bona ipsorum saisiendo, capiendo, dissipando, devastando, seu capientium vel eorum dominorum usibus applicando, occasione præmissorum: nonnullosq; dictorum curatorũ, tabellionũ, notariorum, ac commissariorum, & portitorum litterarum, ad emendas rationẽ præmissorum eisdem faciendas compellendo: plures litteras & registra dictarum cu-

Anno Christi 1344.

riarum a curatis & earum portitoribus violenter extorquendo, dilacerando, ac etiam in locis publicis & coram pluribus assistentibus comburendo; nonnullosque presbyteros, clericos, & viros ecclesiasticos, pro delictis & excessibus per eos eisdem impositis, coram se trahendo & carceri mancipando; & eosdem in præmissis casibus, ac etiam in contractibus, & aliis factis & actionibus, personaliter respondere compellendo; & eosdem clericos ad emendas pecuniarum condemnando, seu etiam eisdem peregrinationes, seu alias pœnas injungendo, vel eosdem de facto banniendo, necnon eos coram se purgari faciendo, bonaque mobilia dictorum clericorum de domibus eorumdem, vel in quibus moram trahunt, ejiciendo, ac etiam eosdem aliquando de dictis domibus expellendo; necnon prædictos clericos pro exoessibus vel delictis eisdem impositis, pro quibus fuerunt a suis judicibus puniti canonice, seu etiam absoluti, pro libito temerariæ voluntatis capiendo, incarcerando, & de facto compellendo ad emendas supradictas; dictosque clericos extra legem ponendo more suo, qui dicendus potius est abusus; ut sic prætextu suæ pravæ consuetudinis, quæ magis dicenda est corruptela, talibus sic extra legem positis injuriantes, vel ipsos occidentes, seu etiam mutilantes, nullatenus vel modicum puniantur; ac easdem emendas ab ipsis violenter tam per captionem & detentionem corporum & bonorum suorum, quam per alias vias obliquas & varias extorquendo; pluresque personas debita sua petentes, seu jus suum alias in prædictis curiis ecclesiasticis debite persequentes, & interdum contra suos adversarios sententiam excommunicationis rationabiliter impetrantes, per captionem corporum & bonorum eorumdem compellendo, ut desistant a suis processibus antedictis; & quod est nequius, ut prædictos suos adversarios ad eorum instantiam excommunicatos, ut præfertur, absolvi faciant & procurent, suis videlicet dictorum actorum propriis sumptibus & expensis.

Quæ præmissa omnia & singula, non solum in ecclesiæ injuriam, sed & totius libertatis ac jurisdictionis ecclesiasticæ detrimentum, scandalum, opprobrium, injuriam, vituperium, atque damnum, cedere dignoscuntur. Licet igitur in præmissis casibus vel saltem eorum aliquibus, non solum per jura, sed etiam constitutiones & statuta legatorum sedis apostolicæ, conciliorumque provincialium, a nostris prædecessoribus super his seu eorum aliquibus editorum, de remediis aliquibus aliqualiter sit provisum: quia tamen crescente malitia crescere debet & pœna, dignumque fore

A reputatur, ut quos Dei timor a malo non revocat, saltem eos coerceat severitas ecclesiasticæ disciplinæ (nam tanto graviora sunt peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam) hinc est quod nos indemnitatibus ecclesiarum succurrere, malignantiumque perversitates, temerariosque eorum abusus & nefandos sub loris justitiæ, prout possumus, refrænare ac supradictis pressuris, injuriis, oppressionibus, gravaminibus, transgressionibus, & offensis, de salubrib9 remediis, prout ex debito tenemur officii, providere cupientes: deliberatione

B super hoc in sacro concilio præsenti habita pleniori, de totius ipsius prædicti cōcilii providentia unanimi & concordi statuimus, decernimus, & etiam ordinamus, ut quandocumque præmissa gravamina, vel aliquod eorum, per aliquem dominum temporalem, seu judicem sæcularem, aut eorum servientes vel ministros, seu ab ipsis dominis aut judicibus deputatis, perpetrari contigerit seu committi; & hoc judici ordinario loci, vel decano rurali, seu curato parochiali, manifestum fuerit per evidentiam facti, seu

C de hoc eisdem, vel alteri eorumdem, per juramentum partis, si fuerit fide digna, cum unius testis adminiculo, vel famæ publicæ, vel alias constiterit competenter: quod tunc juxta formam & tenorem constitutionis concilii provincialis, tempore bonæ memoriæ Roberti quondam Remensis archiepiscopi, apud Silvanectum anno Domini millesimo trecentesimo decimo septimo contra bonorum clericorum ecclesiasticorum occupatores celebrati, cessetur a Divinis; & nihilo minus nisi prædicta gravamina seu gravamē, sic commissa vel commissum, infra octo dies dicti rei sive reus revocaverint &

D annullaverint, seu revocaverit & annullaverit cum effectu, ac etiam emendam condignam fecerint vel fecerit, realiter & de facto, ipsos vel illum, qui illa vel illud perpetraverint seu perpetraverit, & in eisdem dantes sibi consilium, auxilium, vel favorem, autoritate præsentis concilii decernimus & volumus incurrere sententiam excommunicationis ipso facto: ad cujus sententiæ excommunicationis publicationem, juxta dictam constitutionem concilii Silvanectensis, procedatur, altero mandato nullatenus

E expectato. Cæterum quia tanta debita remanere non debent impunita: volumus ac etiam ordinamus, dictos reos personaliter fore citandos ad certam diem & horam competentem, quam ordinarius loci, juxta personarum qualitatem & locorum distantiam, duxerit arbitrandam, pro tantis & talibus excessibus, correctionem debitam secundum eorum demerita recepturos, & quod justum fuerit responsuros

II. De

ANNO CHRISTI 1344.

II. *De citationibus ecclesiasticis.*

Verum quia propter austeritatem & inordinatam potentiam aliquorum de dominis temporalibus, & judicibus sæcularibus antedictis, nuncii dictarum curiarum jam ex factis præteritis perterriti, dubitantes verisimiliter de futuris, terras seu districtus eorundem, pro personis aliquibus, & præsertim pro dictis dominis aut judicibus, seu eorum servientibus vel ministris citandis, intrare non sunt ausi, propter metum proprii corporis seu membrorum: nos volentes contra talem morbum pestiferum, prout est nobis possibile, de salubri remedio providere: statuimus, ac etiam autoritate dicti concilii ordinamus, prædictas citationes ad personas dictorum reorum, si commode valeant apprehendi, alioquin ad eorum domicilia, seu publice in ecclesia parochiali dicti loci. dumtamen secure & absque periculo possit ibidem accessus haberi, fore faciendas. Alioquin, videlicet ubi nuncii dictarum curiarum tute vel secure ad dictos reos, seu eorum domicilia, sive loca, seu ad ecclesias antedictas non possent accedere, vel auderent: autoritate qua supra decernimus, statuentes, dictas citationes, & omnes processus inde secuturos, cum debito temporis intervallo publice fieri in consistorio seu curia ordinarii dicti loci. Et publice in ecclesiis parochialibus civitatis, vel in ecclesiis cathedralibus, fiant citationes supradictæ, vel ad valuas ecclesiarum cathedralium, seu alio loco eminenti & patenti, scedulæ, seu litteræ citationis publice affigantur: ut sic verisimiliter possint dictæ citationes & processus ad citatorum notitiam pervenire. Volentes, eas & processus inde secuturos in hoc casu tantam efficaciam obtinere, sicut si personæ propriæ dictorum reorum forent personaliter apprehensæ. Statuentes ulterius, ut si dicti rei prædicta gravamina non revocaverint cum effectu sed per quindecim dies, a tempore cessationis prædictæ sic indictæ contra tales, dictum cessum sustinuerint, absque hoc quod prædicta gravamina sic illata, ut præfertur, fuerint per ipsum inferentē totaliter revocata, ac etiam damnorum restitutio, & emenda propter hoc condigna realiter facta judici & ecclesiæ, ac etiam parti læsæ, quod dictus processus autoritate prædicti consilii taliter aggravetur, quod in loco sive locis, in quibus sic cessabitur, corpora quorumcumque defunctorum non tradantur, nec etiam corpora talium deliquentium, (etiamsi fuerint absoluti in prædictis locis vel aliis Remensis provinciæ, nisi de licentia, & assensu diœcesani loci, ubi dicta gravamina perpetrata exstiterint) ecclesiasticæ se-

A pulturæ. Corpora vero clericorum, qui causam seu occasionem in præmissis non dederint, sine pulsatione campanarum & aliis solemnitatibus, cum silentio tumulentur. Nec etiam in prædictis locis in quibus cessus observabitur, solemnizentur matrimonia, nec mulieres ad purificationem post partum admittantur. Quod si domini temporales, in quorum dominio, terra, seu districtu, dicta gravamina, vel eorum alterum, illata exstiterint, vel illatum, ad reparationem dicti gravaminis per eos, seu judices, sive servientes, aut ministros, sic illati, ut

B præfertur, damnorum restitutionem & emendam competentem propter hoc realiter faciendam, infra quindecim dies a tempore cessationis taliter, ut dicitur, aggravatæ, non fecerint, sed prædictam cessationem per dictos quindecim dies sustinuerint animo indurato: statuimus, & hoc sacro approbante concilio, concorditer ordinamus, quod eorum terra, quam in diœcesi, in qua dictum gravamen exstiterit perpetratum, obtinebunt, ecclesiastico supponatur

C interdicto: donec eos ad prædicti gravaminis reparationem, ac realem damnorum restitutionem, emendamque condignam, judici ordinario dicti loci, ecclesiæ, & parti læsæ legitime constiterit pervenisse. Salva tamen in omnibus constitutione: *Alma mater.* Prædictis sic delinquentibus alias pœnas, tam a jure quam a sedis apostolicæ legatis, & conciliorum provincialium constitutionibus, contra tales appositas, ac etiam promulgatas, nihilo minus incursuris. Et

D eos, qui prædictas excommunicationis sententias incurrerint, faciant ordinarii, per suas civitates & diœceses, excommunicatos publice nunciari.

III. *Ut personæ ecclesiasticæ diffidationes non faciant.*

Insuper ordinamus quod personæ ecclesiasticæ diffidationes non faciant: prava consuetudine, quam quidam allegant, non obstante. Quod si contrarium fecerint, ipsos

E incurrere decernimus sententiam excommunicationis ipso facto. Diffidantes etiam supradictas personas ecclesiasticas, ac etiam factas diffidationes persequentes, etiamsi laici fuerint, eandem sententiam volumus incurrere ipso facto.

IV. *Ut Divinum officium in omnibus ecclesiis fiat secundum usum cathedralis.*

Item hoc sacro approbante concilio volumus, & ordinamus, quod per singulas ecclesias cujuslibet civitatis vel diœcesis, tam collegiatis quam aliis, ordinarius seu usus Divini officii, in modo officiandi, qui in ec-

 clesiis

ANNO CHRISTI 1344.

ANNO CHRISTI 1344.

clesiis cathedralibus observari consuevit & teneri, inviolabiliter observetur.

V. *De impedientibus ne clerici vendant vel emant, vel eorum terræ colantur.*

Item quod aliqui domini temporales, multoties occasione quæsita, inhibent suis justitialibus, & defendunt ne quicquam vendāt clericis & ecclesiasticis personis, nec aliquid emant ab ipsis, & ne aliqui terras eorum colant, seu alias eis communicent, propter quæ de jure sententias excommunicationis incurrunt ipso facto: præcipimus ipsos excommunicatos publice nunciari.

VI. *De captis clericis, sine pecunia restituendis.*

Item judices sæculares, qui pro detentione clericorum, ab ipsorum ordinariis pro prædictorum restitutione canonice fuerint requisiti: si dictos clericos recepta pecunia, vel alias malitiose, abire permiserint, dictis ordinariis restitutione non facta, excommunicationi subjaceant ipso facto.

VII. *Ne ab histrionibus idololatriæ fiant.*

Item sicut audivimus in multis civitatibus & villis nostræ Remensis provinciæ, joculatores, sive histriones, de novo candelas cereas, tanquam res sacras deferunt, & nituntur processionaliter deportare, populum dictas candelas, tanquam res sacras, adorantem, ad idololatriam inducendo. Quod de cætero fieri prohibemus: injungentes districte locorum ordinariis, quatenus dictos histriones, & eorum fautores, taliter puniant & compellant, ut desistant ab idololatriis supradictis & eisdem similibus, quod cedat cæteris in exemplum.

VIII. *Ut clerici impositas a laicis judicibus pœnas non peragant.*

Item volumus & ordinamus, quod clerici injunctas peregrinationes sive pœnitētias alias a judicibus laicis sponte peragentes, seu qui pecuniarum emendas pro excessibus eisdem impositas sponte persolverint, gravissime puniantur.

IX. *De decimis persolvendis.*

Item Mendicantes, curati, & alii proponentes verbum Dei, populum moneant, exhortentur, informent, & inducant ad decimas persolvendas, intimantes eisdem, quod nisi dictas decimas fideliter persolverint, interdicetur eis ingressus ecclesiæ, & carebunt ecclesiastica sepultura. Et licet dicti Mēdicantes, in suis sermonibus de jure hoc facere teneantur: volumus tamen quod quotiescumque prædicare contigerit, hoc faciant sine fraude: alias non habeant potestatem absolvendi a peccatis in casibus episcopis reservatis, & maxime non habeant potestatem absolvendi dictas decimas retinentes: sed eandem potestatem singulis diœcesanis specialiter reservamus.

X. *Ut capitula præbeant prælatis instrumenta & vicissim.*

Insuper cum facultas probationum non debeat angustari: decernentes, ordinamus quod capitula, compositiones, inter prælatos & ipsos, ac etiam privilegia, seu alia instrumenta, cum necessitas exegerit, ipsis prælatis, vel pro causis eorundem, exhibeant sine fraude. Et e contra prælati capitulis faciant pari forma.

XI. *De honestate clericorum.*

Item autoritate præsentis concilii statuimus, injungentes omnibus decanis, capitulis, & aliis judicibus ecclesiasticis, in virtute sanctæ obedientiæ, quatenus canonicos & clericos sibi subditos, moneant, ut incedant cum tonsura & habitu congruo & decenti, eosdem per subtractionem distributionum, & alias, ad hoc canonice compellentes.

XII. *Ne miracula prædicentur ordinario inconsulto.*

Item inhibemus omnibus presbyteris, & aliis personis ecclesiasticis, ne miracula quæ de novo dicunt evenire, in suis locis vel ecclesiis solemnizent in publico, ordinario suo super hoc inconsulto.

XIII. *Ut clericis captis vestes & tonsuræ clericales non auferantur.*

Item quia nonnulli domini temporales & judices eorundem, necnon servientes, & ministri, cum clericos quandoque de facto pro aliquibus excessibus sibi impositis capiunt & detinēt, vestes aut tonsuras clericales auferunt, aut utrumque, crines eorum radendo, aut radi faciendo, vestibus radiatis dictos clericos induendo: ipsos omnes & singulos, cum eorum fautoribus, auxilium, consilium, vel favorem præstantibus in præmissis, volumus sententiam excommunicationis incurrere ipso facto.

XIV. *Ut laici se clericos non fingant.*

Item laici se fingentes clericos fraudulenter, & tonsuram clericalem sua propria autoritate assumentes, excommunicationis sententiam cum suis participantibus incurrant ipso facto.

XV.

ANNO CHRISTI 1344.

A

XV. *De excommunicatis fraudem facientibus ut absoluantur.*

Item cum, sicut intelleximus, quidam domini temporales, eorum judices, & laicalem justitiam exercentes, constitutioni Silvanectensi fraudem facientes, cum quandoque clericos seu eorum bona mobilia detinent, pro sua temeraria voluntate ante octavam diem illos reddunt seu abire permittunt, dicta bona dissaisiunt sive reddunt, ut sic ecclesiarum curati, absque ordinarii mandato, organa Divinæ laudis resumant, & excommunicationis sententiam dicantur evitavisse, quam post octo dies incurrerent ipso facto, resumptis Divinæ laudis organis: iterum dictos clericos capiunt, seu eorum bona saisiunt, capiunt & arrestant pro causis eisdem, pro quibus ipsos & ipsa primo tenuerant: quod in elusionem dictæ constitutionis faciunt atque fraudem. Statuentes igitur decernimus, quod qui perpetraverint tales fraudes, incurrant excommunicationis sententiam ipso facto.

Ann. 1317.

XVI. *De excessibus promotorum curiarum ecclesiasticarum.*

Cæterum quia quamplurimorum de prædictis dominis temporalibus, & judicibus sæcularibus, gravem querimoniam recepimus, continentem quod nonnulli dictarum curiarum ecclesiasticarum promotores, ac etiam procuratores, ad excessus [a] eorum homines, subditos, & burgenses, varia & diversa crimina & excessus coloribus fictis exquisitos, eisdem imponentes, non solum in corporibus propriis, & gravi scandalo eorumdem, damnificant & fatigant; sed etiam gravissimis sumptibus & expensis: nobis supplicantes, ut vellemus super his providere de remedio opportuno. Nos vero attendentes, juri non fore consonum, quod inde nascantur injuriæ, unde jura debent provenire: statuimus decernentes, quod de cætero nullus promotorum aut procuratorum, ad excessus aliquem ex officio citari faciat, vel procedat contra eum super aliquo crimine, vel excessu, & præsertim tali ratione, cujus fama ipsius citati posset in posterum denigrari, sive scandalum contra eum suboriri, nisi verisimiliter videatur eisdem, quod justam causam habeant contra tales procedendi: super quo tamen eorum conscientias oneramus. Et de hoc, cum ad dictum officium assumentur, per juramentum astringentur: nec tunc etiam ultra primam citationem procedatur per eosdem, officiali dicti loci inconsulto.

[a] f. deest, citantes

XVII. *De moderandis impensis quæ a procuratoribus fiunt.*

Item cum procuratorum avaritiæ cæcitas & vorago, pro nonnullis injustis, vilibus, & minimis causis, per immoderatam multiplicationem sumptuum & expensarum, multoties facultates exhauriant simplicium & miserabilium personarum, sumptus & expensas lupina crudelitate, diversis fallaciis cumulantes: nos dictorum procuratorum calliditatibus, prout nobis est possibile, obviare cupientes, injungimus ordinariis judicibus, quatenus ipsi provideant diligenter præcavendo, ne dicti procuratores curiarum, ac etiam litterarum portitores, sumptus & expensas immoderatas faciant, prout dictum est; sed ipsi ordinarii taliter provideant more patrum, quod ipsorum subditi malitiosis cupiditatibus talium indebite non graventur. Injungentes etiam autoritate præsentis concilii, ac districte præcipientes omnibus officialibus, & aliis jurisdictionem ecclesiasticam exercentibus, necnon decanis ruralibus & curatis prædictæ Remensis provinciæ, quatenus nostram præsentem constitutionem diligenter, prout ad eorum quemlibet pertinuerit, exequantur, & observent, & eam per ecclesias & loca suarum jurisdictionum publicari faciant, & a dictis subditis suis inviolabiliter exequi, ac etiam observari.

B

C

In quorum omnium & singulorum testimonium & munimen, litteris præsentibus sigilla nostra sunt appensa. Datum apud Novionum, anno Domini MCCCXLIV. vigesima sexta die mensis Iulii, videlicet feria secunda post festum beatæ Mariæ Magdalenæ, continuata de die in diem a feria sexta præcedenti.

D

** CONCILIVM PARISIENSE

ANNO CHRISTI 1346.

Præside Guillelmo Senonensi archiepiscopo, Parisiis celebratum anno MCCCXLVI.

Ex tomo v. Spicilegii Dacheriani.

TITVLI CAPITVLORVM.

E

PRÆFA-

ANNO CHRISTI 1346.

PRÆFATIO.

IN nomine Domini, Amen. Universis præsentes litteras inspecturis, Guillelmus miseratione Divina archiepiscopus Senonensis, salutem in eo qui est omnium vera salus. Pastoralis cura solicitudinis nos invigilare, & intendere, ac vacare subjectorum nostrorum commodis & remediis, ac tranquillitati, quieti, prosperitati, & paci; eorumdemque subditorum periculis & incommodis obviare, animarum ipsorum saluti providere, scandalaque removere, & deformatorum reformationi prospicere solicitat & compellit. Hoc est quod profecto desideranter exquirimus, & ad id mentis nostræ sedulo destinamus affectum. Eapropter repertis per nos alias, tam visitando nostras diœcesim & provinciam, quam aliter, multis casibus & negotiis, totas diœcesim & provinciam nostras ac statum ipsarum tangentibus seu concernentibus; auditis etiam & intellectis tunc & alias, necnon in concilio, de quo infra fit mentio, pluribus oppressionibus, malitiis, gravaminibus, & injuriis, quæ quotidie nobis ac nostris subditis inferuntur, in quibus & aliis excessibus justitia læditur, prorogatur iniquitas, & universi cleri decoloratur honestas, tam per usus litterarum falsarum, & abusus etiam litterarum, quam per vocationes, seu citationes, captiones, & detentiones clericorum, & personarum ecclesiasticarum, ac suorū bonorum mobilium, necnon sæcularium illicitas & indebitas exactiones seu extorsiones, & totius jurisdictionis ecclesiasticæ perturbationes, ac immunitatis seu libertatis ecclesiasticæ infractiones seu violationes, & per inhonestos gestus, habitus, & mores pravos, ac regimina mala ipsorum clericorum, & ipsarum personarum ecclesiasticarum, ac etiam religiosarum, & circa Divinorum celebrationes, ac per alios multos modos. Quibus licet alias salubriter sit in parte provisum, tam per sacras canonicas, quam provinciales, etiam & publicatas in provincialibus conciliis sanctiones: quia tamen nulla sanctio, quantumcumque perpenso digesta consilio, ad humanæ naturæ varietatem & machinationes ejus inopinabiles sufficit; & præsertim quod vestræ *adeo, aliquid certum clarumque statuitur, quin ex causis emergentibus, quibus jura & statuta jam facta mederi non possunt, in dubium revocetur; quia etiam ab adolescentia viri proclivis ad malum sensualitas humana declinat, per quod morum subversio in clero & populo frequenter obrepit: necessaria est superioris autoritas, ut per cultoris providi sarculum extirpet vitia, virtutes inserat, excessus corrigat, scandalis seu periculis & incommodis obviet, subditis provideat, moresque reformet.

Hinc est quod nos Guillelmus prædictus, cupientes adhibere super his, prout ad nos pertinet, remedium opportunum, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, die Mercurii post Dominicam qua cantatur *Lætare Ierusalem*, videlicet quarta decima die mensis Martii, continuata de die in diem, a die Veneris præcedenti, in nostro sacro provinciali concilio (una cum venerabilibus fratribus suffraganeis nostris, B. Parisiensi, P. Autissiodorensi, I. Meldensi, I. Trecensi, & B. Nivernensi, episcopis; ac vicariis, & procuratoribus venerabilium fratrum suffraganeorum nostrorum Carnotensis & Aurelianensis episcoporum; cæterisque personis ecclesiasticis nostrarum diœcesis & provinciæ, quæ potuerunt commode interesse) ad ordinandum, statuendum, & reformandum ea quæ essent ordinanda, statuenda, & reformanda, celebrato Parisiis congregati: eodem approbante concilio statuimus & ordinamus, sacras constitutiones canonicas, & etiam provinciales circa præmissa editas, & alias in concilio provinciali publicatas, esse inviolabiliter observandas, sub pœnis in eisdem contentis. Et insuper quod contrarium facientes, seu eas non servantes, per suos superiores ordinarios, judices ecclesiasticos, pœna arbitraria puniantur.

Verum quia ex dictis provincialibus constitutionibus, & aliis jamdudum in provincialibus conciliis publicatis, nullus aut rarus fructus, seu profectus provenit, quia forte ad multorum notitiam non venerunt, seu propter hominum labilem memoriam, vel propter conciliorum raritatem seu etiam paucitatem, aut propter temporis longinquitatem seu diuturnitatem: omnes constitutiones prædictas provinciales, & cæteras in aliis provincialibus conciliis publicatas, eodem approbante concilio innovamus, & volumus eas quæ etiam per vitium scriptorum erant male scriptæ, & reliquas quæ sequuntur, in hoc legi concilio & etiam publicari. Statuentes, quod in conciliis provincialibus, quæ fient de cætero, legantur ac etiam publicentur: quodque nostri omnes suffraganei, abbates, priores conventuales, & etiam procuratores capitulorum, ipsas omnes recipiant, & habeant citius quam poterunt; ac in suis synodis, curiis, conventibus & capitulis, legi & publicari faciant & procurent. Cæterum, quia quæ generaliter omnino dicuntur, nisi aliqua specialiter exprimantur, neglecta videntur: quasdam de dictis provincialibus constitutionibus, quarum aliquæ fuerunt factæ per bonæ memoriæ dominum prædecessorem & patruum nostrum dominum Guillelmum, quibusdam verbis additis & detractis, hic duximus specialiter sub hac forma exprimendas, & etiam inserendas.

CAPITULA.

I. *De immunitate clericorum seu ecclesiasticarum personarum.*

CLericis, & personis ecclesiasticis, laicos infestos oppido tradit antiquitas: quod & præsentium experimenta temporum manifeste declarant, dum suis finibus non contenti, nituntur in vetitum, ad illicita fræna relaxant, nec prudenter attendunt, quod sit eis in clericos & personas ecclesiasticas interdicta potestas. Nihilo minus ipsos & ipsas de die in diem capit, seu capi facit justitia sæcularis, & captos seu captas in prisionem seu carcerem detrudit, seu detrudi; detinet, seu detineri; & quod gravius est torquet, seu torqueri; ultimo supplicio tradit, seu etiam tradi, facit, in præjudicium jurisdictionis ecclesiasticæ & libertatis ejusdem. Nos igitur talibus iniquis actibus obviare volentes, sacro approbante concilio, statuimus ac etiam ordinamus, ut si contingat clericum seu personam ecclesiasticam in villis, seu castris, aut locis diœcesis & provinciæ Senonensis, capi per judicem sæcularem, seu detineri, vel ultimo tradi supplicio, judex requisitus, seu monitus de reddendo eundem clericum, seu illam personam .... ipsius, suo judici ecclesiastico non reddiderit, seu restituerit, vel reddere aut restituere noluerit, seu recusaverit, aut plus debito distulerit, in sua malitia perseverans: cessetur a Divi-

a Divinis, celebratioque Divinorum, ac Divinæ laudis, organa..... ...... dictis villis, castris, seu locis, quamdiu detinebitur, nedum in illa ecclesia infra cujus fines detinetur, sed etiam in aliis ecclesiis in dictis villis, castris, seu locis, si plures ecclesiæ sint ibidem, necnon in parochia in qua hujusmodi clericum, seu personam...... aut transferri contigerit, & etiam in parochia seu parochiis, in qua seu quibus, capiens seu detinens, aut ultimo supplicio tradens, capi detineri, aut ultimo supplicio tradi faciens, vel procurans, morabitur, seu habebit domicilium, aut........... aliis quibuscumque, quamdiu in ecclesia præsens erit, quousque hujusmodi clerici seu personæ ecclesiasticæ fuerit facta restitutio debita, sufficiens, integra, & perfecta. Quod & ad religiosorum ecclesias & monasteria in dictis villis, castris, seu locis consistentes seu consistentia, & ad alias ecclesias eisdem contiguas extendi volumus: ne, si in quibusdam & non aliis cessaretur, cessationis & suspensionis hujusmodi interdictio valeat vilipendi. Et prædictas cessationes & suspensiones autoritate præsentis concilii, ab omnibus tam exemptis quam non exemptis, cum de jure ad hoc etiam teneantur, volumus observari. Et nihilo minus præcipimus & mandamus, ut curati, tales capientes, detinentes, transferentes, seu ultimo supplicio tradentes, capi, detineri, transferri seu tradi ultimo supplicio facientes, seu etiam procurantes, excommunicatos a canone denuncient publice singulis diebus Dominicis & festivis in ecclesiis eorumdem.

II. *De habitu clericorum.*

Præterea cum sit certum, eos qui abjectis vestibus proprio convenientibus ordini, alias assumere & in publico portare, rationabili causa cessante, præsumunt, se indignos reddere prærogativa illius ordinis professorum: statutum provinciale per dictum dominum Guillelmum factum, prohibens clericis beneficiatis & presbyteris uti publice caligis rubeis, viridibus, scatatis,... .... & comam nutrire, barbamve prolixam seu tonsuram inhonestam, aut a parte exteriori almutias de cendeto seu de velveto deferre, imponens pœnam privationis medietatis distributionum, quantum ad beneficiatos, post monitionem canonicam.......... sistentibus, & aliis arbitrariam, eodem approbante concilio extendimus ad clericos beneficiatos, & religiosos, in ecclesiis seu locis suorum beneficiorum, vel monasteriorum, & ad presbyteros utentes, palam per vias incedendo, vestibus fronssatis, nimium fissis....... capuciis, aut capellis super capita, vel tassis; & corrigiis inhonestis, seu annulis in manibus aut sotularibus ad boucletas argenteas, sive longis manicis vel cornetis. Item ut uniformitas in almuciis beneficiatorum, de quibus supra,........ provisione concilii duximus statuendum, quod canonici cathedralium & collegiatarum ecclesiarum utantur almuciis nigris, forratis minutis variis, & alii beneficiati in dictis ecclesiis, etiam nigris, non tamen forratis minutis variis, sed a...... privationis medietatis distributionum, quantum ad canonicos; & quoad alios, pœnam arbitrariam, lapso festo beatæ Mariæ Magdalenæ proximo, imponentes.

(Marginal note beside "professorum": ann. 1320. c. 4.)

III. *Quid circa excommunicatos agendum.*

Item cum per dictum dominum Guillelmum in provinciali concilio statutum fuerit, quod si excommunicatus, & aggravatus autoritate ordinaria, per annum sic steterit, & monitus ut infra tres menses continuos post dictum annum faciat se absolvi, hoc nō fecerit, extunc contra ipsum, ut suspectum de hæresi, procedatur. Et in quadam constitutione canonica, publicata, in quodam concilio & alias, caveatur quod si suspectus de hæresi, vocatus ut de fide respondeat, excommunicationem in eum latam, pro eo quod parere subterfugit aut contumaciter se absentat, per annum sustinuerit, velut hæreticus condemnetur.

IV. *Contra hæreticos.*

Et insuper quod ordinarii possint capere seu capi facere hæreticos, seu de hæresi suspectos: & etiam judices sæculares seu domini temporales ex parte ordinariorum super hoc requisiti, eos capere seu capi facere teneantur secundum legitimas & canonicas sanctiones. Eodem approbante concilio statuimus, quod si dicti judices, seu domini, ex parte ordinariorum super hoc requisiti, eosdem hæreticos seu de hæresi suspectos, infra tempus ab ordinariis præfigendum, capere seu capi facere cum potuerint, & captos reddere, distulerint, seu recusaverint aut neglexerint, excommunicati sint autoritate sacri provincialis concilii: absolutione, præmissa satisfactione, ordinariis reservata.

V. *Legata ecclesiæ non aliis usibus applicanda.*

Item cum ea quæ ad certum usum destinata sunt, ad illum debeant non ad alium converti; & in statutis provincialibus contineatur, quod ea quæ legantur vel debentur ad emendos redditus, illi ad quos pertinet recipiant a debitoribus, & deponant in utilitatē ecclesiarum convertēda, nec in usus sacerdotum proprios revertantur: nos eodem approbante concilio statutū hujus-

ANNO CHRISTI 1346.

hujusmodi declaramus sic, quod hujusmodi debita vel legata in quadam arca in ecclesia deponantur, cujus arcæ unam clavem habeant decanus Christianitatis, archipresbyter, vel sacerdos, & aliam matricularii seu provisores; quodque citius quam poterit fieri, in redditibus, vel alias secundum diœcesanorum arbitrium, convertantur.

VI. *Excusationes absentium a synodo.*

Item cum in statutis provincialibus caveatur specialiter & expresse, quod illi qui ad provinciale concilium venire tenentur, si propter impedimentum canonicum remaneant, se excusent per idoneum nuncium litteratorie destinatum, qui possit facere fidem per juramentum de impedimento canonico, super quo etiam debet habere mandatum; quodque litteræ aliquorum in concilio nullatenus admittantur, nisi scribant cum obedientia debita: nos statutum hujusmodi innovando, ipsum taliter declaramus, quod in procuratoria sic scribatur: *Reverendo in Christo patri ac domino, domino, &c. recommendationem & obedientiam debitam, cum omni reverentia & honore.*

VII. *Litteræ citatoriæ.*

Item cum per litteras citatorias de, *Rogamus*, multi quandoque vexentur indebite & injuste: nos sacro approbante concilio statuimus, quod litteræ hujusmodi non transeant, nisi contineatur in eis, quod pars impetrans, vel procurator suus, fidem per juramentum, vel alias, fecerit de contractu, & signatum officialis, seu ejus locum tenentis, cum sigillo curiæ, in eis sit appensũ.

VIII. *Uniones beneficiorum.*

Item eodem approbante concilio præcipimus, & etiam ordinamus, quod prioratus, & ecclesiæ parochiales, in quibus non sunt sufficientes redditus, uniantur juxta canonicas sanctiones: quodque per diœcesanos, præsentatis per quascumque personas ecclesiasticas præsentandi ad aliquas ecclesias jus habentes, de proventibus ecclesiarum hujusmodi portiones debitæ assignentur, prout & secundum quod in sacris constitutionibus canonicis super hæc editis continetur.

IX. *Xenodochia, leprosariæ & eleemosynariæ.*

Et insuper, quod antiquæ constitutiones & novæ canonicæ, tam in antiquis decretalibus, quam in Clementinis, in titulo de religiosis domibus situatæ, mentionem de xenodochiis, leprosariis, & eleemosy- A nariis facientes, inviolabiliter ac integre observentur.

X. *Restaurandæ beneficiorum ecclesiæ.*

Item sacro approbante concilio inhibemus abbatibus, prioribus, curatis, & beneficiatis aliis, ne permittant monasteria sua, vel ecclesias, seu domos, ruere, aut hereditagia inculta remanere: &, si non possint in totũ reficere vel colere, statuimus, & etiam ordinamus, quod saltem quolibet anno ponant in refectiones & culturas hujusmodi aliquam quotam partem, diœcesani arbitrio limitandam: quæ per deputandos a diœcesano in refectiones & culturas hujusmodi B convertatur, nisi ad reparationes vel refectiones prædictas alias teneantur.

XI. *Reditus prioratuum & aliorum beneficiorum non sibi reservent prælati.*

Prohibentes etiam prælatis regularibus ne prioratus, ecclesias, administrationes, aut beneficia ad eorum dispositionem spectantia, quæ non sunt de mensa sua, sed speciales priores, administratores, seu rectores consueverunt habere, applicent mensis suis, vel pensiones veteres augeant, aut novas eis im- C ponant: ipsisque præcipimus, quod facta in contrarium ad statum pristinum reducantur; & nisi moniti per diœcesanos hoc fecerint, per eos arbitrarie puniantur; & nihilo minus attentata secus, in statu debito reponantur.

XII. *De matrimonio, usura, & decimis.*

Item eodem approbante concilio præcipimus, & etiam ordinamus, quod constitu- D tio Clementina in titulo de judiciis posita, qua cavetur, quod in causis matrimonialibus, usurarum, & decimarum, ac quibusdam causis aliis ibi expressis, & eas quoquomodo tangentibus, summarie, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu & figura judicii, procedatur, uniformiter ab omnibus observetur: præsertim quando curati, vel viri ecclesiastici, habent super hæc litigare: quodque ad rectam & integram præstationem decimarum sine deductione aliqua talibus E faciendam, illi qui tenentur ad eas, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam compellantur. Et ut libentius hoc faciant, constitutionem primam sitam in titulo de decimis libro sexto, hîc duximus publicandam & etiam inserendam quæ fratribus Prædicatoribus & Minoribus dirigitur per hunc modum. Discretioni vestræ man- " damus, districtius inhibentes, ne talia, " quæ audientes a decimarum vel aliarum " rerum ecclesiis debitarum solutione retra- " hãt, vel alias animos corrumpant audientiũ; " in sermo-

ANNO CHRISTI 1346.

in sermonibus vestris, vel alibi de cætero proponere præsumatis: quinimmo verbo & opere informetis eosdem, ut ad solutionem prædictorum propriæ voluntatis animo sint intenti.

XIII. *Indulgentiæ in recitatione salutationis angelicæ.*

Item autoritate dicti concilii præcipimus, quod observetur inviolabiliter ordinatio facta per sanctæ memoriæ Ioannem papam vicesimum secundum, de dicendo ter *Ave Maria* tempore seu hora ignitegii; in qua ordinatione conceditur certa indulgentia dicentibus ter *Ave Maria* dictis tempore & hora. Et cum hoc ipso sacro approbante concilio, omnibus tunc orantibus pro statu prospero ecclesiæ & regni, ac pro pace, dominis Rege & Regina, liberisque ipsorum, ac dicentibus tunc *Pater noster* & *Ave Maria*, concedimus indulgentias quæ sequuntur: videlicet singulis diebus autoritate nostra triginta dies; & cujuslibet suffraganei, viginti dies in provincia Senonensi.

In quorum omnium & singulorum præmissorum testimonium, sigillum nostrum, una cum dictorum suffraganeorum nostrorum præsentium sigillis, hujusmodi litteris duximus apponendum. Datum & actum in domo episcopali Parisiensi, anno & die prædictis . . . . G. Parisiensis. P. Autissiodorensis. I. Meldensis. I. Trecensis. B. Nivernensis.

ANNO CHRISTI 1347.

** CONCILIVM TOLETANVM

autoritate Ægidii archiepiscopi Toletani celebratum anno Domini MCCCXLVII. tempore Clementis papæ VI.

TITVLI CAPITVLORVM.

CAPITVLA.

Ægidius miseratione Divina archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas & regni Castellæ cancellarius, ad perpetuam rei memoriam.

I. *De vita & honestate clericorum.*

AD reformandam in prælatis honestatem, ne adversus eos qui uni Domino famulantur, ex aliqua dissimilitudine præbeatur occasio obloquendi: attendentes quod recolendæ memoriæ dominus frater Guillermus episcopus Sabinensis, in his partibus tunc apostolicæ sedis legatus, in constitutione quæ incipit, *Quamuis honestas morum*, inter cætera provide statuit, quod episcopi & superiores prælati, cum eos equitare contigerit, capellos suæ dignitati deferant congruentes: nos cu-

A pientes suffraganeos nostros similitudine decenti & debita, ut in ecclesia unum ovile & etiam unus pastor valeat apparere, in qua flores honoris & honestatis fructus in ubertate succrescant, sacro approbante concilio statuimus, cum nos episcopi suffraganei nostri cum cappellos detulerimus rotundos & in superiori parte laneos, nullatenus sericos, cum nigra & non alterius coloris fodratura portemus. Qui vero secus facere præsumpserit, tamquam inobediens & inhoneste incedens, mille B marabetinorum usualis monetæ summam eo ipso solvere teneatur, quorum tertia pars fabricæ ecclesiæ suæ, alia pars denunciatori, reliqua vero pars redemptioni captivorum irremissibiliter applicetur.

ANNO CHRISTI 1347.

Locus corruptus.

II. *De immunitate ecclesiarum.*

Cæterum quorundam habet fida relatio, quod nonnullæ ecclesiasticæ personæ, ad observandam cessationem Divinorum officiorum, juxta constitutionem præfati domini legati, quæ incipit, *Quia cælestis*, nimis C promptæ, si aliquis excessus contra ipsam constitutionem perpetratus dicatur, cessant & cessare faciunt illico a Divinis: nos salubri meditatione considerantes, quod hujusmodi cessationis tempore Divina organa suspenduntur, & ecclesiastica sacramenta non ut solent ministrantur, fidelium deperit devotio, & multiplicantur pericula animarum: eodem approbante concilio statuimus, quod si quis personas ecclesiasticas lædere, aut capere, aut aliqua alia in D prædicta constitutione contenta attentare præsumpserit, ad cessationem & alias pœnas in dicta constitutione contentas, nisi prius citato malefactore, si inveniri & tute citari possit, alias in cathedrali vel parochiali ecclesia malefactoris, ecclesiastica citatrice publicata, ejus defensionibus, si quas legitimas habuerit, auditis, si idem malefactor diffiteatur se in dictam constitutionem incidisse, aut comparere noluerit, & summaria cognitione præmissa culpabilis E fuerit inventus, nullatenus procedatur, nisi adeo sit excessus notorius, quod nulla possit tergiversatione celari.

Rursus in provinciali institutione per bonæ memoriæ dominum Eximinum archiepiscopum Toletanum prædecessorem nostrum, quæ incipit, *Divinis exemplis*, inter alia cautum esse novimus, quod raptores, invasores, vastatores & deprædatores bonorum ecclesiarum, vel clericorum, aut vassallorum ecclesiæ, qui bona prædicta ex proposito nocendi cum armis occupaverint vel rapuerint, seu invaserint violenter, aut ceperint vassallos ecclesiæ, excomunicationem incurrant. Quia vero statutum

ipsum propter malitiam temporis tunc instantis rationabiliter editum, nonnullis nimis rigorosum videtur: nos hujusmodi rigorem quoad præmissos casus mansuetudine temperantes, eodem approbante concilio statuimus, quod si præmissa vel aliquid præmissorum quisquam commiserit, requisitus per judicem ecclesiasticum, si inveniri & requiri possit; alias requisitione in cathedrali vel parochiali ecclesia ipsius malefactoris publicata, infra quindecim dies a tempore prædictæ requisitionis inantea numerandos, captum a captione liberare, & de illatis damnis emendam competentem facere contempserit, eo casu & non aliter excommunicationis sententiæ se noverit subjacere, ut sic ejus insolentia reprimatur, aliis in dicta constitutione contentis, in suo robore duraturis.

III. *De pœnitentiis & remissionibus.*

Sane de quæstoribus eleemosynarum, quorum quidam mentiendo, alios seducunt, & eleemosynas fallace ingenio extorquent, statuimus hoc edicto, quod episcopi suffraganei nostri, vel sede vacante vicarii per capitulum deputati, nullum quæstorem de extra episcopatum suum, nisi litteras apostolicas aut nostras exhibuerit, quomodolibet admittant: mandantes quod cum quæstores pro fabrica suarum cathedralium ecclesiarum, vel pro aliis piis operibus suorum episcopatuum receperunt, constitutionem felicis recordationis domini Clementis papæ V. quæ incipit, *Abusionibus*, in concilio Viennensi contra quæstores hujusmodi editam, in omnibus faciant inviolabiliter observari. Contrarium vero facientes duorum millium marabetinorum usualis monetæ pœnam incurrant: quorum tertiam partem fabricæ ecclesiæ cathedralis, aliam denunciatori, reliquam vero partem redemptioni captivorum applicamus.

IV. *De simonia.*

Verum quia plerumque in exactione emolumenti sigilli, nonnulli metas rationis excedunt, & tam pro licentia quoad studia litterarum, seu qua animarum cura ad tempus committitur, quam pro littera dimissoria, qua cuique se ad alias partes transferendi licentia conceditur, quantitates indebitæ extorquentur: nos eorum insatiabilem voraginem compescere cupientes, statuimus eodem concilio approbante, ut pro qualibet prædictarum litterarum possint sex marabetini & duo denarii pro cancellaria, & unus marabetinus pro regesto, & non amplius recipi ullo modo. Qui vero contrarium fecerit, mille marabetinorum pœnam incurrat, dividendam & ampliandam, ut superius est præmissum.

Datum apud Alcalam Toletanæ diœcesis, die vigesima quarta mensis Aprilis, qua die dictum concilium extitit terminatum, sub anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, sub sigilli nostri impressione in testimonium præmissorum, præsentibus venerabilibus in Christo fratribus nostris Blasio Dei gratia Palentinensi, & Garsia Conchensi, & Ioanne Giennensi, episcopis suffraganeis nostris, & capituli Toletani & aliorum suffraganeorum nostrorum & capitulorum ipsorum procuratoribus, qui præmissis omnibus & singulis suum præstiterunt consilium pariter & assensum.

** CONCILIVM PATAVINVM

ANNO CHRISTI 1350.

A Guidone Cardinale A. S. L. celebratum, anno Domini MCCCL.

Quid hoc concilio decretum sit, quidve actum, ignoramus. Hoc tantum, indicante Odorico Raynaldo, discimus ex Cortusiorum historia, Guidonem titulo sanctæ Cæciliæ presbyterum cardinalem, mense Majo Paduam reversum, cum prælatis suæ legationis celebrasse concilium generale. *Docet Raynaldus idem ex Clementis papæ litteris manuscriptis, suspectum hoc concilium fuisse Joanni Mediolanensi archiepiscopo, quasi Guido muniret viam in Italiam Carolo Romanorum regi pararet, a quo timebat ne pater suus principatu Mediolanensi, quem invaserat, pelleretur. Nam profitebatur Carolus iter a se in Italiam suscipi, ut imperii jura recuperaret. Docet ex iisdem litteris, cum de profectione sua nihil sedi apostolicæ significasset Carolus, suspectam Clementi pontifici fuisse, vetitumque ab eo ne quidquam Guido in concilio suo, nisi quod ad res sacras spectaret, decerneret.*

** CONCILIVM BITERRENSE

ANNO CHRISTI 1351.

Habitum anno MCCCLI.

Litteræ Petri archiepiscopi Narbonensis ad Hugonem electum episcopum Biterrensem, suffraganeum suum; quibus eum invitat ad concilium quod in urbe Biterrensi celebraturus erat VII. die mensis Novembris anni MCCCLI.

Petrus Dei & apostolicæ sedis gratia sanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus, venerabili fratri Hugoni eadem gratia electo episcopo Biterrensi, suffraganeo nostro, vel ejus vicario generali in ejus absentia, salutem & sinceram in Domino caritatem.

Inter assiduas curas & solicitudines quæ ministerio nostro incumbunt, de salubri statu ecclesiarum nostrarum civitatis & diœcesis ac provinciæ, necnon & gregis nobis commissi, solicite nos cogitare convenit, ut in ipsis vigeat tranquillæ beatitudo quietis, pacisque, salutis, ac libertatis gratia nutriatur: & quæ in eisdem non absque dispendio ministrorum, & cultus detrimento Divini, servari novimus, per appositionem congrui moderaminis in melius reformemus. Et tandem officii nostri debitum in actibus dirigendis, veritatem imitantes, lucem amantes, libenter evitare nodosæ difficultatis involucrum anhelamus; & illam semper in nostris ordinationibus servari cautelam intendimus, ut de ipsis proveniat

ANNO CHRISTI 1351.

proveniat commodum, adeo quod aliis non immineat A detrimentum. Cum igitur pro quibusdam arduis negotiis, civitatem & diœcesim ac provinciam nostras, necnon & libertatem ecclesiasticam tangentibus, super quibus ad debitam provisionem & reformationem, una vobiscum & aliis suffraganeis nostris intendimus, concedente Altissimo, interponere sollicitudinis nostræ partes, præsertim cum tangatur communiter status ecclesiarum civitatis & diœcesis ac provinciæ prædictarum, provinciale concilium ordinavimus convocandum, videlicet die VII. Novembris, Biterris in vestra ecclesia cathedrali; eapropter vos tenore præsentium monemus, ac etiam exhortamur, ut una nobiscum die & loco prædictis, in dicto provinciali concilio Deo præside celebrando, ad quod concilium, præfatos diem & locum, cum diebus sequentibus quos ad hoc continuare, vel prorogare contigerit, vobis & aliis peremptorie assignamus, B personaliter comparere curetis, vosque ad id præsentium tenore citamus. Mandantes vobis insuper, quatenus interim citetis & peremptorie, autoritate nostra, & tempore congruo, omnes & singulos abbates, præpositos, decanos, & priores ecclesiarum collegiatarum, & alias personas ecclesiasticas regulares & sæculares non exemptas, quæ debent & consueverunt in dictis conciliis interesse de usu, consuetudine, vel de jure; exemptos vero, si qui sunt, exhortantes, ut personaliter, conventus vero & capitula & collegia vestræ civitatis & diœcesis, per procuratores idoneos ad hoc specialiter constitutos cum sufficienti mandato, in ipso provinciali concilio compareant dicta die, inibi continue moraturi, donec ea quæ in dicto concilio tractanda fuerint ad honorem Dei, provisionem ecclesiarum, profectum animarum, & utilitatem sub- C ditorum provinciæ antedictæ, per dicti concilii providentiam finem debitum sortiantur. Ne vero dicti subditi vestri, quos præsens tangit vel tangere potest negotium, ignorantiæ causam possint prætendere: de præmissis præsentes litteras in vestra synodo, quam interim tenebitis, eisdem publicare & denunciare curetis. Ut autem superfluitatum & pomparum inanium jactantiam præcludamus, vobis tenore præsentium inhibemus, sub virtute sanctæ obedientiæ injungentes, ne ultra decem equitaturas, & duos saumerios sive gerulos, pro vobis & vestra familia adducatis, cum ad dictum provinciale concilium venietis: abbatibus vestræ diœcesis ex parte nostra nihilo minus injungentes, quod ultra quinque equitaturas ad lon- D gius, & unum saumerium seu gerulum, secum adducere non præsumant; si vos & abbates prædicti reprehensionis nostræ aculeos de inobedientia volueritis evitare. Reddite litteras portitori earum sigillo vestro impendente sigillatas, in signum receptionis earumdem. Datum in castro nostro de Montillis nostræ diœcesis, die antepenultima mensis Septembris, anno Domini MCCCLI.

Ejusdem archiepiscopi epistola ad Arnaldum episcopum Magalonensem, pro eadem causa.

PEtrus Dei & apostolicæ sedis gratia sanctæ Nar- E bonensis ecclesiæ archiepiscopus, vener. fr. A. eadem gratia episcopo Magalonensi &c. *Omnia ut in superiore, nisi quod pro* Biterris in vestra ecclesia cathedrali, *quod habetur in epistola ad electum Biterrensem, in ista legitur*, Biterris in ecclesia cathedrali. Datum ut supra.

Alia ejusdem archiepiscopi epistola ad præpositum & capitulum Magalonense, pro eadem causa.

ANNO CHRISTI 1351.

Petrus &c. prudentibus viris præposito & capitulo Magalonensi, salutem in salutis autore.

PErspicacius attendentes, quod correctioni & reformationi ecclesiasticæ disciplinæ dare remediū, præsentis vitæ habet subsidium, & æternæ remunerationis cernitur præmium expectare; & quod hujus vitæ novitas negligit quæ ab antiquis patribus fuerant hactenus provide & consulte constituta, nisi frequentius memoriæ reducantur, nosque, qui, licet indigni, ad pastoralis officium providente Altissimo fuimus assumpti, sanctorum patrum vestigia debeamus, quantum nobis est possibile, imitari, contra quorum quippe saluberrime instituta agimus, si quod ipsi Divino statuerunt consilio non servamus intactum: idcirco juxta sanctorum patrum ordinationes, pro correctione & emendatione ministrorum, ac reformatione status ecclesiarum nostrarum civitatis, diœcesis, & provinciæ Narbonensis, provinciale concilium Biterris in ecclesia cathedrali die septima mensis Novembris proxime ventura ordinavimus convocandum. Quamobrem considerantes quod illud quod quæritur a pluribus, facilius invenitur, & quod ubi multa consilia, magna salus, testimonio Sapientis dicentis illud firmius judicium quod plurimorum sententia comprobatur: ideo vos in Domino exhortamur, quatenus vos, Præposite, personaliter, & capitulum per procuratorem idoneum & sufficienter instructum ad hoc specialiter deputatum, dictis die & loco cum aliis diebus sequentibus qui ad hoc fuerint opportuni, in dicto concilio comparere & interesse curetis, circa ea quæ tractaturi & ordinaturi sumus una vobiscum super statu ecclesiarum dictarum nostrarum civitatis, diœcesis, & provinciæ, partes vestri ministerii impensuri: & hoc cum paucis equitaturis & moderatis expensis, si nostræ reprehensionis aculeos de inobedientia volueritis evitare. Reddite litteras portitori earum sigillis vestris impendentibus sigillatas in signum receptionis earumdem. Datum ut supra.

Epistolæ ejusdem archiepiscopi ad reliquos suffraganeos & capitula provinciæ Narbonensis.

PEtrus &c. vener. fr. Gisberto eadem gratia episcopo Carcassonensi &c, *ut in superioribus.* Datum ut supra.

Petrus &c. ven. fr. Ioanni eadem gratia Nemausensi episcopo &c. *ut in epistola ad episcopum Magalonensem.* Datum ut supra.

P. Dei & apostolicæ sedis gratia sanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus ven. fr. G. eadem gratia episcopo Electensi &c. *ut in superiore.*

Petrus &c. prudentibus & providis viris priori & capitulo Electensi &c. *ut in epistola ad capitulum Magalonense.*

Petrus &c. prudentibus viris priori & capitulo sancti Poncii Thomeriarum &c. *ut in superiore.*

Petrus &c. ven. fr. Stephano eadem gratia episcopo Elnensi &c. *ut in epistola ad episcopum Magalonensem.* Datum ut supra.

Petrus &c. prudentibus viris archidiacono & capitulo Elnensi &c. *ut in epistola ad capitulum Magalonense.*

Petrus &c. ven. fr. Heliæ eadem gratia episcopo

 Uticensi

ANNO CHRISTI 1351.

Vticensi &c. *ut in epistola ad episcopum Magalonensem.*

Petrus &c. prudentibus viris præposito & capitulo Vticensi &c. *ut ad capitulum Magalonense.* Datum ut supra.

Petrus &c. prudentibus viris archidiacono & capitulo Lodovensi &c. *ut in superiore.* Datum ut supra.

Petrus &c. dilecto nobis in Christo archipresbytero Narbonesii, vel ejus locum tenenti, salutem in salutis autore &c. *ut in epistola ad electum Biterrensem usque ad verbum* tangentibus: super quibus ad debitam provisionem & reformationem una cum suffraganeis, abbatibus, præpositis, decanis, capitulis, prioribus, & aliis personis ecclesiasticis dictarum civitatis & diœcesis ac provinciæ nostris* intendamus concedente Altissimo, &c. *ut in epistola ad electum Biterrensem, usque ad verbum* Biterris in ecclesia cathedrali. Eapropter vobis præcipimus & mandamus, districtius injungentes, quatenus citetis & peremptorie autoritate nostra & tempore congruo omnes & singulos abbates, præpositos, decanos, & priores ecclesiarum collegiatarum & conventuum, & alias personas ecclesiasticas regulares & sæculares non exemptas, quæ debent & consueverunt in dictis conciliis interesse de usu, consuetudine, vel de jure; exemptos vero, si qui sint, exhortantes ut personaliter, conventus vero & capitula & collegia vestri archipresbyteratus per procuratores idoneos ad hoc specialiter constitutos cum sufficienti mandato, &c. *ut in epistola ad electum Biterrensem, usque ad verbum* profectum animarum & utilitatem subditorum civitatis, diœcesis, & provinciæ antedictarum per dictum concilium provinciale finem debitum sortiantur. Vt autem superfluitatum & pomparum inanium jactantiam præcludamus, vobis tenore præsentium præcipimus & mandamus, quatenus abbates dicti archipresbyteratus vestri ex parte nostra inhibeatis, ne ultra quinque equitaturas ad longius, & unum saumerium, pro se & familia sua secum adducere præsumant, si reprehensionis nostræ aculeos de inobedientia voluerint evitare. Certificantes nos per vestras litteras apertas de citatione & responsione prædictorum citatorum: præsentes litteras nihilo minus restituentes portitori earum sigillo vestro impendente sigillatas, in signum receptionis earundem. Datum ut supra.

* Corr. nostrarum

Petrus, &c dilecto nobis in Christo archipresbytero Redesii inferioris, vel ejus locum tenenti, salutem in salutis autore. Inter assiduas curas, &c. *ut in epistola ad archipresbyterum Narbonesii.* Datum ut supra.

Litteræ Petri archiepiscopi Narbonensis cæterorumque episcoporum concilii Biterrensis, de suborta quæstione super prioritate sedendi inter episcopum Carcassonensem & cæteros Narbonensis sedis suffraganeos.

NOverint universi præsentes litteras inspecturi, quod cum nos Petrus Dei & apostolicæ sedis gratia sanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus, celebremus Biterris nostrum provinciale concilium anno Domini MCCCLI. die VII. Novembris, cum diebus sequentibus opportunis, suborta quæstione inter venerabilem fratrem nostrum dominum Girbertum episcopum Carcassonensem ex una parte, & alios venerabiles fratres nostros coepiscopos præsentes in dicto concilio existentes, super prioritate sedendi, ex altera; dicente dicto episcopo Carcassonensi se debere sedere a parte sinistra primo & immediate post sedem nostram, posito quod alii essent antiquiores episcopi promotionis prioritate attenta; aliis dicentibus in dicta prioritate sedis dictum Carcassonensẽ episcopũ nullã * sedis habere, sed secũdum prioritatẽ promotionis dictum episcopum sedere debere, prout aliis competit & de jure communi existit: tandem pro bono pacis & concordiæ duximus ordinandum, quod dictus Carcassonensis episcopus sedeat in parte prædicta post venerabilem fratrem nostrum Magalonensem episcopum, qui antiquior est in promotione præfato Carcassonensi episcopo. Hoc salvo & retento, quod per hoc, nullum præjudicium dicto Carcassonensi episcopo generetur, si probare vel docere legitime poterit infra annum per testes, vel instrumenta, vel privilegia, vel quævis alia legitima documenta, se debere habere prærogativam prædictam. Qui dictus Carcassonensis episcopus protestatus fuit ibidem, quod sedendo in dicta sede post dictum dominum Magalonensem episcopum, quod juri suo in possessione vel quasi, seu proprietate, præjudiciare non intendit quantum ad prærogativam sedendi prædictam, si appareat in futurum ipsum dictam prærogativam nomine suo & ecclesiæ Carcassonensis habere debere. Quibus salvitatibus & retentionibus per nos factis, & protestationibus per dictum episcopum dictis, præfati venerabiles fratres nostri, scilicet Magalonensis, Agathensis, Vticensis, Nemausensis episcopi, dum tamen infra annum legitime de universis appareat, consenserunt. Et in testimonium præmissorum, nos dictus archiepiscopus & præfati suffraganei nostri superius memorati, sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Datum Biterris anno quo supra, & die IX. Novembris.

ANNO CHRISTI 1351.

TITVLI CANONVM CONCILII BITERRENSIS.

1. *Vt nomen Iesu capitis inclinatione honoretur inter Divina officia.*
2. *Vt Christi corpus, cum defertur ægrotis, reverenter associetur.*
3. *Vt pro papa, rege, & prælatis oretur.*
4. *Vt claudantur fontes baptismales.*
5. *De invadentibus bona ecclesiarum.*
6. *Vt in tempore Paschali, Eucharistia a solis curatis ministretur.*
7. *Vt beneficiati, & in sacris ordinibus constituti, sabbato a carnibus abstineant.*
8. *De iis qui se presbyteros & prælatos fingentes, excommunicatores suos excommunicant.*

PRÆFATIO.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Infrascriptæ constitutiones fuerunt factæ & editæ per reverendissimum patrem in Christo dominum Petrum Dei & apostolicæ sedis gratia sanctæ ecclesiæ Narbonensis archiepiscopum, Biterris, suo sacro provinciali concilio approbante.

Pastoralis curæ nostris humeris & animis inhærentis solicitudo nos assidue excitat & ammonet, ut juxta nobis creditæ dispensationis officium, subditorum commodis vigilanti & indefesso animo intendamus. Amplectimur siquidem plerumque meditationis studium & laborem, ut evulsis & dissipatis vitiis, ædificatis & plantatis virtutibus, excessibus emendatis, & moribus reformatis, eorundem animas, quantum Divina gratia permittit, lucrum Domino faciamus. Ideo-

ANNO CHRISTI 1351.

que nos Petrus miseratione divina sanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus, & P. Agathensis, Arnaldus Magalonensis, Helias Vticensis, Girbertus Carcassonensis, & Ioannes Nemausensis episcopi, apud Biterrim provinciale concilium cum procuratoribus aliorum venerabilium episcoporum provinciæ absentium, & capitulorum tam nostrorum quam ipsorum, abbatibus, prioribus, & aliis personis ecclesiasticis pluribus dictæ provinciæ vocatis invitatis ad idem concilium & citatis, celebrantes, constitutiones infrascriptas pro subditorum optata salute animarum, & profectu & quiete ecclesiasticæ libertatis, de ejusdem totius concilii consilio unanimi & consensu, ad honorem, laudem, & gloriam Divini nominis duximus promulgandas: quas & contenta in eis, per omnes nostros subditos teneri volumus irrefragabiliter & servari, protestantes quod per ipsas constitutiones, vel ipsarum aliquam, statutis provincialibus vel synodalibus, seu ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum, rationabiliter editis, in nostra provincia derogare non intendimus, nisi in quantum dictis nostris statutis infrascriptis reperirentur per contrarietatem vel alias obviare; nec privilegiis nobis indultis in aliquo derogare. Volentes nihilominus, quod eadem statuta non ligent aliquem vel astringant, donec in proximis synodis episcopalibus fuerint publicata. Adjicientes, quod in casibus ubi absolutio vel relaxatio non reperiretur in ordinatione præsentis concilii reservata, singuli episcopi subditis pro suæ discretionis arbitrio, per se vel alios, possint a sententiis in istis nostris constitutionibus latis absolutionis vel relaxationis beneficium impertiri.

CANONES.

I. *Vt nomen Iesu capitis inclinatione honoretur inter Divina officia.*

Concil. Avenion. an. 1326. c. 4. IN primis, cum felicis recordationis dominus Gregorius papa X. per sacrum constitutionis oraculum invitaverit quoslibet Christiani nominis charactere insignitos, ut nomen illud quod est super omne nomen, videlicet Domini Iesu, exhibitione reverentiæ specialis attollerent, & præcipue dum aguntur sacra mysteria, illico, quandocumque recolitur, veneratione dignum devota capitis inclinatione monstrarent: nos de nostrorum salute soliciti subditorum, volumus ut singuli rectores & vicarii ecclesiarum nostræ provinciæ, ad hoc ipsum faciendum plebes sibi subjectas moneant efficaciter & inducant. Et ut illi id libentius faciant, quo uberioris retributionis præmium exinde sibi senserint proventurum: nos singulis in illius gloriosi nominis memoriā se inclinantibus reverenter, dum Divina dicentur officia, vere tamen pœnitentibus & confessis, x. dierum concedimus indulgentiam, perpetuis temporibus, quotiens, ut præfertur, id fecerint, valituram.

II. *Vt Christi corpus, cum defertur ægrotis, reverenter associetur.*

Ibid. c. 2. Si propter Christum reverentiam sanctis ejus impendere jubemur, dignum est sacrum corpus ejus coli veneratione præcipua, quod utique pro nobis in illius passionis memoriam consecratur. Statuimus igitur, quatenus singuli rectores & vicarii ecclesiarum nostræ provinciæ, parochianos suos salutaribus monitis inducere studeant, ut sanctissimū corpus Dominicum, dum presbyter ipsum portat in viaticum ministrandum ægroto, reverenter associent; ac luminarium adhibitione decenter honorent; illis qui associant de die vel nocte sine luminaribus, x. qui autem cum luminariis, vel luminaria mittent per alium de die, xx. de nocte xxx. dierum indulgentiam ex concessione nostra, dum tamen confessi fuerint, habituris.

III. *Vt pro papa, rege, & prælatis oretur.*

Item cum secundum sacræ scripturæ testimonium *multum valeat deprecatio iusti assidua*, eo quod *oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum*, ut psalmista testatur: pia deliberatione præsentis concilii duximus concedendum, quod quicumque subditus noster, vere tamen pœnitens & confessus, devotas orationes infundere seu pia vota emittere curaverit in Missarum solenniis, ante Divinæ majestatis conspectum, a quo bona cuncta procedunt, ut per suam ineffabilem clementiam, dominum papam aut regem, cæterosve prælatos nostræ provinciæ in suæ pacis gratia conservare & custodire, fidemque catholicam toto orbe terrarum multiplicare dignetur, xi. dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus, quotiens id duxerit faciendum. Ibid. c. 3. Iacob. 5. Psal. 33.

IV. *Vt claudantur fontes baptismales.*

Sacri fontes, in quibus originale aboletur culpæ contagium per baptismalis aquæ visibile sacramentum, coli debent digno venerationis honore: ut nec indecentibus contrectationibus pateant, nec extrinsecus advenientium inquinamento sordescant. Statuimus igitur, ut parochialium ecclesiarum rectores & vicarii prædictæ provinciæ, in quibus sunt fundati fontes hujusmodi, eos sic cum clavibus claudi faciant & aptari, & clausos teneant & aptatos, quod nullis sordibus ad illos immineat accessus, potiorque reverentia illius quod ibi traditur sacramenti succrescat. Ibid. c. 5.

V. *De invadentibus bona ecclesiarum.*

Item conciliorum provincialium, per prædecessores nostros Narbonenses archiepiscopos eorumque suffraganeos olim sanctorum*, vestigiis inhærentes, & certa in aliquibus eorumdem statuta pro qualitate & conditione temporum, prout nobis melius visum

* Corr. factorum

ANNO CHRISTI 1351.

visum est expediens, temperantes & etiam moderantes: hoc sacro approbante concilio statuimus & etiam ordinamus, quod quicumque, cujuscumque conditionis aut status existat, qui scienter & temere quascumque res, bona, possessiones, & jura mobilia seu immobilia aut se moventia (quæ tamen mobilia se moventia valorem xx. solidorum monetæ currentis communi æstimatione excedant) ecclesiarum sæcularium seu regularium, aut quorumcumque religiosorum seu piorum locorum, seu personarum ecclesiasticarum, invadere, occupare, rapere, aut personas ecclesiasticas, seu eorum domos quas inhabitant, invadere, ferrare, seu violenter expugnare, vel aperire præsumpserint, nisi infra sex dies a tempore invasionis, occupationis, rapinæ, clausuræ, fracturæ, expugnationis, & aperturæ hujusmodi, satisfactionem & emendam plenariam fecerit de præmissis, si persona singularis fuerit, tam ipsa persona, quam quæcumque alia in præmissis dans auxilium, consilium, vel favorem, excommunicationis; si vero universitas, extunc interdicti sententias, autoritate præsentis concilii ipso facto incurrat. Quod si prædicti infra dictos sex dies satisfactionem de præmissis non fecerint competentem: extunc nos ordinarii prædicti, vicarii, seu officiales nostri, & nostrum quilibet in sua civitate & diœcesi ubi prædicta attentata fuerint, postquam ei constiterit de præmissis, ubi ea notoria non fuerint, super quo quilibet nostrum ordinariorum, vicariorum, & officialium, cognitor & executor legitimus censeatur, potestatemque habeat cognoscendi etiam & de plano, absque strepitu judicii & figura, ubi ex more * officio procedatur. Si vero notoria extiterint: procedendo in eis sicut est de jure in notoriis procedendum, denunciet seu faciat excommunicatos publice nunciari & etiam interdictos. Et nihilo minus ad requestam diœcesanorum, vicariorum, vel officialium suorum, in quorum diœcesibus prædicta commissa fuerint, cæteri ordinarii & officiales dictæ provinciæ Narbonensis, præfatos excommunicatos & interdictos aggravatos, si aggravati fuerint, in locis suarum civitatum & diœcesum, de quibus requisiti fuerint, faciant publice nunciari.

VI. *Vt in tempore Paschali, eucharistia a solis curatis ministretur.*

Concil. Avenion. ann. 1337. c. 5.

Item desiderantes illud præceptũ generale concilii, pro animarũ salute & catholicæ fidei testimonio salubriter institutũ, quod omnis utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerit, reverẽter recipiat ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentũ, sic a Christi fidelibus solicitudini nostræ commissis efficaciter observari, quod nulli quæsitis coloribus & simulatis devotionibus, vel alias, dum ab aliis quam a propriis sacerdotibus recipere velle se asserunt corpus Christi, fraudem quærentes facere canoni, fraudent potius semetipsos: præsentis deliberatione concilii statuimus inhibendo, quod curati civitatum & diœcesum nostræ provinciæ nulli parochiano suo, cujuscumque conditionis vel sexus existat, in festo Paschæ, nec in octo diebus immediate præcedentibus, nec VIII. subsequentibus, concedant licentiam recipiendi, nec etiam alicui conferendi seu ministrandi sacramentum eucharistiæ, nisi ex causa infirmitatis, extra ecclesias suas parochiales, vel alias ecclesias ubi per ipsos curatos ministrari extitit consuetum. Si qui autem curati, hujusmodi statuti fuerint transgressores: autoritate præsentis concilii excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. Prælati autem sic præsens statutum diligenter observent, ut alicui, nisi ex causa rationabili, recipiendi sacramentum prædictum illo tempore alibi quam in parochiali ecclesia, licentiam non concedant.

VII. *Vt beneficiati aut in sacris ordinibus constituti, sabbato a carnibus abstineant.*

Concil. Avenion. ann. 1337. c. 6.

Item cum deceat viros ecclesiasticos, præsertim beneficia ecclesiastica obtinentes, in modo vivendi sic inter homines exemplariter conversari, ut laici eorum informentur exemplo, non autem ex clericorum abusu corruptis moribus deformentur: exhortamur in Domino omnes clericos beneficiatos, aut in sacris ordinibus constitutos quod ab inde inantea semper in diebus sabbati a carnibus abstineant, nisi ex causa necessitatis, vel nisi festum Nativitatis Domini in die sabbati contigerit evenire.

VIII. *De iis qui se presbyteros & prælatos fingentes, excommunicatores suos excommunicant.*

Concil. Avenion. ann. 1326. c. 7.

Cæterum abominabilis, proh dolor, sicut ad nostrum tam de longinquo quam e vicino pervenit auditum, in quibusdam partibus inolere cœpit abusio. Nam aliqui filii Belial, qui nec Deum timent, nec homines reverentur, iniquitatem bibunt ut aquam: qui dum sententias vilipendunt, dum medicinam, quæ fuerat ad salutem, rejiciunt, mortis incurrunt periculum, & ad interitum suæ perversitatis exemplo nonnunquam inducunt alios & seducunt. Isti siquidem in Dei opprobrium, in contemptum promulgatoris, & sententiæ promulgatæ neglectum, non minus viliter quam damnabiliter procedere, immo verius execrabiliter excedere non reformidant: utpote dum adulte-

ANNO CHRISTI 1351.

adulterini presbyteri vel prælati confingentes officium, ac interdictum sibi usurpantes ministerium, excommunicationem, immo verius execrationem, versa seu perversa vice in excommunicatores seu denunciatores suos simulare præsumant, accensos palearum fasciculos, aut candelas de cepo, aut titiones ardentes in patellis, conchis, aut sartaginibus, vel similibus vituperabiliter extinguendo. Cum igitur talia & iis similia in Dei vergant opprobrium, & ecclesiasticæ disciplinæ redundent contemptum: statuimus & sub pœna excommunicationis districtius inhibemus, ne quis clericus vel laicus, cujuscumque ordinis, dignitatis, conditionis, vel status existat, rem tantæ perniciei de cætero, per se vel alium, aut pro se vel alio, attentare præsumat. Qui vero hujusmodi saluberrimi statuti transgressor extiterit, & infra triduum emendam exinde competentem non exhibuerit: extunc se sciat, præsentis concilii autoritate, ipso facto excommunicationis vinculo innodatum. Locus autem ubi hæc vel similia, domino loci sciente, vel mandante, vel ratum habente, vel postquam requisitus fuerit, vel ejus locum tenens, ultra x. dies corrigere negligente, præsumpta fuerint, ecclesiastico tamdiu sic remaneat suppositus interdicto, donec ad mandatum ecclesiæ, quam delinquens offendit, & prælato, quem irreverenter despexit, sufficiens & idonea satisfactio & realis emenda præstita fuerit per eumdem: quam, cum in talibus non sit relaxanda vindicta, offensus prælatus minime remittere valeat ullo casu. Eisdem pœnis subjacere volumus illos & illas, qui vel quæ talia fieri mandaverint, vel alias opem, vel operam aut consilium præbuerint, si rem tam damnabilem prodire contigerit detestabiliter in effectum: addito, quod eorum posteri, usque ad secundam generationem, in clericorum collegium nullatenus admittantur, nisi prius per metropolitanum..............................

Deerant reliqua in codice MS. suppleri autem possunt ex concilio Avenion. ex quo sumptus est hic canon.

ANNO CHRISTI 1351. * siue Lambethense.

** CONCILIUM LAMBETHENSE*

A Simone Cantuariensi archiepiscopo cum suffraganeis celebratum, anno Domini MCCCLI.

Ex collectionis Anglicanæ Tomo II.

DECRETUM SYNODALE.

De clericis incarceratis, ad asperam pœnam ponendis.

Simon permissione divina Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, venerabili fratri nostro domino Radulpho, Dei gratia Londinensi episcopo, salutem & fraternam in Domino caritatem.

NUper in parliamento regio London. habito, nobis instantibus, pro debita reformatione quarundam injuriarum, Deo & sanctæ ecclesiæ illatarum, quas conniventibus oculis nequivimus pertransire, pro & ex eo videlicet, quod judices sæculares, nitentes plus solito in messem Divinam mittere falcem suam, clericos passim, etiamsi sacerdotes fuerint, & insuper regulares, in possessione clericatus & sacerdotii notorie constitutos, & pro talibus, tam per ipsos, quam alios, publice & cōmuniter reputatos, de & super variis criminibus, flagitiis, seu sceleribus, coram ipsis irretitos, seu etiam indictatos, judiciariæ potestatis suæ fines notorie excedentes, & in christos Domini sibi in causis criminalibus hujusmodi nullo jure subjectos, potestatem indebitam usurpantes, ipsos clericos & sacerdotes, contra sacros canones, & ecclesiasticas libertates, morti turpissimæ & insolitæ condemnare, addicere, & effectualiter tradere non verentur, in Dei & sanctæ ecclesiæ irreverentiam, contemptum, & scandalum manifestum, animarumque suarum periculum nimis grave, tam per ipsum regem, & proceres regni sui, quam communitates alias unitas, ibidem objectum fuerat. Et quia sub responsivis coloribus graviter replicatum, quod clerici prætextu sui privilegii, audaciam capiunt fortiorem scelera perpetrandi: cumque ipsi in sceleribus hujusmodi capti, seu saltem veraciter indictati, & de hoc secundum morem regni convicti coram judice sæculari, per prælatos, ordinariosve eorum competentes, seu eorum commissarios, debite requisiti, Deo, sanctæ ecclesiæ, & eis sic petentibus, fuerint cum reverentia liberati, ita segniter, quin potius favorabiliter custodiæ & temere committuntur, & in hujusmodi custodia, sic in cibis & potibus lautius procurantur, quod carcer pro eorum flagitiis, eis non cedit ad pœnam, sed magis ad solatium & refocillantiam suorum corporum delicatam. Et propterea cum quies sine labore, tantis adjutoribus suffulta perpere vitia subministrat; plures multotiens per tantam, ... ingrassati, & in suis nequissimis cogitationibus dilatati, ab hujusmodi custodia, quasi eis fuisset inimica, ingratissime fugiunt & recedunt: nonnulli etiam flagitiosi notorii & famosi, de quibus nulla suppetit veritas excusandi, ad purgationes suas procuratas & suspectas adeo faciliter admittuntur, quod cuilibet sic liberato, utplurimum spes firma tribuitur, uno modo vel alio ad vitam pristinam redeundi. Vnde sæpe contingit, quod nedum faciliter sic pravati, efficiuntur plus solito nequiores, sed etiam aliis clericis innocentibus, propter facilitates & incurias, & negligentias hujusmodi nimias, incentivum tribuitur delinquendi: ex quo pax regni gravissime violatur. Vnde nos præmissa & circumstantias alias in hac parte solicite ponderantes, timentes insuper, ne abusus potestatis ecclesiasticæ, præsertim qui in regni perturbationem universaliter redundat, in præjudicium & damnum cedere valeat privilegii clericalis: *consilio & consensu fratrum nostrorum* in dicto parliamento præsentium, & procuratorum absentium, de custodia clericorum hujusmodi taliter duximus ordinandum: quod tam fratres nostri, quam alii locorū ordinarii, ecclesiastici judices nostræ provinciæ Cantuariensis, ad quos de consuetudine pertinet hujusmodi receptio & custodia clericorum, clericos sic eis, ut præmittitur, ad carceralem custodiam, ob præmissa, juxta libertates ecclesiasticas, liberatos

ANNO CHRISTI 1351.

beratos, & de cætero liberandos, cum bona, stricta, & celeri diligentia, secundum qualitatem personarum, & scelerum gravitatem, studeant facere custodiri: ut sic pœnaliter custoditi, in scandalum ecclesiæ ad vitam pristinam non redeant. Et si qui clerici taliter liberati, malefactores notorii fuerint & famosi, confessive, seu super feloniis, criminibus, sceleribus, & flagitiis hujusmodi, adeo publice fuerint diffamati, quod sua per eos commissa scelera inficiari nequeant, seu quod eorum a carcere liberatio, ecclesiæ ipsiusque libertati tranquillitative regni, sit evidenter scandalum allatura: tunc in quarta & sexta feriis, & in sabbatis, de pane doloris & aqua angustiæ semel in die; cæterisque diebus, pane & debili cervisia; die vero Dominica, propter honorem ipsius diei & excellentiam, de pane, cervisia, & legumine, eisdem tantummodo ministretur. Quibus, ex eleemosynarum, vel conjunctorum seu amicorum quorumcumque largitione, seu quovis alio quæsito colore, vel ratione quacumque, nihil amplius tribuatur, nec ipsis aliqua purgatio quomodolibet concedatur.

Si vero aliqui carcerati clerici hujusmodi, innocentes fuerint, vel de maleficiis seu flagitiis sibi impositis aut aliis non suspecti, notorii, seu confessi, vel ut præmittitur, publice diffamati: talem volumus adhiberi cautelam, ut antequam ad eorum purgationem judicialiter procedatur, præmittatur solers inquisitio, per ipsorum ordinarios ecclesiasticos in ea parte competentes judices, de ipsorum vita, fama, gestu, & conversatione, in loco criminis de quo indictati, seu pro quo incarcerati fuerint, & originis eorumdem, suis notis & amicis de inquisitione hujusmodi minime præmunitis. Et si locus criminis vel originis clericorum incarceratorum hujusmodi, in diœcesi ordinarii ecclesiastici judicis, cui fuerint liberati, non fuerit: de vita, fama, gestu, & conversatione dictorum clericorum, ad significationem ordinarii judicis præmissi, in cujus carcere detenti fuerint, judex ecclesiasticus ordinarius loci, criminis prætensi, & originis, inquirere in ea parte, & certificare sibi mittentem & significantem, ut præfertur, suis litteris teneatur. Vobis igitur mandamus, firmiter injungentes, quatenus præmissa omnia & singula, quatenus ad vos attinet, observetis: & ut singuli coepiscopi & suffraganei nostri ea observent, vestris litteris harum seriem continentibus, vice & autoritate nostra efficaciter injungatis: mandantes, quatenus ipsi confratres citra festum Nativitatis sancti Ioannis Baptistæ nos certificent, quid in præmissis duxerint faciendum; vos etiam citra festum prædictum nos reddatis certiores quid feceritis, & facere duxeritis in hac parte. Datæ apud Lamheth, XII. Kalend. Mart. anno Domini MCCCLI. & consecrationis nostræ tertio.

ANNO CHRISTI 1352.

VITA INNOCENTII PAPÆ VI.

INnocentius VI. ait Trithemius, natione Lemovicensis, vir bonus & amator religiosorum, & canonista maximus, qui Carolum imperatorem postea coronavit, successit Clementi, decimo sexto Kalendas Decembris anni 1352. tempore Caroli IV. imperatoris, Stephanus antea vocatus, ex episcopo Claromontano & cardinali pontificatum adeptus, multas reformationes per prædecessores suos illatas abrogavit. Prælatis & beneficiatis, ut in suis locis residerent, injunxit: impensas aulæ suæ familiamque imminuit. Domi suæ non alios viros quam peritissimos alere voluit, idemque cardinalibus ut facerent præcepit. Palatii auditoribus stipendia constituit, ne se præmiis corrumpi paterentur. In Italiam misit Ægidium Hispanum cardinalem, qui rebus Italicis sua præsentia magnum adjumentum attulit. Interea temporis, quo Franciscus Baroncellus senatoriam dignitatem Romæ sibi usurpaverat, pontifex Nicolaum Rentii e carceribus eductum libertate donavit: ut altero alteri opposito, inter se contenderent, donec sibiipsis perniciem atque interitum inferrent. Tumultibus autem & dissensionibus invalescentibus, regem Cypri senatorem a se factum eodem misit, ut quosdam qui se reipublicæ reformatores vocitabant, opprimeret. Cum vero pacem inter Gallos & Anglos omnibus nervis in vanum componere studeret, mortem oppetiit pridie Idus Septembris, anno 1362. cum sedisset annis novem, mensibus octo, diebus sex. Vir fuit juris civilis & canonici peritissimus, sinceræ vitæ & magnæ constantiæ: beneficia nullis nisi sufficienter doctis contulit. Hujus temporibus, inquit Silvius, Ioannes Wiclefus hæresiarcha, quia non potuit consequi episcopatum Vigorniensem, in Anglia sua dogmata evomere cœpit, & composuit plusquam ducenta volumina librorum, quibus præter suos, Marcionis & Manichæorum errores immiscebat.

** INNOCENTII VI. EPISTOLA ad Cantuar. & Eborac. archiepisc.

De celebrando festo S. Augustini in Anglia.

Ex tomo II. collectionis Anglicanæ.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, Cantuar. & Eborac. archiepiscopis, salutem & apostolicam benedictionem.

DEcet amicos Christi fideles illos in terris summæ devotionis studio venerari, quos omnipotens Dominus perpetuæ corona gloriæ in cælo magnificat: & ibi præcipue ipsorum laudes attollere, ubi per gloriosum laborum suorum fructum, majora coruscant insignia meritorum. Hoc itaque attenta consideratione pensantes, decens & congruum reputamus, ut gloriosus confessor beatus Augustinus, qui olim missus per sedem apostolicam ad gentes Anglorum, nondum tunc baptismatis unda renatas, eas de infidelitatis tenebris, ad lucem catholicæ fidei per prædicationis ministerium evocavit, primusque in Anglia erexit ecclesiam, specialiter in illis partibus honoretur. Ex hoc namque ibidem populorum crescet devotio, ac ille qui glorificatur in sanctorum concilio, benignius preces respiciet devotorum. Ut igitur ipsius confessoris festivitas in dictis partibus, quæ, sicut accepimus, vix aut minus in regno Angliæ celebriter colitur, solemnius & devotius veneretur: fraternitati vestræ, de qua specialem in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus festivitatem confessoris ejusdem in omnibus ecclesiis dicti regni, exemptis & non exemptis, faciatis autoritate nostra perpetuis futuris temporibus sub duplici officio solemniter celebrari; & nihilo minus in dicta festivitate cessari a mechanicis & aliis operibus interdictis in festis duplicibus, de more, consuetudine, seu observantia ecclesiarum partium earumdem.

Datæ Avinioni VII. Idus Februarii, pontificatus nostri anno tertio.

** Ejusdem ad prælatos Angliæ.

De celebrando festo S. Eduardi regis.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus . . . . . . archiepiscopis & episcopis, & dilectis filiis, abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis, & aliis ecclesiarum prælatis, tam exemptis quam non exemptis, per regnum Angliæ constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

MIrabilis Deus in sanctis suis apparet quotidie, ac ultra quam dici valeat gloriosus, cum in eis mira prodigia, & signa magna in universis mundi partibus operatur; ipsosque, utpote suæ Divinitatis participes, faciat coruscare miraculis, & Divinis laudibus insigniri, quibus, cum intercessores grati, animum judicis placare & inclinare soleant, tanto potius honor & reverentia est ab universis & singulis exhibenda, quanto ipsi tanquam propinquiores & magis ac magis accepti, possunt pro nobis jugiter intercedere apud Deum. Cum igitur sanctus Eduardus rex, gloriosissimus Christi confessor, præ multitudine miraculorum, quæ suis meritis Divina potentia operatur, haberi debeat ab omnibus Christi fidelibus in magna reverentia & honore: nos ipsum habere patronum & pugilem cupientes, ejus festum, quod singulis annis cum devotione ac solennitate celebrare proponimus, Kalendario ecclesiæ Romanæ fecimus annotari. Quia vero in partibus Angliæ debet eo celebrari solennius, quo tota illa terra ejus præsentia illustratur: universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, ac per apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus idem festum annuatim, cum venerit, ob reverentiam ejusdem sancti, celebretis solenniter & devote, ac faciatis a vestris subditis celebrari. Datæ Lugduni, VII. Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno sexto.

ANNO CHRISTI 1355.

CONCILIVM TOLETANVM

Autoritate Blasii archiepiscopi celebratum anno Domini MCCCLV. tempore Innocentii papæ VI.

TITVLI CAPITVLORVM.

PRÆFATIO.

PAteat universis, quod nos Blasius miseratione Divina archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas ac regni Castellæ cancellarius, in concilio per nos apud Toletum die prima mensis Octobris, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto celebrato, qua prædictum concilium extitit terminatum, procuratoribus & vicariis episcoporum suffraganeorum nostrorum ac capitulorum ecclesiarum cathedralium nostræ provinciæ qui voluerunt & potuerunt commode interesse, congregatis, pro animarum nostrorum subditorum salute, sacro approbante concilio, constitutiones edimus subsequentes.

A

ANNO CHRISTI 1355.

CAPITVLA.

I. *Quod transgressiones constitutionum provincialium, non ad culpam, sed ad pœnam tantum obligent transgressores.*

NE onerentur culpæ pondere ex transgressione constitutionum provincialium Christi fideles, quibus* Divina pietas jugo suavi & oneri leviori supponere misericorditer est dignata: sacro approbante concilio ordinamus, quod constitutiones provinciales prædecessorum nostrorum, & B quæ in futurum condentur, nisi aliter in condendis expresse fuerit ordinatum, non ad culpam, sed ad pœnam tantum, earumdem obligent transgressores.

*Corr. quos

II. *De constitutionibus Ioannis legati apostolicæ sedis.*

Quia in prooemio constitutionum provincialium editarum per bonæ memoriæ dominum Ioannem prædecessorem nostrum, continentur, hæc verba: Præcipi- «
C mus constitutiones per dominum legatum «
editas in concilio, per eũdem apud Vallem- «
oleti celebrato, cum infrascriptis per nos in «
præsenti concilio editis observari: aliquibus «
grave periculum videatur, quod transgressores constitutionum domini cardinalis legati prædicti, quæ præceptum non continent, eos ad culpam obligent ex vi præcepti quod in dicto prooemio continetur; & quia ex eo quod aliqui asserunt, quod eædem constitutiones domini legati non ligent, pro eo quod non fuerunt publicatæ inte- D graliter, modo & forma in prooemio earumdem traditis & contentis: nos sacro approbante concilio statuimus & declaramus, quatenus vigore præcepti hujusmodi, ad observantiam dictarum constitutionum præcepta domini cardinalis legati nos & subditos nostros non obligent, nisi in eo casu, modis & forma, quibus nos & eos dicti domini legati constitutiones statuerunt obligari.

In cujus rei testimonium præsentes litteras, per infrascriptum notarium publicum in formam publi- E cam redigi, ac nostri sigilli appensione mandavimus communiri. Datum loco, die, mense, & anno prædictis, præsentibus venerabilibus & discretis viris, Hugone de la Manhama legum doctore de Maiorito, ac Didaco Gonsalvi de Talavera, archidiaconis, ac Ioanne Alphonso de Villa regali canonico ecclesiæ Toletanæ, testibus ad præmissa vocatis.

Et ego Alphonsus Fernandi publicus autoritate archiepiscopali in civitate & diœcesi & provincia Toletana notarius, prædictarum constitutionum editioni, publicationi, ratificationi, ac omnibus & singulis supradictis, una cum prænominatis testibus præsens interfui, & in præsentibus litteris meum solitum signum apposui rogatus, in testimonium veritatis.

CONCILIVM MAGFELDENSE

A Simone Cantuarienſi archiepiſcopo & ſuffraganeis celebratum, anno Domini MCCCLXII.

Ex Tomo II. collectionis Anglicanæ.

Mandatum de feſtis celebrandis.

Simon &c. venerabili fratri noſtro domino Simoni Dei gratia epiſcopo Londonenſi, ſalutem & fraternam in Domino caritatem.

EX ſcripturis ſacris didicimus, vitia ſæpe ſe ingerere, & virtutes eſſe mentiri: dum videlicet ſub figmento ſanctitatis ad execranda proceditur, & ſub ſpecie cultus Divini, ad abominabilem Dei victimam properatur. Ab exordio nempe conditionis humanæ, die duntaxat ſeptimo hebdomadæ, ſtatuit omnium conditor ab operibus abſtinendum: ſed ſuccedente tempore gratiæ, militans adjecit eccleſia dies plurimos, ab omnibus Catholicis feriandos: ex quibus poſtmodum uſus hominum, tolerante eccleſia, propter operandi ut creditur neceſſitatem, nonnullos a feriandi ritu ſubtraxit, & quoſdam in diverſis catholicorum partibus feſtivos ſuperaddidit localiter obſervandos. Qui quamvis a primordiis ob venerationem ſanctorum in feſtivandi conſuetudinem introducti fuerant: inconſtantia tamen humana ut plerumque in deteriora labente, quod in electorum Dei receptum erat honorem, converſum eſt in blaſphemiam & abominationem, dum videlicet conventiculæ, negotiationes, & alia exercitia illicita, diebus hujuſmodi potiſſime ingeruntur: quod vero ad devotionis parabatur compendium, in diſſolutionis erigitur cumulum, dum in ipſis feſtivitatibus colitur taberna potius quam eccleſia, comeſſationes abundant, & ebrietates uberius quam lacrymæ & orationes; laſciviis inſiſtitur, & contumeliis magis quam otio contemplationis; & quod prætermittendum non eſt, mercenarii, ſine quorum operibus reſpublica regi non poterit, ſub colore licito ſic ab operibus mechanicis, diebus etiam quos ſibi feſtivos conſtituunt, & ſanctorum vigiliis, abſtinent, licet non minus per hebdomadam capientes propterea de ſalario, quo utilitas reipublicæ graviter retardatur, quin potius impeditur: nec propter Dei honorem ſicut deceret ſabbatizant, ſed etiam juxta præmiſſa, Deum ipſum & ſanctam ecclecleſiam, in diebus hujuſmodi, per abominationes ſuas peſſimas ſcandalizant, tanquam ſolennitates ipſæ ad profanationis & perverſitatis exercitium gratis fuerint inſtitutæ; quæ quanto magis protenduntur in numero, tanto abundantius cultores abuſionum hujuſmodi, in ſuis exceſſibus inſoleſcunt. Vt igitur tam ſuperſtitioſis adinventionibus, ac etiam fraudulentis mercenariorum hujuſmodi commentis occurratur, & eorum attenuetur occaſio, & memoriæ ſanctorum feriandæ, juxta primam eccleſiæ inſtitutionem, in debita habeantur veneratione: reſervata facultate viris eccleſiaſticis, aliiſque majoribus, ac ſibi ipſis ſufficientibus, quorumcumque feſtorum, prout eis placuerit, ad Dei honorem in eccleſiis ſuis vel capellis, ſolenniter venerandi, *de fratrum noſtrorum conſilio*, dies feſtos præſentibus inſerere duximus, quibus videlicet ab univerſis popularium operibus, etiam reipublicæ utilibus, per noſtram Cantuarienſem provinciam fuerit regulariter abſtinendum.

Inprimis ſacrum diem Dominicum ab hora diei ſabbati veſpertina inchoandum, non ante horam ipſam præveniendum, ne Iudaicæ profeſſionis participes videamur, quod in feſtis quæ ſuas habent vigilias obſervetur. Item feſta, Natalis Domini; Sanctorum, Stephani, Ioannis, Innocentium, Thomæ martyris; Circuncisionis, Epiphaniæ Domini, Purificationis beatæ Mariæ, S. Matthiæ apoſtoli, Annunciationis S. Mariæ. S. Paraſceves, Paſchæ cum tribus diebus ſequentibus. S. Marci evangeliſtæ, apoſtolorum Philippi & Iacobi, Inventionis ſanctæ Crucis, Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes cum tribus diebus ſequentibus, corporis Chriſti, Nativitatis S. Ioannis Baptiſtæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, Tranſlationis S. Thomæ, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, Sancti Iacobi, Aſſumptionis ſanctæ Mariæ, B. Bartholomæi, ſancti Laurentii, Nativitatis ſanctæ Mariæ, Exaltationis ſanctæ Crucis, ſancti Matthæi apoſtoli, ſancti Michaelis, ſancti Lucæ evangeliſtæ, apoſtolorum Simonis & Iudæ, omnium ſanctorum, ſancti Andreæ apoſtoli, ſancti Nicolai, Conceptionis beatæ Mariæ, ſancti Thomæ apoſtoli, Dedicationum eccleſiarum parochialium, & ſanctorum in quorum honore eccleſiæ parochiales dedicantur: aliaque feſta quæ in ſingulis dictæ provinciæ diœceſibus, per locorum ordinarios ex certa ſcientia peculiariter indicuntur.

Vobis igitur mandamus, quatenus præmiſſa omnia & ſingula, ad ſingulorum confratrum & ſuffraganeorum noſtrorum notitiam deducentes, eorum cuilibet injungatis, quod moneant & efficaciter inducant clerum & populum ſibi ſubjectum, ut feſta ſuperius enumerata, prout ſuis acciderint temporibus, ſummopere obſervent, & debito venerentur honore, & ad parochiales eorum eccleſias diebus ipſis reverenter accedant, Miſſarum, & aliorum Divinorum officiorum complementum exſpectent, pro ipſorum cæterorumque fidelium vivorum & defunctorum ſalute, Dominum devote & ſinceris mentibus oraturi: ſic feſtorum ipſorum decorando ſolennia, ut ipſi, & alii catholici pro quibus oraverint, ſanctos quorum feſta celebraverint, interceſſores mereantur habere aſſiduos apud Deum: & quod dicti confratres noſtri, ſubditis ſuis hujuſmodi intiment, quod reliquis ſanctorum feſtivitatibus impune poterunt ad opera procedere conſueta Si vero aliqui operarii conductitii occurrerint, qui feſtis peculiaribus, & non ut præfertur indictis, a conſuetis operibus ceſſare præſumpſerint, ut ſic ſecundum præmiſſa eos defraudent, quorum miniſterio ſe aſtrinxerint: ipſos a ſuperſtitionibus hujuſmodi canonice compeſcant, & faciant per alios compeſci eccleſiaſticam per cenſuram: demandantes inſuper prædictis confratribus noſtris, quod eorum ſinguli nos clare & diſtincte certificent, quid fecerint in præmiſſis citra feſtum Nativitatis ſanctæ Mariæ virginis proximo nunc futurum, per ſuas litteras patentes harum ſeriem continentes. Vos etiam, quatenus veſtras civitates & diœceſes concernit, præmiſſa omnia & ſingula ſtudeatis efficaciter adimplere, & nos modo conſimili reddere certiores. Datæ apud Maghefeld. XVII. Kalend. Auguſti, anno Domini MCCCLXII. & noſtræ conſecrationis decimo tertio.

CONCI-

Anno Christi 1351.

*** CONCILIUM LAMHETHENSE

A Simone Cantuarienſi archiepiſcopo cum ſuffraganeis celebratum, anno Domini MCCCLXII.

De ſalariis a presbyteris annuatim percipiendis.

Ex Tomo II. collectionis Anglicanæ.

Simon permiſſione Divina Cantuarienſis archiepiſcopus, & apoſtolicæ ſedis legatus, venerabili fratri noſtro domino Simoni Dei gratia Londonenſi epiſcopo ſalutem.

EFfrænata generis humani cupiditas, cujus conatus, niſi juſtitia ſua virtute reprimeret, ita ex ſibi innata malitia excreſceret, quod caritas extra mundi terminos exularet. Sane communis ad nos querela perduxit, & magiſtra rerum experientia manifeſtat, quod moderni temporis ſacerdotes adeo jam cupiditatis & acediæ vitia infecerunt, quod ſtipendiis rationabilibus non contenti, pro labore ſalaria vendicant & recipiunt exceſſiva, ſalutariumque laborum ſpretis exercitiis, adeo delicatis ſtudent voluptatibus, quod eccleſiis vel capellis parochialibus & curis animarum deſervire ſeu intendere, tanquam parochiales presbyteri, etiam oblatis ſibi congruis ſalariis, recuſant penitus & contemnunt, annalia pro vivis vel mortuis peculiari quodam otio celebrantes: ſicque parochiales eccleſiæ & capellæ quamplures noſtræ provinciæ, inofficiatæ remanent, capellanis parochialibus, immo curatis propriis, non abſque gravi animarum periculo deſtitutis; ſacerdoteſque prædicti ſic delicati & cupidi, ſalariis exceſſivis hujuſmodi farcinati, evomunt, indomiti delirant & deficiunt, & poſt ventris ingluviem & varias carnis illecebras, ſpumant in libidinem, & tandem in malorum voraginem funditus demerguntur, in virorum eccleſiaſticorum deteſtabile ſcandalum, & exemplum pernicioſiſſimum laicorum. Huic igitur morbo peſtifero, mederi ſalubriter & celeriter cupientes, *de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu* ſtatuimus, & ordinamus: quod capellani quicumque non beneficiati, præſertim idonei curis animarum, & eccleſiis ſeu capellis parochialibus, moderatis ſibi conſtitutis ſalariis inferius plenius deſcribendis, poſtpoſitis privatis ſeu peculiaribus obſequiis quorumcumque, ante omnia officiari & intendere teneantur, cum per loci diœceſanum ſeu ordinarium judicem in hac parte competentem fuerint requiſiti, ſub pœna ſententiæ ſuſpenſionis ab officio, quam, ſi ſic requiſiti, ut præmittitur, infra viginti dierum ſpatium, ceſſante impedimento legitimo non pervenerint cum effectu, eo ipſo ſe noverint incurſuros.

Statuimus etiam & ordinamus, quod capellani annalia celebrantes, & cæteri curam animarum non intendentes, quinque marcis; eccleſiis vero ſeu capellis parochialibus & curæ eiſdem imminenti officiantes, ſex marcis, pro ſuis ſtipendiis annuis debeant contentari: niſi locorum diœceſani, propter ampliores parochiæ ſolicitudinem, vel aliam cauſam legitimam, aliter pro ſuo arbitrio duxerint ordinandum. Si quis vero ſacerdotum hujuſmodi noſtræ provinciæ, ampliorem ſummam, quam ut præfertur, quovis exquiſito colore, pro anno integro, ſeu rata temporis ejuſdem, receperit: niſi infra menſem, fabricæ eccleſiæ infra quam Divina celebraverit, ſummam ipſam excedentem reſtituerit, ſententiam ſuſpenſionis ab officio ſuo incurrat ipſo facto. Et ſolvens, ſi perſona eccleſiaſtica fuerit, puniatur in duplū ſic exceſſive ſoluti, in pios uſus, juxta arbitrium loci diœceſani, convertendum.

Et ut amplius ſacerdotibus evagandi materia ſubtrahatur, ipſorumque mores & vita certius cognoſcantur: volumus & ordinamus, ne quis ſacerdos de una diœceſi ad aliam ſe transferens, ad Divina admittatur ibidem, niſi diœceſano loci ad quem ſe tranſtulerit, litteras commendatitias oſtendat epiſcopi, in cujus diœceſi antea proximo morabatur.

Abſolutionem vero ipſorum, qui præfatas ſuſpenſionis ſententias incurrerint, nobis, & confratribus noſtris locorum diœceſanis, ſpecialiter reſervamus: quas demum, poſt publicationem debitam præmiſſorum, juxta canonum exigentiam, ligare, propter juris ignaros & ſimplices, tenore præſentium declaramus. Fraternitati igitur veſtræ committimus & mandamus, firmiter injungentes, quatenus præmiſſa omnia & ſingula in diœceſi veſtra celeriter publicetis, & executioni debitæ demandetis, ipſaque cæteris ſuffraganeis & confratribus noſtris in ſuis diœceſibus publicāda & exequen . . . debite demandanda quam citius tranſmittatis: & quid feceritis in hac parte, nos citra feſtum Purificationis beatæ Mariæ Virginis proximo nunc futurum, certificare curetis, per litteras veſtras patentes harum ſeriem continentes.

Datæ apud Lamheth. v. Idus Novembris, anno Domini MCCCLXII. & noſtræ conſecrationis XIII.

Anno Christi 1362.

VITA
VRBANI PAPÆ V.

VRbanus quintus patria Lemovicenſis, antea Guillelmus Griſant appellatus, ex abbate ſancti Victoris Maſſilienſis ad ſummum eccleſiæ faſtigium evectus eſt quinto Kalendas Octobris, anno Chriſti 1362. ſub imperio Caroli IV. imperatoris, eo ſcilicet tempore, quo apud vicecomites legatione fungebatur. Avenionem profectus ſua ſingulari animi magnitudine qua præditus erat, cardinalem Ægidium, de quo ſupra, in Italiam miſit, ut libertatem eccleſiaſticam tueretur. Eodem etiam ipſe, pontificatus ſui anno quarto ſe contulit, ut controverſias ibidem exortas ſedaret & componeret. Quibus ſopitis, cum pia urbis loca viſitaret, ſanctorum Petri & Pauli capita in loco ſatis vili reperit: quæ auro argentoque circumdari & exornari procuravit, ſolemnique pompa in Laterano repoſuit. Orvieti & in Monteflaſcone palatia cultiſſima extruxit, quod ea loca propter aeris temperiem ſibi poſteriſque ſuis convenientiſſima eſſent. Mortuo Ægidio cardinale, Ioannem Haucut ducem bellicoſiſſimum militiæ eccleſiaſticæ præfecit. His peractis, in Gallias ſe recepit, ubi vir juxta chronicum Hirſaugienſe doctus & ſanctiſſimæ converſationis, qui crucem prædicari fecit contra Turcas, & multa bona patravit, poſt octavum annū & menſem ſecundum adminiſtrati pontificatus, decimoquarto Kalendas Ianuarii, anno 1370. diem clauſit extremum, eo tempore quo Brigitta mulier devotiſſima cauſa reddendi voti Romam venerat.

*** VRBANI PAPÆ V.

Conſtitutio contra pluralitatem beneficiorum.

Ex tomo II. collectionis Anglic.

Vrbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

COnſueta ſolicitudo apoſtolicæ ſedis, animarum ſalutem & cunctorum profectus in ſuis actibus

ANNO CHRISTI 1365.

semper quærens, illa studet ordinare celeriter, quæ ad eorundem salutem & profectus noverit redundare. Dudum siquidem ad audientiam nostram fama publica referente, producto quod quorundam virorum ecclesiasticorum, tam sæcularium quam regularium, partium diversarum, cæca ambitio sic excreverat, quod nonnulli eorum, quanquam etiam minus digni, plura, prioratus, dignitates, personatus, administrationes, officia, ecclesias, canonicatus, & præbendas, præstimonia, & alia beneficia ecclesiastica, cum cura vel sine cura, quanquam cum dispensatione ubi exigebatur, & quanquam etiam sine illa, retinere præsumebat in numero detestabiliter excessivo. Ex quo hujusmodi beneficiatis nequeuntibus in diversis beneficiis residere, diminutio Divini cultus, hospitalitatis defectus, ecclesiasticæ libertatis & jurium perditio, ac rerum lapsus, prædiorum destructio, ædificiorum & ipsarum ecclesiarum ruina, vitiorum pullulante * animarum pericula, & nonnullorum populorum carentium propriorum rectorum regimine murmur & scandalum veniebant. Nos tãtorum multiplicitati malorum, quæ absque gravi remorsu conscientiæ nostræ non poterimus ulterius tolerare, opportunis remediis, prout ad nostrum spectabat officium, occurrere cupientes: nonnullis archiepiscopis, & eorum suffraganeis, partium diversarum, per apostolica scripta mandavimus, ut infra certum terminum competentem, per nos eis præfixum, per se vel suos vicarios in spiritualibus generaliter, in suis ecclesiis cathedralibus generali synodo congregatis, universos & singulos clericos, & personas ecclesiasticas, tam sæculares quam regulares, partium prædictarum, eis subjectos prioratus, dignitates, personatus, administrationes, officia, ecclecleſias, canonicatus, præbendas, præstimonia, & alia quæcumque beneficia, cum cura vel sine cura, & officia pro . . . . . ecclesiastica, & alia suarum & aliarum curarum ecclesiasticarum, quocumque nomine nuncuparentur, obtinentes, vel autoritate apostolica expectantes; necnon habentes capellanias commensales, seu alia officia Romanæ curiæ, cum beneficio vel beneficiis, aut officiis ecclesiasticis, seu curiarum ecclesiarum perpetuis, cujuscumque status, ordinis, seu conditionis extiterint, peremptorie monere curarent, eis districte mandamus*, infra unum mensem a monitione computandum, hujusmodi eorum prioratuum, dignitatum, personatuum, administrationum, ecclesiarum, canonicatuum, præbendarum, præstimoniorum, & beneficiorum ac officiorum nomina; necnon qualitates & taxationes, si ad decimam forent taxata, seu quantum pro eis solvi pro decima consuevit; alioquin eorum veros & communes sine fraude valores, expectationes quoque & capellanias, & officia perpetua supradicta, una cum beneficiis eisdem, ipsis & eorum ordinariis, vel eorum vicariis, prout eis suberant, allegare deberent effectualiter, *non parerent, hujusmodi eorum prioratibus, dignitatibus personatibus, administrationibus, ecclesiis, canonicatibus, præbendis, præstimoniis, beneficiis, officiis, & expectationibus, gratiis, capellaniis, & officiis perpetuis, extunc ipso facto perpetuo essent privati; ipsorum prioratuum, dignitatum, personatuum, administrationum, ecclesiarum, canonicatuum, præbendarum, præstimoniorum, beneficiorum, & officiorum dispositione nobis specialiter reservata. Ad hoc autem illos qui haberent unicum beneficium sine dicta cura, vel alio officio perpetuo, ut e contra, seu expectationem unicam, ac professos militarium ordinum, volumus non teneri. Mandamus etiam, quod ipsi singuli suffraganei, elapso dicto mense, hujusmodi prioratus, dignitates, personatus, administrationes, ecclesias, canonicatus, præbendas, præstimonia, & alia beneficia, officia,

*Corr. mandantes ut

*f. quod si non parerent

A & expectationes, ab obtinentibus ea in scriptis exhibita, ut præfertur, in registro ordinate redacta, sub eorum sigillis clausis, suis metropolitanis, infra unius mensis spatium assignarent; & quod quilibet eorum metropolitanus, tam hujusmodi beneficia & officia per subditos sibi clericos, seu in suis civitatibus & diœcesibus commorantes, in scriptis exhibita similiter in registro redacta, quam registra dictorum suffraganeorum, infra certos menses quos eorum cuilibet duximus assignandos, extunc proximo subsecutos, nobis destinare curarent; alioquin omnes & singulos eorum qui deficerent in præmissis, cessante legitimo impedimento, excommunicationis & suspensionis ab administratione spiritualium & temporalium sententiis decrevimus subjacere, prout in diversis litteris nostris super his confectis plenius continetur.

B Cum autem ad aures nostras multorum fide dignorum relatione pervenerit, quod in regno Angliæ nonnulli clerici, plures dignitates, præbendas, & beneficia alia & officia ecclesiastica, in numero excessivo, & sacris canonibus invito obtinere præsumunt; ex quo supradicta & alia mala plura, graviaque scandala provenisse hactenus & assidue provenire noscuntur, & alia majora ventura verisimiliter formidantur: nos nequeuntes talia, absque læsione nostræ conscientiæ, oculis conniventibus pertransire; & proprie volentes, ut tenemur, in hac parte de opportuno remedio providere, universos & singulos clericos, & ecclesiasticas personas, tam sæculares quam regulares, dicti regni Angliæ, prioratus, dignitates, personatus, administrationes, canonicatus, præbendas, præstimonia, & alia quæcumque beneficia, cum cura vel sine cura, & officia ecclesiastica perpetua, & aliarum curarum ecclesiasticarum, quocumque nomine nuncupentur, obtinentes, aut autoritate apostolica expectantes, cujuscumque status, ordinis, seu conditionis existant, per hoc publicæ monitionis edictum, cujusmodi monendi modum ex certis & rationabilibus causis elegimus, præsentium tenore monemus; his districte mandantes, quatenus infra sex menses a data præsentium computandos, hujusmodi eorum prioratuum, dignitatum, personatuum, administrationum, ecclesiarum, canonicatuum, præbendarum, præstimoniorum, ac beneficiorum & officiorum nomina; necnon qualitates & taxationes, si ad decimam sint taxata, seu pro eis solvi pro decima consuevit; alioquin eorum veros & communes sine fraude valores, expectationes quoque, necnon & officia ecclesiasticarum curarum perpetua supradicta, una cum beneficiis eisdem, ordinariis locorum, in quibus moram trahunt, in scriptis clare, particulariter, & distincte exhibere procurent. Alioqnin omnes & singuli qui præfatis nostris monitioni & mandato, rationabili causa cessante, quam infra dictum terminum coram nobis vel ordinariis eisdem allegare per se vel alios teneantur, non pareant cum effectu: hujusmodi eorum prioratibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus ecclesiis, canonicatibus, præbendis, beneficiis, & officiis, & expectationum gratiis, quæ ultra duo ipsorum compassibilia, tum quæ coram ipsorum duorum beneficiorum ordinario seu ordinariis infra dictum mensem duxerint eligenda, præsumpserint retinere, elapsis dictis sex mensibus, perpetuo sint privati, ipsorum prioratuum, dignitatum, personatuum, administrationum, canonicatuum, præbendarum, ecclesiarum, præstimoniorum, beneficiorum, & officiorum dispositione, nobis reservata. Quod si tales hujusmodi prioratus, dignitates, administrationes, personatus, ecclesiæ, canonicatus, præbendæ, præstimonia, beneficia, & officia, quibus ut præmittitur erunt privati, ultra dictum terminum per mensem retinere præsumunt: extunc ipso facto

ANNO CHRISTI 1365.

ANNO CHRISTI 1365.

facto aliis duobus beneficiis compassibilibus, quæ per eos, ut præmittitur, permittimus retineri, noverint privatos, ipsorum collatione & dispositione nobis similiter reservata: ac nihilo minus sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi per Romanum pontificem, præterquam in mortis articulo, non possint absolutionis beneficia obtinere: & nihilo minus perpetuo sint inhabiles ad ea, & quælibet alia beneficia ecclesiastica, obtinenda.

Ad hoc autem illos qui haberent unicum beneficium sine alio officio perpetuo, aut e contra, seu expectationem unicam, & professos militarium ordinum, volumus non teneri. Mandantes insuper, quod singuli episcopi dicti regni, elapsis dictis sex mensibus, hujusmodi prioratus, dignitates, personatus, administratores, ecclesias, officia, canonicatus, præbendas, & præstimonia, & alia beneficia ecclesiastica, ac capellanias, officia, & expectationes, ab obtinentibus ea ipsis in scriptis exhibita, ut præfertur, in registro ordinata, sub eorum sigillis clausis, suis metropolitanis infra unius mensis spatium studeant assignare: & quilibet eorum metropolitanus, tam hujusmodi beneficia & officia per subjectos sibi clericos, vel in civitatibus vel diœcesibus commorantes, similiter in registro redacta, quam dictorum episcoporum, infra quatuor menses dictum mensem immediate sequentes, nobis destinare procurent. Alioquin omnes & singulos episcopos & archiepiscopos seu metropolitanos, qui defecerint in præmissis, cessante legitimo impedimento, excommunicationis, suspensionis ab administratione spiritualium & temporalium sententiis decernimus subjacere. Cæterum volumus, & autoritate apostolica decernimus, quod monitionis mandata hujusmodi, perinde valeant & robur obtineant firmitatis: ac eosdem clericos & ecclesiasticas personas, necnon archiepiscopos & episcopos omnino arceant, ac si iis insinuata & intimata præsentialiter extitissent, constitutione quacumque contraria nonobstante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ monitionis, mandati, privata reservatione inhabilitatis, constitutionis & voluntatis infringere, vel ei temerarie contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum, se noverit incursurum.

Datæ Avinioni, v. Nonas Maii, Pontificatus nostri anno quarto.

ANNO CHRISTI 1365.

** CONCILIA VARIA

Pro reformandis moribus, & præsertim tollenda pluralitate beneficiorum, anno Domini MCCCLXV.

IVssos esse ab Vrbano V. archiepiscopos & eorum suffraganeos partium diversarum, *concilia celebrare adversus clericos multis præditos beneficiis, testatur Vrbanus ipse, in ea quam modo legisti constitutione: docent & ejusdem ad Tolosanum & Narbonensem archiepiscopos littera, eodem argumento data, ut testatur Odoricus Raynaldus.*

ANNO CHRISTI 1365.

** CONCILIVM ANDEGAVENSE

A Simone Turonensi archiepiscopo cum suffraganeis celebratum anno Dom. MCCCLXV.

Ex metropoli Turonensi, & MS. viri cl. Ægid. Menagii.

TITVLI CAPITVLORVM.

PRÆFATIO.

AD honorem Dei patris omnipotentis, decus & decorem civitatis, diœcesis, ac provinciæ Turonensis, cui, Deo autore, sedis Apostolicæ gratia, & Divina favente clementia, præsidemus. Nos Simon permissione Divina archiepiscopus Turonensis, vocatis & coadunatis venerabilibus fratribus nostris, Gaufrido, Dolensis; Michaele, Cœnomanensis; Radulpho, Redonensis; Guillelmo, Andegavensis; D Guillelmo, Macloviensis; Guillelmo, Leonensis; & Eveno, Trecorensis, ecclesiarum episcopis, & suffraganeis nostris; sede Nannetensi vacante, venerabilibus fratribus Briocensi, Venetensi, & Corisopitensi, episcopis absentibus, & legitime excusatis per legitimos procuratores litteratorie destinatos; necnon abbatibus & prælatis qui ad hoc vocari consueverunt. Ad futuram rei memoriam, pro reformatione morum, defensione & tranquillo statu ecclesiarum nostro regimini commissarum, deliberatione provida præhabita, & ipsius approbatione concilii, ordinanda duximus & etiam statuenda ea, quæ per ordinem subsequuntur. Quæ quidem juxta approbationem hujusmodi decrevimus obtinere perpetuam roboris firmitatem. Acta in ecclesia Andegavensi, die Iovis duo- E decima mensis Martii, anno Dom. MCCCLXV.

CAPITVLA.

I. *De rescriptis.*

LIcet sedes apostolica in gratiis & justitia se exhibeat liberalem: tamen nonnulli ejus litteris nequiter abutuntur, reum trahendo & conveniendo ad diversos judices super diversis actionibus personalibus; vel conveniunt eos cum quibus nullam habent materiam quæstionis, vel contra

tra concilium ultra duas dietas, per conservatorias, vel rescripta alia, in quibus eis conceditur, quod reum usque ad duas dietas trahere valeant, & non ultra. Quod licet sit prohibitum per canonicas sanctiones pœnas transgressoribus infligentes: quia tamen facti experientia nos edocet, prohibitionibus nonobstantibus, quod nonnulli nostræ provinciæ Turonensis, rescriptis præmissis apostolicis abutuntur: ideoque sacro approbante concilio, edicto perpetuo prohibemus, ne quis per quodcumque rescriptum apostolicum, coram diversis judicibus, super eisdem vel diversis actionibus personalibus, eodem tempore, vel illum contra quem non habet actionem, vel per quamcumq; conservatoriam, privilegium, vel rescriptum, in quo conceditur quod usque ad duas dietas reum trahere valeat, ultra duas dietas non trahat; nec rescripta apostolica ad futuras controversias trahat, quæ non erant exortæ tempore rescripti impetrati. Quod si contrarium fecerit in casibus præmissis, vel aliquo præmissorum, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto.

II. *De actore & reo.*

Dudum Bonifacius papa salubriter statuit, quando actor & reus ejusdem civitatis & diœcesis fuerint, quod per litteras apostolicas infra ipsas reus conveniatur & non extra, nisi certis casibus in dicta constitutione expressatis: ita quod tunc reus a fine diœcesis ultra unam dietam non trahatur. Et quia nonnulli nostræ provinciæ, prædicta constitutione abutuntur, reum trahendo ad loca remota ultra unam dietam, contra tenorem constitutionis supradictæ, & eum fatigant laboribus, & expensis: volentes prædictis abusionibus obviare, edicto perpetuo prohibemus, ne quæcumque persona ecclesiastica, sæcularis, regularis, vel alia, quacumque præfulgeat dignitate, quando actor & reus ejusdem fuerint civitatis, vel diœcesis, reum extra ipsas audeat trahere, nisi in casibus in dicta constitutione comprehensis, vel alias sibi competat ex beneficio litterarum ex tunc usque ad unam dietam a fine diœcesis & non ultra, & etiam in aliis casibus in dicta constitutione comprehensis, in quibus permittitur quod reum trahere valeat extra ipsas; itaque* reus etiam ad loca non insignia non trahatur. Contrarium vero facientes in casibus præmissis, vel aliquo præmissorum, incurrant excommunicationis sententiam ipso facto.

* *for.* ita quod

III. *Quid est dieta.*

Sane quia nonnulli in nostra provincia dietas diversimode in casibus præmissis nituntur computare: aliqui decem, aliqui duodecim plus vel minus leucas accipiunt pro dieta. Nos vero de communi consilio, & assensu totius concilii, duodecim leucas taxamus pro dieta vulgari, vel etiam usuali, in diœcesi Turonensi & Andegavensi: in Britannia vero & Cœnomania, decem leucas taxamus pro dieta. Itaque reus a fine diœcesis Turonensis & Andegavensis, ultra duodecim, & in Britannia & Cœnomania, ultra decem leucas per litteras apostolicas non trahatur: vel ubi competeret ex beneficio litterarum, quod ultra traheretur, qualiter dicta dieta in diœcesibus prædictis decem vel duodecim, ut præfertur, leucas non excedat. Qui vero contrarium fecerit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto.

IV. *De citationibus virtute litterarum apostolicarum.*

Item prohibemus, quod nullus presbyter, clericus, tabellio, notarius, vel quæcumque persona alia ecclesiastica, vel sæcularis, nostræ provinciæ, citet vel audeat citare, autoritate aliquarum litterarum apostolicarum, sive sint rescripta, conservatoria, vel privilegia, nisi viso originali, vel tenore ipsius publicato autoritate diœcesani, & de mandato ipsius, per aliquam personam publicam, & sub sigillo ordinarii. Qui contrarium fecerit, pœnam decem librarum incurrat ipso facto, piis operibus per ordinarium convertendam.

V. *De apostolicis impetrantibus beneficia.*

Sane quia nonnulli apostolici impetrantes beneficia vacatura, cũ clausula, quod infra mensem valeant acceptare, virtute litterarum apostolicarum plura beneficia acceptant, & hujusmodi acceptationes occultant fraudulenter in præjudicium & scandalum plurimorum, ex quibus plura inconvenientia in nostra provincia reperimus evenisse; maxime cum aliqui, quibus dicta beneficia acceptata, per ordinarium collata fuerant, dictas acceptationes ignorantes, ratione beneficii sibi collati, promoti ad sacerdotium, per dictos impetrantes post annum a tempore vacationis sunt exclusi, & ipsos oportet mendicare, in opprobrium ordinis clericalis: volentes dictis fraudibus & malitiis obviare, approbante sacro concilio, statuimus; quod hujusmodi impetrantes, acceptationem hujusmodi infra tres menses a tempore acceptationis, legitimo impedimento cessante, in loco beneficii acceptati teneantur publicare: alioquin dicta acceptatione, & jure sibi acquisito per hujusmodi acceptationem, sint privati.

VI. *De*

ANNO CHRISTI 1365.

VI. *De iisdem.*

Item cum beneficia ecclesiastica ultra sex menses vacare non debeant, & nonnulli apostolici impetrantes, occulte & clandestine faciunt sibi de beneficiis provideri, collationes sibi factas occultantes, differentes dictorum beneficiorum possessionem recipere, ut sibi de pinguioribus faciant providere, non sine dictorum beneficiatorum præjudicio & scandalo aliorum: ideoque sacro approbante concilio, statuimus quod impetrantes apostolici, postquam de beneficiis vacantibus per suos executores sibi fecerint provideri, sive fuerint dignitates, personatus, prioratus, officia, administrationes, & beneficia alia, quocumque nomine censeantur, infra sex menses a tempore provisionis sibi factæ, per se vel per alium, possessionem realem dictorum beneficiorum apprehendere teneantur. Quod si infra dictum terminum, legitimo impedimento cessante, possessionem dictorum beneficiorum, dignitatum, personatuum, prioratuum, officiorum, administrationum, & aliorum beneficiorum quorumcumque, non apprehenderint: omni jure sibi quæsito per dictas collationes sint privati.

VII. *De supplenda negligentia prælatorum.*

Item statuimus, quod prælati, tam sæculares quam regulares, & alii qui dignitates, personatus, prioratus, officia, administrationes, & alia beneficia de jure vel consuetudine in nostra provincia habent conferre, personis idoneis illa conferant, quorum collatio non sit clandestina nec occulta: immo ipsam collationem infra sex menses a tempore vacationis publicent, & illi quibus collationes fient, sive provisiones, de dignitatibus, personatibus, prioratibus, officiis, administrationibus, & aliis beneficiis, tam sæcularibus, quam regularibus, infra sex menses a tempore collationis beneficii, possessionem ipsius, per se vel per alium, legitimo impedimento cessante, apprehendere teneantur: alioquin collatio pro nulla habeatur. Et ille cui facta fuerit provisio, lapso termino, omni jure sibi quæsito per collationem vel provisionem sibi factam, sit privatus, & collatio ad proximum superiorem sit eo ipso devoluta.

VIII. *Beneficia non conferantur nisi ætatem legitimam habentibus.*

Item constitutione irrefragabili prohi-

A bemus, ne beneficia ecclesiastica, sive sint dignitates, personatus, officia, capellaniæ, præbendæ, vel alia, quocumque nomine censeantur; quæ de fundatione, consuetudine, vel statuto, sacros ordines requirant, personis, quæ non erunt ætatis legitimæ ad recipiendos illos ordines quos beneficia requirunt, nullatenus conferantur. Quod si contrarium factum fuerit, collatio sit nulla ipso facto, & collatores potestate conferendi ea vice sint privati: nisi ex causa evidenti per ordinarium fuerit dispensatum.

IX. *De temporibus ordinandorum.*

B

Præsenti decreto statuimus, quod omnes principales personæ, prælati, & capita ecclesiarum collegiatarum, & omnes qui in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, regularibus, nostræ provinciæ Turonensis, obtinent dignitates, personatus officia, sive sint decani, præpositi, archidiaconi, archipresbyteri, capiceni, & alii, quocumque nomine censeantur; & alii qui alia beneficia obtinent, ratione quorum, de jure vel consuetudine tenentur promoveri C in nostra provincia infra annum, a tempore provisionis sibi factæ & possessionis adeptæ pacificæ, impedimento legitimo cessante, saltem ad subdiaconatus ordinem se faciant promoveri: alioquin dignitatibus, personatibus, officiis, & beneficiis, lapso anno, absque monitione aliqua sint privati.

X. *De officio archidiaconi.*

D

Cæterum cum provida deliberatione in concilio Andegavensi alias fuerit ordinatum, ne archidiaconi, vel archipresbyteri, qui de jure vel consuetudine personas ecclesiasticas præsentatas ad curas parochialium ecclesiarum habent examinare, & post examinationem nobis vel suffraganeis nostris, vel aliis quibus de consuetudine, vel alio jure pertinet curas committere vel conferre, nil exigant pro litteris, vel sigillo. E Quod vero hujusmodi statutum minime servabatur, immo prædicti ratione sigilli vel litteræ, immoderate pecunias extorquebant: ideoque sacro approbante concilio prohibemus, ne quis, vel aliqui, a personis ecclesiasticis per ipsos examinandis, vel præsentandis illis qui habent curas committere vel conferre, pro sigillo vel littera aliquid recipiant. Contrarium vero facientes eo ipso, pœna in dicto concilio percellantur.

XI. *Quid pro lectis defunctorum rectorum.*

Item edicto perpetuo prohibemus, ne archidiaconi, archipresbyteri, & aliæ personæ ecclesiasticæ, qui de consuetudine lectos rectorum parochialium ecclesiarum decedentium, infra certos limites nostræ provinciæ Turonensis, sibi vendicant, pro lecto, ultra quinquaginta solidos recipiant, dum tamen parochialis ecclesia, quam curatus defunctus obtinebat, quinquaginta libras, secundum taxationem decimæ, non excedat, vel lectum recipiat secundum taxam superius moderatam. Quod si ultra quinquaginta libr. parochialis ecclesia excedat pro decima: centum solidos pro lecto poterit recipere, & non ultra, sibi conditione reservata, quod pecuniam possit recipere juxta taxam superius moderatam, vel lectum ad valorem, ut superius est expressum. Qui vero contrarium fecerit, recipiendo ultra summam & modum quæ in præsenti constitutione continentur: eo ipso perdat lectum, vel illud quod ratione lecti poterat evenire.

XII. *De vita & honestate clericorum.*

Item cum in concilio Turonensi salubriter fuerit ordinatum, ne presbyteri prodeant in publicum sine cappis, vel mantellis clausis, & quod etiam portent clausa supertunicalia & honesta: nos latius providere volentes, autoritate præsentis concilii prohibemus, ne aliqua persona ecclesiastica nostræ provinciæ, cujuscumque status vel conditionis existat, decanus, archidiaconus, archipresbyter, canonicus metropolitanæ ecclesiæ, cathedralis, vel collegiatæ, & alii beneficiati, vestes breves, vel botonatas ante pectus, in publico deferant; nec capucia cum longa corneta, sed brevi & honesta, & botonibus in capuciis non utantur. Qui vero contrarium fecerit in casibus præmissis, vel aliquo præmissorum: si canonicus metropolitanæ ecclesiæ, cathedralis, vel collegiatæ, a voce capituli & distributionibus quotidianis per mensem eo ipso sit suspensus: ita quod suspensione durante, vox sua in capitulo pro nulla habeatur, & distributiones ad illum usum assignentur, cui de consuetudine distributiones absentium committuntur. Quod si alias beneficiatus fuerit, a fructibus beneficiorum per mensem sit suspensus.

XIII. *De eadem re.*

Item firmiter prohibemus, ne clerici in nostra provincia utantur brevibus vestibus, vel sotularibus de polena, nec capucia botonata in publico deferant; sed vestes longas, ad minus usque ad genu propendentes. Qui vero contrarium fecerit, videlicet portando breves vestes, vel sotulares de polena, vel etiam capucia botonata, in casibus præmissis, vel aliquo præmissorum, pœnam decem librarum incurrat eo ipso, (vel etiam si deferat mantellum seu chlamydem fixum depeczatum per circuitum) per ordinarium piis usibus convertendarum.

XIV. *De Missa & officio defunctorum.*

Item prohibemus in virtute sanctæ obedientiæ, ne quis presbyter nostræ provinciæ audeat Missam celebrare pro mortuis; nisi primo dixerit officium mortuorum: & omnes curati parochialium ecclesiarum singulis diebus ferialibus teneantur dicere officium mortuorum, potissime trium lectionum.

XV. *De officio beatæ Mariæ.*

Item approbante concilio statuimus, quod in singulis ecclesiis metropolitanis, cathedralibus, regularibus, collegiatis, matutinæ, & aliæ horæ de beata Maria, singulis diebus solemniter decantentur: nisi alias officium esset de beata Maria, vel aliis majoribus festis anni, vel in Adventu Domini: & ad hoc omnes volumus adstringi sub præcepto.

XVI. *De cibis ecclesiasticorum.*

Cum sobrie vivere debeant universi, & maxime personæ ecclesiasticæ, quas in se oportet ostendere quomodo alii debeant conversari, non in ebrietatibus vel conviviis epulando, sed moderate & honeste, ne longi temporis brevis hora victum consumat: ideoque in virtute sanctæ obedientiæ, & sub obtestatione Divini judicii, approbante concilio firmiter prohibemus, ne quævis persona ecclesiastica, sæcularis vel regularis, in nostra provincia, etiamsi pontificali, vel quavis alia præfulgeat dignitate, ultra duo fercula ad plus, etiam in conviviis solemnibus, vel festivitatibus præcipuis, parare faciat; sed prædictis duobus ferculis non superfluis sit contentus: nisi forte propter adventum principum, vel aliarum personarum, propter quarum adventum posset ecclesia aliquod commodum reportare, vel damna & incommoda evitare; & tunc ipsorum conscientiæ relinquatur.

XVII. *De clericis non residentibus.*

Cæterum cum personæ ecclesiasticæ in suis beneficiis teneantur personaliter residere,

Anno Christi 1365.

residere, & maxime si curam habeant animarum: irrefragabili statuto ordinamus, ut omnes curati parochialium ecclesiarum nostræ provinciæ Turonensis, in suis parochialibus ecclesiis residentiam faciant personalem; nisi super hoc ex causa per superiorem fuerit dispensatum, vel alias legitime fuerint impediti. Quod si residentiam non fecerint, ut tenentur, & ultra mensem se a suis beneficiis absentaverint sine causa: a perceptione fructuum suarum ecclesiarum sint suspensi, fructibus ipsis in ecclesiarum utilitatem convertendis. Quod si per sex menses sine causa legitima, ut præmittitur, se absentaverint: lapsis sex mensibus, ipsis ecclesiis perpetuo sint privati, & illi ad quos pertinebit dictarum ecclesiarum collatio, de ipsis ecclesiis habeant providere.

XVIII. *De distributionibus.*

Item licet distributiones quotidianæ & anniversaria, in ecclesiis metropolitanis, cathedralibus, & collegiatis, pro interessentibus personaliter horis ipsis & anniversariis, sint laudabiliter ordinatæ; ita quod qui non laborat, non manducet; & nonnulli ecclesiarum prædictarum nostræ provinciæ canonici, & alii qui de consuetudine dictas distributiones & anniversaria in ipsis ecclesiis recipiunt, tarde veniunt, & cito postquam chorum intraverint recedunt sine causa: ideoque sacro approbante concilio statuimus, ut prædicti canonici & alii qui prædictas distributiones & anniversaria in prædictis ecclesiis recipiunt, in principio horarum intrent chorum ipsis horis anniversariis, & ad missam intersint, videlicet a primo psalmo usque ad finem illius horæ & anniversarii, necnon in introitu Missæ, a prima collecta, usque ad finem totius ipsius Missæ continue remansuri. Quod si in præmissis defecerint sine causa rationabili, distributiones sive anniversaria illius horæ eo ipso perdant, & illi vel illis applicentur, quibus applicarentur, si iidem recedentes ipsis horis vel anniversariis nullatenus interfuissent. Quod si prædictas distributiones vel anniversaria, contra nostram constitutionem voluerint extorquere: per mensem a distributionibus vel anniversariis sint suspensi. Quod si in prædicto mense, suspensione durante, aliquid pro distributionibus vel anniversariis receperint: ingressum ecclesiæ, usquequo restituerint omnia quæ contra præsentem constitutionem perceperint, sibi noverint interdictum.

XIX. *De statu monachorum.*

Item cum per decentiam habitus extrinseci morum ostendere oporteat honestatem, & licet secundum canonicas sanctiones fuerit salubriter ordinatum, quod monachi ordinis sancti Benedicti pro habitu cappas clausas, cucullas, vel floccum honestum longum & amplum deferant, & vestes superiores proximo habitui largas, longas, & clausas per circuitum deferant; & quod bottis vel sotularibus corrigiatis, altis & honestis utantur: tamen nonnulli monachi dicti ordinis in nostra provincia, in se quasi nihil de regulari observantia ostendentes, chlamydes sive rotundellos, vestes fixas decurtatas, cum botonibus, in publico deferre non verentur, in religiosorum opprobrium, & scandalum plurimorum. Ideoque approbante concilio, prohibemus, ne quis religiosus dicti ordinis, abbas, prior, vel quicumque alius, cujuscumque status, vel conditionis existat, chlamydes seu rotundellos, vestes proximo habitui fixas, vel quomodolibet botonatas, in publico deferre præsumat. Qui vero contrarium fecerit in aliquo casu præmissorum, suspensionis sententiam incurrat ipso facto: quam si sustinuerit per annum, prælatura, prioratu, beneficio, vel administratione quam habuit, sit privatus. Quod si beneficium non habeat, per annum sit inhabilis ad quodcumque beneficium ecclesiasticum obtinendum.

XX. *De canonicis regularibus.*

Abusionibus quorundam canonicorum regularium nostræ provinciæ Turonensis (qui secundum regulam beati Augustini debentes laudabiliter vivere, & honeste conversari, quid eis liceat non advertunt, a regulari observantia deviantes, qui nec, prout decet secundum regulam, superlicium aut cappam, nec alium honestum habitum deferunt secundum suorum monasteriorum consuetudinem approbatam, immo vestes fixas, botonatas, & chlamydem fixam super humerum in publico deferre non verentur) obviare volentes: approbante concilio statuimus, quod monachi dicti ordinis in nostra provincia, professores, prælati, priores, & alii, cujuscumque status vel conditionis existant, habitum deferant suæ religioni congruentem, videlicet superlicium in ecclesia, & locis aliis quibus solitum est fieri ab antiquo, aut cappam clausam, vel alium honestum habitum, secundum suam regulam, & consuetudinem suorum mona-

ANNO CHRISTI 1365.

fteriorum approbatam; necnon veftes fuperiores longas, claufas, & honeftas portent in publico, nec chlamydes fixas fuper humerum, fed claufas, largas, longas, & honeftas, nec clocas * fericatas, five confutas de ferico alterius coloris quam fuerit cloca, vel mantellus, feu cappa. Qui vero contrarium fecerit in cafibus præmiffis, vel aliquo præmifforum: per annum a beneficio fufpendatur. Et fi beneficium non habuerit, per idem tempus fit inhabilis ad beneficium ecclefiafticum obtinendum.

* Vide pag. 1821. C. & 1880. E.

XXI. *De religiofis domibus.*

Irrefragabili ftatuto prohibemus, ne illi qui de confuetudine, de jure, vel fundatione, in noftra provincia eleemofynarias, leprofarias, xenodochia, vel domos Dei habent committere, quocumque colore fibi quæfito, pecuniam, vel quicquam aliud, ratione commiffionis, figilli, vel litteræ, recipiat. Quod fi contrarium fecerit, & contra noftram præfentem conftitutionem aliquid receperit: excommunicationis fententiam incurrat ipfo facto.

XXII. *De obfervatione ieiuniorum.*

Sane cum diebus jejunialibus, & maxime in Quadragefima, non folum a carnibus, fed etiam ab illis quæ a carnibus fementariam trahunt originem, fit penitus abftinendum; & nonnulli noftræ provinciæ, tam perfonæ ecclefiafticæ, quam etiam fæculares, in nonnullis locis lacte & butyro utantur indiftincte, licet pifcium, olei, & aliorum neceffariorum poffint copiam invenire: ideo approbante concilio prohibemus, ne aliqua perfona ecclefiaftica vel fæcularis butyrum vel lac comedat in Quadragefima, vel quomodolibet in pane, vel leguminibus utantur, in cafibus a jure non permiffis, nifi fuper hoc privilegium habuerint. Qui vero contrarium fecerit, notam reatus inobedientiæ incurrat, & tanquam tranfgreffor præcepti & concilii provincialis puniatur: abfolutionem tranfgrefforum tantummodo fuperioribus refervantes.

XXIII. *De cenf. bus.*

Cum juris fit provifione ftatutum, quod pro rebus propriis ecclefiafticarum perfonarum, quas non caufa negotiandi deferunt, feu deferri faciunt, pedagia vel quidagia, nullatenus exigantur, & in contrarium facientes eft excommunicationis fententia promulgata; & bonæ memoriæ Gaufridus prædeceffor nofter in concilio apud Caftrum Gonterii celebrato, falubriter prohibuit ne a clericis, vel a perfonis ecclefiafticis, pro rebus propriis vel etiam ecclefia-

A rum, quas non mercimonii caufa, per terram vel aquam, aut per mare ducerent, vel duci facerent, quifquam fuo vel nomine alieno pedagia, quidagia, couftumas, aut exactiones quafcumque, & quocumque nomine cenferentur, exigeret, vel de novo imponeret, contrarium facientes excommunicationis fententia innodando: & res proprias clericorum, vel ecclefiafticarum perfonarum declaravit, vina, blada, & alia de fuis rebus hereditariis, & quas in terra fua vel ecclefiæ recolligunt, & quæ de redditi-

B bus propriis recipiunt, & quæ collecta, recepta & habita, caufa vendendi, ut pecuniam inde habeant, in ufus proprios convertant, per terram, vel aquam ducunt, vel duci faciunt, intellexit, & debere intelligi declaravit hoc non fieri caufa mercimonii, taleque negotium effe perfonis ecclefiafticis licitum & honeftum, & liberum a pedagiis, couftumis, & exactionibus aliis quibufcumque. Nos vero approbante dicto concilio, dictas prohibitiones, declarationes, ftatuta, & pœnas in præmiffis comprehenfas, volumus in

C fuo robore permanere: ita quod qui a perfonis ecclefiafticis, pro præmiffis rebus, quas ducunt, vel duci faciunt, per terram vel aquam, per fe vel alium, a ductoribus, vel ab illis qui vehunt, vel transferunt, receperit pedagia, exactiones, vel couftumas, excommunicationis fententiam incurrat ipfo facto; & locus in quo pedagia, quidagia, couftumæ & exactiones recipiuntur, eo ipfo fit fuppofitus ecclefiaftico interdicto. Et quia nonnulli in præjudicium ecclefiafticæ liber-

D tatis & prædicti concilii, novas fraudes inveniunt per obliquum, volentes perfonas ecclefiafticas fubmittere fervituti, non a prædictis perfonis, fed ab illis qui prædicta, nomine clericorum & ecclefiafticarum perfonarum, deferunt, vehunt, & transferunt, per fe vel alium, pedagia, couftumas & exactiones de novo exigunt, necnon præmiffas perfonas ecclefiafticas, vel illos qui nomine ipforum præmiffa portant vel transferunt, compellunt ut ad ipfos veniant, & quod fibi fignificent quod funt res clericorũ & perfo-

E narum ecclefiafticarum, quæ ducuntur per aquã vel terram, fibi de facto cõfifcant, & appropriant pro libito voluntatis (quam cõfifcationem declaramus effe contra concilium, & in præjudicium ecclefiafticæ libertatis: & talia facientes declaramus incidere in fententia, & pœnis in prædicto concilio & modo fuperius declaratis) prædictum concilium dicti Gaufridi innovamus, & quod omnia hic comprehenfa in noftra conftitutione fidem faciant, ac fi totum originale & tenor ipfius effet hic omnino de verbo ad verbum comprehenfum.

XXIV. De

ANNO CHRISTI 1365.

XXIV. *De immunitate ecclesiarum.*

Sacro approbante concilio excommunicamus invasores, raptores, deprædatores, occupatores, suo nomine, vel etiam alieno, personarum ecclesiasticarum & rerum suarum, vel ecclesiæ seu locorum religiosorum, & quoscumque alios qui bona prædicta indebite occupata detinuerint, aut in religiosorum domibus, vel locis ecclesiasticis posuerint comestores; & loca ubi bona taliter occupata delata, recepta, vel detenta scienter fuerint, sint supposita ecclesiastico interdicto: declarantes, bona ecclesiastica esse intelligenda in hoc casu, prout in concilio apud Castrum Gonterii per bonæ memoriæ Petrum prædecessorem nostrum ultimo celebrato, non solum bona clericorum, verum etiam bona commodata, & ab eis conducta precario & concessa, & quorum ecclesiasticæ personæ vel clerici habent possessionem, aut detentionem qualemcumque; necnon si personarum ecclesiasticarum occasione, in ipsorum præjudicium vel contemptum, eorum homines, familiares, vel consanguinei, vel ipsorum bona, vel qui sub temporali sua jurisdictione consisterent indebite caperentur, vel invaderentur hac appellatione volumus comprehendi. Et quia facientes & consentientes par pœna constringit: receptatores & defensores invasorum, raptorum, maleficorum hujusmodi, de quibus superius fit mentio, & qui ad præmissa dederint auxilium & favorem, publice vel occulte, eisdem pœnis, quibus & ipsos maleficos, eo ipso quo ipsos, vel res de quibus superius fit mentio, scienter receptaverint vel defenderint, eadem excommunicationis sententia volumus innodari; & ubicumque fuerint raptores, occupatores, invasores, defensores, & receptatores præmissi, cessetur penitus a Divinis, donec absolutionis beneficium meruerint obtinere. Et postquam publice excommunicati nunciati fuerint, nullatenus absolvantur, nisi de præmissis satisfecerint, & ecclesiæ emendam fecerint cõpetentem: nec tradantur post mortẽ ecclesiasticæ sepulturæ, nisi ipsi, vel ipsorum heredes satisfecerint de præmissis, ut superius est expressum. Prædictum autem concilium dicti domini Petri, de quo superius fit mentio, innovamus, & volumus in suo robore permanere: & quod omnia hic comprehensa fidem faciant, ac si totum originale & tenor ipsius esset hic omnino de verbo ad verbum comprehensum.

XXV. *De iniustis exactionibus.*

Verum nonnulli principes, & alii domini temporales, a viris ecclesiasticis, prælatis, tam sæcularibus quam regularibus,

A & aliis, qui nec feuda tenent ab eis, neque ut superiores recognoscunt, nova & insolita nituntur exigere & exigunt juramenta, dictosque prælatos & alias personas ecclesiasticas, per minas & terrores, personarum captionem, bonorum & rerum spoliationem, compellunt ad præstanda juramenta. Ideoque sacro approbante concilio prohibemus, ne quis princeps, dux, baro, senescallus, baillivus, aut alius dominus temporalis, per se vel per alium, a prædictis personis ecclesiasticis nova exigat juramenta, nec ad ea præstanda compellat per minas, B terrores, captionem corporum, occupationem rerum & jurisdictionis, spoliationem parentum & bonorum, injurias hominum ecclesiæ vel bonorum ipsorum, mortem vel incarcerationem familiarium vel consanguineorum suorum: contrariũ vero facientes, autoritate præsentis concilii excommunicationis sententia innodamus, & terram eorum supponimus ecclesiastico interdicto, a qua nullatenus absolvantur, nec interdictum relaxetur, nisi primo de injuriis, damnis & offensis, tam personis quam ecclesiis satisfecerint competenter.

C

XXVI. *De iniuriis quæ fiunt ecclesiasticis.*

Dolentes referimus quod nonnulli nobiles, & domini temporales, quandoque personæ ecclesiasticæ, & etiam sæculares, per se vel alios, & etiam per viles & abjectas personas, in nostra provincia diffidant, & diffidari faciũt, publice vel occulte, prælatos, vel alias personas ecclesiasticas, & ob hoc quandoque prælatos & alias personas ecclesiasticas crudeliter insequuntur, terram ecclesiasticam currunt, bona rapiunt, loca, maneria, castella occupant, & detinent occupata, homines ecclesiæ capiunt, trucidant, D occidunt & spoliant bonis suis: ita quod oportet quandoque prælatos & viros ecclesiasticos se redimere, & etiam bona sua. Ideoque sacro approbante concilio, edicto perpetuo prohibemus, ne aliqua persona ecclesiastica, vel sæcularis, etiamsi dux, princeps, comes, baro, capitaneus, senescallus, baillivus, vel alia persona sæcularis, nomine suo vel alieno, archiepiscopum, E episcopum, abbatem, abbatissam, officialem archiepiscopi, episcopi, canonicum metropolitanæ cathedralisve ecclesiæ, per se, vel per alium diffidat, diffidarive faciat. Qui vero archiepiscopum, episcopum, abbatem, vel abbatissam, officiales archiepiscopi, episcopi, canonicum metropolitanæ vel cathedralis ecclesiæ, per se vel per alium diffidaverit seu diffidari mandaverit, publice, vel occulte, vel factum ab aliis nomine suo, ratum habuerit, autoritate præsentis concilii excommunicationis sententiam

incurrant ipso facto. Quod si post diffidium factum per præmissas personas, vel alias, processum fuerit, vel ipsorum nomine, vel ratum habentibus, vel hac occasione per consanguineos amicos, familiares ipsorum, contra personam archiepiscopi, episcoporum, vel per alias personas quas in castris vel locis suis scienter receptaverint, aliqualem injuriam fecerint, seu bona ipsorum capiendo, castra, villas, domos, & loca occupando, terram ipsorum, vel ecclesiæ, domos & loca incendendo, homines ecclesiæ damnificando, mutilando, interficiendo, capiendo, vel ipsos bonis spoliando, familiares, consanguineos prædictarum personarum ecclesiasticarum in injuriam ipsarum capiendo, incarcerãdo, injuriando, bonis suis spoliando in casibus præmissis, & quolibet præmissorum: præter sententiam excommunicationis, quam autoritate præsentis concilii propter præmissa incurrerint, terra, quam in nostra provincia obtinent, autoritate præsentis cõcilii sit supposita ecclesiastico interdicto: statuentes eadem approbatione, quod si terra diffidantium, quæ propter præmissa fuerit interdicta, ultra unam diœcesim protẽdatur, quilibet suffraganeus nostræ provinciæ ad mandatum nostrum, sive diœcesani in cujus diœcesi delictum fuerit perpetratum, prædictum interdictum reservare teneatur, & a suis subditis facere observari: & qui propter præmissa sententiam incurrerit, vel ejus terra fuerit supposita ecclesiastico interdicto, a sententia nullatenus absolvatur, nec interdictum relaxetur, nisi prius de damnis, injuriis & offensis, personis & ecclesiæ satisfecerint competẽter. Quod si persona ecclesiastica fuerit, quæ archiepiscopum, episcopum diffidaverit per modum superius expressatum, & post diffidium processerit in casibus præmissis, vel aliquo præmissorum: si prælatus sit regularis, vel sæcularis, seu alia persona ecclesiastica, quæ dignitatem, personatum officium, beneficium, canonicatum, præbẽdam, administrationem, in nostra provincia obtineat; prælatura, dignitate, prioratu, beneficio, officio, canonicatu, præbenda, prioratu, administratione, præsentis autoritate concilii, sit privatus, & inhabilis perpetuo ad alia beneficia obtinenda. Quod si beneficium non habuerit, sit etiam inhabilis perpetuo in nostra provincia ad beneficiũ ecclesiasticum obtinendum: itaque ‟ qui tali inhabili propter præmissa contulerit scienter beneficium, sit excommunicatus ipso facto. Si vero regularis fuerit, qui abbatem, vel abbatissam propriam diffidaverit per modum superius expressatum: beneficio, officio, prioratu, administratione, si quam habuerit, sit privatus: quod si beneficium non habuerit, sit inhabilis ad beneficium ecclesiasticum obtinendum. Si vero aliam personam diffidaverit ecclesiasticam, per se vel alium, ut superius est expressum, & si post diffidium processerit in aliquibus præmissis, vel aliquo præmissorum, sententiam excommunicationis incurrat ipso facto. Et ulterius procedatur contra eum secundum tenorem statutorum, & secundum quantitatem & qualitatem delicti, prout superiori videbitur faciendum.

ʺ*f.* ita quod

XXVII. *De iisdem.*

Verum quia nonnulli domini temporales, baillivi, præpositi, senescalli, capitanei, servientes & allocati, & alii, ad illicita manus laxant, personas ecclesiasticas, tam sæculares quam regulares, capiendo quamplurimum sine causa, incarceratas seu imprisionatas detinent, & quandoque ipsas restituere contradicunt. Ideoque sacro approbante concilio, prohibemus, ne quis dominus temporalis, baillivus, præpositus, senescallus, capitaneus, serviens & allocatus, vel quicumque alius, clericum vel aliam personam ecclesiasticam, regularem vel sæcularem, capiat sine causa, nec tunc retineat, sed restituat suo judici cum informationibus & bonis, quæ cum ipso reperta fuerint, ad quem spectat cognitio puniendi. Si quis vero clericum vel personas ecclesiasticas incarceras, vel imprisionatas detinuerit, & requisitus non restituerit una cum bonis & informationibus legitimis; sive sit dux, princeps, comes, baro, nobilis, sive dominus temporalis, baillivus, senescallus, præpositus, serviens & allocatus, capitaneus, vel quæcumque alia persona ecclesiastica, regularis vel sæcularis, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto: & extunc in parochia in qua detinebitur dictus clericus, vel persona ecclesiastica, vel etiam transferetur, quandiu ibi detinebitur, cessetur penitus a Divinis absque ulla monitione vel præcepto, postquam curato constiterit, vel illi qui habet gubernare parochiam, quod clericus incarceratus, fuerit requisitus, & post requisitionem legitimam infra unam diem naturalem non fuerit restitutus. Quod si ille qui clericum vel personam ecclesiasticam detinebit, sive ejus baillivus, senescallus, præpositus, non possit tute adiri, vel alias nequeat inveniri: moneatur in ecclesia cathedrali publice, quod clericum vel personam ecclesiasticam restituat cum bonis suis & informationibus, ut superius est expressum, infra certum tempus superioris arbitrio, in cujus civitate vel diœcesi clericus detẽtus, fuerit incarceratus, moderandum: quæ monitio arctet monitum, ac si alias esset legitime monitus, & personaliter apprehensus. Quod si infra prædi-

ANNO CHRISTI 1365.

prædictum tempus, persona ecclesiastica, A vel clericus captus vel incarceratus, restitutus non fuerit lapso termino: autoritate præsentis concilii, pœnis subjaceat supradictis, & cessetur in locis quibus detinebitur vel transferetur, a Divinis, ut superius est expressum. * Contra præsentem constitutionem nostram cessatione durante immiscuerit se Divinis, in casibus a jure non permissis, si collegium fuerit sæcularium vel regularium personarum, singulares personæ ipsius, vel aliæ personæ singulares, rectores eccle- B siarum, & quæcumque aliæ, etiamsi fuerint regulares, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto. Aliis statutis prædecessorum nostrorum contra tales promulgatis, in suo robore duraturis.

* Deest hic, Quod si

XXVIII. *De exactionibus.*

Autoritate præsentis concilii prohibemus, ne aliqua persona ecclesiastica vel sæcularis, impositionis, seu exactionis tributa, subsidia, vel aliquas novas impositiones, a personis ecclesiasticis, terris, vel hominibus C ecclesiæ, de novo exigat. Qui vero contrarium fecerit, etiamsi dux, princeps, baro, vel alia quæcumque persona, quacumque præfulgeat dignitate, qui præmissa de novo imposuerit personis ecclesiasticis, vel hominibus ecclesiæ, sine consensu illorum ad quos spectat, vel præmissa exegerit, per se vel alium, etiamsi naulum sit de novo impositum nomine suo, vel alieno, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto. Et locus illius domini vel principis in quo impositum fuerit, autoritate præsentis concilii eo ipso sit suppositus ecclesiastico in- D terdicto: & postquam notorium fuerit, quod impositiones de novo fuerint impositæ, exactiones, tributa, subsidia, vel aliæ servitutes in terris, vel hominibus ecclesiæ, extunc omnino in loco illius qui imposuerit, vel levaverit, servetur interdictum, nullo alio mandato expectato. Novas exactiones, servitutes, naulum intelligimus in hoc casu, quorum impositio sive exactio memoriam hominum non excedit.

XXIX. *De immunitatibus ecclesiæ.*

Cum jure canonico caveatur, quod qui E de cætero servare fecerint statuta, edicta, & consuetudines introductas contra ecclesiæ libertatem, statutarii, & scriptores statutorum ipsorum, necnon potestates, consules, rectores & consiliarii locorum, ut hujusmodi statuta, & consuetudines, de cætero edita fuerint, vel servata; necnon illi qui secundum illa judicare præsumpserint, vel in formam publicam scribere judicata, excommunicationis sententiæ debeant subjacere: nonnulli propriæ salutis obliti, & suæ verecundiæ non parentes, juris sententiam verborum amplexu non sine fraude circumvenire nituntur, non statuta ut asserunt, banna tamen faciunt proclamari, præcepta & prohibitiones inducunt, quod non est dubium in libertatis ecclesiæ præjudicium redundare. Nos itaque fraudibus malignorum, quas circa hoc adhibitas fuisse cognovimus, obviare volentes, statuimus, ut quicumque suo nomine, vel etiam alieno, cujuscumque gradus vel conditionis existant, contra ipsius ecclesiæ libertatem, banna, prohibitiones, sive præcepta fecerint, aut fieri procuraverint, sive facientibus consilium dederint, vel favorem, excommunicationis sententia sint ligati. Qui vero contra ecclesiasticas antiquas consuetudines rationabiles approbatas, & hactenus pacifice observatas, statuta, banna, prohibitiones aut præcepta scienter fecerint, aut procuraverint, sive jam facta servaverint, aut servari fecerint, seu facientibus aut servantibus, in hoc consilium vel opem præstiterint: excommunicationis sententia, quam extunc in ipsos proferimus, sint ligati.

ANNO CHRISTI 1365.

XXX. *De adulteriis.*

Perpetuo statuto prohibemus, ne aliquis, cujuscumque status vel conditionis existat, sive persona ecclesiastica, sæcularisve fuerit, in nostra provincia de cætero notorie teneat concubinam. Contrarium vero facientes, necnon adulteros notorios, excommunicationis sententia innodamus.

XXXI. *De sententia excommunicationis.*

Prohibemus, ne quis in nostra provincia sententiam excommunicationis latam per quemcumque judicem ordinarium sive delegatum, ad ejus instantiam occultam teneat, sed ipsam infra mensem a tempore quo lata fuerit, faciat publicari. Quod si infra prædictum tempus non fecerit publicari, pœnam viginti solidorum incurrat, in piis operibus convertendorum.

XXXII. *De publicatione præsentis concilii.*

Præterea ne quis super pœnis in præsenti concilio statutis, prætextu ignorantiæ se valeat excusare: statuimus, & etiam ordinamus, quod rectores ecclesiarum quarumlibet provinciæ Turonensis, statuta in præsenti concilio ordinata, perpetuo, anno quolibet prima die Dominica in Adventu Domini, die Dominica in Quadragesima, die Dominica in Passione, die Dominica post Pentecosten Domini, die Dominica post festum Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, per se vel per alios, in suis ecclesiis publicent populo congregato & lingua materna sufficienter exponant; dum ibidem Divina

ANNO CHRISTI 1365.

vina contigerit officia celebrari, pœna unius marchæ argenti a quolibet qui defecerit in præmissis per ordinarium exigenda, & in pios usus convertenda.

XXXIII. *Quando liceat in domibus seu capellis celebrare.*

Item autoritate præsentis concilii statuimus & etiam ordinamus, quod quotiescumque per aliquem episcopum alicui nobili, vel aliæ personæ sæculari, celebrandi Divina officia in domibus suis vel capellis licentiam contigerit impartiri, quod illæ sex dies, scilicet prima dies Dominica in Adventu Domini, Dominica post Epiphaniam, prima Dominica in Quadragesima, Dominica in Passione Domini, Dominica post Pentecostē Domini, Dominica post festum Assumptionis B. Mariæ virginis, ab ista concessione generali sint exceptæ: in quibus sex diebus, per nullum poterit in dictis domibus, seu capellis celebrari, nisi per rectorem parochialis ecclesiæ, vel ejus capellanum, vel alium de madato ejusdem rectoris, qui in ipsorum nobilium, & aliorum prædictorum præsentia, præmissa capitula tenebuntur publicare, dum Divina dictis diebus inibi celebrabunt, ne velamento alicujus ignorantiæ super hoc se valeant excusare. Et concessa ad præsens indulgentia quantum ad hos sex dies restringatur.

XXXIV. *De potestate absoluendi.*

In omnibus autem casibus in quibus excommunicationum, suspensionum, vel interdictorum sententias duximus in præsenti concilio promulgandas, cuilibet episcopo in suis civitate & diœcesi absolvendi hujusmodi excommunicationem & suspensionem & interdictum hujusmodi relaxandi in forma ecclesiæ, autoritate concilii concedimus potestatem.

ANNO CHRISTI 1368.

CONCILIVM VAVRENSE,

A trium provinciarum episcopis celebratum, anno Domini MCCCLXVIII.

Ex MS. codice illustrissimi Franc. Bosqueti Monspeliensis episcopi cujus copiam nobis hun anissime fecit. Prævias tamen epistolas habemus ex una St. Baluzii V. Cl. editione inter concilia Galliæ Narbonensis

Vrbani PP. V. litteræ ad Petrum Narbonensem archiepiscopum, de celebrando provinciæ suæ concilio.

Vrbanus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Narbonensi, salutem & apostolicam benedictionem.

SAcrorum canonum testatur autoritas, quod olim sancti patres, tam Romani pontifices, quam alii ecclesiarum prælati, curam solertem super gregem Dominicum exercentes, de celebrandis conciliis, in quibus de extirpandis vitiis & plantandis virtutibus tam in clero quam populo, ac de conservanda libertate ecclesiastica, de statu quoque ecclesiarum & piorum locorum dirigendo, salubriter agebatur, fuerunt plurimum studiosi, ex iisque status ecclesiasticus in spiritualibus & temporalibus multum crevit. Sed, proh dolor! succrescente paulatim prælatorum desidia, omissaque continuatione conciliorum hujusmodi, pullulant vitia, crescit indevotio populi, præfata libertas minuitur, cultus Divinus negligitur, irrogantur a laicis clero gravamina, & in tēporalibus bonis ad Divinū deputatis obsequium sentitur non modicū detrimentū. Optantes igitur quod tantis malis in tua provincia per salubrem tuā ac tuorū fratrum providentiā occurratur, fraternitatem tuam apostolicæ solicitudinis studio excitamus, ac requirimus, & hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus concilium tuæ provinciæ, in quo de iis quæ pro laude Dei ac utilitate ecclesiarum & piorum locorum, necnon cleri & populi, fuerint utilia & opportuna, provida examinatione tractetur & provideatur, quam cito commode poteris, studeas convocare; nobis de convocatione hujusmodi, cum eam feceris, & demum de gestis in eodem concilio rescripturus, ac tu & suffraganei tui favorem apostolicum, in iis in quibus illum reputabitis utilem, fiducialiter postuletis. Datum Avenioni VII. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

Ejusdem epistola ad Petrum archiepiscopum Narbonensem & Gaffredum Tolosanensem, quibus eis permittit ut concilium suarum provinciarum simul celebrent.

Vrbanus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Narbonensi, & Tolosanensi archiepiscopis, salutem & apostolicam benedictionem.

EX parte vestra fuit nobis expositum, quod in convocatione concilii provincialis suffraganeorum vestrorum, super quo celebrando cuilibet vestrum nuper direximus scripta nostra, intenditis, quā cito commode poteritis, nostris jussionibus obedire: sed ex certis causis, nobis pro parte vestra expositis, cupitis cum nostro beneplacito dictum concilium invicem celebrare. Nos igitur votis vestris hujusmodi benignum præbentes assensum, quod dictum concilium in loco de quo vestræ circumspectioni videbitur, insimul celebrare possitis, & ad ipsum locum vestros suffraganeos, non obstante quod eorum aliqui extra suam convocentur provinciam, convocare, tenore præsentium consentimus, & vobis tribuimus facultatem. Datum Avinioni v. Idus Martii, pontificatus nostri anno tertio.

Petri archiepiscopi Narbonensis epistola ad Gaucelinum episcopum Magalonensem, qua eum evocat ad concilium Vaurense.

Petrus miseratione Divina sanctæ primæ sedis Narbonensis archiepiscopus & primas, venerabili fratri Gaucelino eadem gratia episcopo Magalonensi suffraganeo nostro, vel ejus vicariis generalibus in ipsius absentia, salutem & sinceram in Domino caritatem.

INter assiduas curas & solicitudines quæ ministerio nostro incumbunt, de salubri statu ecclesiarum & monasteriorū nostrarum civitatis, diœcesis, ac provinciæ, necnon & gregis nobis commissi, solicite cogitare

ANNO CHRISTI 1368.

cogitare nos convenit, ut in ipsis vigeat tranquillæ beatitudo quietis, pacisque, salutis, & libertatis gratia nutriatur; & quæ in eisdem non absque dispendio ministrorum & cultus detrimento Divini servare novimus, per appositionem congrui moderaminis in melius reformemus: & tandem *officii nostri debitum in actibus dirigendis, veritatem imitantes, lucem amantes, libenter evitare nodosæ ambiguitatis *volucrum anhelamus, illamq; semper in nostris ordinationibus servare cautelam intendimus, ut de ipsis proveniat commodum, adeo quod aliis non immineat detrimentum. Cum igitur pro quibusdam arduis negotiis, civitatem, diœcesim, & provinciam nostras, necnon & libertatem ecclesiasticam tangentibus, super quibus ad debitam provisionem & reformationem una vobiscum & aliis suffraganeis nostris intendimus, concedente Altissimo, interponere solicitudinis nostræ partes, præsertim cum tangatur communiter status ecclesiarum & monasteriorum, aliorumque piorum locorum nostrarum civitatis, diœcesis, & provinciæ prædictarum, provinciale concilium ordinavimus & determinavimus convocandum, videlicet die XXVII. mensis Maii proxime futuri, in qua erit vigilia Pentecostes, apud civitatem Vaurensem, in ecclesia cathedrali. In quo etiam intererunt, & una nobiscum provinciale concilium hujusmodi celebrabunt, reverendissimi in Christo patres, domini, Arnaldus Auxitanus, & Gaffredus Tolosan. Archiepiscopi, seu eorum vicarii generales, ad hæc speciale mandatum habentes, cum omnibus ipsorum dominorum archiepiscoporum & cujuslibet ipsorum suffraganeis, eorumque capitulis, abbatibus, collegiis, prioribus, decanis, archidiaconis, atque præpositis, & clero universo suarum civitatum, diœcesum, provinciarum, etiamsi sint exempti, cum de negotiis atque dubiis fidem catholicam tangentibus habeamus pertractare. Ac etiam quia hoc provinciale concilium, nos & ipsi domini archiepiscopi, in loco & ecclesia Vaurensi prædictis celebrabimus de communi concordia & conscientia, beneplacito ac etiam expressa voluntate atque mandato sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Vrbani Divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ summi pontificis hodie præsidentis, ac etiam licentia super hoc ab eo, quoad convocationem exemptorum, nostrum trium archiepiscoporum, nostrorumque suffraganeorum & cæterorum dictarum provinciarum congregationem sive unionem, & vos aliosque suffraganeos, nostrosque alios subditos dictæ provinciæ, extra eandem convocandi nobis aliisque dominis archiepiscopis supradictis, tam vivæ vocis oraculo, quam litteratorie cum bulla, ista vice specialiter attributa. Eapropter vos tenore præsentium monemus ac etiam exhortamur, ut una nobiscum die ac loco prædictis, in dicto provinciali concilio Deo præside celebrando, ad quod concilium præfatos diem & locum cum diebus sequentibus, quos ad hoc continuare vel prorogare contigerit, vobis & aliis præcise & peremptorie assignamus, personaliter comparere curetis, vosque ad id præsentium tenore citamus. Mandantes vobis insuper, quatenus interim citetis & peremptorie, tam autoritate apostolica quam nostra, tempore congruo omnes & singulos abbates, priores, decanos, archidiaconos, atque præpositos ecclesiarum collegiatarum & monasteriorum regularium & etiam sæcularium, & alias personas ecclesiasticas, regulares & sæculares, exemptas & non exemptas, cujuscumque status, ordinis, & conditionis existant, etiam Cluniacensis, Cisterciensis, Præmonstratensis, Carthusiensis, Grandimontensis, sanctorum Benedicti & Augustini, aliorumque ordinum hic non expressatorum, quos habere volumus pro expressis, ut personaliter. Conventus vero, capitula, collegia vestrarum civitatum & diœcesum, per procuratores idoneos ad hoc legitime & specialiter constitutos, cum sufficienti & speciali mandato, in ipso provinciali concilio compareant dicta die, inibi continue moraturi, donec ea quæ in dicto concilio tractanda fuerint ad honorem Dei, provisionem ecclesiarum & monasteriorum, profectum animarum, & utilitatem subditorum provinciæ antedictæ, per dicti concilii providentiam finem debitum sortiantur. Ne vero dicti abbates, priores, decani, archidiaconi, & præpositi, etiam exempti, ut supra, & alii vestri subditi, quos præsens tangit seu tangere potest negotium, qui debent & consueverunt in dictis conciliis interesse de usu, consuetudine, vel de jure, ignorantiam valeant quovis modo prætendere de præmissis: præsentes nostras litteras seu earum transumptum in forma publica conscriptum, in vestra ecclesia & alibi, ubi expediens vobis videbitur, interim sæpius & frequenter publicare & denunciare curetis. Vt autem superfluitatum & pomparum inanium jactantiam præcludamus: vobis tenore præsentium inhibemus, sub virtute sanctæ obedientiæ injungentes, ne ultra decem equitaturas & duos saumerios sive gerulos pro vobis & vestra familia adducatis, cum ad dictum provinciale concilium venietis; abbatibus vestræ diœcesis, etiam exemptis, injungentes ex parte sedis apostolicæ atque nostra, quod ultra quinque equitaturas ad plus & unum saumerium seu gerulum secum adducere non præsumant; cæteri vero qui venire voluerint, cum paucis & moderatis expensis veniant: si vos, abbates prædicti, & etiam alii, reprehensionis nostræ aculeos de inobedientia volueritis evitare. Reddentes præsentes litteras portitori sigillo vestro impendenti sigillatas, in signum receptionis earum. De omnibus vero & singulis præsentationibus, publicationibus, atque citationibus, quas fieri facietis, volumus quod faciatis recipi, & ex causa, unum vel plura publica instrumenta. Datum in castro de Claromonte nostræ diœcesis die XXVIII. mensis Aprilis, anno Domini MCCCLXVIII. Ita facimus. P. Narbonensis.

* f. juxta off.

* f. involucrum

Ejusdem epistolæ ad cæteros episcopos provinciæ Narbonensis, quibus eos evocat ad concilium. Cum responsionibus quorumdam.

PEtrus &c. ven. f. I. eadem gratia episcopo Carcassonensi &c. *ut in superiore.* Datum ut supra.

Reverendissimo in Christo patri & domino domino P. miseratione Divina primæ sanctæ sedis Narbonensis archiepiscopo & primati, domino suo præcarissimo.

Reverendissime pater & domine præcarissime. Humili recommendatione præmissa, noverit vestra paternitas reverenda, me die datæ præsentium vestras litteras cum reverentia recepisse, promptum & paratum me offerentem facere & complere, quæ in ipsis vestris litteris continentur. Paternitatem eandem, quæ mihi præcipiat quæ grata, conservet Altissimus in longævum. Scriptum Carcassonæ die VI. Maii. Per vestrum I. episcopum Carcassonensem.

Petrus &c. ven. f. I. Nemausensi eadem gratia episcopo &c. *ut in superioribus.* Datum ut supra.

Petrus &c. ven. f. P. eadem gratia episcopo Elnensi &c. *ut in superioribus.* Datum ut supra.

Petrus &c. ven. f. I. eadem gratia episcopo S. Poncii Thomeriarum &c. *ut in super.* Datum ut sup.

Petrus

ANNO CHRISTI 1368.

Petrus &c. ven. fr. A. eadem gratia Lodovensi episcopo &c. *ut in superioribus.* Datum ut supra.

Reverendissimo patri in Christo ac domino, domino P. Divina providentia primæ sedis Narbonensis archiepiscopo & primati.

Reverendissime pater ac domine, per latorem præsentium duas vestras litteras, unam videlicet clausam, & aliam apertam, sigillo vestro magno impendenti sigillatam, cum qua decet reverentia recepimus; quas, Deo duce, executioni demandabimus, ut tenemur. Et insuper, juxta votum vestrum, idem V. lator unum florenum habuit pro labore. Statum vestrum in agendis Altissimus dirigat & conservet. Scriptum Lodovæ die IX. mensis Maii.

Totus vester Ay. suffraganeus episcopus Lodovensis.

Petrus &c. ven. f. B. Vticensi episcopo suffraganeo nostro &c. *ut in superioribus.* Datum ut supra.

Reverendissimo in Christo patri & domino domino P. Dei gratia archiepiscopo & primati sanctæ & primæ sedis Narbonensis, dominoque suo præcarissimo.

Reverendissime pater, vestras litteras recepi decima die Maii, cum ea qua decuit reverentia, in absentia domini mei Vticensis episcopi, qui est absens a civitate Vcetiæ: est tamen infra diœcesim, in quodam castro suo, ex causis nunc silentio commendandis, quandoque vestræ reverendissimæ paternitati explicandis. Significo autem vestræ paternitati reverendissimæ, quod vestras litteras & contenta in eis, ut diligentius potero, executioni fideliter demandabo. Præsentium etiam portitori tradi feci unum francum & duos florenos auri, de quibus scripsistis. Reverendissimam paternitatem vestram, cui me humiliter recommendo, conservare dignetur Altissimus, cum multiplicatis progressibus in sancto regimine ac sanctæ ecclesiæ Narbonensis per tempora peroptata. Scriptum Vcetiæ die XI. Maii.

Vester humilis servitor Blancus Duriane prior S. Baudilii prope Nemausum, vicarius generalis ac officialis Vticensis.

Petrus &c. venerabilibus ac religiosis & prudentibus viris præposito & capitulo Magalonensi &c. Datum ut supra.

In eumdem modum scriptum est capitulis Nemausensi, Helenensi, sancti Portii Thomeriarum, Biterrensi, & archipresbyteris Narbonensi & Termenesii Narbonensis diœcesis, mutatis mutandis.

CONSTITVTIONES EDITAE in concilio Vaurensi.

Incipiunt novæ constitutiones editæ in concilio Vaurensi anno infrascripto, præsidentibus ibidem reverendissimis in Christo patribus & dominis, dominis, Petro Narbonensi, & Gaffredo Tolosano, Dei gratia archiepiscopis, & Philippo eadem gratia abbate Soricinii, vicario generali reverendissimi in Christo patris domini Arnaldi eadem gratia archiepiscopi Auxitani, ab eodem ad infrascripta potestatem habente.

TITVLI CAPITVM.

35.

ANNO CHRISTI 1368.

35. *Quomodo qui per vim aut metum se absolvi faciunt, alia censura arceantur.*

36. *Ne judices temporales, clericos in actionibus personalibus ipsis respondere compellant, nec de cēsura, an justa vel injusta sit lata, cognoscāt: & de pœnis eorūdē.*

37. *Ne ad publica officia excommunicati publice admittantur.*

38. *Qualiter capti clerici per temporales, curiæ ecclesiasticæ remitti honeste debeant, & sine ulla innovatione facta in personis captorum. Contra facientes pœna hic contenta puniantur.*

39. *Prorogatio jurisdictionis in invasores & occupatores ecclesiasticorū bonorum, & sententiā exercendo.*

40. *Super causis mere spiritualibus, aut de jure vel consuetudine ad forum ecclesiæ pertinentibus, judex ecclesiasticus cognoscat, sæcularis judex arceri possit.*

41. *Quod de omnibus contractibus, tam vassallaticis, quam emphiteotecariis, duo fiant publica instrumēta.*

42. *Ne apud creditores instrumenta remaneant, postquam eis fuerit satisfactū, pœna cōtra eos imminēte.*

43. *Vassalli ecclesiæ, vel emphiteotæ, in alium transferendo res vassallaticas, in contractu exprimant qualiter ab ecclesia teneant. Quod si omittant dicere, pœna excommunicationis puniantur.*

44. *Super juramento præstito a laico, ut ipse & ejus heredes coram judice ecclesiastico pro ejus observatione valeant conveniri.*

45. *Quomodo juramentum præstitum moniti servare per judicem ecclesiasticum teneantur: & qualiter contra eos processum existat.*

46. *De capis portandis per canonicos ecclesiarum cathedralium & collegiatarum in Divinis officiis.*

47. *Quomodo se habeant in vestibus portandis in ecclesia dignitatem habentes.*

48. *De familiaribus & scutiferis episcoporum, in vestibus portandis, quales portare teneantur.*

49. *Ne personæ ecclesiasticæ temporalem jurisdictionem habentes, malefactores recept ent.*

50. *Qualiter canonici in eorum ecclesiis residentes, juxta eorum gradum officiare teneantur: & si non faciant, qualiter puniantur.*

51. *Plena provisio, in quo statu debet succedens in beneficio ecclesiam retinere.*

52. *De distributionibus percipiendis quotidianis, interessentibus in Divinis.*

53. *Quomodo & per quem bona ecclesiastica vacantia custodiantur, prælato decedente.*

54. *Pœna imposita contra occupatores bonorum ecclesiæ, sede vacante.*

55. *Quomodo clerici & laici puniantur, qui sede vacante, bona ecclesiæ saisiri faciunt, aut præsumunt.*

56. *Per quos, administratores ecclesiæ vacantis eligantur, & qualiter in administratione se habeant, plene providetur.*

57. *Baillivia & scribania ad prælatos spectantes, ad voluntatem, non ad vitam, conferantur.*

58. *Bona ecclesiæ quæcumque ad sigillum cujuscumque domini temporalis minime obligentur.*

59. *Ne quis bona clericorum in ædem sacram deposita sub banno ponere præsumat*

60. *Quomodo & qualiter ordinarii in exequendo ultimam voluntatem habere se debeant, & quem processum in eisdem habeant exercere.*

61. *Prælati in vita vel in morte, ecclesiæ cui præfuerint, certam capellā, ad summā designatam hic, relinquāt.*

62. *Curati in suorum parochianorum voluntatibus ultimis, si commode vocari possint, assistant. Et qualiter notarii in manifestando dictas ultimas voluntates habere se debeant. Et per quem legata incerta & quomodo distribuenda existant.*

63. *Super sepultura inter duas ecclesias orta dissensione, qualem processum habeat exercere ordinarius.*

64. *De corporibus defunctorum, eorum ecclesiis præsentandis, si consuetudo habeatur.*

65. *Quam portionem curati ecclesiarum habere debeant in deposito funere, quousque alibi in electa sepultura tumuletur.*

66. *Mandatur ut decretalis* Super cathedram *penitus observetur.*

67. *Ne religiosi aut alii prædicent, quo minus a solutione decimarum aliquis retrahatur.*

68. *Cuicumque liberum existit domos aut horrea locare pro decimis recondendis, & eas arrendare libere, & pro arrendatoribus fidejubere, prohibitione dominorum temporalium non obstante: gravi pœna contra eos imminente.*

69. *De quibus rebus vera decima exsolvatur, consuetudine quavis non obstante.*

70. *Ut nullus res decimandas abinde extrahat, quousque decimantes fuerint convocati ad effectum.*

71. *Qualiter infideles ad baptismum admittantur.*

72. *Quomodo regulares apostatantes puniantur, & etiam dantes eisdem consilium aut juvamen.*

73. *Quomodo exempti, in prioratibus non exemptis delinquentes, per ordinarios puniantur.*

74. *Religiosi mendicantes ad aliam religionem non mendicantem assumpti, prohibetur prælatus pensiones eis assignare; pœna prælato eidem imminente.*

75. *Si curati ecclesiarum sustentari de redditibus suarum ecclesiarum non valent, percipientes decimas per ordinarios compellantur, ut abunde sustententur.*

76. *Laici qui jus patronatus in ecclesiis parochialibus habere se asserentes, eas tenent occupatas, dimittere easdē teneantur, & per ordinarios ad hoc cōpellātur.*

77. *Ut nullus per sæcularis alicujus potentiam ad beneficium ecclesiasticum admittatur.*

78. *Ad Divina celebranda præsentatus, non admittatur, nisi ordinarii licentia petita & obtenta.*

79. *De cōtributione expensarū inter beneficiatos fienda pro legatione ordinariorum, aut pro litigio subsecuto.*

80. *Pro juribus ecclesiarum pauperum defendendis, per clerum ejus diœcesis contributio fiat.*

81. *Licitum sit presbytero celebrare volenti, cuicumque presbytero confiteri, si proprii confessoris præsentia non assistat.*

82. *Ne sacerdos celebrare præsumat cum suo filio illegitime procreato.*

83. *Clericus, cum superpellicio indutus, sacerdoti celebranti deserviat in obsequio Divinorum.*

84. *Parochiani utriusque sexus, Dominicis diebus & festivis integras debent audire Missas.*

85. *Qualiter eucharistia & chrisma diligenter custodiantur, & qualiter renoventur; & de pœnis contra non facientes.*

86. *Quomodo fontes baptismales custodiantur, & claudantur; & ad quem clausura fienda eorumdem pertinere dinoscatur.*

87. *De indulgentiis concessis corpus Christi associantibus, cum infirmis asportatur.*

88. *Qualiter novæ reliquiæ venerentur: & antiquæ extra vasa minime ostendantur.*

89. *In diebus jejunii vel abstinentiæ, carnes non comedantur: pœna contra facientes imminente.*

90. *Diebus sabbatinis ab esu carnium abstineant clerici, nisi in necessitatibus, aut in die a jure exceptato.*

91. *Omnes utriusque sexus parochiani ecclesiarum moneri debeant ut ecclesias ædificent, aut reparent; & qualiter in ecclesiis ruralibus, diebus Dominicis, ibidem celebretur; & qui eleemosynas dederint, indulgentiam consequantur.*

92. *Exempti oratoria non erigant sine licentia ordinariorum petita & obtenta.*

ANNO CHRISTI 1368.

93. De pœna eorum qui ab immunitate ecclesiarum, vel a domibus episcoporum, ad easdem profugientes abstrahunt, mutilant, aut vulnerant, aut impediunt quo minus libere exire possint.
94. Qualiter clericus, clericum in judicio sæculari convocans, puniatur.
95. Qualiter temporales domini puniantur, qui subditos eorum prohibent ne victualia aut necessaria clericis ministrentur.
96. Contra libertatem ecclesiasticam quovis modo acquisitam facientes, & personis ecclesiasticis & eorum bonis onera imponentes, submissionemque facere coacte procurantes, pœna hic statuta puniantur.
97. Personæ ecclesiasticæ blada & vina sua portare ubi volunt possint, statuto laicorum non obstante; pœna statuentibus imminente.
98. Ne personis ecclesiasticis per temporales justitia denegetur: alias, censura ecclesiastica puniantur.
99. Bona personarum ecclesiasticarum, quæ ab ipsis tenentur, ad collectas per laicos imponendas per eos minime quovis modo compellantur.
100. Hospitalibus, pro eorū bonis pauperibus deputatis, quod aliqua indictio seu quæsta minime imponatur.
101. Dominis temporalibus pœna infligitur, prohibentibus ne decimæ exsolvantur.
102. Ut officiales dominorum episcoporum, & eorum locatenentes, ab omni injuria præserventur.
103. Non valet statutum laicorum ne decimæ exsolvantur, aut in ecclesia non offeratur, aut in ultima voluntate aliquid relinquatur.
104. Qui nuncios curiarum ecclesiasticarum impediunt quo minus libere mandata curiæ exequantur, gravissime puniantur.
105. Bona quæcumque ad personas ecclesiasticas & ad loca pia pertinentia deprædari, occupari, invadi, rapi, impediri, detineri, pignorari, plagiari, inquietari, perturbari, per dominos temporales non debent; & facta statuta contra libertates ecclesiæ & earum aliquas observantias, nullius efficaciæ consistere debent; nec quamvis indictionem dictis bonis imponere debent. Et modus procedendi rigorosus contra tales hic expresse repetitur.
106. Prohibentur temporales domini manum apponere in in bonis ecclesiasticis seu personarum ecclesiasticarum quibuscumque, nec ea arrestare & bannire posse: & ad jura ecclesiarum & locorum, ejusdem fit extensio. Hæc continet constitutio.
107. Si pro injuria illata prælatis ecclesiarū, & personis ecclesiasticis, contingat fieri collecta, indictio pro ejusdem injuriæ persecutione: modum contribuendi, & per quos fiat exactio, indicit præsens constitutio.
108. Contra diffidantes personas ecclesiasticas, & earum bona, & guerram hostiliter eisdem facientes: ad non faciendum hac constitutione arceantur.
109. Gaudere volentes constitutionibus præsentis concilii, eos ipsis subesse volumus & jubemus.
110. Clandestina matrimonia extra diœcesim contrahentes sine licentia rectoris, excommunicentur, & alias extraordinarie puniantur.
111. Personæ de ecclesiis cathedralibus vel collegiatis ad studium mitti debent theologiæ vel juris canonici: & ipsis negligentibus, ad superiores sic mittendi sit translata potestas.
112. Quod Judæi signa portare debent, ut a Christianis dinoscantur.
113. Christiana liberos Judæorum nutrire non debet, nec alias cum ipsis habitare.
114. Ad Judæos Christiani non recurrant pro medicina quacumque eorum capienda, nisi maxima necessitas immineret.
115. Christiani prohibentur adesse in matrimoniis & sepulturis Judæorum.
116. Clerici & laici prohibentur herbas & alia venenosa dare in mortem alicujus, aut ut abortivus pariatur.
117. De adulteris & concubinariis.
118. Incendiarii & raptores publici sint excommunicati, & careant ecclesiastica sepultura.
119. Non revelantes instrumenta publica vel alia documenta ad ecclesias pertinentia, tenentur pœna hic contenta.
120. Qui usuras solvere aut repetere prohibent, excommunicati publice nuncientur.
121. Qualiter contra exemptos & privilegiatos suis privilegiis abutentes procedatur.
122. Quomodo procedatur contra capientes episcopum aut prælatum, aut eorum occisores, & dantes in præmissis consilium vel juvamen.
123. Convenientibus ad Missam beatæ Mariæ in diebus sabbatinis, indulgentia est concessa.
124. Omnibus Christianis provinciarum antedictarum & diœcesum, orantibus pro domino nostro papa, est indulgentia concessa.
125. Quod quæstores quicumque sine litteris ordinariorum minime recipiantur, nec ad prædicandum admittantur.
126. Ut ordinarii in casibus reservatis deputent idoneos confessores.
127. Indulgentia conceditur dicentibus quinquies Pater noster, & septies Ave Maria, cum campana trahitur pro præmissis.
128. Qui in contemptum ecclesiæ, excommunicationis sententias & interdicti vilipendunt, usurpando sibi sacerdotale officium, sententias fingentes per eos ferri posse in Dei vilipendium, & censuræ ecclesiasticæ opprobrium, pœna hic contenta affligantur.
129. Lata sententia excommunicationis vel interdicti, requisitus ordinarius ab alio eas faciat inviolabiliter observari.
130. In cessatione Divinorum, capitulum Alma mater observetur.
131. A dominis temporalibus, excommunicati, ad unitatem ecclesiæ, per ordinarios requisiti, redire compellantur. Domini temporales requisiti, negligentes, vinculo excommunicationis astringantur: & excommunicati, tempore quo Divina celebrantur, ab ecclesia exire teneantur.
132. Excommunicati ad manus osculum non admittantur, nec in potu pariter, nec in cibo.
133. Confirmatio constitutionum a prædecessoribus archiepiscoporum editarum.

PRÆFATIO.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Ad futuram rei memoriā. In cohærentibus sibi propinquitate locali archiepiscopatibus seu provinciis, solemnium communio statutorum decenter inducitur, opportune quoque ac utiliter custoditur. Honestati namque congruum esse dinoscitur, ut sicut provinciæ ipsæ sunt eorumdem quodammodo confinium mutua confrontatione participes, sic earum incolæ in ...... legitimis observandis sint conformes. Insuper si effectus utilitatis inspicitur, ex ipso paris disciplinæ consortio, dum multis una regiminis proponitur forma seu ratio, quædam inter eos similiter vivendi subsequitur habitudo; hincque procedunt facilius gubernacula præsulum, & felicius proficit

ANNO CHRISTI 1368.

proficit conditio subditorum. Eapropter nos Petrus Narbon. & Gaffredus Tolosan. permissione Divina archiepiscopi, & Philippus eadem permissione abbas Soricinii, vicarius generalis reverendissimi in Christo patris domini Arnaldi Dei gratia archiepiscopi Auxitani, ad infrascripta specialem ac plenariam habens a præfato domino archiepiscopo Auxitano potestatem, illius summi pastoris atque rectoris instructi exemplo, qui, prout ex oraculo prophetici sermonis colligitur, *habitare facit unius moris in domo*, subditorum saluti prospicere, ac extirpatis vitiis virtutes inserere, sanare languida, sana servare, quantum Divina clementia nobis præstante conceditur, juxta pastoralis commissi nobis officii debitum, cupientes: de infrascriptorum reverendorum fratrum coepiscoporum & suffraganeorum nostrorum præsentium, ac procuratorum suffraganeorum nostrarum provinciarum absentium infrascriptorum, consilio & assensu; videlicet nos P. Narbonensis archiepiscopus prædictus, una cum reverendis in Christo patribus dominis H. Biterrensi, I. Carcassonensi, A. Electensi, & generalibus vicariis & procuratoribus dominorum, S. Agathensis, G. Magalonensis, A. Lodovensis, I. sancti Poncii Thomeriarum, I. Nemausensis, B. Vticensis, & P. Elnensis, eadem gratia episcoporum suffraganeorumque nostrorum, ad hoc idoneis & personaliter constitutis: nosque Gaffredus Tolosanus archiepiscopus prædictus, una cum reverendis in Christo patribus, dominis, R. Vaurensi, G. Appamiarum, & G. Lumbariensi, Dei gratia episcopis, & generalibus vicariis & procuratoribus dominorum A. patriarchæ & administratoris ecclesiæ Montisalbanensis, P. Rivensis, P. sancti Papuli, & P. Mirapicensis, gratia etiam prædicta episcoporum, suffraganeorumque nostrorum, ad infrascripta legitime constitutis: nosque etiam Philippus Abbas Soricinii, vicarius generalis reverendissimi in Christo patris domini Arnaldi Auxitani archiepiscopi prædicti, una cum reverendis in Christo patribus, dominis, B. Convenarum, B. Tarviensi, G. Vasatensi, P. Olorensi, & Oddo Lascurrensi, Divina gratia episcopis, & generalibus vicariis & procuratoribus dominorum I. Aquensis, P. Lectorensis, P. Coseranensis, E. Baionensis, & I. Adurensis, gratia prædicta episcoporum, suffraganeorumque ecclesiæ Auxitanæ, ad infrascripta legitime constitutis & sufficienter comparentibus: in ecclesia cathedrali Vaurensi provinciæ Tolosanæ, tam autoritate & de mandato sanctæ sedis apostolicæ, quam nostra ordinaria, provinciale concilium celebrantes, prorogata primo jurisdictione de loco ad locum per nos P. Narbonensem &

Psal. 67.

A G. Tolosanum archiepiscopos ac Philippum abbatem Soricinii generalem vicarium domini, A. archiepiscopi Auxitani supradictos, nostrosque suffraganeos, præsentibus vicariis & procuratoribus supradictis hac vice consentientibus, ad honorem & laudem summæ & unicæ Trinitatis, ac præcelsæ & gloriosissimæ beatæ Mariæ Virginis matris Dei, totiusque collegii supernorum, morum reformationem, coertionem quoque ac correctionem excessuum ac etiam delictorum, & nostrarum & subditorum nostrorum animarum profectum, & statum B ecclesiasticum salubriter conservandum, illius invocato præsidio qui est mentium illustrator, sacro approbante concilio ad infrascripta edenda, seu eorum aliqua innovanda, reformanda, & declaranda, prout inferius continetur, duximus procedendum. Ante omnia verumtamen protestati, quod per hujusmodi subsequentia nostra statuta, alias rationabiliter edita in nostris provinciis supradictis abrogare nequaquam intendimus, nec ipsis etiam derogare: nisi quatenus infrascriptis nostris statutis reperirentur contraria vel adversa, seu per contrarietatem vel aliter obviare. C

ANNO CHRISTI 1368.

CAP. PRIMVM.

De fide catholica, & ut laici de articulis fidei, & aliis ad capessendam æternam salutem necessariis, cum diligentia informentur.

QVoniam, sicut apostolica tradit autoritas, *sine fide impossibile est placere Deo*: idcirco sine fide omnis hominis labor est vacuus. Fides namque, ut Augustinus ait in libro de fide ad Petrum, est bonorum omnium fundamentum: fides est humanæ salutis initium; sine hac nemo potest ad filiorum Dei numerum pertinere: sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam gratiam justificationis consequitur, nec in futuro vitam possidebit æternam. Vnde summopere iis quibus committitur Dominici gregis custodia vigilandum est, & maxima solicitudine providendum, quatenus fides integra, sine ullo perfidiæ vitio, ab omnibus custodiatur solicite. Et est nobis etiam per consequens laborandum, ne in nostris provinciis possit se abusus aliquis subrepere hæreticæ falsitatis. Ignorantia quippe legis Divinæ, & imperitia credendorum, qua turpiter propter nonnullorum ecclesiasticorum incuriam laici simplices involvuntur, & sacerdotes ministros verbi, quibus incumbit alios de fide instruere, reprobationi justissimi Dei reddit obnoxios, juxta illud Prophetæ testimonium: *Quia tu scientiam repulisti, ideo ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*: & ipsos subditos ad bonum facit ignavos & tepidos, & interdum tanquam incautos præcipitat in diversa pericula & errores. Sic sic Dominus ipse conqueritur alibi in Scriptura dicens: *Periit populus meus, quia non habuit scientiam.* Vt igitur tam perniciosæ ignorantiæ & in rectoribus & in subditis occurramus, & per nos ac per fratres nostros suffraganeos parari valeat deinceps Domino plebs perfecta, atque in nostrarum provinciarum civitatibus & diœcesibus doctrina vigeat salutaris: in primis hujus præsentis concilii autoritate statuimus, & nihilo

Heb. 11. D E Osee 4. Isa. 5.

nihilo minus sub pœna excommunicationis præcipimus, quatenus universi & singuli rectores ecclesiarum, in aliqua provinciarum nostrarum consistentium, diebus Dominicis & festivis in suam parochiam ex more ad Divina conveniant, ipsos parochianos suos & subditos, sicut opportunum fuerit, & secundum gratiam ac sufficientiam unicuique a Domino datam, de ipsius fidei nostræ principiis sive articulis, de decem præceptis Divinæ legis, de septem peccatis mortalibus, & si qua sunt alia quorum sit cognitio necessaria ad salutem, non simul quidem de omnibus, sed alternatim & seorsim prout tempus & locus & capacitas auditorum exigent, diligenter instruant & informent. Id ipsum circa ægrotos seu decumbentes servari volumus: ut si videlicet per inquisitionem sacerdotum, quam fieri volumus semper antequam eis sacra communio ministretur, ignorantes in præmissis fuerint deprehensi, ibidem familiariter & peculiariter, præcipue de articulis fidei, & de septem peccatis mortalibus, de quibus eos distincte confiteri necesse est, instruantur: ne forte, si cum ignorantia vincibili eorum quæ scire tenebatur, migret aliquis seu obeat, talem comprehendat Apostoli illa sententia: *Ignorans ignorabitur*: id est, reprobabitur, cum pro tenebris ignorantiæ interioribus, quas propter negligentiam passus est in hoc mundo, in futuro examine in exteriores abyssi tenebras detrudetur. Si quis autem curatus seu rector hoc salubre statutum nostrum præterierit, seu implere & executare neglexerit, aut alias quocumque modo, temerario ausu eidem restiterit: cum de hoc legitime constiterit, ultra indignationem Dei, quam profecto pro tali contemptu incurrerit, volumus & jubemus ut per locorum ordinarios pœnis aliis, sicut plus aut minus meruerit, contemptor hujusmodi percellatur. Sed & nos ipsi, cum ad aliquam ecclesiam nobis subjectam, gratia visitandi, nos, ut est solitum, venire contigerit: informationem & inquisitionem diligentem de præmissis facere intendimus; & id ipsum pari voto fieri volumus per nostros suffraganeos, cum eos consimiliter ecclesias sibi subditas contigerit visitare. Vt autem, sicut habemus in votis seu desiderio, hæc nostra sanctio & constitutio perpetuo ritu & competentius observari valeat & impleri, & ne videamur nostris subditis imponere grave jugum: decrevimus, stilo pleno, breviterque, atque dilucide tradere doctrinam quandam & summam illorum in quibus volumus, ut prædiximus, plebes nobis subditas informari: ut ipsis rectoribus & curatis dicendorum tradatur per nos forma & regula, & etiam ut non sit necesse pro implendo hoc nostro statuto librorum numerositatem evolvere, cui brevitas per nos hic ex dictis doctorum & sanctorum collecta, offert quod quæritur sine labore. Comprehendimus ergo intentionem nostram sub certis limitibus: & sanctorum patrum vestigiis inhærentes, pronunciamus unicuique fideli, postquam ad annos discretionis pervenerit, fore necessarium ad salutem, nosse scilicet & inquirere quid sit sibi credendum, quid diligendum, quid expectandum. Tria enim quædam sunt, ut tradit Augustinus, quibus Deus recte colitur, & per quæ ad Deum, velut quibusdam mentis passibus, pervenitur: videlicet fides, spes, caritas. Per fidem dirigimur in credendo, per caritatem regulamur in amando, per spem in laboribus consolamur. Primum itaque doctrinam tradimus de credendis, quæ sunt, articuli fidei, & ipsa sacramenta legis novæ. Nam in his duobus, sacramentis videlicet & articulis, tota Christianæ religionis & ecclesiæ universalis structura fundatur. Deinde loquemur de virtutibus, & vitiis eis oppositis; de donis & beatitudinibus, quæ prioribus correspondent. Demum in explicatione præceptorum Decalogi, per quæ explicatur caritas, finiemus.

1. Cor. 14.

De iis omnibus ergo, propter rectores minus eruditos, aliqua in medium proferamus: & primum de fide, secundum cujus mensuram præcipit Apostolus unicuique sapere. Fides igitur virtus quædam est, qua creduntur quæ non videntur. Nam cum Paulus dicat: *Fides est substantia sperandarũ rerum, argumentum non apparentiũ*: hoc veraciter dicitur credi, quod non valet videri. Vnde August. Credimus, inquit, ut cognoscamus; nõ cognoscimus, ut credamus. Quid est enim fides, nisi credere quod non vides? Neq; tamen istud de omnibus intelligendum est, quæ non videntur: sed de iis tantum quæ credere, ad religionem pertinet Christianam, sive quæ credenda Scriptura sacra proponit, & ecclesia catholica docet. Verum quia latitudinem sacræ Scripturæ simplicibus, & in aliis studiis & negotiis occupatis, scire non erat possibile, ad quam tamen intelligendam, secundum plus & minus, pro differentia officiorum & statuum, superiores in ecclesia obligantur: idcirco, ut fides eorum quæ ab omnibus explicite, vel saltem pro magna parte, credi & cognosci oportet, haberetur in promptu, ipsi primi ecclesiæ fundatores apostoli, ipsa credenda, quæ in diversis locis sacræ Scripturæ sunt tradita & sparsa, collegerunt breviter in unum locum. Et ista collectio, Apostolorum Symbolum appellatur. Et distinxerunt in ipso quatuordecim articulos fidei: quorum septem sunt pertinentes ad Divinitatem, alii septem ad Christi humanitatem. Septem igitur sunt de Deo secundum se; & septem alii de Deo, ratione humanitatis assumptæ. Qui omnes in istis quatuor versibus continentur: Heb. 11.

Vnum crede Deum, Patrem, Filium, quoque Flamen,
Qui creat & recreat homines, quos salvificabit.
Conceptus, natus, passus, descendit ad ima,
Surgit, & ascendit, veniet discernere cuncta.

Primus ergo articulus de pertinentibus ad Divinitatem, est de unitate Divinæ essentiæ. Non enim sunt plures dii, sed unus est solum Deus. Et ideo dicimus: *Credo in unum Deum.* Et hunc ipsum articulum insinuabat clara voce veteris legis exordium, ubi dicit: *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est.* Deut. 6. Tres sequentes articuli sunt de Divinis personis. Nam Christiana religio cum unitate Divinæ essentiæ tres personas fatetur. Est ergo articulus secundus de persona Patris: *Patrem omnipotentem.* Tertius est de persona Filii: *Et in Iesum Christum Filium ejus.* Quartus de persona Spiritus sancti: *Credo in Spiritum sanctum.* Tres sequentes sunt de effectibus ipsius Dei. Est ergo quintus articulus de creatione omnium rerum: *Creatorem cæli & terræ.* Sextus est de effectu gratiæ, sive dono. Propter quod dicitur: *Credo sanctam ecclesiam catholicam, communionem sanctorum, remissionem peccatorum.* Septimus est de effectu gloriæ: *Carnis resurrectionem, vitam æternam.* Articuli autem pertinentes ad naturam a filio Dei assumptam, sunt etiam septem. Primus pertinet ad conceptionem ipsius Christi: *Conceptus est de Spiritu sancto.* Secundus ad nativitatem: *Natus ex Maria virgine.* Tertius ad passionem: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.* Quartus ad descensum ad inferos: *Descendit ad inferos.* Quintus ad resurrectionem: *Tertia die resurrexit.* Sextus ad Ascensionem: *Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris.* Septimus est de advẽtu ad judicium: *Inde venturus est judicare vivos & mortuos.* Aliqui tamen

ANNO CHRISTI 1368.

tamen computant secundum numerum Apostolorum duodecim, qui istos fidei articulos distinxerunt: sed prima distinctio melior est, quæ accipitur secundum numerum credendorum. Porro, quia in isto symbolo Apostolorũ sũt quædã breviter valde exposita: ideo ad ejus explanationem symbolum Nicænum, quod diffusius de articulis prædictis exequitur, additum est. Et rursus quia in isto symbolo Nicæno adhuc quædam implicite continentur, quæ propter insurgentes hæreses oportuit amplius explicari: additum est symbolum Athanasii, quod incipit: *Quicumque vult salvus esse, &c.* Proinde symbolum Apostolorum silenter & secrete dicitur quotidie in Completorio, & in Prima: quia fuit editum tempore quo nondum erat fides catholica propalata. Alia autem duo publice in diebus Dominicis & festivis, quando major ad ecclesiam congregatur populus, decantantur: quia fuere edita tempore fidei propalatæ. Symbolum quidem Nicænum post evangelium cantatur in Missa, quasi evangelicæ fidei expositio. Symbolum Athanasii de mane solum cantatur in Prima: quia fuit editum tempore quo maxime fuerunt depulsa & detecta nox atra & tenebræ hæresum & errorum. Licet autem ante adventum Christi in virginem, sufficeret laicis simplicibus de articulo Trinitatis & Incarnationis habere fidem implicitam in fide majorum, & pro illo tempore sufficeret explicitam fidem habere quia Deus est, & quod credentibus in se remunerator est, quod semper etiam secundum Apostolum oportet credere omnem accedentem ad Dominum: isto tamen tempore gratiæ revelatæ, tam majores quam minores tenentur credere explicite Trinitatis articulum, & Incarnationis mysterium, & aliorum articulorum de quibus dictum est, præcipue eorum de quibus in ecclesia communiter solemnizatur, & qui publice proponuntur; sicut sunt articulus Passionis, Resurrectionis, & hujusmodi. Et hoc intelligimus quantum ad ipsorum articulorum substantiam, secundum quam homo ipsos articulos distincte cognoscit: non quantum ad ea difficilia quæ continentur in articulis, & vim veritatis ipsorum, per quam possunt ab hæreticorum impugnatione defendi. Nam quantum ad talia, sufficit simplicibus de omnibus articulis habere fidem implicitam, id est, in talibus credere quod credit ecclesia. Et ita accipienda videntur verba quorundam magistrorũ loquentium de materia ista. Majores autem istam explicationem totaliter in via ista scire non possunt. Tenetur tamen unusquisque tantum scire, quantum pertinet ad officium suum. Post articulorum doctrinam, consequens est de sacramentis novæ legis tractare. Est autem sacramentum, invisibilis gratiæ visibilis forma: ita ut ejus imaginem gerat, & causa existat. Fuerunt autem sacramenta aliqua necessaria semper humano generi, postquam incurrit peccati morbum: non quia sine sacramentis Deus hominem sanare non posset, sed quia per illa magis congrue fit hominis reparatio. Quod sic patet. Humanum enim genus, ex quo primus homo peccavit, circa sensibilia corruptum fuit; quantum ad cognitionem, quia, circa ista sensibilia, humana mens implicita, in Dei cognitionem surgere non valebat; item quantum ad affectionem, quia eis, quasi summis bonis, Deo postposito, inhærebat; quãtum ad actiones, quia eis inordinatissime utebatur. Necessarium ergo fuit ad peccatorum curationem, ut homo ex sensibilibus in spiritualia cognoscenda proficeret, contra primum; & ut effectum, quem circa illa habebat, in Deum referret, contra secundum; & eis ordinate & secundum Divinam institutionem uteretur, contra tertium. Proinde necessaria erat sacramentorum institutio: & propter eruditionẽ, dum homo in ipsis per id quod foris visibili specie cernitur, ad invisibilem virtutem agnoscendam, quæ intus est, eruditur, quantum ad primum: & propter humiliationẽ, dũ homo in sacramẽtis, rebus sensibilibus, quæ natura infra ipsũ sũt, ex præcepto creatoris, subjicitur, quantum ad secundum: & propter exercitationem, dum in sacramentis homo circa signa sensibilia in Dei honorem occupatur, quantum ad tertium. Igitur, ex quo fuit morbus peccati, sacramentorum fuit necessaria medicina. Omittendo autem ad præsens sacramenta antiqua atque legalia, quæ cessaverunt adveniente Christo, sicut umbra adveniente Sole recedit: de solis sacramentis legis novæ loquamur, quæ sunt septem: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Unctio extrema, Ordo, Conjugium. Baptismus, esse dicitur sacramentum fidei; Extrema unctio, spei; Eucharistia, caritatis; Ordo, prudentiæ; Pœnitẽtia, justitiæ; Matrimonium, temperantiæ, Cõfirmatio, fortitudinis. Baptismus est directe contra culpam originalem, Pœnitentia contra culpam actualem mortalem, Extrema unctio contra culpam venialem, Ordo contra ignorantiam, Matrimonium contra concupiscentiam, Eucharistia contra malitiam, Confirmatio contra infirmitatem. Nil ergo aliud est sacramentum, quam illud in quo, sub tegumento rerum visibilium, Divina virtus salutem nostram secretius operatur. Porro sacramenta instituere, quæ ex sui institutione & sanctificatione cõtineant invisibilem gratiã, competit soli Christo: qui solus potestatem excellentiæ sibi retinuit, potestatem ministerii Apostolis & cæteris succedentibus dedit. Quæ igitur instituta sunt ab Apostolis & successoribus eorundem, ut benedictio aquæ & panis, consecrationes virginum & altarium, & cætera hujusmodi: non sacramenta proprie, sed sacramentalia dici debent. Omnia ergo sacramenta novæ legis Christus per semetipsum immediate instituit. Aliqua tamen, præcipue Confirmationem, & Extremam unctionem, per Apostolos promulgavit: sicut de Confirmatione patet in Actibus Apostolorum XIX. capitulo, & de Extrema unctione, Iacobi quinto. In iis sacramentis quædam sunt ad decorem & solemnitatem sacramenti, quædam vero pertinent ad sacramenti substantiam. De substantia cujuslibet sacramenti sunt, forma verborum præscripta, certa materia, & minister. Verbi gratia, materia baptismi est aqua elementalis: forma, *Ego baptizo te in nomine Patris, &c.* Minister est sacerdos aut alius in necessitate baptizans. Horum sacramentorum, Matrimonium & Ordo, sunt voluntatis. Alia sunt necessitatis, ut suscipiantur aliquando, vel in re, vel in voto. Præcipue autem Baptismus est necessarius omnibus, & parvulis & adultis, ex quo fuit a Domino institutus, & alia contra peccatum originale remedia cessarunt. Est enim Baptismus contra vulnus originale: sine quo, secundum sanctos, in filiis hominum nemo unquam conceptus est, præter Christum. Pœnitentia vero iis est necessaria, qui per aliquod mortale peccatum vestem innocentiæ, quam in Baptismo acceperant, amiserunt: & ob hoc secunda post naufragium tabula appellatur. Si etiam aliquis, cum opportunum & congruum est, vel propter ordinationem ecclesiæ, vel propter periculum mortis, omitteret Eucharistiam, Confirmationem, aut Extremam unctionem suscipere; nec defectus ministri, aut alius necessitatis articulus, sed contemptus religionis solum, ista sacramenta excluderet: non dubium, quin talis contemptus induceret gravem culpam. Necessarium ergo, ut diximus, est cuilibet adulto, ista sacramenta aliquando

quando in vita sua suscipere, vel in re, vel in voto. Horum etiam sacramentorum aliqua sunt, quæ in eodem homine iterari non debent: scilicet Baptismus, Confirmatio, Ordo: alia possunt iterari. Prohibemus autem districte, ut nullus cum remorsu peccati mortalis sacramentum quodcumque præsumat suscipere, aut etiam ministrare. Veremur enim, ne propter hunc abusum, quo polluti & indigni ad sacra passim istis temporibus novissimis plures accedunt, clades multas Deus judex justus in nationes Christianorum immittat. Proinde dicit Deus ad antiquos legis illius Mosaicæ sacerdotes: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Et rursus: *Sacerdotes qui accedunt ad Deum, sanctificentur, ne percutiat eos.*

Postquã de articulis fidei & sacramẽtis disseruimus: de virtutibus theologicis & moralibus est loquendum. Virtutes theologicas Paulus apostolus tres enumerat. Sunt autem, spes, fides, caritas. Virtutes morales, quæ cardinales dicuntur, sunt quatuor: de quibus philosophi gentium multa subtilia & utilia satis dixerunt. Sunt autem, justitia, fortitudo, prudentia, temperantia. Iustitia, secundum Augustinum, est in subveniendo miseris, prudentia consistit in præcavendis insidiis, fortitudo in perferendis molestiis, temperantia in coercendis delectationibus pravis. Cuilibet harum virtutum, sequendo eruditos quosdam, etiam fidei nostræ homines, partes has assignavimus. Species quidem justitiæ, sive partes, sunt istæ: religio, pietas, gratia, vindicatio, observantia, veritas. Vel, si magis libet sic dici, partes justitiæ sunt, obedientia respectu superioris, disciplina respectu inferioris, æquitas respectu præmii, fides & veritas respectu omnium. Partes fortitudinis istæ sunt: magnificentia, fiducia, patientia, perseverantia. Prudentia distribuitur in memoriam præteritorum, & intelligentiam præsentium, & providentiam futurorum. Porro partes temperantiæ sunt, castitas, & sobrietas. Castitas refrænat delectationes quæ sunt secundum tactum. Qua virtute nihil in ecclesiasticis viris præclarius fulget. Ipsa enim sola cum fiducia Deo potest animas præsentare. Sobrietas restringit delectationes quæ sunt secundum gustum. Quia igitur actus harum virtutum, quas diximus, sive ipsarum opera, huic mortali vitæ sunt necessaria, utpote quia per ipsas in præsenti bene & recte vivitur, & in futuro æternæ vitæ bravium possidetur: ideo etiam, per rectores & alios verbi Divini ministros, volumus in ecclesiis nostrarum provinciarum de iis laicos commoneri, & ad hæc opera virtuosa cõgruis inductionibus invitari. Sicut autem dictæ virtutes perficiunt hominem, ut in humanis humano modo, id est rationali, se habeat; ne, sequendo scilicet abrupta vitiorum, a dignitate humanæ naturæ decidens, bestialiter vivat: ita dona Spiritus sancti ad bene operandum perficiunt hominem supra homines, id est, modo quodam Divino, & supra humanum gradum. Hæc dona, juxta sacras Scripturas, consimiliter septem esse asserimus, quasi septem sanctificationes fidelium mẽtium: quæ Isaias Propheta, ostendens ea fuisse in Christo, enumerat in hunc modum: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Quamquam enim unus sit Spiritus Domini, qui est cum Patre & Filio unus consubstantialiter Deus, quasi aliquod eorum flamen: multi tamen sunt spiritualium donorum meatus, quibus Spiritus ipse sanctus omnem supereminens creaturam, mentis nostræ arcana vegetat & infundit. Quocirca alma mater ecclesia, horum donorum semper fœcunda spirituali pinguedine, in hymno quem in ejusdem Spiritus sancti honorem concrepat, inter cætera hæc septem dona in ipsum refert, cum dicit: *Tu septiformis munere, dextræ Dei, &c.* Dicimus autem & credimus, hæc septem dona communiter a tota profluere Trinitate. Indivisa quippe sunt opera Trinitatis ad extra. Verum consuetudo est sacri eloquii, interdum appropriare uni personæ, quod proprie & verissime dicitur de utraque: sicut Patri attribuitur potentia, Filio sapientia, bonitas Spiritui sancto. Et tamen una & indivisibilis est potentia, & sapientia, & bonitas in iis tribus; sicut una Deitas, una essentia, & natura. Quemadmodum autem, sicut superius assignavimus, septem sacramentis correspondent septem virtutes, tres theologicæ, & quatuor cardinales; & rursus septem dona, septem virtutibus: ita septem donis correspondent septem petitiones orationis Dominicæ: quarum tres primæ sunt, quibus æterna poscimus; quatuor ultimæ sunt, quibus ea petuntur, quæ tantum sunt in hac vita. Et ita in illis continentur omnia bona homini necessaria. Iis etiam septem petitionibus septem illæ beatitudines, de quibus loquitur Salvator in Evangelio, adaptantur: ubi pauperes spiritu, mites, esurientes & sitientes justitiam, misericordes & mundicordes, pacificos & lugẽtes, beatos esse astruit & affirmat. Demum quoniam, sicut dicit Scriptura, bonorum laborum gloriosus est fructus, nec sunt labores aliqui digniores, quam qui in donorum spiritualium agro latissimo exercentur: eapropter istis septem donis illi fructus honestissimi cõgruunt, quos distinguit ad Galatas scribens Apostolus in iis verbis: *Fructus autem spiritus est, caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, benignitas, bonitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Verum quia eidem dono, habenti plures actus, plures fructus respondent: ideo non sunt tot dona quot fructus.

Cæterum, quoniam ex dono unico pietatis proficisci videntur illa pietatis officia, quibus defectibus proximi subvenimus, & opera misericordiæ appellantur: congruum judicamus, ad eruditionem simpliciorum, de iis etiam non præterire. Assignantur autem in sacro canone septem corporales hujusmodi eleemosynæ, & septem spirituales. Per illas quidem, proximorum defectibus corporalibus; per alias, defectibus spiritualibus subvenitur. Septem corporales eleemosynæ sunt isto versu contentæ:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Visito, scilicet infirmum. Poto, scilicet sitientem. Cibo, scilicet esurientem. Redimo, scilicet incarceratum. Tego, scilicet nudum. Colligo, id est, recolligo, sive recipio hospitem. Condo, id est, sepelio mortuum. Et licet Dominus in evangelio, ubi misericordiæ opera cõmemorat, quibus homo a damnatione & auditione mala in die judicii liberatur, & regnũ ecclesiæ meretur, non cõputet mortui sepulturã: tamen in aliis Scripturæ locis, talis eleemosyna cõmendatur. At vero eleemosynæ spirituales cõtinẽtur hoc versu:

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Consule, id est, doce ignorantem, & dirige dubitantem. Vnde in hoc duplex spiritualis eleemosyna intelligitur, doctrina, & consilium. Castiga delinquentem. Solare, id est, consolare tristem. Remitte delinquentibus in te. Fer, id est, porta infirmitates & gravamina aliorum. Ora pro omnibus.

Adhuc septẽ dona Spiritus sancti non solũ in nobis omnia illa septenaria virtutũ, beatitudinũ, petitionũ, piorum operum exigunt, vel efficiunt; quin etiam septem spiritibus immundis, id est, septem vitiis capitalibus adversantur. Verbi gratia. Quippe contra super-

superbiam timor est, qui ad humilitatem inclinat. Contra invidiam, quæ nescit proximo compati, donum militat pietatis. Contra avaritiam aciem instruit donum scientiæ: cujus est bene conversari cum hominibus, unicuique quod suum est reddendo, quod avaritiæ opponitur. Contra acediam fortitudo decertat. Contra iram, quæ agit præcipitanter omnia, est donum consilii. Contra gulam, quæ intellectum hebetat, donum est intellectus. Contra luxuriam, donum est sapientiæ. nam gustato spiritu, desipit omnis caro. Ex quibus liquet septem esse peccata mortalia principalia: quæ sunt, superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia. Comites sive filiæ superbiæ sunt, sævitia, inobedientia, impatientia, imprudentia, sæcularis pompa, inanis gloria, jactantia, hypocrisis, novitatum præsumptio. Comites avaritiæ, quæ radix omnium malorum est, sunt, rapacitas, tenacitas, contemptus fidei, proditio, fallacia, fraus, perjurium, inquietudo, & contra misericordiam cordis obduratio. Luxuriæ comites sunt, ventris ingluvies, vestis & lecti mollities, somni resolutio, coitus delectatio, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, desperatio futuri. De ira procedunt, audacia, faciei mutatio, imprudentia, injustitia, lites, contumeliæ, blasphemiæ, terror, clamor, & indignatio. De gula procedunt, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensuum. De invidia veniunt, dolor de bono alterius, gaudium de malo, sive afflictio in prosperis proximi, exultatio in adversis. Acedia, quæ est quoddam tædium boni, habet comites, ignaviam scilicet & torporem de omni mortali peccato. Quod tenetur memoria, necessarium est corde confiteri: & ore, nisi articulus necessitatis confessorem excluderet, confiteri. Neque enim confessor debet esse promptus ad facile judicandum de aliquo quod sit mortale peccatum, nisi sit in dictis scripturæ vel sanctorum expressum.

Superest modo de præceptis Divinæ legis eloqui. Licet enim totam legem impleat caritas ipsa, qua Deum propter seipsum diligimus, & proximū propter Deum: tamen hæc dilectio per decem præcepta decalogi explicatur: quæ ita distribuuntur, ut prima tria pertineant ad Deum, scilicet ad cognitionem ejus & reverentiam, & dicuntur præcepta primæ tabulæ. Reliqua septem dicuntur præcepta secundæ tabulæ, & pertinent ad proximum. Præceptum primum itaque est: *Non habebis Deos alienos*: quo omnis infidelitas, omnis hæresis, omnis superstitio prohibetur. Secundum est: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, quod est dicere, secundum litteram: Non jurabis pro nihilo nomen Dei. Tertium vero est: *Memento ut diem sabbati sanctifices*: ubi præcipitur diei Dominicæ & festivitatum in ecclesia solemnium observantia. Quartum est: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Porro parentes sic honorandi sunt, ut eis reverentia merita exhibeatur, & necessaria ministrentur. Quintum est: *Non occides*: ubi, secundum litteram, actus homicidii prohibetur; secundum spiritum vero, omnis injusta percussio, & voluntas etiam occidendi. Sextum est: *Non mœchaberis*, id est, ne cuilibet misceari, excepto fœdere matrimonii. A parte enim, ut Augustinus ait, totum intelligitur. Nomine igitur mœchiæ, omnis illicitus concubitus, illorumque membrorum illegitimus usus, prohibitus debet intelligi. Septimum præceptum est: *Non furtum facies*: ubi furti nomine intelligi voluit omnem illicitam usurpationem rei alienæ; sicut sunt, furtum, usura, rapina, sacrilegium, & cætera hujusmodi. Octavum est: *Nō loqueris contra proximum tuum falsū testimonium*: ubi crimen perjuriosi mendacii & perjurii prohibetur. Nonum præceptum est: *Non desiderabis uxorem proximi tui.* Decimum est: *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, &c.* Neque putet aliquis præceptum de non concupiscendis rebus proximi, unum esse cum eo quo dicitur, *Non furaberis*; & præceptum de non concupiscenda uxore, unum esse cum eo quo dicitur, *Non mœchaberis.* nam in illis duobus præceptis, non furandi, & non mœchandi, ipsa opera notata sunt, & prohibita. In his vero extremis, concupiscentia tantū. Hæc decem præcepta in his versibus concluduntur.

Vnum cole Deum, nec jures vana per ipsum.
Sabbata sanctifices, & venerare parentes.
Non sis occisor, fur, mœchus, testis iniquus.
Vicinique torum, resque caveto suas.

Summa igitur hujus doctrinæ, quam in hac constitutione nostra, pro simplicium eruditione, sacro dictāte concilio, inseri fecimus & voluimus, & quam frequenter relegere jubemus, & habere etiam penes se omnes nostrarum provinciarum presbyteros & rectores, hæc est. Diximus enim, quod articuli fidei pertinentes ad deitatem, sunt septem. Articuli pertinentes ad Christi humanitatem sunt septem. Virtutes theologicæ, cum cardinalibus, totidem. Sacramenta ecclesiæ totidem. Dona Spiritus sancti totidem. Petitiones in Dominica oratione contentæ sunt totidem. Beatitudines totidem. Vitia capitalia totidem. Præcepta legis sunt decem. In articulis fidei est, ut fideles ad petendum dona altissimi dirigantur, & illuminentur. In precibus sive petitionibus est, ut dona hæc impetrentur. In vitando peccata, & implendo præcepta, est, ut beatitudines consequamur. Hæc sunt igitur, in quibus volumus diligenter nostrarum provinciarum populos informari, præcipue in articulis fidei, peccatis mortalibus, & præceptis. Hæc omnia & singula cum omni veneratione a laicis suscipienda præcipimus, quibus non est permissum de quibuscumque ad fidem catholicam spectantibus disceptare. Sicut autem volumus, rectores nostrarum provinciarum atque diœcesum huic doctrinæ & prædicationi insistere: ita ipsos, & cunctorū ordinum clericos, scholares, vel religiosos, per viscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi, & quo possumus affectu paterno monemus, ut his maxime temporibus, quibus crebrescētibus cladibus guerrarum & pestilentiarum, & cæterarum adversitatum, vicinum futuri judicii diem timere possumus & debemus, non tam verbo quam vita & operibus satagant prædicare: exemplo illo commoniti, quo legimus, quoniam cœpit Dominus primo facere, post docere. Nam illos rectores ac ecclesiasticos viros, quorum mala vita doctrinæ bonæ non consonat, sugillat ac reprobat Dominus in Evangelio. De iis etiam beatus Gregorius ita scripsit: *Sunt nonnulli qui solerti cura Divina præcepta perscrutantur: sed quæ intelligendo penetrant, vivendo conculcant. Quia docent quod prius non opere, sed meditatione didicerant; & quod verbis docent, moribus impugnant. Sicque fit, ut cum pastor per abrupta graditur, in præcipitium grex sequatur.* Gregor. Pastoral. c. 1.

II. *De pœna vocatorum ad concilium provinciale non comparentium.*

Verum quia quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari: præsentis concilii sanctione statuimus, ut episcopi omnes Narbonensis, Auxitanensis, Tolosanensis provinciarum, de cætero ad sui metropolitani concilium veniant, prout decet, nisi causa necessaria & urgentissima excusentur. Et quicumque episcopus, ab archiepiscopo suo vocatus, hujusmodi

ANNO CHRISTI 1368.

hujusmodi constitutionis transgressor fuerit, ipso facto pœnam juris incurrat.

A

III. *De episcopis, qualiter procuratorem mittere debeant, si juste fuerint præpediti.*

Prov. 11. Cum, testante Sapientis sententia, *salus sit, ubi multa consilia*, copiam sani consilii nequaquam coarctari expedit, sed extendi. Idcirco sub virtute sanctæ obedientiæ episcopis prædictis injungimus, ut cum ipsi episcopi venire ad ipsa concilia personaliter fuerint legitime impediti, quo minus ad ea venire non possint, procuratores constituant viros discretos alios ab illis qui per eorum capitula, & capitula versa vice alios ab illis, qui per episcopos fuerint constituti.

B

IV. *De janitoribus concilii, ubi debeant permanere.*

Item statuimus, quod quandocumque provinciale concilium vel synodum, infra aliquam dictarum provinciarum celebrari contigerit, janitores, aut quivis alius officialis, quorum præsentia in concilio vel synodo memoratis nequaquam necessaria seu opportuna existit, extra januam maneant.

V. *Qualiter supplicans concilio, concilium exire debeat, quousque vocetur.*

Item, quod si contigerit aliquem prælatum, seu canonicum cujusvis metropolitanæ, cathedralis, aut collegialis ecclesiarum de dictis provinciis, seu alium quemcumque, circa negotium aliquod ipsius ecclesiæ nobis supplicare, idem supplicans, supplicatione sua proposita, recedere ac exire de concilio teneatur, dum concilium deliberabit atque discurret super admittenda vel non admittenda petitione hujusmodi supplicantis.

C

VI. *De synodis, singulis annis celebrandis.*

Ad memoriam reducentes statuta patrum, in quibus præcipitur ut semel in anno per episcopos synodalia concilia clebrentur: sacro approbante concilio statuimus, ac in virtute sanctæ obedientiæ suffraganeis nostris præcipimus, ut singulis annis, per se, vel per idoneos viros si ex causa necessaria fuerint impediti, dicta synodalia concilia habeant celebrare.

D

VII. *Qualiter abbates subditi, vocati ad synodum, venire teneantur.*

Cum non passim quilibet sint admittendi vel deputandi ad ardua, sed industria in talibus sit diligentius exquirenda: præsentis autoritate concilii duximus statuendum, ut archiepiscopi & episcopi, abbates eis subjectos ad synodos suas per censuram ecclesiasticam venire compellant. Vel si forsan legitimo impedimento detenti fuerint, quo minus personaliter ad illa accedere non possint: procuratores destinent ad talia expertos, idoneos, & discretos, & de eorum ordinibus sibi sufficientes existant.

E

VIII. *Ut rectores curam animarum habentes ad synodum venire teneantur.*

Statuimus insuper, quod omnes clerici curam animarum habentes, ad synodum veniant cathedralis ecclesiæ, in cujus civitate vel diœcesi commorantur: occasione minus legitima vel consuetudine aliqua non obstante. Alioquin per suos ordinarios, ad eorum arbitrium, pœna debita castigentur.

IX. *De constitutionibus in concilio provinciali alias editis, in synodis recitandis.*

Item, quod annuatim in singulis ecclesiarum cathedralium dictarum provinciarum nostrarum, in synodo, omnes constitutiones hujus concilii, & aliorum in dictis provinciis hactenus celebratorũ, quæ quidẽ constitutiones nequaquam fuerint per hoc concilium revocatæ, & quibus per concilium ipsum derogatum non sit, publice recitentur, ne quis per ignorantiam excusare se valeat ab observantia earundem.

X. *De conservatoribus & delegatis, abutentibus litteris domini nostri papæ.*

Statuimus, ut judices, conservatores, delegati, & subdelegati, qui scienter ad loca notorie distantia vel non insignia partes citare præsumunt, quique autoritate litterarum apostolicarum, contra aliquem, citando, vel alias, procedunt ad instantiam alicujus, nisi sibi constiterit illum, ad cujus instantiam procedunt, eum re vera, vel ipsius procuratorem esse, qui in litteris apostolicis hujusmodi continetur, sententiam excommunicationis incurrant ipso facto. Si quis vero super rebus dotalibus litteras apostolicas impetraverit, & illarum autoritate aliquem vel aliquos, cum quibus ratione dotis non habet aliquid quæstionis, fecerit fatigari: autoritate præsentis concilii, eadem excommunicationis sententia, qua superius nominata, noverit se ligatum. Illi vero qui falso se crucesignatos asserunt, cum non sint, & sic tanquam crucesignati litteras apostolicas impetrant, per quas alios fatigant laboribus & expensis, eadem excommunicationis sententia sint ligati. Conc. Avenion ann. 1326. c. 49.

XI. *De abutentibus litteris apostolicis in diversis casibus.*

Quia per abusum litterarum apostolicarum multi vexantur & affliguntur laboribus & expensis: in prædicto concilio statuimus, quod tam clerici quam laici, cujuscumque conditionis aut status existant, qui litteris apostolicis abutuntur, vel litteris legatorum apostolicæ sedis, videlicet utendo falsis litteris scienter, vel qui litteras nomine suo vel ecclesiæ suæ impetratas aliis ejusdem nominis tradunt pro adversariis fatigandis, & qui eas ad sic utendum recipiunt, & qui litteris in forma, *ea qua* de bonis, utuntur, contra quos de jure, secundum formam ipsarum, dictæ litteræ non procedunt, vel non possunt extendi, aut litem non habent, & idem de litteris, *post iter arreptum*, vel aliis litteris apostolicis seu rescriptis quibuscumque, sententiam excommunicationis incurrant: & etiam judices, qui scienter aliquos sic faciunt per suas litteras fatigare. Et hanc eandem excommunicationis sententiam incurrere volumus illos, qui ad loca æquivoca aliquem citari faciunt, ut malitiose & fraudulenter vexent & decipiant sic citatum laboribus & expensis: & illos, qui litteras apostolicas, vel delegatorum sedis ejusdem contra jura scienter & dolose ad futuras trahunt controversias, quæ nondum fuerunt tempore impetrationis exortæ. Ibidem

XII. *De bannis editis & præconizationibus factis contra libertates & consuetudines ecclesiæ.*

Statuimus quod quicumque contra ecclesiasticas consuetudines, libertates, seu observantias antiquas, statuta, banna, prohibitiones, vel præconizationes, aut præcepta scienter fecerint, aut fieri procuraverint aut servari, seu facientibus vel ser- Cõc. Aven. ann. 1326. c. 55. & ann. 1337. c. 65.

ANNO CHRISTI 1368.

servantibus in hoc consilium vel opem directe vel indirecte præstiterint, per diœcesanos locorum, aut officiales vel procuratores eorum, præsentis autoritate concilii moneantur, ut infra quindecim dies a tempore monitionis hujusmodi numerandos, statuta, banna, prohibitiones, præconizationes, & præcepta hujusmodi cum effectu debeant revocare, ad consimilia numquam ulterius processuri. Alioquin excommunicationis sententia, quam ex nunc in ipsos ferimus, sint ligati.

XIII. *Ne prælati vel aliæ personæ ecclesiasticæ bona ecclesiarum vacantium, nisi privilegio, vel consuetudine, aut de jure, præsumant occupare.*

Concil. Aven. an. 1326. c. 24 & an. 1337. c. 29.

Hac insuper provida constitutione perpetuo valitura statuimus, quod nullus omnino prælatus, abbas, prior, vel patronus, clericus, vel laicus, cujuscumque conditionis, vel status, vel dignitatis, ordinis, vel religionis existat, bona ecclesiarum vacantium, metropolitanæ vel suffraganeæ, abbatiæ, prioratuum, vel alterius cujuscumque monasterii, vel ecclesiæ, seu beneficii, officii, vel administrationis ecclesiasticæ, vel per provisionem, aut mortem, vel resignationem, aut mutationem, vel absolutionem, aut alias quoquomodo vacantium, capere per se vel per alium, aut occupare vel usurpare præsumat, nisi sibi de iure vel privilegio aut consuetudine hoc liceret. Quod si fecerit, ipse excommunicationis sententiam incurrat ipso facto.

XIV. *De non contrahendis colligationibus, vulgariter societates nuncupatis: & de pœnis eorundem.*

Concil. Aven ann. 1326 c. 27. & an. 1337. c. 43.

Item, quia ex pravo abusu in quibusdam provinciarum nostrarum partibus inolevit, quod nobiles plerumque, & interdum alii, colligationes, societates, & conjurationes faciunt tam canonicis quam humanis legibus interdictas, semel in anno, sub confratriæ nomine, se in loco aliquo congregantes, ubi congregationes, conventiculas, & colligationes faciunt, & pacta juramento vallata ineunt, quod se adversus quoscumque, præterquam dominos suos, ad invicem adjuvent, & interdũ se omnes veste consimili, cum aliquibus signis exquisitis vel characteribus, induentes, unum majorem inter se eligunt, cui jurant in omnibus obedire, ex quibus justitia offenditur, mortes & damnationes sequuntur, pax & securitas exulantur, innocentes & inopes opprimuntur, & ecclesiæ ac ecclesiasticæ personæ, quibus tales oppido sunt infesti, in personis, rebus, juribus, & jurisdictionibus injurias diversas & damna plurima patiuntur: nos volentes iis ausibus pestiferis & conatibus perniciosis exemplo occurrere, & de remedio possibili providere, & a peccato subditos nostros, prout ex pastorali incumbit officio, cohibere; autoritate præsentis concilii omnes conventiculas, colligationes, societates, & conjurationes, quas confraternitates vel confratrias appellant, ab olim factis per clericos vel laicos, cujuscumque gradus, status, dignitatis, vel conditionis existant, necnon prædictas conventiones, ordinationes, & pacta inter eos inita & habita, irritamus, dissolvimus, & cassamus, & cassas & cassa, irritas & irrita, nuntiamus. Decernentes omnia juramenta super observandis prædictis præstita, aut illicita aut temeraria: nullum teneri volumus ad observantiam eorumdem: a quibus jurametis eos etiam relaxamus, ut tamen pro incauto sacramento a suis confessoribus pœnitentiam suscipiant salutarem: autoritate prædicta prohibentes eisdem, sub excommunicationis pœna, quam venientes in contrarium, postquam præsens statutum in ecclesiis, quarum sunt parochiani, fuerit per duos dies Dominicos publicatum, incurrere volumus ipso facto, quod occasione prædictarum colligationum, societatum, conventionum, & juramentorum abinde inantea simul non conveniant, hujusmodi confraternitates non faciant, alter alteri non obediat, nec præstet adjutorium nec favorem; nec vestes, signa rei jam damnatæ præbentes, deferant; nec se confratres, abbates, priores prædictæ societatis appellent; quinimmo, infra decem dies a tempore dictæ publicationis, unusquisq; alios, quantum est in eo, a prædictis juramentis relaxet, & se nolle de prædicta societate ulterius existere publice protestetur. Prohibemus etiam, quod amodo tales conjurationes, conspirationes, conventicula, etiã sub nomine confratriæ, non fiant. Alioquin & de facto attentatas cassamus & irritamus; & facientes & attentantes, excommunicationi, a qua nisi per suum ordinarium, præterquam in mortis articulo, nullatenus absolvantur, volumus subjacere. Per hoc autem confraternitates olim in honorem Dei & beatæ Mariæ, & aliorum sanctorum, & pro subsidiis pauperum introductas, in quibus conjurationes & juramenta non intervenerunt hujusmodi, non intendimus reprobare.

al. depræ ...tiones; al. extem...o

XV. *De impeditoribus electionum & postulationum, & qualiter puniantur.*

Conc. Auscitan. ann. 1300. c. 1.

Irrefragabili constitutione sancimus, ut quicumque electionem, postulationem, præsentationem, seu quamvis aliam provisionem canonicam de beneficio, vel dignitate, administratione ecclesiarum, iniuste impediunt, patenter vel clam, & cuncti qui per se vel alios gravare præsumpserint electores, postulatores, provisores, præsentatores, in personis & beneficiis vel aliis bonis suis ecclesiasticis, monasteria, aliaque loca pia, consanguineos, vel bona prædictorum, pro eo quod rogati seu alias inducti eum pro quo rogabantur seu inducebantur, eligere, seu præsentare, vel postulare, aut ei providere noluerint, sint excommunicationis vinculo ipso facto innodati. Et ultra hoc, si clerici vel regulares fuerint, sint ipso facto per annum fructibus beneficiorum quæ obtinent privati. Et si laici fuerint, prædictam excommunicationis sententiam incurrant: a qua non possint, præterquam in mortis articulo, nisi ab eorum ordinario, satisfactione præhabita, absolvi.

XVI. *Ne super pacifica possessione beneficii ecclesiastici impedimentum inferatur.*

Conc. Auscitan. ann. 1300. c. 8.

Statuimus, quod quicumque malitiose seu fraudulenter procurat impedimenta fieri super pacifica possessione obtinenda beneficii sibi collati, vel impedimentum appositum repellere desinit negligenter, ultra pœnas a jure scriptas, excommunicationis sententia sit ligatus.

XVII. *Ne quis dignitates aut alia beneficia præsumat occupare.*

Conc. Auscit. ann. 1300. c. 4. & 5.

Hujus sacri concilii edicto statuimus, quod si quis beneficium, cui cura imminet animarum, propria autoritate vi occupaverit, seu se scienter intruserit in eodem, ipso jure privatus existat beneficio quod cum cura simili primitus obtinebat. Item, si quis voluntate propria violenter dignitates, personatus, aut quæcumque alia beneficia ecclesiastica occupare præsumpserit: eo ipso privatus existat jure, si quod sibi competebat primitus in eisdem.

Anno Christi 1368. Conc. Auscir. ann. 1300 c. 11.

XVIII. *Ut beneficiorum incompatibilium pluralitas debeat evitari.*

Cum singula officia singulis sint committenda personis, & unum officium vix digne valeat aliquis adimplere: observari præcipimus, ut nullus cujuscumque ecclesiæ canonicus, regularis vel sæcularis, duos personatus, aut duas dignitates, vel præposituras, seu administrationes, aut duo officia, aut eorum alterum cum reliquo insimul & præbenda, in eadem ecclesia obtineat, vel jam obtenta retinere præsumat: consuetudine aliqua, etiam juramento vallata, nonobstante, cum dicenda sit potius corruptela. Nec aliqui monachi, vel religiosi alii, pluribus prioratibus vel ecclesiis curam animarum habentibus, etiamsi cura eadem non per ipsos sed per presbyteros ad eorum præsentationem per episcopos institutos, præesse præsumant, absque dispensatione sedis apostolicæ speciali: nisi forte unus ex eis vel ab alio dependeat, vel adinvicem sint annexi. Et si secus factum fuerit, irritũ sit: & transgressores eo ipso sint ineligibiles, & tamquam ambitiosi, ab utroque penitus repellantur.

XIX. *Quod negligentia inferioris in acquirendis & retinendis beneficiorum suorum juribus, per ordinarios suppleatur.*

Item statuimus, quod quæcumque ecclesiasticæ personæ jurisdictioni nostræ subjectæ, cujuscumque conditionis, dignitatis, vel præeminentiæ existant, in quacumque nostrarum provinciarum, jura & deveria quæcumque, usibus & consuetudinibus ipsarum ecclesiasticis beneficiis, abbatiis, prioratibus, personatibus, dignitatibus, & officiis debita, viriliter omnibus remediis, quibus se juste juvare acquirendo ac retinendo poterunt, & retineant, & requirant: adeo quod non possint de negligentia per superiores redargui vel puniri. Et si dictæ personæ in jamdictis negligentes fuerint vel remissæ, earum superiores possint earumdem supplere defectum, ac exigere, acquirere ecclesiis, & petere antedicta.

XX. *Ne ignorans grammaticam præsentetur, aut ad ordines digneiur promoveri.*

Quoniam illi sunt ad honores ecclesiasticos promovendi, qui moribus, ætate, & scientia pollere noscuntur: statuimus, prohibentes, ne ad sacros promoveantur ordines, nisi personæ quæ grammaticam sciant, seu Latinis verbis loqui valeant competenter. Illi vero ad quos, ratione dignitatum vel personatuum quos obtinent, competit examinare clericos, & ad ordines præsentare, propensius caveant, si hujusmodi cupiunt honore gaudere, ne defectum super hoc patientes scienter ad ordines audeant præsentare. Potestatem autem dispensandi super iis ex causa, & quatenus a jure permititur, per hoc non intendimus episcopis interdictam.

XXI. *Qualiter leprosi a sanis separentur, & qualiter ex signis eorum cognoscantur.*

Licet compassivæ miserationis effectu diligendi sint, fraternæque caritatis brachiis sint complectendi Christicolæ, quos Divino judicio corporalis lepræ morbus exulcerat: tamen quia morbus ipse contagiosus existit, & serpit in sanorum corpora per contactum; nos volentes eorum communionis periculo præcavere, statuimus ut leprosi hujusmodi a sanis Christicolis maneant sequestrati, nec communes intrent ecclesias, neque forum, aut macellum, vel tabernas, sive alia loca sanis communia, nec pannos portent virgatos seu coloratos, nec pilos, aut comas,

A nec sepeliantur cum sanis; signaque in vestibus deferant, per quæ a sanis patenti differentia cognoscantur per diœcesanos ordinanda, quodque per ordinarios compellantur ad observantiam præmissorum.

XXII. *Ne sine litteris suorum superiorum, alienigenæ presbyteri ad Divina admittantur.*

Statuimus etiam, quod ordinarii clericos aut religiosos quoscumque, de alienis & remotis diœcesibus se ad suas diœceses transferentes, ad Divina officia publice non admittant, sine suorum litteris prælatorum. Cōc. Marciac. ann. 1326. c. 2.

XXIII. *De non erigendis altaribus in præjudicium diœcesanorum, & eorum pœna.*

B Item statuimus, quod si aliquis clericus, religiosus, vel laicus, in aliqua provinciarum nostrarum, absque licentia diœcesani sui, altare de novo ædificare, vel aliquam jurisdictionem de novo sibi usurpare præsumpserit, in ordinariorum vel ordinarii locorum seu loci præjudicium vel gravamen: ipse clericus, religiosus, vel laicus, autoritate nostra, & præsentis concilii, ex tunc, quasi ex nunc, sit excommunicationis sententia innodatus.

XXIV. *Ut falsi & ficti, qui se asserunt apostolos, evitentur.*

Cum quidam, qui se dicunt apostolos, & religiosos se fingunt, extiterint suis exigentibus demeritis C per sedem apostolicam excommunicationis vinculo innodati, & postmodum per orbem vagabundi in multis malis fuerint deprehensi, sintque periculosi homines circa fidem: volumus, & etiam ordinamus, quod ubicumque inventi fuerint, capiantur, & diœcesanis, in quorum diœcesibus capientur, remittantur examinandi, corrigendi, & etiam puniendi.

XXV. *Sine licentia ordinarij, de caussis matrimonialibus archidiaconi non cognoscant.*

Statuimus insuper, quod nullus archidiaconus de caussis matrimoniorum vel sponsaliorum cognoscere, vel circa ea censura ecclesiastica uti valeat, sine mandato sui archiepiscopi vel episcopi speciali. Et si quid D præsumptum secus fuerit, viribus careat ipso facto: nisi de præscripta legitima consuetudine aut privilegio aliud sit obtentum. Cōc. Marciac. ann. 1326. c. 4.

XXVI. *Ut gratis caussæ apud ordinarios examinentur, consuetudine tamen super hoc observata.*

Statuimus, & ordinamus, atque præcipimus, quod quilibet nostrum archiepiscoporum, episcoporum, atque officiales nostri, & clerici quicumque dictarum provinciarum nostrarum ordinariam jurisdictionem habentes, gratis caussas examinent, sententias sponte proferant, nullam inde pecuniam recipientes: salvo eo quod pro justitia, ratione domina-E tionis, debetur. Notarius autem salarium pro labore percipiat temperatum.

XXVII. *Ubi, & penes quos, caussæ matrimoniales debeant agitari.*

Ut animarum periculum evitetur, statuimus ut nullus nostrum archiepiscoporum, & in virtute sanctæ obedientiæ universis episcopis nostrarum provinciarum præcipiendo mandamus, ne caussas matrimoniales ad eorum forum spectantes sub generali vel speciali commissione audiri vel decidi permittant, nisi per illos qui statuta canonum non ignorent, & peritiam habeant judicandi, in civitatibus vel locis insi-

ANNO CHRISTI 1368

insignibus, ubi haberi potest copia peritorum. Alias, A processus sit irritus & inanis. Per hoc tamen receptionem testium extra loca prædicta, ubi oportuerit, non intendimus prohibere.

XXVIII. *Ne suffraganei impediant quo minus ad metropolitanum libere appelletur.*

Conc Marciac. ann. 1326. c. 17.

Cum honor debitus superioribus ex obedientia & reverentia debeatur, & omnis ordo confundatur ecclesiasticus, si sua unicuique jurisdictio non servetur: statuimus, ut suffraganei ecclesiarum nostrarum, eorumque officiales, & vicarii, ipsis suffraganeis agentibus in remotis, appellantes vel recurrentes ad nos seu nostras curias, quarum jurisdictio ad B nos pertinet de consuetudine vel de jure, non impediant quomodolibet, vel perturbent; nec judicent, statuant, præcipiant aliquid; nec fatigent eorum subditos aliquatenus per se vel alios, quo minus nostra vel curiarum nostrarum seu commissariorum nostrorum mandata in premissis libere exequantur.

XXIX. *Vt domini temporales ordinarium non impediant ut ubi voluerit cognoscat: & de pœnis eorumdem.*

Cõc. Aven. ann. 1326. c. 42. & ann. 1337. c. 54.

Cum in jure cautum existat, archiepiscopos & episcopos in totis suis diœcesibus jurisdictionem ordinariam obtinere, & in quolibet loco suarum diœcesum non exempto, per se vel alium, posse pro tribunali sedere, causas audire spectantes ad forum eccle- C siasticum, & personas ecclesiasticas, cum earum excessus exegerint, capere, & carceribus mancipare, aliaque omnia & singula ad sua spectantia officia libere exercere; & nonnulli domini temporales, judices, seu officiales eorumdem, libertatem ecclesiasticã, sacrorumque statuta canonũ offendere, in animarum suarum grande periculum, non verentur; personas ecclesiasticas, quas in diversis locis nostrarum civitatum vel diœcesum ac provinciarum, suis excessibus & delictis exigentibus, per suos ordinarios capi & carceri mancipari contigerit, interdum de carceribus extrahunt violenter, impediendo quo minus de eorum delictis ac excessibus per judices ecclesiasticos, ad quos pertinet, exhiberi libere valeat justitiæ complementum: nos obviare damnandis ausi- D bus, jusque servare super iis in eisdem civitatibus & diœcesibus ac provinciis cupientes, hoc præsenti approbante concilio statuimus, quod omnes & singuli temporales domini, judices, vel officiales eorum, qui talia de cetero in eisdem provinciis & civitatibus vel diœcesibus præsumpserint attentare, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant, eorumque terræ & loca, infra decem dies postquam super hoc fuerint requisiti, extunc ecclesiastico subjaceant interdicto, donec reis, spoliatis carceribus plenarie & libere restitutis, & ordinario, cujus jurisdictionis sunt, emendam prestiterint condecentem. E

XXX. *De impeditoribus nunciorum exequentium mandata curiæ ordinariorum, & qualiter puniantur.*

Conc. Marciac. ann. 1326. c. 7.

Si quis nuncios seu executores nostros, seu suffraganeorum, seu officialium nostrorum, eorumque missos per nos vel eos, pro convocandis conciliis, synodis, citationibus, vel executionibus, de causis ad forum ecclesiasticum spectantibus, faciendis quibuscumque, indebite per se vel alium vel alios, clam vel palam impediverit, arrestaverit, litteras eisdem abstulerit, fregerit, deleverit, vel occultaverit, percusserit, vel in præmissis vel aliquo præmissorum dederit consilium, auxilium, vel favorem: eo ipso sit excommunicationis vinculo irretitus. Et si dictam excommunicationis sententiam, per sex dies ex tunc immediate sequentes, animo indurato sustinuerit absque satisfactione competenti, locus cum parochiis, in quo dicti excessus seu alter eorumdem commissi fuerint, eo ipso, ecclesiastico subjaceat interdicto: quod interdictum rector observet, mandato superioris non expectato.

XXXI. *Qualiter ad requisitionem ordinariorum, excommunicati debeant in aliis diœcesibus publicari.*

Cõc. Aven. ann. 1326. c. 6 & ann. 1337. c. 7.

Item statuimus, quod ex quo per propriam civitatẽ & diœcesim, lata per prælatum aliquem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententia, fuerit publicata, & ibidem exigente rebellione ac inobedientiũ duritia, per x. dies extiterit solemniter & publice aggravata, licitum sit eidem prælato, hujusmodi autoritate concilii, ceteros episcopos & prælatos requirere ut dictas sententias, quarum tenores & causas declaret in scriptis, in suis districtibus servent & faciant observari, publicent & faciant diebus ad hoc congruentibus publicari. Et prelatus super hoc requisitus obtemperare teneatur.

XXXII. *Vt nullus in sacris, aut beneficiatus, in curia sæculari ad officia publica nec privata admittatur: & de pœnis eorumdem.*

Cõc Aven. ann 1326. c. 26. & ann. 1337. c. 31.

Vt nullus clericus habens curam animarum, vel in sacris ordinibus constitutus, possit esse de cætero in judiciis sive causis in curia sæculari advocatus, procurator, syndicus, vel actor, pro aliquo laico, nisi in casibus in jure expressis, vel judex etiam, vel bailivus, in exercenda jurisdictione domini temporalis. Quod si monitus, infra mẽsem non destiterit, ex tũc, talis si beneficiatus fuerit, beneficiis suis, autoritate præsentis concilii, quamdiu perstiterit in premissis, suspendatur: non beneficiatus vero, a liminibus ecclesiæ arceatur, quamdiu perstiterit in præmissis.

XXXIII. *Qualiter persona ecclesiastica, dans consilium contra libertatem ecclesiasticam, puniatur.*

Cõc. Aven. ann 1326. c. 25 & ann. 1337. c. 30.

Item, quod quælibet personæ ecclesiasticæ, regulares vel beneficiatæ, vel in sacris ordinibus constitutæ, sæcularium forte principum curias & consilia frequentantes, majores vel minores vel mediæ, cujuscumque dignitatis, ordinis, conditionis, vel status existant, si scienter contra ecclesiasticam libertatem, in præjudicium alicujus ecclesiæ, vel prælati, aut rectoris ecclesiæ, consilium vel favorem aut juvamen ecclesiasticæ libertati contrarium dederint, darive procuraverint, publice vel occulte, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. Si vero dictam sententiam per annum sustinuerint animo indurato, sint eorum beneficiis ipso facto privati: & si beneficia non obtinent, ab officio sint ad triennium suspensi.

XXXIV. *Ne beneficiatus pro laico contra ecclesiam advocatus existat.*

Cum ecclesia una sit, unum Deum prædicet atque colat, & omnia quæ ipsa ecclesia habet, sit unum patrimonium crucifixi, quilibetque clericus beneficiatus, qui de ipso patrimonio vivit, ipsam non impugnare, immo defendere teneatur: idcirco præsenti constitutione statuimus perpetuo valitura, quod nullus beneficiatus, in aliqua causa, quam clericus aliquis contra aliquem laicum ratione sui beneficii habeat,

habeat, agendo vel defendendo in judicio ecclesiastico, vel etiam sæculari, laico contra clericum, nisi in casibus in quibus permissum est clerico coram sæculari judice postulare, impendat patrocinium in judicio vel extra, publice vel occulte, advocati seu procuratoris officium exercendo. Facientes contrarium, fructibus beneficiorum suorum per annum sint privati: medietate applicanda ordinario, & alia fabricæ dictæ ecclesiæ per ordinarium exigenda.

XXXV. *Quomodo qui per vim aut metum se absolvi faciunt, alia censura arceantur.*

Quicumque judices ecclesiasticos ordinarios, delegatos, vel subdelegatos, absolutionis vel relaxationis cujuslibet excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiarum beneficium impendere vi vel metu compulerint, per locorum ordinarios excommunicati publice nuncientur: & dictum absolutionis vel relaxationis beneficium, denuncietur publice aliquatenus non tenere. Et sic absolutiones vel relaxationes obtinentes, excommunicati vel interdicti denuncientur publice, sicut prius. Eadem excommunicationis sententia ligari volumus quoscumque, qui consimili modo bajulos temporalitatis ecclesiæ, seu consules, vel quoscumque alios temporales officiales, quoquo modo vexant, ut citiùs absolutionis beneficium consequantur.

XXXVI. *Ne judices temporales clericos in actionibus coram ipsis respondere compellant, nec de censura, an juste vel injuste sit lata, cognoscant: & de pœnis eorumdem.*

Cōc. Aven. ann. 1326. c. 9. Item, quod nullus dominus temporalis, judex, seu delegatus ejusdem, cujuscumque conditionis, status, aut dignitatis existat, clericum aut personam ecclesiasticam aliquo modo coram se super criminalibus vel personalibus citet vel citari faciat, seu quoquo modo distringat: exceptis causis feudalibus, in casibus a jure concessis. Quod si fecerit, & in hoc perstiterit, & infra VIII. dies se non correxerit, & quod incaute præsumpserit, non relaxaverit: ex tunc excommunicationis sententiam incurrat. Similem pœnam excommunicationis, partes, ad quarum instantiam trahuntur, incurrant, ad judicium sæculare advocantes. Item, quod de excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiis, scilicet an juste latæ fuerint vel injuste, vel de aliis causis spiritualibus vel ecclesiasticis, seu ad forum ecclesiasticum de jure vel antiqua consuetudine & observantia spectantibus, se nullatenus intromittant, nec judices ecclesiasticos vel personas super iis recurrentes ad illos in hujusmodi quomodolibet impediant vel perturbent, nec super prædictis dent auxilium, consilium, vel favorem. Alias prædicta excommunicationis sententia sint ligati: & locus ubi contra statutum hujusmodi per supradictos judices, bajulos, consules, officiales, & quemvis alium temporalem, aliquid factum fuerit, ecclesiastico subjaceat interdicto. A qua quidem sententia irretiti, eadem nullatenus absolvantur, nec interdictum relaxetur hujusmodi, nisi satisfactio prius facta fuerit, vel impensa. Et locus ubi contra constitutionem præsentem aliquid fuerit per temporales officiales ordinatum: eo ipso, ecclesiastico sit suppositus interdicto, donec omnia cum effectu fuerint revocata.

XXXVII. *Ne ad publica officia excommunicati publice admittantur.*

Cōc. Aven. ann. 1326. c. 16. & an. 1337. c. 20. Hujusmodi insuper concilii sacra & perpetuo valitura constitutione sancimus, quod nulli publice A excommunicati, in judices, consules, rectores, bailivos, potestates, assessores, vel notarios, aut ad quævis officia publica, assumantur quomodolibet, nec etiam admittantur. Et si de facto admissi fuerint, sententiæ per tales, vel eorum aliquem, & quicumque processus per eos vel eorum autoritate in judicio vel extra habiti, & munimenta coram ipsis vel per ipsos facta, sint nulla & nulli, ac irrita & irriti eo ipso. Et quicumque, cujuscumque dignitatis, conditionis, aut status existant, si tales excommunicatos ad aliquod hujusmodi officiorum scienter assumpserint, vel assumptos per alios approbaverint vel confirmaverint: similem incurrant excommunicationis sententiam ipso facto.

B XXXVIII. *Qualiter capti clerici per temporales, curiæ ecclesiasticæ remitti honeste debeant, & sine ulla innovatione facta in personis captorum. Contra facientes pœna hic contenta puniantur.*

Quia malitiis hominum est occurrendum, nos attendentes quod nonnulli domini temporales, seneschalli, vicarii, & alii sæcularium curiarum officiales, prout comperimus, manus temerarias ad capiendum clericos passim & indifferenter aliasque personas ecclesiasticas incurialiter, & eo modo quo possunt turpius, ad majorem confusionem ecclesiæ, extendere non verentur; quin immo ipsos suis carceribus mancipant, & ibidem nonnunquam eos radi faciunt totaliter vel tonderi, & mutare habitum cogunt, seu etiam permittunt, confingentes tales C clericos non fuisse, vel non esse in possessione clericatus, seu quasi, in suarum periculum animarum, & enervationem ecclesiasticæ libertatis: prohibemus ne a quocumque talia vel similia de cætero attententur; & talia attentantes, seu facientes, cujuscumque status, gradus, conditionis, vel dignitatis existant, sive sint laici, sive ecclesiasticæ personæ, sæculares vel etiam regulares, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto. Si vero flagrante crimine capi eos contigerit: ipsos, quam citius poterunt, ad curiam ecclesiasticam ducant, & eos restituant sine fraude. Si tamen de nocte tales ceperint, debeant in crastinum, sine retentione rerum suarum, vel læsione personarum, sine requisitione alia reddere D eos curiæ supradictæ; nec eis liceat aliquid a captis hujusmodi dono vel gratia sub colore aliquo extorquere, vel recipere gratis data. Et si in civitate, castris, vel villis, captionem hujusmodi fieri contingat: adducant ipsos, quam citius poterunt, ad ecclesiasticam curiā, vel transmittant sub fida custodia, & expēsis ipsius curiæ moderatis. Quod si secus egerint, vel in fraudem aliquid super hoc attentaverint: eadem sententia involvantur. Et si clericum detentum de loco ad locum mutaverint: omnia loca illa tamdiu sint & remaneant interdicta, donec clericum captum cum rebus suis diœcesano restituerint, & de injuria irrogata ad arbitrium diœcesani satisfecerint competenter. E

Cōc. Aven. ann. 1326. c. 14. & an. 1337. c. 17.

XXXIX. *Prorogatio jurisdictionis in invasores & occupatores ecclesiasticorum bonorum, & sententiam exercendo.*

Cum quanto quis passus injuriam in majori statu existit, atrocior injuria judicetur, & ideo sit cautius & uberius providendum: igitur si cui nostrum archiepiscoporum & episcoporum vel ecclesiarum nostrarum, seu nostrorum familiariorum clericorum, in personis vel rebus fuerit injuria vel violentia irrogata, sicut posset quilibet ex nobis archiepiscopis & episcopis & nostris officiariis & vicariis, ac vicem geren- Cōc. Aven. ann. 1326. c. 19.

ANNO CHRISTI 1368.

gerentibus & locatenentibus, procedere de jure, consuetudine, vel statuto, contra injuriatores, violatores, & turbatores hujusmodi, si in propria diœcesi facta essent: sic etiam possint, si extra propriam diœcesim & provinciam, dum tamen infra nostras provincias sint commissa, simpliciter, & de plano, & sine strepitu & figura judicii, citare, informationes recipere, inquirere, diffinire, declarare, & omnem jurisdictionem & censuram ecclesiasticam exercere, ad satisfactionem sufficientem & debitam obtinendam. Per hæc autem non intendimus, quod ordinario præjudicium generetur, quin etiam ex officio possit procedere ad pœnam debitam imponendam, ac etiam ad faciendum satisfieri injuriam passis, si ab eis fuerit requisitus. Et ut prædicta omnia roboris obtineant firmitatem: nos omnes archiepiscopi & episcopi, & procuratores episcoporum absentium, super iis plenam & expressam concedimus facultatem. Nec objici valeat contra tales processus, quod extra territorium jus dixerit sic procedens: quia, quoad præmissa & quælibet præmissorum, jurisdictionem nostram & nostrum cuiuslibet, vicissim inter nos omnes in nostrorum singulos prorogamus, vices nostras nobis ad invicem, & dictarum provinciarum, civitatum, & diœcesum singulis cuiuscumque nostrum officialibus & locatenentibus, præsentibus & futuris, in solidum committentes: universisque nostris subditis iniungentes, ut in præmissis sic procedenti pareant & intendant. Quod nisi fecerint, possit procedens per censuram ecclesiasticam animadvertere in eosdem. Et nihilo minus, si nos archiepiscopi aut episcopi sic procedentes, requisiti, prætermiserimus suas in hac parte iustas requisitiones aliquatenus exaudire, aut id super quo requisiti fuerimus, non curaverimus infra quindecim dies perducere ad effectum: requisitus, eo ipso per unum mensem autoritate præsentis concilii a pontificalibus sit suspensus: statuto huiusmodi per decennium, & post per aliud sequens decennium, nisi interim revocatum fuerit, valituro. Ita tamen, quod per hoc, sic procedenti in aliena civitate vel diœcesi, nullum jus aut jurisdictio in posterum ex longinquitate temporis, vel post statutum proximum terminum, acquiratur.

XL. *Super causis mere spiritualibus, aut de jure vel consuetudine ad forum ecclesiæ pertinentibus, quo minus judex ecclesiasticus cognoscat, sæcularis judex arceri possit.*

Cōc. Aven. an. 1326 c. & ann. 1337. c. 55.

Cum nonnulli temporale dominium obtinentes, seu sæcularis justitiæ potestatis gerentes officium, jurisdictionem sanctæ matris ecclesiæ subvertere vel minuere exquisitis astutiis moliantur: nos eorum malitiis ultione canonica reprimere cupientes, approbante præsente concilio statuimus, inhibendo, ne qui in foro ecclesiastico litigantes seu litigare volentes super causis mere ecclesiasticis, sive quæ ad forum ecclesiæ de antiqua & approbata consuetudine & hactenus observata pertinere noscuntur, ad desistendum compellant, seu alias quoquo modo procurent per ipsorum, vel parentum, consanguineorum, seu rerum eorum, vel personarum huiusmodi captionem, modisve aliis quibuscumque. Si vero contra facere præsumpserint, excommunicationis sententiæ, autoritate præsentis concilii, se noverint subjacere.

XLI. *Quod de omnibus contractibus, tam vassallaticis, quam emphiteotecariis, duo fiant publica instrumenta.*

Statuimus insuper & perpetuo ordinamus, quod

A de omnibus contractibus, tam vassallaticis, quam emphiteotecariis, rerum ecclesiasticarum, infra nostras provincias deinceps duo fiant necessario publica instrumenta per alphabetum divisa: quorum unum penes se habeat dominus ecclesiasticus, & alterum vassallus seu emphiteota.

XLII. *Ne apud creditores instrumenta remaneant, postquam eis fuerit satisfactum, pœna contra eos imminente.*

Cōc. Aven. ann. 1337. c. 27.

Cum nulla iuris patiatur ratio, quod bis idem debitum exigatur: nos volentes materiam exigendi bis idem debitum, & vexationes indebitas, quantum possumus, amputare: statuimus, quod nullus creditor, Christianus vel Iudæus, postquam sibi fuerit integre de debito satisfactum, possit nec debeat B instrumentum vel mandamentum soluti iam debiti retinere: nisi forsitan creditor ad aliquam cautelam vellet instrumentum prædictum vel mandamentum in præsentia solventis cancellatum & ruptum penes se conservare: ac etiam apocham, si petatur, teneatur facere de soluto. Creditor autem si, postquam per debitorem soluto debito fuerit requisitus, restituere vel rumpere & cancellare non curaverit instrumentum vel mandamentum prædicta: si Christianus fuerit, eo ipso, autoritate præsentis concilii, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto. Eandem excommunicationis sententiam incurrere volumus creditores Christianos, qui in animarum suarum detrimentum bis idem debitum in totum vel in partem exigere nituntur. Si vero Iudæi fuerint, a C participatione fidelium sint exclusi.

XLIII. *Vassalli ecclesiæ, vel emphiteotæ, in alium transferendo res vassallaticas, in contractu exprimant qualiter ab ecclesia teneantur. Quod si omittant dicere, pœna constitutionis puniantur.*

Ibid. c. 55.

Quia quidam suæ salutis immemores, tenentes ab ecclesiis castra, villas, domos, terras, nemora, vel prata, seu quasvis possessiones, in emphiteosim, vel sub certo feudo, dominio, senhoria, censu, servitio, pensione, vel præstatione quacumque, plerumque illas & illa vendunt, permutant, vel donant, seu alias ignorante domino distrahunt, nulla de emphiteosi, feudo, dominio, senhoria, censu, servitio, pensione, vel præstatione, quod ab ecclesia teneatur, habita mentione: quinimmo interdum ipsas seu ipsa, tanquam ab omni censu, servitio, & pensione, D vel minori parte, seu quovis alio iure ecclesiis debito, liberas, alienant: nos tam saluti talia volentium attentare, quam indemnitati ecclesiarum providere volentes, statuimus, quod quicumque tenens ab ecclesiis nostris, vel aliis personis ecclesiasticis nobis subiectis, castra, villas, domos, possessiones, vel alias res immobiles, seu loca, vel iura, cum ad venditionem, donationem, permutationem, seu quamvis aliam alienationem eorum vel earum duxerit procedendum, de feudo, emphiteosi (etiamsi canon vel pensio propterea non solvatur) censu, servitio, dominio, vel senhoria, pensione, seu quavis alia præstatione eisdem ecclesiis debitis, etiamsi in alienatione de iure vel consuetudine non sit illius a quo tenentur requirenda scientia vel consensus, plenam & expressam E debeant facere mentionem. Alias, si aliquid prædictorum in toto vel in parte ecclesiis debitorum in contractu vel alienatione huiusmodi celaverint, vel scienter omiserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. Eandemque pœnam incurrat notarius, qui sine expressione huiusmodi iurium, de contractu scienter vel fraudulenter faciet instrumentū.

XLIV.

ANNO CHRISTI 1368.

XLIV. *Super juramento præstito a laico, ut ipse & ejus heredes coram judice ecclesiastico pro ejus observatione valeant conveniri.*

Conc Marciac. ann. 1326. c. 12. Si qui laici, principaliter vel fideiussorio nomine, super contractibus, vel alias, iuramento corporaliter præstito, vel fide interposita, se obligaverint: ut possint super huiusmodi contractibus coram ecclesiastico iudice conveniri, ad cuius forum, ratione juramenti, vel interpositionis fidei, causæ & causarum huiusmodi cognitio noscatur sine dubio pertinere. Et idem statuimus de heredibus, & ab eis causam habentibus & habituris, super hac observantia. In contrarium facientes, vel venientes, vel quoad hoc jurisdictionem ecclesiasticam perturbantes, vel forum ecclesiæ vel litigantium super hoc impedientes, pœnæ excommunicationis volumus, autoritate præsentis concilii, subjacere.

XLV. *Quomodo juramentum præstitum moniti servare per judicem ecclesiasticum teneantur: & qualiter contra eos procedendum existat.*

Ibid. c. 15. Statuimus insuper, ut quicumque transgressores juramenti manifeste fuerint deprehensi, ad mandatum nostrum seu suffraganeorum, aut officialium nostrorum, vel eorum alterum*, aut judicum sedis apostolicæ competentium, prout ad quemlibet talium jurisdictio noscitur pertinere, in ecclesiis eorum publice denuncientur perjuri. Qui si admoniti, satisfacere noluerint: extunc excommunicentur, candelis extinctis, & pulsatis campanis, singulis diebus Dominicis & festivis; & denuncientur infames, nec ad testimonium aut ad actus legitimos admittantur, neque in foro pœnitentiæ, præterquam in mortis articulo, absolvi valeant, nisi a nobis vel suffraganeis nostris, prout eis subsunt, vel ab illo seu illis qui a nobis seu ipsis super hoc mandatum habuerint speciale. Et nomina talium per rectores in ecclesiis conscribantur. Et hoc statutum frequenter in ecclesiis cathedralibus & parochialibus præcipimus publicari.

* Corr. alterius

XLVI. *De capis portandis per canonicos ecclesiarum cathedralium & collegiatarum in Divinis officiis.*

Statuimus quod abbates, priores, præpositi, decani, & archidiaconi, & alii quicumque in dignitatibus constituti, ac canonici cathedralium vel collegiatarum ecclesiarum, sæcularium vel regularium, infra ecclesias suas & claustra, ad Divina officia & processiones, a festo omnium sanctorum usque ad sabbatum Paschæ, deferant capas nigras: exceptis diebus, quibus capis sericis solent uti. Alioquin in choro superiori vel majori non sedeant, nec in processionibus inter capatos incedant, sed eos præcedere teneantur.

XLVII. *Quomodo se habeant in vestibus portandis dignitates in ecclesia habentes.*

Statuimus & statuendo præcipimus, ut omnes & singuli, dignitates & personatus obtinentes nostrarum provinciarum, vestes superiores clausas deferant & honestas: nisi eos contingeret equitare, vel alias justa causa subesset, per quam, qualitatem prædictam deberent rationabiliter immutare. Nec capucia deferant botonata, nec beccas longas: & strictas manicas supertunicales tales deferant, quod non possint de inhonestate notari.

XLVIII. *De familiaribus & scutiferis episcoporum, in vestibus portandis, quales portare teneantur.*

Insuper statuimus, & statuendo præcipimus, ut omnes & singuli episcopi, & prælati, & aliæ personæ ecclesiasticæ beneficiatæ nostrarum provinciarum, quantum in eis fuerit, faciant, ut nullus familiaris ipsorum, sotulares deferat cum polanis, nec vestes nimia brevitate notandas, sed in tali & tam convenienti longitudine, quamdiu erunt in eorum servitio, quod de honestate potius commendari valeant, quam de inhonestate reprehendi.

XLIX. *Ne personæ ecclesiasticæ temporalem jurisdictionem habentes, malefactores receptent.*

Cum summum bonum sit in terris justitiam colere, cujus cultus extra sustentationem malefactorum & bannitorum multipliciter impenditur: statuimus sacro concilio approbante, quod nulla persona ecclesiastica sustineat malefactores vel bannitos in locis suis, in quibus justitiam obtinet temporalem. Si vero contra fecerit, arbitrio sui ordinarii puniatur.

L. *Qualiter canonici in eorum ecclesiis juxta eorum gradum officiare teneantur: & si non faciant, quomodo puniantur.*

Volentes officium Divini cultus pro viribus ampliare: statuimus, quod quilibet residens intitulatus in ecclesia cathedrali vel collegiata, sæculari vel regulari, habeat in hebdomada sibi assignata officiare ecclesiam in ordine in quo fuerit constitutus: scilicet presbyter Missam dicere, diaconus evangelium, & sic de aliis. Et prædicta habeant executioni mandari per deputandum vel deputatum per eorum superiores, qui ecclesiis præsunt supradictis. Et si in iis dicti inferiores non obedierint prælatis suis, vel illis qui per eos fuerint deputati: per subtractionem præbendæ unius septimanæ, vel ut prælato suo videbitur, puniatur: alias nihilo minus plus vel minus legitime puniendus, prout pravitas vel inobedientia meruerit delinquentis. Super prædictis vero, conscientiæ ordinariorum aut eorum superiorum committitur, quod dispensare valeant, si ipsis ordinariis videbitur faciendum.

LI. *Plena provisio, in quo statu debet succedens in beneficio ecclesiam retinere.*

Cōc. Aven. ann. 1326. c. 52 & an. 1337. c. 62. Statuimus, quod si contingat quemquam ecclesiam aliquam suam quomodolibet dimittere sine morte, juxta æstimationem legitimam & ejusdem ecclesiæ facultates, relinquat ibidem in bonis mobilibus tantum, quod personæ necessariæ ipsi ecclesiæ & domui ejusdem, inde possint vivere usque ad novos fructus, & commode sustentari, & onera eidem ecclesiæ interim incumbentia supportare, & animalia aratoria, & ornamenta ecclesiæ, & supellectiles consuetas: quodque successor quilibet omnia ornamenta ecclesiastica, & universam domus supellectilem in pannis & aliis, in illo statu conservet, & meliori, si poterit, ac reddere teneatur, in quo recipiet ecclesiam supradictam.

LII. *De distributionibus percipiendis quotidianis interessentibus in Divinis.*

Cōc. Aven. ann. 1337. c. 50. Cum laborantibus in vinea Domini diurnus debeatur denarius, & negligentibus seminare in benedictionibus messis temporalis juste debeat denegari: autoritate præsentis concilii statuimus, & etiam ordinamus, ut nullus canonicus cathedralis seu collegiatæ

ANNO CHRISTI 1368.

giatæ ecclesię, seu alii clerici perpetui beneficiati in A eisdem ecclesiis, cujuscumque dignitatis aut conditionis existant, etiam prætextu alicujus assumpti officii, vel etiam servitii colorati, distributiones quotidianas, quæ solis horis canonicis interessentibus dari debent, recipiat, nisi in eisdem horis personaliter intersit, aut occasione dicti officii & pro negotiis capituli utilibus, omni fraude cessante, fuerit personaliter occupatus, seu infirmitate detentus; quacumque donatione, remissione, vel gratia contra hæc nullatenus valitura.

LIII. *Quomodo & per quem bona ecclesiastica vacantia custodiantur, prælato decedente.*

Cum non sine gravi peccato, quod suum non est B possit aliquis retinere, * antiquum canonem: hoc hujusmodi placiti ad memoriam reducentes, sacro approbante concilio statuimus, quod post mortem archiepiscopi, aut episcopi, vel alterius prælati provinciarum nostrarum, vel alicujus earumdem, bona ejus ecclesiastica ad manus aliquorum fide dignorum perveniant, secundum quod in ecclesia defuncti de consuetudine est observatum. Vel si consuetudo cessat, duo eligantur fide digni, si præerat defunctus collegio vel conventui, aut ab episcopo diœcesano, vel ejus locumtenente, si defunctus collegio vel conventui non præerat, qui bona recipiant supradicta; & infra x. dies, tales administratores, seu procuratores, adhibito tabellione publico, & testibus ad hoc specialiter convocatis, conficiant de om- C nibus rebus defuncti mobilibus & immobilibus & se moventibus inventarium. Et si per negligentiam hoc fuerit omissum, prædicti procuratores ad duplum teneantur. Si vero prædicti administratores, vel aliquis alius, de bonis prædictis aliquid invaserit, vel rapuerit, vel tenuerit fraudulenter; & legitime admonitus, bona sic retenta sine diminutione non restituerit: præsentis autoritate concilii se noverit excommunicationis sententia innodatum. Admonemus autem archiepiscopos, episcopos, & alios prælatos provinciarum nostrarum, ut in eorum vita, si commode fieri poterit, de rebus prædictis confici faciant inventarium; & illud cum diligentia observari. D

*for. juxta ant. can.

LIV. *Pœna imposita contra occupatores bonorum ecclesiæ sede vacante.*

Conc. Aur. cit. ann. 1300. c. 2.

Statuimus, ut quæcumque capitula, conventus, collegia, & singulares personæ ecclesiarum cathedralium, collegiatarum, sæcularium & regularium, vacantia bona ipsarum indebite occupaverint in eorum dispendium & jacturam, eo ipso excommunicationis sententiam incurrant, si singulares personæ extiterint. Si autem universitas, tunc ad duplum rerum sublatarum teneatur.

LV. *Quomodo clerici & laici puniantur, qui sede vacante bona ecclesiæ saisiri faciunt, aut præsumunt.* E

Conc Nugarol. ann. 1315. c. 1.

Hoc consulto prohibemus statuto, ne patroni aut quicumq; alii sæculares, ecclesias vacantes occupent, saisiant, seu saisire aut occupare faciant. Quod si contrarium præsumpserint attentare, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, & illa vice eorum filii, & quicumque alii, ad eorum instantias ad obtinendum dictas ecclesias sint inhabiles penitus & indigni. Et si de facto, quod absit, conferantur eisdem: collatio hujusmodi sic præsumpta, nullius sit penitus momenti, nisi ex antiqua consuetudine & laudabiliter approbata hoc competat eisdem.

LVI. *Per quos, administratores ecclesiæ vacantis eligantur, & qualiter in administratione se habeant, plene providetur.*

Vt ii quibus administratio bonorum archiepiscopalis vel episcopalis dignitatis competit sede vacante ex consuetudine vel statuto, vel qui ad hoc per capitulum eliguntur, sciant se solam administrationem & custodiam dictorum bonorum habere: statuimus, ultra remedia jam provisa, quod ille qui administrationem hujusmodi exercebit, ad palatium seu hospitium episcopale, nisi de expresso consensu capituli, se non conferat ad morandum, nec de chartulario, seu archivo, vel alio loco ubi teneantur privilegia, instrumenta, seu regestra, libros, seu alias scripturas abstrahat, nisi ipsis pro dicta administratione indiguerit: & tunc de consensu capituli, & præsentibus duobus vel tribus canonicis per ipsum capitulum deputatis, vel aliquo de principalioribus officialibus vel capellanis dicti defuncti, una cum duobus vel tribus rectoribus vel vicariis, curatis, vel aliis probis sacerdotibus civitatis vel diœcesis ejusdem: & statim cum ipsis non indiguerit, ea in loco unde abstracta fuerint restituat vel reponat: nec pro ejus expensis aliquid de dictis bonis recipiat vel expendat, nisi ipsum pro negotiis ipsius dignitatis oporteat de consensu capituli & extra suum domicilium proficisci. In quo casu dumtaxat, quamdiu circa expeditionem dictorum negotiorum extiterit, possit moderatas expensas recipere & habere. Et teneatur futuro ipsius ecclesiæ prælato de tota dicta administratione, quam citius poterit commode, fidelem reddere rationem. Et quicquid apud ipsum, ratione reddita, repertum fuerit superesse, necnon privilegia, instrumenta, regestra, libros, & scripturas alias, quæ, seu quas, de chartulario seu archivo vel alio loco abstraxerit, nisi jam restituerit, ut est dictum, integre & realiter restituat infra mensem. Illi vero qui hactenus privilegia, instrumenta, regestra, libros, & scripturas alias, quæ seu quas de dictis chartulario, archivo, vel alio loco abstraxerint, vel penes se retinuerint scienter, aut tunc habuerint, infra duos menses dicto prælato restituant. Alioquin, nisi restitutionem hujusmodi fecerint de prædictis, excommunicationis sententiæ se noverint subjacere: statutis & consuetudinibus contrariis non obstantibus quibuscumque. Sane quia frequenter archiepiscopi & episcopi, ex privilegio sedis apostolicæ testantur etiam de bonis intuitu ecclesiæ acquisitis, vel alias, quantum eis a jure permittitur, de bonis suis ordinant vel disponunt: caveat dictus administrator, & etiam capitulum diligenter, quod executionem testamenti, vel ordinationem, seu dispositionem factam canonice, non impediant vel perturbent, nec aliquid scienter malitiose vel dolose occupent vel faciant occupari de bonis prælati defuncti, sed ea libere permittant executoribus testamenti prælati defuncti. Alias, si qua de bonis ipsius prælati defuncti, ut prædicitur, præsumant occupare, vel hactenus præsumpserint, & infra mensem ex quo fuerint requisiti, plenarie non restituerint executoribus supradictis: ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Et quoniam utplurimum successor prælati defuncti, qui condidit testamentum, petit de bonis defuncti provisionem usque ad novos fructus, ex quo semper sequuntur litigia, & dicta bona in litigiorum anfractibus expenduntur: nos volentes hoc evitare, decernimus quod si successor archiepiscopi vel episcopi aut cujuslibet prælati collegiatæ ecclesię, vel rectoris, vel vicarii perpetui ecclesiæ parochialis, fructibus post mortem prædecessoris sui collectis &

ANNO CHRISTI 1368

& postea colligendis contentus esse noluerit, sed provisionem de bonis sui prædecessoris petierit, computentur fideliter omnes fructus, redditus, & proventus dictæ dignitatis, vel parochialis ecclesiæ, totius anni, quo vacavit, qui annus incipiat in festo B. Ioannis Baptistæ, & dividantur inter defunctum & successorem, pro rata temporis illius anni, quo quilibet præfuit dictæ dignitati vel ecclesiæ, & ipsius onera supportavit. Hoc autem extendi nolumus ad alia beneficia, cum eadem obtinentes non habeant tot onera supportare: sed servetur in eis quod est de jure statutum, vel consuetudine approbatum. Hujusmodi vero provisionem ad rectores vel vicarios perpetuos ecclesiarum parochialium extendi non intendimus, in civitatibus, diœcesibus, vel provinciis, ubi aliud de statuto vel rationabili consuetudine est obtentum.

LVII. *Baillivia & scribania ad prælatos spectantes, ad voluntatem, non ad vitam, conferantur.*

Statuimus, quod nullus nostrum archiepiscoporum vel episcoporum, nec prælatus, seu capitulum alicujus ecclesiæ cathedralis vel collegiatæ, de aliqua provinciarum nostrarum, vel aliqua singularis persona de ipso capitulo, Baillivias, scribanias, seu alia officia, ad nos seu dignitates vel beneficia nostra spectantia, possit de cætero alicui personæ concedere ad ejus vitam, sed ad beneplacitum dumtaxat concedentis seu concedentium eorumdem.

LVIII. *Bona ecclesiæ quæcumque, ad sigillum cujuscumque domini temporalis minime obligentur.*

Volentes ecclesiarum indemnitatibus providere: statuimus, quod aliquis prælatus vel clericus beneficiatus, cujuscumque status vel conditionis existat, bona dignitatis vel etiam beneficii sui obligare sub sigillo regis vel alicujus domini temporalis non præsumat. Et si contra faceret, eo ipso excommunicationis sententiæ ipsum decernimus subjacere.

LIX. *Ne quis bona clericorum in ædem sacram deposita sub banno ponere præsumat.*

Denunciari præcipimus publice excommunicatos, universos & singulos dominos temporales, judices, & alios quoscumque, qui apud ædes sacras deposita bona ecclesiarum vel ecclesiasticarum personarum, arrestaverint, saisiverint, vel occupaverint, & qui arrestari, saisiri, vel occupari mandaverint, & qui talia occupata, saisita, seu arrestata receperint, & qui in prædictis scienter dederint publice vel occulte consilium, auxilium, vel favorem, excommunicatos ex nunc ut ex tunc haberi volumus ipso facto.

LX. *Quomodo & qualiter ordinarii in exequenda ultima voluntate habere se debeant, & quem processum inde habeant exercere.*

Periculosæ negligentiæ perversæque heredum malitiæ, defunctorum, & eorumdem ultimarum voluntatum executorum, occurrere cupientes, & ut piæ voluntates defunctorum, effectum debitum sortiantur: nos, sacro approbante concilio, statuimus, ut tam nos archiepiscopi & successores nostri, quam venerabiles fratres nostri episcopi provinciarum nostrarum, & cujuslibet eorumdem, & eorum successores, visitationis officium exercendo, & alias quandocumque nobis vel eis videbitur expedire, possimus super executionibus testamentorum, circa relicta ad pias causas inquirere & procedere ex mero & puro officio, absque libelli oblatione & litis contestatione, & absque strepitu & figura judicii, simpliciter & de plano, ipsaque negotia, veritate cognita, decidentes, voluntates ultimas defunctorum executioni debitæ demandare: cum nil cautum* hominibus debeatur, quam ut extremæ voluntatis liber sit stilus, & liberum, quod postea non redit, arbitrium: eademque forma possit servari super usurarum restitutionibus faciendis. Et licet hæc fuissent jam a jure permissa: volumus, quod præsens statutum non tantum futura negotia, sed & præterita, & adhuc pendentia complectatur.

* Corr. tantum

LXI. *Prælati in vita vel in morte, ecclesiæ cui præfuerint, certam capellam hic relinquant, ad summam designatam.*

Cum ob honorem Dei & cultus Divini, ecclesiæ, maxime cathedrales, pulcris pollere debeant ornamentis: idcirco sacro approbante concilio statuimus, quod quilibet nostrum archiepiscoporum & episcoporum provinciarum nostrarum, in vita sua unam capellam integram de pulchris pannis & nobilibus, ecclesiæ cui præfuerit, vel centum florenos auri pro eadem emenda relinquere teneatur. Et ad hoc sint ejus bona, quæcumque habuerit, dicto tempore, obligata.

LXII. *Curati in suorum parochianorum voluntatibus ultimis, si commode vacare possint, assistant. Et qualiter notarii in manifestando dictas ultimas voluntates habere se debeant. Et per quem legata incerta & quomodo distribuenda existant.*

Ne relicta in testamentis vel aliis ultimis voluntatibus, causa emendæ, vel ad pias causas eleemosynæ, vel restitutionis certæ aut incertæ, forsitan occultentur: statuimus, ut presbyter parochialis interesse rogetur ordinationi testamenti, si haberi poterit: & quod notarius, qui receperit testamentum aut aliam ultimam voluntatem, infra octo dies a die obitus numerandos, prælato, vel officiali, aut presbytero parochiali, copiam illius articuli, ubi quævis eleemosyna piis est usibus deputata, vel emenda seu restitutio facienda, sub pœna excommunicationis, quam ipso facto, si requisitus reddere negaverit, incurrat, facere fideliter teneatur. Si vero testamentum per suum presbyterum receptum fuerit; quod presbyter, omnium legatorum piorum in dicto testamento factorum copiam clausulæ vel clausæ suo ordinario, seu ejus officiali, infra præfatum VIII. dierum terminum, sub excommunicationis pœna, mittere teneatur. Et ille vel illi cum heredibus vel executoribus testatoris ordinare festinent, quod emendæ non occultentur, & eleemosynæ sic relictæ, vel restitutiones hujusmodi, non pereant ad tempus magnum, vel modicum, aut forte perpetuo. Adjicientes insuper, quod incertæ restitutiones nulli per aliquem, præter diœcesani licentiam, præbeantur; nec distribui præsumantur alibi, quam ubi prælatus duxerit ordinandum, etiamsi contrarium a testatore dictum esset: nisi testator, executoris vel executorum suorum arbitrio faciendam restitutionē & distributionem hujusmodi ordinasset. Quo casu, executores a tempore mortis, ubi tempus restitutionis vel distributionis non esset testamento insertum, alias ab illo expresso tempore computandum, infra sex mēses debeāt fideliter defuncti exequi voluntatē. Quod si

Conc. Aven. ann. 1326. c. 10. & an. 1337. c. 24.

ANNO CHRISTI 1368.

si non fecerint: extunc diœcesani restitutiones & distributiones incertas faciant, intentionem defuncti, quantum poterunt, imitantes. Executores autem prædicti, ut magis habeant materiam fideliter exequendi: de distributionibus & de restitutionibus prædictis, diœcesano reddere teneantur rationem. Ad hæc autem adjicimus & mandamus, quod presbyteri in synodis venientes, prælato suo vel officiali ejus, in scriptis testatorum & executorum nomina, & quantitatem hujusmodi præsentare*. Cum in eo, in quo alicujus interesse rationabiliter tangitur, ejus vocatio debita requiratur: volumus insuper & inhibemus, quod in distributionibus legatorum, quorum divisioni seu executioni habent interesse episcopi de consuetudine vel de jure, vocari debeant episcopi, seu locatenentes ipsorum: quibus equidem non vocatis, nulla præsumatur fieri distributio de legatis. Et si facta fuerit, heredi vel successori, vel illi cui relictum est, nulla ex tali distributione libertas acquiratur.

Adde ex ...nc. Aven. ... virtute ...bedientiæ ...neantur. ...tque sui ...finit ca...n 2.0. A...mionensis. ...tera, quæ ...e sequun...r, efficiunt ...nonem ...Aven.

LXIII. *Super sepultura inter duas ecclesias orta dissensione, qualem processum ordinarius habet exercere.*

Conc. Marciac. ann. 1326. c. 21.

Si super electione sepulturæ alicujus defuncti dubium inter duas ecclesias, vel alias, inter partes oriatur: ad ordinarium vel officialem illius, sub cujus jurisdictione defunctus degebat tempore mortis ejus, protinus recurratur: qui summarie, & absque figura & strepitu judicii, de dubio cognoscat hujusmodi; & antequam corpus defuncti tradatur ecclesiasticæ sepulturæ, si possit absque onere* & scandalo reservari, breviter diffiniat quæstionem prædictam: & quod deinde diffinierit, non obstante appellatione, executioni debitæ demandetur. Si vero causæ cognitionem, vel propter officialis absentiam, decisionem dicti dubii, differri contingat, & cadaver hujusmodi absque scandalo inhumatum nequeat reservari: si in parochia sua hujusmodi obierit, in eadem; si vero in alia, in ipsa, absque ipsarum partium præjudicio, sub commenda tumuletur, quousque dictum dubium fuerit terminatum. Si qui autem in præmissis contradictores extiterint aut rebelles, recipiendo ipsum corpus, alibi deportando sepeliendum, dando auxilium, consilium, vel favorem: loca, eo ipso, ecclesiastico subjaceant interdicto, a quo nullatenus liberentur, quousque ad cognitionem ordinarii de præmissis satisfactionem fecerint competentem. Necnon præcipimus sub excommunicationis pœna, quam contrarium facientes incurrere volumus ipso facto, ut nullus, cujuscumque conditionis aut status existat, dictum funus, antequam cognitum fuerit apud quam ecclesiam tumulari debeat, dictum corpus sic injuriose receptum sequatur, seu concomitare præsumat. Eandemque sententiam incurrere volumus quemcumque asportantem per se, vel per alium, pannum seu pannos aureos vel sericos, vel tortitia, ad locum funeris sic recepti, ut præfertur. Adjicientes insuper, quod si illi qui ante cognitionem prædictam corpus receperint, asportaverint, seu asportari fecerint, per se vel alium, sive dantes super hoc auxilium, consilium, vel favorem: si fuerint religiosi mendicantes, eo ipso, ab auditione confessionum in omnibus nostris provinciis ac diœcesibus propriis, & publica propositione verbi Dei perpetuo sint exclusi.

al. dedecore

LXIV. *De corporibus defunctorum, eorum ecclesiis præsentandis, si consuetudo habeatur.*

Conc. Marciac. ann. 1326. c. 24.

Ut honor debitus matrici ecclesiæ, per ejusdem parochianos & subditos observetur, in qua consueverunt cœlesti pabulo refici, dum vivebant, & juxta Apostolum sint consolationis socii, qui fuerunt passionum: statuimus, quod quicumque extra parochialem suam ecclesiam elegerit sepulturam, ejus corpus, ante ipsius sepulturam, si in sua parochia vel extra decesserit, vel illud ad ipsam deportari contigerit, matrici ecclesiæ solemniter præsentetur, si hoc de consuetudine vel de usu habeatur; & eidem reddatur de funeralibus debitum, prout de jure vel in parochia decedentis est fieri consuetum. Contrarium vero facientium loca, ipso facto, ecclesiastico subjaceant interdicto: & transgressorum nomina per rectores locorum ordinariis intimentur, ut interdicti sententiam observari faciant, & prout justum fuerit, aggravari.

LXV. *Quam portionem curati ecclesiarum habere debeant in deposito funere, quousque alibi in electa sepultura tumuletur.*

Desiderabiliter affectantes ut parochiales ecclesiæ, quę maternos imitantur affectus, piis in Domino suorum defunctorum parochialibus juribus non fraudentur: declarando statuimus, quod per illos apud quorum ecclesias seu cœmeteria defunctos ipsos extra loca obitus transferendos deponi continget, de funeralibus & legatis eisdem parochialibus respondeatur ecclesiis, ac si in ipsis, in quibus corpus est depositum, sepulturam perpetuam elegissent.

LXVI. *Mandatur ut decretalis* Super * cathedram *penitus observetur.*

Conc. Marciac. ann. 1326. c. 27.

Volentes inter prælatos & rectores ecclesiarum quæstionis & scandali materiam amputare: ut inter eosdem pacis tranquillitas vigeat, & fervor caritatis existat, præcipimus observari constitutionem editam per bo. mem. dominum Bonifacium papam octavum, quę incipit: *Super* * *cathedram præeminentiæ pastoralis*: innovatam per fe. rec. dominum Clementem papam quintum in concilio Viennensi. Si qui vero religiosi contra dictam constitutionem malitiose venerint, & eidem in omnibus & per omnia non obtemperaverint: eo ipso ab auditione confessionum in omnibus nostris provinciis ac diœcesibus propriis, & publica propositione verbi Dei, perpetuo sint exclusi; donec, satisfactione præhabita, ab altero nostrum archiepiscoporum, in cujus civitate vel diœcesi transgressores dictæ constitutionis moram traxerint, vel a suffraganeis, in quorum civitate vel diœcesi transgressiones prædictas fecerint, de consilio tamen sui metropolitani, vel diœcesani, relaxationem super pręmissis meruerint obtinere.

* al. custodiam

LXVII. *Ne religiosi aut alii prædicent quo minus a solutione decimarum aliquis retrahatur.*

Conc. Marciac. ann. 1326. c. 30.

Præcipimus etiam publicari, quod nulli religiosi, vel alii, in sermonibus suis, confessionibus, aut aliis actibus, de cætero talia præsumant proponere, quæ audientium animos a decimarum, vel aliarum rerum, ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, seu aliis piis locis debitarum solutione retrahant, vel circa id corrumpant: immo verbo & opere informent eosdem, ut ad solutionem prædictorum promptę voluntatis animo sint attenti. Si autem contrarium fece-

fecerint: ab auditione confessionum & publica propositione verbi Dei in nostris provinciis perpetuo sint exclusi.

LXVIII. *Cuicumque liberum existit domos aut horrea locare pro decimis recondendis, & eas arrendare libere, & pro arrendatoribus fidejubere, prohibitione dominorum temporalium non obstante; gravi pœna contra eos imminente.*

Cum in nonnullis partibus provinciarum nostrarum, locorum domini temporales ecclesiasticis utilitatibus invidentes, non permittant quod personæ ecclesiasticæ, quæ inibi decimas percipiunt, emant seu alio titulo acquirant & habeant domos, seu horrea, vel cellaria, in quibus decimales redditus congregentur aut conserventur; prohibeant etiam subditis suis, & diversis modis eos trahant, ne dictis personis ecclesiasticis, aut ementibus ab eis, domos, horrea, aut vasa ad hoc locent, commodent, vel concedant: quod quidem facere moliuntur, ut personæ prædictæ dictos redditus eisdem dominis seu aliis vendere pro minimo compellantur: & arrendare suis hominibus & subjectis & aliis, sub magnis mulctis & minis, fructus ecclesiasticos & redditus & decimas non permittunt, & ne aliquis pro arrendatore fidejussor existat: nos indemnitati ecclesiarum providere volentes, & abusum hujusmodi in Divinæ legis offensam præsumptum penitus de ipsis provinciis extirpare, sacro approbante concilio, locorum & provinciarum nostrarum ordinariis præcipiendo mandamus, quatenus, si locorum domini & rectores, postquam pro parte personarum ecclesiasticarum inde legitime requisiti fuerint, deliquerint in præmissis, vel aliquo prædictorum, sententiam excommunicationis, quam obsequia hujusmodi subtrahentes incurrere præter juris sententiam volumus, contra ipsos dominos & quoscumque talia facientes, studeant publicare, ac eorum exigente contumacia per censuram ecclesiasticam aggravare. Et si infra octo dies non revocaverint cum effectu, cum damnis inde secutis: locus ubi inhibitiones factæ fuerint, subjaceat ecclesiastico interdicto, ipso facto; a quo minime relaxetur, nisi præcedente satisfactione condigna.

LXIX. *De quibus rebus vera decima exsolvatur, consuetudine quavis non obstante.*

Cum decimæ & primitiæ ex ordinatione Divina ecclesiis debeantur: statuendo præcipimus ut possessores terrarum, vinearum, virgultorum, pratorum, aliarumque possessionum cultarum, statim ex eis collectis fructibus, & fœtuum animalium quorumcumque, ex quo materno non indigent nutrimento, novem sibi partibus retentis, decimam partem immediate subsequentem integre de prædictis, nullis inde primitus deductis tributis, censibus, expensis, arreragiis, seu servitiis aliis, necnon de omnibus aliis bonis, ecclesiis, quibus debentur, ecclesiastica censura per locorum ordinarios compellantur; contraria consuetudine qualibet, quam tollimus, non obstante: nisi de consuetudine majorem partem ecclesia recipiat, cui per præsentem constitutionem non intendimus derogare. Idem de primitiis prædictorum de jure vel consuetudine debitis præcipimus observari. Si vero aliquid prædictorum fructuum vel fœtuum, ad dominos, emptores, servitores, mercenarios, vel quoscumque alios, non decimatorum seu non primitiatorum transierit: ecclesia, seu rector, solutionem decimarum & primitiarum, a quo maluerit eo-

A rumdem, poterit vendicare. Vno tamen solvente, alter remaneat liberatus.

LXX. *Vt nullus res decimandas abinde extrahat, quousque decimantes fuerint convocati cum effectu.*

Ex plurimorum, ad quos decimarum perceptio pertinere dignoscitur, & frequenti querela suscepimus, quod nonnulli prædiorum possessores, non vocatis nec certificatis iis qui ad colligendas decimas per eos ad quos spectant, extiterunt ordinati, per se fructus dividunt, & pro libito partiuntur, ex quibus insequi possunt fraudes & perditio fructuum. Quibus pro posse obviare volentes, sacro præsenti appro-
B bante concilio statuimus, ut nullus, cujuscumque status seu conditionis existat, qui ad præstationem teneatur decimarum, fructus, quæ sunt recolligi consueta, dividere aut partiri præsumat, seu alias a prædio extrahere in quo creverint dicta blada, vel alibi asportare, nisi certificatis primitus præsentialiter levatoribus decimarum. Et ad hoc per excommunicationis sententiam per locorum ordinarios arceantur: contrario usu, seu consuetudine, aut observantia aliqua, non obstantibus.

LXXI. *Qualiter infideles ad baptismum admittantur.*

Insuper statuimus, ut cum infideles ad ecclesiam
C causa percipiendi baptismatis venerint, diebus aliquibus per rectorem ecclesiæ conserventur, ut cognoscant utrum in tenebris ambulent, vel in luce. Et si perseveraverint in proposito baptizandi, eisdem baptisma ulterius non negetur.

LXXII. *Quomodo regulares apostatantes puniantur, & etiam dantes eisdem consilium aut favorem.*

Statuimus, quod monachi vel canonici regulares professi, qui relicto habitu ad sæculum redierint, & voto rationabili sunt adstricti, nisi infra mensem ad claustrum redierint, & votum suum curaverint adimplere, suis beneficiis sint privati, ac apostatæ,
D tanquam excommunicati, ab omnibus evitentur, & excommunicati denuncientur diebus Dominicis & festivis: & moneantur & excommunicentur conversantes cum eisdem, ac dantes eis consilium, auxilium, vel favorem.

LXXIII. *Quomodo exempti, in prioratibus non exemptis delinquentes, per ordinarios puniantur.*

Religiosi vero & monachi, quibus ne a quoquam interdici, suspendi, vel excommunicari valeant, a sede apostolica est indultum, si ad aliqua loca pia, vel etiam prioratus, ordinariis subjectos, destinati fuerint per superiores suos, ut regant ipsos, vel ut proprii ipsorum locorum ministri seu monachi resideant
E in eisdem, quamdiu morantur in illis, ratione eorumdem locorum seu prioratuum, non solum in prædictis, sed in aliis, possint, si deliquerint, a suis ordinariis puniri, prout justitia suadebit. Conc. Marciac. ann. 1326. c. 36.

LXXIV. *Religiosi mendicantes ad aliam religionem non mendicantem assumpti: prohibetur prælatus pensiones eis assignare; pœna prælato eidem imminente.*

Cum nonnulli mendicantes, ad ordinem non mendicantium transeuntes, ob ambitiones, ad honores, beneficia, vel pensiones libenter appetant se Conc. Auscit. ann. 1308. c. 5.

Anno Christi 1368.

se transferri, ut facilius possint prædictorum aliquod obtinere, nolentes in ea vocatione, in qua vocati sunt, juxta dictum Apostoli, permanere: proinde nos speciali constitutione duximus statuendum, quod prædictis quondam mendicantibus in ordine non mendicantium persistentibus pensiones aliquæ in pecuniis, bladis, vel rebus aliis quibuscumque, a prælatis ipsorum nullatenus assignentur. Quod si factum in contrarium fuerit, nullum esse decernimus ipso facto. Contrafacientes vero prælati, pensionem aliquam assignando, pensiones prædictas infra annum repetant. Quod si dictas pensiones infra annum cum effectu non duxerint repetendas: extunc episcopi quilibet dictorum prælatorum, pensiones prædictas possint & valeant mensæ suæ propriæ applicare. Præsentem vero constitutionem nedum ad futura extendi volumus, sed ad præterita & præsentia mandamus.

LXXV. *Si curati ecclesiarum sustentari de redditibus suarum ecclesiarum non valent, percipientes decimas per ordinarios compellantur, ut abinde sustententur.*

Cōc. Marciac. ann. 1326. c. 34.

Provideri præcipimus per locorum ordinarios, quod ubi rectores & vicarii de redditibus suarum ecclesiarum nequeunt commode sustentari, nec alia incumbentia onera supportare, tantum de decimis suarum parochiarum eisdem rectoribus per quoscumque percipientes easdem, tam exemptos quam non exemptos, faciant assignari, quod exinde commode possint sustentari, & episcopalia jura solvere, & alia incumbentia eis onera supportare: ita quod religiosi, exempti & non exempti, de terris & possessionibus per eos acquisitis hactenus, & amodo acquirendis, decimas integre solvant illis ecclesiis, quibus possessiones eædem & terræ fuerunt primitus decimales. Super iis enim est ipsis ordinariis, nisi de rebus exemptis agatur, jurisdictio attributa.

LXXVI. *Laici qui jus patronatus in ecclesiis parochialibus habere se asserentes, eas tenent occupatas, dimittere easdem teneantur, & per ordinarios ad hoc compellantur.*

Quia in aliquibus locis provinciarum nostrarum, seu alicujus seu aliquarum ex eis, laici parochiales ecclesias, occasione juris patronatus, quod in eis habere se asserunt, vel alias, detinent occupatas: præsentis autoritate concilii monemus hujusmodi laicos, ut infra duos menses dictas ecclesias omnino dimittant, per locorum ordinarios seu alios ad quos pertinet, libere disponendas. Alioquin tam illi qui dictas ecclesias detinent, quam qui postea detinere præsumpserint, noverint se excommunicationis sententiæ subjacere: non obstante contraria consuetudine aliqua, quæ dicenda est potius corruptela. Per hoc tamen nolumus habentibus jus patronatus, quoad illud, in aliquo derogare.

LXXVII. *Ut nullus per sæcularis alicujus potentiam ad beneficium ecclesiasticum admittatur.*

Item statuimus, quod clerici sæculares vel regulares, qui per potentiam vel impressionem cujuscumque sæcularis personæ se per patronos ad ecclesiastica beneficia procuraverint præsentari, aut ipsa sibi conferri, provideri, vel eligi ad eadem, aut ad hoc litteras, nuncium, vel mandatum impetraverint, aut fecerint impetrari, seu tali præsentationi, collationi, provisioni, vel electioni consenserint, aut eas seu earum aliquam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso se noverint incurrisse.

A

LXXVIII. *Ad Divina celebranda præsentatus non admittatur, nisi ordinarii licentia petita & obtenta.*

Anno Christi 1368.

Statuimus insuper quod nullus clericus præsentatus vel institutus in parochiali ecclesia de aliqua dictarum provinciarum a clerico vel laico, in eadem administrare præsumat, donec a diœcesano episcopo curam in eadem ecclesia receperit animarum: quacumque contraria consuetudine non obstante, quæ potius dicitur corruptela. Quicumque autem contrarium fecerit: ipso facto, jure quod habet vel habere credit in ipsa ecclesia, sit privatus ea vice: potestate data diœcesano removendi institutum seu etiam præsentatum. Nihilo minus statuentes quod institutus & confirmatus per episcopum, nullo casu valeat ab alio quam ab episcopo removeri.

B

LXXIX. *De contributione expensarum inter beneficiatos fienda pro legatione ordinariorum, aut pro litigio subsecuto.*

Item statuimus, quod si archiepiscopus, vel episcopus, vel aliquis rector alicujus ecclesiæ, civitatis, vel diœcesis alicujus provinciæ, expensas necessarias fecerit in legationibus & nunciis sedis apostolicæ: expensæ illæ solventur de communi distributione ecclesiarum civitatis & diœcesis, infra quas dictæ expensæ fuerunt factæ. Et istæ expensæ solventur semel in anno. Et in una vel duabus synodis colligantur: nisi per sedem apostolicam, quæ ecclesiæ solvere debeant, fuerit ordinatum.

C

LXXX. *Pro juribus ecclesiarum pauperum per clerum ejus diœcesis contributio fiat.*

Quoniam frequenter, propter paupertates ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum, multa insurgunt incommoda ecclesiis & personis ecclesiasticis, sive in agendo, sive defendendo non valentibus prosequi jura sua: sacro approbante concilio statuimus, quod ad arbitrium diœcesani vel officialis sui, de communi contributione expensarum & sumptuum totius diœcesis, in quo casus sive necessitas hujusmodi evenerit, in prosecutionibus juris sui ecclesiastici provideatur eisdem, & officiales sint eis favorabiles in justitia exhibenda. Cōc. Marciac. ann. 1326. c. 35.

D

LXXXI. *Licitum sit presbytero celebrare volenti, cuicumque presbytero confiteri, si proprii confessoris præsentia non assistat.*

Ut Missæ cum puritate conscientiæ celebrentur, & ne propter defectum confessoris eas omitti contingat: indulgemus, quod quilibet presbyter, volens Missam celebrare, licite possit cuilibet presbytero idoneo sua confiteri peccata, & absolutionis beneficium recipere ab eodem.

LXXXII. *Ne sacerdos celebrare præsumat cum suo filio illegitime procreato.*

Item statuimus & etiam ordinamus, quod presbyter cum proprio filio spurio Missam non audeat celebrare; nec ipse vel alius calices, vestimenta, vel paramenta, aliaque quæ Divino cultui sunt deputata, Iudæo vendere, vel pignorare, vel aptanda seu reficienda tradere, quacumque ex causa præsumat.

E

LXXXIII. *Clericus cum superpellicio indutus, sacerdoti celebranti deserviat in obsequio Divinorum.*

Statuimus præcipiendo quod rectores ecclesiarum

ANNO CHRISTI 1368.

rum Missas in suis ecclesiis celebrantes, saltem unum A clericum superpellicio indutum, qui sibi ministret in obsequio Divinorum, necessario habere teneantur.

LXXXIV. *Parochiani utriusque sexus Dominicis diebus & festis integras debeant audire Missas.*

Cõc. Mar. ciac ann 1326. c. 26.

Vt honor debitus parochialibus ecclesiis observetur, & animarum periculis obvietur, salubriter duximus statuendum: quod parochiani diebus Dominicis & festivis ad suam parochialem ecclesiam veniant, Missas integras audituri. Et si per duos Dominicos dies continuos Missas in dictis ecclesiis, legitima causa cessante, non audiverint: extunc habeant parochiales presbyteri commonere* non venientes, se revelaturos in ecclesiis nominatos, postea excommunicandos. B

* al. comminari

LXXXV. *Qualiter eucharistia & chrisma diligenter custodiantur, & qualiter renoventur: & de pœna in contrarium facientes.*

Ibid. c. 44.

Omnes ministros ecclesiarumque rectores provinciarum nostrarum exhortamur in Domino, eis nihilo minus in virtute sanctæ obedientiæ injungendo, ut in cunctis ecclesiis sibi commissis eucharistia & chrisma sub clavibus fideliter conserventur, ne inde possint sortilegia exerceri; & quod ipsa non exponant supellectilibus, vasis, archis propriis, aut aliorum; & ad habendum calices argenteos studeant, & vasa ministerii, vestimenta, pallas altaris; necnon & ipsa corporalia tam nitida & munda teneant, ne alicui sint horrori, & ut potius Dei basilicæ quam domus laicæ videantur. Minus enim videtur absurdum in C sacris sordes negligere, quæ non decent & in profanis. Si autem propter ingruentem necessitatem aliqua vasa vel supellectilia in ecclesiis conservanda poni contigerit, necessitate cessante ab ecclesiis ea expellantur. Transgressores prædictorum, ordinariorum arbitrio puniantur. Item huic constitutioni adjiciendo statuimus, quod præfati presbyteri & rectores circa renovationem Eucharistiæ taliter se exhibeant diligentes, quod de xv. in xv. diebus, habeant dictam Eucharistiam ad longius renovare, ne ex negligentia hujusmodi mandati nostri scandala sequi possint. Inobedientes vero per suos ordinarios pœna condigna volumus castigari.

LXXXVI. *Quomodo fontes baptismales custodiantur, & claudantur: & ad quem clausura fienda eorundem pertinere dinoscatur.* D

Cum non deceat sacramentalia illa, per quæ spiritualium munditiarum consequimur puritatem, materialium sordium contagionibus inquinari: statuimus, ut singuli parochialium ecclesiarum rectores, in quibus fontes hujusmodi sunt fundati, eos sic claudi clavibus faciant, & clausos teneri, quod nullus ad illos sordibus patere possit accessus, ne temeraria manus ad immundam contrectationem extendere se valeat commode. Et ut per hujusmodi statuti observantiam, illius quod inibi percipitur crescat reverentia sacramenti: viginti quinque solidorum Turonensium pœna seu mulcta puniri volumus quoslibet hoc agere contemnentes, & quod hujusmodi pecunia in opus ecclesiæ, vel in alios pios usus ad diœcesani loci E arbitrium convertatur. Intentionis tamen nostræ non existit, quod dictus rector coopertura seu clausuram dictorum fontium suis sumptibus facere teneatur, nisi consuetudo in contrarium hoc haberet. Quam quidem consuetudinem volumus observari.

LXXXVII. *De indulgentiis concessis corpus Christi associantibus, cum infirmo asportatur.*

ANNO CHRISTI 1368.

Si propter Christum sanctis ejus reverentia impendi præcipitur: quanto magis colendum est veneratione præcipua sacratissimum corpus ejus, qui sanctos sanctificat, ac caput est sanctorum omnium & corona. Hoc utique corpus, quod ipse solus pro nostra reconciliatione in ara crucis hostiam obtulit Deo Patri, quotidie in ecclesiasticis aris, pro vivis & mortuis in illius passionis memoriam immolatur. Statuimus igitur & inhibemus, quatenus omnes & singuli priores, rectores, atque vicarii ecclesiarum, nostrarum provinciarum, civitatum, & diœcesum, parochianos suos, præsertim in Missarum solemniis, inducere studeant, ut hujusmodi sanctissimo corpori, cum per presbyterum defertur infirmo in viaticum ministrandum, reverenter assurgant, illudque devote sequantur, ac cum luminarium adhibitione honorent. Et ut ad hoc alliciantur vehementius spiritualium stipendiis præmiorum: omnibus qui corpus ipsum sequentur sine lumine, diurno tempore, vel nocturno, x. dies; omnibus vero, cum luminaribus dictum sacratissimum corpus sequentibus, vel luminaria mittentibus, de die, xx. de nocte vero, xxx. dierum indulgentiam de injunctis eis pœnitentiis, dummodo vere pœnitentes & confessi infra xv. dies existant, misericorditer relaxamus.

Cõc. Aven. 1326. & ann. 1337. c. 2.

LXXXVIII. *Qualiter novæ reliquiæ venerentur, & antiquæ extra vasa minime ostendantur.*

Vt sanctorum reliquiæ in majori habeantur honore, ac ne Christianorum simplicitas variis decipiatur figmentis, sicut occasione quæstus in plerisque locis fieri consuevit: observari præcipimus, ut antiquæ reliquiæ amodo extra capsas vel vasa nullatenus ostendantur, nec exponantur venales. Inventas autem de novo nemo venerari præsumat, nisi a Romana ecclesia fuerint approbatæ. Nec quæstori alicui permittatur portare reliquias, crucem, vel capsas, nec publice in ecclesia prædicare ultra suarum continentiam litterarum, propter falsa quæ quandoq; interserunt, nisi de ordinariorum licentia speciali. Et si contra præsumptum extiterit ab ipsis, debite puniantur.

Cõc. Marciac. ann. 1326. c. 41.

LXXXIX. *In diebus jejunii vel abstinentiæ, carnes non comedantur: pœna contra facientes imminente.*

Gulositatis excessum debito moderamine reprimere cupientes: sacro approbante concilio prohibemus districtius, sub pœna excommunicationis & maledictionis æternæ, ne aliquis, cujuscumque status vel conditionis existat, in diebus jejuniorum per ecclesiam indictorum, & præcipue in Quadragesima, carnes comedat, nisi necessitate cogente. Confessores autem religiosi, si exempti non sint, vel sæculares, si præterquam in casu necessitatis alicui licentiam dederint vescendi carnibus diebus prædictis, sententiam eandem incurrant, graviori coertione per suos ordinarios, si eis videbitur, castigandi.

XC. *Diebus sabbatinis ab esu carnium abstineant clerici, nisi in necessitatibus, aut in die a jure excepto.*

Cum, sacra Scriptura testante, plura recipientes a Domino, versa vice ad plura reddenda ex gratitudinis debito teneantur; cumque deceat ecclesiasticos viros, præsertim sacris insignitos ordinibus, aut beneficia ecclesiastica obtinentes, in domo Domini, in cujus sortem ascripti sunt, in modo vivendi laicos excel-

Conc. Avenion ann. 1337. c. 5.

ANNO CHRISTI 1368. excellere, ut laici eorum exemplo proficiant, non autem ex ipsorum corruptis moribus deformentur: statuimus, quod clerici beneficiati, aut in sacris ordinibus constituti, exnunc singulis diebus sabbati, ob reverentiam B. Mariæ Virginis gloriosæ, a carnium esu abstineant, nisi ex causa necessitatis, super qua comedentium conscientiæ relinquatur, vel nisi ea die festum Natalis occurrat. Statuti vero hujusmodi transgressores, pro quolibet die sabbati quo fecerint contra illud, per unum mensem ipso facto ab ingressu ecclesiæ sint suspensi.

XCI. *Omnes utriusque sexus parochiani ecclesiarum moneri debent, ut ecclesias ædificent, aut reparent: & qualiter in ecclesiis ruralibus, diebus Dominicis, ibidem celebretur: & qui eleemosynas dederint, indulgentias consequantur hic expressas.*

Cõc. Marciac. ann. 1326. c. 43. Cum præsens & visibilis ecclesia militans, triumphanti cælesti civitati Hierusalem non immerito comparetur, & locum ubi sacratissimum corpus Domini nostri Iesu Christi conficitur & servatur, & nostræ recõciliationis ad Dominũ instrumẽta, videlicet sacramenta ecclesiastica, ministrantur, pro offensisque & culpis populi recurrentis ad supplicandum Divinæ majestati specialiter deputatum, in quo & delictorum venia confidentius impetratur, inter cætera, firmo fundamento ac expletis* ædificiis communiri deceat, ut Deo gratus existat, inspicientibus & ingredientibus sit devotus & placidus, & confidentius* alliciat, reficiat, & informet: sacro approbante concilio statuimus, ut episcopi, abbates, prælati, rectores ecclesiarum, & religiosi quicumque provinciarum nostrarum, in suis admonitionibus, prædicationibus, confessionibus, & alias ubicumque, quantumcumque commode poterunt, clericos, plebes, & populos inducant attentius, & informent, quod cum ecclesiæ ordinariis subjectæ, constructione, reparatione, emendatione, & ornamentis ecclesiasticis indiguerint, ad prædicta facienda & habenda, de bonis sibi a Deo collatis contribuant, & eleemosynas conferant competentes. Ordinarii autem locorum provideant, quod ecclesiæ rurales quæ eis subsunt, taliter reparentur, quod in eisdem in diebus festivitatum sanctorum vel sanctarum, quorum vel quarum sunt vocabulo insignitæ, & etiam aliis diebus Dominicis & festivis, prout est fieri consuetum, decenter valeãt Missæ celebrari, rectores, parochianos, & subditos eorũdem, ad præmissa omnia, si necesse fuerit, cõpellendo; constituentes nihilominus dicti rectores aliquos parochianos, illarum collectarum operarios & executores, qui ad præmissa complenda sint fideles, soliciti, & attenti. Vt autem omnes & singuli ad præmissa promptius & facilius inclinentur, omnibus vere pœnitentibus & confessis, tam qui prædictas pias eleemosynas & caritativa subsidia erogaverint, quam religiosis, & aliis qui alios ad hæc facienda induxerint, xx. dies de injunctis eisdem pœnitentiis, de omnipotentis Dei confisi clementia, misericorditer relaxamus. Suffraganei vero provinciarum nostrarum in suis diœcesibus concedant etiam alios xx. dies, vel plus, vel minus, prout eis videbitur faciendum.

* al. expolitis

* al. considerantes

XCII. *Exempti oratoria non erigant sine licentia ordinariorum petita & obtenta.*

Ibid. c. 37. Observari præcipimus, ut ordinarii in suis diœcesibus, religiosis exẽptis non permittant cõstruere oratoria seu capellas in locis non exemptis, sine ipsorũ ordinariorũ licentia speciali: nec in ipsis constructis dicti exempti celebrent vel faciant celebrari Divina, neque tempore interdicti in locis etiam exemptis, nisi prout eis a jure vel speciali privilegio est concessum: ac si contra fecerint, per episcopos compescantur. Et si conservatores ipsorum exemptorum propter hoc in Ordinarios aliquas sententias tulerint: tanquam a jure revocatæ, nullatenus observentur.

XCIII. *De pœna eorum, qui ab immunitate ecclesiarum, vel a domibus episcoporum, ad easdem confugientes abstrahunt, mutilant, aut vulnerant, aut impediunt quo minus libere exire possint.*

Insuper statuimus, quod quicumque eum seu eos qui confugerint ad ecclesiarum, vel archiepiscopalium seu episcopalium domorum tutelam, ibidem vulneraverint, mutilaverint, interfecerint, & victualia eis subtraxerint, vel ne habere aut dari eis valeant impediverint per se, vel alium, seu alios, aut custodes, ne exinde exire possint, quoquo modo posuerint, incẽderint, seu inde eos extraxerint violenter, præterquam in casibus a canonibus permissis, per ordinarios antea declaratis, & extractos vulnerare, seu mutilare, aut eis ultimum inferre supplicium præsumpserint, aut quicumque prædicta aut aliquid prædictorum fieri præceperit, aut procuraverit, seu consilium vel opem adhibendo hujusmodi sceleribus perpetrandis, deliquerit, excommunicationis sententiæ subjaceat ipso facto. Adjicimus insuper statuendo, quod quicumque de cætero culpabiles quoquo modo inventi fuerint in præmissis, vel aliquo præmissorum, quousque plene satisfecerint ecclesiis violatis, & illis quorum interest, Christiana careant sepultura, etiamsi in articulo mortis ab excommunicationis sententia super prædictis a quoquam fuerint absoluti. Et loca, ubi talia perpetrata fuerint, subjaceant ecclesiastico interdicto, donec competens præstita fuerit emenda. Ibid. c. 11.

XCIV. *Qualiter clericus, clericum in judicio sæculari convocans, puniatur.*

Insuper statuimus, quod quicumque clericus vel religiosus, cujuscumque ordinis, conditionis, aut status existat, qui clericum vel religiosum super actione personali, vel super crimine, in judicium evocari vel citari fecerit coram judice sæculari, scienter, vel malitiose, sententiæ excommunicationis subjaceat ipso facto: & vocato sic citato, ei de interesse satisfacere teneatur. Conc. Nugarol. ann. 1290. c. 5.

XCV. *Qualiter temporales domini puniantur, qui subditis eorum prohibent, ne victualia aut necessaria clericis ministrentur.*

Statuimus insuper, quod quicumque temporale dominium obtinentes, interdixerint subditis suis, ne prælatis, aut clericis, aut personis ecclesiasticis, quidquam vendant, aut ab eis vel gentibus suis emant aliquid, neque ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibeant, cum talia fieri præsumantur in derogationem ecclesiasticæ libertatis, denuncientur & publicentur ipso facto excommunicationis vinculo innodati. Si autem communitas vel universitas quorumcumque locorum, contra prædictas personas quoquo modo in prædictis deliquerint: tamdiu eo ipso subjaceant ecclesiastico interdicto, quousque per eos fuerit plenarie satisfactum. Circa hoc autem constitutionem felicis memoriæ domini Alexandri papæ IV.* præcipimus observari.

* cap. *Quia nonnulli.* De immun. eccl. in 6.

XCVI.

XCVI. *Contra libertatem ecclesiasticam quovis modo acquisitam facientes, & personis ecclesiasticis & eorum bonis onera imponentes, submissionemque facere coacte procurantes, pœna hic statuta puniatur.*

Conc Nugarol ann. 1290. c. 10.

Ad evitandum periculum animarum, & ecclesiarum indemnitatibus provinciarum nostrarum & cujuslibet earundem providendum: omnes & singulos utriusque sexus, cujuscumque dignitatis, conditionis, aut status existant, qui contra ecclesiæ libertates, immunitates, jura, jurisdictionem, & privilegia ejusdem, sive consistant in spiritualibus, sive in temporalibus, modis quibuscumque acquisita, vel contra laudabiles consuetudines erga ipsas ecclesias pia devotione fidelium introductas venire nituntur, ipsa, vel eorum aliquid, per se vel alium, usurpando, occupando, infringendo, aut ipsis ecclesiis & personis ecclesiasticis onera præsertim gravia imponendo, aut contra præmissa vel aliquod eorundem, statutum, ordinationes, pacta, promissiones inter se, clam vel palam, directe vel indirecte, vel faciendo super consiliis, auxiliis, expensis, sumptuum contributione, vel alias quoquo modo adinvicem factis vel faciendis, perpetuo vel ad tempus, necnon & omnes & singulos, cujuscumque dignitatis, conditionis, aut status existant, qui prælatos, ecclesias, monasteria, capitula, collegia, vel conventus, seu alias personas ecclesiasticas, ad submissiones sibi faciendas bonorum mobilium seu jurium ipsarum ecclesiarum, hactenus compulerint, quocumque quæsito colore seu modo, seu alias quomodolibet, nisi, infra duos menses a tempore publicationis constitutionis hujusmodi numerandos, prædicta revocaverint cum effectu, & de prædictis satisfecerint ecclesiis competenter, & ipsa jura in pristina reduxerint libertate, vel de cætero personas ecclesiasticas ad hujusmodi submissiones, ut præmittitur, faciendas coegerint; & quoscumque dantes in prædictis uel aliquo prædictorum, consilium, auxilium, vel favorem: singulares videlicet personas, excommunicationis; collegia vero & universitates, interdicti sententiis, ipso facto decernimus subjacere. Prælati vero, religiosi, clerici, & personæ ecclesiasticæ, qui vel quæ præsentem constitutionem, & alia jura super hoc edita, non servaverint, pœnas supra inflictas a juribus ipso facto noverint incurrisse. Præsentem autem constitutionem, per diœcesanos in suis synodis semel, & per rectores ecclesiarum in suis ecclesiis quolibet anno præcipimus publicari.

XCVII. *Personæ ecclesiasticæ blada & bona sua portare ubi volunt possint, statuto laicorum non obstante, pœna statuentibus imminente.*

Cõc Aven. ann. 1326. c. 34.

Item cum statuta sæcularium ecclesias aut personas ecclesiasticas non astringant: statuimus ut sæculares, cujuscumque dignitatis, conditionis, aut status existant, qui prætextu statuti contra juris formam vel alias quovis modo editi, ne bladum, vinum, & quæcumque alia bona ex fructibus, redditibus, seu obventionibus ecclesiasticorum provenientia, extrahantur de terra, castro, villa, vel quod certo pretio vendantur, clericos vel ecclesiasticas personas astringere, aut super angariis, aut parangariis, aut aliis quibuscumque (cum nec in eis, nec in eorum bonis aliquam habeant potestatem) coarctare seu impedire quoquo modo, directe vel indirecte, præsumpserint, excommunicationi subjaceant ipso facto: & locus ubi hoc per dominum loci, vel universitatem ejus, aut eorum conniventia vel permissu, attentatum fuerit, ecclesiastico subjaceat interdicto: nisi moniti, infra mensem emendaverint, & de perpetratis satisfactionem exhibere studuerint competentem.

XCVIII. *Ne personis ecclesiasticis per temporales justitia denegetur: alias censura ecclesiastica puniantur.*

Statuimus ut nulli temporale dominium vel jurisdictionem aliquam obtinentes, vel etiam exercentes, voce, præconio, vel aliter, prohibeant ne clericis vel personis ecclesiasticis redditus vel alia eis debita minime exsolvantur, aut justitiam eisdem clericis & personis de suis debitoribus seu malefactoribus facere denegent, vel mandent denegari, vel eosdem clericos seu personas ecclesiasticas bannant, seu banniri mandent. Contrarium vero facientes excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto, postquam constiterit de præmissis. Eandem sententiam incurrere volumus dantes in præmissis consilium, auxilium, vel favorem: præcipientes, tales per locorum ordinarios, quousque de injuria & damno satisfecerint competenter, excommunicatos publice nunciari.

XCIX. *Bona personarum ecclesiasticarum, quæ ab ipsis tenentur, ad collectas per laicos imponendas per eos minime quovis modo compellantur.*

Ad æternam rei memoriam. Quoniam frequenter contingit, quod nonnulli judices sæculares, consules, jurisdictionem exercentes, potestates, bajuli, ac domini temporales, cognoscere quod ecclesiæ, clerici, ac personæ ecclesiasticæ, pro terris, domibus, & possessionibus quas tenent, in talliis & collectis ac exactionibus laicorum solvere & contribuere teneantur, indebite & injuste, & contra canonicas sanctiones; ipsasque ecclesias, clericos, aut personas ecclesiasticas talliare, ac pro hujusmodi talliis, collectis, ac exactionibus compellere, & contra easdem ecclesias, clericos, aut personas ecclesiasticas, executionem & compulsionem facere temere, violenter, & injuste, & contra libertatem ecclesiasticam moliuntur, de facto sæpissime, tam bona mobilia quam immobilia ecclesiarũ & personarum ecclesiasticarum occupando, vendendo, distrahendo, & alias multipliciter occasione præmissorum molestando: idcirco præmissa omnia & singula fuisse & esse temeraria, violenta, injusta, & iniqua, & contra libertatem ecclesiasticam attentata, decernimus, & declaramus: statuentes & ordinantes, quod talia attentantes, & in iis dantes auxilium, consilium, opem, operam, & juvamen, vel favorem, palam & publice, vel occulte, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Civitates vero, villæ, castra, & alia quæcumque loca, in quibus præmissa facta fuerint seu commissa, seu aliquid prædictorum attentatum, ecclesiastico supponimus interdicto, donec de offensa Deo & suæ ecclesiæ & parti læsæ integraliter & sine fraude fuerit satisfactum.

C. *Hospitalibus, pro eorum bonis pauperibus deputatis, quod aliqua indictio seu quæsta minime imponatur.*

Item, quod domini sæculares, vel quicumque alii, cujuscumque gradus, dignitatis, seu conditionis existant, hospitalia usibus deputata pauperum, occasione cavalgatarum, talliarum, quæstarum, nec aliarum illicitarum exactionum, quocumque nomine appellentur, nec onerare nec molestare præsumant. Alioquin, si desistere & emendam præstare noluerint, vel si de cætero contrafecerint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

CI.

ANNO CHRISTI 1368.

CI. *Dominis temporalibus pœna infligitur, prohibentibus ne decima exsolvantur.*

Cōc.Aven. ann. 1326. c.35 & ann. 1337. c.41. Item, quod domini temporales, baillivi, seu officiales, & locorum consules, & alii hoc procurantes, clericos & ecclesiarum rectores non impediant, quo minus decimæ ipsis, prout ad eos pertinet, per parochianos suos reddantur fideliter & solvantur: nec eisdem parochianis inhibeant quod non solvant. Alioquin, si contra fecerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant: a qua minime absolvantur, nisi prius satisfacto parti læsæ de damno & interesse.

CII. *Vt officiales dominorum episcoporum, & eorum locatenentes, ab omni injuria præserventur.*

Cōc.Aven. ann. 1326. c. 44 & ann. 1337. c.56. Vt illos, quos Dei timor a malo non revocat, saltem coerceat severitas disciplinæ: præsenti concilio duximus statuendum, quod si persona, cujuscumque conditionis, status, seu ordinis existat, infra domos archiepiscopales vel episcopales nostrarum civitatum, diœcesum, ac provinciarum, vel alibi ubicumque per nos, vel suffraganeos nostros, aut eorum officiales, & loca eorum tenentes, seu nostrum vel eorum aliquem, aut aliquos, causæ judicialiter audientur, aliquem facto graviter vituperaverit, seu ei injuriam irrogaverit, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto, & alias puniatur prout æquitas suadebit.

CIII. *Non valet statutum laicorum ne decima exsolvantur, aut in ecclesia non offeratur, aut in ultima voluntate aliquid relinquatur.*

Cōc.Aven. ann. 1326. c. 36 & ann. 1337. c.42. Hac perpetua constitutione statuimus, quod laici, cujuscumque gradus, conditionis, vel dignitatis existant, vel universitas, statuentes vel ordinantes in se, vel inter se, vel præconizare facientes, vel subditis suis mandantes, quod non præstent decimas ecclesiis, vel non offerant, vel in ultimis suis voluntatibus quidquam non relinquant eis, vel rectoribus earumdem, vel quod laudabiles consuetudines ecclesiæ in spiritualibus infringant, aut aliud æquipollens, directe vel indirecte, tacite vel expresse, quomodolibet injungentes, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant: a qua, antequam emenda competens præstita fuerit, minime absolvantur. Vniversitas autem ecclesiastico subjaceat interdicto.

CIV. *Qui nuncios curiarum ecclesiasticarum impediunt quo minus libere curiæ mandata exequantur, gravissime puniantur.*

Cōc.Aven. ann. 1337. c.18. Cum justitiæ jus suum cuilibet tribuenti, & ministris ipsius, ac rei publicæ plurimum detrahatur, si processus ipsorum ministrorum, iniquorum contingat machinationibus impediri: nos volentes talium, justitiæ cultum impedire nitentium, ausus temerarios timore disciplinæ ecclesiasticæ cohibere, provisione præsentis concilii duximus statuendum, quod si quis, cujuscumque conditionis aut status existat, delegatos, subdelegatos, commissarios, nuncios, aut executores nostros, aut suffraganeorum nostrorum, officialium, vicariorum, seu eorum locatenentium, seu vicemgerentium, aut litteras & alias scripturas judiciales, nostras, vel suffraganeorum, vicariorum, & officialium prædictorum, deferentes, seu hac occasione, verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, vulnerare, interficere, aut mutilare, vel litteras vel scripturas prædictas auferre, seu eas rumpere, cancellare, seu alias destruere quoquo modo, vel ablatas celare, seu deferentes compellere ad frangendum, vel, ut eorum verbis utamur, ad manducandum hujusmodi litteras vel scripturas, aut qui prædicta seu aliquod prædictorum fieri procuraverint, aut facientibus dederint auxilium, consilium, vel favorem, excommunicationis sententiæ subjaceant ipso facto: a qua, nisi prius judici curiæ, cujus autoritatem contempserint, & passo injuriam, & cæteris quorum interest, prout excessus exiget atrocitas, satisfecerint, nullatenus absolvantur. Et loca, ubi talia commissa fuerint seu perpetrata, ecclesiastico subjaceant interdicto, quousque de injuria & de damnis datis integre fuerit ecclesiæ & parti læsæ satisfactum.

CV. *Bona quæcumque ad personas ecclesiasticas & ad loca pia pertinentia deprædari, occupari, invadi, rapi, impediri, detineri, pignorari, gagiari, & inquietari, & perturbari, per dominos temporales non debent: & facta statuta contra libertates ecclesiæ, & earum aliquas observantias, nullius efficaciæ existere debent; nec quamvis indictionem dictis bonis imponere debent. Et modus procedendi rigorosius contra tales hic expresse reperitur.*

Quoniam insolens & effrænis præsumptio multos a rectitudinis calle abducit in devium, ac a justitiæ limite sic avertit, quod elati de suæ certa præsumptione potentiæ, sibi putant fore licitum quidlibet, insipientique animo, Dei timore ex oculis relegato, in sortem ipsius electos ecclesiasticos viros, irreverenter quandoque, potius immaniter, persequuntur: est igitur persecutoribus hujusmodi, & eorum fautoribus, justæ provisionis obice resistendum; ne appetitus noxius, nulla justitiæ correctione repressus, prospiciens temporaliter tantum sibi, adversus alios valeat impunitæ rapacitatis licentia libere debacchari; præcipue cum multis grassantibus, opportunum exemplum existat, ne plurimorum opera & ope suffulta malitia periculosius invalescat. Hac igitur consultissima sacri concilii ordinatione statuimus, quod quæcumque sæcularis ecclesiasticave persona, nobilis seu ignobilis, utriusque sexus, cujuscumque vero præeminentiæ, dignitatis, ordinis, officii, conditionis, aut status existat, quæ in quavis civitate seu diœcesi alicujus nostrarum provinciarum, ausu temerario, cum armis vel sine armis, per se vel alium, invadere, rapere, seu deprædare, capere, occupare, impedire, detinere, pignorare, seu gagiare, vel inquietare, vel perturbare ecclesias, aut capellas, seu earum cœmeteria, vel hospitalia, reclusoria, & leprosarias, religiosasve seu pias domos, aut loca, possessiones, jurisdictiones, vel alia jura quæcumque, ad archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, clericos, vel ecclesiasticas personas, sæculares vel regulares, aut eorum aliquos, communiter vel divisim pertinentia, seu villas, castra, census, tresena, laudimia, acapita, retrocapita, portionaria, leudas, pedagia, molendina, piscarias, paxerias, sive reclausas, aut archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, priorum, decanorum, præpositorum, archidiaconorum, & aliorum inferiorum prælatorum, collegiorum, capitulorum, rectorum, & priorum, clericorum, vel ecclesiasticarum personarum prædictarum, animalia, seu bona quæcumque, immobilia aut mobilia, quorum quidem bonorum mobilium valor sexaginta solidorum monetæ currentis summam excedat, seu contra libertates generales vel speciales ecclesiasticas, aut eorum privilegia, vel consuetudines legitime probatas, aut observantias, quomodolibet edere, vel facere

Anno Christi 1368.

quævis statuta, seu banna, vel præconizationes, aut novitates, seu impedimenta quæcumque præstare, aut contributiones, seu expensas, solutiones per laicos communiter vel particulariter faciendas, ad relevandum universitates, seu eos qui modis prædictis vel infrascriptis libertates ecclesiasticas prædictas infringere non verentur, sive quibuslibet ex dictis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, archidiaconis, & aliis inferioribus prælatis, capitulis, conventibus, rectoribus, prioribus, clericis, vel ecclesiasticis personis, sæcularibus vel regularibus, directe vel indirecte, violentias aut molestias irrogare, seu eis, vel alicui earundem, super bonis ecclesiarum, & personarum, quæstas, aut tallias, impositiones, angarias, sive parangarias, novitates, aut onera quælibet aliqualiter imponere, sive domos ecclesiarum, seu clericorum, aut personarum ecclesiasticarum, occasione quacumque claudere, sigillare, crucem eis affigere, sive ipsas firmare; aut eorum bona quæcumque bannire, seu vias novas aliquas ubilibet adinvenire vel facere, per quas ecclesiæ vel earum bona in pedagiis antiquis, sive leudis, aut aliis quibuslibet juribus, possint in aliquo pejorari seu minui, aut itinera, vias, seu stratas publicas, vel privatas, infra limites territorii vel districtus locorũ, villarum, sive castrorum ecclesiasticæ jurisdictionis auferre, usurpare, vel sibi quomodolibet appropriare, attribuere, seu applicare, vel eorum terminos arctare præsumpserit, seu attentaverit per suam potentiam, seu per violentiam, aut malitiam, sive prædicta vel aliquod prædictorum mandaverit, seu in ipsis vel ipsorum aliquo dederit auxilium, consilium, vel favorem, publice vel occulte; quæ omnia, & eorum quodlibet attentari seu fieri mandaverit, vel ratum habuerit, districtius prohibemus, nisi infra sex dies a die transgressionis hujusmodi prohibitionis nostræ, super quo in hac parte quocumque præmissorum modorum perpetrato seu commisso excessu re ipsa, vel per consilii, auxilii, ac favoris impediverit præstationem, super iis emendam aut revocationem debitam, vel alias, prout exegerit rei qualitas, læsis satisfecerit competenter, excommunicationis sententiæ subjaceat ipso facto. Cujus quidem excommunicationis sententiam volumus, ac statuimus, per loci ordinarium, vel per ejus officialem, seu vicarium, aut ejusdem officialis seu vicarii locatenentes, cum ei, seu eis, de præmissis excessibus, vel eorum aliquo, summarie & de plano fuerit facta fides, ex mero ipsius officio, & sine strepitu & figura judicii declarari, & irretitas easdem facere per diversas ecclesias dictarum provinciarum, in quibus ei seu eis expedientius videbitur, tam generaliter quam etiam nominatim, excommunicatos publice nunciari, & sententiam ipsam, prout personarum ligatarum eadem contumacia seu protervia exegerit, aggravari. Super quibus, eisdẽ ordinariis, ac officialibus, vicariis, ac locũtenentibus, autoritate præsentis concilii plenam concedimus & attribuimus facultatem. Et si forsan comes, vicecomes, senescallus, baro, judex, capitaneus, castellanus, vicarius, bajulus, consules, ac quicumque utriusque sexus, cujuscumque status, dignitatis, præeminentiæ, seu conditionis existant, aut eorum locũtenentes, officiales, seu servientes, in præmissis vel eorum aliquo culpabiles fuerint, & animo indurato per xv. dies in excommunicatione perstiterint: civitas, castrum, villa, vel locus, ubi fuerint, ecclesiastico subjaceat interdicto. Statuentes insuper, quod quamdiu principales personæ, videlicet hujusmodi malefactores, raptores, deprædatores, in aliqua civitate, vel castro, vel alio particulari loco, sive in parochiæ alicujus limitibus fuerint, si in civitate, castro, aut loco, seu parochia, de prædictis hujusmodi maleficiis, rapinis, seu deprædationibus, sit publica vox vel fama, sine requisitione qualibet cessetur penitus a Divinis. Quod si super præmissis publica vox & fama ibidem minime habeatur: tunc ad requisitionem ordinarii loci, vel ejus officialis, hujusmodi cessatio fiat. Si vero universitas deliquerit in prædictis, vel aliquo præmissorum: illi qui ad id universitatem eandem vel singulares personas ipsius induxerint, instigaverint, commoverint, seu eis vel eorum cuiquam in præmissis vel præmissorum aliquo*; singulares personæ, quæ in aliquo culpabiles fuerint, nisi infra xv. dies emendam fecerint, seu præstiterint competentem, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Vniversitas etiam ipsa, nisi damnũ, casu quo de ipso satisfactum nõ fuerit, infra xv. dies emendaverit, ecclesiastico subjaceat interdicto. Item quod dicti raptores & deprædatores nullo modo a suis ordinariis absolvantur, nisi satisfactione præmissa. Et si in mortis articulo fuerint absoluti, eorum corpora minime tradantur ecclesiasticæ sepulturæ: donec per eorum heredes, seu alias eorum nomine, fuerit integre damnum passis satisfactum. Item excommunicamus omnes illos qui hujusmodi malefactores excommunicatos, postquam in eorum parochialibus ecclesiis per tres dies Dominicos excommunicati fuerint denunciati, receperint ad habitandum in dicta parochia, seu receptos sustinuerint, vel cum eis communicaverint, aut habitationem eis præbuerint, vel eos scienter receptaverint, vel fecerint quo minus tales per illos ad quos pertinet, absque superioris mandato minime excommunicati nuncientur: & delinquẽtium absolutio cuilibet episcopo in sua diœcesi autoritate sacri concilii sit commissa. Volumusque quod omnes illi, qui de cætero tales raptores vel spoliatores ecclesiasticæ tradiderint sepulturæ, & qui ad hoc dederint auxilium, consilium, & favorem, sint ipso facto excommunicati, donec de condigna satisfactione fuerit satisfactum. Si vero religiosi fuerint mẽdicantes, in omnibus nostris provinciis nullus nostrorum subditorum pro confessione ad eos accedat, nec aliquis ad prædicationẽ verbi Divini ipsos admittat, nec veniat: contrarium facientes sententia excommunicationis innodando. Simili excommunicationis sententia innodamus, qui prædam clericorum, ecclesiasticarumve personarum, & religiosorum, ac omnium prædictorum, scienter & voluntarie receperint in eorum castris sive locis, vel scienter ab eisdem emerint; & quod castra illa vel loca, in quibus fuerit dicta præda detenta, quamdiu ibi fuerit, vel si fuerit alienata vel consumpta, & etiam suburbia & continentia ædificia, subjaceant ecclesiastico interdicto, quousque de damno dato fuerit plenarie satisfactum, quo satisfacto cesset dictum interdictum. Volumus autem quod officiales foranei, & alii quicumque commissarii ad hoc specialiter deputati, processus contra tales facere possint; & quod nos archiepiscopi & suffraganei nostri, ac nostri vel eorũ vicarii generales, vel speciales officiales, cum ad partis requisitionẽ proceditur, prædictum interdictum seu cessationem indicere valeamus. Si vero ex nostro procedamus officio: tunc nostro relinquatur arbitrio, an in totum, vel in partem, servemus eandem. Item volumus quod facta restitutione rapinæ, vel alias satisfacto, & sine fraude, dictum interdictum sive cessatio relaxetur. Et ut nos, & suffraganei nostri, circa observantiam istius constitutionis nos exhibeamus favorabiles & benignos: prohibemus vicariis & officialibus nostris, & suffraganeorũ nostrorũ, ne pro causæ cognitione seu processu faciendo contra malefactores hujusmodi, aliquã pecuniam

*Deest, opem dederint, aut quid simile.

ANNO CHRISTI 1368.

pecuniam prætextu salarii vel laboris exigant, seu recipiant; nec eo prætextu quia salarium non habent seu recipiunt, differant scienter procedere, cum fuerit procedendum: alioquin suspensi sint ab officio & Divinis. Postquam autem contra aliquem vel aliquos ipsas constitutiones duxerint publicandas, eosque ut excommunicatos fecerint evitari: contra eos, exigente contumacia, requisiti procedant, quilibet contra suos subditos, ex suo puro & mero officio per censuram ecclesiasticam aggravando: nec tales malefactores se i eorum receptatores absolvant, donec de damnis & injuriis propterea irrogatis satisfactum fuerit competenter. Imponantque absolutis, sub virtute præstiti juramenti, talem pœnitentiam pro commissis, quod pœna docente cognoscant, quantum excesserint in commissis. Quam pœnitentiam si forsan peragere contempserint, in præsentem sententiam reincidere decernimus, & reincidisse pronunciari decernimus & jubemus. Qui vero eos aliqualiter absolverit nisi ut præmissum est: ad interesse illorum qui taliter damnificati fuerint, teneatur. Statuimus insuper, quod quandocumque aliquis nostrum archiepiscoporum, episcoporumque suffraganeorum nostrorum, seu nostri vel eorum vicarii, aut officiales, seu vicē gerentes eorumdem, per alterum ex prædictis requisitus fuerit, ut denunciet illum seu illos excommunicatum vel excommunicatos, contra quem seu contra quos ipse facit dictam constitutionem servare: quod dictam constitutionem sine alia inquisitione observet & faciat observari, & statim mandet illum vel illos excommunicatum vel excommunicatos publice nunciari; ut infra octo dies, die qua talis requisitio facta fuerit minime computata, & alias quam cito commode fieri poterit, considerata locorum distantia, observet & mandet observari per alios, omni appellatione & exceptione cessantibus. Quod si præmissa, ut prædicitur, contempserint adimplere, Divinam sentiant ultionem. Cumque personæ merito rebus debeant præponi, & majori privilegio gaudere: idcirco hoc sacro approbante concilio statuimus, quod præter & ultra pœnas in capitulo, *Si quis suadente diabolo*, contentas, in locis ad quæ occisores, mutilatores clericorum & personarum ecclesiasticarum, & capientes eosdem, pervenerint, cessetur penitus a Divinis, donec ad arbitrium sui ordinarii satisfecerint de commissis. Loca etiam in quibus clerici seu personæ ecclesiasticæ captæ detinebuntur ibidem, cessent penitus a Divinis. Præterea quoque quia scientes & consentientes pari debeāt pœna damnari: omnes receptatores eorum, dantesque in præmissis consilium, auxilium, vel favorem, qui occidunt, vel mutilant, aut capiunt clericos vel personas ecclesiasticas, excommunicationis sententia innodamus. Si vero prædictorum criminum & excessuum patratores, excommunicationis sententias per sex menses sustinuerint animis induratis, quod absit: statuendo ordinamus, quod a quibuscumque feudis vassallaticis vel aliis, quæ tunc tenebunt ab ecclesiis nostrarum provinciarum & diœcesum, ipso facto sint privati, & ecclesiis a quibus dicta feuda tunc tenebant, libere revertantur.

CVI. *Prohibentur temporales domini manum apponere in bonis ecclesiasticis seu personarum ecclesiasticarum, quibuscumque, nec ea arrestare & bannire posse: & ad jura ecclesiarum & locorum, eiusdem fit extensio. Hæc continet constitutio.*

Quoniam aliqui, suis finibus non contenti, falcem in messem imponunt alienam, & non attendentes quod in personas ecclesiasticas laicis nulla est attributa potestas, penes quos non imperandi manet autoritas, sed potius necessitas obsequendi, jura & bona prælatorum, personarum atque locorum ecclesiasticorum, incorporalia & corporalia, immobilia, mobilia, & se moventia temere arrestare, bannire, vel manui laicali submittere, illaque capere indebite non verentur: nos volētes præsūptionibus hujusmodi atq; nequitiæ, congruæ provisionis antidotum adhibere, præsentis concilii sanctione statuimus, quod quicumque utriusque sexus, cujuscumq; status, conditionis, præeminentiæ, aut dignitatis existāt, qui per se vel alium, directe vel indirecte, de cætero processerint seu procedi fecerint ad hujusmodi arrestationem, bannitionem, submissionem, vel captionem quorumcumque jurium, locorum, ac bonorum, prælatorum ac ecclesiasticarum personarum prædictarum, aut eorum vel ejus ad quos vel ad quem hujusmodi jura sive bona pertinent seu pertinet, legitimas rationes sive defensiones juxta juris formam audire vel auditas admittere recusaverint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant: a qua non possint absolvi præterquam in mortis articulo, nisi de damno & injuria læsis vel læso satisfactum fuerit competenter. Et si, satisfactione hujusmodi non præmissa, in mortis articulo absoluti fuerint, corpora eorundem ecclesiasticæ sepulturæ non tradantur: donec per ipsorum heredes, vel per alium eorum nomine, læsis aut læso fuerit satisfactum. Quod si hujusmodi sententiam per VII. dies induratis animis duxerint tolerandam, personæ ecclesiasticæ consistentes in aliqua ex provinciis antedictis, ista loca, in quibus dicti excommunicati, pro tempore dégerint seu fuerint, absq alio superioris mādato a Divinis tamdiu cessent, donec dicti excōmunicati, ut præmittitur, per se vel alios de cōmissis hujusmodi satisfecerint competenter. Similesq; ac pares pœnas incurrere volumus omnes hujusmodi concilii transgressores seu violatores, aut alterum eorundem, ad præmissa vel præmissorum aliquod scienter præstantes auxilium, consilium, vel favorem.

CVII. *Si ex injuria illata prælatis ecclesiarum, & personis ecclesiasticis, contingat fieri collecta indictio pro ejusdem injuria prosecutione: modum contribuendi, & per quos fiat exactio, indicit præsens constitutio.*

Quoniam instructione apostolica caritatis fundamento suffulta salubriter edocemur, piæ participationis juvamine onera proximorum una cum illis tamquam communia supportare: hoc sacro concilio approbante statuimus, quod si qua persona de quavis provinciarum nostrarum, utriusque sexus, cujuscumque status, conditionis, aut dignitatis extiterit, aliquibus vel alteri ex nobis archiepiscopis, vel ex nostris suffraganeis, aut ex nostris, seu eorumdem suffraganeorum, officialibus, ac domesticis, familiaribus, nostræ jurisdictioni subditis, vel cuiquam inferiori prælato sæculari vel regulari, seu cuicumque ecclesiasticæ personæ, in aliqua dictarum nostrarum provinciarum dignitatem, personatum, administrationem, officium, vel perpetuum beneficium, seu locum ecclesiasticum obtinenti, per se aut alium, directe vel indirecte, publice vel occulte, actionem, injuriam, & enorme seu grave damnum violenter intulerit, aut quævis jura seu bona incorporalia & corporalia, immobilia seu mobilia, vel se moventia, ad aliquem eorundem spectantia, ab ipsorum jurium, seu bonorum occupatore seu occupatoribus, raptore vel raptoribus, & vel eis in vitium damnabiliter succedendo, scienter recipere, & de injuriis seu dam-

ANNO CHRISTI 1368.

damnis hujusmodi læsis seu læso competentem emendam impendere, aut restitutionem vel satisfactionem seu recompensationem idoneam facere recusaverit super hoc legitime requisitus; & propterea ipsos læsos seu læsum persequendo, hujusmodi damna seu injurias oporteat pro suo interesse judicialiter experiri: omnes prælati & ecclesiasticæ personæ de civitate & diœcesi illorum vel illius, quem vel quos propterea oporteat hujusmodi subire litigium, in expensas litis, post dimidium annum a die qua lis ipsa inchoata fuerit numerandum, vel ab ipsius litis exordio faciendas, si forsan dictorum læsorum vel læsi notabilis impotentia forsitan id requirat, contribuere teneantur, donec hujusmodi litigium legitima concordia sopitum fuerit vel diffinitum, sive calculo terminatum, & hujusmodi concordia seu sententia debitum B exstiterit sortita effectum. Tales* autem pecuniarum summæ in hujusmodi subsidium convertendæ, ac ejus partium singulares* imponendarum singulis debentibus contribuere ad eandem, si prosecutor litigii archiepiscopus fuerit, ipsum cum uno ex suffraganeis suis; si vero episcopus, archiepiscopum suum; in cæteris vero casibus, scilicet quando nec archiepiscopus nec episcopus litem principaliter seu interesse proprium prosequuntur, loci ordinarios præsentis provisione concilii taxatores & impositores esse volumus & etiam ordinamus: eorum quemlibet in Domino exhortantes propensius, & sub interminatione Divini judicii districtius obsecrantes, quatenus omni privato affectu postposito, juxta exigentiam sumptuum litis, & ecclesiasticarū suppetentium* facultatum, præfatæ summæ, ad quarum contributionem omni modo C impotentes volumus aliquatenus teneri taxatione provida & congrua moderentur. Insuper omnes & singulos, de quorum contributione prædictum est, tam exemptos quam non exemptos, ad solvendum partem eis de subsidio contingentem collectoribus, quos per præfatos taxatores & impositores secundum ordinationem superius annotatam in suis civitatibus & diœcesibus deputatos volumus, compellēdos: non exemptos videlicet, per censuram ecclesiasticam; exemptos vero, autoritate dicti concilii; decernendo, si ad id contribuere animo contradixerint pertinaci, fore indignos simili perceptione subsidii; ac statuendo illud eis ex tunc penitus denegandum similibus casibus, quantumcumque illo ardue indigerent; nisi forsitan interim a pertinacia resiliendo, hujusmodi realiter persolverint, seu contribuerint partem eos de dicto subsi- D dio contingentem. Necnon singuli dictorum taxatorum & impositorum non exempti prædicti, ab excommunicationis sententia, si quam propter hujusmodi solutionis defectum forsan incurrerint, possint ab ipsis ordinariis, si satisfecerint, absolvi.

* Corr. talis

* for singulatim, vel singulariter

* f. suppetentiam

CVIII. *Contra diffidantes personas ecclesiasticas & eorum bona, & guerram hostiliter eisdem facientes: ad non faciendum hac constitutione arcentur.*

Ad reprimendam audaciam perversorum, clericos & personas ecclesiasticas diffidantium, seu procurantium diffidari, eorum occasione, homines, vel loca eorum: sacro approbante concilio statuimus & etiam ordinamus, quod omnes & singuli, clericos seu personas ecclesiasticas diffidantes, seu diffidari procurantes, aut eorum occasione contra homines, vel loca E ipsorum, vel prædictos clericos, seu personas ecclesiasticas, præcedente vel non præcedente diffidamento quocumque, guerram facient, seu eosdem clericos, aut personas ecclesiasticas, vel homines, sive dicta bona ipsorum, per modum guerræ seu hostilitatis, aut alias cum turba, seu hominibus coadunatis, ex pro-

A posito damnificaverint, necnon omnes & singuli qui eis circa prædicta dederint auxilium, consilium, vel favorem, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, & eorum terræ ecclesiastico subjaceant interdicto. Volentes & etiam statuentes, quod hujusmodi statutum & ordinatio locum habeat etiam contra eos, qui prædictos guerrificantes seu malefactores in locis suis receptaverint, sive defensaverint, publice vel occulte.

CIX. *Gaudere volentes constitutionibus præsentis concilii, eos ipsis subesse volumus & jubemus.*

Item, quia non est ferendus qui lucrū amplectitur, onus autem subire recusat: sacro approbante concilio statuimus, omnes personas nobis subditas, exemptas & non exemptas, cujuscumque status vel conditionis existant, qui ex præfatis constitutionibus commodum recipiunt seu recipere possunt, subjacere & esse subjectas ipsis constitutionibus, si deliquerint in iis quæ in his constitutionibus continentur, & contra tales personas juxta tenorem constitutionum esse rigide procedendum.

CX. *Clandestina matrimonia contrahentes sine licentia parochialis ecclesiæ rectoris, excommunicantur, & alias extraordinarie puniuntur.*

Statuimus, quod quæcumque persona, quæ pro matrimonio clandestino celebrando diœcesim suā exiverit, & ibi ipsum matrimoniū contraxerit sine licentia proprii sacerdotis, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, & ut excommunicatus evitetur, & publicetur, donec ad arbitrium diœcesani, ecclesiæ parochiali satisfecerit, in cujus injuriam hoc præsumpserit, & absolutionis beneficium meruerit obtinere.

Concil. Aven. an. 1326. c. 48. & an. 1337. c. 58.

CXI. *Personæ de ecclesiis cathedralibus vel collegiatis idoneæ ad studium mitti debent theologiæ vel juris canonici, & ipsis negligentibus, ad superiores sic mittendi sit translata potestas.*

Quia viris litteratis ecclesia in suis actibus noscitur indigere: provide duximus statuendum, quod de qualibet metropolitanarum & cathedralium ecclesiarum, provinciarum nostrarum, per episcopum & capitulum duæ personæ docibiles, seu doctrinæ capaces, ad theologiæ vel juris canonici studium transmittantur. Et cum per tempus sufficiens ad mittentium arbitrium studuerint in altera de facultatibus antedictis, ad propriam revertantur ecclesiam: & duæ aliæ ad hujusmodi studium destinentur, non obstante ipsarum ecclesiarum vel alicujus earundem contraria consuetudine vel statuto. Quod si mittere personas prædictas cessaverint per sex menses: ex tunc, ea vice, potestas eligendi & mittendi easdem, ad ipsarum immediate superiores præsules devolvatur. Et idem in aliis conventualibus locis vel collegiatis ecclesiis de aliqua dictarum provinciarum, ubi saltem sunt decem personæ, (in religiosis vero, serventur eorum apostolicæ consuetudines, tanquam collegium videlicet habentes prælatum) præcipimus observari. Quod autem quantum ad capitula & collegia hic dicitur, intelligi volumus salvis statutis ecclesiarum, in quibus hæc personarum missio ad immediatum antistitē noscitur pertinere. Personæ vero præfatæ in dicto studio existentes, nihil amittant, nisi sint illa quæ interessentibus Divinis officiis dari consueverunt. Idoneis vero de facili licentiā dare teneantur.

Alioquin

ANNO CHRISTI 1368.

Alioquin superior eorumdem, licentiam dare eis teneatur.

CXII. *Quod signum Iudæi portare debent, ut a Christianis dinoscantur.*

Præterea ut Iudæi, quos a professoribus fidei Christianæ, internæ perfidię secernit impietas, etiam a Christicolis in exterioris habitus differant qualitate: statuimus & decernimus, quod Iudæi masculi a XIV. annis & supra, deferant extra domos suas in superiori veste in pectore signum rotæ, cujus rotunditas in quantitate sit trium vel quatuor digitorum. Mulieres autem Iudææ a XII. annis & supra, cornalia deferant.

CXIII. *Christiana liberos Iudæorum nutrire non debet, nec alias cum ipsis habitare.*

Indecens penitus ac honestati absonum reputantes, ut personæ catholicæ fidei titulo insignitæ Iudæis serviant, quos propria culpa subjecit perpetuæ servituti: statuimus, sacrosancto concilio approbante, quod nulla mulier Christiana de aliqua provinciarum prædictarum, audeat habitare cum Judæis, aut filios vel filias eorum nutrire vel lactare. Et quæcumque contra hujusmodi inhibitionem nostram, postquam monitæ fuerint super hoc, præsumpserint facere, decernimus eas ex tunc excommunicationis sententiæ subjacere: ita videlicet, quod cum hoc diœcesano aut rectori loci illius, ubi mulieres super hoc culpabiles inventæ fuerint, extiterit nunciatum, per jam dictum diœcesanum aut rectorem ecclesiæ parochialis earum, ipsæ mulieres excommunicatæ nuncientur; & tanquam excommunicatæ, ab omnibus evitentur. Et ne ipsæ mulieres de facili in excommunicationis laqueum incidere valeant ipso facto: volumus & mandamus, quod præsens statutum per diœcesanos & rectores ecclesiarum seu ecclesiasticorum locorum, in quibus Iudæi morantur, semel annis singulis publicetur.

CXIV. *Ad Iudæos Christiani non recurrant pro medicina quacumque eorumdem capienda, nisi maxima necessitas immineret.*

Cōc. Aven. ann. 1337. c. 69. Item, quia inter Christianos, non sine fidei catholicæ opprobrio, adeo invaluit perniciosus abusus, ut ii qui Iudæorum fœtidos actus & opera abhorrere deberent, ad ipsos Iudæos, qui se physicos vel chirurgicos asserunt, pro medicamentis, immo verius nocumentis, indifferenter recurrant: idcirco præsentis constitutione concilii statuimus & etiam ordinamus, ut nullus de cætero Christianus nostrarum provinciarum, civitatum, & diœcesum, cujuscumque sexus, status, & conditionis, ac dignitatis existat, in infirmitate sua vel alias, Iudæorum quemquam physicum vel chirurgicum pro aliquibus infirmitatibus, cujuscumq; conditionis aut qualitatis sint, medicinam seu medicamen suæ curæ recipere ab eo audeat, requirat, vel requiri faciat, seu alias quovis modo recipiat: nisi patienti immineret periculum, & Christiani periti medici, physici, vel chirurgici, haberi commode in prædicto periculo copia non valeret. Interdicentes Iudæis utriusque sexus, ut in curandis infirmitatibus Christianorum nullatenus se audeant immiscere. Quod si fecerint, Christianorum eis communio subtrahatur, & Christiani ad eos in pręmissis recurrentes, arbitrio sui ordinarii puniantur.

CXV. *Christiani prohibentur adesse in matrimoniis & sepulturis Iudæorum.*

Quoniam abusus quidam abominabilis nomini

A Christiano in locis aliquibus, ut audivimus, inolevit, videlicet quod Christiani aliqui in Iudæorum circumcisionibus aut sepulturis interesse præsumunt, causa honorandi eosdem; & ex causis præmissis, in eorū conviviis cum eis comedere non verentur, ac in dictis circumcisionibus compaternitatis vinculum, quod nefas est dicere, contrahere cum eisdem: nos volentes abusum hujusmodi, si quis in nostris, quod absit, forsan existat provinciis vel eorum aliqua, extirpare, prædicta & quodlibet prædictorum fieri de cætero prohibemus. Si qui vero contra hanc prohibitionem fecerint, temporalis metu pœnæ arbitrio sui ordinarii punientur.

B CXVI. *Clerici & laici prohibentur herbas & alia venenosa dare in mortem alicujus, aut ut abortivus projiciatur.*

Vt quicumque alium toxicare, vel opem ad hoc vel consilium dare, vel in necem alterius toxicum dictare, seu vendere, aut alias ministrare præsumpserit, vel herbas mortiferas in mortem vel abortivum cujusquam dederit, eo ipso excommunicationem incurrat. Et si clericus beneficiatus fuerit, sit ille privatus beneficio, ipso facto, & ab ordine quem susceperat degradetur. Et nisi purgatus de præmissis sit, a tali vel simili suspicione probabiliter infamatus, & ex verisimilibus præsumptionibus & perspicuis indiciis apud bonos & graves notatus: ad honorem & dignitatem ecclesiasticam nullatenus admittatur. C Et nihilo minus ad detentionem personæ honestam; prout requiret personæ status & sceleris immanitas suadebit, ad inveniendam veritatis certitudinem, sicut superioris discretioni visum fuerit, procedatur. Cōc. Aven. ann. 1326. c. 18.

CXVII. *De adulteris & concubinariis.*

Excommunicamus etiam omnes concubinarios publicos & manifestos.

CXVIII. *Incendiarii & raptores publici sint excommunicati.*

Statuimus, quod incendiarii & raptores publici excommunicati sint, & tanquam excommunicati vitentur, & ecclesiastica sepultura careant; nisi per se vel per heredes satisfactionem fecerint vel emendā.

D CXIX. *Non revelantes instrumenta publica, vel alia documenta ad ecclesias pertinentia, tenentur pœna hic contenta.*

Quoniam pontificalem decet solertiam, rerum ecclesiasticarum ita curam gerere, & subditorum commoda vestigare, ut ecclesiastica libertas incorrupta persistat, & singulorum status jugiter servetur illæsus: idcirco nos callidis quorumdam machinationibus obviare volentes, statuimus, quod quicumque privilegia, instrumenta, & alia ecclesiastica munimenta, ad ecclesiam & personam ecclesiasticam seu quemlibet alium pertinentia retinuerint, nisi infra xv. dies a tempore scientiæ hoc revelaverint illi vel E illis ad quos prædicta instrumenta, privilegia, vel munimenta noverint pertinere, si indebite & scienter retinuerint, cujuscumque status vel conditionis existant, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto: a qua non possint absolvi, nisi prædicta instrumenta, privilegia, ac munimenta restituerint, & de damnis & interesse satisfecerint parti læsæ de præmissis. Præsens autem statutum a rectoribus seu vicariis nostrarum provinciarum præcipimus quater in anno diebus Dominicis, dum Missæ solemnes celebrabuntur, publicari.

ANNO CHRISTI 1368.

CXX. *Qui usuras solvere* [a] *aut repetere prohibent, excommunicati publice nuncientur.*

[a] *sententia subjecti*, canonis expoſcit hæc aut ſimilia verba: *Qui ſolvere jubent, aut repetere prohibent.*

Cum utroque jure contractus uſurarii reprobati exiſtant: præſenti concilio, ob animarum ſalutem, ſtatuimus, ut quicumque officialis, ſive judex, ad ſolvendum uſuras, vel quod non repetantur ſolutæ, ſcienter judicare ſeu ordinare præſumpſerit, excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto. Injungentes inſuper in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus & ſingulis ordinariis provinciarum noſtrarum, ut ſi conſtiterit aliquos officiales vel judices infra eorum juriſdictionem contra prædicta feciſſe, quæ in præſenti concilio ſunt ſalubriter ſtatuta, eoſdem ut excommunicatos faciant publice nunciari, ut ſic prędicti judicandi officio excludantur, & ad reconciliationis gratiam facilius inducantur.

CXXI. *Qualiter contra exemptos & privilegiatos ſuis privilegiis abutentes procedatur.*

Côc. Aven. ann. 1326. c. 19. & ann. 1337. c. 23.

Dolentes referimus quod nonnulli religioſi, hoſpitalarii, & Ciſtercienſes, & alii, tam privilegiati quam exempti, de privilegiorum ſibi forte aut ordini ſuo indultorum prærogativa temere confidentes, excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententias ab ordinariis vel officialibus ipſorum rationabiliter promulgatas obſervare non curant; quinimmo in contemptum clavium excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos hujuſmodi, ad Divina recipiunt, aut interdum in donatos vel confratres contra mentem Lateranenſis concilii admittunt, receptatorum in hac parte genus peſſimum imitantes, ſinę quibus delinquentes in iis & ſimilibus diu forſitan non laterent. Sed nec iis contenti, domos conventuales alterius ordinis quam ſui, eiſdem ordinariis lege diœceſana ſubjectas, & a ſui fundatione juriſdictioni prælatorum, ſalva regula ſui ordinis ſeu diſciplina, ſuppoſitas, tam prænominati quam cæteri religioſi, etiam non exempti, nec privilegiati, vendicare ſibi, & prælatis quaſi furtim, ſuccedente poſtmodum violentia, ſubtrahere moliuntur; ſicque de ſuis indulgentiis ſeu privilegiis confidentes, alios fidentius in jure ſuo moleſtant, ita quod autoritate, immo temeritate propria, nunc in veſtimentis ovium venientes, nunc ſæculari fulti potentia, violenter per ſe vel alium poſſeſſiones vel quaſi domorum hujuſmodi, aut rerum & jurium ad eos ſpectantium, & cum armis aliquotiens invadere & occupare ac tenere contendunt, in prælatorum præjudicium, ſcandalum, & gravamen illius ordinis cujus dicta bona maxime ab initio erant, & cui ab antiquo ſubeſſe cõſuverunt, & ejuſdem læſionem. Cum igitur tales & tam enormiter excedentes, & notorie delinquentes, receptatoribus non impares, immo improbis raptoribus nequiores, perinde ut alios, jura cenſeant puniendos: nos, quantum animadvertere ipſos poſſumus, & a jure nobis permittitur, & maxime ſi de privilegiis ſuis non vellent copiā facere requiſiti, volētes, ubi eos indulta ſibi privilegia non defendunt, correctionis & reformationis officium exercere, & effrænatam ambientium cupiditatem reprimere cupientes: ſtatuimus & concorditer ordinamus, ut tales & ſimiles in præmiſſis tam enormiter delinquentes, & tam notorie excedentes, niſi deſtiterint, & ſaniori ducti conſilio congruenter infra VIII. dies ex quo fuerint requiſiti, revocare ſeu emendare diſtulerint, una cum illis qui ſe ad eos ſic ligatos conjunxerint, & eis qui tranſlationem hujuſmodi attentaverint, & exinde monaſteria, domoſve conventuales, res, & jura hujuſmodi, occupare ſeu invadere cum armis vel ſine armis præſumpſerint; necnon & omnes qui eis ad hoc opem vel operam præſtiterint, aut ut ſic occupata ſcienter detineant, conſilium vel juvamen præbuerint, non ſolum excommunicationi ſubjaceant ipſo facto, ſed etiam cum ipſi prælatis non deferant, ſed potius vilipendant eoſdem, prælati e contra, quamdiu ſic fecerint, & auſu temerario eis vel officialibus eorum in præmiſſis reſtiterint, in privilegiis vel aliis juribus ſuis tueri eos vel defendere minime teneantur. Dignum eſt enim ut qua menſura menſi fuerint, in eadem remetiatur eiſdem: ut ignorantes ignorari, & contemnentes ſentiant ſe contemni. Qua enim fronte prælatorum implorabunt auxilium, qui committere non formidant in ipſos? Statuimus inſuper & præcipimus & communiter ordinamus, ut ſingulares perſonæ, tam ſuimet quam ipſius conventus, dictam tranſlationem taliter fieri procurantes, ab illius domus ſeu conventus conſortio penitus & in perpetuum excludantur, vitam ſuam alibi ſub arcta pœnitentia ſui ſuperioris arbitrio finituri. Circa tranſlationem autem ſingularum perſonarum, ad arctiorem forte regulam tranſire cupientium, nihil per hoc intendimus extra formam a jure traditam immutare.

CXXII. *Quomodo procedatur contra capientes epiſcopum aut prælatum, aut eorum occiſores, & dantes in præmiſſis conſilium vel juvamen.*

Quoniam exempla præterita timere nos admonent in futurum: hujuſmodi ſacri concilii autoritate ſtatuimus, ut quicumque inſtigante diabolo, per ſe vel per alium interfecerit, vel vulneraverit, vel ceperit, aut percuſſerit aliquem archiepiſcopum aut epiſcopum, omnibus feudis aut rebus & beneficiis, quæ ab eccleſiis quibuſcumque alicujus provinciarum noſtrarum, tempore ſceleris obtinebit, ipſo facto ſit perpetuo privatus, & ea pleno jure eccleſiis, a quibus prædicta obtinuit, applicentur: nec deſcendentes ab eodem malefactore, uſque ad quartam generationem, ad gradum aliquem eccleſiaſticum promoveantur, nec aliquod beneficium eccleſiaſticum feudale, vel aliud quodlibet, in aliqua provinciarum noſtrarum aſſequantur. Et nemINUS vindictæ quam exceſſus memoria tanti facinoris prorogetur: adjicientes ſtatuimus, quod quicumque prælatus de aliqua provinciarum noſtrarum prædictarum, aliquem de prædictis deſcendentibus ad aliquem ordinem, promovere, vel aliquod beneficium eccleſiaſticum ſeu quodlibet, aliud eidem conferre ſcienter præſumpſerit, a collatione illius ordinis, quem ſcienter contulerit, per biennium ſit ſuſpenſus. Quicumque autem de prædictis malefactoribus, vel filiis ſuis, ordinem ſeu beneficium a quoquam archiepiſcopo vel epiſcopo ſcienter vel ignoranter receperit, executionem non habeat ordinis ſic ſuſcepti, & collatio ejuſdem beneficii ſit irrita ipſo jure, & ea vice per proximum ſuperiorem de illo beneficio ordinetur. Si vero aliquem de prælatis inferioribus, vel principalem vicarium, ſeu officialem ſupradictorum archiepiſcoporum vel epiſcoporum, auſu temerario quiſquam interficere, mutilare, vel capere præſumpſerit: tam ipſi, quam eorum filii, incurrant pœnam expreſſam ſuperius ipſo facto; proviſo quod eis feudis & poſſeſſionibus tantummodo ſint privati, quæ ab eccleſiis, quarum perſonas ſic læſerint, modo quolibet obtinebunt. Salvo eo quod alias ſuper hoc in canonibus continetur. Et prælatus, qui tales malefactores, vel filios eorum, ad aliquem ordinem promovere, vel cuiquam talium beneficium eccleſiaſticum cõferre præſumpſerit, a collatione illius ordinis, quem ſcienter contulerit, per annum noverit ſe ſuſpenſum: & collatio

ANNO CHRISTI 1368.

latio hujusmodi sit irrita ipso jure, & ea vice de beneficio ipso per superiorem proximum ordinetur. Quicumque autem de prædictis malefactoribus vel filiis suis a quoquam episcopo scienter vel ignoranter ordinem receperit, executionem non habeat ordinis sic susceptı, nec beneficii collatio valeat, ut est dictum: salvis tamen omnibus pœnis canonicis, quibus per hanc constitutionem non intendimus in aliquo derogare. Hanc autem constitutionem & statuta salubriter, per diœcesanos quoslibet provinciarum nostrarum singulis annis in suis synodis & diœcesibus præcipimus publicari: & nihilo minus ut ii qui prædictas pœnas incurrerint, in synodis nuncientur nominatim.

CXXIII. *Convenientibus ad Missam beatæ Mariæ in diebus sabbatinis, indulgentia est concessa.*

Insuper attendentes quod ecclesia militans frequentibus adversitatum insultibus quatitur, & circumflantibus sæculi turbinibus agitatur, & quod propterea ad sustentationem ipsius ecclesiæ superna præsidia sunt suppliciter imploranda, præsertim mitissimæ cœlorum reginæ, quæ a pacifico rege, quem genuit & peperit illibata, compos est omnia impetrate: statuimus, & communiter ordinamus, quod Missa ipsius beatissimæ virginis, additis collectis *Ecclesiæ tuæ Deus*, & *Deus a quo sancta desideria*, in die sabbati, si festum novem lectionum non impediat, alioquin in alia vacante feria sequentis hebdomadæ vel ejusdem, pro prospero, pacifico, & tranquillo statu ecclesiæ ipsius, & inimicis ad cor pœnitens revocandis, in singulis provinciarum nostrarum ecclesiis solemniter celebretur. Et ut ad conveniendum ad Missam hujusmodi Christi fideles, spiritualium munerum allicientibus donativis, ferventius animentur: omnibus vere pœnitentibus & confessis accedentibus ad eamdem, decem dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

CXXIV. *Omnibus Christianis provinciarum antedictarum & diœcesum, orantibus pro domino nostro papa est, indulgentia concessa.*

Cōc. Aven. ann. 1326. c. 3.

Item, quoniam universali pastori totum gregem Dominicum solertiæ suæ commissum dirigendi, fovendi, ac eum a lupinis morsibus præservandi, curis & vigiliis plenū imminet studiū: est ei per subditos apud majestatem Divinam, quæ piis fideliū votis benignas aures accommodat, propensis orationum suffragiis assistendum. Nos igitur provida & pia deliberatione præambula, præsentis autoritate concilii duximus statuendum, quod quicumque Christi fideles de aliqua nostrarum provinciarū civitatū, & diœcesum vere pœnitentes & confessi, devotas orationes effundere curaverint ante conspectum Altissimi, a quo bona cuncta procedunt, ut per suam ineffabilem misericordiam sanctissimum patrem & dominum nostrum papam, qui est vel erit pro tempore, regere ac in suæ pacis gratia conservare ac custodire, fidemque catholicam toto terrarum orbe multiplicare dignetur; quilibet, videlicet nostrum archiepiscoporum per totam suam provinciam, & quilibet suffraganeorum nostrorum per totam suam civitatem & diœcesim, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

A CXXV. *Quod quæstores quicumque sine litteris ordinariorum minime recipiantur, nec ad prædicandum admittantur.*

ANNO CHRISTI 1368.

De quæstoribus autem ecclesiarum, hospitalium, vel pontium, alias duximus statuendum, quod sine nostris vel episcoporum litteris non recipiantur, & tunc ad prædicationem non admittantur, sed ad expositionem ipsorum tantum, quæ in nostris vel episcoporum litteris continentur. Et si prædicare præsumpserint, capiantur, si de jurisdictione ecclesiæ existant.

CXXVI. *Ut ordinarii in casibus reservatis deputent idoneos confessores.*

Cum natura humana propter sui fragilitatem prona sit ad gravia committenda, quorum remissio est B solis episcopis reservata, & ipsi episcopi super præmissis quotidie adiri non possint: statuimus, quod quilibet episcopus provinciarum nostrarum, in casibus sibi reservatis tot confessores discretos instituat, quot secundum statum suarum civitatis & diœcesis necessarios noverit, quibus super ipsis committat plenariam potestatem.

CXXVII. *Indulgentia conceditur dicentibus quinquies* Pater noster, *& septies* Ave Maria, *cum campana trahitur pro præmissis.*

Cum per devotā orationē, non duntaxat placabilis sit ira Dei, quinimmo, sacra testante scriptura, ejus sententiam sæpius noverimus immutasse: idcirco sacro C approbante concilio statuimus & ordinamus, sub pœna excommunicationis, quod singulis & continuis diebus, rectores & curati provinciarum nostrarum, quilibet per se vel alium, circa Solis ortum, pulsent seu pulsari faciant unam campanam per modum & formam quibus trahitur de sero, quando pulsatur pro *Ave Maria*. Et tunc omnibus & singulis qui pro pace & statu prospero ecclesiæ conservandis & augmentandis, devote, ob reverentiam & honorem illorum quinque vulnerum per Salvatorem nostrum in ara crucis pro redemptione generis humani receptorum, quinquies genibus flexis orationem Dominicam dixerint, & ad honorem septem gaudiorum quæ de filio suo beata Virgo habuit, septies angelica salutatione, scilicet *Ave Maria*, eam devote salutaverint, D de injunctis pœnitentiis triginta dies misericorditer relaxamus.

CXXVIII. *Qui in contemptum ecclesiæ, excommunicationis sententias & interdicti vilipendunt, usurpando sibi sacerdotale officium, sententias fingentes per eos ferri posse in Dei vilipendium, & censuræ ecclesiasticæ opprobrium, pœna hic contenta affligantur.*

Ad audientiam nostram pervenit, quod abominabilis in quibusdam partibus invalescere cœpit abusio, videlicet quod quidam nequitiæ filii, maledictionis alumni, non timentes Deum, nec hominem reverentes, cum censuram ecclesiasticam vilipendunt, E cumque ad hominum salutem inventam, tanquam venenum, respuunt medicinam, ad interitus festinando perniciem, suis nefandis exemplis in perversitatis ruinam alios damnabiliter seducendo, cum Belial eorum patre, superbiæ sedem sibi ab aquilone constituunt, suosque superiores contemnunt, contra eos rebellionis calcaneum erigentes, tales, cum, ut fertur, adulterinum prælati vel presbyteri confingentes officium, interdictumque sibi ministerium temere usurpantes, dum exigente justitia, per suos superiores excommunicationis subduntur sententiis, vel de suorum superiorum mandatis hujusmodi sen- Cōc. Aven. ann. 1329. c. 7.

tentiarum

tentiarum innodati vinculis nunciantur, in superiorū promulgantiū & per eos promulgatarum sententiarū contemptum, se parem vel similem in superiores ipsos habere potestatē, contra ipsosque seu denunciatores sententiarum ipsarum, quantum in ipsis nequitiæ filiis est, excommunicationis sententias, versa immo perversa vice, fulminare præsumunt, accensos palearum fasciculos, vel candelas de cepo, seu carbones, aut tisones ardentes in patellis, conchis, sartaginibus, vel similibus vasis vituperabiliter extinguendo. Cum igitur talia in Dei opprobrium & ecclesiasticæ vilipendium disciplinæ redundare noscantur: præsentis concilii ordinatione statuimus, & districtius inhibemus, ne quis clericus vel laicus, cujuscumque ordinis, conditionis, aut status existat, tam perniciosa facto pariter & exemplo, per se, vel alium, seu alios, de cætero attentare præsumat. Qui vero hujusmodi statuti transgressor extiterit, & infra triduum emendam exinde non exhibuerit competentem: ex tunc se noverit ipso facto excommunicationis vinculo innodatum. Locus vero ubi hæc vel similia, ipsius loci domino sciente, vel mandante, vel ratum habente, seu, postquam requisitus fuerit ipse seu locum tenens ejusdem, infra sex dies corrigere negligente, præsumpta fuerint, ecclesiastico tamdiu sit & remaneat suppositus interdicto, donec ad mandatum ecclesiæ, quam delinquens offenderit, & prælati, quem irreverenter despexerit, sufficiens & idonea satisfactio ac realis emenda præstita fuerit per eumdem: quam, cum in talibus non sit relaxanda vindicta, offensus prælatus minime remittere valeat ullo casu. Quinimmo eisdem pœnis illos vel illas volumus subjacere, qui vel quæ talia mandaverint fieri, vel alias opem vel operam aut consilium præbuerint: si tamen rem adeo detestabilem perducere contigerit in effectum. Addito, quod eorum posteri, usque ad secundam generationem, in clericorum collegium nullatenus admittantur, nisi prius, per metropolitanum cum uno suffraganeo, cum ipsis super hoc fuerit misericorditer dispensatum. Si vero clericus beneficiatus, in dignitate, personatu, seu officio constitutus, taliter excesserit: ultra pœnam quæ laico infligeretur, præterea beneficio ecclesiastico, si quod in provinciis nostris obtinet, vel aliqua earumdem, sit ipso facto præsentis concilii autoritate privatus. Non beneficiatus autem, ad obtinendum beneficium sit ex tunc inhabilis & indignus.

CXXIX. *Lata sententia excommunicationis vel interdicti, requisitus ordinarius ab alio, eas faciat inviolabiliter observari.*

Cōc. Aven. ann. 1326. c. 47. Sententiam excommunicationis vel interdicti latam ab uno, alii denunciari & observari faciant, cum a proferente super hoc fuerint requisiti. Addentes, quod hujusmodi sententiæ excommunicationis & interdicti nonnisi ex justis causis, & cum magna solemnitate, proferantur.

CXXX. *In cessatione Divinorum, capitulum* Alma mater *observetur.*

Cum in quibusdam constitutionibus sacri præsentis concilii, & alias, in provinciis nostris sit cautum, quod in certis casibus debeat cessari penitus a Divinis: ejusdem approbatione concilii declaramus, prædictam cessationem debere fieri, prout tempore generalis interdicti per constitutionem felicis recordationis Bonifacii papæ octavi, quæ incipit *Alma mater*, & per alias constitutiones canonicas, est statutum.

CXXXI. *A dominis temporalibus, excommunicati, ad unitatem ecclesiæ, per ordinarios requisiti, redire compellantur: & domini temporales requisiti, negligentes, vinculo excommunicationis astringantur: & excommunicati, tempore quo Divina celebrantur, ab ecclesia exire teneantur.*

Cum utraque jurisdictio, videlicet spiritualis, & etiam temporalis, a principio manaverit ab eodem: evidenti necessitate urgente statuimus, quod domini temporales, judices, & eorum bajuli, & locatenentes, ad requisitionem archiepiscoporum, episcoporum, vel officialium eorumdem, excommunicatos ad petendum absolutionis beneficium, & ad sinum sanctæ matris ecclesiæ revertendum, per bonorum suorum captionem, venditionem, distractionem, & per alia juris remedia, citra pœnam sanguinis, compellant; & nisi infra octo dies, a dictæ requisitionis tempore computandos, requisitionem hujusmodi prævenerint cum effectu, nec se legitime excusaverint, iidem requisiti excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. Item, quod excommunicati, presertim postquam denunciati in ecclesiis publice fuerint, non jungant se Divinis officiis, nec intrent ecclesias, quamdiu Divina hujusmodi officia celebrantur ibidem. Et illi qui dictos excommunicatos in ecclesiis viderint, dum dicta Divina ibidem celebrantur officia, hoc ipsarum ecclesiarum denunciare rectoribus teneantur, vel locatenentibus eorumdem. Et si excommunicati prædicti, de ipsis ecclesiis exire contempserint requisiti, ordinariorum arbitrio puniantur, præter alias pœnas a jure introductas. Et si in mortis articulo absoluti fuerint, nihilo minus tamen ecclesiastica careant sepultura, donec de hujusmodi contemptibus ordinariorum arbitrio pro eis satisfactum fuerit competenter. Rectores vero ecclesiarum ipsarum, de talibus transgressoribus & eorum nominibus, infra mensem, ordinarium suum per suas certificare litteras teneantur. Conc. Auscit. ann. 1304. c. 5.

CXXXII. *Excommunicati ad manus osculum non admittantur, nec in potu pariter, nec in cibo.*

Quia jus ecclesiasticæ disciplinæ contemnitur, eo quod excommunicati arctius non vitantur, & quod agitur a prælatis, facile trahitur a subditis in exemplum: dicti concilii approbatione statuimus, quod prælati excommunicatos publice ad manus osculum non admittant, & quod ab ipsis prælatis vitentur, comedendo, bibendo, tam in dando eisdem excommunicatis, quam in recipiendo ab ipsis (nisi prædicti excommunicati, ad dandum eisdem prælatis, ratione procurationis vel census, vel alias legitime ad hoc teneantur) & a dictis prælatis & aliis evitentur secundum mandata judicum, & secundum canonicas sanctiones: ut excommunicati, rubore confusi, ad gremium sanctæ matris ecclesiæ libentius revertantur. Ibid. c. 4.

CXXXIII. *Confirmatio constitutionum a prædecessoribus archiepiscoporum editarum.*

Cum multa sit diligentia per nostros prædecessores provisum casibus, qui solent in nostris civitatibus, provinciis, & diœcesibus evenire, per constitutiones legitimas provinciales, quæ ab aliquibus minus debite observantur: hinc est quod nos, omnes constitutiones provinciales, alias per prædecessores nostros & per nos editas, renovamus, approbamus, easque de fratrum nostrorum consilio & assensu, ex certa scientia confirmamus, ac ipsas præcipimus inviolabiliter observari: nec per ista præcedentia statuta in præsenti concilio facta, aliis statutis & obser-

ANNO CHRISTI 1368.

vantiis provincialibus seu synodalibus intendimus in aliquo derogare, nisi in quantum prædictis essent contraria vel adversa.

In quorum omnium fidem & testimonium præmissorum, nos Petrus Narbonensis, & Gaffredus Tolosanus, Divina providentia archiepiscopi, & Philippus abbas Soricinii, vicariusque generalis domini Arnaldi archiepiscopi Auxitani, supradicti, prædictas constitutiones ad instar publici instrumenti publicari mandavimus per Bernardum de Fabrica, alias de Cornutio, & Ioannem Nigri notarios publicos & scribas nostros infrascriptos, & sigillorum nostrorum appensione muniri, ad majorem roboris firmitatem, & certitudinem pleniorem. Et nos siquidem, & reverendi in Christo patres, domini, H. Biterrensis, I. Carcassonensis, A. Electensis, R. Vaurensis, G. Appamiarum, & G. Lombariensis, B. Convenarum, episcopi suffraganeiq; nostri supradicti, necnon prædicti vicarii & procuratores absentium aliorum suffraganeorum nostrorum, & in præfato concilio non comparentium, omnia & singula in dictis statutis contenta, rata & grata habuimus atque firma: nisi si & in quantum dominus noster papa vellet ea corrigere, diminui, vel augeri. Actum & datum in dicta ecclesia cathedrali civitatis Vaurensis, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo sexagesimo octavo, & die sexta mensis Iunii, Indictione sexta, pontificatus sanctissimi in Christo patris, & domini nostri, domini Vrbani Divina providentia papæ quinti prædicti anno sexto: præsentibus dominis, Petro de Sortenaco legum doctore, decano sancti Felicis de Caramanno, Tolosanæ diœcesis; Ioanne de Karolay magistro in sacra pagina, magistroque majore ac canonico ecclesiæ Narbonensis; Petro de Vernhio decretorum doctore, canonico Narbonensi; Petro Villani legum doctore, vicario & officiali Tolosano; & venerabili & religioso viro domino Amelio de Lautreco decretorum doctore, canonico & cancellario Tolosano; Bertrando Ayromerii licentiato in decretis, officiali Narbonensi; Iacobo Maynerii in legibus baccallario, diœcesis Claromontensis; & Guillelmo Siguerii baccallario in decretis, canonico & sacrista ecclesiæ collegiatæ beatæ Mariæ Gissonensis, Vrgellensis diœcesis; & pluribus aliis venerabilibus & providis viris, testibus ad præmissa vocatis, requisitis, & rogatis.

Et me Ioanne Nigri clerico Morinensis diœcesis, publico apostolica & imperiali ac archiepiscopali autoritate & ipsius domini Narbonensis archiepiscopi scriba & notario, qui simul cum magistro Bernardo de Fabrica, alias de Cornutio, dicti domini archiepiscopi Tolosani & scriba & notario infrascripto nominando, statutorum sive constitutionum suprascriptorum editioni & ordinationi, dictorum dominorum episcoporum præsentium ac aliorum dominorum episcoporum absentium procuratorum & vicariorum generalium ratificationi, confirmationi, requisitioni, & aliis omnibus & singulis supradictis, dum sic, ut supra leguntur, agerentur & fierent, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque omnia & singula, prout supra scripta sunt, manu mea propria scripsi, & in hanc publicam formam per dictos dominos archiepiscopos & vicarium domini archiepiscopi Auxitani, una cum dicto magistro Bernardo requisitus & mandatus redegi, & signum meum ante subscriptionem apposui in testimonium præmissorum.

Ego vero Bernardus de Fabrica, alias de Cornutio, clericus Caturcensis, publicus apostolica & imperiali autoritate notarius, & dicti domini archiepiscopi Tolosani scriba, simul una cum supradicto magistro Ioanne Nigri notario publico supradicto, & dicti domini archiepiscopi Narbonensis etiam scriba, prædictorum statutorum sive constitutionum editioni, ordinationi, dictorumque dominorum præsentium episcoporum, necnon aliorum dominorum episcoporum absentium procuratorum, & aliorum vicariorum generalium, approbationi, ratificationi, confirmationi, & requisitioni, & aliis omnibus & singulis supradictis, dum modo fierēt & ordinarentur prædicto, una cum prænominatis testibus præsens fui, eaque omnia & singula supradicta in notam communicatis primitus collatione cum dicto magistro Ioanne, & ipsis per eumdem magistrum Ioannem scriptorem in hanc publicam formam redactis, signumque meum & subscriptionem meam prædictam solitam apposui in fidem & testimonium omnium prædictorum.

Huc usque codex Bosquetianus, ex quo emendatiorem habes hujus concilii editionem lacunasque suppletas.

INDULGENTIA A PATRIBUS *concilii Vaurensis concessa Christi fidelibus, qui manus adjutrices porrigent ad restaurationem cathedralis ecclesiæ Vaurensis.*

VNiversis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, visuris, ac etiam audituris, Petrus primas sanctæ sedis Romanæ provisione Narbonensis, Gaffredus eadem provisione Tolosanensis archiepiscopus, Philippus abbas Soricinii vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus reverendissimi patris in Christo domini Arnaldi archiepiscopi Auxitani, Bernardus Convenarum, Petrus Lodevensis; Robertus Vaurensis, Hugo Biterrensis, Ioannes Caturcensis, Arnaldus Electensis, ... Vasatensis, Guillelmus Lumbariensis, Guillelmus Appamiarum, Otho Lescarensis, eadem provisione episcopi, in civitate de Vauro de autoritate apostolica & nostra generale concilium celebrantes, salutem in eo qui est omnium vera salus, & veniam delictorum. Quoniam, ut dicit apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout quisque gesserit in corpore suo & in corde, sive bonum fuerit, sive malum, & tam præsens & visibilis ecclesia militans, triumphanti cælesti civitati Ierusalem non immerito comparetur, & locum ubi sanctissimum corpus Domini nostri Iesu Christi conficitur & servatur, & nostræ reconciliationis ad ipsum instrumenta, scilicet ecclesiastica sacramenta, ministrantur, tam pro offensis, quam ex culpis populi recurrentis ad supplicandum, diem majestati specialiter deputatum, in quo delictorum venia confitentibus impetratur, & inter cætera firmo fundamento ac expletis ædificiis communiri deceat, ut alliciat, reficiat, & informet. Sane cupientes quod ecclesia cathedralis Vaurensis nuper erecta, in qua sacrum generale concilium autoritate prædicta de præsenti celebramus, & in qua Dominus Iesus Christus salvator & redemptor noster, ad honorem beatissimæ gloriosæ virginis Mariæ, ac gloriosorum sanctorum beati Elani pontificis & confessoris patroni dictæ ecclesiæ cathedralis, beati Albini meritis, & plurimorum sanctorum sanctarumque virginum, pro quibus ad Dei & sanctorum & sanctarum ejus honorem & gloriam in dicta cathedrali ecclesia sacra altaria sunt constructa & ædificata, quamplurima miracula operatur, & ejus claustrum de novo opere non modicum sumptuoso reparetur, potissime dicta ecclesia, quæ quotidie a parte fluminis funditur, & subjecta oculis nostris multum indigeat reparatione, libris, vestimentis, & aliis ornamentis Divino cultui necessariis, deceatque cathedralem ecclesiam, potius quam aliæ rurales, majoribus & solenmioribus ornamentis decorare, & di-

ANNO CHRISTI 1368

gnioribus suffragiis sustentare, & necessitatibus ipsius ecclesiæ spiritualibus remediis subvenire, & saluti animarum, quantum cum Deo possumus, providere, cum ad dictæ ecclesiæ & claustri reparationem & ornamentum propriæ non suppetant facultates, nisi eleemosynis Christi fidelium eleventur. Nos igitur archiepiscopi & episcopi, hujusmodi sacrum generale concilium in dicta cathedrali ecclesia celebrantes, volentes ad tam pium opus fideles Christi devotius excitare, universis & singulis utriusq; sexus, vere tam pœnitentibus quam confessis, qui in festivitatibus Nativitatis Domini, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Annunciationis, Nativitatis, Purificationis, & Assumptionis, Conceptionis, & Præsentationis beatæ & gloriosæ virginis Mariæ, singulorumque apostolorum, com- B memoratione omnium sanctorum, Ioannis Baptistæ, & evangelistarum, beati Albini, sanctarumque Catharinæ, Cæciliæ, Agathæ, & Luciæ virginum, & beati Elani, cujus vocabulo ipsa ecclesia extitit insignita, & in dedicatione ipsius ecclesiæ, & in vesperis, & pro octavis eorumdem, ipsam ecclesiam devote visitaverint, ornaverint, adornaverint, & ad ædificandum, reparandum, ornandum ipsius ecclesiam, cum suis eleemosynis & necessariis suas manus porrexerint adjutrices, & qui in sanitate sui corporis, seu in extremis laborantes, quidquam suarum prædicto operi & dictæ ecclesiæ & claustro legaverint facultatum vel donaverint, de omnipotentis Dei gratia & misericordia, & beatorum Petri & Pauli apostolorum, ac sanctissimæ virginis Mariæ gloriosæ, & omnium sanctorum ejus autoritate confisi, & C nostra & hujusmodi sacri concilii autoritate & potestate nobis attributa, nos omnes, & singuli, & quilibet nostrum, annuatim perpetuo pro qualibet die quadraginta dies de vera indulgentia & de injunctis sibi pœnitentiis indulgemus, & misericorditer relaxamus. Datum Vauri in hoc sacro generali concilio die III. mensis Iunii, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo octavo.

LITTERÆ VRBANI PAPÆ V. ad archiepiscopos trium provinciarum, qui concilio Vaurensi interfuerant.

VRbanus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Auxitanensi, Narbonensi, & Tolosæ archiepiscopis, eorumque suffraganeis, & dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archi- D diaconis, præpositis, aliisque ecclesiarum, & monasteriorum prælatis & rectoribus, necnon capitulis & conventibus ecclesiarum & monasteriorum, aliisque personis ecclesiasticis civitatum, diœcesum, & provinciarum Auxitanensis, Narbonensis, & Tolosæ, salutem & apostolicam benedictionem. Ad nostrum pervenit auditum, quod nonnulli ex vobis, quod una via eis sciunt a jure inhibitum, per aliam malitiose agere, & in proprium eorum & suarum ecclesiarum & monasteriorum ac locorum dispendium & gravamen attentare præsumunt: interdum videlicet temporalibus dominis loco subditorum mutuando, seu alia sumpta occasione dando certas pecuniarum summas, quas verisimiliter æstimant se nullo tempore recepturos. Nos igitur volentes vestris & eorumdem ecclesiarum & monasteriorum indemnita- E tibus providere, & talibus malitiis obviare, vobis & cuilibet vestrum tenore præsentium districtius inhibemus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto, & a qua nullus nisi a nobis & successoribus nostris Romanis pontificibus, præter- A quam in mortis articulo possit absolvi: mandantes, quatenus hujusmodi mutua & fraudulentas dationes non præsumatis de cætero facere, sine apostolicæ sedis licentia speciali. Mandamusque vobis fratribus archiepiscopis & episcopis, ut per vos, vel alium, seu alios, hujusmodi nostram inhibitionem & mandatum in vestris cathedralibus & collegiatis aliisque ecclesiis dictarum civitatum & diœcesum, de quibus expedire videbitur, publicetis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis, voluntatis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Viterbii II. Nonas Octobris, pontificatus nostri anno septimo.

ANNO CHRISTI 1368.

** CONDEMNATIO ERRORVM quorumdam per Simon. Langham archiepisc. Cantuar.

ANNO CHRISTI 1368.

Simon &c. dilecto nobis in Christo filio, ... cancellario universitatis Oxonii, salutem, gratiam, & benedictionem.

Ex Tomo II. collectionis Anglicanæ.

SEcundum sententiam salvatoris, publicus humani generis inimicus, in agro Dominico zizania seminare non cessat: sed quo magis ut fructificet semen ejus custodes invigilant expurgare, tanto latentius agrum invadit, ut immissum gramen inficiat, & materiam adulterini seminis multiplicet & infundat. Sane licet tanti hostis versutiam præcaventes, ne subintraret agrum nostræ provinciæ, cui disponente Domino præsidemus: tamen ex relatu plurimorum, & querelosis vocibus subditorum, nostris auribus intimatur, quod pedem suum pestiferum apposuit agro nostro, ad destructionem veri seminis Iesu Christi, quod & patres nostri præcipui sapienter rigaverunt, & sacratis scripturarum testimoniis firmaverunt. Nolentes igitur malum semen in altum succrescere, nec radices ejus sine debita decisione a segete extirpare: tam doctorũ sacræ paginæ, quam aliorum utriusq; juris peritorum multitudinem fecimus congregari: ut disperso semine inquinato, per solertem disputationem granum ventilaretur a paleis, & inexpugnabilibus adductis sanctorum evidentiis, in cunctis subsequentibus articulis doctrina patefieret veritatis. Qualia vero erant semina venenata, quæ inimicus homo in agro Dominico proposuit radicasse, in subsequentibus articulis plenarie continentur.

1. Quilibet viator tam adultus quam non adultus, Saracenus, Iudæus, & paganus, etiam in utero materno defunctus, habebit claram visionem Dei ante mortem suam. Qua visione manente, habebit electionem liberam convertendi se ad Deum, vel divertendi se ab eo. Et si pro tunc elegerit converti ad Deum, salvabitur; sin autem, damnabitur. *Error.*

2. Peccatum commissum in hujusmodi clara visione per malam electionem, non est remediabile nec remissibile: & sic pro illo, passio Christi non potest satisfacere quantum ad efficientiam. *Si intelligatur de clara visione viatoris, sicut primus articulus, error.*

3. Stat aliquem adultum sine actu vel habitu fidei Christi in se, de lege communi salvari. *Si intelligatur de viatore adulto, sicut primus articulus, error.*

4. Sacramentum baptismi non est e lege Dei alicui parvulo decedenti requisitum ad salutem æternam. *Si intelligatur universaliter quod nullum sacramentum &c. error.*

5. De quolibet parvulo in utero materno decedente,

ac aliis parvulis decedentibus sine sacramento baptismi, est a quolibet catholico dubitandus, an damnetur, an salvetur. *Error.*

6. De quolibet parvulo baptizato decedente, an salvabitur seu damnabitur, est a quolibet catholico dubitandus. *Error.*

7. Saracenos, Iudæos, ac paganos, adultos & discretos, qui numquam habuerunt, habent, vel habebunt actum seu habitum fidei Christianæ, possibile est de communi lege salvari, intelligendo in sensu composito, & de quolibet tali decedente, an salvabitur, est a quolibet catholico dubitandum. *Error.*

8. Non est possibile de lege communi, aliquem pro solo originali peccato damnari, si intelligatur pro solo originali sine actuali. *Vt proximus articulus sequens, error.*

9. Impossibile est de lege communi aliquem damnari sine peccato actuali ab ipso commisso. *Error.*

10. Gratia juxta communiter ponentes est trussa, eo quod non est possibile aliquem talem esse. *Iste articulus est erroneus, quia male sonat.*

11. Aliquis potest ex puris naturalibus mereri vitam æternam. *Error.*

12. Est medium sufficiens in natura ad attingendum finem hominis naturalem, si intelligit per finem hominis naturalem, beatitudinem ultimam & æternam. *Error.*

13. Pro quolibet peccato commisso in statu fidei est remedium sufficiens in natura, per quod redire potest viator ad gradum deperditum per peccatum. *Error.*

14. Pro nullo peccato commisso citra claram visionem Dei, est aliquis juste privandus hereditate cælesti, sicut nec puer peccans ex ignorantia est hereditate privandus. *Error.*

15. Nihil est nec esse potest malum, solum quia prohibitum. *Error.*

16. Pomum vetitum quod primus parens comedit, non solum fuit malum sibi, quia prohibitum, sed sibi prohibitum quia malum. *Error.*

17. Quocumque effectu signato, oportet quod sit aliqua causa quare Deus vult illum effectum. *Si intelligatur universaliter de omni effectu, quod oportet ponere aliquam causam ex parte effectus: error.*

18. Pater in Divinis est finitus, Filius in Divinis est finitus, & solus Spiritus sanctus est infinitus. *Error.*

19. Solus Pater efficit, solus Filius format, & solus Spiritus sanctus finit quamlibet creaturam. *Error.*

20. Deus non potest aliquid annihilare. *Error.*

21. Deus non potest aliquem immediate punire, eo quod non potest esse tortor. *Error.*

22. Nullus potest peccare appropriate contra Patrem in Divinis, eo quod nullus potest peccare ex impotentia, si peccet ex ignorantia vel malitia. *Error.*

23. Quam necessarius homo est animal, tam necessarius homo est mortalis. *Si intelligatur universaliter pro omni statu hominis, non obstante gratia competente: error.*

24. Quod Christus, beata Maria, & omnes homines beati, adhuc veraciter sunt mortales. *Si intelligatur de lege ordinata: error, quia contrariatur dictis apostoli & sanctorum.*

25. Quod Virgo beata est adhuc peccabilis & damnabilis pro peccato. *Si intelligatur quod ipsa beata virgo non sit facta impeccabilis & etiam indamnabilis per ejusdem gratiam confirmationis finalis beatitudinis ordinatæ: error.*

26. Quod omnes beati, tam Angeli quam homines, excepto Christo, sunt peccabiles & damnabiles. *Si intelligatur, ut proximus præcedens: error.*

27. Quod omnes homines damnati in inferno, sunt reparabiles & beatificabiles. *Si intelligatur quod sunt reparabiles & beatificabiles, non obstante eorumdem finali reprobatione, quorum ignis est inextinguibilis secundum evangelium: error.*

28. Quod omnes dæmones sunt & semper erunt reparabiles ad beatitudinem consequendam. *Si intelligatur ut præcedens: error.*

29. Quod Deus de potestate sua absoluta non posset facere creaturam rationabilem impeccabilem. *Si intelligatur simpliciter sicut verba sonant, quod non posset creaturam rationabilem impeccabilem facere, per naturam nec per gratiam confirmationis: error.*

30. Quod beati sunt mortales, & immortales. *Error secundum intellectum decimi quarti articuli.*

Istos igitur præmissos triginta articulos, de congregato concilio, tam doctorum sacræ paginæ, quam aliorum prudentium virorum, prout quidam expresse ponuntur, & alii modificantur, damnamus & reprobamus, & tanquam erroneos judicamus. Et si quis in futurum sententiam præmissorum articulorum vel doctrinam in hac parte defendere vel approbare præsumpserit, in scholis vel alibi, publice vel occulte: tanquam falsarum opinionum, & novarum superstitionum sectator, ab omnibus evitetur: & præcipimus tā in actibus scholasticis quam in aliis, eosdem articulos ab omnibus evitari, sub interminatione anathematis, quod poterunt formidare non immerito ex certa scientia contrarium facientes. Vobis igitur committimus & mandamus, quatenus præmissa omnia & singula sic per nos fuisse acta & gesta in universitate prædicta modo debito publicetis: inhibentes palam & publice omnibus & singulis, quibus videritis inhibendis, ne quis articulorum prædictorum sententiam vel doctrinā defendere vel approbare præsumat in scholis aut alibi, publice vel occulte, sub pœna excommunicationis majoris in contravenientes, mora, dolo, & culpa eorum in ea parte præcedentibus, trina & canonica monitione præmissa, per vos canonice fulminandæ.

Dat. apud Lamheth quinto Idus Novembris, anno Domini MCCCLXVIII. & nostræ translationis tertio.

VITA GREGORII PAPÆ XI.

ANNO CHRISTI 1370.

GRegorius undecimus natione Lemovicensis, antea Petrus Bellifortis vocatus, decimo septimo ætatis suæ anno cardinalis per Clementem sextum patruum suum creatus, virtutum merito, omnium consensu supremum ecclesiæ gradum conscendit tertio Kalendas Ianuarii, anno Domini 1370. tempore Caroli IV. imperatoris. Hic cum totam Italiam tumultibus occupatam videret, eo cardinalem Gebennensem cum sex millibus levis armaturæ equitum Britonum misit. Quorum adventu cum nihil a tumultuatione recederetur: ipse pontifex confirmato animo, viginti & unam triremes super Rhodano præparari imperavit: alioque properare se fingens, primo Genuam, inde Cornetum, ac postremo itinere terrestri Idibus Ianuarii Romam pervenit, anno 1376. qui erat a translatione curiæ Romanæ in Gallias per Clementem facta annus septuagesimus. Hujus transmigrationis causam alii aliam referunt. Platina scribit, quod quidam episcopus familiariter a pontifice reprehensus ob id quod in episcopali sede non resideret, infracto & constanti animo responderit: Et tu qui universalis eccle-

siæ omniumque episcoporum caput es, cur ad propriam ecclesiam non redis? eaque responsione motum pontificem reditum maturasse. Gobelinus cap. 73. sextæ ætatis, instincta & revelatione Dei, quæ sanctæ Brigittæ tunc adhuc Romæ degenti aliquoties obtigerat, perque Alphonsum quemdam eremitam illi secundo insinuata erat, accidisse quod Avenione Romam redierit. Vrbem ingressus, incredibili omnium applausu exceptus, præpropere mœnia urbis, ecclesias, aliaque loca quæ ruinam minabantur, reparavit. Omnibus autem modis Italiæ quieti & bono publico consulens, legatum ad Florentinos destinavit, qui eos ad pacem ineundam adhortaretur: quibus jussa exequi negligentibus, excommunicationis medelam inflixit. Adhæc, cum eosdem armis ad id adigere meditaretur, inter Genuenses & Venetos nova dissensio suboritur: quos dum ad unionem reducere tentat, incredibili vesicæ conflictatione impeditus est, ac quinto Kalendas Aprilis anno supra millesimum trecentesimum septuagesimo octavo, magno sui omnibus ingenerato desiderio, obiit, ac in sancta Maria via nova sepultus est, cum sedisset annos septem, menses duos, dies viginti novem.

** GREGORII PAPÆ XI.

Constitutio, qua vetat, ne patriarchæ, primates, & archiepiscopi faciant crucem coram se deferri in præsentia cardinalium.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Edidit collector Anglic. Tom. II.

ROmanus pontifex, beati Petri cælestis clavigeri successor, vicarius Iesu Christi, cuncta orbis climata omniumque nationum in illis degentium, & præsertim ecclesiasticarum personarum, qualitates & conditiones paterna consideratione discutit & examinat divinitus, & ex officii debito circa earum statum & honores, suadentibus rationabilibus causis, perpensa deliberatione salubriter ordinat & disponit quæ grata in conspectu Divinæ majestatis fore considerat atque credit. Sane nuper ad nostrum pervenit auditum, quod nonnulli patriarchæ, primates, & archiepiscopi, in præsentia venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, apostolicæ sedis legatorum & nunciorum, seu aliquorum ex eis crucem deferri faciunt: propter quod ipsorum cardinalium honori, qui personam nostram repræsentant, derogatur. Nos igitur attendentes, quod cardinales ipsi nobiscum indefessis laboribus universalia ecclesiastica onera sortiuntur, ac in præmissis de opportuno remedio providere volentes: universis & singulis patriarchis, primatibus, & archiepiscopis, autoritate apostolica tenore præsentium districtius inhibemus; ne in præsentia aliquorum seu alicujus ex nostris fratribus dictæ sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, prædictæ sedis legatis vel nunciis, ante se crucem deferri faciant vel permittant, privilegiis, indulgentiis, & gratiis ac litteris apostolicis, ipsis vel eorum ecclesiis, sub quacumque forma vel expressione verborum a sede apostolica concessis, vel imposterum concedendis, etiamsi de illis plena & expressa mentio, ac de verbo ad verbum habenda esset de præsentibus (quæ quoad hoc alicui in nullo volumus suffragari) & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nos enim eisdem legatis & nunciis, compescendi per censuram ecclesiasticam patriarchas, primates, & archiepiscopos quoscumque, si contra inhibitionem hujusmodi fecerint, plenam & liberam autoritate apostolica tenore præsentium concedimus potestatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Dat. Avinioni VII. Kalend. Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

** EIVSDEM EPISTOLA

Ad Cantuar. & Eborac. archiepiscopos.

De celebrando festo S. Augustini sub duplici officio.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Cantuariensi & Eboracensi archiepiscopis, salutem & apostolicam benedictionem.

DEcet cunctos Christi fideles, illos in terris summæ devotionis studio venerari, quos omnipotens Deus perpetuæ corona gloriæ in cælo magnificavit: & ibi præcipue ipsorum laudes attollere, ubi per gloriosum laborum suorum fructum majora coruscant insignia meritorum. Hæc itaque attenta consideratione pensantes, decens & congruum reputamus, ut gloriosus confessor beatus Augustinus (qui olim missus per sedem apostolicam ad gentes Anglorum, nondum tunc baptismatis unda renatos eos de infidelitatis tenebris ad lucem Catholicæ fidei per prædicationis ministerium evocavit, primusque in Anglia erexit ecclesiam) specialiter in illis partibus honoretur: ex hoc namque ibidem populorum crescit devotio, ac ille qui glorificatur in sanctorum consilio, benignius respiciet preces devotorum. Vt igitur ipsius confessoris festivitas, in dictis partibus, quibus, sicut accepimus vix aut minus in regno Angliæ celebriter colitur, solemnius & devotius veneretur: fraternitati vestræ, de qua specialem in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus festivitatem confessoris ejusdem in omnibus ecclesiis dicti regni, exemptis & non exemptis, faciatis autoritate nostra perpetuis futuris temporibus sub duplici officio solemniter celebrari: & nihilo minus in dicta festivitate cessari a mechanicis, & aliis operibus, interdictis in festis duplicibus de more, consuetudine, seu observantia ecclesiarum partium earumdem. Dat. Avinioni pridie Idus Novembris, pontificatus nostri anno quinto.

** EIVSDEM EPISTOLA

Ad archiep. Cantuariensem & episc. Londinensem.

Vt procedant contra Ioannem VVycleffum, deque illius erroribus inquirant.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Cantuariensi, & episcopo Londoniensi, salutem & apostolicam benedictionem.

REgnum Angliæ, gloriosum nempe potentia & abundantia facultatum, sed gloriosius pietate fidei, & sacræ paginæ claritate coruscum, consuevit viros producere Divinarum scripturarũ recta scientia præditos, maturitate graves, devotione præclaros, & pugiles fidei orthodoxæ, qui non solum proprios, sed alienos populos documẽtis instruebãt verissimis, & in mandatorũ Domini semitã dirigebant. Et sicut ex effectu Ibid.

ctu contingentiũ tẽporis antiqui colligitur, dicti regni præsules in specula solicitudinis politi, proprias excubias exercentes solicite, non permittebant aliquod oriri erroneum, quod posset inficere oves suas: sed si oriretur zizania ex inimici hominis sparsione, illam protinus evellebant; crescebatque assidue purum triticum in Dominicum horreum inferendum. Sed proh dolor! nunc apparet quod in ipso regno, officio vigiles, negligentia vero desides, non circuiunt civitatem dum hostes ingrediuntur in eam, animarum thesaurum preciosissimum prædaturi, quorum latentes ingressus & patentes aggressus prius sentiuntur in Roma, intercapedine longa remota, quam eis in Anglia resistatur. Sane plurium fide dignorum significatione admodum dolenter audivimus, quod Ioannes Vvycliff rector ecclesiæ de Lutervvorth Lincolniensis diœcesis, sacræ paginæ professor, utinã non magister errorum, in illam detestabilem vesaniam dicitur temere prorupisse, quod nonnullas propositiones & conclusiones erroneas & falsas, in fide male sonantes, quæ statum totius ecclesiæ subvertere & enervare conantur, quarumque aliquæ, licet aliquibus mutatis terminis, sentire videntur perversas opiniones & doctrinam indoctam damnatæ memoriæ Marsilii de Padua, & Ioannis de Ganduno, quorum liber per felicis recordationis Ioannem PP. XXII. prædecessorem nostrum reprobatus extitit & damnatus, non veretur in præfato regno asserere, dogmatizare, & publice prædicare, nonnullos Christi fideles maligne inficiens, ac a fide Catholica, sine qua non est salus, faciens deviare. De quibus sic subortis & non extirpatis, seu saltem eis nulla facta resistentia, quam sciamus, sed transactis seu toleratis conniventibus oculis, vos aliqui quoque præsules Angliæ, cum debeatis esse columnæ ecclesiæ, dictæque fidei defensores attenti, scilicet quadam conniventia tam negligenter transeundo, non immerito debetis rubore perfundi, verecundari, & in propriis conscientiis remorderi. Quare cum tam perniciosum malum, quod non præcisum, seu radicitus extirpatum, serpere posset in plurimos in animabus eorum, quod absit, letali contagione necandos, nolumus, sicut nec debemus, sub dissimulatione transire: fraternitati vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus receptis præsentibus, vos vel alter vestrum, de dictarum propositionum & conclusionum assertione, quarum copiam vobis mittimus sub bulla nostra inclusam, vos secrete informantes, si inveneritis ita esse, præfatum Ioannem faciatis autoritate nostra capi, & carceribus mancipari, ejusque confessionem super eisdem propositionibus seu conclusionibus recipere studeatis: ac ipsam confessionem, & quæcumque dictus Ioannes dixerit seu scripserit super earundem propositionum & conclusionum inductione ac probatione, & quicquid feceritis in præmissis, sub sigillis vestris clausa & nemini revelata, nobis per fidelem nuncium transmissuri: eundemque Ioannem sub fida custodia teneatis in vinculis, donec a nobis super hoc aliud receperitis in mandatis; cõtradictores per censurã ecclesiasticã appellatione postposita cõpescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Nõ obstãtibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII. prædecessoris nostri statutis, in quibus cavetur, ne aliquis extra civitatẽ vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ diœcesis, ad judicium evocetur: seu ne judices a sede apostolica deputati, aliquos ultra unam dietam a fine suæ diœcesis evocare præsumant; ac de duabus dietis in cõcilio generali, ac exemptionibus & aliis privilegiis, constitutionibus & litteris apostolicis Prædicatorũ, Minorum, Heremitarum sancti Augustini, & sanctæ Mariæ de monte Carmeli, & aliis quibuscumque mendicantium, vel aliis ordinibus & locis, aut specialibus, quorumcumque tenorum existant; necnon statutis & consuetudinibus eorundem ordinum & locorum contrariis, per quæ effectus præsentium impediri valeat quomodolibet vel differri, etiamsi de eis eorumque totis tenoribus, ac de verbo ad verbum plena & expressa mentio in nostris litteris sit habenda: seu si Ioanni prædicto, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, a dicta sit sede indultum, quod personaliter capi, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Dat. Romæ, apud sanctam Mariam majorem, XI. Kalend. Iunii, pontificatus nostri anno VII.

** EIUSDEM EPISTOLA ad eosdem, ut citent Vviclefum ad comparendum coram papa.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Cantuariensi, & episcopo Londonensi, salutem & apostolicam benedictionem.

NUper nos non sine gravi cordis turbatione, ex plurium fide dignorum significatione percepto, quod Ioãnes Vvyclif rector ecclesiæ de Luttervvorth Lincolniensis diœcesis, sacræ paginæ professor, utinam non magister errorum, in eam detestabilem vesaniam temere proruperat, quod nonnullas propositiones & conclusiones erroneas ac falsas, & male in fide sonantes, quæ statum totius ecclesiæ subvertere & enervare nituntur, quarumque aliquæ, licet quibusdam mutatis terminis, imitari videbantur perversas opiniones, & doctrinam indoctam, damnatæ memoriæ Marsilii de Padua, & Ioannis de Ganduno, quorum liber per felicis recordationis Ioannem papam XXII prædecessorem nostrum reprobatus extitit & damnatus, non verebatur in regno Angliæ asserere, dogmatizare, & publice prædicare illis, nonnullos Christi fideles maligne inficiens, ac a fide Catholica, sine qua non est salus, faciens deviare. Nos attendentes, quod tam perniciosum malum quod in plurimos serpere poterat, eorum animas letali contagione necando, non debebamus, prout nec debemus, sub dissimulatione transire: vobis per alias nostras litteras commisimus & mandavimus, ut vos vel alter vestrum de dictarum propositionum & conclusionum assertione, quarum copiam sub bulla nostra misimus interclusam, vos secreto informantes, si ita esse inveniretis, prædictum Ioannem autoritate nostra capi, & carceribus mancipari faceretis; eum quoque sub bona custodia teneretis in vinculis, donec a nobis super hoc reciperetis aliud in mandatis, prout in dictis litteris plenius continetur. Considerantes itaque quod præfatus Ioannes hujusmodi, captionem & carcerationem forte præsentiens, posset, quod absit, per fugæ, latitationis præsidia, dictum nostrum mandatum in gravissimum fidei detrimentum eludere: nos, ne tam damnabiles propositiones & conclusiones indiscussæ, & earum temerarius assertor impunitus, remaneant, in detrimentum gravissimum fidei prælibatæ: fraternitati vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, per vos, vel alium, seu alios, præfatum Ioannem, si per vos capi & carcerari non possit, per edictum publicum proponendum in studio Oxoniensi dictæ diœcesis, & aliis locis publicis, de quibus sit verisimilis

risimilis conjectura, quod ad dicti Ioannis notitiam pervenire valeat, & de quibus vobis expedire videatur, ex parte nostra peremptorie monere & citare curetis, quod infra trium mensium spatium, a die citationis hujusmodi in antea computandum, ubicumque tunc nos esse contigerit, compareat personaliter coram nobis, super propositionibus & conclusionibus hujusmodi responsurus ac dicturus, & facturus quicquid super eis duxerimus ordinandum, & ordo dictaverit rationis, prædicendo in hujusmodi citationis edicto, quod sive idem Ioannes in hujusmodi termino comparuerit, sive non comparuerit, nos super præmissis & contra eum usque ad debitam condemnationem ipsius inclusive procedemus, prout ejus demerita exigent, ac nobis secundum Deum & conservationem dictæ fidei videbitur expedire. Volumus autem, & præsentium tenore statuimus, quod prædicta citatio sic facta perinde præfatū Ioannem arctet, ac si sibi personaliter insinuata & intimata fuisset: constitutione quacumq; contraria non obstante. Diem vero citationis, & formam, & quicquid feceritis in prædictis, nobis per vestras litteras, vestris sigillis munitas, harum seriem continentes, fideliter & quam citius poteritis, intimare curetis.

Dat. Romæ apud sanctam Mariam majorem, XI. Kalend. Iunii, pontificatus nostri anno VII.

** EIUSD. AD EOSDEM EPIST.
De eodem argumento.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Cantuariensi, & episcopo Londonensi, salutem & apostolicam benedictionem.

SUper periculosis admodum erroribus quarundam detestabilium propositionum & conclusionum, ad enervationem totius ecclesiastici status tendentium, quas scriptas in scedula inclusa præsentibus, Ioannes VVyclif rector ecclesiæ de Luttervvorth Lincolniensis diœcesis, dictus theologiæ professor, asseritur tam impie quam temere suscitasse, plenius vobis scribimus per alias nostras patentes litteras, quas cum præsentibus destinamus. Volumus igitur & fraternitati vestræ mandamus, quatenus carissimum in Christo filium nostrum Eduardum regem Angliæ illustrem, & dilectos filios nobiles viros natos dicti regis, ac dilectam in Christo filiam nobilem mulierem principissam Aquitaniæ & Valliæ, aliosque magnates de Anglia, & consiliarios regis, per vos & alios magistros & peritos in sacra pagina non maculatos hujusmodi erroribus, sed in fide sinceros & fervidos, studeatis facere plenarie informari, ac eis ostendi quanta verecundia devoto regno Angliæ oriatur exinde, & quod non solum sunt ipsæ conclusiones erroneæ in fide, sed si bene advertatur, innuunt omnem destruere politiam; & requiratis eos astrictissime, quod ad extirpationem tantorum errorum, pro reverentia Dei & apostolicæ sedis, & nostra, ipsorum quoque merito apud Deum, & honore in sæculo, tanquam catholici principes, & pugiles dictæ fidei, omni qua poterunt efficacia, tribuant auxilium & favorem.

Dat. Romæ, apud sanctam Mariam majorem, XI. Kalend. Iunii, pontificatus nostri anno VII.

Conclusiones magistri Ioannis VVyclif.

1. TOtum genus concurrentium, citra Christum, non habet potestatem simpliciter ordinandi, ut Petrus & omne genus suum dominetur politice super mundum.

2. Deus non potest dare homini pro se & heredibus suis in perpetuum civile dominium.

3. Chartæ humanitatis adinventæ de hereditate olim perpetua sunt impossibiles.

4. Quilibet existens in gratia gratifice & fideliter, nedum habet jus, sed in re habet omnia Dei.

5. Homo potest solum ministratorie dare tam naturali filio, quam imitationis in schola Christi, tam temporale dominium, quam æternum.

6. Si Deus est, domini temporales possunt legitime ac meritorie auferre bona fortunæ ab ecclesia delinquente.

7. Nunquid ecclesia est in tali statu vel non, non est meum discutere, sed dominorum temporalium examinare, & posito casu confidenter agere, & in pœna damnationis ejus temporalia auferre.

8. Scimus quod non est possibile, quod vicarius Christi pure ex bullis suis, vel ex illis cum voluntate & consensu suo, & sui collegii, quemquam habilitet vel inhabilitet.

9. Non est possibile hominem excommunicari, nisi prius & principaliter excommunicaretur a seipso.

10. Nemo ad sui deteriorationem excommunicatur, suspenditur, vel aliis censuris cruciatur, nisi in causa Dei.

11. Maledictio vel excommunicatio non ligat simpliciter, nisi quantum fertur in adversarium legis Christi.

12. Non est exemplificata potestas a Christo suis discipulis excommunicandi subditos, præcipue propter negationem temporalium, sed e contra.

13. Discipuli Christi non habent potestatem coacte exigere temporalia per censuras.

14. Non est possibile de potentia Dei absoluta, quod si papa vel alius prætendat se quovis modo solvere vel ligare, eo ipso solvit vel ligat.

15. Credere debemus quod solum tunc solvit vel ligat, quando se conformat legi Christi.

16. Hoc debet catholice credi: quilibet sacerdos rite ordinatus habet potestatem sufficienter sacramenta quælibet conferendi, & per consequens quemlibet contritum a peccato quolibet absolvendi.

17. Licet regibus auferre temporalia a viris ecclesiasticis, ipsis abutentibus habitualiter.

18. Sive domini temporales, sive sancti papæ, sive sancti, sive caput ecclesiæ qui est Christus, dotaverint ecclesiam bonis fortunæ vel gratiæ, & excommunicaverint ejus temporalia auferentes, licet tamen propter conditionem implicitam delicto proportionabili eam temporalibus spoliare.

19. Ecclesiasticus, immo Romanus pontifex, potest legitime a subditis & laicis corripi, etiam accusari.

** MANDATUM AUTORIT. APOSTOL.
Ad cancellarium univversitatis Oxon.

Ut inquirat de VVycleffi erroribus, & eundem citet.

SImon permissione Divina, &c. Et VVilielmus eadem permissione Londonensis episcopus, delegati a sede apostolica cū illa clausula, *Quatenus vos duo, aut unus vestrum, ad infra scripta specialiter deputati*, dilecto pariter venerabilique viro cancellario universitatis Oxoniæ, Lincolniensis diœcesis, ejusve locum tenenti, salutem in Domino, & mandatis nostris, immo verius apostolicis, firmiter obedire. Litteras sanctissimi in Christo patris ac domini nostri, domini Gregorii Divina providentia papæ XI. super eo, quod Ioannes

Ioannes VVycliff ſacræ paginæ profeſſor, rectorque de Litteruvorth, dictæ Lincolnienſis diœceſis, in deteſtabilem veſaniam temere prorumpens, nonnullas propoſitiones & concluſiones erroneas ac falſas, & male in fide ſonantes, quæ ſtatum totius eccleſiæ ſubvertere & enervare nituntur, non verebatur aſſerere, dogmatizare, & publice prædicare, illis nonnullos Chriſti fideles maligne inficiens, ac a fide Catholica, ſine qua non eſt ſalus, faciens deviare, ut in dictis litteris apoſtolicis plenius eſt expreſſum, nos noveritis cum ea qua decuit reverentia recepiſſe. Volentes igitur mandatis apoſtolicis parere pro viribus ut tenemur, vobis in virtute obedientiæ, qua dictæ ſedi tenemini, committimus & mandamus, firmiter injungentes: quatenus receptis per vos præſentibus, evocatis ad hoc etiam per vos ſacræ paginæ profeſſoribus expertis, rectius & ſanctius in fide catholica ſentientibus, verbis ſophiſticalibus terminorum curioſa implicatione penitus prætermiſſis, de dictarum propoſitionum & concluſionum aſſertione, quarum copia inferius inſeritur, vos ſecrete informantes, de omni eo quod in præmiſſis inveneritis & ſenſeritis, litteris veſtris clauſis, & ſigillo veſtro ſigillatis, clare, diſtincte, & aperte in omnibus & per omnia nos reddatis, ut convenit, certiores. Citetis inſuper ſeu citari faciatis peremptorie dictum Ioannem, quod tricesimo die juridico poſt citationem ſibi factam, in eccleſia ſancti Pauli London. compareat perſonaliter coram nobis, ſeu aliis ſubdelegatis noſtris ſive commiſſariis in hac parte, ſuper concluſionibus & propoſitionibus hujuſmodi reſponſurus ac auditurus, ulterius quoque facturus, quicquid autoritate apoſtolica fieri debeat in hac parte, & ordo dictaverit rationis: prædicentes eidem, quod ſive comparuerit in termino prædicto ſive non, ulterius contra eum procedetur, prout litteræ apoſtolicæ in ſe exigunt & requirunt. Vobis inſuper injungimus autoritate prædicta, quatenus litteras apoſtolicas in præſentiarum per nos vobis tranſmiſſas, ſub pœnis in eiſdem litteris plenius expreſſatis, in omnibus & per omnia diligenter & fideliter exequamini, juxta vim, formam, & effectum earundem, certificantes nos aut dictos commiſſarios noſtros ſeu ſubdelegatos celerius quo fieri poterit, quid feceritis in præmiſſis, per litteras veſtras patentes, harum & facti veſtri ſeriem plenius continentes.

Dat. apud Otteforde xv. Kalend. Ianuarii, anno Domini MCCCLXXVII. & tranſlationis noſtri Simonis Cantuarienſis archiepiſcopi ſupradicti anno tertio.

Anno Christi 1375.

** CONCILIVM VNIEIOVIENSE

A Iaroſlao Gneſnenſi archiepiſcopo, cum cæteris Poloniæ epiſcopis, celebratum anno Domini MCCCLXXV.

Concilii hujus mentionem Staravolſcius facit in conciliorum epitome. Anno, *inquit,* Domini MCCCLXXV. concilium Vnieiovienſe, tempore Gregorii papæ, epiſcopi Poloniæ celebrarunt, præſidente Iaroſlao archiepiſco Gneſnenſi: in quo, præter reformationem diſciplinæ eccleſiaſticæ, ſtatutum erat, ut bini groſſi de uniuſcujuſque marcæ proventu ſacerdotiorum, in ſumptus belli Turcici conferrentur. Pontifex enim metuens Italiæ ab Amurathe imperatore Turcarum, quod jam magna ſtrage Bulgaros, Servos, Macedones, & Albanos profligaſſet: undique ſubſidia corrogabat, & in Poloniam nuncium Nicolaũ epiſcopum Majoricenſẽ ea de cauſa miſerat.

Anno Christi 1378.

VITA VRBANI PAPÆ VI.

VRbanus VI. patria Neapolitanus, patre Piſano & matre Neapolitana genitus, vir humilis, inquit Theodoricus, & devotus, zelator caſtitatis & juſtitiæ, ſacrorum canonum doctor peritiſſimus, ex archiepiſcopo Barenſi, citra metum Romani populi vel Italum vel Romanum pontificem expetentis, communi omnium cardinalium Romæ degentium ſuffragio electus eſt ſexto Nonas Apriles, anno Domini 1378. tempore Caroli IV. & Vvenceſlai imperatorum. Cardinales conclave egreſſi omnes jurato depoſuerunt, ſe nullo metu populi obſtante eum libere creaſſe pontificem, quem tanto munere digniſſimum omnes dijudicarent. Memorabile eſt quod de hoc pontifice refert Theodoricus libro I. capite I. his verbis: Hic ante ipſius papatum per multos annos me exiſtente cum ipſo ſingulis noctibus, poſtquam ad cubile ſuum cauſa quieſcendi aſcenderat, coram ſe in bibliis, quouſque dormiret, legi faciebat. Et raro vel numquam tempus aliquod vigilando otioſe conſumpſit: ſed aut ſtudebat, ut prædixi, ſeu commiſſa ſibi exercebat officia, vel orabat. Et niſi atratus quodammodo per plateas nullatenus incedebat, & incedendo duabus beſtiis contentus erat, una mula ſcilicet ſuper qua ipſe, & uno equo ſuper quo ejus familiaris ipſum aſſocians, equitabant. Etiam induebatur cilicio diurno tempore & nocturno, in quo dormiens indutus fuit deſuper tunica alba talari de mediocri panno laneo. Ac multum erat patiens tunc temporis in adverſis, compatiens etiam, jejunia per eccleſiam indicta tunc ſanctiſſime obſervabat, necnon per adventum Domini & per Sexageſimam annis ſingulis jejunabat, & jejunantes ſimiliter, necnon bonos religioſos ſatis amabat. Hæc de Vrbano Theodoricus. Initio pontificatus mores cardinalium quorundam debito pietatis zelo reprehendit. Quam correctionem dum illi non æquo ſatis animo ſuſtinerent, Roma Anagniam profecti, ſchiſmaticum & pſeudopontificem, quem Clementem ſeptimum nominarunt, contra eum elegerunt: eaque occaſione pernicioſiſſimum ſchiſma, quod non niſi poſt 36. annos tempore Conſtantienſis Concilii tolli potuit, exſuſcitarunt. Galli & Hiſpani antipapæ Clementi, Itali vero aliique plures Vrbano pontifici vero & legitimo adhæſerunt. Cumque Ioanna regina Siciliæ, ſchiſmatici partes foveret, Vrbanus pontifex eam injuriam ulturus, Carolum qui ſub vexillis regis Hungariæ militabat, advocavit, eumque regem Neapolitanum ad excluſionem Ioannæ declaravit. Quo facto, Neapolim perrexit, & a rege poſtulavit ut nepotem ſuum Capuanum principem crearet. Paſſus repulſam, Nuceriam ſe transfert, ibidemque cardinalibus novis declaratis, ſeptem ex prioribus in vincula conjecit, ideo quod in necem pontificis conjuraſſent. Poſt, ipſum regem, adhibitis quibuſdam juris ſolennitatibus, dignitate regia privavit. Commotus rex Carolus, conſcripto milite eum Nuceriæ obſedit. Verum per Raimundum comitis Nolani filium, qui cum exercitu ſupervenit, periculo liberatus eſt. His peractis, Genuam pertranſiens, de cardinalibus ſupra commemoratis dignum vitæ ſupplicium ſumpſit: quo genere mortis, non ſatis conſtat. Anno vero expleto, in Etruriam profectus, plurima loca quæ ab eccleſiæ obedientia defecerant, eidem reſtituit. Carolo defuncto, Neapolim proficiſci meditatus eſt ea intentione, ut filios

ejus

ejus regno exturbaret: sed res ut proposuerat non successit. Proinde re infecta Romam redit, ibique post morbum 28. dierum obiit mense Octobri, anno Domini 1399. cum sedisset annis 11. & mensibus 4. In sancto Petro sepultus est.

EPISTOLA I.

Emendatior ex editione Oderici Raynaldi.

VRBANI PAPÆ VI.

AD ARCHIEPISC. COLONIENSEM EIUSQUE SUFFRAGANEOS.

Denunciat Clementem antipapam, ejusque electores cardinales a se excommunicatos, esse vitandos.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Coloniensi, ejusque suffraganeis, salutem & apostolicam benedictionem.

NUper cum vinea Domini sabaoth, sancta videlicet Romana ecclesia, ventre doleret, & amaricatis visceribus gravia emittere suspiria cogeretur ex eo, quia filios uteri sui, quos enutriverat, & de infimis ad culmina dignitatum extulerat, videlicet iniquitatis & perditionis alumnos, Robertum olim basilicæ duodecim apostolorum vulgariter dictum Gebennensem, Ioannem olim tituli sancti Marcelli vulgariter dictum Ambianensem, Geraldum olim tituli sancti Clementis vulgariter dictum majoris monasterii, presbyteros, & Petrum olim sancti Eustachii diaconum, cardinales, conspiciebat matris ubera spernere, & a rectitudinis tramite deviare, & non solum leges & monita materna despicere, sed eorum matris uterum, quantum in eis erat, viperinis conatibus laniare; & quod ipsi inconsutilem Domini tunicam scindere satagentes scandalorum & schismatum seminaria præparabant, ac famæ suæ prodigi & honoris proprii persecutores effecti, non tantum seipsos nexibus peccatorum involvere, sed in reprobum sensum ducti, alios secum ad præcipitium trahere conabantur. Nos qui Divina disponente clementia, prædictæ vineæ solicitudinem & curam gerebamus, prout gerimus, adversus hujusmodi prætergredientes veritatis & fidei rectæ semitam, & prævaricationem addentes, ne eamdem vineam demoliri valerent, in virtute Altissimi de fratrum nostrorum consilio decrevimus exurgendum, & contra ipsos & nonnullos alios eis adhærentes ac faventes inferius nominatos, per infrascriptum modum mediante justitia duximus procedendum.

Siquidem cum prædicti viri nequam, viri nescientes in semitis justitiæ dirigere gressus suos, & timorē Dei præ oculis non habentes, contra nos conspirationes, colligationes & machinationes diversas facere, & in ecclesia Dei schisma & divisionem ponere, ac civitatem nostram Anagniensem & castrum sancti Angeli de Urbe, & nonnulla alia castra, terras, & loca, nobis & dictæ ecclesiæ subjecta, occupare & occupari facere, seu illorum occupationibus auxilium, consilium & favorem præbere, præsumpsissent & præsumerent, & insuper, ut dictam civitatem & alias terras provinciæ nostræ Campaniæ facilius occupare, & occupata detinere, & alios ad consentiendum eorum iniquis voluntatibus & operibus violenter attrahere possent, magnam multitudinem gentium armigerorum, qui Britones & Vascones nuncupantur, ad dictas civitatem & provinciam venire fecissent, & exinde quamplurima homicidia, sacrilegia, rapinæ, depopulationes, & alia mala ac damna & scelera fuissent subsecuta: nos qui salutem zelabamur illorum, sperantes illos ad cor reversuros, & viam justitiæ repetituros, eos per venerabilem fratrem Petrum episcopum Portuensem, & dilectos filios nostros, Simonem tit. SS. Ioannis & Pauli presbyterum, & Iacobum sancti Georgii ad Velum aureum, diaconum, cardinales, pluries per diversos alios probos prælatos ac magnæ autoritatis viros, ac etiam per litteras nostras iteratis vicibus, ut ad viam veritatis & justitiæ redire, & ab hujusmodi erroribus resipiscere vellent, duximus exhortandos ac etiam requirendos. Sed præfati nequam viri in sua pertinacia & superbia obstinati, post monitiones & exhortationes hujusmodi, contra nos antea in Urbe per ipsos, & alios ad quos spectabat, in papam electos, ac debitis & consuetis solemnitatibus observatis inthronizatos & publice coronatos (quibuscum tamquam cum papa & summo pontifice in Missarum solenniis & consistoriis publicis ac privatis, consulendo & ordinando de statu Romanæ ecclesiæ ac reipublicæ, recipiendo a nobis ecclesiastica sacramenta, ac dignitates & beneficia ecclesiastica pro se & aliis a nobis impetrando, per plures menses tractaverunt) diversos libellos diffamatorios fecerunt, & ad diversos prælatos & principes mundi transmiserunt, per quos asserebant nos non verum papā fore, ac multa mala & enormia de nobis dicere præsumpserunt; & tandem in profundum descendentes malorum, & cupientes sanctæ matris ecclesiæ scindere unitatem, in civitate Fundanensi cum quibusdam aliis, quos cum machinationibus & diabolicis suggestionibus ad eorum impium propositum attraxerunt, congregati in domo iniquitatis filii Honorati Gaitani olim comitis civitatis Fundorum, cum ipsius Honorati auxilio & favore, præfatum Robertum temere eligendo antipapam fecerunt, ipsumque ausu sacrilego papam nominare præsumebant & præsumunt: ipseque Robertus se papam nominare ausu temerario non pavescebat, nec pavescit.

Præterea cum etiā iniquitatis alumnus Petrus olim archiepiscopus Arelatēsis & camerarius noster, dudū diabolico spiritu instigatus, de urbe prædicta ubi nobiscum erat, sine licentia quasi furtive recessisset, & de camera nostra quamplurima iocalia & alias res & bona magni valoris & preciosa, ad nos & ad Romanam ecclesiam pertinentia, secum asportasset: ad dictam civitatem Anagniensem se conferens cum præfatis sceleratis viris Roberto, Ioanne, Geraldo, & Petro olim cardinalibus, diversas colligationes & contra nos conspirationes ordinare & facere, ac ad conducendum dictas gentes armigeras ad dictam civitatem Anagniensem, consilium, & auxilium, & favorem præbere; & tam ipsi, quam perditionis filii Iacobus olim patriarcha Cōstantinopolitanus, Nicolaus olim archiepiscopus Cusentinus, Petrus olim Urbevetanus, Guillelmus olim Urbinas, Petrus olim Montisflasconis, Ioannes olim Gebennēsis, & Frācíscus olim Gayacensis, episcopi; ac Bertrādus olim Ruffini, olim clericus cameræ apostolicæ, ac etiā iniquitatis filii Honoratus Gaitanensis olim comes Fundorū, Antonius olim comes Casertanensis, Franciscus de Vico olim præfectus urbis, Ioannes de Malestret, Nicolaus Spinellus de Iuvenacio, alias dictus de Neapoli, Silvester Bindo, Bernardus de la Sala, Petrus de la Saga, olim milites, & Guilhonetus de la Sala domicellus, in reprobum sensum dati, præfato Roberto antipapæ adhærere & favere, & eorum linguis transeuntibus super terram os in cælum ponere præsumentes, non fuissent veriti, nec verentur, publice asserere, & per alios asseri & prædicari facere, nos non esse papam & Romanum pontificem, & eorum falsis & confictis mendaciis quamplurima & enormia mala de nobis dicere,

dicere, & se ab unitate ecclesiæ Romanæ separare, schisma & divisionem, quantum in eis erat, in Dei ecclesia ponere. Et Franciscus de Vico civitatem nostram Viterbiensem, & Ioannes de Malestret, Silvester Bernardus, Petrus de la Saga, & Guilhonetus prædicti, cum nonnullis eorum complicibus, dictam civitatem nostram Anagninam, & etiam nonnullas alias terras nostras, & Romanæ ecclesiæ, occupare, & tam ipsi quam alii nominati nonnullas alias terras nostras, & Romanæ ecclesiæ occupantibus, & invadentibus, auxilium, consilium, & favorem præbere præsumpsissent, & præsumerent, crimen hæresis, schismatis, læsæ majestatis, & apostasiæ damnabiliter incurrendo.

Et quamvis hujusmodi excessus & scelera essent tunc, prout sunt, adeo notoria, quod nulla poterant tergiversatione cælari, ita quod absque alia informatione juste potuissemus animadvertere in eosdem sceleratos viros: nos tamen ad cautelam & majorem certitudinem præmissorum, dilecto filio nostro Ioanni tit. S. Sabinæ, & bonæ memoriæ Guillelmo tit. S. Eusebii, presbyteris cardinalibus, divisim & successive commisimus, ut se de prædictis informarent, & quæ per informationem hujusmodi reperirent, nobis referre curarent. Et tandem hujusmodi informatione per eos recepta, cum ipsi nobis in consistorio retulissent, se reperisse omnia & singula fuisse & esse vera: nos nequeuntes absque gravi offensa Christi & remorsu conscientiæ tot & tantos excessus & scelera amplius tolerare, adversus præfatos sceleratos viros, in virtute Altissimi, de fratrum nostrorum consilio, ut præmittitur, duximus exsurgendum, & contra ipsos super præmissis procedendum. Ac eis ad hoc legitime citatis, & aliis debitis juris solemnitatibus observatis, per nostram definitivam sententiam decrevimus ac declaravimus, præfatos Robertum, Ioannem, Geraldum & Petrum olim cardinales, necnon Iacobum olim patriarcham, Petrum, &c. fuisse, & esse schismaticos & apostatas, & contra nos conspiratores & blasphemos, & tamquam hæreticos puniendos, & reos criminis læsæ majestatis, ipsosque propter præmissa fore excommunicatos & anathematizatos, ac excommunicavimus, & anathematizavimus, ac incidisse in pœnas, & sententias tam a jure, quam ab homine in talia perpetrantes inflictas & promulgatas, ac etiam in pœnas & sententias contentas in processibus felicis recordationis Ioãnis XXII. & Clementis VI. Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum contra occupatores, invasores, & turbatores terrarum ecclesiæ Romanæ factis: ac etiam declaravimus, dictos Robertum, Ioannem, Geraldum, & Petrum, olim cardinales, fuisse & esse depositos, & ipsos deposuimus a cardinalatibus dictæ Romanæ ecclesiæ, & ab omni cardinalatus commodo, & honore. *Et infra.* Absolutione ipsorum, præterquam in mortis articulo, Romano pontifici reservata.

c, & non ... lis infra ... , at. ... ra mul ... sũt apud ... ynaldũ.

Insuper decrevimus, quod quicumque aliquem prædictorũ scienter præsumerent ecclesiasticæ sepulturæ tradere, excõmunicationis sentẽtiæ subjacerent, a qua absolvi nõ possent, nisi prius propriis manibus extumularent & procul ejicerent ab ecclesiastica sepultura corpora eorumdem. *Et infra.* Qui vero contra præmissa, aut aliquid præmissorum, facerent, seu qui præfatum Robertum, qui se Clementem papam nominat, scienter papam nominarent, tenerent, crederent, seu prædicarent, aut ab eo quascumque gratias, indulgentias, privilegia, aut quævis beneficia peterent per se aut per alium: si personæ singulares, excommunicationis; si vero communitas seu universitas fuerit aut foret, interdicti sententias incurrerent eo ipso. A qua quidem excommunicationis sententia aliquis absolvi, & interdicto hujusmodi ab alio quam a Romano pontifice relaxari non posset. Decrevimus quoque fore absolutos a debito fidelitatis homagii seu ligii, & alterius cujuscumque obsequii, omnes & singulos qui eisdem damnatis superius nominatis juramento, obligatione, promissione, vel quacumque firmitate vallato, antea fuissent astricti: alias etiam pœnas eisdem damnatis infligimus, & a jure inflictas decrevimus in suo robore duraturas. *Et infra.* Datum Romæ apud sanctam Mariam trans Tiberim VIII. Idus Novembris, pontificatus nostri anno primo.

II. AD VNIVERSITATEM PARISIENSEM.

Monet eos, ut pergant sui electionem contra schismaticos eorumque fautores defendere.

Vrbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, rectoribus, magistris, doctoribus, scholaribus ac universitati studii Parisiensis, salutem & apostolicam benedictionem.

INter, immo super ceteras studentium universitates, in quibus scientiarum gemma resplendet, vestra Parisiensis velut quoddam sidus radiat, & pulsis ignorantiæ ac erroris tenebris, doctrinæ suæ lumine circumlucet. Ex ipsa nempe, velut ex quodam purissimo fonte, semper sani dogmatis rivuli profluxerunt, qui per innumeros alveos pronius discurrentes, falsarum opinionum lumen absterserunt: hujusmodi quidem fontis claritatem, nulla unquam quantumvis impetuosa vis pluviæ turbidavit. Vos itaque dilectissimi filii, qui ex hoc limpidissimo fonte dulcissimas litteras avido haustu elicitis, congaudemus vobis, & sanctæ Romanæ congratulamur ecclesiæ, cui talia ligna fructus producentia dulcissimos, secus decursus aquarum, in tam ingenuo viridario summus parens rex plantavit: cui diu congaudemus, & exultat spiritus noster, quando intra felicia castra studii Parisiensis tot doctissimos ac magnanimos veritatis & orthodoxæ fidei pugiles intuemur. Gemat hæreticorum pravitas quantum potest, & evacuet contra tam munitissima castra pharetras suas turba schismatica. Nam sunt milites alumni nostri ad resistendum promptissimi, veritatis & fidei thorace muniti, habentes bicipitia spicula, quibus hostium corda penetrentur: habent & faces ardentissimas caritatis, quibus illorum machinæ confundantur: habent & scaturientis fontis undas, quibus eorum faculæ protinus extinguantur. Vt nec illud prætereamus, cujus sola recordatione plurimum consolamur, quodque nuper cum ingenti gaudio fide dignorum relatione percepimus, quemadmodum vos adversus eorumdem hæreticorum atque schismaticorum assertionẽ subdolam contra nos impudice loquentium, nonnullas sanctas, veras, & saluberrimas, & quales professionem vestram decet, in nostrum, immo memoratæ fidei favorem, & veritatis defensionem, sententias publice tenuistis, & contra quoscumque contrarium profitentes defensastis. Pro quibus universitatem vestram iteratis in Domino laudibus prosequentes, devotionem vestram requirimus & hortamur attentius, ac per aspersionem sanguinis Iesu Christi, cujus in hac parte res agitur, obsecramus, quatenus causam justitiamque nostram toti mundo notoriam, quam dicti pseudochristiani, veri satellites antichristi, obnubilant, ac schisma perniciosissimum in

in Dei ecclesia suscitare moliuntur, suscipere, immo jam susceptam velitis defensare, tanquam legitimi certatores: & ne inconsutilis veri Ioseph tunica lanietur, sub Divinæ potentia dexteræ vos murum inexpugnabilem opponatis, hostiumque multitudinem nullatenus formidetis, sub signis militantes victricibus veritatis: quæ licet quandoque calumniantium fuscatis argumentorum coloribus impugnetur, vinci tamen non potest, & illorum nequit multitudine conculcari. Nihil enim facilius, quam pro veritate bellare: nulli clariores triumphi, nulla pinguiora spolia reportantur, quam quæ veritas defensa pollicetur. Eia ergo athletæ magnanimi, & veritatis orthodoxæ fidei devotissimi defensores, contra illorum impugnatores & hostes feliciter insurgatis: ut proinde præter æternæ mercedis præmia, humanarumque laudum præconia, nostram & apostolicæ sedis benedictionem & gratiam, ac exauditionem in vestris petitionibus, tamquam bene meriti reportetis.

Datum Romæ apud sanctam Mariam trans Tiberim XI. Kalend. Decembris, pontificatus nostri anno primo.

III. AD CAPITVLVM ET CLERVM LEODIENSEM.

Laudat eum, quod Clementem antipapam esse defendat.

Vrbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, capitulo & clero civitatis Leodiensis, salutem & apostolicam benedictionem.

CVm ineffabili mentis jubilo, Altissimo referimus gratias quas nostra potest infirmitas, ex eo quod, sicut a fide dignis accepimus, largitor omnium bonorum Deus mentium vestrarum oculos illustravit, ut declinatis laqueis, quos per mundum, proh dolor! antichristus quasi undique jecit, per veritatis tramitem ambuletis. Pro quo prudentiam vestram dignis in Domino laudibus attollentes, devotionem vestram rogamus per viscera misericordiæ Iesu Christi, quatenus speciem fortitudinis assumentes, litteras, monita, vel mandata illius hæresiarchæ, Roberti videlicet, olim basilicæ duodecim apostolorum presbyteri cardinalis, qui Clementem papam VII. ausu temerario nominari se fecit, excelsis & intrepidis animis respuatis, ejusque virulentis & pestilentissimis suggestionibus, quibus, sicut intelleximus, impressionem tumultumque popularem fuisse in canonica electione nostra mendose prætendit, nullatenus intendatis. Quinimmo tantum orthodoxæ fidei zelatores præfatum hæresiarcham, ejusque sectatores qui zizaniam in agro Dominico & cuncto populo Christiano serere non pavescunt, eorumque legatos & nuncios, quacumque dignitate præfulgeant, capere seu capi facere, ac alias persequi, toto mentis desiderio juxta vestrarum virium suppetentiam studeatis: proinde præter nostram & apostolicæ sedis gratiam, & humanæ laudis præconia, & æternæ vitæ præmia merituri. Deo etenim gratias, quod adversariorum nostrorum, qui adversus nos velut testes iniqui insurrexerunt, & in quibus mentita est iniquitas, malitia manifestissime detecta est, ac nostra innocentia nostraque justitia adeo notoria cunctis patet, quod nulla potest tergiversatione fuscari. Testis nobis ille est qui nihil ignorat, quod si sensissemus nos per ostium non intrasse, per horæ spatium non fuissemus ausi in Petri cathedra residere. Sed quia, sicut est toti mundo notorium, & non malitia hostium nostrorum, immo Christi, mentis eorum oculos obcæcasset, ipsum hoc etiam faterentur, prout alias ore & litteris confessi sunt, per evidentia facta manifestaque signa notissimum jam fecerunt, quod per viam sancti Spiritus ad sustinendum universalis ecclesiæ onera nostram imbecillitatem Dominus elegerat. Ideoque deposita formidine, fortitudinis thoracem induentes, decrevimus pro defensione veritatis & fidei catholicæ, sponsæque nostræ, quibuscumque periculis & persecutionibus obiicere corpus nostrum: in illo, qui in se sperantes non deserit, confidentes, quod ecclesiam suam nunquam derelinquet, sicut nec aliquando dereliquit, licet eam quandoque permittat persecutionum fluctibus agitari. Iam etenim procellulæ quæ super cacumina montium se videbantur extollere, incipiunt quietari. Nam post nobis nuper missam de cælo victoriam, qua Britones & Vascones, aliique stipendiarii & præfati hæresiarchæ sequaces, conflicti fuerunt; post deditionem castri sancti Angeli de Vrbe, eadem die non sine miraculo secutam: dilecti filii Neapolitani, zelo devotionis accensi, prædictum hæresiarcham, antipapam, & catholicæ fidei subversorem, de civitate Neapolitanensi, in qua sperabat in pestilentiæ cathedra residere, cum magno opprobrio fugaverunt. Ioanna quoque olim regina Siciliæ, quæ ab illis pestilentissimis viris seducta, per erroris tramitem ambulabat, abjurato errore hujusmodi, nos credit & tenet verum Iesu Christi vicarium, & cælestis clavigeri successorem: de die autem in diem ejusdem Ioannæ solemnes nuncios expectamus. Die quoque tertia præsentis mensis, Iordanis de Vrsinis de Mareno, qui nos & dilectos filios populum Romanum, cum auxilio sequacium antichristi multipliciter molestabat, illo faciente, in cujus ditione cuncta sunt posita, in spiritu humilitatis rediit ad obedientiam nostram & ecclesiæ prælibatæ. Super iis autem vobis latius explicandis, dilectis filiis Ioanni de Dunghem & Ioanni Leonis, magistris in artibus & utroque jure peritis, harum latoribus, velitis fidem indubiam adhibere.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, secundo Idus Iunii, pontificatus nostri anno secundo.

** IV. AD EPISCOPOS ANGLIÆ.

De festo S. Annæ celebrando.

Vrbanus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis & episcopis in regno Angliæ constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

SPlendor paternæ gloriæ, qui sua ineffabili mundum illuminat claritate, pia fidelium vota de ipsius clementissima majestate sperantium, benigno tunc præcipue favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas, sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Cum itaque nuper pro parte nonnullorum Christi fidelium in regno Angliæ degentium fuerit expositum coram nobis, quod populus prædicti regni ad beatam Annam genitricem gloriosæ Virginis Mariæ matris Dei, etiam ob reverentiam ejusdem beatæ Mariæ virginis, singularem gerunt devotionis affectum; & pro parte ipsorum Christi fidelium nobis fuit humiliter supplicatũ, ut ipsius beatæ Annæ festivitatem in dicto regno soléniter & devote celebrari a prælatis, & aliis Christi fidelibus in ipso regno cõmorantibus, mandaremus: nos hujusmodi piam voluntatẽ & devotionis affectum prædictorũ populorum plurimũ in Domino cõmendantes, & cupientes ipsos Christi fideles Domino reddere acceptabiles, & bonorũ operũ sectatores: hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestræ

vestræ præsentium tenore districte præcipiendo mandamus, quatenus prædictam festivitatem beatæ Annæ, annis singulis, perpetuis futuris temporibus devote & solemniter celebretis, & in vestris civitatibus & diœcesibus mandetis & faciatis per vestros subditos celebrari.

Dat. Romæ apud sanctum Petrum, xi. Kalend. Iulii, pontificatus nostri anno quarto.

ANNO CHRISTI 1378.

* ** CONCILIVM GLOCESTRIENSE

A Simone de Sudbury Cantuar. archiepiscopo cum suffraganeis celebratum anno Dom. MCCCLXXVIII.

De salariis presbyterorum.

Hujus concilii extat synodale decretum, editum tomo II. Anglicanæ collectionis in hæc verba

Simon permissione Divina, &c. Venerabili fratri nostro, domino VVillielmo Dei gratia episcopo Londonensi, salutem & fraternam in Domino caritatem. Effrænata generis humani cupiditas, cujus conatus nisi justitia sua virtute reprimeret, ita ex sibi innata malitia excresceret, quod caritas extra mundi terminos exularet. Sane communis ad nos querela perduxit, & magistra rerum experientia manifestat, quod moderni temporis sacerdotes, nostrarum civitatis, diœcesis, ac provinciæ Cantuariensis, adeo jam cupiditatis vitia infecerunt, quod stipendiis rationabilibus non contenti, pro labore salaria vendicant & recipiunt plurimum excessiva. Sacerdotes quoque prædicti sic cupidi & delicati, salariis excessivis hujusmodi farcinati evomunt, indomiti delirant, & deficiunt, ac eorum nonnulli post ventris ingluviem, & varias carnis illecebras, spumant in libidinem, & tandem in malorum voraginem funditus demerguntur, in virorum ecclesiasticorum detestabile scandalum, & exemplum perniciosissimum laicorum. Et quanquam bonæ memoriæ dominus Simon de Islip, dudum Cantuariensis archiepiscopus, prædecessor noster, dum in humanis agebat, de fratrum suorum consilio & assensu statuit & ordinavit, quod capellani annalia celebrantes, & cæteri animarum curæ non intendentes, quinque marcis; ecclesiis vero seu capellis parochialibus & curæ eisdem imminenti officiantes, sex marcis, pro suis stipendiis annuis deberent contentari; in sacerdotes non parentes statuto hujusmodi pœnam suspensionis ab officio ipso facto imponendo: nos tamen temporum qualitate attenta, de fratrum & suffraganeorum nostrorum, xvi. die mensis Novembris, anno Domini infrascripto, in quadam camera infra septa monasterii apostolorum Petri & Pauli Gloucestriæ VVigorniensis diœcesis, propter hoc insimul congregatorum, consensu & assensu, super salariis sacerdotum parochialium & annalium in dictis nostris civitate, diœcesi, & provincia Cantuariensi, de cætero percipiendis, ordinamus & statuimus sub forma inferius annotata.

In Dei nomine, Amen. Nos Simon permissione Divina Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, de cõsilio fratrum & suffraganeorum nostrorum, statuimus, ut quicumque in nostra civitate, diœcesi, seu provincia Cantuariensi, pro animabus defunctorum annalia celebraturi, septem marcis, aut cibariis & tribus marcis; alii autẽ qui curæ animarum deservient, octo marcis, aut cibariis & quatuor marcis sterlingorum annuatim contententur: nullatenus ex pacto ultra id percepturi, nisi aliter loci diœcesanus, cum his qui curæ animarum deserviẽt, primitus decreverit fore faciendũ. Si quis autem clericus contra hanc nostram constitutionem dando seu recipiendo venire præsumpserit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto: a qua nisi per diœcesanum loci in quo deliquerit, non poterit absolvi. Sentẽtias* vero in dicto statuto nostro contentas, post publicationem ejusdem, juxta canonum exigentiam, contra facientes eidem ligare volumus & involvi. Fraternitati igitur vestræ committimus & mandamus, firmiter injungentes, quatenus præmissa omnia & singula, in civitate & diœcesi vestris celeriter publicanda, & executioni debitæ demandanda quantocius transmittatis: de die vero receptionis præsentium, executionisque vestræ, ac modo & forma ejusdem, & quid feceritis in præmissis, nos citra festum Paschæ proximum nunc futurum, certificetis per litteras vestras: injungentes eisdem suffraganeis nostris, ut eorum quilibet de facto suo in hac parte habito, nos citra festum prædictum certificet per litteras suas harum seriem continentes.

*f. sententiis....contentis...... ligari vol. & involui.

Dat. apud Lamheth quoad consignationem præsentium, vi. Kalend. Decembris ann. Dom. MCCCLXXVIII. & translationis nostræ anno quarto.

ANNO CHRISTI 1382.

* ** CONCILIVM LONDINENSE

A Guillelmo de Courtenay Cantuar. archiepiscopo celebratum adversus VVicleffi errores anno Dom. MCCCLXXXII.

Ex Tomo II. collectionis Anglicanæ.

Memorandum, quod tam inter magnates quam populares regni Angliæ, fuisset fama divulgata, nonnullas conclusiones hæreticas & erroneas, ac determinationibus ecclesiæ repugnantes, quæ statum totius ecclesiæ, nostræque Cantuariensis provinciæ, & tranquillitatem regni, nituntur subvertere, in diversis locis dictæ nostræ provinciæ generaliter & cõmuniter ac publice prædicatas. Nos VVilhelm9 permissione Divina archiepiscopus Cantuariensis, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, super his certiorari, officiique nostri debitum exercere volentes: quosdam venerabiles confratres suffraganeos nostros, & alios, ac quamplures sacræ paginæ, juris canonici & civilis doctores, & bacallarios, quos famosiores & peritiores de regno credidimus, & sanctius in fide catholica sentientes, quorum nomina inferius continentur, convocavimus: & xvii. die mensis Maii, anno Dom. MCCCLXXXII. in quadam camera infra septa prioratus fratrum Prædicatorum London. coram nobis & dictis confratribus nostris convocatis tunc personaliter præsentibus, dictis conclusionibus, quarum tenores inferius continentur, publice propositis & lectis distincte & clare, præfatos confratres nostros, doctores, & bacallarios, oneravimus in fide qua tenebantur Domino nostro Iesu Christo, & sicut voluerint coram summo judice in die judicii respõdere, nobis super dictis conclusionibus dicerent, & eorum quilibet diceret suum sentire. Et tandem habita deliberatione super præmissis, xxi. die ejusdem mensis, convenientibus coram nobis in dicta camera cõfratribus nostris, doctoribus, & bacallariis prædictis, dictis conclusionibus iterata vice lectis, & clare expositis, de nostro, eorumq; omnium cõmunicato consilio, extitit declaratum, dictarum conclusionum aliquas esse hæreticas, & aliquas erroneas, & determinationi ecclesiæ cõtrarias, prout infra plenius liquet. Et quia per sufficiẽtem informationem invenimus, dictas cõclusiones in multis locis dictæ nostræ provinciæ fuisse, ut præmittitur, prædicatas; & certas personas aliquas illarũ

ANNO CHRISTI 1382.

tenuisse & docuisse, & de hæresi vehementer & notorie fore suspectas, processus fecimus tam in genere, quam in specie, infra scriptos.

Conclusiones hæreticæ, & determinationi ecclesiæ repugnantes.

1. QVod substantia panis materialis & vini maneat post consecrationem in sacramento altaris.

2. Item, quod accidentia non maneant sine subjecto post consecrationem in eodem sacramento.

3. Item, quod Christus non sit in sacramento altaris identice, vere, & realiter in propria præsentia corporali.

4. Item, quod si episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali non ordinat, conficit, nec baptizat.

5. Item, quod si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua vel inutilis.

6. Item, pertinaciter asserere non esse fundatum in evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.

7. Item, quod Deus debet obedire diabolo.

8. Item, quod si papa sit præstigiator & malus homo, ac per consequens membrum diaboli, non habet potestatem supra fideles Christi ab aliquo sibi datam, nisi forte a Cæsare.

9. Item, quod post Vrbanum sextum non est aliquis recipiendus in papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis.

10. Item asserere, quod est contra sacram scripturam quod viri ecclesiastici habeant possessiones temporales.

Conclusiones erroneæ & determinationi ecclesiæ repugnantes.

1. QVod nullus prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius ipsum sciat esse excommunicatum a Deo.

2. Item, quod sic excommunicans ex hoc sit hæreticus vel excommunicatus.

3. Item, quod prælatus excommunicans clericum, qui appellavit ad regem & consilium regni, eo ipso traditor Dei est, regis, & regni.

4. Item, quod illi qui dimittunt prædicare, seu audire verbum Dei vel evangelium prædicatum, propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in die judicii traditores Dei habebuntur.

5. Item, asserere quod liceat alicui, etiam diacono vel presbytero, prædicare verbum Dei, absque autoritate sedis Apostolicæ vel episcopi catholici, seu alia de qua sufficienter constet.

6. Item asserere, quod nullus est dominus civilis, nullus est episcopus, nullus est prælatus, dum est in peccato mortali.

7. Item, quod domini temporales possint ad arbitrium eorum auferre bona temporalia ab ecclesiasticis habitualiter delinquentibus, vel quod populares possint ad eorum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

8. Item, quod decimæ sunt puræ eleemosynæ, & quod parochiani possint propter peccata suorum curatorum eas detinere, & ad libitum aliis conferre.

9. Item, quod speciales orationes applicatæ uni personæ per prælatos vel religiosos, non plus prosunt eidem personæ, quam orationes generales, cæteris paribus, eidem.

10. Item, quod eo ipso quod aliquis ingreditur religionem privatam quamcumque, redditur ineptior & inhabilior ad observantiam mandatorum Dei.

11. Item, quod sancti instituentes religiones privatas quascumque, tam possessionatorum, quam mendicantium, in sic instituendo peccaverunt.

12. Item, quod religiosi viventes in religionibus privatis, non sint de religione Christiana. *Error perniciosus.*

13. Item, quod fratres teneantur per laborem manuum, & non per mendicationem, victum suum adquirere. *Damnatus ab Alexandro quarto.*

14. Item, quod conferens eleemosynam fratribus vel fratri prædicanti, est excommunicatus, & recipiens.

Nomina confratrum provinciæ Cantuariensis, & aliorum.

Vvillielmus archiepiscopus Cantuariensis.
Vvillielmus Vintoniensis.
Ioannes Dunelmensis.
Thomas Exoniensis.
Ioannes Herefordensis.
Radulphus Sarum.
Thomas Roffensis.
Frater Vvillielmus Bottlesham episcopus Nanatensis, magister in theologia.

Nomina magistrorum in theologia.

Frater Vvillielmus Syvvard, prior.
Frater Ioannes Parys.
Frater Ioannes Langley.
} De Ordine fratrum Prædicatorum Lond.

Frater Villielmus Folvyle.
Frater Hugo Kardel.
Frater Rogerus Fryseby.
Frater Thomas Bernvvell.
} De Ordine Minorum.

Frater Thomas Ayshbourne.
Frater Ioannes Bankyn.
Frater Robertus Vvaldeby.
Frater Ioannes Horninton.
} De Ordine Augustinensium.

Frater Robertus Glaunvile.
Frater Vvillielmus Dys.
Frater Ioannes Lovey.
Frater Ioannes Kyningham.
} De Ordine Carmelitarum.

Dominus Ioannes VVelles monachus de Ramesy, magister in theologia.
Magister Ioannes Bloxham custos aulæ de Merton Oxonii, licentiatus in theologia.

Nomina baccalariorum in theologia.

Frater Robertus Humbleton.
Frater VVillielmus Pickvveth.
Frater Ioannes Lyndlovve.
} De Ordine Prædicatorum.

Frater Radulphus VVych. } De Ordine Minorum.

Frater Ioannes Chiseldene.
Frater Ioannes Toniston.
} De Ordine Carmelit.

Nomina doctorum juris canonici & civilis.

Magister Ioannes Appelby decanus ecclesiæ cathedralis sancti Pauli London.
Magister Ioannes VValtham canonicus ecclesiæ cathedralis Eboracensis.
Magister Thomas Baketon archidiaconus London.
Magister Nicolaus Chaddesdene.
Magister Radulphus Gregisyovv.
Magister Thomas Stovve.

Magister

Anno Christi 1382.

Magiſter Ioannes Blavvnchard.
Magiſter VVillielmus Rocoumbe.
Magiſter Ioannes Lydeford.
Magiſter Ioannes VVelbourne.
Magiſter VVillielmus Flaynburgh.
Magiſter Adam de Mottrum licentiatus in decretis.
Magiſter Thomas Braundon.
Magiſter Joannes Prophet, rector eccleſiæ parochialis de Hadesham, Cantuarienſis diœceſis, publicus autoritate apoſtolica notarius.

Poſtea dicto xx. die menſis Iunii, anno & loco prædictis, coram dicto domino Cantuarienſi pro tribunali ſedente, præſentibus quampluribus doctoribus ſacræ theologiæ, juris canonici & civilis, quorum nomina inferius continentur, magiſter Nicolaus Hereford & Philippus Rapyngdon canonicus regularis, ſacræ paginæ profeſſores, & Ioannes Ayshton magiſter in artibus, & in ſacra theologia ſcholaris, perſonaliter comparuerunt. Et præfati Nicolaus & Philippus, per dictum dominum Cantuarienſem juſſi ad reſpondendum & dicendum plene & plane ſentire ſuum ſuper concluſionibus memoratis, juxta quod idem dominus Cantuarienſis, ipſis Nicolao & Philippo eundem terminum præfixit, ac etiam aſſignavit: quaſdam reſponſiones per modum indenturæ in ſcriptis redactas, quarum tenor continetur inferius, dicto domino Cantuarienſi tunc ibidem judicialiter tradiderunt, & juxta formam eandem ad concluſiones hujuſmodi reſponderunt. Tenor vero hujuſmodi indenturæ, concluſiones prædictas & reſponſiones ad eaſdem continentis, de qua ſuperius memoratur, ſequitur in hæc verba.

Proteſtamur, ut alias, publice in his ſcriptis, quod intendimus eſſe humiles & fideles filii eccleſiæ & ſcripturæ ſacræ, ac determinationibus eccleſiæ in omnibus obedire. Et ſi in aliquo contra iſtam intentionem verbo vel opere, quod abſit, contigerit nos errare: ſubmittimus nos humiliter correctioni reverendi patris & domini, domini archiepiſcopi Cantuarienſis & totius Angliæ primatis, & omnium aliorum quorum intereſt corrigere ſic errantes. Iſta proteſtatione præmiſſa ad concluſiones infraſcriptas taliter reſpondemus.

Quod ſubſtantia panis materialis & vini manet in ſacramento altaris poſt conſecrationem. Ad ſenſum contrarium illi decretali, *Firmiter credimus*, concedimus, quod eſt hæreſis.

Quod accidentia non manent ſine ſubjecto poſt conſecrationem in eodem ſacramento. Ad ſenſum contrarium illi decretali, *Cum Martha*, concedimus quod eſt hæreſis.

Quod Chriſtus non ſit in eodem ſacramento identice, vere, & realiter in propria præſentia corporali. Licet iſta concluſio ſit ad verba incompoſita & intelligibilia: tamen ad ſenſum contrarium illi decretali in Clem. *Si Dominum*, concedimus quod eſt hæreſis. Et breviter quantum ad totam iſtam materiam de ſacramento altaris, vel quacumque alia, profitemur quod volumus, tam ad verba, quam ad ſenſum, ſentire cum ſcriptura ſacra, cum determinatione eccleſiæ, & dictis ſanctorum doctorum.

Quod ſi epiſcopus vel ſacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, conficit, nec baptizat. Concedimus quod eſt hæreſis.

Pertinaciter aſſerere non eſſe fundatum in evangelio quod Chriſtus Miſſam ordinaverit. Concedimus quod eſt hæreſis.

A Quod Deus debet obedire diabolo. Ad hunc ſenſum quod Deus in propria perſona vel eſſentia debet obedire diabolo obedientia neceſſitatis, concedimus quod eſt hæreſis.

Quod ſi homo fuerit debite contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua & inutilis. Concedimus quod eſt hæreſis.

Quod ſi papa ſit præſtigiator & malus homo, ac per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſupra fideles Chriſti ab aliquo ſibi datam, niſi forte a Cæſare. Concedimus quod eſt hæreſis.

Quod poſt Vrbanum ſextum non eſt aliquis recipiendus in papam, ſed vivendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis. Concedimus quod eſt hæreſis.

B Aſſerere quod eſt contra ſcripturam ſacram, quod viri eccleſiaſtici habeāt poſſeſſiones temporales. Adjuncta pertinacia, concedimus quod eſt hæreticum.

Quod nullus prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat ipſum eſſe excommunicatum a Deo. Concedimus quod eſt error, intelligendo de ſcientia experimentali, ut ſic cum iſto ſalvetur decretum eccleſiaſtic. XI. q. III. *Nemo epiſcoporum*.

Quod ſic excommunicans ex hoc ſit hæreticus vel excommunicatus. Ad ſenſum conformem priori ſenſui, concedimus quod eſt error.

Quod prælatus excommunicans clericum qui appellavit ad regem & conſilium regni, eo ipſo traditor Dei eſt, regis, & regni. Concedimus quod eſt
C error.

Quod illi qui dimittunt prædicare, ſeu audire verbum Dei vel evangelium prædicatum, propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in die judicii traditores Dei habebuntur. Intelligendo concluſionem univerſaliter, ut ſcriptura & jura intelligunt hujuſmodi indiffinitas, concedimus quod eſt error.

Aſſerere quod liceat alicui, etiam diacono vel presbytero, prædicare verbum Dei abſque autoritate ſedis apoſtolicæ, vel epiſcopi catholici, ſeu alia de qua ſufficienter conſtet. Concedimus quod eſt error.

Aſſerere quod nullus eſt dominus civilis, nullus eſt epiſcopus, nullus eſt prælatus, dum eſt in peccato mortali. Concedimus quod eſt error.

D Quod domini temporales poſſunt ad arbitrium eorum auferre bona temporalia ab eccleſiaſticis habitualiter delinquentibus. Concedimus quod eſt error, ad hunc ſenſum, quod poſſunt legitime ſic auferre bona temporalia eccleſiaſticorum extra caſus limitatos in legibus eccleſiæ & regnorum.

Quod populares poſſunt ad eorum arbitrium dominos delinquentes corrigere. Intelligendo per poſſe juris: concedimus quod eſt error, quod populares non habent poteſtatem coactivam ſuper ſuos dominos, ſed e contra.

Quod decimæ ſint puræ eleemoſynæ, & quod parochiani poſſint propter peccata ſuorum curatorum eas detinere, & ad libitum aliis conferre. Intelligen-
E do per poſſe, ut prius, juridicum: concedimus quod eſt error.

Quod ſpeciales orationes applicatæ uni perſonæ per prælatos vel religioſos, non plus proſunt eidem perſonæ, quam generales orationes eidem, cæteris paribus. Intelligendo concluſionem univerſaliter negative, & per ſpeciales orationes, factas ex ſpeciali caritate, & generales, ex generali: tunc, ad hunc ſenſum, quod nullæ tales ſpeciales orationes applicatæ uni perſonæ per privatos oratores, ſpecialius proſunt eidē perſonæ, quam generales orationes factę pro eadē & ab eiſdem, concedimus quod eſt error.

ANNO CHRISTI 1382.

Conferens eleemosynam fratribus vel fratri prædicanti, est excommunicatus, & recipiens. Intelligendo istam universaliter vel conditionaliter, ut prædictum est, concedimus quod est error.

Quod eo ipso quod aliquis ingreditur religionem privatam quamcumque, redditur ineptior & inhabilior ad observantiam mandatorum Dei. Concedimus quod est error.

Quod sancti instituentes religiones privatas quascumque, tam possessionatorum quam mendicantium, in sic instituendo peccaverunt. Intelligendo istam reduplicative vel universaliter, concedimus quod est error: ad hunc sensum, quod quicumque sancti instituentes religiones privatas, & cæteri, ex hoc vel sub ratione qua hujusmodi instituebant, peccaverunt.

Quod religiosi viventes in religionibus privatis, non sint de religione Christiana. Intelligendo istam universaliter, ut prædictum est, concedimus quod est error.

Quod fratres teneantur per laborem manuum, & non per mendicationem, victum suum adquirere. Intelligendo etiam istam universaliter sicut prius, concedimus quod est error.

Hæc, pater reverende & domine, humiliter sunt dicta, cum supportatione vestra gratiosa & correctione benigna, quantum pro nostro modulo & exilitate ingenii sufficimus pro præsenti: honore Divino, veritate fidei, & conscientia recta, in omnibus semper salvis: humilius quo sufficimus supplicantes, quod si aliud vel aliter vestræ discretioni & excellentiæ videatur dicendum, dignetur vestra gratiosa paternitas, per scripturam sacram & determinationes ecclesiæ, aut dicta sanctorum doctorum, nos ut filios informare. Et revera vestræ salubriori doctrinæ, animo promptissimo & obedientissimo volumus consentire. Placeat igitur vestræ paternitati reverendæ hæc dicta, solito benignitatis more, favorabiliter acceptare, cum conclusiones supradictæ numquam erant nostræ, aut in scholis a nobis assertæ, vel in sermonibus publice prædicatæ.

Omnibus responsionibus dicto domino Cantuariensi datis, iidem Nicolaus & Philippus, eo quod ad sensum & verba primæ conclusionis non responderunt expresse, sed ad contrarium sensum illi decretali *Firmiter credimus*; interrogati tunc ibidem judicialiter quis esset ille sensus, noluerunt illum exprimere. Quæsitum igitur ab eis, juxta sensum ejusdem conclusionis ex parte dicti domini Cantuariensis declaratum, an idem panis materialis in numero, qui ante consecrationem ponitur in altari, remaneat secundum propriam substantiam vel naturam post consecrationem in sacramento altaris, & de vino similiter. Ad hunc vero sensum illi Nicolaus & Philippus dixerunt se nescire pro tunc melius respondere, quia * respondebant, ut præfertur in scriptis.

*Corr. quam

Et quia ad sensum & verba secundæ conclusionis non responderunt plene & expresse, sed ad contrarium sensum illi decretali, *Cum Marthæ*: interrogati quis esset ille sensus, noluerunt illum exprimere. Quæsitum ergo erat ab eis, juxta sensum ejusdem conclusionis ex parte dicti domini declaratum, num illa accidentia corporalia, quæ ante consecrationem formaliter inhærebant substantiæ panis aut vini, post consecrationem eidem pani aut vino inhæreant, vel etiam in aliqua substantia alia subjectentur. Ad hunc vero sensum dixerunt, se nescire pro tunc melius respondere, quam, ut præmittitur, respondebant in scriptis.

Ad sensum etiam & verba tertiæ conclusionis, quia non responderunt plene & expresse, sed ad contrarium sensum illi decretali in Clementinis, *Si Dominum*: interrogati quis esset ille sensus, noluerunt illum exprimere. Erat igitur quæsitum ab eis juxta sensum conclusionis ejusdem, ex parte dicti domini declaratum, an idem corpus Christi numero, quod fuit assumptum de Virgine, sit in sacramento altaris secundum se ipsum realiter, secundum veritatem suæ carnalis substantiæ, & secundum propriam essentiam & naturam. Ad hunc sensum dixerunt se nescire pro tunc melius respondere, quam responderunt, ut præfertur, in scriptis.

ANNO CHRISTI 1382.

Ad sensum insuper & textum sextæ conclusionis, quia non responderunt plene & expresse: interrogati an Deus debeat aliquem modum obedientiæ diabolo, dixerunt quod sic: scilicet obedientiam caritatis, quia diligit eum, & punit eum, ut debet. Et ad probandum quod Deus debet taliter obedire diabolo, obtulit se sub pœna incendii ad quemcumque.

Ad undecimam conclusionem, quia non responderunt expresse: interrogati an prælatus possit excommunicare aliquem existentem in gratia, dixerunt quod sic.

Ad vicesimam conclusionem, quia non responderunt plene, simpliciter, & expresse: interrogati an plus prosint speciales quam generales orationes, noluerunt dicere, nisi quod specialius.

Ad ultimam conclusionem, quia non responderunt simpliciter, nec expresse: interrogati de particulari, an aliquis frater teneatur de suo labore manuali victum suum adquirere, ita quod non liceat vivere de mendicatione, noluerunt penitus respondere.

Subsequenter præfatus dominus Cantuariensis interrogavit omnes doctores prædictos, quid sibi videretur de responsionibus datis, quoad omnes & singulas conclusiones hujusmodi. Qui quidem doctores omnes & singuli singillatim dixerunt, quod singulæ responsiones ad primam, secundam, tertiam & sextam conclusiones, ut præmittitur, datæ, insufficientes fuerunt, hæreticæ & dolosæ: quodque singulæ responsiones, præcipue ad decimam nonam & ultimam conclusiones, ut præmittitur, factæ, insufficientes erant, erroneæ, & perversæ. Unde idem dominus Cantuariensis reputans illas responsiones insufficientes, hæreticas, & dolosas, erroneas, & perversas, prout dicti doctores, ut præmittitur, reputarunt, prædictos Nicolaum & Philippum ex abundanti monuit sub hac forma verborum.

Christi nomine invocato, nos Willielmus permissione Divina Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, ac per totam nostram provinciam Cantuariensem inquisitor hæreticæ prævitatis, vos Nicolaum Hereford, & Philippu Reppyndong, sacrę paginæ professores, habentes hos d[illegible]m & locum de consensu vestro expresso ex præfixione nostra ad peremptorie respondendum & dicendum plene & plane sentire vestrum super conclusionibus istis ad quas nos referimus, subductis verbis subtilibus & sophisticalibus aut logicis, & ad id juratos, monitos atque jussos, quia absque causa rationabili seu legitima quacumque, noluistis, nec vultis, immo recusastis & recusatis, ad conclusiones aliquas illarum coram nobis judicialiter, juxta nostras monitionem & jussionem prædictas, contemptibiliter respondere; verum ad nonnullas illarum hæretice, & ad nonnullas erronee, & minus plene respondistis: ex abundanti monemus primo, secundo, & tertio, ac peremptorie, quod vos plene & plane

subductis

ANNO CHRIST. 1368

" subductis quibuscumque verbis subtilibus, sophisti- A calibus, aut logicis, respondeatis, & quilibet vestrum " respondeat ad conclusiones easdem, & ad sensus per " nos limitatos, sub pœna quod aliæ hujusmodi " conclusiones habeantur per vos pro confessatis, & " vos super eisdem conclusionibus haberi debeatis pro " convictis.

Qua monitione facta, eo quod præfati Nicolaus & Philippus noluerunt aliter respondere, dictus dominus Cantuariensis in eodem negotio concludebat, ac præfixit & assignavit præfatis Nicolao & Philippo diem eumdem ad VIII. dies, videlicet XXVII. diem dicti mensis, quod compareant coram eodem domino Cantuariensi, ubicumque infra suam provinciam Cantuariensem ipsum tunc esse contigerit, ad audiendum suum in ea parte decretum. Ac subsequenter B dictus dominus Cantuariensis præfatum dominum Ioannem Ayshton ex abundanti monuit, sub eo qui sequitur tenore verborum.

" Christi nomine invocato, Nos VVillielmus permissione Divina Cantuariensis archiepiscopus, totius " Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, ac per to- " tam nostram provinciam Cantuariensem inquisitor " hæreticæ pravitatis, te Ioannem Ayshton magi- " strum in artibus, in sacra theologia scholarem, alias " coram nobis judicialiter comparentem, & ad dicen- " dum plenam veritatem super conclusionibus istis " ad quas nos referimus, quas tibi fecimus libe- " rari, tacto libro juratum, ac alias per nos in hac parte " legitime monitum atque jussum, & habentem hos " diem & locum ex præfixione nostra pro termino " peremptorie ad proponendum causam rationabilem, C " si quam habes, quare non debeas pronunciari hære- " ticus: & ex abundanti monemus primo, secundo, " & tertio, ac peremptorie, quod tu plene & plane, sub- " ductis quibuscumque verbis subtilibus, sophisticali- " bus, aut logicis, respondeas ad conclusiones easdem, " sub pœna quod aliæ hujusmodi conclusiones habean- " tur per te pro confessatis, & tu super eisdem conclu- " sionibus haberi debeas pro convicto.

Qua quidem monitione præmissa, idem dominus Cantuariensis primam dictarum conclusionum legit: & ab eodem Ioanne inquisivit quid sentiret de illa, ac super hac diceret votum suum juxta monitionem prædictam. Dictus tamen Ioannes Ayshton requisitus frequenter per dictum dominum Cantuariensem, quod in lingua Latina ad interrogata propter astantes laicos responderet: in lingua materna, clamando D verba frivola, opprobriosa, & contumeliosa valde, & ad commovendum & excitandum populum contra eumdem dominum Cantuariensem, ut videbatur, sonantia protulit. Nec ad primam conclusionem, nec ad quamcumque aliarum conclusionum hujusmodi, effectualiter vel pertinenter, immo per subterfugia respondebat: dicens frequentius & expresse sicut laicus, quod sufficiebat sibi credere, sicut etiam sancta credit ecclesia. Interrogatus etiam ab eodem domino Cantuariensi super prima conclusione tãgente sacramentum altaris, an post consecrationem remaneat panis materialis, particularis, vel universalis: dixit quod illa materia transcendit intellectum suum, & pro tanto sub illa forma & non aliter voluit respondere: sed inter cætera dixit, quodammodo deridendo dominum Cantuariensem, illud verbum, E materialis, ponas in bursa tua si quam habes. Vnde prædictus dominus Cantuariensis, reputans responsionem illam ineptam, sicut alii doctores de quibus supra fit mentio reputarunt, cum sit clericus graduatus in scholis, contra eumdem Ioannem Ayshton ulterius sic processit. Et quia tu Ioannes Ayshton

ANNO CHRISTI 1382.

per nos, ut præmittitur, monitus atque jussus, post hujusmodi juramentum præfixum, absque causa rationabili seu legitima quacumque, noluisti, nec vis, sed " recusasti & recusas, ad conclusiones hujusmodi co- " ram nobis judicialiter, juxta nostras monitionem & " jussionem prædictas, contemnibiliter respondere: hu- " jusmodi conclusiones per te, pro confessatis habe- " mus, & te dominum Ioannem antedictum, quoad " omnes & singulas conclusiones supradictas, habemus " pro convicto in conclusionibus supradictis. Et pro- " pterea te Ioannem Ayshton, quantum ad conclusio- " nes illas, quæ per nos cum deliberatione nonnullo- " rum prælatorum suffraganeorum nostrorum, necnon " sacræ paginæ professorum, ac aliorum juris perito- " rum, juxta canonicas sanctiones, pro hæresim sapien- " tibus & hæreticis sunt damnatæ, ac etiam declaratæ, " hæreticum fuisse & esse. Quantum vero ad conclu- " siones alias, per vos erroneas antea reputatas, & pro " erroneis damnatas, te errasse & errare pronunciamus " & declaramus sententialiter in his scriptis. "

Dicto etiam vicesimo die mensis Iunii, anno & loco prædictis, præfatus dominus Cantuariensis, volens, ut asseruit, informari per magistrum Thomam Hilman in theologia baccallarium, tũc præsentem, & aliqualiter dictum magistrum Ioannem Ayshton faventem, de sentire suo super conclusionibus antedictis: eidem Thomæ pro tunc deliberationem, & diem ad respondendum petenti, præfixit & assignavit dictum diem octavum, videlicet XXVII. diem dicti mensis, quod compareat coram eodem domino Cantuariensi, ubicumque infra suam provinciam Cantuariensem ipsum tunc esse contigerit, ad dicendum plene & plane suum sentire super conclusionibus memoratis.

Nomina doctorum præmissis interessentium, de quibus supra fit mentio. Magistri in theologia.

Episcopus Nanatensis. Frater Ioannes Langley. Frater VVillielmus Syvvard.	Ordinis Prædicatorũ.
Frater Ioannes Kynyngham. Frater Ioannes Lorey. Frater Petrus Stokes. Frater VValterus Dys.	Ordinis Carmelitarum.
Frater Thomas Ayshbourne. Frater Bankinus de London. Frater Robertus VValdeby.	Ordinis Augustinẽium.

Doctores juris civilis.

Magister Ioannes Barnet.
Magister Thomas Baketon.
Magister Ioannes Blaunchard.
Magister Ioannes Schillyngford.
Magister Ioannes Lydeford.
Magister Thomas Southam.

Potestas regia concessa archiepiscopo, & aliis episcopis, ad arrestandum quoscumque prædicantes hæresim, seu sustinentes conclusiones damnatas.

Richardus Dei gratia rex Angliæ & Franciæ, & dominus Hiberniæ, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem.

Significante nobis venerabili patre VVillielmo archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ primate, per

ANNO CHRISTI 1382.

per petitionem suam nobis exhibitam, pleno concepimus intellectu, quod quamplures conclusiones sanæ doctrinæ obviantes, & in fidei catholicæ ecclesiæ sanctæ, ac suæ provinciæ subversionem notorie redundantes, in locis diversis infra provinciam prædictam fuerunt palam & publice, licet damnabiliter prædicatæ: quarum quidem conclusionum quædam ut hæreses, cæteræ vero ut errores per ecclesiam damnatæ, habita inde prius bona & matura deliberatione de communi consilio ipsius archiepiscopi, suffraganeorum suorum, quamplurium in theologia doctorum, aliorumque clericorum in sacris scripturis peritorum, fuerunt sententialiter & salubriter declaratæ. Super quo, supplicato nobis per ipsum archiepiscopum, ut pro coertione debitaque castigatione illorum, qui conclusiones prædictas ex tunc prædicare, seu manutenere vellent animo obstinato, dignaremur opponere brachium regiæ potestatis: nos, zelo fidei catholicæ, cujus sumus & esse volumus defensores, in omnibus, ut tenemur, commoti, nolentesque sustinere hujusmodi hæreses aut errores infra terminos nostræ potestatis aliqualiter pullulari: præfato archiepiscopo ejusque suffraganeis, ad omnes & singulos, qui dictas conclusiones sic damnatas prædicare, seu manutenere vellent, clam vel palam, ubicumque inveniri possent, arrestandos, & prisonis suis propriis, seu aliorum, pro eorum beneplacito committendos, in eisdem detinendos, quousque ab errorum & hæresum pravitatibus resipiscant, vel de hujusmodi arrestatis, per nos vel consiliũ nostrum aliter foret provisum, autoritatem & licentiam tenore præsentium concedimus & committimus speciales. Mandantes insuper & injungentes universis & singulis ligeis, ministris, & subditis nostris, cujuscunque status seu conditionis fuerint, in fide & ligiancia quibus nobis tenentur, ne ipsi manutentoribus sive prædicatoribus dictarum conclusionum, sic condemnatarum, aut eorum fautoribus faveant, consulant, aut auxilientur ullo modo, sub forisfacturâ omnium quæ nobis forisfacere poterunt in eventu; sed potius præfato archiepiscopo, ejusque suffraganeis, ac ministris suis, in executione præsentium pareant, obediant humiliter, & intendant: sic quod debita & aperta publicatio adversus conclusiones prædictas, & earum manutentores, absque perturbatione fieri valeat, prout pro defensione & conservatione fidei catholicæ fuerit salubrius faciendum. In cujus rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste meipso apud VVestm. 12. die Iulii, anno regni nostri sexto.

ANNO CHRISTI 1386.

CONCILIVM SALTZBVRGENSE

In causa disciplinæ ecclesiasticæ tempore Pilgrini archiepiscopi celebratum anno Domini MCCCLXXXVI. sub Vrbano papa VI.

TITVLI CAPITVLORVM.

ANNO CHRISTI 1386.

Hæc sunt instituta domini Pilgrini archiepiscopi Saltzburgensis, apostolicæ sedis legati, publicata in provinciali concilio Saltzburgensi, anno Dom. MCCCLXXXVI.

PRÆFATIO.

Ad laudem & honorem ac gloriam nominis Dei, ac salutem Dominici gregis nobis commissi: nos Pilgrinus Dei gratia archiepiscopus Saltzburgensis ecclesiæ, apostolicæ sedis legatus, Ioannes Gurzensis, Fridericus Chiemensis, & Ioannes Secoviensis, ecclesiarum episcopi, una cum aliis venerabilibus patribus ac procuratoribus suis, ac coepiscoporum nostrorum, & quorumdam aliorum prælatorum præsentium, nobiscum in hoc sacro provinciali concilio residentibus, ad correctionem excessuum & reformationem morum, diligenti ac matura deliberatione præhabita, infra scriptas constitutiones edidimus salubres & utiles, jure fundatas, æquitati consonas, & per quas subditorum servatur honestas: quas per locorum ordinarios prælatos, archidiaconos, & alios ecclesiarum rectores, per totam nostram provinciam publicari, & sub pœnis in eis contentis præcepimus inviolabiliter observari.

CAPITVLA.

I. *De modo dicendi horas canonicas.*

Qvia, ut accepimus, clerici diversi diversimode in horis canonicis & Divinis officiis diversum psallendi tenent modum, contra canonica instituta: volentes igitur huic morbo remedium apponere opportunum, districte præcipimus, ut ab omnibus & singulis clericis sæcularibus in psallendo idem modus & ordo in Divinis officiis & horis canonicis observetur, ita quod unusquisque in hoc suæ cathedrali ecclesiæ, sive fuerit regularis, sive sæcularis, rationabiliter se conformet. Si quis hujus constitutionis transgressor extiterit, per loci ordinarium, vel archidiaconum, canonica monitione præmissa, ab ingressu ecclesiæ suspendatur. Religiosos vero in suis rationabilibus observantiis volumus remanere.

II. *De absolutionibus impendendis.*

Sanctione præsenti sub interminatione male-

ANNO CHRISTI 1386.

maledictionis æternæ districte prohibemus, ne aliqui majori excommunicatione nodatos, aut suspensos, vel in homicidio, furto, sacrilegio, falso testimonio, perjurio, incestu, instrumentorum & litterarum falsitate, & aliis casibus sedi apostolicæ, vel nobis specialiter, vel nostris suffraganeis, aut aliis competentibus judicibus reservatis, quacumque præsumant absolvere, vel vota commutare. Quod si quis fecerit ab officio suspendatur, donec pro superiorum arbitrio satisfaciat competenter.

III. *De abutentibus indulgentiis a superioribus super absolutionibus concessis.*

Cum interdum tam a sede apostolica, quam ex speciali indulto, plerisque gratiose concedatur, ut in casibus superioribus reservatis cum sibi subditis dispensare, ac eos absolvere, eisque pro modo culpæ pœnitentiam injungere valeant competentem.

Verum, quia nonnulli indulto hujusmodi abutentes, pœnitentias hujusmodi in pecuniarum proprium & bursalem quæstum vertunt: nos igitur attendentes, quod privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate: decernimus, hujusmodi indulgentias a nobis concessas, vel in posterum concedendas, post hujusmodi abusum esse nullas, vacuas & inanes: declarantes etiã absolutiones, quas tales abutentes impenderint, similiter fore nullas. Abutentes quoque eo ipso suspendimus a Divinis, donec pro qualitate culpæ absolutionis beneficiũ a suis superioribus meruerint obtinere.

IV. *De modo absolutionis impendendæ in casibus dubitabilibus.*

Volumus, & omnibus ecclesiarum rectoribus districte præcipimus, ut in casibus dubitabilibus, præcipue periculum vel salutem animarum concernentibus, ad superiorem recurrant confidenter; vel saltem peritiores, vel sapientiores studeant super his diligenter requirere. Quod si non fecerint, & ex eorum incuria vel negligentia periculum aliquod emerserit, gravi subjaceant ultioni.

V. *De habitu clericorum.*

Quoniam per decentiam habitus extrinseci oportet clericos intrinsecam morum honestatem ostendere: districte prohibemus, ne aliqui clerici sine capucio capitis, bireto, capello, vel pileo cooperto, in ecclesia, seu alias in publico, præsumant incedere, cum hoc honestatem non deceat clericalem. Quod si quis contra fecerit, per superiorem acriter puniatur.

VI. *De eodem, & differentia habitus majorum ab inferioribus.*

Canonica testatur autoritas, quod ex majore decore & majoritate ornatuum apparere debeat majoritas dignitatum. Hinc est quod firmiter inhibemus; ne clerici in publico utantur vario, vel illud deferre præsumant, nisi in dignitatibus fuerint, vel canonici ecclesiarum cathedralium, vel in gradu magisterii scientiæ litterarum fuerint constituti. Adjicientes quoque, ne ipsi clerici, maxime non beneficiati, cincturis, corrigiis, aut peris auri vel argenti ornatum habentibus utantur, aut etiam veste, vel alio habitu indecenti.

VII. *De munda conservatione rerum & vasorum Divino cultui deputatorum.*

In plerisque ecclesiis mappæ, pallæ altaris, corporalia, & alia vestimenta, ac vasa Divino cultui deputata, tam inculta, tam immunda relinquuntur, ut interdum quibusdam sint horrori, contra statutum concilii generalis. Et licet alias super his tam a viris, quam a legatis sedis apostolicæ, quam etiam a nostris prædecessoribus satis utiliter sit provisum: nos vero repetitis eorum constitutionibus, volentes expressius providere, universis custodibus, sacristis, ecclesiarum rectoribus, præcipimus, quatenus omnia vestimenta, ornamenta & vasa supradicta, per ipsos munda & nitida, & præcipue ecclesiastica sacramenta, sub clausura & fida custodia conserventur. Si quis vero in transgressione hujusmodi statuti culpabilis fuerit, usque ad condignam satisfactionem ab officio suspendatur.

VIII. *Ne mendicantes admittantur sine diœcesanorum licentia & testimonio litterarum.*

Quia religiosos, præcipue fratres mendicantes, decet puritatem omnimodam in suis actibus observare: quoniam tamen sæpe divagandi & dissolutionis materiam mutuantur, scandalum aliorum, & tanquam pseudoprophetæ fabulosis prædicationibus audientium animos plerumq; seducunt. Et quamquam invitis ipsarum ecclesiarum rectoribus, ipsi fratres, nisi per eosdem rectores vocati vel invitati ad hoc fuerint, de jure non audeant nec debeant prædicare: volumus tamen, quod nequaquam dicti rectores ipsos invitent vel admittant, nisi de proponendo verbum Dei a suis superioribus licentiam habeant, & de illa sæpe dictis rectoribus faciant plenam fidem. In civitatibus vero & diœcesi, in quibus ipsorum fratrum loca consistunt, ac in locis vicinis, nullatenus ad dictum officium prædicandi, vel ad audiendas confessiones admittantur, nisi [a] locis diœcesanis canonice præsentati fuerint prius & admissi.

[a] f locorũ

ANNO CHRISTI 1386.

IX. *De immunitate clericorum & eorum rerum, ab impositionibus sæcularium dominorum.*

Cum ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ, ac res ipsorum, non solum jure civili, quinimmo & canonico & Divino, sæcularium personarum talliis, collectis & exactionibus sint immunes: nonnulli tamen ecclesiasticæ libertatis & immunitatis æmuli, hujusmodi libertatem offendere moliuntur. Nos igitur ipsorum ausus, quantum possumus, reprimere cupientes, statutum domini Ioannis episcopi Tusculani, apostolicæ sedis legati, qui invasores & occupatores & detentores ecclesiasticorum bonorum, vel dantes in his auxilium, consilium, vel favorem, si postquã per ecclesiarum prælatos vel rectores requisiti fuerint, infra mensem non destiterint, vel de damnis datis non satisfecerint, ex tũc subjicit ecclesiastico interdicto, ad hujusmodi exactores, collectores, & talliatores, declaramus extendi, ut extendimus sanctionẽ præsentem: omnibus ecclesiarum prælatis & rectoribus, sub excommunicationis pœna, districte præcipientes, quatenus hujusmodi statuta inviolabiliter observent, ac nihilo minus singulis annis ter in suis ecclesiis fideli populo studeant publicare.

Conc. Salisburg an. 1291. c. 20.

X. *Contra vilipendentes sententias excommunicationis.*

Multi in profundum malorum venientes, adeo ecclesiæ claves & ecclesiasticæ cẽsuræ sententias vilipendendo contemnunt, quod tam incorrigibiles plerique talium facti, in suæ damnationis periculum, in hujusmodi sententiis moriuntur. Quare statutum domini Friderici prædecessoris nostri, quod per omnes civitates & diœceses mandat tales sententias publicari per ecclesiarum prælatos, observari præcipimus, ut sic malignorum perversitatibus obvietur.

Conc. Salisburg. an. 1274. c. 12.

XI. *De publicatione constitutionis Bonifacii VIII. contra recipientes pedagia a clericis.*

Constitutiones felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. editas contra eos qui ab ecclesiis & ecclesiasticis personis, pro earum rebus propriis, quas non negotiandi causa deferunt, vel deferri faciũt, vel transmittũt, suo vel alieno nomine, pedagia vel quidagia exigunt vel extorquẽt: eosq; qui in his culpabiles fuerint, si personæ sint singulares, excõmunicationis, si vero collegium, civitatẽ, vel castrũ, vel locũ alterius concernit, interdicti sententiæ subjacere: per locorũ ordinarios, prælatos, & archidiaconos, ac parochialium ecclesiarum rectores, præcipimus solenniter publicari: quemadmodum etiam in Viennensi concilio est provide constitutum.

Cap. *clericis* De immun. eccl. in 6.

Clement. *Quoniam* De immun. ecclas.

XII. *De occupatoribus beneficiorum & eorum bonorum.*

Omnibus volumus esse notum, quod tam episcopi, quam alii ecclesiarum prælati, & quæcumque aliæ ecclesiasticæ personæ, qui bona vacantium dignitatum & ecclesiarum quarumcumq, sibi subjectarum, seu ad collationem vel præsentationem eorundem pertinentium, occupant, rapiunt, aut usurpant, vel in suos usus vertunt, ipsi episcopi ab ingressu ecclesiæ; inferiores vero, ab officio & beneficio de jure sint suspensi, donec de occupatis satisfaciant cum effectu: laici vero, sive judices fuerint, aut ecclesiarum patroni, bona hujusmodi rapientes vel usurpantes, juxta statutum felicis recordationis domini Friderici prædecessoris nostri, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant: in locis vero ad quæ eadem bona delata fuerint, postquam hoc rectoribus ecclesiarum innotuerit, juxta ejusdem statuti tenorem tamdiu cessetur a Divinis, donec de ablatis congrue fuerit satisfactum.

Concil. Salisburg an. 1281. c. 14.

XI I. *De usurariis & eorum pœnis.*

Apud multos ita crimen usurarum invaluit, quod nonnulli * nullis negotiationibus vel laboribus student intendere, putantes sibi ex hoc licere, quod prælati, vel alii ecclesiarum rectores in animarum suarum periculum negligunt id corrigere, ac per hoc in majoris damnationis laqueum se immergũt. Nos igitur recolẽdæ memoriæ domini Ioãnis Tusculani episcopi, legati sedis apostolicæ, ac aliorum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, qui crimen hujusmodi fuerint specialiter detestati: decernimus eosdem usurarios, postquã per suos rectores trina monitione nominatim moniti fuerint, & infra mensem ipsi ab eadem pravitate non destiterint, eo ipso excommunicationis sentẽtiæ subjacere. Quapropter singulis ecclesiarum prælatis ac rectoribus districte præcipimus, ut omnes manifestos usurarios moneant & inducant, quatenus ab hujusmodi pravitate infra unius mensis spatium curent studiose desistere, ac de perceptis satisfacere cum effectu. Quod si non fecerint, extunc excommunicati publice nuncientur. Certificentur nihilo minus, quod si in hoc crimine sine satisfactione canonica * cautioni de satisfaciendo decesserint, Christiana careant sepultura. Ipsi quoque rectores, & scienter sepelientes eosdem, simili de jure excommunicationis sententia sint ligati. Declaramus insuper manifestos usurarios esse, de quibus est publica vox & fama, & certa sunt indicia & argumenta, quod pecunias mutuant ad usuras, easque recipiunt, vel fructus rei pignoratæ ex pacto vel alias sibi usurpant, vel imbursant, nec compu-

Concil. Salisburg. an. 1291. c. 23.

* f. vel cautione

Anno Christi 1386.

computant in sortem pecuniæ pignoratæ.

XIV. *Ne clerici conueniantur coram sæcularibus judicibus.*

Sæpe contingit, quod nedum laici, sed ecclesiarum prælati & alii clerici (quod dolentes referimus) alius alium ad sæcularia trahunt judicia contra canonicas & legitimas sanctiones: ex quo non modicum ecclesiasticæ libertati detrahitur, ac ecclesiæ plerumque in suis juribus & libertatibus grandia dispendia patiuntur. Nos volentes his malis, quantum possumus, obviare: decernimus, quod si prælatus, vel quivis alius clericus, alium prælatum vel clericum, vel etiam laicus quamcumque aliam ecclesiasticam personam, coram sæculari judice trahere vel convenire, aut tractus seu conventus sponte & judicialiter præsumpserit respondere: tam trahentes, quam tracti, ultra pœnas contra tales a jure prolatas, eo ipso se noverint excommunicationis sententiæ subjacere.

XV. *Ne ignoti presbyteri admittantur ad Diuina.*

Firmiter inhibemus, ne presbyteri peregrini vel ignoti ad Missarum solemnia celebranda in publico admittantur, nisi per litteras testimoniales, vel canonice de ipsorum ordinatione ecclesiarum prælatis & rectoribus fiat fides.

XVI. *De notariis publicis.*

Placuit nostro sancto concilio, ut nullus se notarium publicum asserens, in officio tabellionatus aliquatenus admittatur, nec credatur ejus instrumento, nisi coram loci ordinario vel ejus officiali de suo officio faciat plenam fidem, cum sæpe ex notariis incognitis & imperitis grandia pericula soleant provenire.

XVII. *Vt episcopi, prælati, & rectores habeant quæstiones sigillatim.*

Dudum fuit in nostra provincia constitutum, ut episcopi suffraganei omnes, provinciales constitutiones habeant sigillatim, easque suis subditis, sicut juris est, studeant publicare. Verum, quia hujusmodi statutum, fructum modicum hucusque produxit: nos igitur illud ampliare, & pœnæ adjectione vallare volentes, ne ipsarum ignorantiam ipsi vel subditi prætedere valeant, vel quoslibet allegare; statuimus, & districte præcipiendo mandamus, quatenus omnes & singuli ecclesiarum prælati, archidiaconi, ac parochi ecclesiarum rectores, tam legatorum sedis apostolicæ, quam nostras & prædecessorum nostrorum constitutiones scriptas habeant, quas non habentibus de nostra cancellaria præcepimus exhiberi, sub

A petentium tamen sumptibus & expensis. Quod si ipsi prælati & archidiaconi infra sex mensium spatium a data præsentium, rationabili causa cessante, ipsas per se vel alios non receperint, seu habuerint: ipsos & quemlibet ipsorum, qui in hoc negligens vel remissus fuerit, eo ipso ab ingressu ecclesiæ suspendimus, donec a suo superiore absolutionis beneficium meruerit obtinere.

Acta sunt hæc Saltzburgi in nostro archiepiscopali palatio, anno Domini MCCCLXXXVI. pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini, domini Vrbani Divina providentia papæ VI. anno VIII. B mense Ianuario.

** CONCILIVM PALENTINVM

Anno Christi 1388.

Sub præsidio Petri de Luna anticardinalis in Hispania, (quæ adhuc isto tempore Clementi antipapæ adhærescebat) celebratum, anno Domini MCCCLXXXVIII. tempore Vrbani papæ VI.

Ex archivo Conchensi in Hispania. Extat etiã in Toletano.

TITVLI CAPITVLORVM.

C

Hæ sunt constitutiones reverendissimi in Christo patris ac domini, domini Petri de Luna sanctæ Mariæ in Cosmedin sacræ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis, in Hispaniarum partibus apostolicæ sedis legati, vulgariter cardinalis de Aragonia, vel de Luna nuncupati.

PRÆFATIO.

D *Petrus miseratione Divina sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis, apostolicæ sedis legatus, ad perpetuam rei memoriam.*

QVia disponente patre luminum, ex injuncto nobis legationis officio curam gerimus cleri & populi Hispaniarum: circa illa attentis studiis ac studiosis affectibus libenter intendimus, per quæ subditorum mores dirigantur salubriter, & eorum actus devii in melius reformentur: ut sic illi suorum operum moderentur habenas, quod accepti reddantur Altissimo, eisque salus perveniat animarum. Ad ista igitur, ad quæ ferventius nostra aspirat intentio, considerationis intuitum convertentes, illustrissimi ac E devotissimi principis domini Ioannis regis Castellæ, Legionis, & Portugalliæ, nonnullorumque prælatorum regni Castellæ pulsati instantia, habita super his cum aliquibus ex prælatis prædictis, & aliis viris providis & discretis, deliberatione matura, & discussione solerti, super quibusdam quæ correctionem & reformationem * agere videbantur, constitutiones infra scriptas edidimus: quas die datarum præsentium in ecclesia fratrum Minorum civitatis Palentinæ, post Missarum solemnia, in præsentia dicti regis, & aliquorum prælatorum dicti regni, clericorum & laicorum circumstante multitudine copiosa, fecimus publicari. Et licet post publicationem hujusmodi non sit necessitas

✝ correctione & reformatione egere

Mmmmmm ij præ-

ANNO CHRISTI 1388.

præfatas constitutiones singulorum auribus inculcare: ne tamen aliquis ab earum observatione se valeat per accuratam ignorantiam quomodolibet excusare, venerabilibus in Christo patribus, Toletano, Compostellano & Hispalensi archiepiscopis, ac Burgensi, Legionensi, Ovetensi, Carthaginensi, Palentinensi, Calagurritano, Osomensi, Seguntinensi, Segobiensi, Conchensi, Cordubensi, Gienensi, Zamorensi, Salamanticensi, Abulensi, Civitatensi, Cauriensi, Placentinensi, Pacensi, Gadicensi, Astoricensi, Auriensi, Lucensi, Mindonensi, Tudensi, episcopis, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus ipsas constitutiones in suis cathedralibus ecclesiis, infra duorum mensium spatium postquam eis fuerint præsentatæ, clericis ac religiosis ordinis cujuscumque, exemptis & non exemptis, infra eorum diœcesim existentibus, autoritate nostra ad hoc specialiter convocatis, & deinde quolibet anno, vel in synodis per eos celebrandis, vel in dictis ecclesiis, semel ad minus solemniter & integraliter faciant publicari, & * earum observantiam dent, in quantum ad eorum spectat officium, operam efficacem. Volumus insuper, quod prædictæ nostræ constitutiones ad observantiam sui ligent omnes archiepiscopos & episcopos supradictos, prout in eis de archiepiscopis & episcopis cavetur expresse, ac personas sæculares quascumque, & ecclesiasticas etiam & religiosas ordinis cujuscumque, exemptas & non exemptas, infra civitates & diœcesim dictorum archiepiscoporum & episcoporum constitutas, post duos menses a tempore publicationis faciendæ in præfatis ecclesiis cathedralibus numerandos.

* f. ad earum obs.

CAPITVLA.

De officio ordinarii. Rubrica I.

IN vinea Domini sabaoth cultores immeriti positi, & custodes, sic in culturæ ac custodiæ nos debemus ministeriis exercere, ut ad eadem alios in partes solicitudinis evocatos sedulo studio excitemus. Extirpandis igitur vitiorum spinis & peccatorum tribulis, quæ superficiem ejus obumbrasse videntur, ac plantandis virtutum germinibus, in quibus Dominus delectatur, totis affectibus intendentes: monemus & hortamur omnes archiepiscopos, episcopos, & alios quoscumque jurisdictionem ecclesiasticam habentes & exercentes, eorumque vicarios, provisores, officiales, & alios ipsorum loca tenentes, quocumque nomine censeantur, ut circa correctionem clericorum conjugatorum & non conjugatorum, in quibuscumque ordinibus constitutorum, cujuscumque dignitatis, gradus, vel conditionis existant, qui crimina vel maleficia commiserint, diligenter observent canonica instituta. Et si crimina commissa fuerint capitalia, vel talia pro quibus ea perpetrans capitaliter puniendus: officialis, vicarius, provisor, aut quivis alius vicem gerens archiepiscopi, episcopi vel prælati, aut is ad quem ratione sui beneficii vel officii hoc spectat, vel ejus locum tenens, clericum conjugatum vel non conjugatum, ordinis, dignitatis, gradus vel conditionis cujuscumque, talia committentem absque correctione & castigatione debita non relaxent, absolvant, vel abire permittant, aut in castigando, corrigendo vel puniendo remissi aut negligentes existet. Alioquin malitiose deficientes in præmissis, si beneficiati fuerint, a perceptione fructuum & reddituum beneficiorum quæ obtinent, sint suspensi per annum, & per idem tempus efficiantur inhabiles ad quodcumque beneficium ecclesiasticum obtinendum. Si vero beneficiati non fuerint, per idem tempus ad obtinendum ecclesiasticum beneficium reddantur inhabiles ipso facto.

II. *De cohabitatione clericorum & mulierum.* Rubrica II.

Speciosus forma præ filiis hominum, & plenus gratia, fons virtutum, gloriosus sponsus ecclesiæ Iesus Christus, inter alia sanctitatis insignia, quibus sponsam ejus inclytam insignivit, gloriosam constituit castitatem, ut in illa, sine qua nullum opus bonum existit, sponsa ipsius & ministri ejus, eidem sponso virgini, nato de virgine, vitæ puritate fulgentes devotione supplici deservirent. Sed nonnulli clericorum & religiosorum, famæ suæ & salutis immemores, cum concubinis publice vitam ducunt enormiter dissolutam: super quo bonæ memoriæ Guillermus episcopus Sabinensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, in partibus Hispaniæ apostolicæ sedis legatus, cupiens salubriter providere, quamdam constitutionem provide edidit, quæ antiqui hostis procurante versutia usquequaque non extitit observata. Propter quod nos adversus hujusmodi vitium providere de salubri remedio cupientes, monemus omnes & singulos clericos & tam sæculares, quam regulares, beneficiatos & non beneficiatos, cujuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis vel conditionis existant, ne concubinas in domo propria aut aliena publice audeant detinere. Contrarium vero facientes sint inhabiles, dum sic, ut præfertur, tenuerint publice concubinas, & per duos menses sequentes postquam etiam easdem dimiserint realiter cũ effectu, ad quoscumque sacros ordines recipiendos, & quodcumque ecclesiasticum beneficium obtinendum, etiamsi beneficium patrimoniale, vel capellania fuerit temporalis: ut sic ordinum receptorum per idem tempus careant executione; & collatio beneficiorum eis facta infra dictum tempus, sit nulla, vacua, & irrita ipso jure, si ipsas concubinas tempore receptionis dictorum ordinum, aut collationis beneficii seu beneficiorum eis factæ, vel infra terminum duorum mensium antea tenuerint, ut præfertur. Volumus insuper, quod beneficiorum collatores, in litteris per eos concedendis super

Conc. apud Vallemoleti ann. 1322. c. 7.

ANNO CHRISTI 1388.

super collationibus ipsorum beneficiorum, etiam patrimonialium, teneantur apponere clausulam subsequentem, videlicet : Nostræ tamen intentionis existit, quod si tempore collationis per nos de hujusmodi beneficio vel beneficiis tibi factæ, aut infra terminum duorum mensium ante, publicus concubinarius fueris, præsens nostra collatio nullius sit roboris vel momenti. Si autem collator prædictam clausulam omiserit, volumus quod collatio beneficii vel beneficiorum, etiam non concubinario per eum facta, sit nulla & irrita ipso jure. Nihilo minus collator, etiam si archiepiscopus vel episcopus fuerit, qui hujusmodi clausulam, in litteris per eum cōcedendis super collatione alicujus beneficii seu beneficiorum, etiam non concubinario facta, non apposuerit, vel apponi fecerit in collatione per se facta, vel per alium vice sui, sit ipso facto ab ejusdem beneficii vel beneficiorum collatione suspensus, & ejusdem beneficii vel beneficiorum collatio ea vice ad superiorem proximum devolvatur. Adjicientes etiam, & insuper statuentes, prout Guillermus episcopus Sabinensis & legatus præfatus statuit : quod quicumque clerici aut religiosi, qui post duos menses a publicatione constitutionis hujusmodi in ecclesia cathedrali, de cujus diœcesi existunt, facienda numerandos, concubinam seu concubinas modo prædicto detinuerint, vel dimissam seu dimissas, aut aliam seu alias admiserint, si beneficiati existant, tertia parte fructuum omnium beneficiorum quæ pro illo tempore obtinent, ipso facto sint privati. Si vero per alios duos menses, prædictos duos immediate sequentes, in eodem crimine continuaverint vitam fœdam, alia tertia parte. Et si forsan Dei timore contempto, per alios duos menses, prædictos quatuor immediate sequentes, in peccato permanserint memorato, reliqua tertia parte fructuum dictorum beneficiorum omnino privati existant. Præcipientes eisdem, quod ad aliquā partem fructuum prædictorum, postquam ipsa vel ipsis, ut prædicitur, privati fuerint, manus temerarias aliquatenus non extendant. Et si forsan contrarium attentaverint, sub obtestatione extremi judicii prælatis eorum tam diœcesanis, quam aliis, districte præcipimus, quod ad restituendum quidquid de prædictis tertiis fructuum seu ipsorum aliqua, postquam modo prædicto privati existant, occupaverint, seu detinuerint vel assumpserint, per censuram ecclesiasticam & alia juris remedia ipsos compellere non omittant. Quod si forte prædicti clerici vel religiosi concubinarii, adhuc ad cor non redierint, sed nostrum contemnentes mandatum, se ostenderint tam execrandæ turpitudinis amatores : suis

A prælatis prædictis & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub animarum suarum periculo, districte præcipimus & mandamus, quod * infra quatuor menses post supradictos sex menses, continue numerandos, transgressores prædicti concubinas præfatas omnino non dimiserint, easdem vel alias ulterius non admissuri, eos beneficiis suis privent, ipsosque in limo peccatorum tam fixos, donec se correxerint, & postea per duos menses, inhabiles esse denuncient ad quoscumque superiores ordines recipiendos, & ad quæcumque beneficia

* f. si infra

B ecclesiastica obtinenda. Volumus etiam, quod si quis de prædictis, postquam beneficio seu beneficiis privatus fuerit, modo prædicto manus rapaces extenderit ad dictorum beneficiorum fructus, seu ad aliquam eorum partem, incurrit excommunicationis sententiam ipso facto, a qua non possit absolvi, nisi de sic occupatis restitutione integra, & beneficii seu beneficiorum quibus privatus fuerit, ut prædicitur, dimissione plenaria, prius factis. Insuper prædictæ ordi-

C nationi adjicimus, quod dicti concubinarii qui tempore mortis, vel per duos menses ante, publice, ut præmittitur, concubinas habuerint, sint intestabiles & bona eorum tam mobilia quam immobilia, etiam patrimonialia, & quæcumque alia, sint confiscata, postquam declaratum fuerit eos publicos concubinarios modo prædicto fuisse, & sic pœnam incurrisse prædictam : & tam ipsi quam ipsæ concubinæ careant ecclesiastica sepultura, nisi per duos menses ante mortem sine fraude ab invicem cum effectu fuerint separati. Quorum bona, etiam patrimonia-

D lia, & fructus beneficiorum prædictorum, in tres partes dividantur : quarum tertia pars fabricis ecclesiarum, in quibus beneficiati fuerint vel fuerit; alia vero tertia ordinario diœcesano, reliqua vero tertia pars pro captivis redimendis, qui ab infidelibus detinentur, applicetur, & applicatæ sint ipso facto, postquam declaratum hoc fuerit, ut præfertur. Quod si forte propter confiscationem & privationem prædictorum fructuum beneficiorum concubinariorum, ipsorum viventium ecclesias contigerit Divinis & aliis debitis obsequiis graviter defrau-

E dari : volumus quod dictos fructus vel partem eorum, prælatus ad quem spectat, Divinis officiis, ac aliis debitis servitiis dictarum ecclesiarum applicet, prout viderit expedire. Super quo prælatorum conscientiam oneramus. Quæ quidem tertia pars redemptioni prædictæ applicata, per fratres de Mercede & de Trinitate ordinum exigatur & levetur, & per ipsos in dicta redemptione captivorū fideliter dispensetur : de quibus, diœcesanis episcopis, de his quæ in ipsorū diœcesi, prædicta de causa recepe-

rint,

ANNO CHRISTI 1388

rint, teneantur reddere rationem. Quod si A in hujusmodi dispensatione vel administratione culpabiles reperti fuerint aut remissi, per eosdem diœcesanos autoritate nostra corrigantur, privilegiis non obstantibus quibuscumque: statuentes nihilo minus, quod prædicti ecclesiarum prælati pœnas præmissas diligenter exigant, & per duos viros idoneos, per eos in propriis diœcesibus deputandos, levari & recolligi faciant, distribuendas juxta modum & formam superius ordinatos. Volumus insuper & mandamus, quod prælati in civitatibus & diœcesibus suis testes deputent synodales, qui per B diœceses veritatem inquirant super omnibus supradictis, & ea quæ repererint, quam citius potuerint suis prælatis in synodis, quas annuatim propterea celebrari jubemus, vel ipsis in remotis agentibus, eorum vicariis, semel teneatur anno quolibet nunciare, ne iidem prælati excusationem prætendere seu ignorantiam aliquam valeant allegare.

De clericis coniugatis. Rubrica III.

Cum in jure statutum existat, quod clerici C conjugati, qui cum unicis & virginibus contraxerunt, si tonsuram & vestes deferant clericales, privilegium obtineant canonis ab Innocentio papa II. editi in favorem totius ordinis clericalis, & pro commissis ab eis excessibus vel dictis non possint a sæcularibus judicibus personaliter, aut etiam pecunialiter condemnari; & nonnulli ex prædictis clericis conjugatis, ut fide dignorum relatione percepimus, tonsuram aut vestes deferant honestati ordinis clericalis minime congruentes: ideo statuimus, D quod clericus conjugatus, qui gaudere voluerit privilegio supradicto, tonsuram seu clericam quantitatis inferius descriptæ deferat, vel majorem; & vestem superiorem non virgatam aut bipartitam, quæ tamen usque ad medietatem tibiæ, vel ultra, in longitudine protendatur. Tonsuræ autem formam, ad omne ambiguitatis tollendum dubium, hic fecimus circumscribi: quam in eadem mensura per singulos prælatos, seu eorum vicarios vel officiales, jubemus imprimi loco utique publico & patenti, in valuis ecclesiarum cathedralium & aliarum majo- E rum ecclesiarum locorum insignium diœcesum earumdem.



De rebus Ecclesiæ non alienandis. Rubrica IV.

Execrandæ alienationis abusum, quo prælati & aliæ personæ ecclesiasticæ, maxime in regnis & terris regi Castellæ subjectis existentes, administrationem ecclesiarum & rerum ecclesiasticarum habentes, loca, vassallos, grangias, & alias possessiones, decimas, primitias, redditus, proventus, & jura, & bona alia ad ecclesias, ordines, monasteria seu alia pia loca quibus præsunt, spectantia, personis sæcularibus sub colore & titulo commendæ, ut per eosdem ab aliorum oppressionibus defendantur, vel aliis confictis causis, propria autoritate subjiciunt, & tributaria reddunt in perpetuum vel ad tempus, cum sit in Dei offensam, & ecclesiarum, ordinum, monasteriorum & locorum prædictorum, grave damnum, introductum, ac sacris canonibus inimicum, abhorrentes & merito reprobantes, universos archiepiscopos, clericos, abbates, priores, & magistros ordinum militarium, commendatores, & quoscumque ecclesiarum & rerum ecclesiasticarum administratores, maxime in regnis & terris præscriptis existentes, cujuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existant, sub excommunicationis pœna monemus & hortamur, ut constitutiones in Lugdunensi & Viennensi conciliis super hoc editas, in commendis jam factis de rebus supradictis perspicue attendant, & diligenter observent: quas commendas super interminatione anathematis de cætero fieri prohibemus. Nos enim, si secus actum seu attentatum fuerit, id decernimus irritum & inane.

De Iudæis & Sarracenis. Rubrica V.

Etsi Christiana religio Iudæos & Sarracenos ex eo non debeat abjicere, quia nostri conditoris imaginem constat eos habere: quia tamen ex eorum frequenti communione

munione, experientia docente novimus, damna corporibus, & animabus fidelium pericula & scandala plurima provenisse: deliberatione provida statuimus, ut Iudæi & Sarraceni inter Christianos, vel Christiani inter Iudæos vel Sarracenos, domos, hospitia, seu alia receptacula in quibus habitent, nullatenus permittantur habere: sed in civitatibus & locis ubi certæ limitationes sunt, ejsdem Iudæis & Sarracenis deputatæ, reducantur ad eas, & infra ipsas constituant habitationes suas. Vbi vero Iudæi & Sarraceni prædicti ad habitandum non habuerint hujusmodi limitationes seu terminos deputatos, limitentur & assignentur ejsdem partes aliquæ in civitatibus & locis prædictis a Christianorum habitationibus separatæ, infra quas reducant se, nec extra prædictam limitationem permittantur quomodolibet commorari; nisi forte sint aliqui Iudæi & Sarraceni mercatores, vel alii quæcumque officia aut opera mechanica exercentes, seu merces vendentes, quos pro hujusmodi operibus exercendis & mercibus vendendis, in plateis vel in aliis locis publicis civitatum & locorum ubi existunt, permittimus habere operatoria, tentoria, tabularia seu boticas: dum tamen intra loca eis deputata, vel in posterum deputanda, domos seu habitationes principales cum filiis & uxoribus teneant, ad quas se de nocte reducant. Christiani autem, qui intra limitationem Iudæis vel Sarracenis assignatam vel assignandam habitare præsumpserint: si infra duos menses a die publicationis præsentium factæ in ecclesia cathedrali civitatis vel diœcesis ubi moram trahunt, se ad commorandum inter Christianos reducere non curaverint, ad id per censuram ecclesiasticam compellantur. Iudæis vero & Sarracenis, si infra dictum terminum duorum mensium ubi limitatio est facta, vel postquam dictæ limitationes de ordinatione & voluntate domini regis, vel cujuscumque alterius domini ecclesiastici vel temporalis civitatis vel loci, factæ fuerint, se ad easdem reducere noluerint vel neglexerint, Christianorum communio subtrahatur.

De ferijs per infideles colendis. Rubrica VI.

Cedit in opprobrium religionis Christianæ, quod Iudæi & Sarraceni inter Christicolas habitantes, diebus Dominicis & festivis mercimonia vendere, & artificia ac mechanica opera exercere publice non verentur. Cum autem hoc in Divinæ majestatis offensam non sit a Christi fidelibus aliquatenus tolerandum: ipsis Iudæis & Sarracenis, ne mercimonia vendere, aut qualitercumque artificia, seu opera mechanica exercere præsumant diebus Dominicis & festivis, qui per Christianos coluntur, districtius inhibemus, & ad id compelli per locorum ordinarios ac judices sæculares, sub quorum jurisdictione Iudæi & Sarraceni vivere dignoscuntur, per subtractionem communionis fidelium, & alias pœnas temporales, autoritate qua fungimur, præcipimus & mandamus. Quod si sæculares judices negligentes fuerint in præmissis, ad hoc per censuram ecclesiasticam compellantur.

De adulteris. Rubrica VII.

In paradiso voluptatis, ubi primum parentem creaverat creator omnium gloriosus, matrimoniũ hac lege instituit, ut sic vir per consensum legitimum feminæ jungeretur, quod duobus existentibus in carne una, aliam personam quæ unitatem divideret, superaddere non liceret. Hanc unitatem nonnulli conjugati, Dei timore postposito, deturbantes, sicut equus & mulus quibus non est intellectus, concubinis se commiscere in suarum animarum damnationem publice non verentur. Contra quos præfatus Guillermus episcopus Sabinensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis statuit & ordinavit, ut quicumque conjugatus concubinam publice detinere præsumeret, & insuper non conjugatus, qui concubinam infidelem præsumeret detinere, tam ipsi, quam ipsæ, eo ipso sententiam excommunicationis incurrerent. Nos vero dictam constitutionem innovantes, tam prædictos, quam conjugatos, qui cum adulteris publice commiscentur, & ipsos adulteros, prædictæ excommunicationis sententiæ decernimus subjacere. Volentes insuper, quod, nisi adulteri & alii suprascripti præfatas concubinas, vel conjugatæ dictos adulteros, per duos menses ante eorum vel earum obitum dimiserint, & se ab ejsdem sine fraude separaverint, etiamsi tempore obitus sui vel antea fuerint a dicta excommunicationis sententia absoluti, nihilo minus tam ipsi quam ipsæ careant ecclesiastica sepultura. Cap. 21.

Datum Palentiæ sub sigillo nostro pendenti, IV. Nonas Octobris, Indictione II. pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Clementis Divina providentia papæ VII. anno 10. & a nativitate Domini 1388. Istæ constitutiones fuerunt publice denunciatæ in ecclesia fratrum Minorum Palentinorum die 4. mensis Octobris, anno a nativitate Domini 1388. Indictione II. pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Clementis Divina providentia papæ VII. anno decimo, præsentibus rege, archiepiscopo Compostellano, Ovetensi, Legionensi, Calagurritano, Palentino & Zamorensi episcopis, & cleri & populi multitudine copiosa.

ANNO CHRISTI 1389.

VITA BONIFACII PAPÆ VIII. VVLGO IX.

BOnifacius hujus nominis juxta vulgi opinionem IX. Petrus antea vocatus, natione Neapolitanus, ex illustrissima Tomacellorum familia oriundus, communibus omnium suffragiis anno ætatis suæ 45. ut probabilius observavit Panvinius, quam Platina, ad pontificatum ascitus est IV. Nonas Novembris, anno 1389. tempore VVenceslai imperatoris. Omnem populi Romani gubernandi rationem soli papæ reservavit. Clemente antipapa mortuo, cardinales schismatici Petrum quemdam de Luna in ejus locum suffecerunt, & Benedicti XIII. nomen imposuerunt. Perusii inter nobiles & populum magna suborta est discordia, ad quam extinguendam pontifex eo se contulit: sed vel parum vel nihil effecit. Nam populus furore percitus, 80. plus minus nobiles crudeliter occidit. Hac injuria Bonifacius se læsum sentiens, Assisium concessit, & per legatos Galeatio duci persuasit, ut Mantuam obsidione solveret. Iubilei anno appropinquante, Romani suis precibus apud pontificem institerunt, ut ad Vrbem reverteretur. Quod ut facilius impetrarent, Banderesios destituerunt, eorumque loco Malatestam Pisauriensis domini filium senatorem delegerunt. Ad Vrbem pontifex reversus, arcem sancti Angeli munivit, mœniaque & turres restituit, & sic paulatim dominatu Vrbis potitus est. Annus Iubilei 1400. cum incredibili hominum affluentia celebratus est. Paulo ante Romam venerat presbyter quidam cum certo hominum numero, quos Blanchos vocabant: quem tamquam hæreticum exuri mandavit. Annatarum imponendarum primus autor fuit: ex quibus cum ærario ecclesiæ plurimum accesserit, bellique contra infideles suscipiendi expeditio promota fuerit, non citra temeritatem Theodoricus a Niem simoniæ avaritiæque crimina pontifici optimo impingit. In regnum paternum restituit Ladislaum, privatione qua Carolus exutus erat, plane annullata. Anno Domini 1405. ipsis Kalendis Octobris morbo calculi afflictus, ex hoc mundo migravit, ac in sancto Petro sepultus est, cum pontificatum 14. annis & 9. mensibus administrasset. Parentibus quos secum habebat, nimium indulgens, aliquantulam fortasse reprehensionem meruit.

ANNO CHRISTI 1391.

** CONCILIVM LONDINENSE

A VVillelmo de Courtenay Cantuariensi archiepiscopo cum suffraganeis celebratum anno Domini M. CCC. XCI.

Contra presbyteros stipendiarios.

Synodale extat VVillelmi archiepiscopi decretum tomo II. Anglicanæ collectionis: in hæc verba.

VVillielmus &c. Venerabili fratri nostro domino Roberto Dei gratia Londinensi episcopo, salutem &c.

CVm secundum legem Divinam, ex qua sanctorũ patrum manarunt postmodum instituta, non liceat alicui terminos transgredi alienos, nec in alterius messem mittere falcem suam: grave profecto censentur cõmittere culpã viri ecclesiastici, & præsertim in sacerdotali ordine constituti, qui Christi fidelium

A oblationes, cætera quoque emolumenta & commoda, ad rectores seu vicarios ecclesiarum, in quibus ad Divinorum celebrationem de ipsorum licentia sunt admissi, spectantia, absque eorundem conniventia auferre, & in usus proprios convertere non verentur: non attendentes, quod in rebus hujusmodi, nedum furti, sed & sacrilegii crimen contrahitur; ac inde proditori qui loculorũ Dominicorum fur extiterit, subtractores seu invasores rerum ecclesiasticarum merito comparantur.

Quapropter felicis recordationis dominus Robertus VVynchelsey, quondam Cantuariensis archiepiscopus, prædecessor noster, hanc avaritiæ pestem omni volens qua potuit vigilantia extirpare, in concilio suo provinciali deliberatione provida statuit & B matura: ne presbyteri stipendiarii, aut alii sacerdotes, propriis sumptibus, seu alias sustentati, in provincia nostra Cantuariensi Divina officia celebrantes, oblationes, portiones, obventiones denariorum, perquisita tricennalia seu aliquam certam quotam, præsertim oblationum pro corporibus mortuorum præsentibus, a rectoribus vel vicariis ecclesiarum in quibus celebraverint non obtenta licentia, acciperent ullo modo; nec in præjudicium rectorum vel vicariorum prædictorum, aut, eorum vicem gerentium, quomodolibet asportarent. Quodque presbyteri hujusmodi, aliquo die Dominico, vel alio festivali, postquam ad celebrationem Divinorum per eos ad quos pertinet fuerunt sic admissi, coram rectoribus, seu eorum vicem gerentibus, si vicarii ibi desint, alioquin C coram ipsis vicariis & locorum parochianis, intra Missarum solemnia, sacrosanctis Dei evangeliis inspectis, præstent publice juramentum, quod ecclesiis parochialibus, vel capellis, in quibus Divina celebrantur, eorumque rectoribus, seu vicariis, aut ipsorum loca tenentibus, seu aliis quorum interest, circa oblationes, portiones, obventiones denariorum, perquisita tricennalia, vel alia jura, quocumque nomine censeantur, nullum inferent præjudicium seu jacturam; immo, quatenus ad ipsos attinet, ecclesias & personas præfatas in præmissis singulis indemnes penitus conservabunt; quodque odia, scandala, rixas, aut contentiones inter rectores & parochianos D nullatenus suscitabunt, nec fovebunt aliqualiter suscitata, sed concordiam & amorem nutrient, quatenus attinet ad eosdem. Prohibuit insuper dictus noster prædecessor, & prohiberi voluit, & etiam interdici, ne presbyteri supradicti Divina præsumerent in ecclesiis hujusmodi celebrare, priusquam præstiterint sub forma hujusmodi juramentum, si rectores, seu vicarii, aut cæteri supradicti, voluerint & petierint sic jurari. Et si dicti capellani, coram judice competente, super violatione juramenti præmissi, per probationes legitimas, seu quia diffamati, & super hoc legitime evocati ad judicium, canonice nequiverint se purgare, fuerint convicti: statuit, quod inde penitus sint amoti, nec ad Divinorum celebrationem alicubi admittantur in provincia antedicta, quousq; E super crimine perjurii sic commissi, cum eisdem fuerit canonice dispensatum. Item quod non audiant confessiones aliquorum parochianorum ecclesiarum vel capellarum in quibus Divina celebraverint, nisi in casu licito & permisso: quodque Matutinis, magnis Missis, Vesperis, & aliis Divinis officiis, debitis horis, induti superpelliciis, de quibus sibi expensis propriis providebunt, cum cæteris earundem ecclesiarum clericis & ministris, in Divini cultus adjutorium & augmentum in ipsis debeant ecclesiis interesse: nec eis in navi ecclesiæ in qua admissi fuerint, ut præfertur, seu in cœmeterio, aut aliter in

campo,

ANNO CHRISTI 1391.

campo, liceat tunc vagari. Et si super his, per eos quos ecclesiis tunc præesse contigerit, commoniti fuerint & correpti, cervices suas contra ipsos propterea non erigant, nec tumidos se ostendant. Quodque correptiones hujusmodi occasione contra rectores, vicarios, seu vices gerentes hujusmodi, qui in insolentiis suis eis assistant, ipsosque foveant, nullatenus commovebunt: sed his omnibus supradictis se exhibebunt humiles, reverentiam debitam quoque impendent. Dicti vero presbyteri dictis Dominicis diebus & festivis, vel si corpus alicujus defuncti affuerit, demum post lectum majoris Missæ evangelium, Missas suas incipiant, & non prius: nisi de licentia rectoris, vel vicarii, aut alterius vices gerentis, specialiter præobtenta. Presbyteri quoque præfati rectoribus vel vicariis ecclesiarum vel capellarum ubi celebraverint, non detrahant: sed discant cum Psalmista ponere custodiam ori suo. Item quod tabernas, spectacula, aut alia loca inhonesta, seu ludos noxios & illicitos, non frequentent: sed more sacerdotali in habitu se habeant & in gestu, ne ipsorum ministerium, quod absit, vituperio, scandalo seu despectui habeatur. Rectores quidem & vicarii, seu loca gerentes prædicti, cum benignitate debita præfatum recipiant juramentum, ac præsentium retineant copiā sibi ipsis.

Nos vero attendentes statutum prædictum, quamvis proinde sancte & salubriter editum, per rectorum & vicariorum incuriam & desidiam in dissuetudinem abisse, velut antiquatum: statutum hujusmodi, quantum ad omnia & singula præmissa in eodem contenta, de consilio suffraganeorum nostrorum, ac cleri nostræ provinciæ Cantuariensis pariter & assensu, *in concilio nostro provinciali nuper London celebrato*, ex certa nostra scientia innovamus, ipsumque inviolabiliter futuris temporibus volumus, & in virtute obedientiæ præcipimus observari. Et ne quis ignorantiam prætendere valeat præmissorum, dictum statutum in singulis diœcesibus nostræ Cantuariensis provinciæ, per locorum diœcesanos, seu ipsorum autoritate & mandato, annis singulis saltem semel volumus publicari. Quocirca fraternitati vestræ committimus & mandamus, quatenus præmissa omnia & singula, per dictum prædecessorem nostrum in concilio suo provinciali pie statuta, ac per nos in nostro provinciali concilio, ut præmittitur, innovata, in vestris civitate & diœcesi publicetis, ipsaque per singulos nostros suffraganeos & confratres debite publicanda, autoritate nostra etiam demandetis: vosque vestros, singulique suffraganei nostri & confratres prædicti suos subditos quoscumque ad observationem omnium & singulorum præmissorum compellatis canonice, & compellant. Ad quæ facienda, vobis & dictis suffraganeis & confratribus nostris singulis, tenore præsentium committimus vices nostras, cum cujuslibet coertionis canonicæ potestate. De diebus vero receptis & exceptis præsentium cum clausula certificandi citra festum Purificationis B. Mariæ, &c.

Dat. in Manerio nostro de Croydon XXVIII. die mensis Aprilis, anno Domini MCCCXCI. & nostræ translationis anno decimo.

ANNO CHRISTI 1396.

** CONCILIVM LONDINENSE

A Thoma Arundelio Cantuariensi archiepiscopo cum suffraganeis celebratum adversus errores VVicleffi anno Dom. MCCCXCVI.

ANno MCCCXCVI. *ait Valsinghamus*, papa scripsit regi Angliæ, oravitque ut assisteret prælatis ecclesiæ in causa Dei, & ipsius regis & regni contra Lollardos [a] quos declaravit non solum proditores ecclesiæ, sed & ipsius regis: rogavitque obnixius, ut quos præsules declarassent hæreticos, condemnaret: *Huic Bonifacii mandato in Anglia obtemperatum est. Et in provinciali quidem Londinensi concilio damnatū esse VVicleffi Trialogum discimus, ex opusculo Guillelmi VVindefordi de ordine Minorum theologi, nondum typis edito, cujus hæc clausula est*: Finis tractatus magistri VVindefordi, de ordine Minorum, contra errores VVicleffi in Trialogo, qui damnatus est in concilio provinciali Londinensi sub domino Thoma Cantuariensi archiepiscopo, anno Domini MCCCXCVI. *Eo libello VVindefordus jussu Thomæ archiepiscopi octodecim Trialogi errores oppugnavit in Londinensi concilio damnatos: quos ex VVindefordi libro hic repræsentamus.*

[a] hoc est VVicleffistas.

Articuli excerpti ex Trialogo VVicleffi, & damnati in concilio Londinensi.

I. *Articulus damnatus.*

Manet panis substantiā post ejus consecrationem in altari, & non desinit esse panis.

II. *Articulus damnatus.*

Sicut Ioannes fuit figurative Elias, & non personaliter: sic panis figurative est corpus Christi, & absque omni ambiguitate hæc est figurativa locutio, hoc est corpus meum: sicut illa in verbis Christi; Ioannes ipse est Elias.

III. *Articulus damnatus.*

In capite, *Ego Berengarius*, curia Romana determinavit quod sacramentum Eucharistiæ est naturaliter verus panis, loquendo conformiter ut prius de pane materiali albo & rotundo.

IV. *Articulus damnatus.*

Definientes parvulos fidelium sine baptismo sacramentali decedentes non fore salvandos, in hoc sunt præsumptuosi & stolidi.

V. *Articulus condemnatus ut erroneus.*

Collatio sacramenti confirmationis non est episcopis reservata.

VI. *Articulus, ut erroneus condemnatus.*

Tempore Pauli sufficiebant ecclesiæ duo ordines clericorum, sacerdos & diaconus, nec fuit tempore Apostolorum distinctio Papæ, patriarcharum, episcoporum: sed sufficit quod sint presbyteri & diaconi secundum fidem scripturæ, quia superbia cæsarea alios gradus adinvenit.

VII. *Articulus condemnatus in universali suo intellectu.*

Antiqui qui ex cupiditate rerum temporalium, vel spe mutuorum juvaminum, aut ex causa excusandæ libidinis, licet de prole desperent, copulantur ad invicem, non vere matrimonialiter copulantur.

VIII. *Articulus condemnatus ut hæreticus in suo universali intellectu.*

Causæ divortii ratione consanguinitatis vel affinitatis sunt infundabiliter humanitus ordinatæ.

IX. *Articulus condemnatus ut erroneus.*

Hæc verba: Accipiam te in uxorem; eligibiliora

ANNO CHRISTI 1396.

liora sunt pro contractu matrimonii, quam hæc verba, accipio te in uxorem: & quod contrahendo cum una per hæc verba de futuro, accipiam, te in uxorem, & post cum alia per hæc verba de præsenti, accipio te in uxorem, non debent frustrari verba prima propter verba secundaria de præsenti.

X. *Articulus damnatus a concilio.*

Isti duodecim sunt procuratores Antichristi ac discipuli Antichristi, papa, cardinales, patriarchæ, archipræsules, episcopi, archidiaconi, officiales, & decani, monachi, & canonici bifurcati, pseudofratres introducti jam ultimo, & quæstores.

XI. *Articulus pro hæresi condemnatus.*

Numerorum 18. & Ezechielis 44. præcipitur simpliciter negative, quod nec sacerdotes Aaronitæ nec levitæ habeant partem hereditatis cum aliis tribubus, sed quod pure vivant de decimis & oblationibus

XII. *Articulus pro errore condemnatus.*

Non est major hæreticus vel Antichristus, quam clericus qui docet, quod licitum est sacerdotibus & levitis legis gratiæ, dotari cum possessionibus temporalibus: & si aliqui ex prævaricatione in lege Dei sunt hæretici, apostatæ, vel blasphemi, sunt illi clerici qui hæc docent.

XIII. *Articulus, ut hæreticus in suo universali intellectu condemnatus.*

Non solum domini temporales possunt auferre bona fortunæ ab ecclesia habitualiter delinquente: non solum eis hoc licet, sed debent hoc facere sub pœna damnationis æternæ.

XIV. *Articulus ut hæreticus condemnatus.*

Si corporalis unctio foret sacramentum, ut modo fingitur: Christus & ejus Apostoli, ipsius promulgationem non tacuissent

XV. *Articulus damnatus.*

Quicumque est humilior ecclesiæ servitor & in amore Christi quoad suam ecclesiam amabilior, ille tam in ecclesia militante major, & proximus Christi vicarius est.

XVI. *Articulus pro hæresi condemnatus.*

Ad verum dominium sæculare requiritur justitia dominantis sic, quod nullus in peccato mortali est dominus alicujus rei.

XVII. *Articulus pro hæresi condemnatus.*

Omnia quæ evenient absolute, necessario evenient.

XVIII. *Articulus pro hæresi condemnatus.*

Quidquid papa vel cardinales sui sciunt ex sacra scriptura deducere clare, illud duntaxat est credendum, vel ad sua monita faciendum: & quidquid ultra præsumpserint, sic tanquam hæreticum contemnendum.

ANNO CHRISTI 1399.

*** CONCILIVM CANTVARIENSE

A Capitulo Cantuariensi, exulante archiepiscopo, convocatum anno Dom. M. CCC. XCIX.

HVjus mentionem synodi facit Nicolaus Harpsfeldius in historia eccles. Ang. sæculo XV. cap. IX. Quam, *inquit*, synodum, prior & capitulum, ut appellant, Cantuariense, absente in exilio Thoma, indixerat. Ad quam Henricus rex, comites Northumbriæ & Vvestmerlandiæ misit, non ut pecuniam aliquam a clero, sed ut preces pro ipsius & regni salute postularet. Qui profitebantur, nolle regem in pecuniis tribuendis eos premere: nisi summa necessitas eas extorqueret: a quibus tamen postea solvendis nunquam cessatum est.

Contestabantur vero commemorati comites, nolle regem, cleri privilegia atque immunitates imminuere: & diligentem positurum operam, quo hæreses, quæ jam in immensum succreverant, excinderentur. Eadem & in comitiis regni, quæ tum habebantur, promisit: in quibus regem Arundellius obtestatus est, ut provisiones abrogaret, per quas fiebat, ut docti & pii viri in academiis, rerum victusque inopia premerentur, studiaque deserere cogerentur: cum opima interim beneficia indoctis & ambitiosis excrescerent. Pollicitus est rex, se eam rem ad curam suam revocaturum.

Questus est in hac synodo clerus, quod valde premeretur, tum a ministris regiis, tum a Romano pontifice. Et quæstor quidem pontificius venit ad synodum eam ob causam: voluitque ut clerus ea de re litteras ad summum pontificem mitteret.

Postulatum est inter alia, ut dies divo Georgio martyri sacer, celebris & festus per totam Angliam ageretur: utque cautio diligentior haberetur, ne bona pauperum hospitiorum temere atque inconsulte in pauperum fraudem profunderentur, ne episcopi causas, quæ sacerdotium & matrimonium respicerent, cuiquam nisi doctis & juris peritis crederent: ne ii qui in adulterium inciderent, quive gravius aliquod peccatum quodque publice notum esset, pecuniaria aliqua, sed corporea solum pœna coërcerentur.

Synodus quæ sequenti anno convenit, decimam cum dimidiata regi concessit. *Hactenus Harpsfeldius.*

ANNO CHRISTI 1400 1402 1404.

CONCILIA ANGLICANA

Annis MCCCC. MCCCCII. & aliis sequentibus habita.

EX *Harpsfeldij historia eccles. Anglic horum notitiam conciliorum habemus. Is sæculo xv. cap. ix.* Synodus, *inquit*, quæ sequenti anno (*nimirum MCCCC*) convenit, decimam cum dimidiata regi concessit. *Postularat nimirum Rex a clericis pecuniam, anno superiore, ut in concilio Cantuariensi paulo ante dictum est.*

Confluxit biennio post alia synodus Londini, & post alterum deinde biennium alia: in utraque, pecunia ob graves regis sumptus in seditiosis bello reprimendis contributa est, ad quam priore synodo postulandam, venere ad patres regis nomine, comes Somerseti & dominus Rosse qui erat a thesauris. Vetus hoc tempore cleri prærogativa ad ejus postulationem per regem renovata est, ne clerus apud regni tribunal raperetur, neve pro commeatu regiæ familiæ res suas vendere cogeretur.

In posteriore, mandato Thomæ de indicenda synodo perfunctus est Henricus Lincolniensis episcopus, quasi Cantuariensis ecclesiæ cancellarius: quod Londinensis sedes, cujus episcopus, ejusdem ecclesiæ est decanus, & VVintoniensis, cujus episcopus in eadem ecclesia subdecanus censetur, vacarent. In qua synodo cautum est, ut defuncto aliquo episcopo, exequiæ ejus per omnes cathedrales ecclesias celebrentur: quæ paulo post mortuo Rogerio Londinensi pro eo celebratæ sunt.

Sequens annus suam etiam synodum habuit, quæ pecuniarum etiam contributionem secum trahebat, ut & biennium quod insecutum est. Atque in ista posteriore synodo, Thomas Carliolensis episcopus, ex illis verbis, *Magister adest & vocat te*, ecclesiasten egit. Hanc synodum Henricus Bevvforde Vvintoniensis episcopus, cui se absente rerum summam Arundellius crediderat, Arundellio in regis legatione occupato, indixerat. Ioan. 11.

Post

Anno Christi 1400. 1402. 1404. Post biennium, duplex in annum omnem synodus A incurrebat, ut diximus. In priore, Ioannes cœnobii D. Augustini Cantuariæ monachus in illud thema, *Faciat unusquisque opus suum*: in posteriore Ioannes Botelius Franciscanorum generalis, in illud; *Vos vocati estis in uno corpore*: scite peroravit. Atque hæ synodi in deliberatione de schismate opprimendo potissimum consumptæ, qua de re ante diximus. Atque hæc quidem synodus, ut cæteræ fere omnes, per solius archiepiscopi litteras & mandatum congregata est: nonnumquam vero rogatus a rege & propter illius litteras, & publica regni negotia clerum ad synodum evocavit, ut triennio post, in qua Ioannes Langdon Cantuariensis monachus, ex illo themate; *Stellæ dederunt lumen*: concionem habuit: ut & alius B proxima proximi anni synodo, ejusdem cœnobii monachus Ioannes Godmershanus super illa verba; *Diligite lumen sapientiæ omnes qui præestis*. In priore tributum a clero postulatum est, sed nihil præstitum, quod clerus nimis se emunctum, & continuis contributionibus exhaustum quereretur. Sed in posteriore, decima a clero ad regis usus abrasa est, qui varias in hac synodo querimonias proposuit ob ecclesiæ libertates atque prærogativas in dies labefactatas. Postulatum est, ne cum quisquam ex clero proscribatur aliquam ob causam, decimæ, oblationes & bona ecclesiæ, ideo regis usibus cederent: petitum, ne cum vicarii propter vicariæ tenuitatem atque exilitatem; accessionem & incrementum, ubi rex ecclesiarum C aliquarum esset patronus, apud ecclesiasticum tribunal postularent, cognitio illa rescripto, ut fiebat, regio interpellaretur: postulatum, ne, cum fructus ecclesiarum, quarum patronus erat Rex, sequestrarentur, quod curæ parochiali idonee non prospiceretur; regis rescriptum ad ecclesiasticorum cognitionem perturbandam, decerneretur: postulatum, ne cœnobia e quibus exteri, quasi regni hostes ejecti essent, laïci usurparent, sed alii monachi ex Anglis sufficerentur: pecuniam interim dependit clerus, sed eorum postulationi satisfactum non reperio, sive id mors regis, quæ hoc anno insequuta est, sive alia aliunde objecta impedierint. *Hactenus Harpsfeldius*.

VITA INNOCENTII PAPÆ VII.

D

Anno Christi 1405. INnocentius VII. Sulmone, ut ait Theodoricus, in Apulia honestæ & mediocris fortunæ parentibus natus, bonarum litterarum, juris canonici, & Romanæ curiæ peritissimus, vir mitis, bonus & pacificus, doctorum summus amator & fautor, ex Bononiensi episcopo & cardinale sanctæ crucis in Ierusalem 16. Kalendas Novembris, anno Domini 1405. tempore Roberti imperatoris electus est pontifex sub ista conditione, ut pro necessitate componendi schismatis quovis tempore pontificatum resignaret. Nam ante electionem omnes cardinales, Gobelino & Theodorico attestantibus, coram pluribus notariis E & testibus solennibus compromiserunt, & compromissum servare juraverunt, quod ipsi singuli & communiter, & si quis eorum forte in papam eligeretur, vellet omnem diligentiam quam posset adhibere; quod unitas ecclesiæ reformaretur, etiam si opus esset ad hoc renunciare papatui, &c. dum tamen Petrus de Luna etiam suo papatu sponte cedere vellet. Stetit promissis pontifex optimus. Concilium generale ipsis Kalendis Novembris Romæ celebrandum indixit: sed Romanorum seditione per Gibellinos exorta, nemo vocatorum episcoporum ad Vrbem tuto accedere potuit. Cum enim, autore Gobelino, statim post electionem regimen Vrbis senatoribus ablatum restituisset, illi elatiores facti, ejusdem Vrbis temporale dominium resignari, omnesque munitiones sibi dedi postularunt, Ladislai Neapolitani regis subsidio impetrato, ad arma convolarunt. Pontifex rei novitate obstupefactus, cum nepote Viterbium confugit: unde post devictam autore Vrsino ejus militiæ duce Ladislaum, a populo revocatus Romam revertit, ibique aliquot cardinales, ex quibus tres pontifices postea delecti fuerunt, ordinavit: cumque nepotem suum agri Piceni & Anconensis marchionem, eumdemque Firmanum principem creasset, mortuus est, & in sancto Petro sepultus septimo die Novembris, anno Christi 1406. cum annos duos & dies viginti tres sedisset.

*** CONCILIVM PRAGENSE Anno Christi 1405.

A Sbinkone Pragensi archiepiscopo adversus schismaticos celebratum, anno Domini M. CCCC. V.

QVum in Bohemia multi ab Innocentio pontifice ad Petrū de Luna defecissent, ad Sbinkonē Pragensem archiepiscopū dedit litteras Innocentius, quibus jussit ut provinciale concilium adversus schimaticos cogeret. Quas litteras Romæ apud S. Petrum, VIII. Kal. Jul. datas edidit Raynaldus in annalibus.

VITA ET EPISTOLA GREGORII PAPÆ XII. Anno Christi 1406.

GRegorius XII. patria Venetus, Angelus Corrarius antea nominatus, postquam aliquamdiu patriarcha Aquileiensis fuisset, ex cardinale sancti Marci, pridie Kalendas Novembris, anno Christi 1406. ætatis suæ 80. conditione eadem qua prædecessor, electus est pontifex: nimirum ut vi juramenti ante electionem a singulis cardinalibus emissi pro ineunda unione & tollendo schismate, pontificatui renunciaret, modo antipapa Benedictus idem facere vellet. Cumque illud per litteras & legationem qua fungebatur Antonius de Butrio jurisconsultus ejus temporis celeberrimus, semel atque iterum frustra tentasset, animadversa antipapæ tergiversatione, unionem remissius quam par erat promovere cœpit, deditque in mandatis singulis cardinalibus ne Luca discederent, ullaque de causa ipsi inter se vel cum anticardinalibus convenirent. A qua sententia ipsi a pontifice male informato ad eumdem vel alium melius informandum appellantes, Pisano concilio indicto & congregato, Gregorium papam cum pseudopontifice Benedicto deposuerunt, anno Domini 1409. cum sedisset annos 2. & menses 8. minus quatuor diebus.

EPISTOLA GREGORII PAPÆ XII.

AD PETRVM DE LVNA PSEVDOPAPAM.

De unione.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Petro de Luna, quem non ullæ gentes in hoc miserabili schismate Benedictum XIII. appellant, pacis & unionis effectum.

QVi se humiliat, inquit Veritas, *exaltabitur*; & *qui se exaltat, humiliabitur*. Matth. 23. Cujus saluberrimam monitionem, quantum nobis ex alto permittitur, obedienter sectati, decrevimus per litteras nostras, omni contentione seposita, benigne te affari, & ad integrationē ecclesiæ cohortari; immo te invitare ad id consilium capessendum, quod nos ipsi pro pace ecclesiæ accepimus. Vides quanta mala, quanta pericula, quanta incommoda, quanta denique Chri-

 stianæ

A ſtianæ religionis infamia iam per triginta annos ex hac peſtilente ac veſana deditione in populum Dei pervenerunt, quantaque, niſi provideatur, ſint quotidie eventura horum omnium malorum, quæ cauſa ab initio fuerit certa videtur, quibus rigor juſtitiæ non ceſſit, nec forſan æquitas perſuaſit: nihilo minus tamen graves moleſtias Chriſtianam religionem perpeſſam non dubitatur. Si ergo nunc quoque eodem modo fiat, dubius eſt remedii locus, quo minus eccleſia in ſolitis remaneat anguſtiis, in qua & tu de teipſo & conſcientia tua videris: nos mentes & intentionem noſtram apertiſſime profitemur. Non eſt conſilii noſtri, tempus aliquo modo terere, ſed quo validiora, certiora & firmiora fuerint jura noſtra, tanto laudabilius ducimus ea pro pace & reintegratione Chriſtianorum relinquere: non enim de ſummo jure diſputandum eſt, ſæpe rigor ipſi utilitati & B tempori cedit. Nam ſi mater * illa & jure ſuo & proprio filio ſpoliari voluit, ne ſectionem unius pueri videret: quanto magis nos, ſi, malitia operante, ad optatam unionem venire non poſſumus, per juſtitiæ vias matri cedendum videtur? Quare exurgamus ambo in unum unionis affectum, concurramus, feramus ſalutem eccleſiæ jam hoc diuturno morbo afflictæ. Ad hoc te invitamus, paratique ſumus offerimus noſtro veriſſimo juri & papatui cedere & renunciare: & efficaciter faciemus, ſi & quando tu renunciaveris ac ceſſeris præſenti juri & papatui tuo, vel deceſſeris: dum tamen illi qui apud partem tuam pro cardinalibus ſe gerunt, ſic convenire & concordare cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus cum effectu voluerint, ut C exinde canonica unius Romani pontificis ſequatur electio, ita quod prædicta expeditiorem ſequatur effectum: celeriter mittemus oratores noſtros, qui tecum de loco habili & decenti ad hujuſmodi rei confectionem diſponant. Et inſuper pendente unionis hujuſmodi tractatu, non faciemus neque creabimus aliquem cardinalem, niſi forſan cauſa adæquandi numerum fratrum noſtrorum cum numero eorum qui apud te pro cardinalibus ſe gerunt, ut ſic pares ex utraque parte ad ſolemnem & canonicam electionem unici Romani pontificis devenire poſſint. Extra hanc autem coæquationis cauſam, nullum, ut dictum eſt, creare decrevimus: niſi ex defectu tuo vel partis tuæ ſteterit, quo minus unionis præfatæ concluſio infra annum & tres menſes, a die inthronizationis noſtræ D computandum, fuerit ſubſecuta. Hoc tamen, quod de non creando cardinali tractatu hujuſmodi pendente diximus, ita locum habere intendimus, ſi tu quoque idem obſervabis. Hanc vero * ablationem & inſinuationem de cardinalibus non creandis, ac ſuperiorem oblationem renunciationis modo prædicto, ut ſtrictiori vinculo fierent, juravimus, vovimus, & promiſimus ante electionem noſtram eodem vinculo effectualiter adimplendam cum ſingulis ex noſtris fratribus ante dictis, in caſu, quo aliquis noſtrum ad apicem ſummi apoſtolatus eſſet aſſumptus, poſt ipſam aſſumptionem ad ipſum & firmiorem inſtantiam denuo jurantes, voventes, promittentes atque ratificantes. De hoc autem, quod bulla ſine impreſſione noſtri nominis eſt appenſa, præſentium nullus debeat admirari: nam ante noſtræ coronationis inſignia, hujuſmodi imperfecta E bulla abſque ipſius impreſſione nominis habetur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, &c.

* *Corrupta Niemus, & ex eo Binius:* ſimiliter illa

* *f.* oblationem

EPISTOLA I.
BENEDICTI DICTI XIII.
PSEUDOPAPÆ
AD GREGORIUM XII.

Reſpondet ſuperiori.

Benedictus epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Angelo dicto Corario, quem nonnulli ſibi in pernicioſo ſchiſmate adhærentes Gregorium nominant, pacis & veræ unionis affectum pariter & effectum.

PEr quemdam converſum ordinis Prædicatorum tuas die 15. hujus menſis Ianuarii litteras recepimus, nonnulla per ea concepta circa tractatum unionis eccleſiæ ſanctæ Dei frequenti hactenus per nos repetitione tentatum, & ad optatum finem peccatis exigentibus non deductum, ſummarie continentes: quarum tenore perſpecto illi gratias egimus, qui ſua ineffabili clementia, quando venit temporis plenitudo, noſtræ humanitatis indumento contectus, in ſuæ nativitatis exordio diverſos in ſe parietes copulans jam cepit; & nunc virum nobis, a noſtræ promotionis ad apicem ſummi apoſtolatus initio pacem & unionem totis viribus & deſideriis quærentibus, talem invenire conceſſit, qui nobiſcum, ut tuæ litteræ proteſtantur, in hoc ſalutari propoſito Deo accepto, ſaluti animarum accommodo, mundo neceſſario, utili & votiuo noſtris affectibus, ſicut ſincera affectavimus & optamus intentione, concurrit. Multo etiam hactenus, ſicut te noſſe non ambigimus, quod duos prædeceſſores tuos immediatos in ſtatu quem aſſumpſiſti, per nos & noſtros ſudatum eſt, ut tam exitiale malum de medio Chriſtianitatis evulſum radicitus, de militantis eccleſiæ finibus pelleretur. Non enim nobis ſunt incognita damna, proh dolor, Chriſtiani populi, quæ jamdudum hæc execranda & deteſtanda diviſio protulit. Horum autem malorum qui cauſam dederunt ab initio, quæ ſchiſma prorogaverunt, ſed continuis ſucceſſibus neglecta juſtitia & veritate ſuppreſſa fuerunt, certum videtur his præſertim qui rei geſtæ veritatem noverunt, & qui præceſſerunt in hujuſmodi negotio, de hoc recto libramine ponderarunt. Sed quod referimus, diſplicentior his noſtris negotiis incaſſum malitia operante, deductis a prædeceſſoribus tuis ante dictis, quibus vias in inſtrumento contentas, & etiam alias rationabiles aperiri fecimus, & aperiendas recipere & proſequi obtulimus nos paratos, nec verbum aliquod effectivum reportavimus. O te felicem, ſi ad hoc te Dominus reſervavit, ſi facultatem ad ea, quæ tibi data videtur, cum omni diligentia efficaciter proſequens, nobis in effectu proſequendæ unionis te reddendo conformem ſpopondiſti. De contingentibus nil omittas, ad hoc te piis exhortationibus invitamus, ad hoc nos promptos reperies, hoc ſummopere cupimus, ad hoc noſtra aſpiravit & aſpirat intentio, noſter attendit affectus, ut eo dirigente qui voluit, & eo præſtante qui poteſt, per noſtræ humilitatis miniſterium unio in Dei eccleſia deſiderata ſequatur. Sed non permittit nos diſſimulare ſilentio, immo in ſtuporem vehementis aſpirationis inducit, quod tua ſcriptura interprete videris innuere, quod per juſtitiæ vias ad optatam unionem venire non potes: ut nobis quodammodo videatur impingi, quod viæ diſſenſionis * veritatis & juſtitiæ per nos recuſatæ fuerint, vel in aliquo impeditæ. Abſit hoc a nobis: nam, teſte Deo, numquam in

* *f.* defenſionis

* f. defensionis

in hoc viam justitiæ ac dissensionis* veritatis recusavimus aut impedivimus: immo, ut verum fateamur, eam obtulimus, optavimus & optamus, & erga prædictos prædecessores tuos, te teste, qui, ut percepimus, aliquando interfuisti, & erga alios, quos negotium tangebat, cum debita sollicitudine quæsivimus & prosecuti fuimus; nec per nos unquam stetit, stat, aut stabit, quo minus justitia & veritas hujusmodi, quantum ad nos pertinet, videatur & agnoscatur, sicut satis ex oblatis per nos tuis prædecessoribus ante dictis potest liquide apparere: tamen de jure nostro per scientiam & juris evidentiam sumus certi. Ut igitur de intentione nostra quam habuimus circa hujusmodi schismatis extirpationem & unionis assecutionem, te reddamus certiorem: tibi præsentium tenore significamus, quod, ut tam peroptatum unionis negotium celerius consequi valeat, & securius executioni demandari, parati sumus una cum collegio B venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, in loco securo & decenti ac idoneo, tecum, & cum quocumque successore tuo decedentibus, cum prædictis, qui apud partem tuam pro cardinalibus se gerunt, vel gerent, personaliter convenire pro unione ecclesiæ tractanda, & favente Domino obtinenda, ubique proviso & ordinato de his quæ pro securitate ac acceleratione unionis prædictæ erunt opportuna & necessaria disponenda, parati sumus pro salute animarum, ac unione & reintegratione Christianorum, in dicta conventione personaliter nostro verissimo juri & papatui, pure, libere & simpliciter cedere & renuntiare: & efficaciter faciemus, si tu ibidem consimiliter renunciabis & cedes C prætenso juri tuo & papatui, vel decedes, dummodo tu, vel quicumque successor tuus, & illi qui apud partem tuam pro cardinalibus se gerunt aut gerent, sicut præfertur, volueritis & voluerint cum effectu convenire & concordare nobiscũ, & cum venerabilibus fratribus nostris prædictis, quod exinde canonica unici Romani pontificis sequatur electio & unio ecclesiæ sanctæ Dei. Oratores autem tuos, quos, ut asseris, ad nostram præsentiam celeriter destinare proponis, libenter videbimus, benigne audiemus, & caritative tractabimus, eisque jam salvum conductum per dictum conversum destinavimus. Quod etiam de abstiD nendo a creatione cardinalium, nisi in certis casibus, intimasti, volumus & intendimus observare. Festina igitur, tolle moras, concurre nobiscum, & considerans humani operis brevitatem, tantum bonum non ultra differendo procrastines, sed celeriter vias salutis & pacis amplectaris, dum tandem in extremo judicio cum numerosa multitudine eorum qui nos in hac, quam præstolamur, unione sequentur, quam ad illius ovile, præstante Domino, reducemus, ipse pastor bonus, qui pro ovibus suis animam suam posuit, nos, ut de ejus misericordia speramus, in dilecta sua tabernacula introducat. Datum Massiliæ apud sanctum Victorem.

II. AD PAULUM LUCENSIUM DYNASTAM.

In Gregorium acriter invehitur.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Paulo domino Lucæ, salutem & apostolicam benedictionem.

PRopter nonnulla in quibusdam partibus innovata, quæ sensibus quasi palpantibus nobis innotescunt, considerato præsertim, quod cum Angelo dicto Corario, qui in hoc pernicioso schismate se facit

A appellari Gregorium, post varios & sæpe tentatos labores, non sine personarum jactura, aliquem effectum ad bonum finem ecclesiæ unitatis obtinere nequivimus, de venerabilium fratrum nostrorum consilio & frequenti eorum instantia pulsati, deliberavimus pro præsenti corporali præsentia deserere partes illas, & nos cum collegio nostro reponere in securo. Ut igitur scias ecclesiastica negotia qualiter remaneant pro præsenti, elicere poteris ex tenore litteræ quam scribimus dicto Angelo Corario sub hac forma.

Angelo Corario, qui in hoc pernicioso schismate se fecit nominari Gregorium, pacis & unionis affectum pariter & effectum.

Si te fateri veritatem non pigeat, præsertim cum B sit notorium, celare non poteris ea quæ tuis litteris intimando etiam promulgasti per orbem, ut ex utriusque cessione pax daretur ecclesiæ, & quod scriptis tuis per nos ad hoc cessionis viam offerendo dato responso, & de conventione in civitate Saonensi pro excusatione oblatorum hinc inde secuta concordia convenire in statutis terminis renuisti, & quibusdam interpositis per te excusationibus frivolis, post dilationes varias a te datas, post adventum nostrum ad hunc locum, ad quem nos traxerunt Christi caritas & fervor compassionis animarum, bona fide simpliciter incedentes, non absque nostri atque nostrorum fatigatione, & gravi personarum jactura, per plurium mensium intervalla cum Christianorum scandalo renuiC sti, cautelose per verba, &, quod referimus displicenter, denegatis multis, etiam nonnullis per te oblatis, quæ ad executionem concordatorum, ad unionem perficiendam, erant plurimum utilia & opportuna: de* uberiori tecum tractatu super hujusmodi unione prosequenda omnem spem tollendo, nuncios nostros, eisdem prorogationem salvi conductus & audientiam denegando, a tua præsentia vacuos remisisti. Hæc autem libenter silentio transiremus, nisi tua contumacia reciperet ex nostra taciturnitate fomentum. Postquam autem apud te passa est frequens nostra instantia repulsam, propter quædam in nonnullis partiD bus quibusdam instigantibus innovata, absque personali nostro & nostrorum periculo in his partibus moram trahere non valentes, cum apud te, ut clare cernitur, proficere non possumus, nolentes Deum tentare imminente periculo, ad aliquem locum, ubi nos cum nostro collegio valeamus hoc turbationis tempore reponere in securo, de fratrum nostrorum consilio, eorumque instantia pulsati, decrevimus declinare. Sed ne videamur, sicut nec intendimus, adversitate intercedente hujusmodi prosecutionem unionis dimittere neglectam: de dictorum fratrum consilio deliberavimus, nuncios nostros plena potestate fulcitos (qui, si velles ad cor reverti, possent ad efE fectum unionis & oblatorum procedere efficaciter in agendis) hic dimittere: impedientibus tamen ambassiatoribus carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Francorum illustrissimi in his partibus moram trahentibus, salvus conductus dictis nunciis necessarius non potuit obtineri. Quid autem super hac re simus ulterius, Deo auxiliante, facturi, intendimus universis Christi fidelibus breviter intimare. Tu vero, o homo, si scintilla compassionis animarum in te viget, quæ secundum Deum pro bono unionis agenda restant, cõsidera, & ad ea ad quæ obligaris ex debito, pro Dei misericordia te dispone, resecatis carnalibus desideriis, quæ contra animas militare non cessant. Nos enim ad oblata per nos semper promptos repe-

* al. ulteriori

ries, præteritos defectus tuos & contumaciam, si bene egeris, in memoria non tenentes. Deum enim in judicem & negotiorum notorietatem in testem invocamus, quod per nos non stetit, stat, aut stabit, quin vera unio inducatur. Id. Iunii, pontificatus nostri anno XIV.

ANNO CHRISTI 1408.

Ex libro constitutionũ provincialium ab archiepiscopis Cantuariensibus editarum, in quo longe est emẽdatius quã in recẽtiori conciliorũ Britannicorũ collectione.

** CONCILIVM OXONIENSE

A Thoma Arundellio Cantuariensi archiepiscopo, cum suffraganeis celebratum anno Dom. MCCCCVIII.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *Quod nullus secularis aut regularis ad prædicandum verbum Dei admittatur: nisi autorizatus.*
2. *Ne quisquam admittatur ad prædicandum, nisi autorizatus vel alio modo de jure admissus, de cujus admissione fiat fides.*
3. *Quod admissi ad prædicandum in forma supradicta, auditorio debeant se conformare.*
4. *Ne aliqui prætendant de sacramentis ecclesiæ aliter prædicare, quam per ecclesiam discussum reperiatur.*
5. *Quod nulli informatores permittant suos scholares in primitivis scientiis studentes, de fide catholica disputare.*
6. *Ne libellus aliquis compositus per magistrum Ioannem VVyclif, legatur in locis quibuscumque, nisi fuerit approbatus.*
7. *Ne textus aliquis sacræ scripturæ in linguam Anglicanam de cætero transferatur per viam libri aut tractatus.*
8. *Ne quis propositiones aliquas contra sanam doctrinam ecclesiæ, pertinaciter in scholis defendat.*
9. *Nullus disputare audeat de articulis per ecclesiam terminatis.*
10. *Nullus capellanus admittatur ad celebrandum in aliqua ecclesia Cantuar. provinciæ absque literis diœcesani commendatitiis.*
11. *Gardiani principales & præpositi universitatis Oxoniensis, semel in singulis mensibus, inquirant de moribus & doctrina suorum scholarium.*
12. *Pœna violantium pertinaciter in aliquo casu hanc ultimam constitutionem sive constitutiones præscriptas in aliqua sui parte, præter pœnas in eisdem positas.*
13. *Quod contra infamatum super crimine hæresis procedi poterit summarie & de plano, ipso citato in forma subscripta.*

PRÆFATIO.

THomas permissione Divina Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, & apostolicæ sedis legatus, universis & singulis venerabilibus fratribus coepiscopis & suffraganeis nostris, abbatibusque, prioribus, ecclesiarum cathedralium decanis, archidiaconis, præpositis & canonicis, ecclesiarum parochialium rectoribus, vicariis & capellanis, ac clericis & laicis quibuscumque per nostram Cantuariensem provinciam ubilibet constitutis, salutem, & doctrinæ sanctæ matris ecclesiæ firmiter inhærere. Reverendissimæ synodo injuriam fecisse dignoscitur, qui semel ibidem discussa atque diffinita revolvit, & cum quis de principali terreno judicio disputare præsumens, sacrilegii pœnæ subjicitur, prout civilis sapientiæ & legis humanæ manifeste tradit autoritas: multo magis qui præcepta legum & canonum ab æternæ vitæ & mortis clavigero, vicem non puri hominis, sed veri Dei gerente in terris, & cui ipse Deus cælestis imperii jura commisit, rite edita, canonice promulgata, ac etiam a sanctis patribus prædecessoribus nostris, usque ad gloriosam sanguinis effusionem, & cerebri voluntariam sparsionem firmiter observata, suæ innitentes prudentiæ temerarie violare præsumunt, ac eisdem doctrinis variis contraveniunt, ipsaque verbis & factis contemnunt, sunt pœna graviori plectendi, ac tanquam membra putrida a corpore militantis ecclesiæ celeriter abscindẽdi. Considerare enim debetent, quod in antiquo traditur testamento: *Moyses & Aaron in sacerdotibus ejus*, id est, primi inter eos fuerunt. (Psal. 98.) Ac in novo, inter apostolos discretio quædam fuit: & licet omnes essent apostoli, Petro tamen a Domino concessum est, & ipsi apostoli inter se voluerunt idipsum, ut reliquis omnibus præesset apostolis, & dictus Cephas, id est, caput, principatum apostolorum teneret, cui dictum est: *Tu aliquando conversus, confirma fratres tuos:* (Luc. 22.) quasi diceret, si dubium inter eosdem emerserit, ipsorumve aliquis in via fidei, justitiæ, morum, aut rectæ conversationis erraverit, tu ipsum confirmes in bono; quod profecto non dixisset Dominus, si alios sibi minime decrevisset obedire.

Scimus tamen, & (quod dolenter referimus) in dies experimur, quod antiquus sophista, Christiani nominis inimicus, præscius quod sana doctrina ecclesiæ, a sanctis patribus antiquitus terminata suis malitiis obviaret, si populum Dei in unitate fidei sub uno capite & ecclesia perservaret, ipsam doctrinam, mediis excogitatis nititur extirpare; vitia mentitur esse virtutes, & sic per mentita suffragia inter populum catholicum emittit discordias, ad effectum ut aliis sic, aliisque sic abeuntibus, ecclesiam malignantium sibi constituere poterit ab universali sancta matre ecclesia nequiter discrepantem; in qua ipse satanas in angelum lucis se transformans, prætensam stateram gestans in manu, summam æquitatem prætendit, dum sanctæ matris ecclesiæ doctrinam pristinam, observantiasque ejusdem a sanctis patribus terminatas & traditas, sub certis fictitiis suadeat fore perversas, & alia nova docenda, quæ secundum mendaciorum suorum fictitias majus inducant bonum, licet ipse in veritate bonum non velit, aut cogitet, sed ut schisma seminet, & opinionibus variis atque contrariis in ecclesia suscitatis, fides minuatur hinc inde, a paganis,

ANNO CHRISTI 1408.

nis, Iudæis, & aliis incredulis & perversis; & ut ex hujusmodi verborum certamine profanentur veneranda Divina mysteria. Sicque verificatur illa figura Apocalypsis 6. *Sedens in equo nigro stateram gestat in manu*: per quam intelliguntur hæretici, qui primo ad instar stateræ æqua & justa proponunt, ut audientium corda ad se alliciant; sed postea apparet equus niger, intentio videlicet in qua resident maledicta. Ipsi namque sub diversa facie & effigie justæ stateræ, cum cauda equi nigri, hæreses & errores spargentes repercutiunt venenosi, atque sub specie boni infinita scandala suscitant, & per electas ad malum personas ipsa in populo nequiter publicantes, tanquam mellis dulcedinem veneno ut sumatur libentius immiscentes, per subtilitates obliquas causant, ut error, veritas, nequitia, sanctitas, & Christi voluntas simulentur. Sed & ipsæ, proh dolor! personæ sic electæ, ante prædicant quam mittantur, & ante seminare præsumunt quam ipsum semen a palea discreto examine separetur: prohibitiones & decreta canonum, contra hujusmodi pestilentes seminatores provide promulgata, minime ponderantes, victimam, ut ita loquamur, diabolicam, sanctæ militantis ecclesiæ obedientiæ anteponunt.

Nos igitur considerantes, quod error cui non resistitur, approbari videtur, & nimis late pandit sinum, qui viperæ ibidem venenum conanti effundere non resistit: volentesque de pedibus nostris excutere pulverem, ac sanctæ matris ecclesiæ honori prospicere, unamque sanctam doctrinam in ecclesia Dei, & præsertim in nostra Cantuariensi provincia, quatenus nobis cum Deo possibile fuerit, seminare debere, ad augmentum fidei & cultus Divini, eradicatis primitus zizaniis; ac malis & scandalis, quæ ratione perversæ prædicationis & doctrinæ insanæ hucusque orta sunt, & plus verisimiliter oriri poterunt in futurum, via convenienti atque possibili obviare, & animarum periculis, quæ præmissorum prætextu novimus provenisse, providere celeriter, necnon & omnia removere obstacula per quæ hæc nostra provisio poterit impediri: de consilio & assensu omnium suffraganeorum nostrorum, & aliorum prælatorum in hac cleri convocatione præsentium, & procuratorum absentium, atque ad instantem petitionem procuratorum totius cleri nostræ Cantuariensis provinciæ, in uberiorem fortificationem juris communis in hac parte edicti, pœnas adjicientes condignas & infrascriptas, statuimus, decernimus, & ordinamus.

CAP. PRIMUM.

Quod nullus sæcularis aut regularis ad prædicandum verbum Dei admittatur: nisi autorizatus.

QUod nullus sæcularis aut regularis, ad prædicandum verbum Dei a jure scripto minime autorizatus, privilegiove speciali munitus, officium sive exercitium prædicationis ejusdem verbi Dei in se assumat, populove aut clero quovis modo prædicet, in Latino sermone seu vulgari, in ecclesia aut extra: nisi primo diœcesano illius loci, in quo sic prædicare intitur, se præsentet, & examinationem subeat, sicque deinde tam moribus quam scientia repertus idoneus, per ipsum diœcesanum ad prædicandum mittatur ad aliquam certam parochiam, vel ad plures, prout eidem ordinario secundum qualitatem personæ videatur expediens: nec etiam aliquis præmissorum prædicare præsumat, nisi de missione seu autorizatione sua primo fiat fides in forma competenti; ita videlicet, quod ille qui de jure scripto autorizatus est, veniat in forma limitata in eo; & qui de privilegio speciali venire se asserunt, privilegium ipsum rectori, aut vicario loci ubi prædicant, realiter exhibeant; qui vero per locorum diœcesanos se missos fore prætendunt, ipsius diœcesani litteras sub sigillo suo magno ad hoc sibi confectas similiter ostendant. Curatum vero perpetuum, admissum intelligimus a jure ad locum & populum curæ suæ. Si tamen præmissorum quisquam propter errores aut hæreses, quos ante forsan prædicasse, asseruisse, aut docuisse prætenditur, per loci diœcesanum aliumve superiorem a prædicatione hujusmodi suspensus fuerit sive prohibitus: ex tunc de prædicando alicui in nostra provincia antedicta se nullatenus intromittat, donec ad ipsius suspendentis sive prohibentis justum arbitrium, defectum suum purgaverit, & ad prædicandum legitime fuerit restitutus: super quo, litteras testimoniales ipsius restituentis, ad locum quemcumque in quo postea prædicabit, secum deferre, & modo suprad cto exhibere realiter teneatur. Sacerdotes vero parochiales, sive vicarii temporales, & non perpetui, in forma supradicta non missi, in ecclesiis illis in quibus officia hujusmodi gerunt, illa sola simpliciter prædicent, una cum precibus consuetis, quæ in constitutione provinciali a bonæ memoriæ Ioanne prædecessore nostro bene & sancte in suppletionem ignorantiæ sacerdotum edita, quæ incipit, *Ignorantia sacerdotum*, continentur expresse: quam in singulis ecclesiis parochialibus nostræ Cantuariensis provinciæ, infra tres menses post publicationem præsentium haberi volumus; &, prout ipsa postulat, annis & temporibus singulis per ipsos sacerdotes effectualiter declarari. Et ne hoc salubre statutum, ratione exactionis pecuniæ, difficultatisve alterius, tendere videatur ad noxam: volumus & ordinamus, quod examinatio personarum, de qua superius fit mentio, ac litteræ diœcesani faciendæ eisdem, sine aliquali exactione pecuniæ, per ipsos quorum interest, & ad quos spectare & pertinere dignoscitur, celeriter expediantur, & gratis, difficultate quacumque semota. Si quis autem hoc nostrum antiqui juris executivum statutum, post publicationem ejusdem, scienter violare præsumpserit, contra formam in eodem descriptam, sua temeritate propria prædicando: sententiam excommunicationis majoris incurrat ipso facto, cujus absolutionem nobis & successoribus nostris tenore præsentium specialiter reservamus. Quod si hujusmodi prædicator, hoc salubri statuto contempto, ipsamque

majoris

Anno Christi 1388.

majoris excommunicationis sententiã minime ponderans, se secundo ingesserit, prædicando, dicendo, asserendo, pertinaciterve verbo aut facto innuendo, nõ posse per ecclesiam in personis prælatorum ejusdem sic statui: sententia excommunicationis prædicta per superiores locorum aggravetur debite contra eos, & inhibeatur eisdem omnis communio Christi fidelium, ac super hoc legitime convicti, nisi resipiscant, & abjuraverint in forma ecclesiæ consueta, per loci ordinarium pro hæreticis declarentur, & extunc pro hæreticis & schismaticis ab omnibus reputentur, ad omnem juris effectum, hæresisque & schismatis pœnas in jure expressas incurrant ipso facto: Et præsertim ut bona eorundem ipso jure censeantur confiscata, & ab illis quorum interest, occupentur; ipsorumque fautores, receptatores, & defensores, si per superiores suos in hac parte legitime moniti non destiterint infra mensem, super hoc convicti, simili in omnibus pœna percellantur.

II. *Ne quisquam admittatur ad prædicandum, nisi autorizatus vel alio modo de jure admissus, de cujus admissione fiat fides.*

Præterea nullus clerus aut populus cujuscunque parochiæ aut loci nostræ Cantuariensis provinciæ, aliquem in ecclesiis, cœmeteriis, aut locis aliis quibuscumque ad prædicandum admittat, nisi prius de auctorizatione, privilegio, aut missione ejusdem, juxta formam supradictam fuerit facta fides: alioquin ecclesia, cœmeterium, seu locus quicunque in quo sic prædicatum fuerit, ipso facto, ecclesiastico subjaceat interdicto, sicque maneat interdictus, quousque ipsi sic admittentes seu prædicari permittentes, se congrue emendaverint, & per loci diœcesanũ seu alium superiorem, ipsum interdictum obtineant in debita juris forma relaxari.

III. *Quod admissi ad prædicandum in forma supradicta, auditorio debeant se conformare.*

Insuper sicut bonus paterfamilias triticum spargit in terram ad hoc dispositam, ut fructum plus afferat; volumus & mandamus, ut prædicator verbi Dei veniens juxta formam superius annotatam, in prædicando clero sive populo, secundum materiam subjectam se honeste habeat, spargendo semen secundum convenientiam subjecti auditorii, clero præsertim prædicans de vitiis pullulantibus inter eos; & laicis, de peccatis inter eos communiter usitatis, & non e contra; alioquin sic prædicans, secundum qualitatem delicti per loci ordinarium canonice & acriter puniatur.

IV. *Ne aliqui prætendant de sacramentis ecclesiæ aliter prædicare, quam per ecclesiam discussum reperiatur.*

Item quia turpis est pars quæ non convenit suo toti, decernimus & ordinamus, ut nullus hujusmodi prædicator, aut alia quævis persona, de sacramento Altaris, matrimonio, peccatorum confessione, aliove quocumque sacramento ecclesiæ, seu fidei articulo, aliter doceat, prædicet, aut observet, quam quod per sanctam matrem ecclesiam reperitur discussum, nec vertat in dubium quod per ecclesiam terminatum fuerit aut decisum, nec verba scandalosa circa eadem scienter proferat publice vel occulte, neque sectam aut speciem hæresis quamcunque prædicet, doceat vel observet, contra sanam ecclesiæ doctrinam. Qui autem contrarium post publicationem præsentium scienter & pertinaciter attentare præsumpserit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat: a qua, excepto mortis articulo, minime absolvatur, nisi abjuratione præmissa de hæresi generaliter vel simpliciter, in forma ecclesiæ consueta, ad arbitrium ordinarii in cujus territorio convincitur deliquisse, se correxerit, & de ac pro commissis pœnitentiam recipiat salutarem. Quod si secundo se ingesserit, recidivaverit, seu relapsus fuerit, convictus legitime, pro hæretico & relapso sententialiter declaretur, & ipsius bona pro confiscatis habeantur, & ab illis quorum interest occupentur. Pœnitentiam vero de qua superius fit mentio, volumus esse talem, quod, si ejus contrarium determinatis per ecclesiam, videlicet in decretis, decretalibus, seu constitutionibus nostris provincialibus, quamcunqueve hæresis speciem sive sectam publice vel occulte docuerit, prædicaverit, sive asseruerit, in ecclesia parochia ipsius loci in quo sic prædicaverit, asseruerit, sive docuerit; uno die Dominico aut alio solenni, pluribusve, ad ipsius ordinarii arbitrium, prout magis aut minus convincitur deliquisse, ipsa sic prædicata, docta sive affirmata revocabit expresse infra Missarum solemnia, cum major populi affuerit multitudo, & ipsa determinata per ecclesiam, prædicabit, docebit, & recitabit effectualiter sine fraude, ulteriusque punietur juxta sui demeriti qualitatem, quatenus discretioni ordinarii videbitur expedire.

Anno Christi 1388.

V. *Quod nulli informatores permittant suos scholares, in primitivis scientiis studentes, de fide catholica disputare.*

Similiter quia id quod capit nova testa, inveterata sapit, statuimus & ordinamus, quod magistri sive docentes in artibus aut grammatica pueros, seu alios quoscumque in primitivis scientiis instruentes, de fide catholica, sacramento altaris, seu aliis sacramentis ecclesiæ, aut materia aliqua theologica, contra determinata per ecclesiam, se nullatenus intromittant instruendo eosdem; nec de expositione sacræ scripturæ, nisi in exponendo textum prout antiquitus fieri consuevit; nec permittant scholares suos sive discipulos de fide catholica seu sacramentis ecclesiæ publice disputare etiam vel occulte: Contrarium autem faciens, ut fautor errorum & schismatum, per loci ordinarium graviter puniatur.

VI. *Ne libellus aliquis compositus per magistrum Ioannem VVyclif, legatur in locis quibuscumque, nisi fuerit approbatus.*

Quia insuper nova via frequentius seducit quam antiqua: volumus & mandamus, quod nullus libellus sive tractatus per Ioannem VVycliff, aut alium quemcunque tempore suo aut citra noviter compositus sive imposterum componendus, amodo legatur in scholis, aulis, hospitiis, seu aliis locis quibuscumque infra nostram provinciam antedictam, sive secundum ipsum doceatur, nisi per universitatem Oxonii aut Cantabrigiæ, seu saltem duodecim personas ex eisdem, quas eædem universitates aut altera earundem, sub nostra, successorumve nostrorum discretione laudabili duxerint eligendas, primitus examinetur, & examinatus unanimiter per eosdem, deinde per nos seu successores nostros expresse approbetur, & universitatis nomine ac autoritate stationariis tradatur ut copietur, & facta collatione fideli, petentibus vendatur justo pretio sive detur, originali in cista aliqua universitatis extunc perpetuo remanente. Quod si quis libellum vel tractatum hujusmodi

jusmodi in scholis vel alibi, ut supra, legerit, sive secundum ipsum docuerit contra formam supradictam, ut seminator schismatis atque fautor hæresis puniatur, prout delicti qualitas flagitabit.

VII. *Ne textus aliquis sacræ scripturæ in linguam Anglicanam de cætero transferatur per viam libri aut tractatus.*

Periculosa quoque res est, testante beato Hieronymo, textum sacræ Scripturæ de uno in aliud idioma transferre: eo quod in ipsis translationibus non de facili idem in omnibus sensus retinetur, prout idem beatus Hieronymus, etsi inspiratus fuisset, se in hoc sæpius fatetur errasse. Statuimus igitur & ordinamus, ut nemo deinceps aliquem textum sacræ Scripturæ, autoritate sua, in linguam Anglicanam vel aliam transferat, per viam libri, libelli, aut tractatus, nec legatur aliquis hujusmodi liber, libellus, aut tractatus, jam noviter tempore dicti Ioannis VVyclif, sive citra, compositus, aut imposterum componendus, in parte vel in toto, publice vel occulte, sub majoris excommunicationis pœna, quousque per loci diœcesanum, seu, si res exegerit, per concilium provinciale, ipsa translatio fuerit approbata. Qui contra fecerit, ut fautor hæresis & erroris similiter puniatur.

VIII. *Ne quis propositiones aliquas contra sanam doctrinam ecclesiæ pertinaciter in scholis defendat.*

Præterea cum terminis philosophicis, sive alias humanitus adinventis, concludi non poterit omnium terminator; beatusque Augustinus veras conclusiones, quia religiosorum aurium fuerant offensivæ, sæpius revocavit; statuimus, & sub obtestatione Divini judicii specialissime inhibemus, ne quis, cujuscumque gradus, status, aut conditionis existat, conclusiones aut propositiones in fide catholica seu bonis moribus adverse sonantes, præter necessariam doctrinam facultatis suæ, in scholis aut extra disputando aut communicando, protestatione præmissa vel non præmissa, asserat vel proponat, etiamsi quadam verborum aut terminorum curiositate defendi possint. Nam teste beato Hugone, de sacramentis, sæpius quod bene dicitur, non bene intelligitur. Si quis autem post publicationem præsentium, hujusmodi conclusiones aut propositiones convictus fuerit scienter proposuisse sive asseruisse, nisi monitus se correxerit infra mensem, autoritate præsentis constitutionis, sententiam majoris excommunicationis incurrat ipso facto, & pro excommunicato publice nuncietur, donec in loco ubi sic proposuit aut asseruit, suum delictum publice fateatur, & verum catholicum intellectum ejusdem conclusionis sive propositionis, ad arbitrium ordinarii publice prædicaverit, in una ecclesia aut diversis, prout ipsi ordinario expedire videbitur.

IX. *Nullus disputare audeat de articulis per ecclesiam terminatis.*

Nullus quoque de articulis terminatis per ecclesiam, prout in decretis, decretalibus, constitutionibus nostris provincialibus, sive locorum synodalibus, continetur, nisi ad habendum verum intellectum eorundem, & hoc expresse, publice, aut occulte, disputare præsumat, aut autoritatem eorundem decretorum, decretalium, aut constitutionum, potestatemve condentis eadem in dubium revocet, sive contra determinationem eorundem doceat, & præsertim circa adorationem crucis gloriosæ, imaginum Sanctorum venerationes, seu peregrinationes ad loca, aut reliquias eorundem, aut contra juramenta in utroque foro, ecclesiastico videlicet & temporali, in casibus

A consuetis & more solito præstanda, sed ab omnibus deinceps communiter doceatur, atque prædicetur, crucem & imaginem crucifixi, cæterasque imagines sanctorum, in ipsorum honorem & memoriam quos figurant, ac ipsorum loca & reliquias, processionibus, genuflexionibus, inclinationibus, thurificationibus, deosculationibus, oblationibus, luminarium accensionibus, & peregrinationibus, necnon aliis quibuscumque modis & formis, quibus nostris & prædecessorum nostrorum temporibus fieri consuevit, venerari debere; atque juramenta tactis sacrosanctis Dei evangeliis, & super ipsis in casibus in jure expressis, & in utroque foro usitatis, ab omnibus quorum interest legitime fore præstanda. Contrarium autem

B asserens, docens, prædicans, aut pertinaciter innuens, nisi resipiscat sub modo & forma prædictis, & abjuret ut supradictum est, pœnas hæresis & relapsi in eventum incurrat, & pro tali ad omnem juris effectum sententialiter declaretur.

X. *Nullus capellanus admittatur ad celebrandum in aliqua ecclesia Cantuar. provinciæ absque litteris diœcesani commendatitiis.*

Statuimus etiam & decernimus, ut nullus capellanus admittatur ad celebrandum in aliqua diœcesi nostræ Cantuariensis provinciæ, in qua oriundus sive ordinatus non fuerit, nisi deferat secum litteras ordinũ suorum, atque litteras commendatitias diœcesani sui, & nihilo minus aliorum episcoporum in quorum diœ-

C cesi interim per magnum tempus conversatus fuerit; in quibus expresse caveri volumus & mandamus de moribus & conversatione ejusdem, & an sit diffamatus de & super aliquibus novis opinionibus in fide catholica aut bonis moribus male sapientibus, vel sit de eisdem omnino immunis. Alioquin tam ipse celebrans, quam ipsum sic celebrare permittentes, ad arbitrium ordinarii acriter puniantur.

XI. *Gardiani principales & præpositi universitatis Oxoniensis; semel in singulis mensibus inquirant de moribus & doctrina suorum scholarium.*

Finaliter quia ipsa quæ de novo & insolite emergunt, novo & maturo indigent auxilio; & ubi magis est periculum, ibi cautius est providendum & fortius

D resistendum; nec injuste minus nobile discrete abscinditur, ut quod nobilius est perfectius nutriatur: considerantes igitur, sed dolenter referentes, quomodo alma universitas Oxonij, quæ sicut vitis abũdans suos palmites fructuosos, ad honorem Dei, multiplicemq; profectum, & protectionem ecclesiæ suæ, cõsuevit extendere, jã partim versa in labruscas, uvas acerbas gignit, quibus indiscrete comestis a patribus, in lege videlicet Dei reputantibus se peritos, dentes obstupescunt filiorum, nostraque provincia variis & infructuosis doctrinis inficitur, ac novo & damnabili Lollardiæ nomine maculatur, in ipsius universitatis scandalum non modicum, ad partes exteras & remotas extensum, & proficientium in

E eadem permaximum tædium; necnon & ecclesiæ Anglicanæ, quæ per virtuosam doctrinam ejusdem, tanquam muro inexpugnabili defendi solebat, jam scissis & divisis lapidibus, nisi celerius occurratur, secundum verisimile, irrecuperabile damnum. Ad supplicationem igitur procuratorum totius cleri nostræ Cantuariensis provinciæ, consensuque & assensu omnium confratrum & suffraganeorum nostrorum, ac aliorum prælatorum in hac convocatione præsentium, & procuratorum insuper absentium: ne purgato rivulo maneat fons infectus, & aquam ab eo currentem non sinat esse claram; volentes honori & utilitati sanctæ matris ecclesiæ & universitatis prædictæ salubriter providere: statuimus & ordi-

Anno Christi 1408.

ordinamus, quod quilibet gardianus, præpositus, sive custos collegii, aut principalis aulę vel introitus cujuscunque universitatis præfatæ, semel singulis mẽsibus ad minus inquirat diligenter in collegio, aula, sive introitu cui præest, an aliquis scholaris, sive inhabitans in collegio, aula, sive introitu hujusmodi, aliquam conclusionem, sive propositionem, aut opinionem in fide catholica aut bonis moribus male sonantem, aut contra determinationem ecclesiæ, præter necessariam doctrinam facultatis suæ, asseruerit, tenuerit, defensaverit, seu aliquo modo proposuerit; & si aliquem super hoc suspectum aut diffamatum reperiat, ipsum moneat effectualiter ut desistat: & si post hoc, contra monitionem hujusmodi, iterato eadem vel consimilia reassumat, præter pœnas supradictas, majoris excommunicationis sententiam incurrat ipso facto. Et nihilo minus si scholaris fuerit qui sic reassumit, quidquid ex tunc in eadem universitate fecerit, non stet sibi pro forma: & si doctor, magister, aut baccalarius fuerit, eo ipso ab omni actu scholastico sit suspensus; & in utroque casu jus quod habet in eodem collegio, aula, sive introitu, amittat ipso facto; & per ipsos gardianos, custodes, præpositos, principales, seu alios ad quos hoc spectat, realiter expellatur, & statim via legitima substituatur catholicus loco suo. Et si ipsi gardiani, præpositi, seu custodes collegiorum, aut principales aularum sive introituum in quibus degunt hujusmodi personæ suspectæ, detectæ, aut diffamatæ, negligentes fuerint circa inquisitiones aut executiones prædictas, per decem dies continuos, à tempore notitiæ veræ vel præsumptæ publicationis præsentium, eo ipso sententiam majoris excommunicationis incurrant, & nihilo minus omni jure, quod in ipsis collegiis, aulis, sive introitibus se habere prætendunt, ipso facto sint privati; & ipsa collegia, aulæ, sive introitus effectualiter vacent; & facta super hoc legitima declaratione per ipsos quorum interest, novi substituantur gardiani, custodes, præpositi sive principales, prout secundum antiquum morem universitatis prædictæ, vacantibus collegiis, aulis, sive introitibus, fieri consuevit. Quod si ipsi custodes, præpositi, gardiani sive principales prædicti, de & super hujusmodi conclusionibus aut propositionibus diffamati, suspecti fuerint aut detecti, seu defensores, protectores aut fautores eorundem; si per nos vel autoritate nostra, per ordinarium ve loci, aut autoritate sua moniti non desistant, ex tunc omni privilegio scholastico universitatis prædictæ, & jure quod sibi competebat in hujusmodi collegio, aula, sive introitu, præter alias pœnas de quibus supradictum est, ipso jure priventur, & sententiam insuper majoris excommunicationis prædictam incurrant.

XII. *Pœna violantium pertinaciter in aliquo casu hanc ultimam constitutionem sive constitutiones præscriptas, in aliqua sui parte, præter pœnas in eisdem positas.*

Quod si quis in aliquo casu præsentis ultimæ constitutionis, aliove quocunque superius expressato, statuta nostra hujusmodi in aliqua sui parte, etiamsi pœna alia expresse ibidem limitetur, temere & pertinaciter violare præsumpserit; eo ipso, ad quodcunque beneficium ecclesiasticum in nostra Cantuariensi provincia obtinendum, per triennium ex tunc absque spe veniæ reddatur inhabilis & omnino indignus; & nihilo minus juxta singula sua demerita & qualitatem excessus, secundum sui superioris discretionem canonice puniatur.

Anno Christi 1408.

XIII. *Quod contra infamatum super crimine hæresis procedi poterit summarie & de plano, ipso citato in forma subscripta.*

Ad hæc, ne in modo procedendi circa præmissa vagari videatur sub incerto, advertentes quod licet inter crimen hæresis & læsæ majestatis in legibus diversis quædam paritas reputetur, est tamen dissimilis culpa, pœnamque exigit graviorem, Divinam quàm humanam offendere majestatem. Cum ergo reum læsæ majestatis propter pericula quæ ex dilatione poterunt imminere, sufficit convincere per judicia, procedique poterit contra eum, summarie & de plano, ac citatione præmissa per nuncium, per literas, sive per edictum, & lite non contestata, ad testium receptionem & diffinitivam sententiam: Volumus, ordinamus, & declaramus, ob faciliorem punitionem delinquentium in præmissis, & reformationem scissuræ ecclesiæ ex hoc læsæ, quod diffamati, detecti, sive denunciati, sive vehementer suspecti in aliquo casuum prædictorum, sive alio articulo quocunque in fide catholica aut bonis moribus male sonante, autoritate loci ordinarii, alteriusve superioris citentur personaliter, si apprehendi potuerint, per literas sive per nuncium publicum juratum; sin autem, per edictum, ad locum habitationis ipsius delinquentis ubi morari communiter consuevit, & in ecclesia sua parochiali, si certum habuerit domicilium, publice propositum, alioquin in ecclesia cathedrali loci originis sui, & in ecclesia parochiali ipsius loci, in quo sic prædicaverit, & docuerit: ac recepto certificatorio legitimo de citatione hujusmodi executa, contra sic citatum etiam absentem & comparere negligentem, in pœnam contumaciæ suæ hujusmodi, summarie & de plano, absque strepitu & figura judicij, ac lite non contestata, ad testium receptionem, & alias probationes canonicas procedatur; habita quoque informatione legitima, idem ordinarius omni dilatione semota, sententiet, declaret, puniatque secundum qualitatem delicti, modo & forma superius expressatis, ulteriusque faciat quod est justum, ipsius contumacis absentia non obstante.

Datum Oxonij &c.

Vt servetur statutum Regis VVestmonasterij editum contra Lollardos.

Incertum an hoc capituli pertineat ad concilium Oxoniense: sed cum in libro constitutionum Provincialium Angliæ ipsi proxime sit subjectum, hic deesse nolumus.

Item cum domino regi, & ex parte prælatorum, & cleri regni sui Angliæ, in præsenti parlamento sit ostensum, quod, licet fides catholica super Christum fundata, & per apostolos suos, & ecclesiam sacrosanctam sufficienter determinata, declarata, & approbata, hactenus per bonos & sanctos nobiles progenitores antecessores dicti domini regis in dicto regno inter omnia regna extiterit devotius observata; & ecclesia Anglicana per dictos inclytissimos progenitores & antecessores suos ad honorem Dei & totius regni prædicti laudabiliter dotata, & in suis juribus & libertatibus sustentata, absque hoc quod dicta fides vel dicta ecclesia per aliquas doctrinas perversas & opiniones iniquas hæreticas vel erroneas læsa fuerit vel oppressa, seu graviter perturbata: nihilominus tamen diversi perfidi & perversi cujuscumque vanæ sectæ, de sancta fide, sacramentis ecclesiæ, & autoritate ejusdem, damnabiliter sentientes, ac contra legem Divinam & ecclesiasticam prædicationis officium temere usur-

Anno Christi 1408.

usurpantes, diversas novas doctrinas & opiniones, iniquas, hæreticas, & erroneas, eidem fidei ac sanctis determinationibus ecclesiæ sacrosanctæ contrarias, perverse & malitiose intra dictum regnum in diversis locis, sub simulatæ sanctitatis colore, prædicant & docent his diebus, publice & occulte; ac de hujusmodi secta nefandisque doctrinis & opinionibus conventiculas, operationes, & confœderationes illicitas faciunt, scholas tenent & exercent, libros faciunt atque scribunt, populum nequiter instruunt & informant, & ad seditionem seu insurrectionem excitant, quantum possunt: & magnas dissensiones & divisiones in populo faciunt ac alia diversa enormia auditu horrenda in dies perpetrant & committunt, in dictæ fidei catholicæ & doctrinæ ecclesiæ sacrosanctæ subversionem, Divinique cultus diminutionem, ac etiam in destructionem status, jurium & libertatum ecclesiæ Anglicanæ. Per quas quidem sectas falsas, nefandas prædicationes, doctrinas, opiniones dictorum perfidorum & perversorum, nedum maximum periculum, verumetiam quamplura damna, scandala, & pericula, eidem regno, quod absit, poterunt evenire, nisi in hac parte per regiam potestatem uberius & celerius succurratur: præsertim cum diœcesani dicti regni per suam jurisdictionem spiritualem dictos perfidos & perversos, absque auxilio dictæ regiæ potestatis, sufficienter corrigere nequeant, nec ipsorum malitiam refrænare, pro eo quod dicti perfidi & perversi, de diœcesi in diœcesim se transferunt, & coram dictis diœcesanis comparere diffugiunt, ipsosque diœcesanos, & suam spiritualem jurisdictionem, ac claves ecclesiæ & censuras ecclesiasticas despiciunt penitus & contemnunt: & sic suas nefandas prædicationes & doctrinas in dies continuant & exercent, ad omnem rationis ordinem atque regimen penitus destruendum. Super quibus quidem novitatibus & excessibus superius recitatis, prælati & clerus supradicti, ac etiam communitates dicti regni in eodem parlamento existentes, dicto domino regi supplicaverunt, ut sua dignaretur regia celsitudo in dicto parlamento providere de remedio opportuno. Qui quidem dominus rex præmissa, ac etiam dictorum inclytissimorum progenitorum & antecessorum suorum laudabilia vestigia gratiose considerans, pro conservatione dictæ fidei catholicæ, & sustentatione cultus Divini, ac etiam pro salvatione jurium & libertatum ecclesiæ Anglicanæ ante dictæ, ad Dei laudem, ipsiusque domini nostri regis meritum, ac totius regni sui prosperitatem & honorem, pro hujusmodi dissensionibus, divisionibus, & periculis & scandalis, in posterum evitandis, & ut hujusmodi nefanda secta, prædicationes, doctrinæ, & opiniones cessent de cætero & penitus destruantur: & assensu magnatum & aliorum procerum ejusdem regni in dicto parlamento existentium, concessit, ordinavit, & statuit firmiter observari: quod nullus intra dictum regnum, seu alia loca Divina suæ regiæ potestati subjecta, prædicare præsumat publice vel occulte, absque licentia loci diœcesani petita primitus & obtenta: curatis, in suis propriis ecclesiis, & personis hactenus privilegiatis, ac aliis a jure canonico permissis, dumtaxat exceptis; nec quod aliquis de cætero aliquid prædicet, teneat, doceat, vel informet, secrete vel palam, aliquem librum conficiat seu scribat contrarium fidei catholicæ seu determinationi ecclesiæ sacrosanctæ; nec de hujusmodi secta, nefandis doctrinis & opinionibus, conventiculas aliquas faciat seu scholas teneat; tenenti vel exercenti, aut ta-

A lem librum facienti seu scribenti, vel populum sic docenti vel informanti aut excitanti quomodolibet, faveat; nec ipsorum aliquem manu teneat aliqualiter vel sustentet; & quod omnes & singuli aliquos libros seu aliquas scripturas de hujusmodi nefandis doctrinis & opinionibus habentes, omnes hujusmodi libros & scripturas loci diœcesano, intra quadraginta dies a tempore proclamationis istius ordinationis & statuti, liberent seu liberari faciant realiter cum effectu. Et si quæ persona, vel personæ, cujuscumque sexus, status, conditionisve existat vel existant, de cætero contra dictam ordinationem regiam & statutum prædictum, in præmissis, vel aliquo præmissorum, fecerit vel attentaverit, fecerint vel attentaverint; vel hujusmodi libros in forma prædicta non liberaverit vel liberaverint: B tunc loci diœcesanus in sua diœcesi ipsam personam in hac parte diffamatam vel evidenter suspectam, seu ipsas personas diffamatas vel suspectas, & ipsarum quamlibet, possit autoritate dictorum ordinationis & statuti facere arrestari, & sub salva custodia in suis carceribus detineri, quousque de articulo ei vel illis imposito in hac parte canonice se purgaverit seu purgaverint; hujusmodi nefandas, sectam, prædicationes, doctrinas, vel opiniones hæreticas, erroneas, abjuraverit vel abjuraverint, prout jura ecclesiastica exigunt & requirunt. Itaque prædictus diœcesanus, per se vel commissarios suos, contra hujusmodi personas sic arrestatas & sub custodia remanentes, ad omnem juris effectum publice & judicialiter procedat, & C negotium hujusmodi intra tres menses post dictam arrestationem, impedimento legitimo cessante, terminet juxta canonicas sanctiones. Et si aliqua persona in aliquo casu superius expressato coram loci diœcesano seu commissariis suis canonice fuerit convicta: tunc ibidem diœcesanus dictam personam sic convictam, pro modo culpæ & secundum qualitatem delicti, possit in suis carceribus facere custodiri, prout & quamdiu discretioni suæ videbitur expedire: ac ulterius eandem personam, præterquam in casibus quibus secundum canonicas sanctiones relinqui debeat curiæ sæculari, ad finem pecuniarium domino regi solvendum ponere prout hujusmodi finis eidem diœcesano, pro modo & qualitate delicti, competens videatur. In quo casu idem diœcesanus, per litteras suas paten- D tes ipsius sigillo sigillatas, de hujusmodi fine ipsum regem certificare aut in scaccario suo rectorio teneatur. Ad effectum quod hujusmodi finis de bonis ejusdem personæ sic convictæ autoritate regis ad opus erigi poterit & levari. Et si aliqua persona supradicta super nefandis cogitationibus, doctrinis, opinionibus, scholis, & informationibus, hæreticis & erroneis, vel aliqua earumdem, finaliter coram loci diœcesano vel commissariis suis convicta fuerit; & hujusmodi nefandas, sectam, prædicationes, doctrinam, & opiniones, scholas, & informationes, debite abjurare recusaverit; aut per loci diœcesanum vel commissarios suos, per abjurationem per eandem personam factam sententia pronunciata fuerit vel elapsa; ita quod secun- E dum canonicas sanctiones relinqui debeat curiæ sæculari (super quo credatur loci diœcesano, seu commissariis suis in hac parte) tunc vicecomites comitatus illius, vel major & vicecomites, seu vicarii majorum, & baillivi civitatis, villæ, vel burgi ejusdem civitatis, dicto diœcesano seu dictis commissariis magis propinqui, in sententiis per diœcesanum, aut commissarios

Anno Christi 1408

Anno Christi 1408.

suos, contra personas hujusmodi & earum quamlibet proferendis, ad prædictum diœcesanum seu commissarium ejusdem fuerint requisiti, personaliter sint præsentes. Et personas illas, ac quamlibet earumdem, post hujusmodi sententias prolatas recipient, & easdem coram populo in eminenti loco comburi facient: ut hujusmodi punitio in metum maneat mentibus aliorum, ne hujusmodi nefandæ doctrinæ, & opiniones hæreticæ, erroneæ, vel ipsarum autores & fautores, in dictis regno & dominiis contra catholicam religionem & Christianam determinationem ecclesiæ sacrosanctæ, quod absit, sustententur, seu quomodolibet tolerentur. In quibus omnibus, & singulis præmissis, dictam ordinationem & statutum consequentibus, vicecomites, majores, & baillivi dictorum communium, civitatum, villarum, vel burgorum, dictis diœcesanis, & eorum commissariis, sint intendentes etiam & faventes.

**COMMISSIO EPISCOPO LOND. ad publicandum constitutiones prædictas.

Thomas, &c. venerabili fratri nostro domino Ricardo Dei gratia Londonensi episcopo, salutem & fraternam in Domino caritatem.

CVm in nostro provinciali cōcilio nuper Oxonii celebrato, de cōsilio & assensu vestris, & aliorū venerabiliū confratrum & suffraganeorum nostrorum, ad instantem petitionem totius cleri nostræ Cantuariensis provinciæ, certas constitutiones provinciales contra detractores evangelicos, conantes seminare zizania in agro Dominico, sacrosancta videlicet militante ecclesia, ediderimus, ipsasque postmodum in ultima convocatione nostra celebrata in ecclesia sancti Pauli London. coram vobis ac præfatis venerabilibus confratribus nostris & clero, repetita promulgatione recensitas debite publicaverimus, ut vos latere non credimus: nos proinde attendentes quod frustra jura vel leges conduntur, nisi debitæ executioni mandentur, constitutiones ipsas sub sigillo nostro clausas, præsentibus annexas, ne quisquam ignorantiam prætendere poterit, vobis transmittimus publicandas; volentes, & fraternitati vestræ firmiter injungendo mandantes, quatenus copias constitutionum ipsarum, sub sigillo & litteris vestris harum seriem continentibus, singulis venerabilibus confratribus & suffraganeis nostris dictæ nostræ provinciæ transmittentes, autoritate nostra injungatis eisdem, quibus nos etiam tenore præsentium injungimus, quod eorum singuli in singulis civitatibus & diœcesibus eorundem, prout ad eorū unūquemque attinet, præfatas constitutiones in synodis eorum & capitulis, juxta canonicas & provinciales constitutiones in ea parte editas, canonice publicent, seu sic faciant debite publicari. Vosque venerabilis frater noster, executioni præmissorum in vestris civitate & diœcesi, prout ad vos attinet, consimiliter faciatis. De die vero receptionis præsentium, modoque & forma executionis vestræ, necnon & quid feceritis in præmissis, nos citra festum sancti Ioannis Baptistæ proximo futurum debite certificetis litteris vestris patentibus, habentibus hunc tenorem: eisdem venerabilibus fratribus nostris, autoritate nostra firmiter injungentes, quod eorum singuli citra præfatum festum consimiliter nos certificent debite & distincte.

Datæ in castro nostro de Quenburgh, XIII. die
A mensis Aprilis, anno Domini MCCCCIX. & nostræ translationis anno tertiodecimo.

Anno Christi 1409.

G. C. Bis hoc concilium iisdem omnino verbis describit collector Anglicanus, semel sub Oxoniensis, iterum sub Londinensis concilii titulo: quia in variis manuscriptis nunc Oxoniense, nunc Londinense dicitur: eam unam ob causam, quod & Oxonii anno MCCCCVIII. celebratum, & Londini anno MCCCCIX promulgatum sit: ut discimus, tum ex instrumento commissionis, quod mox legisti, tum ex ipsa inscriptione editionis Parisiensis, quam præcipue secuti sumus. Ita enim inscribitur. *Hic incipiunt constitutiones domini Thomæ Arundellis Cantuar. archiepiscopi, editæ in convocatione totius cleri ipsius provinciæ, Oxonii celebrata, anno Dom. MCCCCVIII. & publicata in ecclesia S. Pauli Londonensis, in præsentia suorum suffraganeorum, anno Domini MCCCCIX.*

B
CONCILIVM AQVILEIENSE IN *AVSTRIA

Anno Christi 1409.

**Melius vocasset Binius*, concilium apud civitatem Austriæ, in Aquileiensi diœcesi.

Pro tollendo schismate, per Gregorium papam XII. anno Domini MCCCCIX. celebratum.

HAnc synodum Gregorius indixit anno pontificatus sui secundo, per epistolam quandam apud Theodoricum a Niem lib. 3. de schismate extantem, quæ talis est.

Gregorius, &c. ad futuram rei memoriam.

CVm tota nostræ mentis intentio sit, Christianorum ecclesiam reunire, palpato per experientiam rerum magistram, quod per viam renunciationis, obstante iniquorum malitia, id efficere hucusque nequivimus, quam pure & sincere obtulimus, & in eadem perseverantes perstitimus, & adhuc persistere non desistimus, secundum formam & intentionem nostri voti & juramenti, nescientes Divini secreta consilii sæpenumero per effectum dejurantis, quia vanæ sunt cogitationes hominum, ad viam juribus & antiquis consuetudinibus approbatam nos convertimus, generale concilium, quod omnes vias ad unionem includit, nullam penitus excludendo, quodque congregare solius Romani pontificis esse dignoscitur, sine cujus autoritate factum, non concilium, sed conciliabulum aut conventiculum dicitur, & diffinitur nullum existere: ad festum Pentecostes immediate sequentis, & in provincia Aquileiensium & exarchatu Ravennatensi, Divino auxilio invocato, de fratrum nostrorum consilio, autoritate apostolica, præsentium tenore indicimus, & etiam conuocamus, per apostolica scripta mandantes, quatenus venerabilibus fratribus nostris universis, & singulis patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, & dilectis filiis electis, & aliis ecclesiasticis prælatis, ac reliquis in prælaturis & dignitatibus constitutis, qui solent ex dignitatibus & prælaturis eorum in hujusmodi generalibus conciliis interesse, quatenus ad id se personaliter in eisdem loco & tempore transferant debito, sciturі locum, quem ex eis duxerimus eligendum: quem quidem locum nunc expresse determinare & denunciare nequivimus propter varias circumstantias, quibus locus talis unitatis & pacis debet merito circumcingi. Et quoniam pestiferum hoc schisma tolli verisimiliter non speratur, nec dari integritas unionis populo Christiano cum effectu, sine dominorum temporalium voluntate, quorum honor & status tangitur: carissimos in Christo filios nostros Rupertum Romanorum, & alios reges, & nobiles viros, duces, principes, cæterosque potentes, necnon communitatum & universitatum regimina principalia

principalia requirimus, monemus, & hortamur in Domino, quatenus ad idem concilium personaliter veniant, aut aliquos viros solennes, doctos, & Deum timentes transmittant, ut fiat, Deo annuente, pax & unitas eadem in populo Christiano. Nulli ergo, &c. nostræ indictionis, mandati, requisitionis, monitionis & exhortationis infringere, &c. Si quis autem, &c. Datum Lucæ, sexto Nonas Iulii, pontificatus nostri anno secundo.

Hactenus epistola Gregorii papæ XII. De occasione, loco & tempore ejusdem concilii, & de personis quæ interfuerunt, subjungit quæ sequuntur: *Subsequenter vero circa finem mensis Iunii, Gregorius cum pauca comitiva curialium & etiam armigerorum a Luca recedens, multum extenuatus in facie, & lividi coloris, ac si jam in puncto mortis existeret, sub salvo conductu ejusdem Florentinorum, datis sibi etiam per ipsos, prout petiit, sufficientibus obsidibus, donec esset in loco tuto, ad eamdem civitatem Senensium revertebatur, ubi satis honorifice, ut creditur, ob reverentiam regis Ladislai, quem Senenses tunc & ante reverebantur & diligebant, per cives & communem populum recipiebatur. Credidit tamen tunc ire versus Ariminum recta via: sed hoc eo iter agente, fuit quomodolibet impeditus. Stando igitur tunc per tres menses vel circiter Senis, interim ad dilatandum schisma alios novos cardinales creavit, & postea versus Ariminum transivit, ubi etiam hiemando in Quadragesima tunc instanti, ad terram civitatis Austriæ Aquileiensis diœcesis accessit, & ibi circa festum Pentecostes tunc sequens suum conciliabulum celebravit, paucis ibi existentibus archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiasticis prælatis, aut procuratoribus ecclesiasticorum prælatorum, necnon principum sæcularium, qui in generali concilio per summum pontificem convocato de consuetudine & more interesse tenentur.* Hactenus de concilio Aquileiensi Theodoricus.

G. COSS. ADDITIO.

*** *Quod ait supra Niemius, concilium a Gregorio esse convocatum in civitatem Austriæ, explicatius habetur in epistola ab Oderico Raynaldo e monumentis Vaticanis edita ad annũ 1408. num. 67. qua Gregorius, uti se adversus Pisanum conciliũ muniret, conventũ aliũ, quem superioribus litteris in provincia Aquileiensi, nullo certo designato loco, indixerat, convocat* in civitatem Austriæ & Utinum, *diœcesis Aquileiensis: quæ cum essent vicinæ urbes, pro uno eodemque loco haberentur. Epistolam ipsam subiicio.*

Gregorius &c. Ad futuram rei memoriam.

AD pacem Christianorum totis affectibus intendentes, diligentissime illa prosequimur, quæ ad consecutionem sanctissimæ atque optatissimæ unionis fore credimus opportuna. Cum itaque dudum, videlicet VI. Non Iulii proxime præteriti, in civitate Lucana tunc existentes, generale concilium pro sedatione perniciosi & inveterati schismatis, ad festum Pentecostes immediate sequentis, in provincia Aquileiensi, vel exarchatu Ravennate, de fratrum nostrorum consilio, autoritate apostolica per alias nostras litteras duxerimus convocandum; ac propter varias circumstantias, quibus locum hujusmodi habendi concilii accommodari, & per nos, cum non haberemus in potestate nostra, procurari oportebat, tunc in eisdem litteris nostris, ipsum locum specialiter nequiverimus declarare, sed alio tempore hujusmodi declarationem reliquerimus faciendam: nos volentes ut omnis ambiguitas tollatur, ac ut universi & singuli qui adesse debent, ad veniendum præparare se possint, & tẽpore debito accedere, habita super hoc diligenti consideratione omnibusque locis provinciæ & exarchatus præfatorũ mature pensatis, tandem ut magis idonei pro qualitate rei & temporis; civitatem Austriæ & Utinum, Aquileiensis diœcesis, quæ propter propinquitatem & cohærentiam pro uno loco haberi debent, de eorumdem fratrum nostrorum consilio, autoritate præfata, pro hujusmodi celebrando concilio eligimus, & per præsentes nostras litteras declaramus: mandantes venerabilibus fratribus nostris universis & singulis, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & dilectis filiis electis, & aliis ecclesiarum prælatis, etiam prætensis, ac reliquis in prælaturis ac dignitatibus constitutis, sive sint catholici, sive schismatici, qui solent aut debent ex dignitatibus aut prælaturis eorum, hujusmodi generalibus conciliis interesse, quatenus ad hujusmodi conciliũ per nos, ut præfertur, indictum in præfatis loco & tempore, se personaliter conferant, ac requirentes insuper & hortantes in Domino, carissimos in Christo filios nostros reges ac nobiles viros, duces, principes, cæterosque potentatus, necnon communitatum & universitatum regimina principalia, quatenus ad idem concilium personaliter veniant, vel idoneos oratores transmittere procurent: ut sic Christi fidelium multitudo in unum congregata, pro pace & reintegratione ecclesiæ, ac pro eradicando hoc pernicioso schismate, pia & incorrupta suffragia, Deo propitio valeat exhibere. Nulli ergo, &c.

Datum Arimini XIV. Kal. Ianuarii, pontificatus nostri anno III.

PRIMA *concilii sessio Austriæ habita est, festo corporis Domini, post solennes supplicationes: sed exiguo præsulum numero. Quod utrumque discimus ex sequentibus Gregorii litteris a Raynaldo editis.*

Gregorius universis Christi fidelibus, ad quos præsentes pervenerint, salutem.

CUm pro sacro generali cõcilio, prout indiximus, celebrando, huc venerimus cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, & curia nostra, ad pacem & unionem sacratissimam inducendam, quam dare pro posse intendimus per viam cessionis, & omnem aliam rationabilem, juxta continentiam nostrorum juramenti, promissionis, & voti, & diem sacratissimam Pentecostes pro prima die præfati concilii in Dei nomine acceptaverimus, factisque Altissimo laudibus & orationibus processionaliter, prout convenit tantæ rei, primam fecerimus sessionem in gloriosissimo festo corporis Christi preciosissimi, secundam indicentes ad vigesimam secundam diem hujus (quas quidem sessiones intendimus protelare, ipsa interim nihilo minus cum præsentibus sic substantialia disponentes, quod mox ut fuerit decens prælatorum numerus congregatus, finalis, quantum nostra fuerit, introducatur effectus) universitatem vestram in Domino requirimus & hortamur, mandantes venerabilibus fratribus nostris, patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, & quibuscumque aliis ecclesiarum prælatis, debentibus ex suis prælaturis vel dignitatibus sacræ synodo interesse, quatenus ad hoc sacrum generale concilium sine moræ dispendio studeant personaliter se conferre, & carissimos in Christo filios nostros reges, ac nobiles viros, duces, principes, ac alios magistratus communitatum, & universitatum, affectuose etiam obsecrantes, ut ad idem concilium personaliter, si possunt, accedant; sin autem, suos idoneos nuncios debeant desti-

ANNO CHRISTI 1409.

destinare, ita quod cunctorum assistente præsidio, tractari valeant atque fieri quæ Dei sunt, & pacis, ac unionis populi Christiani, &c. Dat. in civitate Austria, Aquileiensis diœcesis, XII. Kal. Iulii, pontificatus nostri anno III.

Quæ vero deinde secuta sint, docet Raynaldus, qui ea collegit ex Gregorii ipsius litteris, quarum ipsi copia ex Vaticano tabulario facta est.

Spreta sunt, *inquit*, ab episcopis ejus imperia, cum in magnam adduceretur invidiam concilium ad schismatis propagationem molitum: misitque Nicolaum episcopum Ferentinum, & Dominicum designatum episcopum Melitensem Venetias, ut objecta anathematis pœna, illius provinciæ præsules ad synodum cogerent: sed Veneti Alexandro, ex doctorum sententia, quamvis Gregorius Venetus esset, adhæserunt.

IN SECUNDA sessione synodus in civitate Austriæ congregata, ubi pluribus de electione Gregorii historiam retexuit adversus Alexandrum, quem Petrum e Candia vocat, ac Petrum e Luna, sententiam hanc tulit.

Sententia lata in concilio generali domini papæ Gregorii in civitate Austriæ Aquileiensis diœcesis.

CHristi nomine invocato, sancta & universalis synodus universalem & catholicam ecclesiam repræsentans, ad quam cognitio & decisio hujus causæ noscitur pertinere, sancti Spiritus gratia, in hac collegiata ecclesia S. Mariæ civitatis Austriæ Aquileiensis diœcesis, sacri concilii inibi de mandato & autoritate sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Gregorii papæ XII ac universalis ecclesiæ summi pontificis congregata pro tribunali sedens, visis omnibus & singulis actis, actitatis, juribus, & depositionibus testiũ in hujusmodi causa unionis & aliis documentis, ipsam sanctam synodum ad infrascriptam definitivam sententiam inducentibus, habita inter ipsos ac etiam cum quampluribus magistris theologiæ ac utriusque juris doctoribus diligenti collatione, & tandem deliberatione matura, omnes pariter in hanc sententiam reperiens unanimiter concordare omni modo, via, forma, quibus magis & melius potest de jure, &c. *Et infra*: Pronunciat, decernit, definit, & declarat, electionem, inthronizationem de dicto sanctæ memoriæ Urbano papa VI. & subsequenter Bonifatio IX. Innocentio VII. Romanis pontificibus, fuisse canonicas, necnon electionem, inthronizationem, coronationem de sanctissimo domino nostro domino Gregorio papa XII. factas, fuisse & esse canonicas, suumque debitum debuisse & debere sortiri effectum, ipsum sanctæ memoriæ Urbanum papam VI. & suos successores Bonifacium IX. Innocentiũ VII. fuisse indubitatos, & veros pontifices universales catholicæ ecclesiæ, & nunc Gregorium papam, fuisse verum & indubitatum papam, ac universalis catholicæ ecclesiæ summum pontificem: necnon pronunciat, decernit, & definit, & declarat electionem damnatæ memoriæ Roberti Gebennensis antipapæ, & deinde Petri de Luna, ac Petri de Candia, fuisse & esse nullas, temerarias, illicitas, & injustas, & de facto sacrilege præsumptas, ipsisque damnatæ memoriæ Roberto Gebennensi, Petro de Luna, & Petro de Candia in papatu, seu titulo papalis dignitatis, nullum jus competiisse neque cõpetere, ipsosq; Petrũ de Luna & Petrũ de Candia fuisse & esse notorios schismaticos, & pertinaces, notoriisq; perjuriis irretitos, & ecclesiã Dei scindentes notorie, & ob hoc omnino dignitate papali & alia quacumque se reddidisse indignos; & factas per eosdem conjunctim & divisim quascumque ordinationes, promotiones, collationes; & provisiones, immo profanationes, & alia quæcumque per eos tamquam summos pontifices, seu eorum vel alterius eorum autoritate ordinata; decreta, vel gesta, ac omnia & singula exinde vel ob id subsequuta, damnat, cassat, & irritat, & nullius decernit fuisse & esse roboris vel momenti, appositionesque, spoliationes, perturbationes, vexationes, & impedimenta, dictis sanctæ memoriæ Urbano papæ VI. & deinde Bonifacio IX. Innocentio VII. per dictum damnatæ memoriæ Robertum & postmodum Petrum de Luna factas, fuisse & esse nullas, temerarias; & subsequenter dicto domino nostro Gregorio papæ XII. factas, similiter esse temerarias, illicitas, & injuste & de facto præsumptas; ipsumque sanctissimum dominum nostrum Gregorium papam modernum, ad possessionem obedientiæ suæ per universum mundum & sanctam ecclesiam catholicam, & ad jurisdictionem papalem & liberum exercitium ejusdem, nec non terrarum, civitatum, oppidorum, castrorum, vel quasi omnium & singulorum bonorum S. R. E. quibus de facto spoliatus extitit, restituendum fore, & restituit: dictisque Petro de Luna & Petro de Candia, tam conjunctim quam divisim, de & super appositionibus, spoliationibus, & impedimentis, ac papatu, perpetuum silentium imponendum fore, & imponit, inhibetque eisdem Petro de Luna & Petro de Candia, ne aliquis eorum se pro summo pontifice nominare, aut etiam parere præsumat; necnon pronuntiat, decernit, & declarat, præfatum dominum nostrum, dominum Gregorium papam in prosequendo facto unionis ecclesiæ (in quantum in eo fuit) fecisse diligentiam hactenus pro extirpatione hujus pestiferi schismatis, talem quod occasione voti & juramenti in conclavi & post factorum, non fuit, nec est aliquo crimine perjurij vel transgressionis voti irretitus: diffamationes quoque, detractiones, & alias injurias ac opera sacrilega contra præfatum dominum nostrum, dominum Gregorium papam XII. per præfatos Petrum de Luna, & Petrum de Candia, & eis adhærentes, fuisse & esse temerarias, illicitas, & sacrilegas, & injustas, & de facto præsumptas & præsumpta; ipsisque & eorum cuilibet sub ipsis perpetuum silentium imponendum fore, & imponit: & nihilo minus prohibet eisdem, ne de cætero aliquis eorum faciat seu perpetret similia in futurum: necnon decernit & declarat universos Christicolas, etiamsi imperiali, regali, aut alia quavis præfulgeant dignitate, ne eisdem Petro de Luna, vel Petro de Candia, vel alteri eorum, ratione alicujus juramenti, aut alias quovis modo, tanquam summis Pontificibus obediant, ipsaque juramenta & obligationes, si quæ dictis Petro de Luna, & Petro de Candia, tanquam summis pontificibus, aut eorum alteri, per præfatos reges & alios quoscumque, cujuscumque sint gradus, ordinis, aut conditionis præstitas, nullas fuisse & esse, ipsasque relaxandas fore, & ad cautelam relaxat. Et nihilo minus super omnibus aliis in hac causa deductis, & petitis, & declaratis, & probatis, potestatem pronunciãdi, decernendi, & diffiniendi, sibi in posterum ad locum & tempus congruum reservat.

Ego Marinus episcopus Aprutinus de mandato & commissione sacræ synodi sic pronunciavi, & me propria manu subscripsi.

SESSIO deinde alia celebrata est quinto Septembris,

ANNO CHRISTI 1408. 1409.

ptembris, teste Theodorico Niemo, lib. 3. c. 45. Quandam, *inquit*, congregationem fieri fecit, in illa designans intentionem suam quoad schisma hujusmodi tolendum, prout ejus verba sonabant in quadam schedula, cujus tenor sequitur, & est talis.

Sanctissimus dominus noster, dominus Gregorius XII. ardentissimus ad sanctissimam unionem, illam quærit totis affectibus introducere. Verum quia per formam in conclavi conceptam, propter profanationes apostatæ Petri de Candia, videtur quod unio fieri non possit per renunciationem ipsius & Petri de Luna, nisi modificatio aliqua fiat: hinc est quod pro celeri & perfecta consecutione unionis præfatæ proponit & acceptat hos modos: videlicet, quod idem sanctissimus dominus noster, ex abundanti desiderio cordis sui ad ipsam sanctissimam unionem perficiendam paratus est realiter & cum effectu renunciare papatui, si & quando simul & personaliter ac præsentaliter in eodem loco Petrus de Luna & Petrus de Candia suis prætensis juribus in papatu renunciabunt, secundum formam ipsam conceptam in conclavi, adhibita ista modificatione electionis futuri pontificis, quæ habebat fieri a cujuslibet obedientiæ duabus partibus gerentium se pro cardinalibus; ita quod in hoc casu ad verum illius papatum requirantur cujuslibet obedientiæ voces duarum partium, & qui sic fuerit electus suo consensu pro verissimo Romano pontifice habeatur. Item ne ex difficultate loci possi differri pax ecclesiæ, & unio impediri, ex tunc concedit plenam & liberam potestatem illustribus regibus Ruperto Romanorum, Ladislao Ierusalem, & Sigismundo Hungariæ regibus, concordandi de loco, cum adversariis & ipso eligendo: qua concordia & electione facta paratus est, infra terminum per eosdem reges assignandum, ad dictum locum accedere, & ibi debitum suum facere, prout in præcedenti capitulo est expressum.

Item si super præmissis, quod absit, adversarii concordare non vellent, ne differatur factum sacratissimæ unionis, ex nunc concedit plenam & liberam facultatem & potestatem præfatis adversariis super concilio generali, ab omnibus partibus convocando, & locum etiam ad illud celebrandum eligendi: qua concordi electione facta, paratus est ad dictum locum accedere, & stare deliberationi in qua cujuscumque obedientiæ major pars convenerit, id est, quod deliberatio illa sit facta a majori parte obedientiæ Petri de Luna, & majori parte Petri de Candia simul, ita quod deliberatio ipsa sit trium obedientiarum; illud idem acceptantibus & facientibus Petro de Luna, & Petro de Candia, gerentibus se pro papis. Et ut prædicta possint citius & habilius suum consequi effectum, dicit & mentis suæ esse, quod infra annum a die præsenti secuturum præfati reges habeant potestatem & facultatem liberam & plenariam exequendi prædicta. Et, si eis tum videbitur expedire, concedit eisdem quod possint dictum terminum annuum usque ad unum alterum annum tunc proximum, secundum eorum beneplacitum, propagare & non ultra, ipsis regentibus ipsius domini nostri papæ permanentibus. Ad quæ omnia pertractanda placeret præfato & sanctissimo domino nostro papæ, quod dicti reges, & quantū placeret eis, sibi assumerent magnificum Carolum de Malatestis, qui est valde avidus ad sacratissimam unionem. Lecta fuit scriptura in sacra synodo civitatis Austriæ congregata, die Iovis v. Septembris MCCCCVIII. * Domini nostri anno III.

* *leg.* Pontificatus sanctissimi D. nostri Gregorii.

Hæc autem Raynaldus subiicit ex iisdem collecta monumentis. Ad promulganda hæc decreta, confirmandasque suas partes adversus Alexandrum V. & Petrum e Luna, aliosque cum iis sentientes, Gregorius plures legatos creavit, nimirum Albertum episcopum Poznaniensem in Polonia, Sbinconem archiepiscopum Pragensem in Boemia, Nicolaum episcopum Camincensem in Pomerania, Henricum episcopum VVintoniensem in Anglia: in Insubria Bartholomæum episcopum Placentinum, quem etiam ea instruxit autoritate, ut majoris instar pœnitentiarii sacras exomologeses exciperet, præscripsitque formulam, ex qua ad ipsius partesredituros conciliaret.

ANNO CHRISTI 1408. 1409.

CONCILIABVLVM * ARAGONIÆ AVTORITATE BENEDICTI ANTIPAPÆ & pseudopontificis, quem vulgo XIII. nominant, celebratum anno Domini MCCCCIX.

* *Melius & expressius vocatur Perpinianense.*

Acta cōcilii Theodoricus a Niem l. 3. schismatis, cap. 36. & 37. describit his verbis: *Præfatus vero Petrus de Luna in ipso regno Aragoniæ tunc temporis aliud conciliabulum, in quo erant quamplures episcopi, abbates, & alii ecclesiastici prælati de Hispania, Catalonia, & quibusdam adjacentibus provinciis, de ipsius obedientia, celebrabat. In quo quidem conciliabulo per eumdem Petrum facto, in diversis sessionibus, dicti episcopi, & alii sui prælati qui illuc convenerant, consuluerunt finaliter in hæc verba.*

Sententiam hanc Niemus habet in nonnullis ampliorem quam Surita. Ex utroque profecimus.

Sanctissime ac beatissime pater, hoc sacrum concilium ad id quod in ultima sessione per vestram sanctitatem primo loco propositum fuit, humiliter & devote respondit, quod consideratis & diligenter attentis his, quæ pro servitio Dei & unione sanctæ matris ecclesiæ, & salute omnium fidelium, vestra sanctitas obtulit, acceptavit & prosecuta fuit, non parcendo laboribus, periculis & expensis; consideratis etiam injuriis, oppressionibus, turbationibus & impedimentis, quæ nobis aliquorum præsumptione ingesta sunt, necnon variationibus, cavillationibus, refutationibus ac inconstantia intrusi moderni & suorum prædecessorum: consideratis etiam professionibus & protestationibus per vestram sanctitatem hoc sacro concilio & alias factis, quas reputat sufficientes; quæ omnia aperte liquent ex lectione gestorum a tempore assumptionis vestræ sanctitatis ad apostolatus apicem, usque ad tempus præsens: pro quibus omnibus sanctitas vestra & hoc meritum apud Deum, & perpetuum apud homines præconium reportare meretur: ipsum sacrum concilium, matura deliberatione super his habita, puro corde & sincera intentione credit, tenet & reputat vos fidelem, Christianum atque catholicum ac verum Christi vicarium, nec credit, nec reputat vos, pater sancte, esse vel fuisse schismaticum vel hæreticum, nec macula seu fautoriæ schismatis seu hæresis irretitum, & quanto humilius potest, hoc sacrum concilium vestræ sanctitati gratias agit pro promissis ex cordis intimis, seipsum devote offerens ad vestræ sanctitatis obsequia, Deum suppliciter exorans, ut sanctitatem vestram in hoc sacro unionis negotio dirigere dignetur ad ipsius laudem & gloriam, totiusque populi Christi pacem & quietem.

Sanctissime ac beatissime pater, hoc sacrum generale concilium supplicat & consulit humiliter & devote sanctitatem vestram, primo, quod non obstantibus quibuscumque tribulationibus, persecutionibus, & impedimentis vobis datis, dignemini propter Deum & bonum Christianitatis prosequi efficaciter factum

factum unionis sanctæ matris ecclesiæ, per viam renunciationis, ipsam viam omnibus aliis viis prætermittendo, nulla tamen alia via exclusa.

Item supplicat & consulit sacrum præfatum concilium S. V. quatenus oblationem per eandem sanctitatem vestram factam intruso de renunciatione, in casu renunciationis vel mortis dicti intrusi, dignemini extendere ad casum dejectionis ejusdem intrusi, si fiat secundum fidem & obedientiam partis suæ, & etiam effectualiter ac de facto.

Item supplicat & consulit præfatum sacrum concilium S. V. pro celebri & debita expeditione & conclusione præmissorum obtinenda, dignemini certos nuncios, probos viros, Deum timentes, ad hoc idoneos, nomine & pro parte sanctitatis vestræ, & vestri collegii, ac totius sacri concilii, mittere ad intrusum & suos anticardinales cum ipso Pisis & alibi degentes, necnon ad illos dominos cardinales Pisis existentes, & ad alios qui in hoc sancto unionis negotio proficere potuerunt, cum plena ac libera & sufficienti potestate tractandi, concordandi, firmandi & obligandi omnia & singula necessaria & utilia seu opportuna ad præmissa, &, prout eis videbitur, tempus breve & congruum, & locum idoneum & securum, ac de securitatibus & libertatibus in eundo, stando, & redeundo, recipiendi, concordandi & obligandi. In quo sanctitas vestra, illa omnia quæ concordata & firmata fuerint per ipsos, efficaciter exequatur personaliter: vel si personaliter ire noluerit, vel infirmitate corporali impedita non potuerit, per alium seu alios habentes plenariam & liberam potestatem ad omnia quæ sanctitas vestra facere potest & posset, usque ad renunciationem inclusive.

Item supplicat & consulit præfatum sacrum concilium S. V. quatenus dignemini formam procuratorii in prædictis casibus faciendam mandare ordinari, pleniori & meliori modo quo fieri & ordinari poterit.

Item supplicat & consulit præfatum sacrum concilium, quatenus dignemini tales constitutiones facere & provisiones adhibere, quod si ante obtentam unionem (quod absit) contingeret sanctitatem vestram ab hac vita ad aliam evocari, possit ad unionem debite & canonice procedi taliter, quod post obitum sanctitatis vestræ propter defectum provisionis non differretur seu impediretur unio, aut non, quod absit, scandala vel subschismata sequerentur.

Item supplicat & consulit præfatum sacrum concilium, quod in casu quo aliqui, quod absit, præmissis spretis, scandala seu schismata suscitare vellent, dignetur sanctitas vestra per debitas constitutiones seu remedia prohibere & providere, ne ad similia perpetranda procedatur, sub pœnis, decretis, & prohibitionibus ad hoc necessariis & opportunis.

Subscripta schedula, fuit per concilium oblata domino nostro, & per eum benigne & simpliciter acceptata. Causa acceptationis & contentationis, de acceptatione factum fuit instrumentum publicum, manu domini nostri & omnium de concilio subscriptum.

*** G. C. ADDITIO.

AD CONCILIUM PERPINIANI in Aragonia celebratum.

Verum quæ in hoc cœtu sunt gesta, multo describuntur uberius ab Hieronymo Surita, qui tamen Petri de Luna partibus est addictior: fidelius autem ab Od. Raynaldo, ex Gregorii litteris MSS. aliisque authenticis instrumentis. Et Surita quidem, Indicum Aragonensium libro III. ad annum MCCCCVIII. Convenerat, *inquit*, inter Benedictum, & Gregorium, ut inter Lucam & Portum Veneris quædam loca ad eorum congressum deligerentur, quæ Gregorii ditioni parebant: & internunciis duobus Venetorum legatis, qui Benedictum in Veneris Portu convenerant, Benedictus obtulit, se libenti animo Liburnum accessurum, modo Gregorius Pisas commigret: cum ea oppida in ditione Gregorii essent. Ea re denegata, neque publica fide tradita, cardinales Gregoriani eum, uti supra docuimus, deseruerant: ac se Luca urbe Pisas transtulerant, & Benedictum deprecati fuerant, ut eo proficisceretur, & Liburnum accederet. Sed dum legatos præmittit, ut a Lucensibus & Florentinis fide publica, in eorum ditionibus, sibi ac suis liberi commeatus traderentur, & Benedicto denunciatum esset Francorum regem, cujus fide publica in Genuensi ditione tuto se commorari arbitrabatur, & tam periculoso itineri commiserat, studiosissime curasse, ut in eum & aliquot episcopos manus injicerentur, inexpectata, & repentina fuga in Galliam Provinciam celerem reditum dirigit. Portu Veneris vela facturus A. D. XVII. Kal. Iul. Pontificatus anno XIV. concilium Perpinianum Helenensis diœcesis oppidum indicit.

Et infra. A. D. Kal. Aug. Benedictus Helenam urbem, & postero die Perpinianum introiit.

Et infra. Kal. Novembris, omnium Sanctorum festo die Benedictus Perpiniani solemni cœtu & frequentissima celebritate concilium habet: & sacris in aula regia Majoricensi arcis Perpinianensis a pontifice peractis, Alfonsus Exea patriarcha Constantinopolitanus, Hispalensis ecclesiæ administrator, celeberrimam & gratissimam concionem habuit: & absentium ratione sacris comitiis habita, in A. D. XVII. Kal. Decemb. concilium prorogatur. A. D. II. Id. Nov. Benedictus sanctioris ærarii Magalonensis præfectum, ecclesiæ Astensis administratorem, patriarcham Antiochenum, & Franciscum Simenium ordinis Minorum, Valentinum, virum insigni sanctitate, & magna & multiplici doctrina, ac diffusa scriptorum copia clarissimum, Hierosolymitanum patriarcham creat: qui ab Auxitano episcopo cardinale A. D. XII. Kal. Dec. sunt consecrati. Postero die Benedictus ex arce regia in ædem beatæ Mariæ regalis, sacrorum ordinum cœtu comitatus, procedit: & peractis ab eo Missæ solemnibus concilium haberi cœpit. Sabbato A. D. XV. Kal. Dec. secunda concilii assessio celebratur: & concione, ut mos est, habita, & professione recitata fidei catholicæ, Benedictus responso dato, se illam fidem firmissime tenere & simpliciter confiteri asseverat. Mercurii die A. D. XI. Kal. Dec. cum tertia concilii assessio celebraretur, præmissa, ut moris est, concione, series, & continuatio rerum a Benedicto gestarum ex quo in summam Pontificatus dignitatem est evectus, universo cœtui recitatur, atque proponitur: & quot & quantas, & quam incredibiles calamitates hausisset, quantisque in discriminibus versatus esset, ut summæ pacis conjunctio ecclesiæ Dei conciliaretur. Demum quinque aliis assessionibus variis actus, actionesque consiliorum & eventorum in procurandis ecclesiasticæ concordiæ negotiis recensentur: & quemadmodum inter Benedictum & Gregorium legatorum interventu convenerat, ut Savonæ cum suis collegiis festo S. Michaelis, aut omnium Sanctorum die, congrederentur. Concilio interfuere prælati pene omnes regnorum Castillæ, Aragoniæ, & Navarræ: & nonnulli Franciæ, Provinciæ Galliæ, Vascitaniæ, & Sabaudiæ, omnes circiter CXX. Præter eos, quorum supra mentio facta est, patriarcha Alexandrinus, Pe-

trus

trus Luna Toletanus, Garcias Ferdinandius, Heredia Cæsaraugustanus, & Petrus Zagarriga Tarraconensis archiepiscopi, concilii decretis adsedere. Cum patres Benedictus consuluisset quid e republica Christiana esse censerent, ne in progressione rerum,& nova molitione,ad reliquias ecclesiæ lacerandas & distrahendas pravis consiliis converteretur, summa dissensione, atque dissidio in contrarias partes patrum opiniones in deliberando distrahuntur: quibusdam censentibus a Benedicto legatis mandata danda esse, ut ejus nomine pontificiam dignitatem nulla interposita mora abrogent: aliis vero tempus ducentibus,& maxime disjuncta, atque contraria asserentibus. Ea opinionum,& sententiar. discrepantia eo rem deduxit, ut Perpiniano pene omnes discesserint: & XIIX. in sententia permanentibus,tandem ab eis tanta de re dignum eo cœtu responsum tulit: quod hoc in loco adnectere operæ pretiū duxi.

Sanctam ejus congregationis commonitionem & Benedicti ipsius pollicitationem adversarii postea in Pisano primum,ac demum in Constantiensi concilio in durissimum ejus os jure merito retorserunt:quamvis Benedictus se viam cessionis Savonæ amplexum fuisse contenderit, & in portu Veneris Gregorium per nuncios & litteras ad eam pactionem fuisse cohortatum, ac tuta conveniendi loca obtulisse, quæ omnia fuerint ab adversario refutata atque repulsa, neque sibi posset objectari negligentia, aut contumacia.

Kal.Febr. Alfonsus Exea patriarcha Constantinopolitanus Benedicto in concilii consessu responsum a patribus decretum offert.

A. D. VII. Kal. April. XIV. sessio concilii Perpinianensi arce, cum major pars prælatorum a Perpiniano recessisset, & per paucos res transigerentur, celebratur.Eo in cōsessu a Benedicto septē legati Pisas mittuntur, ut perscrutentur, quibus conditionibus res ad concordiæ pactionem deduci possint. Ad spem obtinendæ rei, gravissimi viri deliguntur,Petrus Zagarriga archiepiscopus Tarraconensis, Seguntinus, Mimacensis,& Senensis episcopi, Bonifacius Ferrarius domnus Carthusiensis, prior Cæsaraugustanus,& minister provinciæ Galleciæ.Sed Tarraconensi, ut Benedicti nomine ad Francum regem legationem obiret,in Catalonia remanente, reliquos oratores Nemausi, cum illis iter longum conficiendum instaret, Francorum regis ministri detinent, ac demorantur: & mandata quæ Benedictus legatis dederat, intercipiuntur. Quæ res spem omnem adipiscendæ concordiæ, & Benedictum ad abrogationem deducendi, contudit atque confregit.

Idem qui supra libellus supplex cardinalium,editus est ab Odorico Raynaldo ex MS.cod. Vaticano: in quo hæc subiiciuntur: Supra scripta capitula fuerunt oblata domino Benedicto per concilium suum, & per eum acceptata fuere per instrumentum publicum, subscriptum per dominum Benedictum,& omnes de suo concilio ut supra.

Dominus Benedictus proposuit in dicto suo concilio hæc: videlicet primo ut provideretur super infamiis sibi datis. Secundo super facto unionis. Tertio super schismatibus, quæ oriri possunt. Quarto super reformationibus ecclesiæ: & dictum concilium respōdit sibi per supra scripta capitula & ordinationes.

Raynaldus vero alia ex monumentis Vaticanis edidit hujus conventus acta in hunc modum.

A Gesta in concilio domini Benedicti, vel domini Petri de Luna.

Universis & singulis per hoc instrumentum publicum innotescat, quod cum per sanctissimum in Christo patrem ac dominum nostrum dominum Benedictum, digna Dei providentia papam XIII. præsidentem in sacrosancto concilio generali convocato per eum Perpiniani Elnensis diœcesis, ac in ecclesia quæ vulgariter dicitur de regali, præsentibus infrascriptis,die quinta Decembris ann. Dom. MCCCC VIII. fuisset propositum in effectu, quod si quamplurimis turbationibus,persecutionibus,& afflictionum turbinibus quateretur, illud tamen potissimum affligebat, quod cedebat universæ Christianitatis discrimini tetrum schisma, & paulo minus quod nonnulli, B qui ad tollendum tam immanem scissuram de vestimento Domini videbantur astricti, ipsam scissuram unicam nedum perpetuare, sed etiam multiplicare tētabant attonitus mirabatur, quod licet priscis temporibus circa ea, quæ ad pacem sunt Ierusalem, totis viribus insudarit, & possibilem operam dederit, ut unionem ecclesiæ consequeretur optatam, seque exposuerit quamplurimis laboribus, expensis, periculis, & ærumnis,ut schismatis expiaret opprobrium, quod indiscissam Domini tunicam,prohdolor! turpiter maculabatur: tamen satore zizaniæ,ut videbatur,pestifere procurante, nedum inconstantem & varium, sed induratum reperit Angelum, dictum Corario, qui se C facit Gregorium in parte schismaticorum nominari, quamvis se monstrasset a principio pro tam felici unionis negotio liberalem, in tantum quod ipse dominus noster apud eum proficere non potuit; propter quod ipsum non sine aculeo doloris oportuit retrocedere sine fructu. Nec solum hoc unionis impedimentum evenit.per nonnullos enim de quibus vix credebatur,tot & tanta, ut dicebat, fuerunt,prout erat per nonnullos de dominis cardinalibus Pisis degentibus, & alios advisatus, pericula machinata, quod nec in Italiæ partibus,ad quas se contulerat pro unione sanctæ matris ecclesiæ, potuit cum suis personaliter remanere; sed nec pro nunciis seu procuratoribus, quos cum plena potestate disposuerat ibi dimitte- D re,salvum conductum obtinere potuit quoquo modo.

Aliis igitur imminentibus periculis, de consilio reverendissimorum in Christo patrum dominorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium volens idem dominus noster in loco tuto reponere se & suos, sed nolens dimittere unionis ecclesiæ negotium sic turbatum, ut provideretur extirpationi schismatis, & nonnullis aliis imminentibus scandalis,quæ videbantur in Dei ecclesia machinari, ad generalis convocationem hic faciendam concilii ad festum omnium Sanctorum lapsum proxime se convertit. Concilio igitur hoc, sancto afflante Spiritu, convocato, ipsum benevolis exhortationibus inter cætera requisivit, quatenus advisarent, & consulerent, quod E foret ulterius faciendum pro consequenda ecclesiæ unione, ipsos exhortans quatenus super iis sibi darent auxilium, consilium & favorem. Offerebat enim se cum consilio dicti generalis concilii processurum efficaciter in præmissis, & expositurum personam, statum,& vitam, pro debita unione sanctæ matris ecclesiæ consequenda. Et quia nōnulli diversimode impedire tam sacrum propositum sub palliatis coloribus satagebant,advisarent,& consulerent qualiter erat providendum scandalis, erroribus, & schismatibus, quæ, proh dolor! disponebantur in ecclesia sancta Dei. Ad respondendum autem his duobus articulis, diem tunc sequentem Mercurii, quæ fuit XII. dicti mensis, præfixit[a] conci-

[a] f præfixit

ANNO CHRISTI 1409.

A concilio, ut interim ſuper his duobus articulis poſſent deliberare mature : ſed quia propter arduitatem materiæ non potuit tantum negotium ſic faciliter expediri, fuit per aliquas dilationes uſque ad diem hanc infraſcriptam præſentis ſeſſionis celebratio prorogata. Cæterum ſuccedente quoad hoc finaliter ordinata ad hanc diem Veneris, prout jam dictum eſt, ſeſſione, præfatum ſacroſanctum concilium per medium reverendiſſimi in Chriſto patris domini Alfonſi patriarchæ Conſtantinopolitani præfato domino papæ ſupplicandum duxit, ac etiam conſulendum prout in quadam ſchedula per ipſum dominum Conſtantinopolitanum, pro parte totius præſentis ibidem generalis concilii, præſentata, & tandem per me Guigonem Flandrini ſacræ ſedis apoſtolicæ protonotarium lecta, continetur latius, cujus tenor ſequitur B ſub his verbis.

Sanctiſſime ac beatiſſime pater, hoc ſacrum & generale concilium ſupplicat, &c. *Repetitur hic ſupplex libellus ſuperius allatus, ſubditurque* : Acta ſunt hæc apud Perpinianum Elnenſis [*] diœceſis in eccleſia quæ vulgariter dicitur De regali. *Et infra* : Die prima menſis Februarii, Indictione ſecunda, anno Domini MCCCCIX. pontificatus præfati domini noſtri anno XV.

[*] *id eſt*, Helenenſis

Succedente iſta die dominus noſter reſpondit, quod licet vix caute poſſet contra perverſorum malitias provideri : tamen quia toto mentis affectu deſiderabat, quantum erat in ipſo, dare pacem & unionem eccleſiæ ſacroſanctæ ; nam unionem hactenus proſe- C cutus fuerat cum expenſis, laboribus, atque periculis manifeſtis ; attendens etiam ut dicebat, zelum quē prædictum concilium habere ad unionem eccleſiæ cognoſcebat, & ſperans in Divinæ protectionis auxilio, quod ipſorum orationibus & ipſius ſanctæ matris eccleſiæ meritis ipſe Deus omnipotens inclinatus, dignabitur reprimere omnes malitias perverſorum, propter Dei ſervitium, & pacem & unionem eccleſiæ, ac ſalutem populi Chriſtiani, ſupplicationem & conſilium præfati ſacri concilii acceptans, paratus erat, quanto celerius poſſet, illa executioni debitæ demandare. Vnde pro celeri & debita executione præmiſſorum deliberaverat certos prælatos, & alias certas perſonas nobiles mittere, quos non de una ſola natione, ſed de nationibus volebat aſſumere, de qui- D bus convenerant in hoc ſacro concilio generali, quod tales, ut credebat, exiſterent quod eſſent potentes opere & ſermone ad tantum negotium proſequendum, & quibus, ut ſperabat, Deus infunderet gratiam, & ipſe daret talem poteſtatem & confidentiam, & plenam fidei credentiam, taliter quod hoc tam ſanctum opus feliciter per eos deduceretur ad unitatis concluſionem optatam. Sane percepto ejuſdem domini noſtri reſponſo tam utili, tam grato, & tam acceptabili toti mundo, præfatus dominus patriarcha pro parte totius concilii ſingulis tandem annuentibus ac capitibus inclinatis, mithris depoſitis, & flexis genibus, primo Deo, demum domino noſtro præfato, actiones reddiderunt multiplices gratiarum. E Quibus ſic ſolemniter expeditis, magiſter capellæ dicti domini noſtri papæ, cum cantoribus Te Deum laudamus cantico decantato, pro illa die fuit concilium ſeparatum. Acta fuerunt hæc apud Perpinianum Elnenſis diœceſis in eccleſia prædicta quæ dicitur De Regali, præfato domino noſtro papa ſuum generale concilium celebrante præſentibus archiepiſcopis, epiſcopis, ordinum generalibus, abbatibus, ambaſſiatoribus, nobis protonotariis, & aliis infraſcriptis, Februarii XII. menſis, Indictione ſecunda, pontificatus præfati domini noſtri papæ anno XV.

ANNO CHRISTI 1409.

CONCILIVM PISANVM

univerſale, quod ad tollendum ſchiſma indictum, Gregorio pontifice & Benedicto pſeudopapa depoſitis, Alexandro V. conſenſu cardinalium utriuſque obedientiæ electo, celebratum fuit anno Domini MCCCCIX.

Copia litteræ convocationis concilii Piſani, quæ dirigitur domino Benedicto XIII.

Sanctiſſimo domino noſtro Benedicto XIII. miſeratione Divina ſummo pontifici, Deo humiles & devoti oratores, epiſcopi, preſbyteri & diaconi ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, nunc in Liburno Piſanæ diœceſis exiſtentes, pro nobis & aliis reverendiſſimis patribus dominis cardinalibus pro nunc abſentibus, nobis adhærentibus & adhærere volentibus in hac parte, cum ſupplici & devota recommendatione utriuſque hominis ſoſpitatem.

QValiter hoc ſchiſma peſtiferum, totius corporis eccleſiæ infectivum, unitatem lacerans & enervans caritatem, clerum involvens tortuoſis laqueis, & populum ſubvertens, ab erroribus quamplurimis eccleſiæ fidem langentibus [*] intromiſſis ortum habuit, & diuturnitatem adeo nocivam, veſtræ ſanctitati notum eſſe non dubitamus. Hæc enim in ſui exordio modica viſa erroris ſcintilla, cui cum per deliberationem concilii, ut ſanctorum patrum moris fuit, non extitit obviatum, ſed duro propoſito, via concilii repulſa, fomenta adhibita per inordinatos & pernicioſos affectus, in quibus quærentes homines quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti, adeo in flammam proximam exaltavit, mundum percurrit univerſum, concutit clerum, ſubvertit populum, fidem maculat, ſacramenta profanat, & eccleſiaſticæ cenſuræ contemptum inducit, eccleſiæ libertatem omnino extinguit, & indevotos reddit Chriſti charactere inſignitos, ut vix dignoſci valeat quis exiſtat catholicus, cum plures appareant legis Divinæ tranſgreſſores, & mandatorum Dei manifeſtiſſimi contemptores. Et ſi hæc.... nullatenus toleranda, quid ait vulgus de his qui baſes & columnæ videntur eccleſiæ, qui horum malorum & tantorum ſcelerum diſſimulatores eſſe videntur, dividentes clerum ac populum, & verſi in laqueum tortuoſum, ubique ponunt ſcandalum in ſuarum & fere omnium perniciem animarum. Nihil aliud aiunt dici poſſe, niſi quod tanta ſcelera contra Deum, orthodoxam fidem, & ſanctum Spiritum, animæ pertinaci commiſſa, inexpiabilia, teſte ſcriptura, etiam ſacrificiis reputentur : ſi Heli peccatum longe levius, ut ſacra refert hiſtoria, inexpiabile fuit piaculum & delictum. Hæc enim pater ſancte, ruina tam horribilis, tamque exoſa in Divinæ majeſtatis conſpectu, ut habet communis exiſtimatio, in manu noſtra ludibriis plena, & utinam non blaſphemiis infecta, in noſtri reprobatione conſiſtit, qui cum ex debito debemus & tenemur, ut præmiſſa tollerentur de medio, noſtros indefeſſos adhibuiſſe labores, noſtra quæcumque exponere, etiam titulos dignitatum, animas noſtras, & ultronee bibere calicem paſſionis, ambulatum eſt per devia & non plana, & velut cæci palpantes clauſos parietes, aperta, lataque & plana janua rejecta eſt, velut ſpinoſis aculeis & venenoſis jaculis, & juxta affectionem in conſpectu Altiſſimi & hominū judicio communi, voluntariam & non ſanam, fulcitam magnis periculis latet, in illis conſiſtit ſumma

[*] *f.* frangentibus

ANNO CHRISTI 1409.

ma securitas & hominum conscientiarumque indubia sinceritas, ex quibus longo tempore declinata fuit cessionis via, in ingressu planæ januæ consistebat solitaria, cum Dei gravi offensa innumerisque periculis animarum. Et quamvis ex post exactis annorum curriculis fuit hæc via sancta & necessaria, & communi omnium fidelium judicio prælecta cum Angelo Corario, Gregorio nominato, per sanctitatē vestram recepta & etiam approbata: tot tamen & tantæ in illius habentur desiderata executione adhibitæ difficultates, variationes, dilationes ac repudia, circa locorum electionem & securitates hinc inde, quod nullus effectus secutus est, nec aliunde speratur modo aliquo proventurus, sed quodam recessu perpetuo in dicto pacis tractatu, immo verius repudio perenni, abusus in viam longinquam, nunquam ad agni nuptias per unitatis vinculum, ut a multis creditur, intraturi. Sed mala sub brevi compendio considerantes provide, ac pia mentis consideratione pensantes, reverendissimi patres nominati in parte alia cardinales a dicto Angelo Corario, Gregorio nominato, ad omnem viam habendæ unionis plus quam describi possit, mente & proposito indurato recesserunt, juxta Divina mandata, ad quos de vestræ sanctitatis permissu & voluntate expressa quatuor ex nobis delecti fuerunt, & convenientibus in Liburnum, cum quatuor ex ejus cardinalibus nominatis: & demum nos omnes & ipsi in unum convenientes, prospeximus communi & concordi voto, & matura habita deliberatione cum multis notabilibus prælatis & quamplurimis litteratis viris Deum timentibus & pacem ecclesiæ habentibus in fervore caritatis, fore necessarium, ut per ecclesiam universalem cōgregatam huic tam pestilenti morbo & inveterato laqueo, erroribus fidem tangentibus pleno, subveniatur & occurratur in brevi, ad servandas omnium fidelium conscientias, errores submovendos notorios, virtutes inserendas, animorum & ecclesiæ reformationem debitam & salubrem: & quod per nos in nostra obedientia, & alios nominatos cardinales in sua, prælati & alii qui vocandi fuerint, convocentur per nos in civitate Pisana, & per illos in eadem ad terminum 25. diei mensis Martii proxime futuri. Et hunc modum convocationis communi assensu assumpsimus propter neutrales, & illos qui de obedientia dicti Angeli ad vestram, ac etiam illos de vestra qui ad vestram & dicti Angeli convocationem nullatenus venirent, & propter defectus alias habitos in convocatione concilii, de quo sæpissime & diversis decursis temporum intervallis fuit per nos vestra sanctitas requisita, & eidem humiliter supplicatum & alteri promissum, sed nullatenus adimpletum. Et ut omnis adhibeatur cautela, ex superabundanti vobis tenore præsentium supplicamus, & instanter requirimus, quatenus quantum in vobis est, dictæ convocationi præbeatis assensum & opem, & quod vestræ sanctitati placeat in dicto loco & termino personaliter interesse, & in dicto concilio convenire, in quo nobis procurantibus plena & sufficiens securitas præstabitur in veniendo, stando, & recedendo, & de qua ante dictum terminum congruo reservato intervallo, sanctitatem vestram certificare curabimus; & nos, seu nostrorum major pars, eamdem sanctitatem vestram humiliter commemorare, cum omni honorificentia quæ summo debetur pontifici, & honorifice tractare, ad conservationem unitatis & pacis, & post ipsius exitum felicem. Hæc enim convocatio ad locum & terminum antedictos nullo valet colore difficultari *, impediri, seu quocumque conficto pallio differri, declinari seu mutari: cum etsi in sanctitate ve-

* *f.* difficultatis

A stra corporalis infirmitas vel aliud occurreret impedimentum; seu alias absentiæ justa causa, possit & debeat, de quo vos solemniter requirimus, & alias fuit per nos consuetum; hoc Dei tam necessarium negotium quoad illa quæ per vos facienda existunt, per deputatum a vobis quoad omnia necessaria vel expedientia præambula sufficientem autoritatem habentem perfici, & procuratore * sufficienti & spirituali mandato ac irrevocabili munitum, cessio pro parte vestra fieri, Angelo nominato Gregorio cedente in propria persona, vel per procuratorem similem potestatem habentem, & irrevocabile & speciale mandatum; vel ipso sublato de medio, vel canonice per ecclesiam ejecto.

* *Corr.* procuratione

Quod si dictæ convocationi opem & assensum præstare refugeritis, & in loco & termino antedictis convenire, vel deputatum procuratorem, ut præmittitur, B destinare (cum extra terminos Italiæ nequeant partes, seu ipsarum altera ad conservationem unitatis habendæ, multis consideratis, ita commode & utiliter convenire, attento quod per concilia particularia, si divisim & in locis divisis longa distantia separatis tenerentur, schisma extirpari non posset:) nos, & alii qui ad vocationem nostram venerint, procedemus in negotio unionis habendæ, & schismatis tam horrendi, errorumque fidem tangentium extirpatione, cum collegio cardinalium partis alterius, ac cum consilio vocatorum per nos & ipsos, attentis præmissis juratis & conventis per sanctitatem vestram & dictum Angelum, ut dictaverit Spiritus sancti gratia, & alias fuit per sanctos patres in Romana ecclesia salubriter C observatum, vestra aut dicti Angeli, seu alterius absentia non obstante. Suppliciter viribus iteratis exhortantes sanctitatem vestram in Domino, & per viscera misericordiæ Iesu Christi, qui ecclesiam suam fundavit pretioso sanguine, unamque esse voluit, ac in unitate spiritus permansuram, sine qua & extra quam non est salus, quatenus convocationi jam dictæ in loco & termino antedictis fiendæ opem & auxiliū, ut decet zelatorem domus Dei, adhibere velitis. Ad quē, sicuti de jure possumus, super prædictis vos provocamus ad causam: quia si, quod absit, nolueritis, aut impedimenta præstiteritis dictæ convocationi & ad D illam venientibus, ac nobis qui ad illam tendimus, eamque modis canonicis procuravimus: talia ad impedimentum unionis ecclesiæ & ipsius schismatis perpetuationem censerentur luce clarius pertinere, cum ad veritatem contra falsitatem fuerit collata potestas, & ad ædificationem, non autem ad destructionem. Et si, quod absit, vellet sanctitas vestra impedimenta præstare, cum nihil sit per quod fiendæ unitati, ad quam tendimus, posset per potestatem aliquam iuste fieri, cum in hoc prosequamur voluntatem Divinam: ecclesia, cujus unitati claves a Christo concessæ sunt, talia non pateretur sub dissimulatione trāsire. Et circa præmissa vestram intentionem vestrumque propositum, & quod in præmissis agere intendi- E tis, præsentialiter nobis notificare dignemini, ut proinde certitudine habita, providere valeamus quantum in nobis erit, circa vestram securitatem & libertatem, & alia necessaria, & ad tantum negotium opportuna. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, præsentes nostras litteras per notarium publicum infra scriptum subscribi & publicari mādavimus, ac nostrorum sigillorum fecimus appensione muniri. Datum & actum in loco Liburni supradicto, in claustro ecclesiæ dicti loci, nobis ibidem tunc Guidone Prænestino, Nicolao Albanensi, Petro Tusculanensi, episcopis, Petro tituli sanctæ Susannæ presbytero, Amedeo sanctæ Mariæ novæ,

ANNO CHRISTI 1409.

novæ, & Petro sancti Angeli, diaconis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus congregatis & personaliter constitutis, ac omnia & singula suprascripta pro nobis, & aliis dominis cardinalibus absentibus, nobis adhærentibus & adhærere volentibus in hac parte, approbantibus & ratificantibus, & de præmissis, & eorum singulis unum vel plura publica instrumenta nobis, & cuilibet nostrum fieri petentibus, sub anno a Nativitate Domini 1408. indictione 1. & die 14. mensis Iulii, præsentibus reverendis in Christo patribus & dominis Dei gratia Simeone patriarcha Alexandrino, administratore perpetuo ecclesiæ Carcassonensis, Petro episcopo Meldensi, ac venerabilibus & circumspectis viris magistris Roberto de Quesneio doctore, Ioanne Francisci licentiato in decretis, Ioanne Petri magistro in medicina, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis, sic subscriptis & signatis.

Et ego Ioannes Desmarquais de Monte acuto, clericus Laudunensis diœcesis, & imperiali autoritate notarius, præmissis omnibus & singulis suprascriptis, dum per reverendissimos in Christo patres, dominos supradictos sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales ratificarentur & approbarentur, una cum prænominatis testibus præsens fui, & de præcepto eorumdem dominorum cardinalium præsentes litteras per alium scriptas, una cum trium priorum collegii dictorum dominorum cardinalium, de mandato & requisitione aliorum tunc dominorum cardinalium supradictorum, eisdem dominis prioribus factis super hoc, sigillorum appensione, me hic propria manu subscribenda signo meo consueto signavi; in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

De Marchias de Monte acuto.

ACTA CONCILII PISANI.

SESSIO I.

IN nomine Domini, amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo quadringentesimo nono, more Romano, indictione secunda, die vicesima quinta mensis Martii, inchoatum fuit generale concilium, sive sancta synodus, & celebratum in civitate Pisana, in quo erant plures cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, abbates, sacræ theologiæ magistri, & utriusque juris doctores, & licentiati nobiles, procuratoresque plurium absentium prælatorum: in quo quidem concilio processum extitit per hunc modum.

Primo, fuerunt factæ processiones solennes, & postmodum in ecclesia cathedrali dictæ civitatis fuit Missa devotissime per dominum cardinalem a Thurego celebrata, & sermo factus per unum alium cardinalem, scilicet Mediolanensem. Missa vero celebrata, cantatæ fuerunt antiphonæ, & certæ orationes dictæ: & postmodum diaconus alta voce dixit: Orate. Tunc flexis genibus & inclinato capite, omnes oraverunt submissa voce mitris positis: deinde diaconus & subdiaconus cantaverunt alta voce litanias, & omnes responderunt. Quibus finitis, unus cardinalis episcopus dixit certas orationes ad propositum unionis: quibus completis, quidam cardinalis diaconus legit evangelium. Quo lecto, unus episcopus cardinalis incepit hymnum, Veni creator spiritus. Quo finito, duo cardinales diaconi, duo archiepiscopi, & duo episcopi, cum pluribus doctoribus & notariis, ex ordinatione concilii & mandato, se transtulerunt ad valvas ecclesiæ, & alta voce proclamaverunt, an Petrus de Luna & Angelus de Corario, qui Benedictus & Gregorius dicebantur, de papatu contendentes, essent hic præsentes, aut aliquis pro ipsis. Quibus non repertis, nec aliquo pro ipsis, ad ecclesiam redierunt, & in pleno concilio relationem fecerunt. Qua relatione sic facta, sacrum concilium certos ordinavit & constituit promotores, seu procuratores, nomine ecclesiæ universalis, ad agendum, petendum & faciendum omnia necessaria, commoda & opportuna, pro schismatis extirpatione, contra prædictos dominos contendentes, immo verius colludentes de papatu, & pro sancta unione in ecclesia Dei habenda, prout in forma, &c. Ordinatique sunt advocati & notarii pro ista causa deducenda. Quibus factis, procuratores prædicti accusaverunt contumaciam dictorum contendentium de papatu, & petierunt eos reputari contumaces in materia schismatis & fidei, ac in contumacia & defectu poni. Et fecerunt legi citationes & provocationes dictorum contendentium, & relationes executorum, &c. Quibus non obstantibus, concilium sacrum de benignitate ordinavit expectandum usque ad aliam sessionem, quæ fuit ordinata ad vigesimam sextam diem dicti mensis Martii.

SESSIO II.

Qua die adveniente, celebrata Missa, & servatis solemnitatibus ut supra, dicti contendentes fuerunt evocati ad valvas ecclesiæ, modo quo supra in media sessione. Et quia non comparuerunt, nec aliquis pro ipsis, fuit ut supra contumacia accusata. Nihilo minus concilium sacrum iterum de benignitate dixit eos expectandos usque ad penultimam diem dicti mensis Martii, ad quam diem ordinavit proximam sessionem: qua die, videlicet trigesima Martii adveniente, fuit processum ut sequitur.

SESSIO III.

Declaratio & decretum latum contra duos contendentes de papatu ob contumaciam ipsorum in causa fidei & schismatis contumaciæ, prolata ex ore domini Prænestini sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, Pictaviensis vulgariter nuncupati, ex commissione totius concilii & assensu unanimi.

» Vniversis & singulis, sacra mandante synodo, tenore præsentium intimatur, quod hac die Sabbati penultima hujus mensis Martii, in ecclesia cathedrali Pisana, celebrata devote & solenniter Missa, pro unione sacrosanctæ ecclesiæ ordinata, dictis in cantu litaniis, & devotis orationibus, ac expletis aliis in talibus consuetis; auditis quibusdam propositionibus & petitionibus deputatorum, advocatorum, & procuratorum sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, iniquis de papatu contendentiũ ausibus, lacessentium, lacessitorũ; proh dolor! immo diutissime; per quas recensito, quod attenta contumacia infra scriptorum de papatu contendentium, proxime lapsorum, in processu hujus causæ descripta; petitum extitit, eosdem contendentes, etiam cardinales eis adhærentes, & alios ad hujusmodi concilium legitime evocatos, reputari, decerni, & declarari contumaces, jam bis, & nunc tertio, prorogata seu continuata dies instat, in qua contendentes ipsi, & cardinales ipsis adhærentes, cæterique vocati comparere tenentur, accusatque legitime.

„ Tandem ipsa die contumacia prædictorum contendentium, & petito eos contumaces reputari, decerni, & declarari, ipsa sancta synodus, seu hoc sacrosanctum generale concilium ante dictum, præfatis contendentibus, & aliis legitime, ut ex processu constat, ad valuas ecclesiæ vocatis, aliisque

servatis

ANNO CHRISTI 1409.

" servatis servandis, unanimi consensu vocatorum supradictorum contendentium, & aliorum contumaciam reputavit, decrevit & declaravit per organum domini cardinalis Pictaviensis, ut in schedula continebatur, cujus tenor sequitur, & est talis.

" Sancta synodus, seu hoc sacrum generale concilium, dominos Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum Corarium, Gregorium XII. nuncupatos, de papatu contendentes, & quantum in eis est, ecclesiam Dei notorie in schismate tenentes, legitime requisitos, vocatos & proclamatos in causa schismatis & fidei ad hoc præsens sacrum & generale concilium. & omnia in eo agenda, non venientes, seu non comparentes legitime per se nec per alios, nec termino statuto satisfacientes, licet expectatos post terminum per duas sessiones, reputat, decernit & declarat in causa schismatis & fidei contumaces, ponitque in contumacia & defectu, & ordinat in eorum contumacia debere ad ulteriora procedi & procedendum fore: ordinans sessionem aliam fieri die Lunæ post Dominicam in Albis, quæ erit 15. die mensis Aprilis. Ad quam diem ordinat præsens generale concilium, dom. card. Tudertinum, domino Gregorio adhærentem, & dominos Ioannem Sabinensem episcopum, sancti Hadriani, sanctæ Mariæ in via lata, de Flisco, & de Chalanco, vulgariter nuncupatos, sanctæ Romane ecclesiæ cardinales domino Benedicto adhærentes, de benignitate expectandos fore cum intimatione. Quod si prædicti duo contendentes, & præfati domini cardinales, non comparuerint in dicto termino, ad ulteriora procedetur, eorum contumacia nonobstante: ordinavit nihilominus præsentem ordinationem in valuis cathedralis ecclesiæ affigi publice, ut de præmissis non valeant ignorantiam allegare.

SESSIO IV.

Qua die Lunæ decimaquinta mensis Aprilis adveniente, Missa ibidem celebrata, & aliis quæ ad Divinum cultum spectant, ut moris est in concilio generali, ut supra declaratum est, comparuerunt ambassiatores Ruperti de Bavaria S. sedis imperatoriæ* electoris, qui palam publice proposuerunt pro impugnando convocationem contendentium: secundo subtractionem factam per cardinales suæ obedientiæ: tertio unionem collegiorum, &c. Quibus auditis, fuit eis dies assignata ad audiendum responsionem super propositis ad vigesimum quartum diem dicti mensis Aprilis: fuitque his non obstantibus processus continuatus, ut supra, vocando ad valuas ecclesiæ, si duo contendentes, aut eorum alter, vel aliquis pro eis esset in hac præsenti civitate Pisana, ut supra. Quibus non apparentibus, fuerunt reputati contumaces, ut supra, continuando sessionem aliam ad diem Mercurii vigesimam quartam prædictam: quo termino pendente, præfati ambassiatores imperatoris secunda die recesserunt illicentiati, & hospite non salutato.

*f. imperatori electo,

SESSIO V.

Dicta die Mercurii vigesima quarta mensis Aprilis adveniente, Missa & solemnitatibus servatis, fuit accusata contumacia dictorum contendentium, ut supra: fecitque promotor seu procurator ecclesiæ universalis proponi certos articulos contra ambos contendentes, concludentes plura ad propositum unionis, & contra dictos contendentes: & requirebat quod darentur commissarii, licet perpetrata essent notoria, pro informatione majori Tunc fuit dies assignata, ad hoc pro alia sessione, scilicet ad ultimam diem Aprilis.

SESSIO VI.

Qua adveniente comparuerunt Anglici, & proposuit episcopus Salberiensis solemniter dicens pro themate: *Iustitia & judicium præparatio sedis tuæ*: concludens quod habebat a rege & regno Angliæ potestatem magnam ad omnia necessaria in hoc sacro concilio rationabiliter tractanda. Et postmodum fuit dies assignata pro alia sessione, ad diem Sabbati, quartam mensis Maii proxime futuram. *Psal. 88.*

SESSIO VII.

Dicta die Sabbati adveniente, servatis solemnitatibus & cæremoniis præmissis, quidam doctor Bononiensis Petrus de Ancharano dictus, solemniter respondit ad proposita per ambassiatores dicti Ruperti de Bavaria, licet absentes, & satis expectatos, ostendendo clare, quod proposita per eos erant manifeste frivola & nullius efficaciæ, fundendo clare intentionem concilii, & quod ambassiatores tendebant ad impedimentum sanctæ unionis. Et postmodum fuerunt dati per concilium commissarii & nominati pro examinandis testibus super propositis per procuratorem seu procuratores concilii, & ad recipiendum instrumenta & probationes, &c. etiam in absentia & contumacia dictorum contendentium. Et ista die, dominus episcopus Ebroicensis celebravit Missam in majori ecclesia, in præsentia sacræ synodi: & fuit ordinatum quod aliqui eligerentur pro eundo ad regem Ladislaum, pro mitigando eum, &c. fuitque dies assignata ad diem Veneris proximam, scilicet decimam diem mensis Maii prædicti, pro alia sessione.

SESSIO VIII.

Qua die adveniente, servatis solemnitatibus & ceremoniis, ut supra, dictum est pro parte procuratoris universalis ecclesiæ, & fuit requisitum, quatenus concilium sacrum vellet determinare & sententiare, &c. unionem duorum collegiorum factam, fuisse & esse legitime factam, & facere unum collegium, ratificare, approbare & confirmare; convocationemque sacri concilij per eos factam, fuisse & esse juridice & legitime factam in loco habili, tuto & securo, ipsamque congregationem esse & repræsentare concilium universalis ecclesiæ: ad ipsumque concilium spectare & pertinere cognitionem, definitionem & decisionem omnimodam causæ unionis ecclesiæ, & schismatis sedandi, contra duos contendentes de papatu, ecclesiam Dei detinentes in schismate notorie, cum omnibus pertinentiis, emergentibus, & connexis. Et fuit petitum, si placeret omnibus. Et cum magna pars respondisset, quod placebat quod ita fieret: duo episcopi quoad primam conclusionem contradixerunt, videlicet Salisberiensis & Ebroicensis, dicentes quod non poterat fieri unio duorum collegiorum, quamdiu cardinales Benedicti sibi obedirent, prout faciebant, aliis non obedientibus Gregorio XII. sed solum Deo & ecclesiæ: quia turpis est pars, quæ non congruit suo universo. Et ita erat necesse, quod domini cardinales se subtraherent, ut esset unio uniformiter obedientium & obedientiarum, *& multitudinis credentium esset cor unum & anima una*. Quibus auditis, fuerunt multa hinc inde prolocuta. Et tandem procurator prædictus ascendit pulpitum, & requisivit, quo *Act. 4.*

ANNO CHRISTI 1409

quod sancta synodus (attenta pertinacia & contumacia dictorum duorum contendentium de papatu in materia schismatis & fidei, & quod notorie ecclesiam Dei detinerent in schismate contra ejus voluntatem, & violenter contra eorum juramenta & vota, ac debitum pastoralis officii, & de eorum manifesta collusione satis constet) vellet & dignaretur pronunciare & declarare, a tempore quo constitit eos non habere vel non habuisse voluntatem uniendi ecclesiam per viam juratam, & pro tanto bono per ecclesiam electam, quemlibet potuisse & debere recedere ab amborum obedientia, nec ulterius amplius debere eis obedire. Et petiit si hoc placeret omnibus: & responsum fuit iocose, quod sic, excepto quodam episcopo Anglico, & uno Alemano: & nihilo minus conclusum fuit ut petebat dictus procurator. Et postmodum dominus patriarcha Alexandrinus, cum episcopo Salisberiensi, ascendit cathedram, & infra scriptis pronunciavit sententiam autoritate concilij petitioni conformem: & de omnibus conclusionibus procurator ecclesiæ petiit fieri instrumentum ad perpetuam rei memoriam. Et fuit alia dilatio concessa ad examinandum testes ad octavam diem, sessione ad eamdem diem assignata, ad procedendum ulterius prout de jure.

SESSIO IX.

Die Veneris decima septima prædicti mensis Maii adveniente, celebrata Missa, solemnitatibus & cæremoniis servatis, procurator ecclesiæ ascendit pulpitum, & fecit requiri alta voce per advocatum, quod subtractio in præcedenti sessione facta declararetur, quoniam aliqui murmurabant. Et fuit de consensu omnium in concilio existentium pronunciatum per os domini patriarchæ Alexandrini licuisse, se subtrahere ab obedientia amborum contendentium de papatu, a tempore quo, &c.

Item, quod a cunctis Christi fidelibus erat obedientia subtrahenda, & ab omnibus pro subtracta habenda: & ita mandabat synodus.

Item, revocatæ fuerunt sententiæ latæ per contendentes contra subtrahentes.

Item ordinatum fuit, quod illi qui erant in concilio judices vel conjudices, poterant esse testes contra contendentes.

Item, quod commissarij possent articulos declarare.

Item decernit tertiam dilationem ad producendum testes, &c. & ad ulteriora procedendum fore, prout eidem sanctæ synodo videbitur expedire. Diem Mercurij proximam, quæ erit vigesima tertia mensis Maij, ad quam diem statuit & ordinavit proximam sessionem, prout in quadam schedula ibidem lecta continebatur, cujus tenor sequitur in hunc modum: Sancta & universalis Synodus hic in Christi nomine congregata, declarat, pronunciat, & decernit, ex justis & rationabilibus causis, a Petro de Luna, qui Benedictus XIII. & ab Angelo Corario, qui Gregorius XII. dicebantur, improbe contendentibus de papatu, & ab ipsorum cujuslibet obedientia, licuisse recedere libere & pure; videlicet a præfato Benedicto, ex tempore quo viam cessionis per eum solemniter juratam realiter persequi, & eam effectualiter adimplere damnabiliter omisit; & a præfato Gregorio, ex eo tempore quo viam cessionis per eum solemniter juratam, voto promissam & firmatam, realiter persequi & effectualiter adimplere, damnabiliter prætermisit. Insuper sancta synodus, ex causis quibus supra, pronunciavit, statuit, ordinavit, & decrevit, præfatos contendentes de papatu, ac ipsorum quemlibet, qui canonice requisiti & vocati in præsenti causa schismatis & fidei fuerunt celebrati legitime, contumaces fore, a cunctis Christi fidelibus omnimode obedientiam subtrahendam, & ex nunc ut antea ab omnibus pro subtracta haberi. Et ita observandum decernit, pronunciat atque mandat.

ANNO CHRISTI 1409

Corr. in antea

Processus autem & sententias condemnationum, privationum, inhibitionum, & censuras quascumque, per eosdem contendentes de papatu, aut ipsorum alterum, in præjudicium prosecutionis unionis, contra subtractos, & in posterum subtrahendos, factos, & in futurum fiendos, hæc sancta synodus decernit & declarat cassos existere, ac nullius roboris vel momenti, & eos cassat & annullat, quatenus de facto processerunt, aut in futurum procedent.

Item, eadem sancta synodus in favorem fidei, & schismatis extirpationem, ac pro ecclesia lacerata vnienda & pacificanda, decernit, pronunciat & declarat, omnes cujusque status, &c. etiam si cardinalatus præfulgeant dignitate, qui in causa præsenti sunt & possunt esse judices seu conjudices, similiter esse posse legitimos testes, eorumque testimonio & depositioni fidem esse indubiam adhibendam.

Item, cum propter adversitatem & prolixitatem articulorum in præsenti causa productorum, posset testium examinatio dispendio protelari: propterea sancta synodus decernit, pronunciat, & declarat, quod domini commissarij seu examinatores ad hæc per sanctam synodum deputati, possint dictos articulos declarare & specificare, ac in eis addere, detrahere, & mutare, ac interrogatoria facere, prout utilitati & accelerationi causæ videbunt expedire. Corr. diversitatem

Et ex prædictis, causa cognita & deliberata, dat, statuit, & decernit tertiam dilationem ad probandos & producendos testes, & ad ulteriora procedendum, (prout eidem sanctæ synodo videbitur expedire) diem Mercurii proximam, quæ erit dies vigesima secunda hujus mensis, ad quam diem statuit & ordinat proximam sessionem, pronunciationem per patriarcham Alexandrinum, die vigesima septima dicti mensis Maij 1409. in sacro concilio generali Pisis celebrato. Corr. Pronunciatum

SESSIO X.

Die Mercurij adveniente, quæ fuit vigesima secunda mensis Maij, celebrata Missa, & illis quæ ad Divinum officium spectant, procurator ecclesiæ fecit per advocatum proponi, quod domini cardinales Laudensis & sancti Angeli senior, & alij prælati, & domini dati commissarij ad examinandos testes, & recipiendas probationes & instrumenta contra duos improbe contendentes de papatu, testes audiverant, & in scriptis redigi fecerant per notarios ordinatos per concilium, aliasque probationes & instrumenta ad causam facientia receperunt, erantque parati legitimam facere relationem per unum ex ipsis prælatis commissariis, videlicet per organum domini archiepiscopi Pisani, si concilio placeret. Et respondit concilium, placet. Quo facto dictus advocatus nomine quo supra, petiit & requisivit, quatenus dicti contendentes essent vocati ad hanc diem, ad audiendum testium publicationem; & quod domini cardinales cum aliquibus prælatis & aliis more solito irent ad fores ecclesiæ, & eos vocarent, si essent præsentes, vel aliquis pro ipsis: & de hoc fecerunt relationem in pleno concilio, quod sacro concilio placuit. Et tunc domini cardinales de Columna & sancti Angeli, cum aliis pluribus prælatis & doctoribus ac notariis, iverunt ad valvas ecclesiæ, & alta

ANNO CHRISTI 1409.

alta voce petierunt, an contendentes de papatu, vel eorum alter, aut etiam aliquis pro eis adesset. Quibus sic factis, ad concilium redeuntes, retulerunt, nec contendentes adfuisse, nec aliquem pro eis comparuisse. Qua de causa, quoad istum actum; per concilium fuerunt reputati contumaces: & fuit conclusum, quod erat ulterius procedendum ad relationem & publicationem, eorum contumacia non obstante. Et statim dictus archiepiscopus Pisanus cum uno notario sacri concilii ascendit pulpitum, in quo proposuit, quod de mandato dominorum commissariorum suorum collegarum erat ordinatus ad faciendum relationem & publicationem sub tali forma: Quod dictus notarius speciatim legeret singulos articulos, alias datos & lectos in pleno concilio, contra dictos contendentes, ita quod super quolibet articulo seorsim & separatim dictus dominus archiepiscopus Pisanus adaptaret testes super articulos productos, designando numerum & qualitates, status, gradus, dignitates & præeminentias singulorum testium: & ita factum est. Et quia dictus notarius hac die legit articulos usque ad numerum viginti, & in quolibet articulo faciebat pausam; & postmodum archiepiscopus Pisanus dicebat sic: Iste articulus est probatus tamquam verus, manifestus & notorius, per quindecim testes, quorum quatuor sunt cardinales, unus patriarcha, quinque episcopi, & quatuor doctores, & unus licentiatus in decretis: & quandoque dicebat, quod articulus erat probatus per decem, aliquando per viginti duo, aliquando per viginti quinque, aliquando per duodecim, aliquando plus, aliquando minus. Ita tamen quod non fuit articulus, quin esset probatus verus ad minus per quinque testes omni exceptione majores. Et quia tunc erat tarde, concilium continuavit istum actum, ad procedendum ulterius, & consequenter in negotio præsenti, ad primam diem, quæ erat vigesima tertia mensis Maii.

SESSIO XI.

Die vigesima tertia Maii adveniente, servatis solemnitatibus & cæremoniis consuetis, notarius qui de prædictis articulis viginti legerat, continuando materiam, legere cœpit articulos sequentes usque ad numerum triginta septem inclusive: & postmodum legit quoque alios paucos articulos, & in continenti archiepiscopus Pisanus, ad quemlibet articulum adaptabat probationes, eo modo quo dictum est in præsenti sessione. Quibus completis, advocatus ecclesiæ ascendit pulpitum, & proposuit, ut sequitur.

Reverendissimi in Christo patres, audivistis sufficienter, & plenam relationem heri & hodie factam hic in vestrum & totius sanctæ synodi præsentia, recitatam per reverendissimum patrem dominum archiepiscopum Pisanum, de mandato & autoritate reverendissimorum dominorum cardinalium Laudens. & sancti Angeli, ac dominorum prælatorum & aliorum commissariorum examinatorum in præsenti causa, per hanc sanctam synodum deputatorum. Et quia ex eorum authentica & sufficienti relatione clare constat, omnia & singula quæcumque proposita & producta contra dictos contendentes, immo verius colludentes de papatu, esse vera, publica, notoria & manifesta, ita quod non possint aliqua tergiversatione celari: propterea peto, supplico & requiro, nomine & pro parte procuratorum & promotorum, ad prosecutionem causæ præsentis, per hanc sanctam synodum pronunciari, decerni & declarari, omnia & singula in dicta petitione contenta esse vera, publica, notoria & manifesta; & super his tamquam veris, probatis sufficienter publicis, notoriis & manifestis, ad ulteriora procedere, prout tam magnæ necessitati ecclesiæ, & pertinaciæ, contumaciæ & obstinationi dictorum B. & A. hæc sancta synodus videbit expedire. Auditis sancta synodus petiit deliberationem concilii, & fecit pronunciari per dominum archiepiscopum Pisanum in hunc modum.

Sancta synodus audita tali relatione, statuit terminum ad deliberandum & audiendum determinationem dicti concilii super prædictis petitis & requisitis, ad diem Sabbati, quæ erit vigesima quinta præsentis mensis Maii, & ad ulteriora procedendum, prout sanctæ synodo videbitur, ad quam diem statuit proximam sessionem.

SESSIO XII.

Qua die adveniente, servatis solemnitatibus & cæremoniis, ut supra, advocatus ecclesiæ ascendens pulpitum, supplicavit, petiit & requisivit nomine quo supra, pronunciari super notorio, prout alias latius in ultima sessione petierat & requisierat: & petitum fuit ab omnibus in concilio præsentibus, si placeret: qui omnes & singuli responderunt, placet. Quo facto, patriarcha Alexandrinus, de voluntate & assensu concilii, ascendit pulpitum, & pronunciavit ut in schedula continebatur, cujus tenor sequitur, & est talis.

Sancta synodus, attenta eorum de quibus agitur notorietate, denique per evidentiam depositionum testium, & alia documenta, legitime constat; habitaque super his deliberatione matura, decernit, pronunciat & declarat, delicta omnia & excessus, ac alia ad decisionem necessaria in petitione præsentis causæ deducta contra dictos Benedictum & Gregorium de papatu contendentes, per promotores seu procuratores per hanc sanctam synodum deputatos, fuisse & esse notoria, & tanquam super notoriis, fuisse & esse ad ulteriora procedendum; & tamquam in causa, in qua imminet scandalum, & periculum est notorium in mora. De qua quidem pronunciatione dicti procuratores petierunt instrumentum unum, vel plura, ad perpetuam rei memoriam, a protonotariis & aliis notariis ibidem præsentibus.

Quibus ita expeditis, fuit per dictum concilium revocata potestas commissariorum, antea data ad examinandum testes: fuitque super hoc data potestas per concilium, de eligendo & mittendo nuncios & legatos idoneos ad dominum Lucanum, & ad Senensem, pro facto ecclesiæ. Et insuper fuit dies assignata, proxima sessione ad diem Mercurii proximam, quæ erit 29. mensis Maii, ad deliberandum de citatione contra contendentes faciendam, pro audiendo sententiam definitivam, & etiam pro ordinando de die ferendi dictam sententiam, & agendi ad procedendum ulterius, prout sacro concilio videbitur, & fuerit expediens. Et sic dictum concilium recessit.

SESSIO XIII.

Die Mercurii vigesima nona dicti mensis Maii adveniente, servatis solemnitatibus & cæremoniis ut supra, quidam valentissimus magister in theologia, vocatus magister Petrus Plaoul, ascendit pulpitum, & proposuit verbum Dei, videlicet: *Congregabuntur filii Juda & filii Israel pariter, & ponent sibimet caput unum.* Oseæ 1. in fine: & deduxit pulchre exaltando ecclesiam, & asserendo eam esse supra papam,

papā:quod deduxit pluribus rationibus, tam ex parte materiæ, scilicet animarum; quam ex parte formæ, quæ est Spiritus sanctus; quam etiam ex parte causæ efficientis, quæ est ipse Christus; quam etiam ex parte finis, quæ est ipse Deus in ecclesia triumphante. Et postmodum posuit opinionem universitatis Parisiensis, videlicet quod Petrus de Luna est schismaticus, pertinax, & hæreticus, etiam accipiendo hæresin proprie & stricte: præcisusque ab ecclesia Dei, ejectus a jure papatus, & privatus, ac per concilium de facto tamquam talis ejiciendus & privandus. Et hæc declaravit pluribus rationibus, & subjunxit, quod de eadem opinione erant universitates Andegavensis, Aurelianensis, & Tolosanensis. Ipso autem descendente de cathedra, ascendit quidam episcopus Italicus, qui opinionem centum & trium magistrorum in theologia, & plurium licentiatorum, & baccalaureorum formatorum, ac universitatis Bononiensis, in quadam schedula publicavit, quæ est conformis opinioni universitatis Parisiensis.

Postmodum autem advocatus ecclesiæ ascendit pulpitum, & petiit diem assignari ad sententiam definitivam ferendam, & etiam citationem peremptoriam, decerni per edictum ad valvas ecclesiæ cathedralis civitatis Pisanæ & loca insignia, contra dictos contendentes de papatu: quam diem petiit assignari Mercurij proxima, quæ erit quinta dies mensis Iunii proxime futuri. & quod illa die fieret una sessio. Requisivit insuper, quod pendente dilatione, medio tempore, videlicet die Sabbati proxima, quæ erit prima mensis Iunii, fieret una sessio, ad audiendum publicari certas attestationes super novis & antiquis de novo receptis, ex abundanti cautela, contra dictos duos contendentes: super quibus omnibus petiit a sacro concilio, an placeret: Omnes autem de concilio responderunt, placet. Super quibus omnibus petitis & requisitis per episcopum, tam de die sententiæ ferendæ, quam etiam de citatione & sessione media: de quibus petierunt procuratores instrumentum ad perpetuam rei memoriam: & sic concilium recessit. Die autem Sabbati adveniente, quæ fuit prima mensis Iunii dicti anni 1409. congregato concilio in ecclesia cathedrali Pisana, & servatis solemnitatibus & ceremoniis consuetis, ac nonnullis orationibus ad factum unionis ecclesiæ dictis, dominus archiepiscopus Pisanus ascendit pulpitum. Et quia aliqui volentes plus sapere quam sapere oportet, non fuerunt ad plenum contenti de relatione alias per eum facta, tum quia multi non viderant attestationes, tum quia non fuerat facta relatio, nisi dumtaxat super notorietate facta*, & non super veritate eorumdem: ideo ad observandum omnes circumstantias, de mandato dominorum cardinalium, & plurium episcoporum, & aliorum qui dati fuerant commissarii per concilium, ad examinandum testes, idcirco fecit relationem suam ex abundanti per hunc modum. Quia primo sumebat sigillatim unumquemque articulum, exprimendo ejus substantiam & effectum: & post statim subjungebat, satis iste articulus probatur verus per tot testes, quorum tres sunt cardinales, quinque episcopi, & duo doctores, & tres auditores, &c. Et sic de omnibus articulis, usque ad finem. Qui omnes fuerunt probati viri, & quilibet, per plures testes magnæ autoritatis. In fineque subjunxit, si essent aliqui de concilio, qui vellent videre ad longum attestationes, quod irent die Lunæ & Martis proxima ad conventum Carmelitarū, & ibi reperirent notarios, qui omnia ad plenum eis ostenderent, de quibus, &c. ut suprá.

* f. factorū

SESSIO XIV.

Die Mercurii adveniente, quæ fuit quinta mensis Iunii, servatis solemnitatibus & cæremoniis, ut alias fuerunt servatæ, advocatus ecclesiæ ascendit pulpitum, & proposuit, quod die Mercurii ultime præterita fuit decretum citatorium contra dictos contendentes de papatu, ad audiendum sententiam definitivam in præsenti causa unionis ecclesiæ, schismatis & fidei, scilicet ad diem hodiernam quintam mensis Iunii, videlicet per edictum ponendum & affigendum in valuis hujus basilicæ, & aliis locis insignibus civitatis, prout factum fuit, & constat per relationem legitimam cursorum, ac etiam per rei evidentiam. Ideo petiit & requisivit, quod omnes domini cardinales & alii prælati se transferrent ad valvas ecclesiæ prædictæ, & proclamarent, & requirerent, an dicti contendentes de papatu improbe, aut aliquis pro ipsis aut aliquo ipsorum, esset præsens. Et relatione dictorum cursorū facta, petiit sententiā definitivam in scriptis fieri, etiā contumacia non obstante, quam accusabat nomine quo supra. Quibus sic factis, duo cardinales, videlicet de Columna & sancti Angeli junior, & duo archiepiscopi, videlicet Ianuensis & Pisanus, pluresque doctores solemnes, & notarii, ad valuas dictæ ecclesiæ se transtulerunt, & proclamaverunt bis, aut ter, an, &c. Quibus reversis, retulerunt se dictos contendentes de papatu non reperisse, nec aliquem pro ipsis. Ex quo procuratores petierunt sententiam definitivam contra eosdem contendentes, ut supra, etiam contumacia non obstante. Et petiit advocatus ecclesiæ, si placeret omnibus, quod sententia definitiva ferretur per dominum patriarcham Alexandrinum: qui responderunt, placet. Quo facto, dictus dominus patriarcha, astantibus sibi aliis duobus patriarchis, scilicet Antiocheno & Hierosolymitano, uno a dextris & alio a sinistris, & sedens pro tribunali in dicto pulpito, in scriptis pronunciavit sententiam definitivam contra dictos duos contendentes voce alta & intelligibili, valuis prædictæ ecclesiæ omnibus apertis, & innumerabili multitudine populi, quantum ecclesia poterat capere, assistente,

Tenor sententiæ definitivæ contra prædictos contendentes de papatu.

CHristi nomine invocato, sancta & universalis synodus, universalem ecclesiam repræsentans, & ad quam cognitio & decisio hujus causæ noscitur pertinere, sancti Spiritus gratia, in hac majori ecclesia Pisana congregata, ibiq; pro tribunali sedens, visis & diligēter exceptis omnibus & singulis, productis, probatis & agitatis, in præsenti causa unionis ecclesiæ, fidei & schismatis, contra Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum Corarium, Gregorium XII. olim appellatos, quæ in præsenti processu & causa plenius continentur, ac quibuscumque aliis ipsam sanctam synodum ad infrascriptam definitivam sententiam* moventem & inducentem, habita prius inter seipsos, & denuo inter tam copiosam multitudinem magistrorum in theologia sacra, atque utriusque juris doctorum, priusque & pluries diligenti collatione, & tandem deliberatione matura, omnesque pariter in hanc sententiam reperiens unanimiter concordare, omnibus, modo, via & jure, quibus magis & melius potest in prædictis contendentibus, seu verius colludentibus de papatu, & cujuslibet eorum contumacia, in his scriptis pronunciat, decernit, definit & declarat, omnia & singula crimina &

* f. moventibus & inducentibus

Anno Christi 1409.

& excessus, & alia cuncta necessaria ad infrascriptam decisionem præsentis causæ deducta; per providos viros Henricum de Monteleone, Ioannem de Scribanis, & Bertholdum Voiederghensem, promotores, instigatores & solicitatores, seu procuratores deputatos ad persequendum præsentem causam, pro hujus detestandi & inveterati schismatis hujusmodi extirpatione, & unione atque reintegratione sanctæ matris ecclesiæ, contra & adversus prælibatos Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum Corarium, Gregorium XII. de papatu damnabiliter contendentes, ab aliquibus nuncupatos, in petitione coram ipsa sacra & universali synodo præsentata & exhibita, fuisse & esse vera atque notoria: ipsosque Angelum Corarium, & Petrum de Luna, de papatu, ut præfertur, contendentes, & eorum utrumque, fuisse & esse notorios schismaticos, & antiqui schismatis nutritores, defensores, approbatores, fautores & manutentores pertinaces, necnon notorios hæreticos, & a fide devios, notoriisque criminibus enormibus perjurii & violationis voti irretitos, universalem ecclesiam sanctam Dei notorie scandalizantes, cum incorrigibilitate, contumacia & pertinacia, notoriis, evidentibus & manifestis: & ex his & aliis se reddidisse omni honore & dignitate, etiam papali, indignos: ipsosque, & eorum utrumque propter præmissas iniquitates, excessus, & crimina, ne regnent vel imperent aut præsint, a Deo & sacris canonibus fore ipso facto abjectos & privatos, & etiam ab ecclesia præcisos. Et nihilominus, ipsos Petrum & Angelum, & eorum utrumque, per hanc definitivam sententiam in his scriptis privat, abjicit & præscindit, inhibendo eisdem ne eorum aliquis pro summo pontifice gerere se præsumat, ecclesiamque vacare Romanam, ad cautelam decernendo, & insuper omnes Christicolas quoscumque, etiamsi imperiali, regali, vel alia qualibet præfulgeant dignitate, declarat ab eorum & cujuslibet eorum obedientia (nonobstante quocumque fidelitatis juramento, aut alio quovis vinculo, quo illi vel eorum alteri tenerentur astricti) fore perpetuo absolutos. Inhibendo iisdem Christi fidelibus, ne prædictis de papatu contendentibus, seu eorum alteri, quomodolibet obediant, pareant, vel intendant, aut consilium, auxilium, vel favorem ipsis præstent, aut ipsos recipiant vel receptent, sub pœna excommunicationis, & aliis a sanctis patribus & sacris canonibus inflictis, promulgatis, & ordinatis. Quodque si parere contempserint huic ordinationi & sententiæ, ipsos & eorum fautores, defensores, adhærentes, & sequaces, etiam per sæculares potestates fore compescendos, & compesci debere, juxta præcepta Divina & sacrorum canonum dispositiones, eadem sancta synodus pronunciat, decernit & definit: ac insuper, omnes & singulos processus & sententias excommunicationis, inhabilitatis, vel alterius censuræ & pœnæ, privationesque ordinum & dignitatum, etiam cardinalatus, beneficiorum & officiorum, ac graduum quorumcumque, qualescumque fuerint, & quocumque nomine nuncupentur, seu nominentur, contra dominos cardinales per dictos Petrum de Luna, & Angelum Corarium latos & fulminatos, fuisse & esse nullos, cassos & irritos, nullas, cassas & irritas, ac nullius roboris, efficaciæ, vel momenti: & quatenus de facto processerunt, eatenus annullandos, cassandos & irritandos fore: sicque etiam ad cautelam, quantum & quatenus expediat, omni modo & jure quo melius potest, annullat, cassat & irritat. Et insuper promotiones, immo potius profanationes quorumcumque ad cardinalatum, per dictos contendentes de papatu, & eorum utrumque, attentatas, videlicet per dictum Angelum a die tertia Maii, & per Petrum antedictum, a die decimaquinta Iunii anni proxime præteriti millesimi quadringentesimi octavi, fuisse & esse nullas, cassas, irritas & inanes, & quatenus de facto processerunt, annullandas, cassandas & irritandas; & sic etiam ad cautelam, quatenus expedit, omni modo & jure quibus melius potest, præfata sancta synodus per hanc sententiam definitivam cassat, irritat & annullat.

Ad providendum autem adversus processus, constitutiones & sententias in præjudicium unionis, & alias, per Petrum de Luna, & Angelum Corarium, olim contendentes de papatu, seu colludentes præfatos, factas & latas contra reges, principes, patriarchas quoque, archiepiscopos, episcopos, & alios ecclesiarum prælatos, universitates quoque studiorum & communitates, ac singulares personas ecclesiasticas & sæculares, & certas promotiones per ipsos olim contendentes factas ad dignitates quascumque, & ulterius procedendo super aliis bonum universalis ecclesiæ tangentibus: sancta synodus statuit diem Lunæ proximam pro sessione futura, quæ erit decima mensis præsentis, & assignavit eamdem diem Lunæ pro dicta sessione, ad providendum super aliquibus quæ concernunt statum & bonum regimen ecclesiæ universalis. Quo facto, omnes cantaverunt, Te Deum laudamus: & fuit ordinata solennis processio ad diem crastinam, octavam diem Sacramenti: fuitque ulterius ordinatum, quod nullus recedat de synodo absque licentia, & donec se subscripserit in sententia prælibata.

SESSIO XVI.

Qua die Lunæ, decima mensis Iunii adveniente, servatis solennitatibus, prout supra, archiepiscopus Pisanus supradictus ascendit pulpitum, & legit quamdam schedulam mentionem facientem, quod domini cardinales promittebant Deo sic, quod procurarent toto posse, quod is qui in papam eligeretur, reformaret ecclesiam, & quod non pateretur aut permitteret concilium dissolvi, donec de concilio esset facta bona reformatio ecclesiæ, tam in capite, quam in membris.

Sequitur tenor schedulæ.

Nos omnes & singuli episcopi, presbyteri & diaconi, cardinales, congregati in civitate Pisana pro schismatis extirpatione, unitate & bono statu in Dei ecclesia inducendo, promittimus in verbo veritatis, Deo, ecclesiæ Romanæ, & sanctæ synodo hic in Christi nomine congregatæ, quod si quis nostrum in summum Romanum pontificem eligatur, præsens concilium continuabit, nec dissolvet, nec dissolvi permittet, quantum in eo erit, usquequo per consilium ejusdem concilii sit facta debita, rationabilis & sufficiens reformatio universalis ecclesiæ & status ejus, tam in capite, quam in membris. Et promittimus etiam, quod si aliquem de dominis cardinalibus absentibus, vel de extra nostrum collegiũ, assumi cõtingat in papam, veraciter & bona fide, antequam procedamus ad publicationem electionis illius, procurabimus toto posse, habere ab eo promissionem & sufficientem securitatem, quod servabit & implebit omnia & singula supradicta: & interim de lata sententia contra contendentes, super eorum ejectione de

de papatu, sumus contenti, & ratum habemus, quod sede vacante concilium continuetur, & quod in eo quantum commode fieri poterit, in dicta reformatione procedatur, & quod super hoc in proxima sessione alia sessio indicatur. Et fuit assignata alia sessio ad diem Iovis proximam, quæ erit 13. dicti mensis Iunii, ad providendum super aliquibus, quæ notoria videntur pro bono unionis.

SESSIO XVII.

Dicta die Iovis adveniente, servatis servandis, patriarcha Alexandrinus cum aliis duobus patriarchis, videlicet Antiocheno & Hierosolymitano, ascendit pulpitum, & legit quamdam schedulam, cujus tenor sequitur, & est talis. Item quia hujus pestiferi schismatis tempore, dominorum cardinalium in sacro concilio existentium quidam sunt a divisis olim per contendentes de papatu creati, & nunc Deo dirigente procedendum est ad electionem unici & indubitati summi pontificis: hoc sacrum concilium universalem ecclesiam repræsentans, consentit, disponit, & ordinat, quod ipsi sic a divisis creati, ad electionem prædictam procedant, si & in quantum opus est hac vice, autoritate hujus sacri concilii. Nec per hoc potestati dominorum cardinalium circa electionem Romani pontificis intendit in aliquo derogare, nec aliquid innovare: sed hortatur omnes prædictos dominos cardinales, quod ipsi cum caritate ad electionem unius pastoris procedant sic unanimiter, quod de quacumque discordiæ scintilla notari non debeant.

SESSIO XVIII.

Die Veneris 14. mensis Iunii, anno Domini millesimo quadringentesimo nono, facta processione generali in civitate Pisana, in qua fuerunt domini cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, abbates, doctores, & totus clerus, & fuit Missa celebrata devote per cardinalem de Thureyo, super facto unionis sanctæ matris ecclesiæ. Postmodum comparuerunt illico ambassiatores regis Arragonum, & petierunt audientiam, quæ fuit eis concessa, dum tamen docerent de eorum mandato. Et quidam doctor, ambassiator ipsius regis, ascendit pulpitum, & proposuit bonam regis Arragonum intentionem, quam habet ad sanctæ matris ecclesiæ unionem: & asserebat se ad hoc laboraturum: & petiit se de actis in concilio agitatis informari, quoniam informatione habita, paratus erat facere debitum. Protestabatur tamen, quod non intendebat approbare vel consentire aliquo modo actis in dicto concilio, donec esset plenius informatus: de quo petiit instrumentum, & insuper dixit, quod nuncii domini Benedicti papæ XIII. erant in villa. Et fuit tunc sibilatus & illusus, quia dixit & vocavit eum papam, & petiit audientiam pro eis. Ad quod fuit responsum, regratiando de voluntate regis Arragonum. Et fuit responsum, quod libenter darentur deputati autoritate concilii, qui ipsos regis ambassiatores informarent ad plenum de omnibus, &c. Quoad nuncios Petri de Luna, dictum fuit, quod tarde venerant, & quod ad præsens audiri non poterant, & quod domini super hoc deliberarent. Postea fuit deliberatum ea die, quod licet de jure contra sententiam latam contra hæreticum audiri non debebant, tamen ob reverentiam regis Arragonum audirentur ad partem: & sic concilium recessit.

Eadem die Veneris, prandio sumpto, in ecclesia sancti Martini Pisanensis apparuerunt legati regis Arragonum, petentes audientiam pro nunciis Petri de Luna: quæ fuerat eis concessa. Et cum veniebant ad dictam ecclesiam, fuit clamatum contra eos, tamquam contra Iudæos: & quando intraverunt locum concilii, nulla est eis reverentia facta, & fuit coram eis sententia lecta, tribus cardinalibus deputatis audientibus. Cum unus ex ipsis ambassiatoribus Petri de Luna, scilicet archiepiscopus Tarraconensis, vellet proponere: ipse primo dixit quod erant nuncii domini reverendi papæ Benedicti XIII. Fuit magnus tumultus contra eos, & fuit vocatus nuncius hæretici & schismatici, & cum eo Ioannes de Costa olim episcopus Mimatensis, qui se gerebat pro nuncio dicti Petri cum pluribus aliis: & silentio facto, iterum petiit audiri. Quo concesso incepit dicere, quod videbat certa capitula concordata inter dominos cardinales & communitatem Florentinorum, in quibus inter cætera continebatur, quod nullus huc veniens posset impugnare facta in concilio, vel contra venire, & quod habebat aliqua dicere, quæ forte non bene conveniebant actis in hoc concilio: ideo non poterat proponere injuncta ad plenum, nisi daretur sibi securitas, quod non obstantibus ipsis capitulis posset libere loqui: & de hoc supplicabat. Cui per cardinalem Aquileiensem fuit responsum, quod omnes domini cardinales erant præsentes, & quod non habebant potestatem dispensandi contra dicta capitula: & quod si vellet loqui, quod loqueretur prout crederet expedire, alias non. Quo audito, legati regis Arragonum, & dicti Petri de Luna nuncii, locuti sunt ad partem, & dixerunt quod volebant latius dicta capitula videre, & amplius deliberare: & petierunt dilationem ad crastinum, quæ fuit eis concessa: & recesserunt dicti nuncii Petri de Luna cum magno timore. Quo crastino adveniente, quæ fuit dies Sabbati decima quinta Iunii, supra nominati nuncii Petri de Luna, nulla audientia ulterius petita, hospite insalutato recesserunt.

SESSIO XIX.

Dicta die Sabbati, decima quinta Iunii, servatis solemnitatibus & cæremoniis ut supra consuetis, fuit Missa celebrata in dicto concilio in ecclesia cathedrali, de sancto Spiritu, per archiepiscopum Lugdunensem, & factus sermo per episcopum Novariensem, qui cepit pro themate: *Eligite meliorem, & eum ponite super solium*, 4. Regum, decimo capitulo: & peroptime deduxit illam materiam: & ipso finito, concilium recessit.

Eadem die Sabbati hora Vesperarum, domini cardinales numero viginti quatuor intraverunt in conclave cum magna devotione, & erat deputatus ad custodiendum conclave magister Rod. prout fecit cum pluribus aliis notabilibus viris, in domo domini archiepiscopi dictæ civitatis: & ibidem steterunt usque ad diem Mercurii, vigesimam sextam dicti mensis Iunii.

Die autem Mercurii, vigesima sexta dicti mensis Iunii, omnes domini cardinales unanimiter, nullo reclamante, existentes in prædicto conclavi, de mane circa horam Tertiarum, elegerunt in summum pontificem, reverendissimum in Christo patrem & dominum, dominum Petrum de Candia, tituli basilicæ duodecim apostolorum presbyterum cardinalem, Mediolanensem nuncupatum, ordinis fratrum Minorum, nunc vero Alexandrum papam V. Ipse siquidem papa post suam assumptionem ordinavit unam sessionem pro concilio tenendo, videlicet ad diem Lunæ primam mensis Iulii proxime sequentis.

SESSIO

ANNO CHRISTI 1409.

SESSIO XX.

Qua die Lunæ adveniente, fuit celebratum concilium in ecclesia Pisana, ut supra: ac solemnitatibus & cæremoniis servatis, cardinalis de Thureio celebravit Missam: postmodum fuerunt cantata solita cantari, & litaniæ cum multis orationibus, & fuit lectum evangelium per unum diaconum cardinalem: postea papa incepit hymnum, Veni creator Spiritus, &c. Et omnes de concilio responderunt. Quo cantato, cathedra papæ fuit alte posita ante magnum altare in medio, & ab opposito ipsius, versus occidentem, in ultima parte ipsius concilii, fuerunt positæ tres altæ & magnæ cathedræ pro tribus patriarchis, scilicet Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, qui ibidem sederunt: & postea de mandato papæ ibidem præsentis, fuit lectum decretum suæ electionis, in quo omnes cardinales se subscripserant. Quo lecto, cardinalis de Chalanco rogavit concilium, ut oraret pro statu papæ & sanctæ Romanæ ecclesiæ. Quo facto, papa fecit unum sermonem, themate sic incipiente: *Erit unum ovile & unus pastor:* (Ioan. 11.) multa pulchra dixit, narrando quomodo pastor se habere debet erga gregem, & grex erga Deum: & regratiabatur cardinalibus, & promittebat multa bona facere eis. Quo facto, cardinalis sancti Eustachii dictus Bononiensis, ascendit pulpitum, & ex parte papæ Alexandri V. aliqua promulgavit, quæ ordinaverat dictus dominus noster papa.

Et primo, omnes processus, sententias & ordinationes factas per dominos cardinales circa factum unionis ecclesiæ, a die tertia mensis Maii anni Domini millesimi quadringentesimi octavi, & omnia facta in concilio generali, approbavit & ratificavit, & omnem defectum juris & facti, si quis intervenisset, supplevit, si & in quantum opus esset.

Item, duo collegia cardinalium univit, & unum fecit collegium, & pro uno in posterum voluit haberi: & dabit singulis singulos titulos, & de concurrentibus ordinabit.

Item impedimentum appositum in beneficiis cardinalis de Chalanco, sub prætextu, quod diu steterat cum Petro de Luna, sub prætextu suarum excusationum, alias per cardinales admissarum, relaxavit.

Item dixit, quod tantum faceret erga prælatos qui ad concilium venerant, quod ad eorum lares læti & gaudentes reverterentur.

Item dixit, quod ipse volebat vacare circa reformationem ecclesiæ, prout fuerat per cardinales promissum ante ejus promotionem, & quod eligerentur probi viri & litterati de qualibet natione, pro suis, ad deliberandum cum ipsis cardinalibus ad reformationem ecclesiæ.

Item fuit ordinatum, quod die Dominica sequenti coronaretur cum solemnitatibus, & aliis necessariis ad præmissa.

Item fuit ordinata alia sessio ad diem Mercurii tunc proxime sequentis, quæ erit die decima mensis Iulii: & sic dictum concilium recessit.

SESSIO XXI.

Qua die Mercurii decima Iulii adveniente, Missa celebrata per archiepiscopum Ianuensem, & aliis cæremoniis servatis circa officium Divinum, domino nostro papa præsidente, pro parte communitatis Florentinorum ascendit quidam jurisperitus pulpitum, incipiens pro themate: *Offerte Domino tuo, &*

A *redde ei debitum tuum*: in hoc themate cepit tria intelligenda. Primum fuit veneratio, secundum gratulatio, & tertium oblatio. Veneratio debita tantæ & tam solemni congregationi prælatorum & aliorum concilium generale constituentium. Secundum, gratulatio quam habebant Florentini de tam nobili aggregatione, quam pro tanto bono venerantur, ut finem debitum & intentum inveniat, sanctam scilicet unionem ecclesiæ in unico universali vero & indubitato pastore. Tertium fuit oblatio. Nam postquam dixit labores, miserias & ambassiatas quas communitas Florentina fecerat in prosecutione unionis ecclesiæ, addidit quod civitas prædicta se offerebat secundum possibilitatem & usque ad excidium proprium, prosequi extirpationem schismatis: & litteras exhibuit credentiæ, quas legit postmodum archiepiscopus Pisanus.

B Postea unus alius jurisperitus ex parte civitatis Senarum ascendit pulpitum, & tria ex parte ipsorum exposuit. Primo Divinum auxilium imploravit: secundo orationem suam se abbreviaturum protestatus fuit: tertio condescensuros, ad ea quæ sibi commissa fuerant. Primitus dicere habuit, quod quarta Iulii totus populus & clerus Senarum subtraxerat obedientiam Gregorio, & declaraverat se velle obedire domino nostro papæ Alexandro, & suo sancto collegio. Recitavit diligentias & labores quos civitas Senarum fecit prosequendo unionem; & accepit pro themate: *Populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*, Isaiæ 9. quod applicuit populo Senarum pro tempore quo obedivit Gregorio. Sed C postquam conversus est ad obedientiam domini nostri papæ, vidit lucem magnam. Secundum thema quod applicuit sacro concilio ecclesiæ fuit: *Genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, quem revocavit de tenebris ad lumen suum*: & omnes partes hujus thematis ostendit debite convenire huic sacro concilio. In fine dixit, civitatem Senarum paratam exponere quidquid haberet ad prosecutionem unionis & extirpationem schismatis. Et recitavit quod inimici domini nostri papæ succumbebant quotidie, & quod in uno conflictu recenter facto magna multitudo inimicorum perierat. Quibus D sic actis, cardinalis de Chalanco ascendit pulpitum, & legit schedulam infra scriptam.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Nos Alexander Divina providentia papa V. considerans, quod tam per Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum de Corario, Gregorium XII. a nonnullis nominatos, nuper de papatu contendentes, * quoniam per duos (* f. quã per) quondam, Bartholomæum archiepiscopum Barensẽ, Vrbanum VI. Petrum de Thomacellis, Bonifacium IX. Cosmatum, Innocentium VII. & Robertum de Gebenna, Clementem VII. nominatos, dictorum nuper contendentium prædecessorum, durante tempore schismatis & occasione ejusdem, nonnulli processus, E sententias excommunicationum, privationis, irregularitatis, inhabilitationis, suspensionis & interdicti, & alias censuras ecclesiasticas in se continentes, in & contra collegia, divisas personas, regna, jurisdictiones, communitates, universitates, collegia, loca, districtus & territoria, fuerunt & sunt hinc inde facti & promulgati, ac propter * antiquos dictum schisma, (* f. antiquũ) ac etiam quia multi notabiles doctores utriusque juris, & magistri in sacra pagina, scripserunt pro & contra, ac publice & solemniter determinaverunt, ita ut in dubium vertatur a multis, quis a tempore dicti schismatis fuerit verus Romanus pontifex, seu quis veri vicarii Iesu Christi fungeretur officio, ad

ANNO CHRISTI 1409.

exonerationem conscientiarum utriusque obedientiæ, quæ etiam per Dei gratiam ad unum ovile ovium redactæ sunt; omnes & singulos hujusmodi processus & sententias, qui vel quæ occasione * prætextu schismatis & adhærentiæ utriusque partis seu viæ neutralitatis assumptæ vel introductæ, hinc inde, ut præmittitur, lati, decretati, seu fulminati fuerunt: quos omnes & singulos hic pro expressis haberi volumus, hoc sacro approbante concilio, ex nostra certa scientia tollimus & abolemus, ac pro sublatis & abolitis in perpetuum haberi volumus, * nomine præfatis sententiis aut processibus esse ligatum vel involutum declarantes. Et nihilo minus ex abundanti ad cautelam, ac si & in quantum indigent, quoscumque subditis processibus comprehensos a dictis sententiis & censuris absolvimus, & absolutos haberi decernimus & declaramus, & super irregularitatibus, si quas propter præmissa vel occasione præmissorum contraxerint, dispensantes.

* f. & prætextu

* f. nemine

Item fuit ordinatum, aliam sessionem fieri debere ad diem Mercurii tunc proximam, quæ postea fuit de mandato domini nostri papæ prorogata, propter adventum regis Ludovici interim supervenientis, ad diem vigesimam septimam Iulii.

SESSIO XXII.

Qua die vigesima septima Iulii adveniente, Missa, cæremoniis, & aliis solemnitatibus servatis, dominus cardinalis de Chalanco indutus tunica diaconali & mitra, de mandato domini nostri papæ ascendit pulpitum, pluribus prælatis associatus, legitque articulos & capitula subsequentia.

Item, sacro approbante concilio, omnes & singulas promotiones, translationes, confirmationes, collationes, & quascumque provisiones, quibusvis personis huic sacro concilio & ejus determinationi adhærentibus, de quibuscumque prælaturis, dignitatibus, beneficiis & officiis ecclesiasticis, curatis, vel non curatis, consecrationesque episcoporum, & ordinationes clericorum, per ipsos contendentes de papatu, aut eorum alterum, seu ipsorum prædecessores, vel eorum mandato, aut autoritate, temporibus & locis in quibus eisdem realiter & libere præstabatur obedientia, dum tamen ante sententiam definitivam & alias canonice factæ sint, & publice, ac pacifice tempore sententiæ possederint, & in præjudicium unionis, aut persecutionis ejusdem, vel huic concilio adhærentium, factæ non fuerint, ex certa scientia & motu proprio ratificamus & approbamus, ac ratas haberi volumus atque firmas, & etiam si oporteat, de novo providemus.

Vbi autem aliquis casus emergeret, per quem appareret aliquem huic concilio adhærentem, gravatum per alterum ex contendentibus, a die tertia Maii quoad Angelum Corarium, & a die 15. Iulii quoad Petrum de Luna, anni videlicet millesimi quadringentesimi octavi, placet concilio, quod dictus dominus noster papa provideat, ut sibi justum esse videbitur. Item placet concilio, quod super facto archiepiscopi Ianuensis dominus noster provideat.

Item electiones, postulationes, ipsarum admissiones, confirmationes, mutationes, consecrationes clericorum, ordinationes, præsentationes, institutiones, collationes & privationes quasvis, provisiones & dispositiones quibusvis personis, huic sacro concilio & ejus determinationi adhærentibus, de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, de prælaturis, per electores, confirmatores, patronos, ordinarios, & quoscumque provisores, ad hoc potestatem & autoritatem habentes, canonice factas, temporibus & locis subtractionis & neutralitatis, in quibus hujusmodi contendentibus obedientia præstabatur, dummodo alias canonice factæ sint, hoc sacro approbante concilio ratificamus & approbamus, & ratas habere volumus atque firmas, ac omnem suscipere roboris firmitatem, reservationibus non obstantibus quibusque: declarationibus tamen & decretis hoc capitulum concernentibus, in aliis sessionibus lectis, in suo robore permanentibus.

Item, ut unione & pace jam in Dei ecclesia per ipsius gratiam in capite confirmata, pax & tranquillitas subditorum perfectius procuretur, & litium anfractus, quarum dubii sunt eventus, consultius evitentur: hoc sacro approbante concilio decernimus & declaramus, quod omnes & singuli beneficia ecclesiastica, dignitates, personatus, vel officia curata, vel non curata, titulo ordinario assecuti, & possessionem pacificam jam adepti, dum tamen canonice, & alias quam per privationem adhærentium huic sacro concilio & ejus determinationi, assecuti fuerint, beneficiis hujusmodi libere & pacifice gaudeant, nec in jure, titulo, seu possessionibus suis, quomodolibet inquietentur, turbentur, seu graventur, etiam si specialiter vel generaliter beneficia prædicta sedi apostolicæ fuerint reservata.

Per præmissa vero, seu aliquod præmissorum, non intendimus derogare ordinationibus circa præmissos articulos factis in ultima congregatione prælatorum, & aliorum virorum ecclesiasticorum, facta Parisiis. Nec etiam ex præmissis, vel aliquo præmissorum volumus aliquod præjudicium generari venerabilibus fratribus nostris cardinalibus, aut alicui ipsorum huic sacro concilio & ejus determinationi nunc adhærentium, in beneficiis, & alias per ipsos & quemlibet ipsorum canonice possessis. Per hoc autem etiam non intendimus fieri aliquod præjudicium venerabili fratri nostro cardinali Albanensi, in jure quod habet in archidiaconatu ecclesiæ Lucionensis.

Item, sacro approbante concilio, decernimus fore procedendum contra obedientes & adhærentes pertinaciter, seu fautores Petri de Luna & Angeli Corarii, nuper de papatu contendentibus & colludentibus, per hoc sacrum concilium de schismate & hæresi notoriis, per definitivam sententiam condemnatis, modis quibus est contra credentes & fautores hæreticæ pravitatis, secundum sacros canones, procedendum.

Item, sacro approbante concilio, decernimus * nos vel successorem nostrum ex certis magnis & arduis causis nos & hoc sacrum concilium moventibus, iterum generale concilium fore convocandum hinc ad triennium, videlicet anno quo dicetur, anno Domini millesimo quadringentesimo duodecimo, in mense Aprili, in civitate seu loco habili & decenti, qui locus declarabitur per annum ante tempus concilii, per nos vel per successorem nostrum.

* Deest per

Item, sacro approbante concilio, decernimus & declaramus, quod si cardinalis de Flisco infra duos menses proximos personaliter ad nos venire, & obedientiam nobis præstare, & determinationi hujus sacri concilii adhærere voluerit, benigniter recipiatur, cum integritate status & honoris, atque beneficiorum quæ decimo quinto Iunii anni millesimi quadringentesimi octavi obtinebat.

Item, omnes dispensationes factas per episcopos diœcesanos in partibus neutralibus, super defectu ætatis, causa assequendi & obtinendi beneficia, dignitates, prælaturas, item, omnes absolutiones & habilitationes in foro pœnitentiali, tam per contendentes,

dentes, quam per ordinarios prædictos schismate pendente factas, super casibus sanctæ sedi apostolicæ reservatis, ex certa scientia, hoc sacro approbante concilio, ratificamus & approbamus.

Post prædicta archiepiscopus Pisanus in pulpito prædicto pronunciavit, quod dominus noster Alexander papa V. oculum misericordiæ & viscera compassionis & pietatis suæ convertens ad ecclesias desolatas, ruinosas, & in magna necessitate constitutas, liberaliter remittit & indulget omnia arreragia majora, minora servitia ab eis suæ cameræ apostolicæ debita de toto tempore præterito usque ad tempus suæ assumptionis.

Item, idem dominus noster notificavit omnibus per organum dicti domini archiepiscopi Pisani, quod non intendit amodo ut antea reservare bona seu spolia prælatorum & aliorum morientium prælatorum.

Item, quod non intendit reservare fructus medii temporis beneficiorum vacantium.

Item supplicavit idem dominus archiepiscopus nomine totius concilii dominis cardinalibus, quod portionem competentem eisdem de arreragiis præteriti temporis vellent ecclesiis & viris ecclesiasticis remittere liberaliter, quemadmodum dominus noster fecerat in portione ipsum tangente: & petiit a concilio, an hoc placeret sibi, & quod expresse diceret, placet: dominus cardinalis Albanensis solus se opposuit.

Item, idem archiepiscopus pronunciavit proxime futuram sessionem fiendam ad diem Veneris sequentem, de mandato domini nostri papæ; & quod nullus interim recederet sine licentia papali. De istis omnibus hac die expeditis promotor seu procurator ecclesiæ petivit unum vel plura instrumenta confici per clericos cameræ & notarios concilii, ad perpetuam rei memoriam.

Item in hac sessione dictum fuit, quod dominus noster provideret archiepiscopo Ianuensi super archiepiscopatu suo. Etiam placuit concilio, quod dominus cardinalis Albanensis prosequeretur jus quod habere prætendebat in archidiaconatu Lucionensi. Successive præfatus dominus noster papa sessionem fiendam, certis de causis animum suum moventibus, continuavit usque ad diem Mercurii septimam mensis Augusti tunc proxime sequentis.

SESSIO XXIII.

Die Mercurii septima Augusti adveniente, solemnitatibus & cæremoniis servatis circa officium Divinum, sanctissimus in Christo pater dominus noster, sacro approbante concilio, ordinavit, quod bona immobilia ecclesiæ Romanæ, seu aliarum ecclesiarum, nullatenus per ipsum vel alios prælatos alienentur, seu hypothecentur, usque ad proxime indictum concilium, in quo super hoc articulo maturius poterit deliberari.

Item, idem dominus noster, eodem approbante concilio, ordinat & mandat celebrari ante concilium generale concilia provincialia, per metropolitanos & synodos, ac eorum suffraganeos, secundum formam juris & concilii generalis: quia ex eorum omissione multa inconvenientia sequerentur.

Item, idem dominus noster, eodem approbante concilio, ordinat & mandat, celebrari capitula monachorum, magistrorum, & canonicorum regularium, secundum formam concilii generalis, & constitutiones felicis recordationis...... & Benedicti XII. & quia limitatio provinciarum facta per Benedictum XII. non possit de præsenti, obstante temporis malitia, observari, ordinat dictus dominus noster, quoad dicta capitula celebranda, standum juri antiquo, durante impedimento prædicto; videlicet, ut provincia communis & vulgaris possit per se capitulum provinciale celebrare, ex quo commode cum alia non possit convenire: & deputabit dominus noster præsidentes & executores ad præmissa exequenda.

Item, idem dominus noster, eodem approbante concilio, disponit non facere translationes de invitis, nisi parte vocata & audita, & de consensu majoris partis cardinalium, usque ad proxime indictum concilium, nisi ex causis justis & rationalibus.

Item, dominus noster, sacro approbante concilio, decernit, quod ex parte ipsius domini nostri cum cardinalium consilio deputabuntur nuncii solemnes, qui mittentur ad reges & principes, & certos fideles, ad publicandum & prosequendum autoritate domini nostri papæ & sacri concilii, acta in hoc concilio.

Item, dominus noster autoritate Dei, apostolorum Petri & Pauli, & sua, concedit omnibus qui in hoc concilio interfuerunt, & ejus determinationi adhærentibus, absolutionem plenariam a pœna & culpa, semel tamen in vita; ita quod quilibet de prædictis infra duos menses, postquam ad ejus notitiam concessio hujusmodi pervenerit, possit dictum beneficium absolutionis assequi, in forma ecclesiæ. Similem concessionem facit dominus noster singulis supradictis in mortis articulo, intelligendo tam de dominis, quam de familiaribus.

Item, cum dominus noster papa cum consilio concilii intenderet reformare ecclesiam in capite & in membris, & jam multa per Dei gratiã sint expedita per ipsum dominum nostrum papam, & multa alia statum & favorem prælatorum, & aliorum inferiorum concernentia restent, quæ, propter regressum prælatorum & ambassiatorum, de præsenti expediri non possunt: propterea idem dominus noster, sacro requirente & approbante concilio, dictam reformationem suspendit & continuat usque ad proximum jam indictum concilium, & præsens concilium prorogat & continuat usque ad illum terminum, qui præfixus est omnibus ad concilium convocatis, redeundum ad proprias ædes, usque ad terminum præfixum supradictum.

NOTÆ SEVER. BINII.

Qua occasione hæc synodus indicta fuerit, refert Theodoricus a Niem lib. 3 schismatis cap. 38. his verbis: *Cum autem dictus Petrus de Luna ad prædictum regnum Arragoniæ pervenisset, octo vel novem de cardinalibus suis, qui secum erant, ad diversa loca propinqua, quia tunc erat æstas, sub recreationis colore declinarunt ab ipso: quorum aliqui ad Liburnum, alii ad portum Pisanorum, sed noviter ab eo segregatum, & dominio eorumdem Ianuensium qualitercumque additum,* * *accesserunt, causa* (Deest, colloquendi, aut aliquid simile.) *cum eisdem cardinalibus, qui ab ipso Errorio* (Ita Gregorium vocat.) *fugerant,* * *Illuc accedentes, per plures dies insimul conversati fuerunt, sed tamen sine fine conclusionis, quia necdum habebant determinatum locum idoneum eis concessum, in quo simul convenire, atque generale concilium ex utraque obedientia convocare, pro facienda unione libere possent. Sed tandem dominus Balthasar, sancti Eustachii diaconus cardinalis, per eumdem Bonifacium ad illum gradum assumptus, tunc & nunc fungens officio legationis in civitate Bononiensi & ejus comitatu pro Romana ecclesia, ac modernus papa Alexander tunc cardinalis, & dominus Ioannes nepos dicti Innocentii, & per eum in cardinales creati, circa festum Assumptionis beatæ Mariæ virginis anni proxime præteriti, de Bononia, ubi tunc fuerunt, volentes eosdem alios cardinales tunc Pisis existentes visitare, ad Florentiam iter egerunt, & ibi honorabiliter recepti, obtinuerunt a Florentinis concedi civitatem Pisanam prædictam ad conveniendum ibidem simul cum eisdem car-*

A *dinalibus Gallicis, ad faciendum omnia quæ eis videbantur fore pro dicta unione subsequenda quomodolibet oppertuna. Et sic ulterius dicta licentia obtenta, ad Pisas declinarunt, ubi tunc eorum confratres & dictos cardinales Gallicos congregatos invenerunt, in qua ad prosequendam dictam unionem generale concilium utriusque obedientiæ tunc celebrandum convocarunt in festo Annunciationis beatæ Mariæ virginis tunc instanti proxime. Sed iste terminus ad alium brevem terminum postea subrogatus fuit, & duo ex eisdem cardinalibus obedientiæ nostræ iverunt ad civitatem Senensem præfatam, in qua Errorius cum sua curia residebat, causa eum citandi sive vocandi, ut ad prædictum generale concilium accederet, ac ejus determinationi, si vellet, per se, vel per aliũ, seu alios, interesset: quos tamen præfatus Errorius ad se venire non sinebat, immo per aliquos magnæ autoritatis viros interpellatus & rogatus, ut ipsos audiret, illud pertinaciter facere non curabat. Sed ipsi missi cardinales facientes solicitam diligentiam in commissis, & publicantes apud ecclesiam majorem Senensem, & in quibusdã aliis locis publicis, coram tabellionibus & testibus multis, causam quare illuc venerant ad citationem, quam eidem Errorio intimare volebant, publice legi fecerunt: cujus copiam etiam diversis portis in eadem civitate Senensi affixerunt, & affixam relinquentes, ad eorum confratres redierunt. Ipse autem Errorius dicebat, quod dictam citationem non curaret, adjiciens, quod prædicti cardinales generale concilium absque ejus licentia & voluntate convocare non possent: in quo etiam vehementer erravit, ut peritis in jure notum est, quod etiam ratione probatur. Nam quod duo vel plures contendentes de papatu, & in diversis regionibus morantes, nisi concorditer in aliquo loco super hoc insimul convenirent, generale concilium celebrare possent, non videtur. Ex quo infertur, quod cum quilibet eorum seorsum cum prælatis suæ obedientiæ celebraret concilium, hoc revera nullatenus dici posset generale, sed particulare concilium, aut conciliabulum; sicuti seorsum quilibet ipsorum, Errorius & Petrus de Luna, suum conciliabulum in valde remotis seu sejunctis locis celebrarunt. Et pro hac parte sunt multæ evidentissimæ rationes in jure, quæ hic non vendicant sibi locum: ea de causa illas præsentibus inserere non curavi: quamvis forte multi pacis ecclesiæ æmuli, nec intelligere volentes, ut bene agant, contrarium asserere, ipsosque Errorium & Petrum in eorum erroribus defendere non formident.* Hæc de occasione indicti concilii Theodoricus adversæ partis fautor maximus.

B

C

Gobelinus Paderbornensis officialis eadem brevius recensens, cardinalium querelas, & duarum universitatum consilia superaddens, ista ait: *Quarta die mensis Maii hujus anni, Gregorius papa existens in civitate Luca, & præsumens adversarium suum dolose secum agere, mandavit cardinalibus suis, ne sine licentia sui speciali Lucam exirent, & ne invicem in aliquo loco sine speciali ejus mandato convenirent, sub pœna perjurii. Et si Lucam aliter exirent, ipso facto essent cardinalatu privati, similiter & beneficiis omnibus quæ haberent. Item mandavit eis, ne tractatus aliquos haberent cum anticardinalibus aut oratoribus Gallicis. A quibus mandatis, & ab ipso papa Gregorio, tamquam male informato, ad eumdem tamquam melius informandum, & ad Dominum nostrum Iesum Christum judicem venturum, & ad concilium generale, & ad futurum papam, septem cardinales in civitate Pisana, ad quam se transtulerant, 13. die mensis ejusdem appellaverunt. Inter hæc Ladislaus rex Siciliæ, seu Neapolitanus, filius Caroli de Pace, usurpavit sibi dominium urbis Romanæ, & multarum civitatum & castrorum patrimonii sancti Petri, & ad titulum Romani imperatoris visus est aspirare. Supradicti cardinales tandem miserunt epistolas suas regibus, archiepiscopis, episcopis, & principibus diversis, conquerendo de papa: & Gregorius papa simili modo contra cardinales litteras suas direxit eisdem: & quidam ex eis scripserunt, quomodo ipsi recessissent ab obedientia illius. Et deinde cardinales Petri de Luna, qui se Benedictum nominabat, derelinquentes eum, convenerunt cum cardinalibus Gregorii apud Ligurinum portum videlicet Pisanum: & illi simul concordaverunt indicere concilium generale celebrandum in civitate Pisana, in festo Annunciationis beatæ Mariæ virginis tunc proxime venturo: & hæc deliberatio utriusque collegii facta est 24. die mensis Iunii. Cumque hæc deliberatio venit ad notitiam Gregorii & Benedicti, uterque generale concilium celebrandum indixit. Gregorius quidem ad festum Pentecostes tunc proxime futurum, in provincia Aquileiensi, vel in archiepiscopatu Ravennatensi, nullum certum locum assignando; & Benedictus apud Perpinianum civitatem Aragoniæ, ad festum omnium Sanctorum. Et cardinales in litteris suis, quas ad diversas miserunt provincias, declarabant puncta jurata per Gregorium in conclavi: inter quæ principale fuit, cedere papatu: & inserebant eisdem litteris quasdam conclusiones, in quibus universitates Bononiensis & Parisiensis studiorum consentire docebant, quarum prima fuit ista. Vterque de papatu contendens, ex debito pastoralis officii veri, vel prætensi, juri communi, vel circumscripto quolibet juramento, stante schismate tam inveterato cum tanto populi scandalo, tenetur & debet cedere: ex quo propter dubia juris & facti super papatu aliter non potest commode dari unio & pax in ecclesia Dei, ne plus temporalem dignitatem, quam populi salutem & unitatem appetere videatur. Secunda conclusio: Longe fortius ad hoc*

D

E

A *adstringitur concurrentibus tam solemnibus vinculis, promissionis, voti & juramenti. Tertia conclusio: Papa stante tali schismate, pertinaciter resistendo, non implendo quod vovit & juravit, ad quod etiam absque voto & juramento tenetur, incurrit crimen notorium, propter quod subjicitur provisioni concilii. Et ultra hoc concluditur schismatis nutritor & fautor, cujus obstinatione & vetustate descenditur in hæresin, & fides læditur, cujus provisio spectat ad concilium. Quarta conclusio: Stante dubio, an hoc juramentum schismatis transeat; vel an tale sit delictum, e quo provisio spectat ad concilium: hoc cognoscere in dubio ad idem pertinet. Quinta conclusio: Stante dubio papatus inextricabili propter dubium facti & juris, ne in subversionem fidei ecclesia sic maneat divisa perpetuo, cum tanto scandalo & animarum perditione, provisio spectat ad concilium & ecclesiam universalem, ut utrumque, eis non cedentibus, possit a papatu eiicere. Sexta conclusio: Stantibus terminis, ut stant, & ambobus detrectantibus implere quod juraverunt & voverunt, cum ex hoc nutriatur schisma manifestum, subditi possunt & debent ab eorum obedientia recedere; & etiam peccant, si se non subtrahunt, tanquam principaliter schisma facientes, vel saltem auxilium indirecte præbentes nutritoribus schismatis antiqui; nec sententias contendentium de papatu aliquatenus propter hoc valere vel alligare. Septima conclusio: Ex factis & dictis quæ supra ponuntur, quæ universo mundo notoria sunt, satis notorie patet, utrumque detrectare quod implere debeat, & ad quod tenetur ex debito officii & juramenti, cum saltem potuerunt cedere per procuratores idoneos, vel uterque in manibus collegii sui, & sic dare pacem populo Christiano; maxime cum uterque de jure & forma juramenti arctetur, ad nihil de utilibus, necessariis, aut quomodolibet opportunis, omittendum. Cum etiam ab utriusque dependet pietate, solvere perplexitatem conditionum juramenti, si qua subsit: & quæ contra hoc excusationes allegantur, frivolæ sunt, & earum cognitio est concilii. Item cardinales in prædictis litteris accusabant Gregorium, quomodo Saonem civitatem pro loco conventionis utriusque partis approbavit, & postea recusavit, allegans plures securitates sibi necessarias esse, quas tamen exprimere non volebat. Item quod ipse postea consenserit in civitatem Pisanam, sed certum tempus exprimere recusaverit. Item quod ipse multos creaverit cardinales contra formam juramenti. Hæc & alia plura in prædictis litteris continebantur.*

B

C

Antoninus cap. 5. §. 3. de eodem concilio ista ait, quæ sequuntur: *Congregatione igitur facta pro concilio Pisis, tempore statuto de diversis regnis & nationibus advenientes numerati sunt multi prælati. Et relatione omnibus facta de scandalo, quod inferebant duo illi pontifices colludentes adinvicem, & nolentes unionem ecclesiæ quærere, prout promiserant; decretum est, ut oratores mitterentur ad utrumque, ut ad locum accederent: quorum operam Benedictus derisit, dicens controversiam fore de jure papatus inter se & Gregorium, & nihil ad eos spectare de re ipsa. Gregorius vero respondit, non ad eos pertinere congregare concilium, sed ad ipsum, ut pontificem Romanum, quod & celebrare volebat non Pisis, sed in alio loco, videlicet in foro Iulii circa Aquileiam, ipsosque cardinales eum sequi debere ad locum, non ipsum eos: quia non decet a capite membra discedere, sed omnia membra caput sequi. Vnde ipse Gregorius cum curia sua, etsi parva, ad locum determinatum, & prælatis, principibus & communitatibus publicatum, accessit tempore statuto. Sed solum de obedientia sua prælati, quæ adhuc vigebat in regno, profecti sunt, aliis potius ad Pisanam synodum vel congregationem accedentibus. Ibi breviter expleverunt quæ visa sunt eis expedientia illi negotio. Cardinalis Ragusinus inter cæteros assistentes, ab uno ex familiaribus suis ab adversariis corrupto, veneno potionatus, vix mortem evasit, infirmatus graviter, & ex vi veneni pellem vetustam dimisit ut serpens.*

D

Ex concilio autem ipso redeuntibus Ariminum, in via paratæ fuerunt Gregorio insidiæ ad capiendum eum. Quibus sibi secreto insinuatis, in habitu transformato cum paucis aliis præcessit, non ut papa; aliusque secutus in apparatu papali, & comitiva non modica illum se fingens, captus est. Sed cognito eum non esse, dimissus est, non sine injuriis. Sicque manus illorum evadens, in nomine Domini Ariminum cum suis reversus est. In tot autem adversis & persecutionibus tam constans & magnanimus fuit, ut nil videretur de his curare, sciens, quia secundum prophetiam, non est malum in civitate, scilicet mundi, quod non fecerit Dominus; de malo pœnæ intelligendo, aut etiam de malo culpæ, non agendo, sed permittendo. Sic fixus erat in iis quæ sibi conscientia dictabat, ut nullus posset eum a suo proposito revocare: sic modestus, ut probus videretur: sic sapientiæ deditus, ut a speculatione & disputationibus non cessaret.

E

Congregati interea Pisis processerunt in cœptu suo. Post legitimas enim modo suo citationes non comparentes, sed contumaces, contra eos sententiam depositionis & privationis protulerunt, Gregorium & Benedictum, ut hæreticos & schismaticos: prohibentes Christicolis cunctis, ne quem eorum papam nominarent, aut tanquam Romano pontifici obedirent. His peractis, ad electionem alterius processerunt. Vnde conclave ingressi cardinales utriusque partis, more consueto pertractãtes rem ipsam, elegerunt in præsulem summum,

ANNO CHRISTI 1409.

Petrum de Candia cardinalem Mediolanensem, ordinis Minorum, virum utique valde peritum in theologia speculativa: hunc nominarunt Alexandrum V. anno Domini 1409. qui anno uno sedem Petri tenuit, secundum communem opinionem; & Pisis, non multo post Pistorium accessit, ex quo diebus aliquibus transactis Bononiam se transtulit. Ad eum accedens Ludovicus dux Andegaviæ filius alterius Ludovici qui cum Carolo tertio de regno contenderat, sed non prævaluit, veneratus est ut papam. Tandem migravit a sæculo, ut dicitur, toxicatus in clysterio. Hæc Antoninus prædicto loco.

De eodem Azorius parte 2. lib. 5. cap. 17. ista. *Decimum sextum generale concilium fuit Pisanum, indictum & congregatum a cardinalibus Gregorii XII. & Benedicti XIII. anno salutis 1409. ad schisma tollendum. Res sic gesta est, ut patet ex Blondo, lib. 10. decade 2. & sancto Antonino, parte 3. titulo 22. cap. 5. §. 2. Cardinales obedientiæ Gregorii XII. videntes negotium extirpandi schismatis paulatim ad nihilum reduci, & non solum Gregorium XII. sed etiam Benedictum XIII. concordiam recusare contra jusjurandum & fidem in ipsorum electionibus datam, Gregorium quoque contra jusjurandum & fidem alios cardinales absque ulla necessitate & ipsis invitis creare: hanc nacti occasionem, ab eo tunc Lucæ commorante recedentes, Pisas petiere. Quod cum plerique eorum qui Benedictum XIII. sequebantur, vidissent: simili exemplo ipsum Benedictum deserentes, cæteris cardinalibus Gregorii qui Pisis erant, sese adjunxerunt, ibique indicto concilio generali, & cum maxima prælatorum frequentia inchoato, uterque pontifex ab iis damnatus est. Et utroque tamquam perjuro, schismatico, hæretico, collusore, & schismaticorum fautore, publico omnium decreto, Nonis Iunii, anno Domini 1409. e pontificatu dejecto: in utriusque locum vigesimo post abrogationem die tertium elegerunt Petrum Philaretum natione Græcum provinciæ Cretensis, instituti & ordinis fratrum Minorum & sacræ theologiæ doctorem eximium, presbyterum cardinalem basilicæ SS. apostolorum: & Alexandrum quintum vocarunt.*

Interfuerunt in eo concilio cardinales 23. patriarchæ tres, archiepiscopi & episcopi 300. monasteriorum præfect. 280. theologi & legati principum Europæ.

Dubitatum est valde, an canonice & legitime esset concilium convocatum, eo quod sine ulla Romani pontificis autoritate esset indictum. De ea re, teste sancto Antonino, loco citato, Laurentius Rodulphus Florentiæ triduo disputavit, & tandem conclusit, concilium esse legitimum. Ioannes Gerson in libello, An papa exautorari possit: Hi Dei nutu, *inquit*, & Spiritus sancti, sicut credendum est, tacti fuerunt. *Item cum Alexander V. Bononiæ graviter ægrotasset, & cognovisset sibi mortem imminere, cardinales ad se venientes ad concordiam & pacem, & ad tuendam ecclesiæ dignitatem adhortatus, dixit, per eam mortem quam se continuo subiturum putabat, se existimare & credere, quæ in concilio Pisano acta fuerant, recte & integre, sine dolo malo facta fuisse. Insuper ipse Alexander V. in eo concilio creatus, in numero pontificum Romanorum reponitur, & qui multo post tempore secutus est eodem nomine, Alexander VI. dictus est.*

Antoninus loco citato dicit fuisse conciliabulum, quia absque Romani pontificis autoritate fuit congregatum, & quia Gregorius XII. concilii convocationem non recusabat, sed solum restitit ne Pisis congregaretur, subjungit Azorius. *Denique quidquid sit, concilium Pisanum congregatum est a cardinalibus tempore schismatis, quo duo pontifices erant dubii & incerti: & indictum est non ad res fidei definiendas, sed ad schisma in ecclesia noxium abscindendum: quamvis revera sublatum non sit, sed potius auctum, quia Gregorius XII. & Benedictus XIII. pontificatum deponere noluerunt. Quando plures sunt dubii & incerti Romani pontifices, iis invitis cardinalium autoritate concilium generale convocari, ejusque potestate omnes e pontificatu amoveri posse,* hoc exemplo id parte secunda lib. 4. quæstione tertia probat, & ratione ista naturali: *Quia cum non est certus pontifex, perinde est ac si pontifex nullus omnino esset, & sic eum ecclesia eligit. Cum ergo multi dubii & incerti pro pontificibus habentur, jure potest ecclesia novum creare pontificem, & præcipere, ut cæteri omnes pontificatu se abdicent: quod ni fecerint, potest eos sententia lata pontificatu deiicere, & omnibus fidelibus imperare, ne eos ullo modo pro pontificibus agnoscant, habeant, & venerentur.*

Sed undenam, dicat aliquis, colligi potest tantum juris & potestatis esse penes ecclesiam? Resp. Id ex Christi institutione per necessariam & evidentem rationem deduci; ne scilicet Christus suam ecclesiam deseruisse videatur. Alioqui enim multis dubiis & incertis pro pontificibus summis in ecclesia se gerentibus, sane innumeris calamitatibus & malis ipsa premeretur & vexaretur ecclesia. Hæc dictis locis Azorius.

Ob hanc rationem Hadrianus II. in epistola quæ lecta est & approbata in synodo octava generali, actione septima, scribit: *Romanum pontificem de omnium ecclesiarum præsulibus judicasse legimus: de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab orientalibus anathema dictum sit, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus. Propter quam solum licitum est minoribus, majorum suorum moribus resistere: scilicet, quia nisi tali casu Christus ecclesiæ suæ concessisset potestatem &*

A *autoritatem de hæresi sui pastoris cognoscendi & judicandi eam contra promissionem factam deseruisset, & pro pastore, doctore ac duce, eamdem lupo hosti ac corruptori commisisset.*

ANNO CHRISTI 1409.

** AD CONCILIVM PISANVM

A Severino Binio editum

ADDITIO

Ex tomo VI. Spicilegii Dacheriani.

G. C. *Edidit Lucas Dacherius, vir optimus juxta & eruditissimus, tomo VI. Spicilegii sui, acta concilii Pisani superioribus multo ampliora, ex Gemeticensi* B *MS. iisque præmisit litteras cardinalium Pisis congregatorum, aliaque nonnulla ad idem concilium pertinentia: quæ minime hic prætermittenda duximus.*

CARDINALIVM BENEDICTI XIII,

Litteræ ad episcopos & alios de ejus obedientia.

Eos convocant ad concilium Pisanum.

Miseratione Divina episcopi, presbyteri, diaconi, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, nunc in loco Liburnii diœcesis Pisanæ commorantes, una cum collegio reverendissimorum in Christo patrum dominorum in parte alia cardinalium nominatorum, pro nobis & aliis reverendissimis in Christo patribus C dominis cardinalibus pro nunc absentibus, nobis adhærentibus, & adhærere volentibus in hac parte: Reverendis in Christo patribus archiepiscopo, &c. ejusque suffraganeis; ejusque archiepiscopi, & suffraganeorum prædictorum capitulis, necnon venerabilibus & circumspectis viris abbatibus provinciæ exemptis & non exemptis, cujuscumque religionis existant, salutem, & promptum habere affectum ad pacem & unitatem ecclesiæ procurandam.

Quantæ magnitudinis amplioris que infectionis & facilioris incursus existat scelus schismaticæ pravitatis, & quantum sit exosum in Divinæ majestatis conspectu, ostendit pœna inflicta divinitus disponentibus se ad schisma acerbior, quos vivos cum suis omnibus hiatus terræ absorbuit, & in infernum detraxit D viventes sine personarum delectu: quia cum tales inconsutilem Domini tunicam, per quam militans ecclesia figuratur, nituntur damnabili partitione dividere, quam Iudæi & Gentiles milites Dei notitiam non habentes, Christum crucifigentes, & morti diræ tradentes, indivisam dimisere, ipsis notantur deteriores. Se enim proposito a Christi corpore & unionis caritate ultronee dividentes, Spiritum sanctum a se abjiciunt, agnitam relinquunt veritatem, cupitæ gloriæ & honoris gratia falsas opiniones gignunt, defendunt pertinaciter, & in errores damnatissimos prolabuntur, clerum decipiunt, populosque seducunt, & demum innumeras animas eorum diabolica fraude deceptas secum ducunt ad barathrum E catervatim, postremoque ex temporis diuturnitate in damnatas hæreses irrevocabiliter deducuntur. Adversus quos, Christi fideles tanto citius debent insurgere, quanto eorum excessus corporis ecclesiæ infectivos perpendunt Divinæ majestati evidentius displicere, fidei Christi, & omnium fidelium obviare saluti. Quæ hactenus provide attendentes & considerantes propensius, schisma, quod in Dei ecclesia fuit post mortem sanctæ memoriæ domini Gregorii XI. qui Romæ, prout Deo placuit, diem suum clausit extremum, suadente diabolo introductum, ipsiusque diuturnitatem pestiferam & nocivam, in fidei derogationem,

ANNO CHRISTI 1409.

gationem, animarum pericula multiplicia, multaque alia inconvenientia, quæ enarrare per singula longum esset, felicis recordationis domino Clemente VII. qui eidem successit Gregorio, viam universæ carnis ingresso, antequam ad electionem summi pontificis, nos, qui tunc cardinales eramus, procedere vellemus, pro unitate ecclesiæ facilius obtinenda, errore schismatis extirpato, promisimus, & invicem juravimus, quod si aliquis nostrum in summum assumeretur pontificem, prosequeretur unionem ecclesiæ per omnes vias rationabiles & accommodas, etiam usque ad renunciationem papatus inclusive, si cardinalibus qui tunc erant, vel eorum majori parti, pro bono ecclesiæ visum foret expedire, sine dilatione quacumque, prout in quadam cedula super hoc facta, manibus nostris, qui tunc cardinales eramus, subscripta, plenius continetur. Quæ cedula, seu ejus tenor, per dominum papam Benedictam XIII. tunc cardinalem de Luna vulgariter nuncupatum, jurata fuit & manu propria subscripta; ac demum, ea intentione quod præmissa adimpleret, electus, alias nullatenus eligendus, ut inter nos tunc publice dictum fuit, in summum pontificem, & Benedictus XIII. nuncupatus, dictam cedulam approbavit, & de novo juravit inviolabiliter observare. Ortaque ex post inter ipsum Benedictum ex una parte, nos, ac nonnullos reges & principes nostræ obedientiæ ex altera, super prosecutione unionis controversia; ac declarato per nos quod nedum in vim dictæ cedulæ & juramenti præstiti ipse tenebatur per viam cessionis prosequi unionem ecclesiæ, illamque offerre, immo jure communi etiam ad hoc pro tanto vitando scandalo tenebatur. Fuitque ex hoc conditio, quæ in cedula inserta fuerat, purificata taliter, quod dominus prædictus fuit pure & simpliciter obligatus & astrictus præcise ad prosequendum unionem ecclesiæ per viam cessionis. Et in illius controversiæ sedatione præfatus dominus, post dilationes multas, solemniter contenta in illa cedula ampliando & specificando, promisit per viam cessionis prosequi unionem ecclesiæ, & cedere papatui, adversario cedente, mortuo, vel ejecto, ut in instrumentis authenticis, ad diversas mundi partes directis, latius continetur.

Demum nonnullis effluxis annis, & unione non habita, defuncto in parte altera Bonifacio, nullaque facta diligentia de dando pacem ecclesiæ, ipso mortuo, per viam cessionis, sicut promissum & juratum fuerat, immo, ut asseritur, refutatum; & secundo, Tomasio defuncto, qui fuit a suis Innocentius appellatus: reverendissimi patres, qui in parte alia cardinales nominantur, cupientes finem imponere schismati, & per unionis habendæ vinculum animarum providere saluti, inter se promiserunt & ordinaverunt, quod si ipsorum aliquis secundum eos in papam esset assumptus, pro unione in Dei ecclesia facilius obtinenda, papatui & juri suo prætenso renunciaret, domino Benedicto patre nostro cedente, dummodo nos vellemus cum suo prætenso collegio taliter convenire, quod ex nobis & ipsis sequeretur canonica electio unius indubitati pastoris. Et prædicta fuerunt per ipsos juramento vallata, & voto solemniter roborata, specialiter per Angelum Corario, qui tunc inter ipsos cardinalis Constantinopolitanus nominabatur, & demum post assumptionem illius ad illum quem gerit statum, Gregorius nominatus, prædicta innovavit, voti & juramenti repetitis vinculis roboravit, & in publico quod tenuit consistorio renovavit, & se observaturum sub eisdem vinculis publice prædicavit. Brevique ex post consumpto dierum curriculo, omnia domino Benedicto, præfato, nobis & quamplurimis principibus, & ad alias mundi partes varias, per suas litteras intimavit quæ præmissa sunt, & quæ censebantur ad extirpationem schismatis necessario & rationabiliter pertinere: quæ fuere per sæpe dictum dominum Benedictum approbata, ut in litteris ipsius plenius continetur. Multaque inter ipsum & Angelum prædictum hinc inde loca oblata, & finaliter propter difficultates, quas unus alteri ingerebat, petendo difficultates difficiles & insolitas, adeo quod haberi non poterant seu concedi, & variando certa loca per ipsos oblata, etiam quia unus ipsorum loca maritima pro conventione petebat; alter vero omnia illa recusabat; & alias ex ipsorum variis intentionibus, effectum est, quod ad loci seu locorum concordiam nullatenus deventum est; compertumque quod ipsi duo contendentes, viam mutuæ cessionis recipere videbantur in verbo, non tamen in opere & mentis intentione. Cumque per præmissas difficultates voluntarias, quas unus alteri, & alias adinvicem ingerebant, quantum in eis erat, viam cessionis redderent adeo difficilem, ut censeretur impossibilitati æquari, & sic pacis & unionis consummatio ponebatur in desperatione, & impediebatur absque spe aliqua extirpationis schismatis mortiferi, & a cunctis fidelibus detestandi.

Propter quæ, & multas considerationes justas & rationabiles, immo verius necessarias, reverendissimi patres, qui in parte alia cardinales nominantur, seu eorum partes tres, ab ipso Angelo recesserunt, juxta Divina mandata, & de Luca ad civitatem Pisanam se transtulerunt, ad hoc ut liberius indemnitati ecclesiæ, & extirpationi schismatis, ac tantis erroribus, possent consulere, & ecclesiæ sic deformatæ calamitatibus subvenire & animarum saluti. Nos autem videntes manifestum ex præmissis præstari impedimentum extirpationi schismatis & negotio unionis, & considerantes quod prætextu loci seu locorum, de quibus inter eos non erat concordia, unio tam necessaria non debet impediri seu etiam retardari, cum absque præsentia corporali domini Benedicti, & dicti Angeli qui nominatur Gregorius, possit ordinari de præambulis ad hoc negotium necessariis, ad quæ ipsi duo numquam condescendere voluerunt, sed solum ad mutuam conventionem locorum, & etiam mutua cessio seu renunciatio fieri, & deinde ad electionem canonicam procedi: eidem D. Benedicto consuluimus, quatenus adversario offerret se renunciaturum per procuratorem seu deputatum, ab ipso habentem ad hoc speciale mandatum & sufficientem potestatem, Angelo renunciante in propria persona, vel per procuratorem seu deputatum, ab eo habentem mandatum speciale, & parilem potestatem. Quæ diximus & consuluimus secundum Deum posse & debere fieri: alias schismatis perpetuatio & diuturnitas recusanti esset merito imputanda. Super quo responsum habere non potuimus, immo perpendimus ipsum ad hanc viam minime inclinari, postquam quatuor ex nobis ad locum Liburnii de voluntate ipsius accesserunt ad finem, ut cum reverendissimis patribus in parte alia cardinalibus nominatis, qui ab Angelo recesserant, tractaretur & videretur de modis per quos ecclesia posset uniri, & schisma extirpari facilius, cõtumaciis, seu pertinaciis non obstantibus quibuscumque.

Cum quibus in dicto loco Liburnii quatuor ex dominis alterius collegii personaliter convenerunt, & ipsis adinvicem tractantibus de his quæ poterant ad unionem dandam rationabiliter & necessario pertinere: dominus Benedictus præfatus a Portu Veneris recessit, nullo dato alio ordine super his quæ ad pacem ecclesiæ poterant pertinere, & versus Cataloniã direxit

ANNO CHRISTI 1409.

direxit gressus suos, publicato post in loco Portus Veneris, quod in festo omnium Sanctorum, & in loco Perpiniani intendebat concilium convocare. Quod concilium si teneatur per eum, potius ad impedimentum unionis ecclesiæ, & eorum quæ inter nos & aliud collegium deliberata sunt, quam ad pacem ecclesiæ censetur pertinere: attento quod per concilium unius partis, nisi concurrat alterius partis concilium, unio haberi non possit, nec schisma utiliter extirpari.

Nos vero de recessu ipsius domini adeo repentino, & aliis prædictis quamplurimum admirati, & pro eo etiam quia ex dicto recessu cognovimus luculenter omnimodam indispositionem ad unionem habendam, maxime quia a nobis frequenter requisitus ut convocaret concilium generale totius nostræ obedientiæ in loco habili & decenti, in quo posset etiam pars adversa convenire ad hoc, ut per deliberationem communem facilius & citius procedi posset ad extirpationē schismatis & unionem habendā, hoc facere prætermisit & etiam recusavit, quamvis aliquando per instrumentum, aliquādo per bullam, infra certum terminum hoc facere promisisset. Et perpendentes ex prædictis indispositionibus, tam ipsius domini Benedicti quā Angeli, unionem ecclesiæ patenter impediri, immo verius schisma perpetuari, nisi celeriter occurratur: convenimus in unum cum collegio partis alterius & nominatis cardinalibus, qui a dicto Angelo recesserant, quos reperimus bene dispositos ad extirpationem schismatis, & unionem in Dei ecclesia procurandam. Et considerantes adinvicem, quod ex indispositionibus prædictis, contumaciis & pertinaciis antedictis, si staretur arbitrio duorum contendentium de papatu, numquam schisma extirparetur, immo quodammodo perpetuaretur in ævum; & etiam attendentes, quod schisma quos inquinat, æquat, & non solum qui schisma facit & fovet, sed etiam qui patitur & extirpare negligit, eodem involvitur crimine & delicto; considerato etiam, quod contendentes de papatu, non solum juramento & voto ac promissione multiplici, sed etiam jure Divino & canonico, & sub pœna damnationis æternæ si refugerint, tenentur & multipliciter sunt astricti pacem dare ecclesiæ per viam cessionis, attenta schismatis diuturnitate & involutione, ac magna adhærentia quam utraque pars habere dignoscitur; quæ via etiam est ab omnibus Christi fidelibus approbata & necessaria reputata; & etiam considerato, quod ex indispositionibus prædictis quamplures se subtraxerunt & se neutrales fecerunt ab obedientia utriusque, multique se parant ad similem subtractionem seu neutralitatem faciendam, quodque si diffugia & dilationes contendentium ulterius attenderentur & expectarentur, qui se sic simul separant & dispergunt, maxima quasi ex proposito seu condicto locorum distantia, ut de eorum reductione in unum seu mutua conventione spes nulla de cætero habeatur, errores succrescerent, cum schisma mater errorum existat, & inveteratum transit in hæresim juxta Divinas & canonicas sanctiones; & sic ecclesia ad irreparabilis desolationis deduceretur opprobrium, in evidens & irreparabile periculum animarum; considerato etiam, quod duobus contendentibus de papatu, qui de facili ad pacem reduci nequeunt, concilium generale, seu ecclesia congregata, judex est competens controversiæ prædictæ, quæ merito tangit fidem, & quod concilium est per cardinales, maxime in contumaciam, defectum, seu negligentiam contendentium, convocandum, cum ipsi duo

A contendentes, contra se & intentiones suas concilium nullomodo congregarent, ut experientia præteritorum docuit, & docet quæ occurrit in præsenti; cum etiam neutrales seu subtracti, de facili ad eorum convocationem non haberent convenire, & sequerentur alia pericula evidentia in impedimentum tam desideratæ unionis: habita adinvicem inter nos & collegium partis alterius deliberatione matura; & etiam cum multis prælatis, nobilibus, ac magnis [a] litteratis in theologica & canonica facultate & civili, sequentes gesta & exempla sanctorum alias virtuose in Romana ecclesia observata: deliberavimus quod per nos in parte & obedientia nostra concilium seu ecclesia convocetur in certo loco & termino; & idem fiat per collegium seu cardinales nominatos alterius partis in eodem B termino & loco; cum auxilio & benigno suffragio regum & principum utriusque obedientiæ, quibus nunc Romana & universalis ecclesia permaxime noscitur indigere, & qui, ut Deo devoti, dexteras suas ecclesiæ & nobis præbebunt adjutrices, & defensionis ac protectionis præbebunt auxilia, ut devotissimos principes decet, & eorum convenit honestati, ad finem quod in dictis loco & termino convenientibus dicto domino Benedicto, & Angelo, qui Gregorius nominatur, quibus intimatur prædicta deliberatio, & requiruntur ut congregationi opem & assensum ferant, & in eis conveniant, finisque imponatur schismati per viam mutuæ cessionis, electioque fiat per utrumque collegium in unum conveniens unici & indubitati pa- C storis. Quod si venerint & non renunciaverint cum effectu; vel alter renunciaverit, & alter recusaverit; vel ambo non venerint: provideatur per ecclesiam congregatam, attentis promissis juratis & voto firmatis, & alias fere a cunctis Christi fidelibus approbatis, decernatur & declaretur, ut in præmissis necessarium fuerit, & etiam opportunum, taliter circa factum duorum contendentium, & necessitatem ecclesiæ imminentem, ut ipsorum vel alterius absentia, seu pertinacia & contradictione non obstantibus, schisma extirpetur, & per electionem unici & indubitati pastoris canonicam, unio perfecta in Dei ecclesia habeatur ad Dei servitium, gloriam, & honorem, fidei robur, salutem omnium fidelium, & ecclesiæ debitam reformationem.

D Quocirca prædictam deliberationem fidei & ecclesiæ, sic deliberate digestam, vobis & vestrum singulis intimamus & notificamus, precamur, & sub debito juramenti, quo ecclesiæ Romanæ tenemini, requirimus, quatenus, in quantum Deo placere cupitis, & defensioni fidei assistere, & pro unitatis vinculo procurando, velitis in termino vigesimæ quintæ diei mensis Martii proxime futuri (quem terminum ad hoc congruum eligimus; ad quem etiam terminum domini cardinales alterius partis nominati, prælatos, & alios suæ obedientiæ convocant) in civitate Pisana, cum domino Benedicto, si venire voluerit nobiscum qui in dictis loco & termino personaliter Deo auxiliante E erimus, ac prælatis & aliis nostræ obedientiæ, quos pari modo ad hoc specialiter convocamus, ac cum deputatis regum & principum, quorum benignum auxilium in hoc Dei negotio, fidei & ecclesiæ necessarium, & quamplurimum opportunum imploramus, convenire & comparere, ad fines & effectus prædictos, inspirante gratia Spiritus sancti prosequendos, & feliciter consummādos.

Quod si qui ex vobis, impedimentis causantibus, nequiveritis personaliter interesse, &

Rrrrrr dictos

ANNO CHRISTI 1409.

[a] f. magistris

ANNO CHRISTI 1409.

ad dictos locum & terminum accedere, velitis pro Dei & ecclesiæ reverentia, & fidei necessitate, aliquos vestri nomine Deum timentes, scientia & rerum experientia illustratos, destinare, suffultos speciali & sufficienti potestate ad effectus præmissos consequendos; taliter in præmissis vos habentes, quod de promptitudine servitii Divini, & defensione fidei ac subventione ecclesiæ, apud Deum consequamini & apud homines laudem & gloriam sempiternam. Nec in hac parte & materia tam necessaria aliquo modo dubitetis, aut cujuscumque terrore concutiamini: quia cum nos & vos causam Dei, & extirpationem schismatis prosequamur, sub protectione Dei & ecclesiæ, de cujus congregatione agitur, & ad quam dominum Benedictum prædictum per alias nostras litteras provocamus, & intimari facimus ut concilio intersit, securi manebimus ab omni læsione processuum. Quod si aliqui processus contra nos & vos fierent occasione prædicta: nulli forent, & evidenter subjecti vitio nullitatis, tanquam impeditivi sacratissimæ unionis. Est enim nostra & collegii alterius partis præfati intentio, irrevocabileque propositum, quod cum his qui venerint ad dictos locum & terminum, provideatur fidei & ecclesiæ juxta effectus prædictos, aliorum qui non venerint absentia non obstante, prout alias factum fuit in generalibus côciliis, in quibus fuerunt per modum præmissum errores extirpati, fides exaltata, ecclesia reformata in vinculo pacis & unionis, extincto errore schismaticæ pravitatis.

Quia vero fidelibus non est tam de solicita inventione quacumque fidendum, quam de instantia orationis humilis & devotæ sperandum: vestras caritates precamur, ac per viscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi exhortamur, quatenus per vos, & hoc idem procuretis fieri per fideles vestræ solicitudini commissos, humiles preces fundantur ad Dominum, & devotis orationibus insistatur, ut ipse qui concordiam operatur in sublimibus suis, dignetur efficere, quod debita per hanc deliberationem sequatur provisio, celer, concors, & canonica, ut animarum salus & fidei necessitas exigit, ac totius orbis utilitas desiderata exposcit.

In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, præsentes nostras litteras fieri, & per notarium publicum infrascriptum subscribi & publicari mandavimus, ac nostrorum trium priorum sigillorum fecimus appensione muniri.

Datum & actum in loco Liburnii supradicto, in claustro ecclesiæ dicti loci, nobis ibidem tûc Guidone Prænestino, Nicolao Albanensi, Petro Tusculano, episcopis; Petro tit. S. Susannæ presbytero, Amedeo sanctæ Mariæ novæ, & Petro S. Angeli, diaconis, S. R. E. cardinalibus, congregatis, & personaliter constitutis; ac omnia & singula suprascripta pro nobis, & aliis dominis cardinalibus absentibus, nobis adhærentibus, & adhærere volentibus in hac parte, approbantibus & ratificantibus, & de præmissis, & de eorum singulis, unum & plura publica instrumenta nobis, & cuilibet nostrum fieri petentibus. Sub anno a nativitate Domini MCCCCVIII. Indictione I. & die XIV. mensis Iulii, præsentibus RR. in Christo patribus DD. Dei gratia Simone patriarcha Alexandrino, administratore perpetuo ecclesiæ Carcassonensis, Petro episcopo Meldensi, ac venerabilibus & circumspectis viris, magistris, Roberto de Quesneio doctore, Ioanne Francisci licentiato in decretis, & Ioanne Petri magistro in medicina, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

CARDINALIUM GREGORII XII.

Litteræ ad episcopos, & alios de ejus obedientia.

Eos ad concilium Pisanum convocant.

Editæ quoque hæ litteræ ab Od. Raynaldo ad an 1408. n. 21.

MIseratione Divina, &c. *ut in convocatione facta per dominos alterius partis cardinales.* Qanta solicitudinis cura Salvator noster Iesus Christus unitatem apostolis commendaverit, quantoque nitore pulchritudinis unica sancta mater ecclesia resplenderet, sacra docent eloquia, ex quibus postea sanctæ emanarunt sanctiones. Quanquam enim post resurrectionem apostolis omnibus parem tribuerit potestatem, dicens: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum*: tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejus originem ab uno incipientem, sua autoritate disposuit. Hoc erant utique cæteri apostoli, quod * Petrus erat, pari consortio præditi honoris & potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, ut ecclesia Christi una esse monstretur. Quam unitatem ut discipulis suaderet, & pacem, inquit: *Si duo ex vobis convenerint in terra, de omni re quamcumque petieritis, continget vobis a patre meo qui in cælis est. Vbicumque enim duo fuerint aut tres collecti in nomine meo, ego sum cum eis.* Quam unam in canticis prædicat Spiritus sanctus ex persona Christi, dicens: *Vna est columba mea, perfecta mea; una est matri suæ, electa genitrici suæ.* Quod unitatis sacramentum etiam docet apostolus, dicens: *Vnum corpus & unus spiritus, una spes vocationis nostræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus.* Hinc sancti patres alienum, profanum, hostem, patrem Deum non habentem judicant, qui universalis ecclesiæ non tenet unitatem: & fidem erga Deum manifestant non habere, qui veluti quosdam artus divini & membra lacerari permittunt ecclesiæ. Cum enim propter ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus sit ecclesia: non videtur ab his fides exhiberi Christo, a quibus evacuatur passio ejus atque distrahitur. Episcopatus ergo summus, unus esse debet: & ecclesia una, quæ in multitudine latius incremento fœcunditatis extenditur. Et quomodo de fonte uno multi rivuli defluunt, & radii multi, sed lumen unum; & rami arboris multi, sed robur unum radice tenaci fundatum: sic ecclesia, Domini luce perfusa, per universum suos radios porrigit; unum tamen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur; ramos per universum orbem copia ubertatis extendit, profluentes largitur rivos; unum tamen caput, una origo, una mater ecclesia, una sponsa Christi incorrupta & pudica, unam domum nosse debet, unius cubiculi sanctitatem sancto pudore custodire decet.

Ioan. 20. — * Hæresis, inquit Raynaldus, cardinalium papam sibi subjicere volentium. — Matt. 18. — Cant. 6. — Ephes. 4.

Sane (quod dolentes & ab intimis cordis contriti mœstitia referimus, quod & vobis non arbitramur incognitum) ecclesia jam triginta annorum spatio crudelem patitur, & est passa scissuram: divisa est tunica Christi, quam, ut non scinderetur, Iudæi in Christi passione sortiti sunt. Heu! proh dolor! obscuratum est aurum, sol obtenebratus est, mutatus est color optimus, fons exsiccatus, rivuli arefacti sunt, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite platearum, in fabulam & sibilum versus est amictus varietatis ejus, odor unguentorum ejus in infamiæ pudorem, suavitas ejus in crudelem horrorem. Vt quid amplius immoramur? calamitates ecclesiæ atque dispendia, postquam hoc maledictum viguit schisma, manus non sufficerent ad scribendum, lingua ad pro-

ANNO CHRISTI 1409.

proferendum, aut memoria quantumcumque tenax ad retinendum. Nos autem caritatis fervore, officii nostri debito, ut contra hanc pestem de remedio provideremus opportuno, cum domino Gregorio tunc nobiscum in minoribus existente, post obitum felicis recordationis Innocentii papæ VII. & alii tunc domini cardinales in conclavi existentes, invicem promissionibus, juramentis, & votis, nos astrinximus pro schismatis extirpatione principaliter quinque continentibus.

Primum, quod si quis nostrum ad summi apostolatus apicem assumi contingeret, pro redintegratione unitatis Christianorum renunciaret summi apostolatus dignitati & juri suo. Secundum, quod post assumptionem suam, approbaret publice votum & juramentum, & confirmaret domino Petro qui ex altera parte se Benedictũ appellat, regibus & principibus, & aliis universitatibus, patentibus litteris intimando, & offerendo se illud impleturum, & paratum ad cedendum. Tertium, quod de fratrum consilio destinaret ambassiatores ad eum, qui pro papa se ex altera parte gerit, ad prædicta intimanda & locum eligendum. Quartum, quod tractatu pendente nullum crearet cardinalem, nisi causa coæquandi numerum pro numero alterius partis, nisi ex defectu alterius partis steterit, quod unionis præfatæ conclusio non sequatur infra annum a certo tempore determinato inchoandum. Quintum, quod omnia promissa, inchoata & inchoanda, mediaremus & prosequeremur, nihil de contingentibus, necessariis, utilibus, aut quomodolibet opportunis, omittendo.

Post quæ dominus Gregorius præfatus ad apicem summi apostolatus assumptus, in quem nostra omniũ reposita erat fides, propter præteritam ejus apparentem vitam, quod prædicta absque mora efficaciter adimpleret, post sui assumptionem pluribus astantibus omnia & singula prædicta publice approbavit, confirmavit, atque subscripsit, destinavitq; ad eum qui pro altera parte se pro papa gerit, & ad reges & principes, civitates quamplures, & universitates utriusque obedientiæ, litteras patentes tam nostras quam suas, in quibus prædicta notificans; ea se profitebatur adimpleturum. Et sic ad quamplures reges & principes destinavit ambassiatores, hæc omnia viva voce confirmantes, & eum impleturum offerentes. Tandem destinatis ambassiatoribus & facta conclusione de loco civitatis Saonæ, a qua, postquam illam suis litteris approbavit pro loco decenti, captatis occasionibus recessit: & assumpta hinc inde ab utraque parte superflua disceptatione locorum, circa illa multipliciter variando, tempus anni, & plus, inaniter est consumptũ: & cum multis varietatibus & ambagibus, quas narrare longum esset, nunquam ad loci concordiam est deventum, quãquam loca in medio fuerint oblata decentia & habilia, & cum securitatibus debitis; quæ modo ab uno, modo ab alio contendentium de papatu, fuerunt occasionibus frivolis reprobata, nobis contradicentibus, & omnibus ambassiatoribus, & aliis pro hoc negotio degentibus in curia, & repugnante communi omnium opinione.

Postea a domino Gregorio civitate Pisana multipliciter pro loco habili commendata, ac loco prædicto a nobis de ejus voluntate postulato, & destinatis ambassiatoribus ad dictum Petrum, pro alia parte, Benedictum nuncupatum, & se Liburnum, qui locus est propinquus civitati Pisanæ prædictæ, ac ejusdem diœcesis, accedere promittente, paratis Florentinis ad locum civitatis Pisanæ utrique concedendum: præfatus dominus Gregorius numquam tempus determinare voluit, infra quod accedere vellet: nec etiam,

A cum diceret plures sibi necessarias securitates, eas exprimere voluit: cum tamen ambassiatores Florentinorum una nobiscum, & cum ambassiatoribus Venetorum, ac ambassiatoribus domini Petri de Luna, ex altera parte Benedicti nuncupati, super hoc instarent; ipsis ambassiatoribus Florentinis se ad ea quæ concernerent Florentinos circa securitates & alia, implere paratos offerentibus. Et tandem dominus Gregorius, quod dolentes referimus, per eum captatis occasionibus, a tractatu satis ignominiose recessit. Ex quibus ejus in prædictis non sincera neque bona voluntas manifestissime propalata extitit & ostensa. Et sic sumus tracti per inania verba spatio anni, & ultra, sub velamine difficultatum loci, qui nec ad cedendum erat de

B substantia requisitus, nec ex forma juramenti ad hũc actum destinatus: cum ubilibet cedere potuisset uterque per procuratorem idoneum, aut in manibus collegii sui, nobis & dominis cardinalibus ex altera parte, paratis ad omnia loca tam conventa quam oblata convenire, pro his quæ incumbebant implendis.

Et tandem ut nihil de contingentibus omitteretur, ad præcludendas vias unionis sanctæ, & claudẽdos aditus implementi juramenti & voti, ne quod boni agere nolebat, aliis via *pararetur: nobis fecit tria mandata pœnalia evidenter injusta. Primum, ne sub pœna perjurii collocutionem aliquam haberemus per nos, vel per interpositam personam, cum ambassiatoribus

C domini Benedicti, nec cum ambassiatoribus serenissimi principis regis Franciæ: qui pro nulla alia causa quam unionis prosequendæ degebant in curia. Secundum, ne sub eadem pœna congregaremur insimul absque ejus licentia: cum tamen in factis ecclesiæ & fidei, conventiones & collocutiones ejusmodi approbentur; nec verbum Dei, ut unionis & pacis est, secundum apostolum sic debuerit aut potuerit alligari. Tertium, ne sub pœna privationis cardinalatus & beneficiorũ, de Lucana civitate, in qua cum eo degebamus, exiremus. Et hæc omnia, ut clauderentur viæ prosecutionis unionis & pacis, nec aliquid de ea quoquo modo valeret attentari. Et demum clarissimis verbis voluntatem suam propalando aperuit, quam ante palliaverat, quod suæ intentionis non erat amplius, viam insequi cessionis, quam pluries in publico

D multis astantibus reprobavit ut diabolicam: quæ tamen ante ab ipso extiterat approbata, jurata, atque promissa, & a toto mundo recepta ut grata, sancta, & justa; & per quam solam facilius poterat hujus pestiferi schismatis finis haberi: cum tamen se ab hac retrahere non debuisset, exemplo Christi, qui de cælo in humana membra descendit, ut salutem humano generi daret & pacem. Novissime contra votum & juramentum, antequam foret ab altera parte a tractatu recessum, nobis renitentibus prius, postea absentibus, in confusionem unionis, quatuor de facto creavit cardinales, in proposito non cedendi sibi applaudentes, & eum in hoc multipliciter

E confirmantes. Ex quibus a populo Christi cum gravissimo ejus scandalo de unione funditus extitit desperatum.

Nos autem per manus præfati domini Gregorii, & alterius qui se Benedictum appellat, saluti & unitati populi Christi amplius provideri non sperantes; cum & inter eos de collusione permaxime suspicaretur; & considerantes super hoc nihil in præsentia domini Gregorii agi posse, tum quia reprobaverat viam cessionis, tum propter prædicta iniqua præcepta, tum propter notorias persecutiones ipsius Gregorii & suorum, persequentium omnes, nedum insequentes, sed & quoquo modo suadentes unionem, via jurata, & ut clarius loqua-

ANNO CHRISTI 1409.

*f. aliis viis

Anno Christi 1409.

loquamur, ut mortis & carcerationis injustæ periculum evidens evitaremus, prout in aliis nostris expressimus litteris, ut cum libertate in talibus debita, quam in civitate Lucana habere non valebamus, negotium præfatæ unionis, ut multipliciter eramus astricti, prosequeremur, & circa illud cum quibus expediebat de opportuno remedio provideremus secundum Deum & canonica instituta, plus Deo quam homini parere volentes: discessimus a civitate Lucana, in qua pro tunc cum præfato domino Gregorio degebamus, & Pisas accessimus, deinde Liburnum, ut cum dominis cardinalibus ex altera parte tractaremus de modis & viis quibus populo Christi pax daretur & unio. Et habitis & consideratis maturis consiliis universitatum, magistrorum studii Parisiensis & Bononiensis, quæ universitates maxime inclinabant in has conclusiones, quarum plurimæ ad scripturam publicam & authenticam roboratam sigillis sunt redactæ.

Videlicet primo, quod uterque, & dominus Gregorius, & qui se ex altera parte pro papa gerit, ex debito officii pastoralis veri vel prætensi, jure communi, circumscripto quomodolibet juramento & voto, stante schismate tam inveterato cum tanto populi scandalo, tenentur & debent cedere, ex quo propter dubia facti & juris super papatu aliter non potest commode dari unio & pax in ecclesia Dei, ne plus temporalem dignitatem quam populi salutem & unitatem, ac æternam vitam appetere videantur; & quia finis pastoralis officii est providere unitati gregis, paci & saluti animarum populi Christi. Secundo, quod longe fortius astringuntur concurrentibus tam solemnibus vinculis, ut promissionis, voti, & juramenti. Tertio, quod papa, stante tali schismate, pertinaciter resistendo in complendo quod vovit & juravit, ad quod etiam absque voto & juramento tenetur, incurrit crimen notorium propter quod subjicitur provisioni concilii, & ultra hoc concluditur schismatis nutritor & fautor, cujus obstinatione & vetustate descenditur in hæresim, & fides læditur Deo & ecclesiæ debita, cujus etiam provisio spectat ad concilium. Quarto, quod etiam stante dubio an hoc incrementum schismatis transeat in hæresim, vel an tale sit debitum, ex quo provisio spectet ad concilium, quod cognoscere in dubio ad idem pertinet. Quinto, quod stante dubio papatus inextricabili propter dubium facti & juris, ne in subversionem fidei ecclesia sic remaneat divisa perpetuo, cum tanto scandalo & animarum perditione, provisio spectat ad concilium & ecclesiam universalem, & utrumq; eis non cedentibus possit a papatu ejicere. Sexto, quod stantibus terminis, ut stant, & ambobus detrectantibus implere quod jurarunt & voverunt, cum ex hoc nutriant schisma manifestum, subditi possunt & debent ab eorum obedientia recedere & tenentur, cum ex eorum obedientia palpabiliter videant utrumque in suo malo nutriri proposito: & etiam peccant si non subtrahunt, tamquam principaliter schisma facientes, vel saltem indirecte auxilium præbentes nutritoribus schismatis antiquati, nec sententiis contendentium de papatu aliquatenus propter hoc valent alligari. Ultimo ex factis & dictis, quæ supra ponuntur, quæ universo mundo notoria sunt, satis notorie patet utrumque detrectare implere quod debebat, & ad quod tenetur ex debito officii & juramenti, cum saltem potuerint cedere per procuratores idoneos, vel uterque in manibus collegii sui, & sic dare pacem populo Christi; cum uterque de jure & forma juramenti arctetur ad nihil de utilibus, necessariis, aut quomodolibet opportunis omittendum; cum etiam ab utriusque pendeat potestate, solvere perplexitatem conditionum juramenti, si qua subsit: & si quæ circa hoc excusationes allegentur, frivolæ sunt, & eorum cognitio est concilii.

Quibus visis, & pluribus habitis inter nos consiliis, firmavimus nos venire cum dominis alterius collegii, & Liburnum accedentibus nobis, qui locus est prope Pisanam civitatem ejusdem diœcesis, ac eis dominis cardinalibus ex altera parte in sufficienti numero nobiscum congregatis in unum, nos univimus propositum, ut modis omnibus justis & sanctis, & secundum canonicas sanctiones, populo Christi de unione & pace provideremus. Et considerantes quod ipsi de papatu contendentes, contra se minime concilium integrum congregarent, ut præteritorum experientia docuit & docet, & etiam præterita negligentia, & maxime quia dominus Gregorius negavit cessionis viam, & eam ut diabolicam reprobavit, ad quam tractandam etiam concilium denegasse videtur; attendentes etiam, quod uterque permaxime est de convocando concilio suspectus, ut aut nolit, aut nimium dilatet, aut etiam minus fideliter congreget, cum verbis & factis viam impediant ad schisma tollendum, ad cujus finem concilium congregatur; cum perpendat uterque se congregato concilio verisimiliter excludi, & uterque multifarie declaraverit se anhelare ut in papatu etiam cum divisione remaneat; item propter probabiles dubitationes de papatu tam ex facto & facti antiquitate, quam ex jure descendentes, & propter obedientias separatas, neuter quoad totam congregationem utriusque obedientiæ, quæ in tali casu tota est necessario congreganda, potest se ostendere papam indubitatum, nec in solida possessione pacifica papatus existit, sic ut eo modo quo oporteat valeat concilium totum congregare; nec uterque de facili ad hoc potest induci, ut congregent simul, tum propter eorum indispositionem ad hoc, quæ perpenditur ex retrofactis & dictis, tum propter nimiam eorum distantiam in re tantam celeritatem desiderante, tum quia saltem casu aliquo canones inferioribus concilii congregationem permittunt; nullus autem proportionabilior casus isto, tum quia ad congregationem concilii requiruntur per nos & per concilium requirentur, ut consentiant, & si consentiant, bene quidem, alias concilium procedere poterit, cum ab eorum potestate pendere non debeat, an de criminibus suis inquiratur, de quibus potest per concilium inquiri, nec ut perpetuo sic ecclesia lacerata remanere debeat, cum etiam neutrales seu subtracti, de facili ad eorum convocationem non venirent, & sequerentur pericula alia evidentia in impedimentum desideratæ unionis; & attendendo quod diffugia & dilationes contendentium ulterius attenderentur, qui sic se abinvicem separant & disperguntur, maxima quasi ex proposito locorum distantia, ut de eorum convenientia in unum de cætero nulla spes habeatur, errores succrescunt, cum schisma mater errorum existat, & inveteratum transeat in hæresim juxta Divinas & canonicas sanctiones; & ecclesia ad irreparabilis desolationis deduceretur opprobrium, in evidens & irrecuperabile periculum animarum: habita inter nos duo collegia matura deliberatione, cum multis prælatis notabilibus, & magnis litteratis in theologia, canonica & civili facultate, sequentes exempla & gesta alias virtuose in ecclesia Romana servata, deliberavimus quod per nos in parte & obedientia nostra concilium seu ecclesia convocetur in certo loco & termino, & idem fiat per collegium seu dominos cardinales, ex altera parte in eodem termino cum

ANNO CHRISTI 1409.

cum auxilio & benigno suffragio regum & principum utriusque obedientiæ, quibus nunc Romana & universalis ecclesia permaxime dignoscitur indigere; & qui ut Deo devoti dexteras ecclesiæ & nobis præbebant adjutrices, & defensionis, ac protectionis præbebunt auxilia ut devotissimos principes decet, & eorum convenit honestati, ad finem, quod in dictis loco & tempore convenientibus, domino Gregorio, & domino Petro de Luna ex altera parte, Benedicto nominato, quibus dicta deliberatio intimatur, & requiruntur, ut dictæ congregationi opem ferant & assensum, & in eis conveniant finisque imponatur schismati per viam mutuæ cessionis; ut jurarunt, & electio fiat per utrumque collegium in unum convenientes unici & indubitati pastoris. Quod si venerint & non renunciaverint cum effectu, vel alter renunciaverit, vel ambo non venerint, provideatur per ecclesiam congregatis, attentis promissis juratis & voto confirmatis, alias fere a cunctis fidelibus approbatis, decernatur & declaretur ut in præmissis necessarium fuerit, & opportunum, taliter circa factum duorum contendentium, & necessitatem ecclesiæ imminentem, ut ipsorum vel alterius absentia seu pertinacia & contradictione non obstantibus, schisma extirpetur, & per electionem unici & indubitati pastoris canonicam, unio perfecta in Dei ecclesia habeatur, ad Dei servitium, gloriam, & honorem, & ecclesiæ debitam reformationem.

Quocirca prædictam deliberationem necessariam fidei & ecclesiæ sic deliberate digestam, vobis & vestrum singulis intimamus, & notificamus, precamurque, & sub debito juramenti & fidelitatis quo ecclesiæ Romanæ tenemini, requirimus, quatenus, in quantum Deo placere cupitis, & defensioni fidei assistere, & unitatis vinculo procurando ecclesiæ Romanæ tenemini, velitis in termino Annunciationis B. Mariæ proxime futuro de mense Martii, quem terminum ad hoc congruum elegimus, ad quem terminum domini cardinales alterius partis, prælatos, & alios obedientiæ suæ convocant, & ad civitatem Pisanam præfatam, & in ipsa cum domino Gregorio, si venire voluerit nobiscum, qui in dictis loco & termino personaliter, Deo auxiliante, erimus, ac prælatis aliis obedientiæ nostræ & partis, quos pari modo specialiter ad hoc convocamus; ac cum deputatis regum, & principum, quorum regum & principum benignum auxilium huic Dei negotio, fidei, & ecclesiæ necessarium, & quamplurimum opportunum, imploramus, convenire, & comparere ad fines & effectus prædictos, spirante gratia Spiritus sancti prosequendos, & feliciter consummandos.

Quod si qui ex vobis, impedimentis causantibus, nequiveritis personaliter interesse ad dictos locum, & terminum, pro Dei & ecclesiæ reverentia, & fidei necessitate, aliquos vestri nomine Deum timentes, scientia & experientia illustratos, destinare velitis, suffultos speciali & sufficienti potestate ad effectus præmissos consequendos, taliter in his vos habentes, quod de promptitudine servitii Divini, & defensione fidei, & subventione ecclesiæ, apud Deum meritum consequamini, & apud homines laudem & gloriam sempiternam. Nec in hac parte, & materia necessaria, aliquo modo dubitetis, aut cujuscumque terrore concutiamini: quia cum vos & nos causam fidei & extirpationem schismatis prosequamur, sub Dei & ecclesiæ, de cujus congregatione agitur, & ad quam etiam dominum Gregorium per alias nostras litteras specialiter provocamus, & intimari facimus, ut concilio intersit, manebimus ab omni læsione processuum securi. Quod si aliqui processus contra vos & nos fierent occasione prædicta, nulli forent, & evidenter subjecti vitio nullitatis, tanquam impeditivi sacratissimæ unionis. Est enim nostra, & dominorum de collegio alterius partis, intentio, & irrevocabile propositum, quod cum iis qui veniunt ad dictum locum & terminum, provideatur fidei & ecclesiæ, juxta effectus prædictos aliorum, qui non veniunt, absentia non obstante, prout alias factum fuit in generalibus conciliis, in quibus fuerunt per modum prædictum errores extirpati, fides exaltata, ecclesia reformata in vinculo pacis & unionis, extincto errore schismatica pravitatis.

Quia vero fidelibus non est tam de solicita inventione quacumque fidendum, quam de instantia orationis humilis, & devotæ sperandum: vestras caritates precamur, ac per viscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi exhortamur, quatenus & per vos, & hoc idem fieri procuretis per fideles vestræ solicitudini commissos, humiles preces fundantur ad Dominum, & devotis orationibus insistatur, ut ipse qui concordiam operatur in sublimibus suis, dignetur efficere quod debita per hanc deliberationem sequatur provisio celer, concors, & canonica; & animarum salus & necessitas exigit, & totius orbis utilitas desiderat & exposcit.

Dat. in Castro seu loco Liburni sub trium priorum nostrorum appensione sigillorum vigesima quarta mensis Iunii, prima Indictione, anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MCCCCVIII.

Subjungit Raynaldus his litteris schedam sequentem, quæ nihil aliud videtur esse, quam eorumdem cardinalium appendix, suis addita litteris. Eam tamen Dacherii exemplar, veluti earumdem litterarum partem repræsentat.

M*Iseratione Divina ..... cardinales, &c.* Postquã hæc nostra deliberatio ad notitiam transivit utriusque de papatu contendentium: factæ sunt ab eis ordinationes de convocandis obedientiis suis separatim, videlicet à domino Gregorio apud provinciam Ravennatem vel Aquileiensem in die Pentecostes; a domino, qui se Benedictum dicit, apud Perpinianum in Aragonia ad festum omnium Sanctorum; & secundo per dominum Gregorium alia bulla emanavit ad omnes Christi fideles, sub quarto Idus Iulii, in qua declarat quod suæ fuit voluntatis, est, & ut in Deo sperat, erit, pure & fideliter servare formam & intentionem suorum juramentorum, voti, & promissionis, in conclavi factorum; atque nos convocat secum cum cardinalibus, quos de facto creavit, ad tractandum super negotio unionis. Quæ tam convocationes, quam litteræ domini Gregorii, qualiter ad finem tendant unionis, litterarum series patenter ostẽdit: tum quia ex convocationibus separatis, & ad loca diversa & remotissima, & diverso tempore congregandis, nullatenus sequi valet unio, nec aliquid concludi, cum talia ex utriusque pendeant pacto; & quia ut detur unio, convocatio exigitur utriusque obedientiæ simul, & conventio totius universalis ecclesiæ secundum canonicas sanctiones, sanctorum patrum instituta, & consuetudinem hactenus in talibus observatam: nostra autem convocatio universalis est, & de utraque obedientia, ex qua consequi potest unio. Et si ambo de papatu contendentes bonæ forent voluntatis, ut ostendunt, nostræ potius consentirent congregationi, ut requiruntur, de tota ecclesia, quam & novas, & particulares facerent sic separatas: ex quibus nihil aliud sequi potest quam schismatis confirmatio. Et ex hoc etiam detegitur fraus

fraus secundæ bullæ domini Gregorii. Cum enim nihil restet noviter tractari, sed sola restat executio voti & juramenti, quam agiliter potest expedire, procuratorem constituendo ad cedendum: ipse tamen conatur illam ad novos reducere tractatus & anfractus, ad primordialia reducendo principia, quasi materia non sit trita & notoria, & quasi satis per ipsum varietatibus & vacillationibus retro non fuerit intricata; tum quia ex suis tractatibus, altera parte sic in remotis partibus agente, nihil nisi schismatis confirmatio sequi potest; tum quia in quantum nos ad se convocat, hoc non agit propter aliud, nisi ut nos segreget a collegio alterius partis, ut sic convocatio universalis ecclesiæ, & utriusque obedientiæ, ex qua sola rebus sic stantibus dari potest unio, de manibus nostris auferatur, & sic schisma perpetuetur. Ex quibus ut supra narratis satis patet, qualiter retro fuerit bonæ intentionis, cum expresse viam renunciationis reprobaverit: qualiter etiam de præsenti sit, & verisimiliter in futurum erit. Nolite talia velut inania attendere, & quæ emanant in confusionem unionis: sed ad congregationem nostram iter præparate, ex qua cum adjutorio Iesu Christi pax & unitas dabitur in ecclesia sua sancta.

LITTERÆ CLAUSÆ MISSÆ domino Benedicto per cardinales partis suæ: una cum aliis litteris patentibus, de quibus infra, per quas ad concilium convocatur apud Pisas.

SAnctissime pater, & clementissime Domine, humili & supplici recommendatione præmissa. Etsi sanctitati vestræ celerius non fecimus nota, quæ per nos cum reverendissimis patribus in parte alia cardinalibus nominatis prosecuta, & cum magna ac digesta sinceritate deliberata fuere, communi assensu & concordi, operante, ut credimus, Spiritus sancti gratia, qui unitis in unum in suo nomine pie subvenit, & in ore etiam ponit absque alia præmeditatione solerti, quæ agere debeant, quemque promere sermonem: vestra sanctitas in admirationem non debet adducere, seu ad aliud quod debito & honestati non congruat deputare: cum certum existat bonis operibus frequenter adversitates ingeri, non in reprobationis præsagium, sed potius in virtutis, constantiæ, & fortitudinis stabile fundamentum, quæ in hoc Dei negotio non defuere, sed latenter interfuere, & interdum sub fictis coloribus in scintillam aliquando prodiere: ob quas, etsi protractiones in concordandis virtuose conceptis affuerint, tamen illis animo constanti depulsis virtute Altissimi, res quæ gerebatur adeo serena effecta est, ut sua valeat nunc firmitate & immobili fortitudine vestræ sanctitati & cunctis fidelibus nunciari.

Et ut narrationis series a suo principio sumat exordiũ: cõvenientibus nuper tribus ex nobis, & reverendiss. patre D. cardin. de Chalento, reverendis patribus Rotomagensi, Tolos. Tarraconensi, archiepiscopis, ac venerabili viro magistro generali ordinis fratrum Prædicatorum, per sanctitatem vestram deputatis, in Liburno, cum quatuor ex dominis alterius collegii cardinalibus, ut de expedientibus, & necessariis ad causam unionis procurandæ pertinentibus cura haberetur solicita, cum alias tractatus pro extirpatione schismatis habitus, & diu per inanes altercationes inutiliter tractus, in evidenti foret ruptura, taliter quod piam habentibus mentem, & zelum caritate ardentem ad schismatis extirpationem, res ipsa in desperationem visa fuit excidisse. Ob quæ necessitate id exposcente, & utilitate claro intuitu requirente, cum alias statu rerum considerato schisma extirpari non posset: de concordia & assensu omnium per sanctitatem vestram deputatorum, aperta fuit via concilii generalis utriusque obedientiæ in uno loco partium Italiæ, unoque termino congregandi, ad finem, ut in eodem termino & loco sanctitate vestra, & Gregorio convenientibus, per viam mutuæ cessionis concordatæ, & multiplici firmitatis irrevocabilis vinculo roboratæ, præsente & approbante concilio finis imponeretur schismati pestifero & nocivo: alias provideret concilium, & ecclesia congregata, ut foret secundum Deum, ac Divinas & canonicas sanctiones providendum. Quæ via illico in suo ortu per dominos alterius partis cardinales approbata extitit, & cum magna mentis exultatione recepta, ac ab omnibus audientibus quamplurimum commendata. Per cujus viæ apertionem depulsa fuere quamplura aperta & mota, quæ sic convenienter ad unitatis procurandum vinculum non censebantur merito pertinere. Demum habita præmissorum certitudine, viam ipsam sanctitas vestra approbavit, & in procinctu recessus a Portu Veneris S. vestra per sacristam Magalonæ mandavit nobis, ut viam apertam generalis concilii prosequeremur animo constanti, ac indefesso labore. Et quamvis ante notitiam vestri recessus ad partes tam remotas, via concilii generalis utriusque partis & obedientiæ visa fuerit necessaria, vobis & Gregorio existentibus in propinquo: multo fortius & evidentiori necessitate complexa vobis ad invicem absentantibus, & ad loca tanta distantia separata transferentibus, non sine cordis lugubri lamentatione illorum, qui unitatem fidei & ecclesiæ gerunt in desiderio caritatis. Si enim vobis adinvicem in propinquo consistentibus pax ecclesiæ dari non potuit: quis sanæ mentis & sui compos existens æstimabit, sine via utriusque partis generalis concilii ecclesiam uniri posse, adeo longo terrarum spatio vobis existentibus separatis? Et propterea juxta nobis a sanctitate vestra injuncta mandata, & ob majorem imminentem necessitatem, prosecuti sumus cum dominis alterius collegii cardinalibus prædictam viam concilii utriusque obedientiæ: & finaliter post multa exacta dierum curricula concorditer convenimus, nomine etiam reverendissimorum patrum dominorum cardinalium pro nunc a præsenti civitate absentium, & nobiscum in hac parte concordantium, ac sincera caritate cum omnibus dominis cardinalibus alterius partis concordavimus, uno dumtaxat excepto, cujus tamen adventus parque concordia præstolatur in brevi, ut generale utriusque partis & obedientiæ concilium teneatur in hac civitate Pisana, per sanctitatem vestram, & Gregorium, alias electa & nominata in die Annunciationis Domini, quæ occurrit xxv. Martii proximi futuri, convocandum per nos in nostra parte, & per dominos cardinales alterius partis in sua, cum insinuatione præmissorum facienda per nos sanctitati vestræ, & alios dominos nominato Gregorio, nostra ex parte S. V. cum humili supplicatione, ipsorum ex parte (quoad Gregorium, a cujus obedientia & communione ob evidentes, necessarias, & justissimas causas recesserunt) requisitione solemni, ut præfato concilio feratis opem & assensum, vocando ex superabundanti & ad cautelam, ut pusillis & ignorantibus satisfiat, per vestras litteras, & Gregorius per suas, ad locum & terminum antedictos, eos qui sanctitati vestræ & illi obediunt; ut sic vestra, & illius, ac nostra, dominorum quoque alterius partis, vocationibus in unum concurrentibus, res ipsa efficiatur validior; licet alias per se existat valida & omni firmitate subnixa: tolla-

ANNO CHRISTI 1409.

tollaturque frivola quorundam quærentium quæ sua sunt allegatio, qua alias contra modum vocationis concilii impertinenter uti vellent ad differendum vel impediendum tam gratum Deo servitium, fidei & animarum saluti tam necessarium, ac toti reipublicæ opportunum; cum communis sit omnium fidelium opinio, rei experientia comprobata, quod numquam Gregorius cum sanctitate vestra super convocatione utriusque partis concilii in loco & uno termino, concordaret; certumque existat, quod ad vestram & illius generalem vocationem, si fieret, non obedientes, substracti & neutrales, nullatenus convenirent. Estque convenientius canonibus, verisque consonum opinionibus, & sanctorum patrum exemplis merito imitandum, duobus de papatu contendentibus, quorum neuter ab universali ecclesia pro vero pontifice habitus est seu receptus, & quorum obedientia per multorum subtractiones & neutralitates in dies diminuitur & aufertur, super quorum controversia Deo non grata, fidelibus nullatenus accepta, necessarium est utriusque partis concilium convocandum, quod per cardinales partis utriusque potius (in quibus, quantum ad membrorum cohærentiam attinet, est reformatum unitatis vinculum, fidelibus omnibus gratum, & qui ad hoc solum agunt, ut quantum ad subjectionem & communionem capitis, inter fideles existat uniformis caritas) convocetur universalis ecclesia in concilium generale: quorum vocationi potius parebitur, quam per sanctitatem vestram & Gregorium, quorum autoritas ad effectus contemptu plenos in dies deducitur, negligiturque taliter, quod ad vocationem vestram & ipsius, universalis qui quæritur non sequeretur profectus.

Sunt etiam alia fundamenta lucida & sufficienti ratione fulcita, per quæ hic modus vocationis justus est, canonicus, debita ac justa consideratione necessarius ac etiam opportunus: a quo, & concilio ipso generali, vestra & Gregorii non excluditur præsentia, sed modis omnibus præstolatur. Tollitque hæc consideratio omnem objectionis intentum, quæ adversus ipsum generale concilium, ejusque modum vocationis, a volentibus subterfugere allegari posset.

Ad hoc autē, istud generale convocatur conciliū, ut in illo sanctitate vestra & Gregorio convenientibus, cessio mutua promissa juramentis, & votis roborata, & a cunctis Christi fidelibus approbata, fiat: eaque facta, & dispositis quæ videbuntur utiliter disponenda, per cardinales utriusque partis in unum deductos collegium, ad canonicam procedatur electionem unici, veri, & indubitati pastoris; hæcque peragantur quacumque querela alia & accusatione denunciatione que depulsis, & erga sanctitatem vestram & Gregorium omnis adhibeatur honorificentia debita, libertas & securitas tribuantur modis possibilibus, sufficientibus & honestis, & etiam omnibus ad ipsum concilium venientibus, in veniendo, stando & recedendo. Super quibus, cum Florentinis, quorum dominio subest Pisana civitas, certas habemus conclusiones & capitula, sufficientibus promissionibus & cautelis debitis roborata. Quod si S. V. veniente, disposita præmissa adimplere, Gregorio in damnata pertinacia & proterva contumacia permanente, fidei, unitati ecclesiæ & veritati evangelicæ obviante, vel si sanctitas vestra sic disposita non venerit: tunc in alterius, vel utriusque contumaciam & defectum, provideatur per concilium & ecclesiam congregatam, ac ordinetur ut dictaverit Spiritus sancti gratia, volunt & disponunt canonicæ sanctiones, doctorum dicta per ecclesiam approbatorum suadent, & ostendunt gesta sanctorum patrum pariter & exempla: Taliter, ut defectibus, cōtumaciis, & cōtradictionibus, & aliis nō obstantibus causis prætēsis, extirpetur schisma, & unio in Dei ecclesia reducatur sub uno vero & indubitato pastore, modo præmisso, auxiliante Domino, eligendo.

Hæc est via, pater sancte sic deliberata sincere, de voluntate sanctitatis vestræ prosecuta, Deo grata, autoritatibus veteris & novi testamenti conveniens, gestis apostolorum, & sanctorum patrum, dictisque concordans, & a canonibus approbata, acceptaq; prælatis, regibus & principibus, notabilibus, cōmunitatibus, & omni clero & populo Christiano, ad quos de illa pervenit veridica relatio: omnisque lingua illam commendat, approbat & exaltat; per istam solum existimantes schisma extingui posse, unitatis vinculum inter Christicolas reduci. Qui in ista laborare neglexerit, & laborantibus in ea opem & auxilium præbere noluerit, juxta beatos Ambrosium, Augustinum, & Anselmum, in ecclesia non existit, foris est, a trunco arboris ramus præcisus. Qui vero contradixerit, & impedimenta præstiterit, schisma diligit, nutrit, & facit; unitatem odit, fidem violat, veritati evangelicæ contradicit, & multo fortius a gremio ecclesiæ alienus existit. Itaque, ut ait beatus Cyprianus, tanta est macula, quod nec sanguine abluitur, cum sit inexpiabilis & gravis adeo culpa discordiæ, ut nec passione purgetur etiam pro fide Christi suscepta.

Hæc, pater sancte, cum caritatis zelo vobis significamus, supplicantes etiam nomine reverendissimorum patrum dominorum cardinalium absentium, & nobiscum in hac parte convenientium, & nobiscum facientium duas partes collegii, quatenus ad præmissa, ac lamentabilem statum ecclesiæ, animarum evidentia pericula, errorum succrescentium multitudinem pestiferam, libertatis ecclesiasticæ detrimenta, velitis aciem mentis dirigere, & attendere quod duæ partes vestræ obedientiæ, & ultra, irretractabiliter, quantum ex modo colligi potest, a vobis recesserunt, & se neutrales fecerunt, & in quo periculo sunt illæ modicæ terræ ecclesiæ vobis subjectæ, quas murus & arma non protegent, sed eis potius, ut formidamus, occasionem dabunt ruinæ & dispersionis lacrymis deplorandæ; & generali utriusque partis concilio, ut præmissum est, congregando, opem & assensum ferre, & in ipso convenire personaliter in loco & termino antedictis, cum dispositione præmissa incommutabili; quæ omnibus Christi fidelibus illico innotescat, quod vestra sanctitas intendit in ipso concilio pro unionis bono renunciare papatui, Gregorio renunciante, mortuo, vel per judicium ecclesiæ dejecto & sententialiter condemnato. Et de vestra intentione ac proposito in præmissis supplicamus humiliter sanctitatem vestram, dignetur per ipsius litteras nos certiores efficere, per venerabilem virum magistrum Ioannem Guiardi archipresbyterum Pictavensem præsentium exhibitorem, quem pro præmissis ad sanctitatem vestram direximus, deferendas: ad hoc ut habita vestræ intentionis a præmissis, ut speramus, minime deviaturæ, sed in omnibus assentientis, certitudine, valeamus circa vestram vestrorumque securitatem & libertatem in veniendo, stando, & redeundo, efficacius laborare, & de his congruo tempore vestram sanctitatem certificare, ac nos disponere ad serviendum sanctitati vestræ in accessu ad dictum concilium, & in ipso concilio, ut convenit & decens existit. Quamvis certum existat, quod accedente in præmissis vestra concordia, & firma dispositione, cessabit omne periculum, & inimicorum, si qui forent, feritas in mansuetudinem deducetur omnino, famosaque oblocutio in famam virtuosam

merito

ANNO CHRISTI 1409.

merito convertetur; vobisque erit pax & securitas, inenarrabile quoad Deum præmium, hominum laus & gloria sempiterna. A quibus, & tam necessario debito, sub animæ & salutis æternæ imminente periculo, neque viarum discrimina mortisque periculum, possunt subterfugientem reddere in conspectu Altissimi & hominum judicio excusatum. Et si, quod absit, aliqua prætenderetur periculi causa, Dei timore postposito, & tam necessario contẽpto debito, cum adversus concordata, & in debitum deducta necessarium, nulla competat exceptio: possent, quæ incumbunt, per procuratorem & deputatum habentem ad præmissa omnia speciale & irrevocabile mandatum, executioni debitæ demandari, omni excusatione cessante.

Et supplicamus humiliter, quatenus sanctitas vestra nos dignetur habere excusatos, si in hoc festo omnium Sanctorum ad eandem non accedimus sanctitatem, cum necessitas hic deliberatæ materiæ, Deo & hominibus gratæ, nostrum a præsenti civitate & consortio dominorum cardinalium partis alterius recessum non patiatur præsentialiter evenire: cum sequeretur ex hoc generalis concilii protractio, ne dicamus impedimentum, quod absit, in magnam Dei offensam, & scandalum, desolationemque omnium, qui per hanc viam sperant in brevi ecclesiam in pacis vinculo reformari; essetque separatio prædicta, & ad sanctitatem vestram accessio, adeo periculosa, ut cessantibus aliis periculis, terra marique occurrentibus, satis notis, nedum homines immo & lapides, si fas sit dicere, nostram insurgerent in ruinam. Nec videmus, pater sancte, qualiter particulare in Perpiniano tenendum concilium, in quo vix tertia pars obedientiæ vestræ conveniet, etiam si tota obedientia conveniret, possit ad extirpationem schismatis pertinere: cum ex particularibus conciliis in diversis terminis, & locis longa distantia separatis, celebrandis, etsi sequi valeat unionis impedimentum, non tamen extirpatio schismatis, quam evidenter inducit generalis concilii utriusque partis dispositio, ad quod tendimus, tendit & totus mundus. Hancque viam sumus de voluntate sanctitatis vestræ constanti animo prosecuti, quam etiam usque ad finem indesinenti animo prosequemur. Vestram sanctitatem dirigere dignetur Altissimus feliciter & longæve, cum prompto desiderio, & effectuali executione præmissorum pro pace ecclesiæ celeriter obtinenda.

Scriptum Pisis XXIV. Septembris, anno Domini MCCCCVIII.

Ad epistolæ finem subnotatum erat.

HÆc littera suprascripta præsentata fuit Petro de Luna per magistrum Ioannem Guiardi archipresbyterum Pictavensem in ea nominatum, ad hoc missum per dominos cardinales apud Perpinianum: cui dictus Petrus de Luna responsionem fecit per cedulam in forma quæ sequitur.

PETRI DE LUNA.

Responsio ad superiores cardinalium litteras.

Venerabilibus fratribus, Guidoni Prænestino, Nicolao Albanensi, Petro Tusculano, episcopis, Petro de Thureio presbytero, Amedeo de Saluciis, & Petro sancti Angeli, diaconis, S. R. E. cardinalibus, salutem & apostolicam benedictionem.

SPiritus sanctus ecclesiæ corpus vivificans, dirigens & gubernans, non solum unitatis & pacis, quin immo dicitur Spiritus veritatis. Sic itaque ecclesiæ prosequi convenit unitatem, ut cum pace veritas, juxta mandatum propheticum, diligatur. Sane die vigesima mensis Octobris litteras vestras datas Pisis XXIV. mensis Septembris proximo præteriti nos noveritis recepisse, inter cætera continentes, quod de voluntate & mandato nostro viam concilii prosequentes, cum anticardinalibus qui sunt Pisis convenistis, & etiam accordastis ut per vos in civitate Pisana ad diem Annunciationis Dominicæ instantem convocaretur concilium, ut asseritis, generale: & quod hæc via per vos tres, Prænestinum, de Thureio, & S. Angeli, & dilectos filios Petrum Tolosanum, Antonium de Chalento, cardinales, & bonæ memoriæ Ioannem cardinalem Armaniaci, tunc archiepiscopum Rotomagensem, ac venerabilem fratrem nostrum Petrum archiepiscopum Tarraconensem, & dilectum filium Ioannem de Podionucis magistrum generalem ordinis fratrum Prædicatorum, quos dudum Liburnum misimus, fuit concorditer aperta, & per nos demum approbata: quodque in procinctu nostri recessus de Portu Veneris, per dilectum filium Ioannem Malerusi sacristam ecclesiæ Magalonensis vobis mãdavimus, ut præfatam viam prosequeremini animo constanti ac indefesso labore; adjicientes nobis etiam supplicando, quod cum prædicta via sit Deo grata, & autoritatibus veteris ac novi testamenti, patrumque exemplis ac sacris canonibus approbata, & propter alia, quæ non exprimentes allegatis, lucida fundamenta sufficienti ratione fulcita, per quam solum schisma extingui posse, ut scribitis, æstimatur, dignaremur præfato concilio ferre opem pariter & assensum, vocando, ut dicitis, ex superabundanti & ad cautelam illud in dictis loco & termino; ac personaliter ibidem conveniendo cum proposito in certis casibus renunciandi papatui in eodem.

Quibus visis, ad aliqua solum quæ facti sunt pro nunc duximus respondere, cum veritate facti seriem recitando: ut illi tres, qui ex vobis præmissis interfuistis, factum melius ad memoriam reducatis; & alii, immo etiam omnes Christi fideles, veritatis videant fundamentum, & quantum caute in tam arduo & periculoso negotio eos oporteat ambulare. Scitis enim, cum satis notorium existat, nos pro executione sacræ & desideratissimæ unionis, & eorum quæ pro ejus felici consummatione scripta & oblata sunt, ad omnia loca concordata, ut usque ad fines nostræ obedientiæ cum magnis damnis & laboribus, summisque terræ & maris periculis accessisse; & demum ad loca inter Lucam & Portum Veneris constituta, & existentia in ipsius Angeli obedientia, & per ambassiatores Venetorum, & alios de obedientia dicti Angeli aperta, nos velle accedere, obtulisse.

Verum his omnibus per eundem Angelum denegatis, & minime observatis, de Liburno pro nobis, & de Pisis pro ipso Angelo, per eum aperte & publice oblata, licet inæqualia, & nobis periculosa & incommoda loca, etiam contra aliquorum ex vobis opinionem, duximus acceptanda. Quæ omnia & multa alia præfatus Angelus, in suæ, & multarum animarum periculum, & contra suorum prætensorum cardinalium, multorumque magnorum de sua obedientia consilium, facere & adimplere publice recusavit. Cæterum omnem tractatum unionis, & quamcumque audientiam, salvumque conductum, nostris nunciis & aliis denegavit. Propter quæ & alii multi ex suis prætensis cardinalibus, dictum Angelum in civitate Lucana deserentes, Pisis se personaliter transtulerunt, nos cum instantia deprecantes, ut ad eos appropinquare vellemus, Liburnum accedendo.

Nos

Anno Christi 1409.

Nos autem de vestro & aliorum venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinaliũ consilio, tunc ad dictum locum Liburni accedere decrevimus sine mora. Sed quia salvus conductus prius a Florentinis ob securitatem & victualia, & a domino Lucano propter transitum aliorum, qui per terram nos erant secuturi, necessarius videbatur: de nostro & aliorum prædictorum fratrum nostrorum consilio, vos tres prædictos, una cum quinque supra nominatis, ad antedictos prætensos præmisimus cardinales pro illorum consolatione, & ut pro hujusmodi securitatibus habendis vestra circumspectio laboraret cum bulla nostra credentiali, sed ad communes instructiones vobis omnibus traditas communiter referente. Quæ quidem instructiones per te, dilecte fili cardinalis S. Angeli, principaliter formatæ, & demum concorditer approbatæ, nihil aliud in effectu continebant nec continent, nisi quod antefatos prætensos cardinales confortaretis in Domino, & informaretis de nostro bono proposito & brevi accessu ad Liburnũ, audiretisque & sentiretis quas vias & modos pro unione ecclesiæ servare & prosequi intendebant, & de illis nos curaretis reddere certiores: ad hũc videlicet finem, ut cum prædictis fratribus communicato consilio, possemus procedere commodius in agendis. Visis igitur & recensitis prædictis instructionibus in forma authentica, continentibus præmissa tantummodo, & auditis depositionibus dictorum cardinalium, Tolosani, & de Chalento, & Tarraconensis, ac generalis Prædicatorum, publice & constanter asserentium, se nec vos tres ipsis præsentibus aliud quam sit in dictis instructionibus, nostra ex parte movisse seu aperuisse: hoc firmiter de vobis & ipsis credidimus & credimus, nec aliud credere verisimiliter debeamus, quod videlicet præter instructiones nostras attentaretis aliquid ex nostra parte nobis inconsultis prosequi, nec etiam aperire.

Scitis præterea quod per dictos Florentinos & dominum Lucanum, non obstante multiplici nostra & vestra, ac dictorum prætensorum cardinalium aliorumque instantia, fuit vobis & nobis omnis salvus conductus & securitas denegata. Ob quam rem nos adire non valuimus Liburnum, nec vos Pisas: ex quo oportuit quatuor ex prætensis cardinalibus ad vos Liburnum se transferre. Postmodum vero per dilectum filium Simonem Salvatoris cum instructionibus per vos sibi datis, de prolocutis inter vos & dictos prætensos quatuor cardinales, nos & prædictos fratres nostros informare curastis. Quibus instructionibus perlectis, nihil de prædicta via nobis innotuit, nostro, ut asseritis, nomine prosecuta. Bene tamen ex vestra parte per dictas instructiones & alias, verbo & scripto manu tua, dilecte fili cardinalis sancti Angeli, correctis, fuimus nihilo minus informati, quod dictis prætensis cardinalibus vobis separationem a nobis, & cum ipsis conventionem, & concilii convocationem sine nobis suadentibus, constanter in facie restitistis: per organum tuum, fili cardinalis sancti Angeli, expresse allegando, quod hæc secundum Deum & justitiam per vos fieri non poterant, nec debebant vos de his requirere; & quod ad nos tanquam ad caput, qui promissa conventa & concordata ad unguem servavimus, convocare concilium generale, & unionis negotium tractare, principaliter spectabat, prout hæc multis rationibus fundavistis.

Postremo non ignoratis quod præfati quinque ad nos redeuntes, qui in ultima die tractatus, quæ fuit die undecima Iunii, propter eisdem imminentia pericula de Liburno recedentes, nostram præsentiam adierunt, vestrum trium & sui ex parte nobis refe-

A rentes, quod ultima collatio inter vos, & sæpedictos prætensos quatuor cardinales, habita fuerat, quod ordinarentur certæ requisitiones dicto Angelo faciendæ: ante quarum quidem ordinationem, & aliam quamcumque receptam conclusionem, seu factam concordiam, ipsos, ut dictum est, recedere, & ad nos venire, eis gravi imminenti periculo, cogebãtur. Qui ex parte vestra nobis instanter consuluerunt, ut dimissis illis partibus, nostram & nos sequentium personas in tuto, cujusvis moræ sublato dispendio, poneremus: cum per certas missas litteras vobis constaret, quod de nostra & eorum captione ibi mandatum venerat, unde posset grave in Dei ecclesia scandalum suscitari. Quibus pensatis satisque notorie di-

B vulgatis, de fratrum nostrorum concordi consilio, & eorum pulsanti instantia, ad locum tutum & securum cum nostris decrevimus nos transferre: volentes nihilo minus, ex quo in illis partibus ulterius adesse personaliter nequibamus, solemnes nuncios cum plena potestate ibidem dimittere, qui super agendis darent operam efficacem. Sed quemadmodum vobis & multis notum est, salvus conductus cum instantia postulatus, eis per gubernatorem Ianuæ, procurantibus ambassiatoribus carissimi in Christo filii nostri regis Franciæ illustris, in ipsis partibus tunc moram trahentibus, extitit denegatus: licet non credamus, hoc de dicti regis voluntate &

C constantia aliquatenus processisse. Propter quod nec eos dimittere, nec in illis partibus secure potuimus ulterius remanere. Tandem de dictorum fratrum nostrorum & notabilium prælatorum aliorum consilio, in nostri recessus procinctu generale concilium, brevi termino omnium Sanctorum instanti, in villa Perpiniani Elnensis diœcesis, ut pote propinquiori inter loca secura, solemniter & publice duximus convocandum. His igitur omnibus consideratis, attendite cum scribitis, quod per sacristam Magalonensem prædictum vobis in nostri recessus procinctu injunxerimus ut constanter prosequeremini dictam viam. Hæc enim & præfatus sacrista palam atque constanter, & instructiones sibi datæ, quæ de manu præfati Ioannis

D cardinalis Armeniaci scriptæ manent, nihil continent super illo. Cæterum si forsan testes & scripta authentica superius allegata vobis non sufficiant: hoc saltem vobis & cuilibet intelligenti sufficiet evidenter, videlicet quod nõ est credibile, immo nec verisimile, quod nos cum nostro collegio, de nostro & aliorum fratrum consilio, cum tanto periculo recedentes, denegato vobis & nobis in Pisis & aliis partibus, ut dictũ est, salvo conductu & securitate, & convocato per nos, ut dictum est, concilio generali, vobis in eodem nostri recessus procinctu, prout scribitis, per dictum sacristam mandaverimus, quod per vos concilium vocaretur: quod nõ valet quocumq; verborum colore verificari. Ex quibus cuilibet recte inspicienti constare potest,

E quod prædicta nostro nomine, & mandato, atque voluntate seu approbatione, ut vestra continet littera, non fecistis, nec facere potuistis.

De vobis igitur mirantur multi & magni, quid est quod vos quinque vel sex, ut dictum est, nobis & nostro collegio inconsultis, quem papam & dominũ vestrũ scitis, quique pro unione ecclesiæ sanctæ Dei tot & tanta fecimus & obtulimus, & alia majora omni tẽpore parati sumus facere pro hujusmodi unione, & qui cõcilium generale non solum non denegamus, immo de fratrum nostrorum consilio convocamus, & in liminibus ipsius celebrationis existimus, & ad quem solum concilii generalis celebratio pertinet, ad similia procedere tentavistis. Quæ tamen si sancta, canonica, & juridica, sicut asseritis esse, demonstrave-

straveritis : non recusabimus. Tantum nos allicit tranquillitas populi Christiani. Super quibus cum nostro collegio in hoc sacro generali concilio de proximo in hac villa Perpiniani, loco utique celebri & insigni, idoneo per nos celebrando deliberare intendimus,& super allegatis & requisitis per vos pro unione utilibus, quod justum & canonicum visum fuerit, totis viribus prosequimur, & efficaciter cum suffragio Divinæ gratiæ exequemur.

Ad quod generale concilium vos in virtute sanctæ obedientiæ per nostras litteras convocavimus, & expresse harum serie convocamus: sperantes indubie, cũ omnis pro vobis & aliis se exhibeat securitas, & illuc in allegato per vos tempore, si nobis utile visum fuerit, revertendi tempus adsit satis longum, quod in dicto generali concilio personaliter studebitis interesse. Et tunc lucida fundamenta quæ habere prætenditis, licet illa non explicaveritis, poteritis declarare: quæ libenter audiemus; & benigne, in quantum rationabilia visa fuerint, admittemus. Præmissisque diligenter attentis, credere non valemus, vos nec quẽquam nobis posse cum ratione consulere, ut convocato hic generali concilio, ad quod jam plurimi ex Hispaniarum, & aliqui Frãciæ, Sabaudiæ, Provinciæ, atq; Vasconiæ partibus, prælati atq; notabiles personæ adsunt, quicquam innovare ante celebrationẽ concilii debeamus.

Ad id tamen quod tangitis, ut personaliter vel per procuratorem Pisas conveniamus, papatui, in certis casibus renunciaturi, & aliis in vestra littera cõtentis, solum pro nunc respondemus: nos firmam in Domino spem habere, quod ipso adjuvante, cujus recta sunt consilia, cum deliberatione dicti generalis concilii, talem, super his & aliis veram unionem concernentibus, recipiemus conclusionem, quod breviter, quantum in nobis erit, hoc detestabile, & proh dolor! nimium diuturnum schisma, tolletur de medio, & vera unio in Dei ecclesia subsequetur.

Datum Perpiniani Elnensis diœcesis, septimo Idus Novembris, pontificatus nostri anno decimo quinto.

Superioribus litteris subjuncta hæc erant in Dacheriano codice MS.

ITem sciendum, quod etiam fuerunt aliæ litteræ patentes ex parte cardinalium præsentatæ dicto Petro de Luna apud Perpinianum, per magistrum Guillelmum Saigneti judicem ordinarium Nemausensem, qui propter hoc ad eum ex parte cardinalium fuit missus. Quarum litterarum tenor hic statim ponitur: & in substantia idem continent, sicut litteræ clausæ ex parte eorumdem cardinalium per magistrũ Ioannem Guiardi præsentatæ, de quibus hic supra fit mentio secundo folio præcedenti. Et per istas patentes etiam dictus Petrus de Luna convocatur ad conciliũ Pisis congregandum. Et erant etiam aliæ patentes, per quas ad idem convocantur cardinales, qui erant cum eo quatuor, scilicet, Auxitanus, de Flisco, de Chalento, & etiam Gerundensis, qui tamen tempore præsentationis litterarum mortuus erat. Et dictus Guillelmus post præsentationem dictarum litterarum, & insinuationem, requisitionem, &c. sicut sibi erat injunctum, institit pro responsione habenda. Ad quod finaliter dictus Petrus de Luna respõdit: Habuimus alias litteras clausas ex parte eorumdem cardinaliũ, super simili materia, licet posterioris datæ, sed primo nobis præsentatæ, quibus responsionem dedimus: ideo superfluum esset amplius respondere: dicens quod litteræ plura continent quæ aliter se habent, & quod de omnibus unionem ecclesiæ tangentibus, intendit deliberare in concilio suo generali apud Perpinianum celebrando, & sperat bonam conclusionem recipere, &c.

Dicti autem cardinales requisiti pro responsione, dixerunt per os cardinalis Auxitanensis, quod idem cum dicto Petro de Luna respondebant in quantum eos tangebat. Et ita fuit relatum per dictum magistrum Guillelmum Saigneti, qui de omnibus attulit instrumentum ad longum.

To. VI. Spicileg. pag. 257.

FORMA SERVATA IN CELEBRATIONE concilii generalis apud Pisas, anno Domini MCCCCIX. secundum morem curiæ computando, die xxv. Martii, quæ erat dies Annunciationis beatæ Mariæ.

ET primo adveniente dicta die vigesima quinta mensis Martii, ad quam diem erat dictum concilium convocatum apud Pisas, fuit facta processio per cardinales & prælatos revestitos, ac alios qui ad dictum concilium convenerant, de S. Michaele, ubi est quædam abbatia monachorum, usq; ad ecclesiam cathedralem, & ibi dominus cardinalis de Thureio fecit Missam, & unus de ordine Prædicatorum, vocatus frater Leonardus de Florentia, fecit sermonem. Et fuit ista sessio continuata ad diem proxime sequentem.

SESSIO I.

Die igitur sequente, scilicet quæ fuit dies Martis, vigesima sexta Martii, sedit dictum cõcilium in dicta ecclesia cathedrali, & fuit una Missa solemnis celebrata per dominum cardinalem Vivariensem, in qua erant omnes cardinales, prælati, & alii qui ad concilium convenerant, ac etiam legati seu ambassiatores regum & dominorum, aliique procuratores, sedentes secundum sedes ordinatas bene & decenter per longum navis dictæ ecclesiæ cathedralis. Et post Missam dominus cardinalis Mediolanensis fecit sermonem: quo facto omnes cardinales, & alii prælati, episcopi, & abbates, in locis suis se revestierunt cappis & mitris albis.

Postea clerici ad hoc ordinati cantaverunt certas antiphonas, & dicebantur certæ orationes, & postea per diaconum dicebatur alta voce sub tono: *Orate.* Et tunc omnes flexis genibus & inclinato capite orabant sub silentio, quilibet in loco suo. Deinde post modicum spatium diaconus & subdiaconus incipiebãt alta voce litaniã: & omnes respondebant prostrati in sede sua usque ad finem litaniæ. Qua finita unus ex cardinalibus episcopis dicebat certas orationes & proprias ad propositum unionis. Quibus completis, quidam cardinalis diaconus legebat unum evangelium alta voce: & omnes ad evangelium audiendum assurgebant. Quo lecto dictus episcopus cardinalis incipiebat hymnum, *Veni Creator*: & omnes prostrati simul perficiebant dictum hymnum, cantando. Quo finito, dictus episcopus cardinalis dicebat aliquas orationes, & manebant omnes prostrati, quilibet in loco suo. Postea dictus diaconus qui inchoaverat prius litaniam, hymno finito, alta voce in tono dicebat: *Erigite vos*: & sic omnes surgebant & sedebant quilibet in loco suo.

His factis pro procedendo in negotio primo illa die Martis, qua erat prima sessio, finitis dictis litaniis quidam legit de verbo ad verbum per cedulam, cap. *Fideli*, de sum. Trin. in Cle. & similiter. cap. *In loco*, factum in concilio Toletano, quod habetur 5. q. 4. Postea etiam legit cedulam continentem quod hoc concilium tenere profitetur & credit omnia, quæ de summa Trinitate, & fide Catholica, & sacramentis ecclesiæ, hactenus ecclesia tenuit, & docuit atq; docet; firmiter tenens omnem hæreticum vel schimaticum cum

Anno Christi 1409.

cum diabolo esse damnatum, nisi ante finem vitæ fuerit reconciliatus aut redintegratus ecclesiæ. Postea etiam legit cedulam, qualiter concilium ordinabat sessionem ad diem crastinam, scilicet Mercurii diem XXVII. Martii. Postea concilium illa die creavit officiarios, scilicet marescallos sedis apostolicæ duos, auditores cameræ duos, advocatos pro hac causa tres, promotores sive procuratores tres, notarios sex. Et omnes isti juraverunt sua officia fideliter exequi.

Postea advocatus proposuit, quod cum domini cardinales utriusque collegii se invicem unierint ad convocandum concilium generale contra Benedictum & Gregorium de papatu contendentes, qui ecclesiam tenent in schismate, nolentes cedere prout juraverunt, &c. ipsique ambo fuerunt citati & vocati, prout per instrumenta patebat: petebat quod hujusmodi litteræ vocationis legerentur, & ulterius procederetur in causa. Fuerunt igitur lectæ litteræ convocationis, & instrumenta de executione ipsarum. Postea advocatus requisivit, quod dicti duo ad valuas ecclesiæ vocarentur. Et ita factum fuit per duos dominos cardinales, quos concilium ad hæc commisit. Et cum rediissent, retulerunt quod nullus comparuit vel respondit: quare advocatus requisivit contumaciam. Concilium autem ordinavit adhuc eos esse vocandos, & ad hoc ordinavit diem crastinam pro secunda sessione.

SESSIO II.

Secunda sessio fuit die XXVII. Martii, ubi post Missam celebratam omnes prælati quilibet loco suo se revestierant cappa & mitra alba, & cantatæ fuerunt litaniæ, orationes, evangelium, *Veni creator*, &c. sicut in alia die factum fuerat. His factis, concilium adhuc ordinavit cum primis aliquos advocatos, promotores, & notarios, qui sicut primi fecerunt juramentum, &c. Postea advocatus requisivit, quod dicti duo contendentes vocarentur ad valuas ecclesiæ: & ita fuit factum per duos cardinales ad hoc commissos, qui retulerunt quod nullus comparebat. Quare advocatus, sicut alias, petebat contumaciam dari contra eos. Et produxerunt promotores adhuc dictas litteras convocationis istorum duorum, sicut alia die factum erat, & instrumentum qualiter fuerant executæ. Concilium ordinavit adhuc dictos contendentes expectandos, & ad hoc pro tertia sessione ordinavit diem XXX. Martii: declarando quod si ex tali expectatione aliquis oriretur defectus in processu, illum volebat concilium supplere & supplebat, non intendens derogare potestati, jurisdictioni, & facultati competenti sibi, sed ad mitius agendum cum istis. Et promotores etiam de hoc fecerunt protestationem expressam, petendo semper de omnibus instrumentum.

SESSIO III.

Tertia sessio fuit die prædicta XXX. Martii, in qua post Missam & litan. sicut prius, advocatus institit quod dicti duo contendentes reputarentur contumaces, & adjudicaretur contumacia contra eos: & requisivit quod domini cardinales Aquileiensis & Mediolanensis, qui executi fuerant litteram citationis contra Gregorium, de hoc facerent specialem relationem: & ita ex parte concilii fuit eis injunctum, & illico fecerunt. Postea iterum, sicut alias factum erat, dicti duo contendentes vocati fuerunt ad valuas ecclesiæ per duos dominos cardinales ad hoc ex parte concilii de sede sua missos ibi, qui retulerunt quod nullus comparuerat. Ideo fuit per concilium adjudicata contra eos contumacia per cedulam quam legit D. cardinalis Prænestinus, cujus cedulæ tenor est infra scriptus: per quam cedulam concilium ordinavit, quod domini cardinales absentes, qui etiam vocati fuerant, quorum erat unus cum Gregorio, & tres cum Benedicto, & non comparuerant adhuc, ex causa expectarentur. Et fuit præceptum quod cedula illa ad valuas ecclesiarum civitatis affigeretur, ne posset aliquis ignorantiam allegare: & ita fuit factum. Fuit etiam ordinata sessio ad diem XV. Aprilis, scilicet post festa septimanæ pœnalis, & Paschæ.

Tenor autem dictæ cedulæ super contumacia dictorum contendentium est talis, ut sequitur.

SAncta synodus, seu hoc sanctum generale concilium, dominum Petrum de Luna, Benedictum XIII. nominatum, & dominum Angelum Corario, Gregorium XII. nuncupatum, de papatu contendentes, & quantum in eis est ecclesiam Dei notorie in schismate tenentes, legitime requisitos, vocatos, & provocatos in causa schismatis & fidei ad hoc præsens sanctum & generale concilium, & omnia in eo agenda, non venientes, seu legitime comparentes per se vel alios, nec termino statuto satisfacientes, licet expectatos post terminum per duas sessiones, reputat, decernit, & declarat in causa schismatis & fidei contumaces, ponitque in contumaciam & defectum. Et ordinat in eorum contumaciam ad ulteriora debere procedi, & procedendum fore: ordinans sessionem aliam fieri die Lunæ post Dominicam in Albis, quæ erit XV. dies futuri mensis Aprilis. Ad quam diem ordinat præsens sanctum concilium, dominum cardinalem Tudertinum, domino Gregorio adhærentem, & dominos Ioannem Sabinensem episcopum S. Adriani, & sanctæ Mariæ in via Lata, de Flischo & de Chalento vulgariter nuncupatos, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, domino Benedicto adhærentes, de benignitate expectandos fore cum intimatione. Quod si prædicti duo contendentes, & præfati domini cardinales, non comparuerint in dicto termino: ad ulteriora procedetur, eorum contumacia non obstante. Ordinat nihilo minus, præsentem ordinationem in valuis præsentis cathedralis ecclesiæ affigi publice, ne de præmissis valeant ignorantiam allegare. Super quibus quidem reputatione, decreto, & declaratione, præfati causæ hujus ecclesiæ Dei deputati petierunt fieri unum & plura publica instrumenta, in processu causæ hujusmodi registranda. Datum die sabbati penultima mensis Martii, anno Domini millesimi quadringentesimi noni.

SESSIO IV.

Quarta sessio fuit die Lunæ, quæ fuit die XV. Aprilis. Et fuit celebrata Missa sancti Spiritus, & cantatæ litaniæ, more solito, sicut prius. In qua die episcopus Verdensis, & alii ambassiatores domini Ruperti de Bavaria in regem Romanorum electi[a] petierunt, & habuerunt audientiam, & ibidem proposuerunt certas dubitationes ad difficultandum congregationem concilii & agendorum in eo: & illa postea per certos articulos tradiderunt in scriptis, quorum tenor infra scribitur. Et eadem die duo contendentes iterum vocati fuerunt ad valuas ecclesiæ,

[a] *In actis aliis supra editis*, sanctæ sedis imperatoriæ electoris.

Anno Christi 1409.

Anno Christi 1409.

ad quod missi fuerunt juniores duo cardinales, sicut in primis tribus sessionibus factum fuerat. Et etiam fuerant vocati, cardinalis Tudertinus, qui cum Gregorio remanserat; ac tres cardinales, qui cum Benedicto adhuc erant, scilicet Auxitanensis, de Chalento, & de Flischo. Et licet contra dictos duos contendentes jam fuisset decreta contumacia in alia sessione, scilicet tertia: tamen adhuc iterum fuerunt reputati contumaces ex abundanti. Et dicti quatuor cardinales adhuc fuerunt expectati de gratia, sicut in aliis sessionibus etiam dictum fuerat eos esse expectandos sub spe, &c. Et fuit dies assignata pro quinta sessione ad diem Mercurii, quæ fuit dies XXIV. Aprilis.

Tenor autem propositorum per ambassiatores dicti domini Ruperti sequitur, & est talis.

Reverendissimi patres & domini, excllentissimi principis & domini, domini Ruperti Romanorum regis semper augusti, oratores exponunt coram vestris reverendissimis paternitatibus sincerissimam affectionem, quam semper habuit & hodie habet ad promovendum felicem statum, ac sacratissimam unionem sanctæ matris ecclesiæ, & posse tenus laborandum ad remotionem istius pestiferi schismatis, ut sublatis universis animi passionibus, scrupulis, perplexitatibus, dubiis, difficultatibus, altercationibus, involutionibus, & erroribus quibuscumque, conscientiæ singulorum etiam ab utraque parte possint serenari, & subsequenter ut sincera, pura, integra, ac totalis unio Christi fidelium procurari valeat, & introduci, Domino concedente. Et quia omnibus & singulis circumstantiis hinc inde, ac processibus tam domini Gregorii, quam dominorum in Pisis existentium, maturis & frequentatis deliberationibus præhabitis, diligenter ponderatis, libratis & pensatis, regia majestas videre non poterat, quod ex concilio per dictum dominum Gregorium indicto ex una, vel etiam ex congregatione per vestras reverendissimas paternitates in loco Pisarum facta seu fienda, parte ex altera, posset sequi sincera, pura, integra, & universalis unio Christianorum ex dubiis & motivis, quæ ex litteris factis & processibus utrinque habitis collecta sunt, atque luce clarius colligi possunt, inferius annotatis.

In primis quia cum quærenti quando subtracta sit obedientia D. Gregorio per revendissimos dominos, &c. respondetur, quod XI. Maii proxime præteriti, prout in litteris eorum sub data Liburni prima die Iulii universis Christi fidelibus directis clarius continetur, in quibus inter cætera sic dicitur de verbo ad verbum: Die XI. mensis Maii proxime præteriti, omnem, quantum in nobis fuit, obedientiam juxta juris exigentiam abstraximus, & recessimus ab eodem: dubium manifestum seu difficultas apertissima surgit ad oppositum. Nam dicti reverendissimi domini, in quibusdam litteris præfato serenissimo Romanorum regi per eos directis, sub data Pisis die XII. Maii, inter cætera expresse scribunt in hæc verba: Nec nostræ mentis est a fide veritateque nostris erga præfatum dominum nostrum (dummodo modis hactenus per eum retentis succisis, ipsum ad id quod tenetur effectualiter adimplere, dispositum videamus) modo aliquo deviare; sed tali eventu obedientiam & reverentiam debitas exhibere. Pro isto etiam facit tenor appellationis per eosdem reverendissimos dominos die XIII. dicti mensis Maii contra dominum Gregorium interpositæ: in qua dicunt in hæc verba: Coram sanctitate vestra, beatissime pater,

A cum omni debita reverentia in his scriptis appellando proponunt humiles servitores vestri, &c. Et infra in eadem dicunt sic: Quare, beatissime pater, cum omni obedientia, humilitate, & reverentia, &c. Et infra: A vobis, pater beatissime, irrationabiliter, & secundum non rectam informationem decernente, ad vosmet secundum rectam rationem & melius informatum. Et infra: A vobis, pater sanctissime, ejus vicario ad Dominum nostrum Iesum Christum. Notarii etiam eorum in instrumento interpositæ appellationis scribunt in hæc verba: Pontificatus vero sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Gregorii, Divina providentia papæ XII. &c.

Responsio ista & subsequentes erant in margine Cod. MS. & hinc forte abesse deberent, cum non sint concilii. Sed cum editæ fuerint a Dacherio, qui hoc optima fide admonuit, prætermitti a nobis non debuerunt.

Non obstant quæ hic opponuntur, quia licet prima deliberatio de subtractione facta fuit die XI. Maii, tamen ex
B causa differebatur executio subtractionis, sicut in simili fit frequenter ex causa. Licet enim ex consilio apostoli redimere tempus, & aliqua tolerare alias non toleranda, quando dies mali sunt. Eph v c XVII. q fi. §. fi. Sicut etiam satis habetur ad Col. IV. *Redimentes.*

Item, quia dicitur in præfatis litteris dominorum reverendissimorum patrum, datis Liburni prima die Iulii, quod omnem, in quantum eis fuit, obedientiam juxta juris exigentiam abstraxerunt, ut superius est inductum*: quæstio surgit, sive dubium, quæ solemnitas in hujusmodi subtractione fuerit observata. Dicunt namque dicti domini in litteris regi Romanorum sub data XII. die mensis Maii directis, quod XI. die mensis ejusdem, hora XXII. recesserunt de Luca: & XXII. hora solum per duas horas erat ante noctem: non videtur quod aliquam solem-
C nitatem adhibuerint, & maxime eis per viam & campos transeuntibus, & in motu existentibus, & in tam brevi tempore. Item ipsi dominum Gregorium nunquam requisierunt, nec monuerunt, &c. nec consilium domini nostri regis Romanorum, & aliorum principum, & prælatorum obedientiæ nostræ, receperunt. Sed certe domini de collegio partis adversæ non sic fecerunt, qui cum semel subtraherent obedientiam Benedicto, ipsum de concilio regis Franciæ, & aliorum principum, maturis & digestis deliberationibus præhabitis, prius requirebant & monebant.

*al. indictum

Responsio.

In notoriis non requiritur solemnitas, sed diligentia remedii: & antequam de Luca recederent, scilicet die XI. Maii, inter se deliberaverant de subtractione, non in itinere, ut hic
D improperat, cujus deliberationis executio adhuc pendebat, ut supra dictum est.

Item cum dicti domini in suis litteris sub data prima Iulii superius inductis dicunt in hæc verba: Requirimus & monemus, quatenus ab ipsius Gregorii obedientia penitus & omnino desistatis & recedatis, nec ei aut cameræ apostolicæ suo nomine de communibus vel minutis servitiis, seu annatis beneficiorum, &c. aliquatenus respondeatis. Dubium surgit quo juris ordine, & qua justitia, hujusmodi requisitionem & monitionem facere potuerunt.

Dic ut supra, quia notorium, &c. Responsio.

E Item quæritur, vel dubitatur, numquid dominus Gregorius adhuc sit papa, & pro tali tenendus in obedientia nostra? Quod si sic, quare sibi non est obediendum in licitis & honestis? Et quare non ligant sententiæ suæ rationabiliter promulgatæ? Quod si non: quæritur quando, qua causa, & quomodo desierit esse papa, cum nondum cesserit, & ab ecclesia universali nondum condemnatus, nec a jure communi depositus sit, nec coram suo judice de crimine hæresis, vel alio notorie scandalisante convictus sit vel confessus;

ANNO CHRISTI 1409.

fessus; immo expresse negat quæ sibi ab aliquibus objiciuntur & impinguntur.

Responsio. Respondetur quod quia ex actis & gestis notoriis ostendit se esse schismaticum, immo hæreticum, cessavit esse papa: & licet non possit eligi alter papa ante sententiam, tamen ante sententiam potest ab eo recedi. xvi q. vii. c. *Sane.* gloss. in cap. *Sacerdotes.* ii. q. vii. gloss. in cap. *Cum non liceat.* de præscript. maxime in casu nostro, ubi qualitercumque obediendo sibi favetur in schismate, non obstante cap. *Ratione* viii. q. iv. quia ibi pro dubia suspicione recedebatur. Item obediendo in aliis non favebatur ibi hæresi vel crimini, hic secus, &c.

Item, dubium est utrum obedientia sit subtrahenda ad faciendum unionem, cum non sint facienda mala ut bona eveniant.

Responsio. Respondetur quod subtrahere obedientiam non est malum, immo sanctum, bonum, & justum, in casu nostro, attentis circumstantiis & aliis attendendis.

Item, utrum obedientia fuerit subtrahenda ante sententiam latam, & ante causæ, propter quam fieri debebat, cognitionem.

Responsio. Responsum est hic supra.

Item, numquid tenemur lucrifacere animas aliorum cum maximo damno propriarum? cum tamen *nihil prodest homini, &c.* Mirabile, immo detestabile esset se damnare, ut alii redimantur; egredi domum, ut alii ingrediantur; se dividere, ut alii uniantur; & se interficere, ut alii salutis optatæ compendium consequantur.

Responsio. Responsum est hic supra.

Item, qua temeritate viri litterati & periti, qui sunt vel saltem fuerunt de obedientia partis nostræ, audent dicere vel asserere, quod viri obedientes Gregorio sint schismatis fautores? cum tamen nihil innovaverint, sed in terminis primis remanserint, & obedientiam solitam continuaverint, ac per ecclesiam universalem de contrario nondum sint informati, nec ad cōtrarium inducti? Hæc dubia inducta respiciunt subtractionem obedientiæ per aliquos factam, & aliis suasam per eosdem.

Responsio. Respondetur quod ex parte personæ cui obediebatur, negotium est mutatum notorie, &c.

Deinde surgunt dubia circa indictiones concilii, & convocationes per dominum Gregorium, & etiam per reverendissimos dominos, &c. factas & promulgatas.

Et quia concilium domini Gregorii fuit indictum, prout ex bullis suis manifeste habetur, iii. Non. Iul. & convocatio reverendiss. patrum, &c. fuit indicta die xxiv. mensis Iunii, ut patet ex litteris eorumdem dominorum, quibus indicebant suam convocationem in Pisis: surgit dubium quare dicti domini scripserunt serenissimo domino nostro regi Romanorum litteras sub data Liburni xxvi. Iulii continentes hæc verba: „Deliberavimus autem convocare concilium generale ex utraque parte: cujus rei atque nostri propositi intimationem determinato loco, ubi optandissima congregatio hujusmodi fieri debeat, & oratorem nostrum præcipuum mittemus in brevi ad majestatem vestram." In quibus litteris videtur locum pro convocatione die xxvi. Iulii nondum fuisse determinatum. Quomodo ergo die xxiv. mensis Iunii immediate præcedentis, plusquam per mensem ante, ad illum locum poterant indicere convocationem fiendam? Præterea est testimonium magnorum dicentium, quod per totum mensem Augusti proxime

A præteriti nondum fuerunt certi de loco Pisarum.

Responsio. Respondetur, quod locus erat determinatus per eos die xxiv. Iunii, sed non incommutabiliter si forte locus aptior ocurrisset, vel de loco Pisarum impedimentum aliquod supervenisset. Ideo nihil est hic quod obstet.

Item, si die xx.v. Iunii convocationem suam indixerunt, quare in partibus Rheni non remotissime distantibus de mense Octobris primo publicaverunt per quemdam nuncium, qui habuit litteras credentiales dictorum dominorum sub data prima die Septembris.

B Responsio. Respondetur, quod magis a loco Pisarum distantibus fuit citius intimandum, quam propinquioribus, qui de istis alias poterant esse certi, & quibus minor dilatio, seu minus spatium temporis sufficiebat ante diem concilii.

Item, Gregorius qui secundum eos concilium suum posterius indixit in partibus Alemanniæ, & præsertim Rheni, per duos menses suum concilium prius publicavit quam domini supradicti.

Responsio. Respondetur, quod ex hoc arguitur ipsius Gregorii fervor & studium ad impediendum concilium generale Pisanum, & executionem viæ cessionis quam juraverat, quæ ibi poterat habere effectum: sed non in concilio particulari obedientiæ suæ potuisset habere effectum suum.

Item, in litteris dictorum DD. pro convocatione

C & congregatione fienda in Pisis, cavetur quod hujusmodi convocatio facta sit per dominos de utroque collegio ad invicem unitos. Nam in principio earumdem litterarum dicitur in hæc verba: „Miseratione Divina episcopi, presbyteri, & diaconi cardinales sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, nunc in loco Liburni Pisanæ diœcesis commorantes, una cum collegio reverendissimorum in Christo patrum & dominorum in altera parte cardinalium." Et infra versus medium dicitur sic: „Habitis inter nos consiliis firmavimus nos unire cum dominis alterius collegii." Et post pauca: „In unum nos univivimus propositum." Sed circa hoc oritur dubium: nam non videtur verisimile, quod ambo collegia convocaverint, vel convocationem indixerint, ante suam confœderationem: sed confœderatio primo facta est penultima Iunii, ut patet ex te-

D nore instrumenti desuper confecti, per quatuor vel quinque dies post indictionem convocationis.

Responsio. Respondetur, quod tunc primo fuit deliberatio eorum intimata coram notariis ad conficienda instrumenta pro tempore futuro. Item fuit primo per ipsos cardinales facta subtractio, sed.......... scilicet non obediendo in his quæ essent contra bonum unionis: sed postea fecerunt alia vice subtractionem talem, videntes ejus obstinationem firmatam. Distingue ergo tempora, & non est aliqua contrarietas

Item, nonne convocatio concilii pertinet ad papam dispositum ad convocandum, & qui, quantum in se est, concilium indixit & convocavit? Et respondent aliqui quod hoc sit verum de papa indubitato. Sed

E quomodo papatum Gregorii revocant in dubium, cum tamen in instrumento conclavis sic dicatur: *Et intendentes ad remedia fortiora, non quid juris pro parte eorum justitia suadeat*: quod jus verissimum est, & plena veritate fulcitum.

Responsio. Respondetur, quod convocatio ipsius Gregorii erat impedire concilium generale, ut est notum: & ideo in ejus defectu, in casu tam necessario, cardinales habebant hoc facere, etiamsi indubitatus papa esset; immo in defectum eorum clerus Romanus potuisset convocare. Notant Ostiensis, & Ioannes Andreas in cap. *licet*, de elect.

Item, si dubitant de papatu Gregorii, quare simili ratione non dubitant de suo cardinalatu? Quod si dubitant, videtur quod ex simili dubio non habent se in-

Anno Christi 1409.

tromittere de electione ſummi pontificis contra practicam quam habent præ manibus.

Reſponſio. Reſpondetur, quod dubium de papatu ſurgit ex nova cauſa ſupervemente in cauſa Gregorii, quia factus ſchiſmaticus vel hæreticus : & hoc non concernit cardinalatum præcedentem.

Item, pari ratione habebunt dubitare de papatu Innocentii VII. & Bonifacii IX. & fortaſſe Vrbani VI. & ſic videntur in eadem opinione cum Gallicis, quia a principio diviſerunt eccleſiam, incidere : & in dando Gregorio & aliis in ſummos pontifices, totam obedientiam noſtram videntur decepiſſe, ſi fas eſt dicere. Præterea in litteris quas ſcripſerunt Romanorum regi poſt aſſumptionem Gregorii ſub datis Romæ x. Decembris, dicunt in hæc verba : Poſt ſolemnes de futuri pontificis electione tractatus, illo Divinitus inſpirante, qui cuncta perpetua ratione gubernat, vota noſtra in reverendiſſimum in Chriſto patrem & dominum ex noſtro collegio, dominum Angelum tit. ſancti Marci presbyterum cardinalem, confratremque noſtrum, ad culmen dignitatis apoſtolicæ, poſt Divinæ gratiæ munera, univerſis ejus exigentibus meritis, nec immerito aſcenſurum, nemine diſcrepante direximus, ipſumque confratrem noſtrum die ultima Novembris in dominum noſtrum eligimus atque patrem, &c. In quibus verbis non prætendunt eum elegiſſe in papam dubitatum : ſi enim de ſuo papatu dubitaverunt, quare eum elegerunt, & ut talem toti noſtræ obedientiæ promulgarunt ?

Reſponſio. Reſponſum eſt hic ſupra.

Item, dubium eſt utrum dominus Gregorius in convocatione facta in loco Piſarum teneatur comparere : & ſi non venerit, an poſſit judicari. Dubium autem ſurgit ex hoc, quia major pars prælatorum in Piſis exiſtentium eſt de parte ſibi adverſa, quæ partem noſtram ſemper reputavit ſchiſmaticam & prædicavit. Alii autem fere omnes ſubtraxerunt domino Gregorio obedientiam, & fecerunt ſe partem contra eum, accuſaverunt eum, & crimina manifeſte impoſuerunt ante ſententiam latam : modo non videtur quod adverſarii ſint competentes judices vel conjudices ; nec videtur quod quis ad vocationem talium teneatur comparere.

Reſponſio. Reſpondetur, quod neutrales & ſubtracti, ſunt magis habiles & idonei ad cognoſcendum de iſto caſu ſchiſmatis & diviſionis de papatu, & ad introducendum unionem in eccleſia Dei, quam illi qui firmiter obediunt alteri, & ejus partem ſuſtinent & procurant. Ideo hoc non impedit quin vocatus comparere teneatur, ex quo vocatio alias eſt debite facta : nec poſſunt dici adverſarii vel inimici, quia ex culpa ipſorum vocatorum procedit hæc ſubtractio, & criminis impoſitio juxta cap *Si de rebus* xxiii. q. vii. nec eſt diffidendum de determinatione quæ fiet per concilium generale, xxiv. q. i.

Item, convocatio concilii videtur habere vim citationis : quia quæ in ea aguntur, juriſdictionis ſunt. Dubium igitur remanet, quare dicti domini ſuam convocationem die feriato indixerunt, ſcilicet ipſo die ſancti Ioannis Baptiſtæ; & ad diem feriatum convocarunt, ſcilicet ad feſtum Annunciationis proxime præteritum: cum talis convocatio, ſi ſaltem vim habeat citationis, nulla ſit ipſo jure.

Reſponſio. Reſpondetur, quod natura negotii, ſcilicet concilii congregandi, talis eſt, quod primo fit proceſſio & preces ad Deum, & hoc in die feriata convenienter fit, & ita etiam de facto fuerat hic ſervatum, nec concilium ſedit illa die feriata. In c. *veniens* de accu. citatio ibi facta fuit ad diem Reſurrectionis Dominicæ. Idem habetur in c fi. de dilati. & in cap. *tum ex litteris*, de in integr. reſti. §. fi. unde dies erat aſſignata hic ad ſe præſentandum, non ad procedendum, vel reſpondendum, quare, &c. notat Hoſt. in ſum. de feri. §. fi. in prin. immo quod plus eſt, citatio fuit facta ad reſpondendum, in c. *Cum dilecti*, de dolo & contum. & valuit, quia intelligitur ſemper. Alioquin, &c. Item licet alii judices hoc facere non poſſent, tamen id licet de judice ſupremo.

Item, dubium eſt an convocatio concilii poſſit fieri ab illo, vel illis, qui nullam habet, vel habent autoritatem ſuper convocandos, & præſertim ſuper concilium, cujus ipſi cardinales non ſunt ſuperiores : nec videntur habere aliquam autoritatem ſuper ipſum, nec ordinariam, nec delegatam.

Reſponſio. Reſpondetur, quod ubi concilium eſt convocandum, ſicut in caſu noſtro, & papa unicus non vult, negligit, aut non poteſt, quia forte furioſus, vel alias, convocare concilium: non eſt dubium, quin cardinales hoc poſſint ; quod facile poteſt oſtendi de jure. Nec eſt de ſubſtantia concilii, quod convocans habeat autoritatem ſuper concilium, ut eſt notum : ſicut archiepiſcopus vocat concilium, & tamen concilium eſt ſuper eum, quia de eo appellatur ad concilium : c. *multis*, xvii. di. Cle. i. in fi. de ſent. excomm §. de caſu, c. *ſi forte*. lxv. di. Sic duæ partes capituli vocant capitulum, notat Innocentius c. i. de no. o. & tamen capitulum eſt ſupra, &c.

Item, videtur quod convocatio ad Piſas facta per reverend. patres, ipſo jure non mereatur dici concilium: eo quod concilium debet eſſe liberum, ſed iſtud eſt reſtrictum & limitatum. Vnde dicitur in litteris convocationis in hæc verba, fere poſt medium vel circa : Finiſque imponatur ſchiſmati per viam mutuæ ceſſionis, &c. Et infra : Eſt enim noſtra & dominorum de collegio alterius partis intentio & irrevocabile propoſitum, quod cum his qui venerint ad dictum locum & terminum, provideatur fidei & eccleſiæ juxta effectus prædictos. Nunquid volunt ipſi imponere legem Spiritui ſancto ? Nunquid non ſunt dabiles aliæ viæ rationabiles pro habendo unionem eccleſiæ ſanctæ, &c.

Reſpondetur, quod ex quo via ceſſionis erat jurata, & erat bona & conveniens, non erat melius agendum, quam quod procuraretur ejus effectus & executio celeriter ; & hæc intentio erat bona & ſancta. Nec hoc imponit legem concilio, quin libere deliberet quid agendum, ſive per hanc viam, ſive per aliam. Reſponſio.

Item, in caſu quo dictus dominus Gregorius veniret Piſas, & vellet renunciare, non veniente Benedicto : dubium eſt an deberet renunciare, cum poſtea poſſet contingere quod Benedictus manere vellet in ſua poſſeſſione ; quia poſſet dicere : Ego jam ſum unicus, & nullum habeo contendentem de pari, cur vultis me privare vel compellere ad cedendum? Et iſtud veniret ad ignominiam & verecundiam partis noſtræ : & maxime quia dicitur, quod domini de parte adverſa nondum ſubtraxerunt obedientiam ſuo domino.

Reſpondetur, quod petebatur executio mutuæ ceſſionis, ſicut juratum fuerat, non particularis ceſſionis. Reſponſio.

Item, ſi Benedictus non veniret, vel nollet renunciare: videtur quod Gregorius non obligetur ad renunciandum, prout colligi poteſt ex tenore inſtrumenti conclavis.

Reſpondetur, quod de hoc nihil ad propoſitum, quia de hoc nec ad hoc agebatur. Reſponſio.

Item, terminus ad conveniendum aſſignatus videtur eſſe nimis brevis, quoad omnes noſtræ obedientiæ partes: quia plurimi fideles noſtræ partis tantum diſtant, quod modo humano non poſſent prælati vel alii eorum nomine ad locum Piſarum devenire. Si ergo non venient, non ſunt tamen contumaciter abſentes, & per

& per consequens congregatio hic facta non meretur dici concilium generale. Hæc circa convocationem & convocationis indictionem dubia occurrebant.

Responsio. Respôdetur, quod voluntaria est hæc impugnatio quia attenta celeritate & necessitate causæ, & ad evitanda majora pericula, quæ quotidie instant, terminus erat assignandus, quantumcumque brevior bono modo & commode poterat assignari: nec respondendum quod est nimis brevis.

Demum dubitatur circa dominorum unius collegii cum dominis alterius unionem, utrumne alterum istorum collegiorum sit verum, & alterum prætensum. Præterea quomodo, & quo jure potuit unum habilitare, reliquũ absolvere, dispensare, famæ restituere, in cardinales creare, utrum istud pertineat ad cardinales, &c. Plura alia multa possent induci dubia, quæ brevitatis gratia sunt prætermissa.

Responsio. Respondetur, quod ambo collegia simul unita sunt, & unire se invicem potuerunt pro necessitate prosecutionis unionis ecclesiæ. In quo casu etiam cum excommunicatis & schismaticis communicare liceret XI. q. III *antecessor*. & c. fe. Nec requiritur habilitatio, vel cardinalatus creatio, quia etiam electores possunt ad eligendum secum assumere aliquos, qui jus eligendi non habent. Nec in cardinales potest aliquid objici circa c. *licet* de elect. & Cle. *Romani*. Item ex verbis juramenti facti in conclavi, quando Gregorius fuit electus Romæ, paret quod ambo collegia poterant simul convenire, &c. Et sic talis modus quoad primos cardinales fuit satis autorizatus.

Verum est, reverendissimi patres, quod non obstantibus præmissis & pluribus aliis, serenissimus princeps & dominus noster dominus Rupertus Romanorum rex, acerbissimo cordis dolore tactus intrinsecus, corpore & rebus vellet, prout semper voluit, quod istud miserabile discidium & detestandum schisma auferretur penitus de ecclesia sancta Dei, sic quod fieret sincera, pura, integra & universalis fidelium unio & concordia. Et quia consilio & convocatione prælibatis timet, ut præmittitur, id fieri non posse: fretus magnorum principum, dominorum, & sapientum concilio, commisit nobis suis ambassiatoribus quatenus dominum Gregorium, & reverendissimas paternitates vestras, ad conveniendum pro certo tempore * congruenti in uno loco certo partibus congruo, in quo dominus Gregorius faceret id ad quod voto & juramento se astrinxit, pro parte regiæ suæ majestatis inclinaremus & induceremus: ut sic omnibus dubiis, perplexitatibus, scrupulis & difficultatibus, ac novis divisionibus, præcipue in parte nostra, sublatis & exclusis, sincera & pura ac universalis unio sequeretur in ecclesia Dei. Adjiciendo quod sive dominus Gregorius in dictis termino & loco compareret, & debitum suum faceret, sive non, nihilo minus ad effectum intentum, scilicet ad electionem unici summi pastoris procederetur: quia ex tunc appareret quod dominus Gregorius nollet facere debitum suum; & vellet majestas regia deinceps cum eis laborare, & eis assistere totis viribus & conatibus, corpore & rebus. Et pro isto, nomine dicti serenissimi regis supplicamus, instamus, petimus & pulsamus, exhortando vos reverendiss. dominos, & omnes & singulos prælatos, patres ac dominos in ista congregatione simul considentes, sive existentes, quatenus propter sanguinem Iesu Christi & amorem intemeratæ virginis Mariæ, & totius curiæ cœlestis, & propter salutem plurimarum animarum procurandam, & infinita pericula spiritualia & temporalia excludenda, ad id ipsum velitis adhuc hodie inclinari. Numquid pro una anima lucranda expediret rem magnam facere: multo magis incomparabiliter ad lucrandum plures animas, ad cavendum injurias & strages, ad præveniendum destructiones, destitutiones, & desolationes ecclesiarum, monasteriorum & cœnobiorum, ac pro universali, integra atque pura unione facienda & procuranda, brevis mora, cum assignatione alterius loci bene commodi, nullatenus esset deneganda.

* al. certo termino temporis

Ego magister Conradus de Susato sacræ theologiæ professor præsentavi die XVI. Aprilis, millesimo quadringentesimo nono, præsentem cedulam, dubia per episcopum Verdensem expressa continentem.

SESSIO V.

Quinta sessio fuit facta die XXIV. Aprilis. Et post Missam & litanias, dicti duo contendentes iterum vocati fuerunt ad valuas ecclesiæ per duos dominos cardinales, sicut in aliis sessionibus factum fuerat. Et quia non comparebant, requisivit advocatus quod eorum contumacia non obstante procederetur ulterius: & ita fuit ordinatum. Et illico per eundem advocatum propositi fuerunt articuli continentes petitionem contra dictos duos contendentes, quorum articulorum tenor hic scribitur infra de verbo ad verbum. Et requisivit advocatus, quod deputarentur per concilium aliqui examinatores seu commissarii ad examinandos testes super notorietate propositorum contra eos. Et ita fuit ordinatum. Quodque in proxima futura sessione daretur eis autoritate concilii commissio ad testes examinandos. Et assignabatur terminus pro alia sessione ad diem Martis, quæ erat dies ultima Aprilis. Et interim per provincias eligerentur, & nominarentur de qualibet natione aliqui, quibus autoritate concilii dicta sessione daretur commissio ad actum examinationis supradictum.

SEQUUNTUR ARTICULI PROPOSITI contra duos de papatu contendentes, lecti & publicati in concilio generali apud Pisas, anno Domini MCCCCIX. die XXIV. Aprilis.

Coram hac sancta & universali synodo hic præsentialiter Spiritus sancti gratia congregata, pro parte procuratoris, promotoris, instigatoris, seu solicitatoris, deputatorum ad causam prosequendam pro extirpatione hujus detestandi & inveterati schismatis, & unione & redintegratione sanctæ matris ecclesiæ, contra & adversus DD. Petrum de Luna, a nonnullis Benedictum XIII. appellatum; & Angelum Corario, ab aliis vocatum Gregorium XII. de papatu damnabiliter & temerarie contra omne fas contendentes, & quantum in eis est, ecclesiam dividentes, ad hanc præsentem sanctam synodum legitime vocatos, & per eandem contumaces reputatos, & quemlibet eorum, proponitur, & pro plena informatione omnium in hac præsenti synodo residentium subjungetur plena narratio omnium, & quorumcumque gestorum per quemlibet prædictorum duorum contendentium sub forma infrascripta.

I. Et ut ab exordio schismatis vera & notoria describatur narratio: deputati ad facta infrascripta colligenda & causas, dant & exhibent huic sancto concilio, quæ in sequentibus describuntur, tanquam vera, manifesta, & notoria.

Post mortem felicis recordationis domini Gregorii XI. qui Romæ obiit, anno Domini MCCCLXXVIII. & die 26. mensis Martii, reverendissimi in Christo patres domini cardinales, tunc Romæ existentes, metu, ut aiebant, Romanorum, petentium eligi Romanum seu Italicum, elegerunt dominum Bartholomæum, quondam Bariensem archiepiscopum,

ANNO CHRISTI 1409.

pum, qui fuit Vrbanus VI. nominatus. Iidemque domini cardinales reputantes hoc non obstante Romanam vacare ecclesiam: ex post elegerunt dominum Robertum de Gebennis basilicæ duodecim apostolorum presbyterum cardinalem, qui sic electus, fuit Clemẽs VII. appellatus. Quanta ex istis electionibus & ordinationibus inde secutis insurrexerit in Dei ecclesia divisio, in quantum turbo inde exortus concusserit clerum, & populum involverit Christianũ: cum notoria existant, & rei evidentia manifestat, illa prosequi supervacuum reputatur. Sicque invaluit ambitio, ut tempore Vrbani, Clementis, & Bonifacii, aliqua reperta non fuit dispositio, per quam schisma extirparetur, ut unitas in Dei ecclesia reduci valeret. Quod advertentes domini cardinales, qui Clementi jam defuncto adhæserant, & volentes futuris impedimentis & ambitionibus viam præcludere: post conclavis ingressum, antequam ad electionem procederent, adinvicem promiserunt & juraverunt, firmaveruntque, quod si eorum aliquis in papam eligeretur, prosequeretur extirpationem schismatis, & unitatis vinculum in Dei ecclesia reducendum, per omnes vias rationabiles & accommodas, per quas citius & brevius posset haberi unio, etiam usque ad renunciationem papatus inclusive, si majori parti cardinalium eorum, qui tunc erant pro bono unionis, videretur expediens facere, ut hæc in quadam cedula super præmissis facta, subscripta manibus ipsorum dominorum cardinalium, plenius continetur. Et singulariter fuere prædicta jurata per dominum Petrum de Luna, tunc diaconum cardinalem S. Mariæ in Cosmedin. Et ex post ipse dominus Petrus de Luna fuit electus in summum pontificem ab ipsis dominis cardinalibus ea confidentia & intentione, ut tunc inter eos dictum fuit, quod præmissa observaret, alias nullatenus eum elegissent. Qui sic electus, & Benedictus XIII. nuncupatus, iterata vice juravit prædicta inviolabiliter observare ad requisitionem dominorum cardinalium prædictorum. Et tunc illico ipse dominus Benedictus, ad varias mundi partes verbo & scripto mandavit & notificavit, quod erat omnino dispositus renunciare pro bono unionis, adversario pariter renunciante. Sed infra paucos dies sic opinionem mutavit, quod de via cessionis verbum audire nolebat, illosque exosos habebat qui de illa mentionem faciebant: & tales eos publice reputabat.

Variat hic Odoricus & aliqua interponit.

II. Post vero ipsius domini Benedicti assumptionem, domini cardinales varia tenuerunt concilia super modo uniendi ecclesiam. Et dum ipsa concilia inchoarent, fuit eis dictum per unum dominum ex parte ipsius domini Benedicti, quod de via cessionis non loquerentur: per quæ satis evidenter apparuit, quod ipse dominus Benedictus viam cessionis per ipsum juratam prosequi non intendebat, sed potius illam declinare. Nam ex post quia aliqui domini cardinales aperte loquebantur de via cessionis, fuerunt in periculo captionis & incarcerationis: taliter quod interdum aliqui comminationum metu subito, & a consiliis & a Missa recedebant, non petita licentia, nec fine expectato; aliqui metu territi, silentium imponebant ori suo, alii etiam subito a civitate Avenionensi recedebant, capi timentes & incarcerari. Nam illi reputabantur sibi inimici & adversarii, qui de unione prosequenda loquebantur per viam mutuæ cessionis.

III. Deinde infra annum assumptionis domini Benedicti, serenissimus princeps dominus Carolus rex Francorum, ad ipsum dominum Benedictum, illustres principes Bituricensem & Burgundiæ, patruos, & Aurelianensem fratrem, duces, cum nota-

A bili comitiva prælatorum, magistrorum in theologia, in jure canonico & civili, & aliorum virorum insignium destinavit ad requisitionem ipsius domini Benedicti, qui per suos postulaverat nuncios, ut rex mitteret ad eum tales, & sic solemnes nuncios, cum quibus posset deliberare de facto unionis ecclesiæ, ut cum ipso rege. Qui cum magna sinceritate, humilitate, ac devotione, exhortati fuerunt dominum Benedictum ad prosecutionem unionis ecclesiæ, offerentes pro parte regis & sua ac totius regni Francorum, consilia, auxilia, & favores; requirentes ab ipso domino Benedicto ut dignaretur regem & eos certificare de via, per quam extirpationem schismatis intendebat prosequi. Et quia dominus Benedictus aliud noluit specifice aperire, quam viam compromissi, quam justitiæ appellabat, ac conventionem partium in certo loco faciendam, quæ fuere coram judicio dominorum cardinalium, ipsorum dominorum ducum, prælatorum, & aliorum notabilium virorum, dilatoria & inania reputata, ac ad unionem in Dei ecclesia reducendam nullatenus pertinentia: præfati domini duces pro parte regis & sua, & prælatorum regni, proposuerunt, quod via mutuæ cessionis ipsius domini Benedicti, & sui adversarii, erat illa per quam schisma extirpari poterat, attenta diuturnitate schismatis, magna partis utriusque adhærentia, ac difficultatibus tam facti quam juris in causa schismatis occurrentibus. Et alias, multiplicibus mediis & rationibus luce clarioribus ostenderunt, viam cessionis necessariam existere, supplicantes ut vellet eam acceptare, offerre, & prosequi: maxime quia idem dominus Benedictus per antea regi per suos nuncios mandaverat, quod ipse omnem viam sibi aperiendam rationabilem acceptaret, & nullam penitus refutaret, quæ posset ad extirpationem schismatis pertinere. Et etiam quia ipse dominus Benedictus, existens legatus tempore Clementis in Francia, dixerat aliquibus ex dominis ducibus antedictis, & quibusdam aliis viris notabilibus, quod erat necessarium & expediens, ut per viam mutuæ cessionis finis schismati imponeretur. Domini etiam cardinales iteratis & humilibus supplicationibus instantias fecerunt permaximas, ut ipse dominus Benedictus prædictam viam cessionis acceptaret, offerret, & prosequeretur. Et ultra, quia videbant supplicationibus & rationibus non posse proficere, in vim cedulæ in conclavi juratæ dixerunt, quod erat omnino expediens pro bono unionis, ut ipse dominus Benedictus per viam cessionis mutuæ prosequeretur pacem ecclesiæ, & schismatis extirpationem: & in vim prædictæ cedulæ juratæ ipsum solemniter requisierunt, ut per viam cessionis pacem ecclesiæ prosequi vellet. quod facere expresse denegavit, asserens eam esse perniciosam & non bonam, &c.

IV. Ex post serenissimi principes, reges, Frãciæ, Angliæ, & Castellæ suos simul nuncios solemnes destinaverunt ad ipsum dominum Benedictum in Avenione residentem, supplicantes instantius pro via cessionis per eum acceptanda & prosequenda; pro qua similem instantiam facere intendebant domino Bonifacio, qui tunc Romæ residebat. Quam viam cessionis publice impugnari fecit & reprobari in præsentia dominorum cardinalium, & nunciorum prædictorum, per dominum Bonifacium de Manatis. Et aliud dominus Benedictus responsum non dedit, sed dixit quod per suos nuncios regibus antedictis suam infra breve notificaret intentionem: quod facere ex post omnino prætermisit, & supplicationes dominorum cardinalium exaudire super hoc recusavit. Et licet nuncii prædictorum regum, ad dominum Bonifa-

nifacium Romæ accesserint, tamen dominus Benedictus præmisit suos nuncios ad dominum Bonifacium, videlicet episcopum Tirasonensem valde sibi familiarem & domesticum, & quosdam alios, qui secreta & familiaria habuerant cum dicto domino Bonifacio & suis consilia & colloquia, ante adventum nunciorum regum prædictorum; & nuncii dictorum regum similes supplicationes eidem fecerunt de via cessionis acceptanda, & in effectu eadem dominus Bonifacius respondit, quæ dixerat dominus Benedictus, & eodem præmeditato sermone, nullo alio subsecuto effectu, comprehenderuntque evidenter & notorie nuncii antedicti, & publice dixerunt, quod in domino Benedicto & Bonifacio nulla erat dispositio ad viam cessionis, vel aliam, per quam pax in Dei ecclesia haberi posset, sed potius inter ipsos erat collusio & concordia, ut manerent in eorum damnatis cathedris & honoribus concupitis, post terga ponentes quidquid de fide, ecclesia & salute fidelium" foret in eorum vita futurum. Et maxime collusio antedicta evidenter colligitur, quia per antea ipsi duo contendentes miserant sibi adinvicem nuncios, & litteras absque conscientia dominorum cardinalium, quoad illa quæ erant tractaturi & prosecuturi. Et nunciis suis, quos ad dominum Bonifacium destinaverat, in mandatis dedit, ut domino Bonifacio reverentiam papalem exhiberent, idemque fecerunt nuncii domini Bonifacii domino Benedicto publice & notorie, &c.

al. fideliũ *juraverunt*

V. Post hæc illustrissimus princeps dominus rex Romanorum & Bohemiæ suos solemnes nuncios, inter quos fuit principalis reverendus pater dominus episcopus Cameracensis, ad dominum Benedictum tunc in Avinione residentem destinavit. Et in puplico consistorio præsentibus dominis cardinalibus, prælatis, clericis & laicis in copiosa multitudine, proposuerunt ex parte dicti domini regis mala quæ ex diuturnitate schismatis obvenerunt toti Christianitati, & difficultates occurrentes in istius pestiferi schismatis extirpatione: quodque ipsi regi, & suo consilio videbatur utilis & necessaria via mutuæ cessionis, & pro illa acceptanda & prosequenda supplicabat instantius, intendens similem instantiam facere D. Bonifacio Romæ residenti. Cujus supplicationibus idem D. Benedictus nullatenus voluit assentire; & in eodem publico consistorio viam cessionis expresse refutando, publice dixit & notorie omnibus audientibus, quod de hac via cessionis prosequenda alias fuerat requisitus, sed illam non acceptaverat, nec intendebat in futurum acceptare, quia crederet peccare mortaliter, si illam acceptaret, & prosequeretur. Hæc autem assertio sive dogmatizatio publice sic facta audientes commovit quamplurimum, quia cum via cessionis mutuæ pro unione in Dei ecclesia reducenda, sit justa & sancta, autoritatibus novi & veteris testamenti conveniens, determinationi ecclesiæ, sacris canonibus, & sanctorum patrum dictis & exemplis, sitque summæ caritatis & perfectionis, & ab omnibus Christi fidelibus approbata, ac necessaria in hoc casu reputata, non videbant audientes a quo fonte posset procedere ista assertio, nisi solum ex dominandi cupiditate, quæ frequenter, juxta B. Augustinum, opiniones gignit legi & fidei contrarias. Et quid importet hæc assertio sic publice & notorie prædicata, istius sancti concilii est deliberare & decernere, prout fidei, ecclesiæ unitati, & saluti fidelium noscitur expedire.

VI. His peractis ostenderunt domini cardinales frequenter D. Benedicto claris & evidentibus rationibus, quod sua via compromissi, cui nimis pertinaciter inhærebat, non erat bona & conveniens ad unitatem ecclesiæ procurandam, nec juridica, quia cum cõpromissum reprobetur a jure, cum de titulo beneficii ecclesiastici cujuscumq; agitur, multo fortius cũ agitur de titulo papali, & habenda ecclesiæ unitate, illaque via non erat conscientiarum serenativa, immo potius maculam inferens, & adversarius illam merito poterat rationabiliter refutare, supplicantes ut illi nollet inhærere, sed potius viæ mutuæ cessionis per eum juratæ, & fere ab omnibus Christi fidelibus approbatæ. Quæ facere expresse denegavit, subjungens idem D. Benedictus, in præsentia DD. cardinalium tunc in sua præsentia existentium, quod frustra sibi fiebat mentio de via cessionis, quia ipse nunquam illam offerret, seu prosequeretur, etiamsi adversarius renunciare vellet, nunquamque sederet inter cardinales in eorum scamno: Ostendens per hoc evidenter, quod nullatenus renunciare intendebat pro bono unionis, sed potius teneret illum statum quamdiu viveret in humanis. Nam pluries frequenter dixit publice & asseruit, quod cedula per eum jurata ad viam cessionis quæ bona non erat, nullatenus obligabat, nec illam intendebat aliquo modo acceptare, etiamsi totus mundus hoc sibi consuleret: posito etiam quod omnes sibi obedientes a sua recederent obedientia. Et si hæc ad impedimentum unionis ecclesiæ, juramenti liciti transgressionem, notorium scandalum, pertinaciam & contumaciam notoriam evidenter pertineãt, videant zelum Dei habentes, decernat & judicet hoc sanctam & universale concilium.

VII. Ulterius quia multi reges & principes, prælati & alii disponebant se subtrahere ab obedientia ipsius domini Benedicti, quia perpendebant evidenter & notorie ipsum indispositum, pertinacem & cõtumacem ad unionem ecclesiæ prosequendam; domini cardinales pro evitatione tantorum scandalorum eidem supplicaverunt, ut viam cessionis offerret & prosequeretur, vel saltem consentiret & offerret, ut per omnem viam rationabilem & juridicam finis schismati imponeretur. Et quod via cessionis esset ultima, si per alias unio haberi non posset, vel conveniret cum adversario in certo loco, & ibi ageretur de viis debitis & necessariis. Quæ omnia facere expresse & publice & frequenter denegavit, non curans, ut tunc publice & frequenter dixit, de subtractione quacumque quæ sibi fieret, etiam si totus mundus se subtraheret, quia beatus Petrus, ut dicebat, non habuerat in sua obedientia Franciam, nec alias partes de quarum subtractione timebatur: subdens etiam publice in verbis suis quod plus merebatur cessionem non acceptando, quam posset demereri alias uno mense: & quod si cogeretur ad cessionem, dimitteret ecclesiam in tali statu, ut post suam mortem longo temporis spatio reparari non posset. Facta vero sibi ex post in regno Franciæ generali subtractione, domini cardinales eidem supplicarunt, ut pro evitatione tantorum periculorum, cum & regnum Castellæ ad similem subtractionem faciendam se disponeret, & nonnullæ aliæ nationes, ut ex post fecerunt, vellet offerre viam cessionis, quia ipsi domini cardinales offerebant se interposituros & laboraturos ut subtractiones factæ revocarentur, & aliæ non fierent. Ipse dominus Benedictus præmissa facere recusavit, & expresse denegavit. Et, quod longe deterius existit, tunc publice in ecclesiæ prædicatorum Avinionensium prædicari fecit per suum confessorem magistrum Vincentium, quod ipse numquam acceptaret viam cessionis, pro quacumque subtractione sibi facta vel facienda, immo potius pateretur mortem, si sibi hac de cau-

ANNO CHRISTI 1409. causa inferretur, quam cessionem offerret. Si ista bene sonent, & impedimentum pacis & unionis ecclesiæ importent, & notorium ecclesiæ scandalum cum pertinacia & contumacia notoria, videat & judicet hoc sanctum & universale concilium.

VIII. Subtractione ipsi domino Benedicto facta durante, ipse tunc suos defectus aliqualiter agnoscens, obtulit saltem in verbo cum instrumento publico, quod fere ad omnes reges & principes suæ partis direxit, viam cessionis (quæ tunc sibi visa est justa, licet per prius assereret illam peccatum mortale continere) adversario volente pariter cedere, mortuo, vel ejecto. Promisit etiam in eodem instrumento, quod ad congregationem, synodum vel concilium, quod inde contingeret teneri & celebrari pro unione ecclesiæ, ipse dominus Benedictus accederet. Et propter hanc oblationem & alias considerationes restituta sibi fuit obedientia, quia credebatur quod illa quæ verbo obtulerat, facto haberet adimplere. Et in restitutione obedientiæ inter ipsum dominum Benedictum, & dominos cardinales fuerunt initæ certæ conventiones sub instrumentis publicis, inter quas una fuit, quod promisit seu intendebat ipse dominus Benedictus convocare & tenere concilium suæ obedientiæ super bono regimine ecclesiæ, & unione ecclesiæ prosequenda; & licet de hac fuisset facta specialis mentio in castro Raynaldi, & Ponte Sorgiæ diœcesis Avinionensis, in instrumentis ibidem confectis: tamen dominus Benedictus conatus fuit ex post ut notarii instrumenta in formam publicam redigerent, illo articulo de convocando concilio prætermisso, contra veritatem rei gestæ. Et quia camerarius domini Albanensis, qui fuerat unus de rogatis notariis, hoc facere recusavit, ne crimen falsi incurreret, fuit per dominum Benedictum sub arresto tentus in curia per annum & ultra, & factæ sibi graves comminationes incarcerationis, & quod igni traderetur, nisi hoc faceret. Sed in illo fuit firma constantia, adeo quod minis & terroribus ad hoc induci non potuit. Et per hoc patuit evidenter quod dominus Benedictus servare nolebat promissa de via concilii convocandi, & minus prosequi pacem ecclesiæ per viam cessionis, de qua facta sibi restitutione etiam verbum audire nolebat *.

* al. noluit.

IX. Ex actis ex post aliquorum temporum intervallis, dominus Benedictus suos destinavit nuncios ad dominum Bonifacium; & licet notificaverit dominis cardinalibus quod mittebat pro facto unionis, ut dicebat, tamen ad quid mittebat, & quæ debebant ibidem tractare, seu prosequi, ipsis dominis cardinalibus omnino occultum tenuit, prout & alias semper erat facere assuetus, quando ad dominum Bonifacium nuncios destinabat. Et prædicti nuncii, ut ex post dictum fuit, ipsum dominum Bonifacium requisierunt de via conventionis ipsius, & domini Benedicti in uno loco de via compromissi, quam justitiæ appellabant, & quibusdam aliis. Et licet tunc in domino Bonifacio non fuit reperta dispositio ad unitatem ecclesiæ prosequendam: tamen ipso domino Bonifacio tunc infra breves dies defuncto, adhuc nunciis Benedicti Romæ existentibus, domini cardinales qui domino Bonifacio adhæserant, ipsos requiri fecerunt, quod si a domino Benedicto habebant mandatum seu potestatem de via cessionis offerenda, hoc eis notificarent: quia eo casu ipsi domini cardinales erant dispositi ab electione cessare, & negotio unionis intendere; & si de hoc mandatum non habebant, quod mitterent super hoc ad dominum Benedictum, & ipsi erant dispositi expectare responsum. Qui quidem nuncii responderunt, quod nullum habebant mandatum de via cessionis offerenda: & per hoc non intendebant mittere ad dominum Benedictum, quia via cessionis non erat bona.

X. Subsequenter mortuo dicto domino Bonifacio, præfati reverendissimi domini cardinales in conclavi existentes, inter quos erat D. Cosmatus tunc cardinalis Bononiensis appellatus, postea assumptus in Innocentium VII. antequam ad electionem procederent, ordinaverunt certa quæ tunc videbantur utilia pro unione ecclesiæ procuranda & facienda, prout in instrumento super hoc confecto latius continetur. Et quia electo post præmissa per ipsos dominos cardinales, qui tunc Romæ residebant, D. Innocentio prædicto, satis infra breve apparuit evidentia facti, quod illa quæ fuerant per ipsos dominos cardinales prævisa & ordinata pro bono unionis, non fuerant ad pacem introducendam sufficientia, malitia pensata hominum: propterea infra breve tempus defuncto D. Innocentio præfato, antequã ipsi DD. cardinales ad electionem vellent procedere, in conclavi existentes inter se magno zelo disposuerunt ad fortia manus ponere: ideo statuerunt & ad invicem promiserunt & convenerunt, juraverunt, & solemniter se voto astrinxerunt, quod si eorum aliquis in papam assumeretur pro unione in Dei ecclesia reducenda, & schismatis extirpatione, renunciaret papatui, & juri quod sibi posset competere in illo, dum tamen Benedictus pariter renunciaret, vel moreretur: dummodo DD. cardinales, qui domino Benedicto adhæserãt, vellent sic convenire cum dominis cardinalibus Romæ existentibus, quod sequeretur electio unius veri & indubitati pastoris & summi pontificis, ut in instrumentis super hoc confectis plenius continetur. Et specialiter prædicta juravit dominus Angelus Corario, tunc cardinalis Constantinopolitanus vulgariter nũcupatus, & postea in papam ab ipsis dominis cardinalibus electus: qui interrogatus per bonæ memoriæ dominum Florentium, priorem dictorum dominorum cardinalium, ut consentiret electioni de ipso factæ, dixit consentire, & non velle contradicere voluntati Divinæ, tantum ut daret unionem & pacem ecclesiæ. Et post Gregorius nominatus, prædicta de novo juravit & voto firmavit, & instrumenta super hoc iterato manu propria sub nomine Gregorii subscripsit, ut in ipsis instrumentis plenius continetur. Misitque litteras suas sub media bulla bullatas fere ad omnes principes, & notabiles, communitates, universitatesque studiorum præmissa continentes, & quod vellet ea observare inviolabiliter. Et post sui coronationem in consistorio generali, de novo prædicta omnia & singula promisit, vovit & juravit, præsente multitudine cleri, & populi copiosa, increpãdo prædecessores suos, quod tantum neglexerant in dando unionem & pacẽ ecclesiæ. De quibus fuit velut Angelus Dei multipliciter cõmendatus, & fuisset peramplius si perseverasset in inceptis juratis & voto toties repetito firmatis.

XI. Item ipse dominus Gregorius per suas litteras & nuncios, prædicta per eum jurata, & voto firmata, notificavit domino Benedicto in Massilia residenti: requirens eum, ut prædictis vellet annuere. Quod fecit tandem, attractus & quodãmodo invitus, nec sic simpliciter ut dominus Gregorius, licet per dominos cardinales & nuncios domini Gregorii fuisset sæpius solemniter requisitus, ut simpliciter consentiret, ut fecerat & faciebat dominus Gregorius: Immo voluit partem sibi servare in electione futura, quod non fecerat Gregorius, dum dixit in suis litteris: Dummodo Gregorio domini cardinales adhærentes velint

velint nobiscum & fratribus nostris taliter convenire, quod sequatur canonica electio; prout in litteris dicti domini Benedicti, responsivis litteris dicti domini Gregorii, & eidem missis, latius continetur. Ita quod ex modo agendi, loquendi, & circumstantiis evidentibus deprehendebatur, quod dominus Benedictus viæ cessionis assentiebat in verbo, non autem in re & effectu. Et de hoc erat oblocutio & fama Massiliæ inter dominos cardinales, & alios quamplures tunc Massiliæ residentes.

XII. Et per antea audito de bona voluntate D. Gregorii, quam habere videbatur ad ecclesiæ unionem, magnificus dominus Malatesta de Malatestis de Pensauro, etiam propriis expensis ad serenissimum dominum regem Franciæ, & ad dictum dominum Benedictum, tanquam fervens zelator hujus sacratissimæ unionis, accedere se obtulit. Qui pro parte domini Gregorii, occasione ipsa, ut ad urbem propterea se transferret, fuit requisitus. Qui postquam cum honorabili comitiva Romam ad exequendum oblata & requisita applicuerat, supervenientibus nepotibus domini Gregorii, scilicet domino Antonio tunc episcopo Montonensi [a], & Paulo Corario, idem dominus Gregorius per suos nepotes jam dictos, ut creditur, seductus, & in reprobum sensum datus, variare & evidenter a promissis retrocedere incepit. Nam juxta consilium omnium dominorum cardinalium suorum noluit mittere dictum Malatestam ad legationem prædictam, sed dictum dominum Antonium, cui arcana suæ mentis, (ut creditur, & post facto constitit) aperuit, associatis sibi bonæ memoriæ domino Guillelmo tunc episcopo Tudertino, & domino Antonio de Bucero utriusque juris doctore, ad famam tantum, quia ipsi nesciebant secreta, ut ex post dixerunt publice prædicti domini episcopus & Antonius. Immo nec domini cardinales aliquid sciverunt de secretis quæ portavit dominus Antonius ejus nepos, cui dedit unam bullam clausam, cujus continentiam præfati domini cardinales ignoraverunt: quibus per aliam suam bullam de conveniendo de loco habili & decenti mandatum dedit. Per quos oratores tandem conclusum fuit de loco Saonæ cum dicto domino Benedicto & suo collegio, qui & præfatum dominum Gregorium in vim dicti mandati obligarunt, ut in certis terminis declaratis, cum suo collegio deberet ire Saonam: cum certis etiam modificationibus, prout in instrumento super hoc confecto continetur.

[a] al. Mothonensi

XIII. Item, quod dictus D. Gregorius cum de dicta concordia loci Saonæ notitiam habuisset, ipsam concordiam commendavit, approbavit, & ratificavit, & coram suis dominis cardinalibus & aliis notabilibus personis sæpius affirmavit, quod locus ille sibi placebat, commendando nepotem prædictum, & increpando DD. cardinales qui illum suspectum habuerant dum mittebat; confortando & solicitando eosdem dominos cardinales, pro accessu ad dictum locum. Cum quibus dominis cardinalibus in diversis consiliis deliberavit, quod si galeas habere non posset, dispositus erat ire in una barchalina [a], seu pedes si aliter transire non posset: assentientibus & ad hoc confortantibus etiam dictis dominis cardinalibus. Scripsitque bullas suas serenissimo domino regi Francorum, solicitando per suos oratores ut ea quæ ipsum tangebant, secundum dictæ conventionis capitula celeri executioni mandaret: ac per fratrem Ioannem Dominici, dominum gubernatorem & regentem Ianuensem, requisivit pro celeri expeditione & executione eorum quæ ad ipsos spectabant. Quæ omnia ex relatione dicti fra-

[a] al. barchella

A tris Ioannis Dominici per dictum dominum gubernatorem & regentem Ianuensem fuere integraliter subsecuta. Et similiter communitati Saonæ regratiando de prompta devotione & executione eorum quæ ad ipsos pertinebant, illos hortãdo in Domino ad ulteriorem prosecutionem, per suas bullas conscripsit, & ab oratoribus & syndicis dictorum communitatum Ianuæ & Saonæ in Roma existentibus, juxta continentiam conventionis prædictæ, juramentum fidelitatis recepit. Redeuntemque dictum dominum Antonium nepotem suum, pro bonis gestis & meritis in legatione prædicta, in camerarium promovit. Deinde autem idem dominus Gregorius variare & evidenter retrocedere a promissis tam solemniter firmatis & ratificatis incepit, allegans aliquas frivolas excusationes & causas impedimenti: videlicet galearum defectus & inopiam pecuniarum.
B Nam dum ab oratoribus domini Benedicti in Roma esset requisitus de accessu ad Saonam sine galeis: finaliter respõdit, se nullo modo velle ire Saonã sine galeis. Similem etiam respõsionem fecit oratoribus serenissimi Francorum regis. Etiam requisiverunt DD. cardinales tunc Romæ existentes, ut attenta indispositione domini Gregorii ad unionem, se declararent, an vellent Saonam accedere juxta promissa: eos etiam rogantes, ut si interim dominus Gregorius decederet, non procederent ad electionem futuri præsidentis. Qui de mandato domini Gregorii responderunt, quod ipsi facerent debitum eorum. Quoad secundum quæsitum responderunt etiam de suo mandato, quod ipsi non poterant obli-
C gare absentes, sed instarent cum D. Gregorio, ut super hoc constitutionem faceret validam. Quam constitutionem facere promisit, ut apparet per instrumentum publicum, manu domini Francisci de Montepolitiano. Sed tamen postea recusavit, ut scilicet etiam post mortem suam, quantum in se foret, sicut in vita, unionem impediret. Et licet galeæ, quas etiam a domino gubernatore Ianuæ in Ianua dictus nepos suus requisiverat, & capitaneum, videlicet dominum Ioannem Vltramarinum, sibi exhibitæ & oblatæ fuissent per oratores serenissimi regis Franciæ, etiam cum juramentis capitanei & patronorum, ac etiam obsi-
D dum datione de filiis & nepotibus prædictorum, & alia qualibet securitate: illas tamen recusavit, quamvis galeæ prædictæ oblatæ sibi fuerint armatæ, vel tantum corpora galearum cum fulcimentis omnibus, ut si confidere noluisset de hominibus Ianuæ, armare potuisset de suis, licet prius acceptasset dicta corpora galearum. Et similiter ire per terram omnimode recusavit, non obstante quod per consilia jurisperitorũ extiterit eidem D. Gregorio consultũ, quod per terram transire tenebatur, si non habebat galeas.

De pecuniis autem, quas multas exegit a clero magnæ partis suæ obedientiæ, occasione unius caritativi subsidii per ipsum impositi, ut iret Saonam causa
E prosequendi unionẽ, ut in suis bullis desuper cõfectis plenius continetur, pro expensis necessariis extitit sufficienter provisum: licet inter nepotes & consanguineos suos, non in facto unionis, ut in bullis suis narrabat, easdem distribuerit. Nec etiã idem dominus Gregorius voluit constituere procuratorem ad renunciandum, & Saonam transmittere: licet promisisset idem dominus Gregorius per instrumentum publicum in certos casum & eventum, quod si ire non posset aut nollet ad dictum locum Saonæ, idoneum mitteret procuratorem infra dictum terminum, cum pleno & sufficienti mandato & potestate ad faciendum ea quæ ipse facturus esset, si personaliter adesset, secundum juramentum & votum emissum, &

ANNO CHRISTI 1409.

& secundum formam contractus facti in conclavi Romæ.

XIV. Itē quod licet dictus dominus Gregorius, maxime ad importunā instantiam dominorum cardinalium, qui conabantur Saonam appropinquare, versus Senas accedere dixisset: tamen dum in civitate Viterbii resideret, totis conatibus quæsivit se Perusium transferre, quæ via se elongabat ab accessu Saonæ, nisi cardinales se in hoc sibi efficacius opposuissent: quorum quasi devictus instantia, versus Senas suos gressus direxit. Et cum ibidem resideret, & instaretur quod iret Saonam, dixit, per Lombardiam ad terras marchionis Montisferrati velle transire, & ibi morari & tractare de alio loco: & clare dicebat nolle ire Saonam, quæ via totaliter erat indispositа, & impossibilis videbatur, tam propter hiemem, quam guerras tunc instantes. Et hæc omnia ex mala intentione ad impediendum prosecutionem & conclusionem sacratissimæ unionis fieri evidenter apparebant. Sperabat enim ad aliquem locum declinare per viam illam, in quo fortiorem se reputasset. Et dominis cardinalibus totaliter inhibuisset, ut amplius non loquerentur de materia unionis, sicut in Luca postea fecit: sed resistentibus dominis cardinalibus propter indispositionem prædictam, & quia ipse dominus Gregorius quærebat se divertere ad loca ubi potentior esset pro recedendo totaliter a prosecutione unionis prædictæ, ut supra dictum est, eundem pro majori parte sequi excusantes, dum eum requirerent ut eos permitteret ire Saonam, & debitum eorum facere, secundum quod promiserant, etiam de suo mandato negavit expresse. Et replicato per cardinales ut vellet se supponere juri, & stare consilio universitatis Bononiensis, Parisiensis, Senensis, vel Romanæ curiæ, an cardinales tenerentur Saonam » accedere, etiam eo nolente recusavit, dicens: Ego sum » papa, nec habeo me alicujus subjicere consilio, immo » ego sum supra jus, & meæ sententiæ debetis vos con» formare in totum: in hoc dominos cardinales ne debitum suum facerent quantum poterat prohibendo. Tractarunt demum præfati domini cardinales, ut ad locum Petræ sanctæ, dominii Lucani, unus ipsorum, scilicet dominus Gregorius, se transferret, quem locum de Petra sancta per prius per suos oratores obtulerat domino Benedicto moranti in Saona, videlicet per protonotarium de Vtino, scilicet magistrum Iacobinum Physicum, abbatem de Pratalia, & dominum Franciscum Iustinianum de Venetiis; & dominus Benedictus ad Portum Veneris appropinquaret: ex quo de loco Saonæ omnis erat penitus spes sublata, ut mutua vicinitate possent facilius concordare, & materiam unionis juxta eorum vota & promissa perficere. Idem tamen Gregorius tot difficultates posuit, quod pro tunc nullatenus voluit acceptare Petram sanctam, asserens eum locum non sibi securum, licet securissimus sibi esset, ut Lucana civitas: nam ejusdem domini & dominii erat, videlicet dominii Lucani. Qui etiam pro securitate sua voluit sibi domino Gregorio dare in obsidem unicum filium suum: & etiam ipse dominus Lucanus homagium se ei præstiturum offerebat, ac etiam roccam Petræ sanctæ ponere volebat in manibus magnifici domini Berardi de Camerino, vassalli Romanæ ecclesiæ, & tunc stipendiarii domini Gregorii, de quo permaxime confidebat. Quæ omnia negavit, velut ille qui nullam voluntatem habebat ecclesiam uniendi: non obstante quod Lucam iverit sine aliqua dictarum securitatum, quæ utique sibi necessariæ non erant, attenta illius magnifici domini Lucani probata fidelitate.

XV. Tandem loco de Petra sancta, ut præmittitur, prius oblato, & postea recusato, intercedentibus oratoribus Venetis, & devictus precibus & instantia dominorum cardinalium, inclinatus est Gregorius in Lucam. Et ut dominis cardinalibus terrorem incuteret, nec ipsum ita pro unione solicitarent, voluit habere promissionem expressam a domino Lucano, ut libere posset in dominos cardinales animadvertere: qui tantam affectionem ad unionem habebant, quod mortem non timuerunt, immo tali promissioni consenserūt, quam aliter Dominus Lucanus nullo modo facere dispositus erat. Quem accessum ipse dominus Gregorius male libenter fecit, adeo quod oportuit ipsos dictos dominos cardinales sibi de eorum propria pecunia mutuare tria millia florenorūm: de quibus adhuc eis non est plenarie satisfactum, licet ipse aliunde haberet pecuniam necessariam pro accessu ad Lucam. Et dominus Benedictus, instantibus etiam suis dominis cardinalibus, ad locum Portus Veneris, ad finem quod ipsis existentibus in locis propinquis, convenientibus possent concordare de loco mutuæ conventionis pro mutua cessione facienda, & danda ecclesiæ pace. Et licet tunc plures nuncii, & iteratis vicibus, missi fuerint per dominum Benedictum ad dominum Gregorium, & e contra: nunquam tamen domini cardinales partis utriusque scire potuerunt ad quæ prosequenda mittebantur, immo semper fuit eis ipsa materia occultata. Et ulterius dominus Benedictus continue in civitatibus Senarum & Lucanæ, tenuit quosdam suos servitores, & familiares speciales, magistrum Simonem Salvatoris decretorum doctorem, fratrem Avenionensem ordinis Prædicatorum, & quosdam alios, qui absque conscientia dominorum cardinalium, de nocte & secretis horis familiaria & secreta colloquia habebant cum domino Gregorio & ejus nepotibus, pluries & frequenter. Et vice versa idem dominus Gregorius tenebat cum dicto domino Benedicto, quemdam Michaelem de Pisis suum secretarium in Portu Veneris, qui etiam cū dicto domino Benedicto, & suis, sua secreta consilia tenebat & habebat. Ex quibus velut evidentibus indictis, insurrexit in Luca & Portu Veneris fama & cōmunis reputatio, prout hodie peramplius est, quod inter dominos Gregorium & Benedictum, erat mutua collusio: quia circa loca adinvicem, sic difficultarent hoc negotium electionis locorum & concordiæ, quod nunquam ad mutuam cessionem devenirent. Et evidentius patebat fere omnibus in dictis locis existentibus ipsorum collusio, quia circa loca adinvicem nominata, tantas ipsi duo contendentes de papatu, adhibebant difficultates, circa securitates & munitiones castrorum eis tradendas, superfluas, & adeo difficiles, quod poterant impossibilitati æquari: & sic difficultaverunt ad invicem istud negotium electionis locorum, quod nulla inter eos fuit concordia de loco in quo haberent convenire pro mutua cessione facienda. Nolentes ipsi duo de papatu contendentes sequi consilia suorum cardinalium, immo penitus illa voluntarie & sine causa refutabant. Et tamen domini cardinales cum domino Gregorio instarent, ut vellet de loco aliquo concordare, respondit: Frustra fie- » ret talis concordia loci, quia ego scio quod dominus » Benedictus nullo modo est dispositus cedere. Vnde » autem talis notitia venerit, non apparet nisi ex mutua collusione,

XVI. Præterea ut evidentius appareat de ipsorum dominorum contendentium de papatu collusione: est veritas notoria, quod quando domino Benedicto fiebat mentio, quod si dominus Gregorius non faceret debitum suum juxta vota per ipsum præstita,

præstita, multi sibi adhærentes subtraherent sibi obedientiam, hoc sibi displicebat, & dissuadebat hoc fieri. Nam egregiis & notabilibus viris dominis Masio de Albitis * militi, & Laurentio de Rodolph. * decretorum doctori, & Nicolao de Usano, civibus & oratoribus Florentinis, ad ipsum dominum Benedictum pro causa unionis profectis in Portu Veneris, expresse dixit non debere fieri subtractionem domino Gregorio. Necnon & certos suos nuncios diu tenuit in civitate Florentina, priorem scilicet sancti Maximini in Provincia, & Ioannem de Burgo, ad finem ut procurarent, prout & fecerunt, posse tenus, ut per insigne commune Florentiæ nulla fieret subtractio, vel alia novitas, domino Gregorio contumaci, & omnino indispositо ad pacem ecclesiæ. Pari modo dum facti extitit mentio domino Gregorio & suis nunciis, quod si dominus Benedictus non faceret debitum suum circa pacem ecclesiæ, sibi adhærentes subtraherent obedientiam: dominus Gregorius, & sui nuncii hoc dissuadebant fieri, dicentes quod hoc non bene fieret. Et sic fovebant & nutriebant notorie schisma verbo & facto, & impedimenta præstabant paci & unitati ecclesiæ procurandæ: habentes quidem facies diversas; quia quilibet appetebat & appetit habere papatum in solidum, sed caudas habent ad invicem colligatas, ut de vanitate conveniant. Et convenerunt in idipsum, videlicet ad difficultandum sic istam materiam voluntarie & sine causa: ut nunquam perveniatur ad mutuam cessionem, nec ad pacem ecclesiæ & schismatis extirpationem. Et ulterius ipsi duo contendentes de papatu pati noluerunt, immo inhibuerunt dominis cardinalibus, ut de pace ecclesiæ non tractarent, sed totus tractatus relinqueretur ipsis duobus: quia ipsi ad invicem essent bene concordes, prout & fuerunt ac sunt, ad impediendum pacem ecclesiæ, & procurandum schismatis prorogationem ac perpetuationem.

* al. Alvitis
* al. Roolfis

XVII. Existentibus autem præfatis DD. Gregorio & Benedicto in Luca & Portu Veneris, post multas oblationes & recusationes locorum factas hinc inde, ut negotium dilataretur: tandem fuit oblatus locus in Liburno per oratores D. B. cum communi æqualitate domini, & roccarum & oppidi, a mutuatione pecuniarum, licet finalis destructio unionis fuisset, si ipsi habuissent totale dominium loci conventionis. Et licet dominus Gregorius omnem tractatum rumpere illico voluisset: tandem devictus instantia cardinalium, dixit se velle mittere ad videndum locum, & si habilis erat, acceptaret. Legatosque pro hoc elegit reverendissimos patres quondam dominum Florentinum, dominum Militensem, magnificum dominum Malatesta de Malatestis de Pensauro, Paulum Corario ejus nepotem, & Bartholomæum de Zamisbenis *, cardinalibusque dixit, ut invenirent pecuniam pro ejus accessu. Petiit enim per organum magnifici domini Malatestæ de Pensauro a cardinalibus, pro eundo de Luca ad Liburnum, triginta millia Florenorum *. Et est una parva dieta, licet cardinales obtulerint sibi duorum millia Florenorum. Videte ergo quomodo suam discooperuit voluntatem. Tamen cum cardinales modum darent ut haberent pecunias necessarias pro accessu: finaliter ad videndum noluit mittere ad dictum locum, eumque tanquam inhabilem recusavit pro suæ libito voluntatis. Qua recusatione, sicut præmittitur, facta, apertum & notum fuit per egregios viros veræ unionis amatores nuncios & oratores Venetorum, a quibus ipse Gregorius traxit originem, ut acceptarentur, pro ipsis duobus contendentibus & suis, loca de Carreria pro domino Gregorio, & de Avēsa pro do-

* al. Samanis,
* al. ducatorum

A mino Benedicto, ad invicem vicina, & consistentia in obedientia domini Gregorii. Et licet nuncii domini Benedicti verbo & non in effectu in hoc consentirent: tamen D. Gregorius illa expresse refutavit sine quacumque rationabili causa. Immo nec mittere voluit ad videndum eundem locum de Carreria si habilis erat, sed solum pro libito voluntatis eum recusavit: licet dictus locus de Carreria exstit & exstat magis habilis & idoneus, quam sit locus de Avensa; & dominus Lucanus omnimodam securitatem, necnon & fortalitium in Carreria constitutum, eidem domino Gregorio offerret, & contra illa, quæ alias obtulerat, cum per prius obtulisset omnia loca obedientiæ suæ. Et hoc fecit contra consilium & voluntatem dominorum cardinalium tunc in Luca existentium, & B etiam contra consilium oratorum, principum, notabilium, & communitatum tunc ibidem præsentium, in magnam sui infamiam: quia evidenter cunctis apparebat quod ipse dominus Gregorius nullatenus curabat de pace ecclesiæ, nec schismatis extirpatione.

XVIII. Videntes autem domini cardinales in Portu Veneris existentes, negotium pacis in rupturam venire: ipsi, seu eorum major pars, supplicaverunt domino Benedicto, & consuluerunt, ut non teneret tot galeas nec gentes armigeras in tanto numero, ne occasione hujusmodi, tractatus pacis posset impediri; & quod vellet condescendere ad aliquem locum eligendum in terra consistentem, & aliqualiter a mari C remotum, quia dominus Gregorius refutabat loca maritima. Ipse tamen D. Benedictus præmissa nullatenus facere voluit, immo frequenter & publice respondit, quod nullo modo pro hac causa dimitteret loca maritima: & frustra sibi dicebatur seu consulebatur contrarium, quia ipse volebat unum pedem tenere in aqua, & alium in terra, & quod nullo modo dimitteret galeas aut gentes armigeras, immo potius numerum augmentaret & augeret; & pro his tenendis seu agendis impignerаret, seu alienaret omnia bona & proprietates Romanæ ecclesiæ quando sibi videretur, prout & fecit in magnum detrimentum Romanæ ecclesiæ, castra particularia ecclesiæ Avenionensis, ad summam quadraginta millia ducatorum, sine causa & voluntarie. Per quæ evidenter & notorie D ostendebat, quod in verbo, & non in re & effectu, quærebat unionem, & quod nullo modo volebat renunciare, sed manere in illo statu quamdiu viveret in humanis, & sic difficultare negotium, ut numquam via cessionis in verbo concordata posset habere effectum. Et de hoc erat communis vox & opinio famaque publica in Portu Veneris, & fere inter omnes curiam ipsius domini Benedicti sequentes.

XIX. Itē pari modo D. Gregorius alienavit multa bona ecclesiæ Romanæ mobilia preciosa, ut mitras preciosas, libros, & alia nobilia jocalia; necnon & terras notabiles, ut Romam, Perusium, Beneventum, Tudertum, & alias in Marchia, & alibi existentes, & provincias maritimæ & Campaniæ, pro certa E pecuniarum summa; ad ditandum suos fratres, nepotes, & alios agnatos suos, etiam de patrimonio Iesu Christi, etiam ad procurandum sibi fautores in schismate, illos saltem quibus hæc alienabat.

XX. Item quod idē dominus Gregorius, loquētes sibi vel aliis, ubi ad ejus notitiā veniebat, de suo debito, videlicet renunciatione & aliis fiendis per eum ad unionem ecclesiæ, odio habuit, illosque carcerari mancipavit, & alios fecit multipliciter molestari, & inter alios magistrum Michelinum de Novaria scriptorem litterarum apostolicarum, procuratorem ordinis Carmelitarum, qui in quodam sermone dictum dominum Gregorium exhortatus, ut servaret vota

ANNO CHRISTI 1409.

vota & juramenta sua in conclavi emissa pro unione habenda; & unum familiarem domini cardinalis Laudensis, qui ante palatium in Senis clamabat, ad Saonam, ad Saonam.

XXI. Demum domini cardinales, seu eorum major pars, ne tantum Dei negotium veniret in rupturam, consuluerunt & supplicaverunt domino Benedicto, ut pro loco mutuæ cessionis offerret civitatem Pisanam, alias per ipsum oblatam cum publico instrumento, & quam dominus Gregorius non poterat recusare, cum alias ipsam obtulisset. Et quod vellet ipse dominus Benedictus contentari de communibus & sufficientibus securitatibus: & quod non peteret ita exactas, ut solitus erat petere, cum per hoc daret causam rupturæ. Ipse respondit, quod nullatenus dictam civitatem Pisanam offerret, vel sibi oblatam acceptaret, reputans valde temerarium hoc sibi consulere. Dixit etiam, quod semper intendebat petere securitates alias per ipsum postulatas, & de aliis quæ essent minores nullatenus contentaretur, quidquid sibi diceretur vel consuleretur. Per quæ evidenter colligitur, & tunc omnibus apparebat, quod viam cessionis nullatenus intendebat prosequi; sed sic eam difficultare, ut numquam posset habere locum. & de hoc erat communis vox, fama & reputatio.

XXII. Consequenter domini cardinales in Portu Veneris existentes, seu eorum major pars, videntes quod inter dominum Gregorium & dominum Benedictum nulla erat concordia super loco mutuæ conventionis, nec in futurum sperabatur esse, quia quod unus ipsorum offerebat, alter voluntarie refutabat: ne tam necessarium fidei & animarum saluti negotium, in desperationem & totalem rupturam deveniret, supplicaverunt & consuluerunt domino Benedicto, quatenus offerret se renunciaturum per procuratorem habentem ad hoc speciale & irrevocabile mandatum, domino Gregorio renunciante in persona propria, vel per procuratorem habentem similem potestatẽ. Ostenderuntq; ipsi domini cardinales, seu eorũ major pars, ipsi D. Benedicto, quod hoc tenebatur facere de necessitate salutis, & se morti exponere pro extirpatione schismatis, & unione in Dei ecclesia reducenda. A quo præfati domini cardinales nullum responsum habere potuerunt: sed perpenderunt satis evidenter ex indiciis & modis, quod hoc facere nullatenus intendebat, prout & rei probavit eventus, & præsens testatur experientia. Et in eadem opinione fuit dominus Gregorius, qui cum semel in publico diceret, quod nunquam per procuratorem renunciaret, licet sibi contrarium per dominos cardinales consuleretur, quibus per antea se obtulerat per procuratorem renunciaturum, ut supra dictum est: fuit sua responsio negativa per archiepiscopum Tarraconensem nuncium domini Benedicti, tunc in sua præsentia constitutum, publice laudata, & multipliciter commendata. Ex quibus evidenter & notorie constitit, quod nec per se, nec per procuratorem, ipsi contendentes renunciare volebant, sed potius ecclesiam in schismate & divisione tenerent, quandiu vitam ducerent in humanis. Et in hoc apparuit eorum collusio & concordia: maxime quia idem archiepiscopus Tarraconensis, specialis familiaris domini Benedicti, multa colloquia secreta habuit, rejectis sociis suis, cum domino Gregorio, & ejus nepote tunc camerario, & aliis suis secretariis. Ex quibus insurrexit vehemens suspicio in Luca, & fama communis, quod inter ipsos duos contendentes de papatu erat collusio, & damnata concordia; & quod sic difficultarent hoc negotium, ut nunquam in diebus suis ad mutuam cessionem deveniretur.

XXIII. Item dominus Gregorius in Luca existens obtulit domino Benedicto locum Pisarum divisum flumine, ita quod unus staret cum suis ab una parte civitatis, alter ab alia. Quem locum immensissime commendavit, & inter alia dixit, quod iste locus a natura omnia necessaria pro tali conventione habet, adeo quod ad hoc fabricatus penitus videbatur. Et hanc similem oblationem voluit per cardinales fieri: quod & factum fuit in Portu Veneris per organum comitis Campaniæ, dominorum cardinalium oratorem. A qua oblatione resilivit, dicens, ante conclusionem hujus oblationis velle a Florentinis aliqua pacta & securitates: quas, si essent rationabiles, Florentini se obtulerunt facere, dummodo eis declararentur. Quam declarationem nullomodo facere voluit, nec etiam tempus, infra quod deberet Pisas venire, unquam voluit declarare: immo ex post facto venire Pisas penitus recusavit.

XXIV. Subsequenter dominus Gregorius in Luca existens, nunciis domini Benedicti ibidem existentibus, qui in verbo potius quam in effectu loci concordiam prosequi videbantur, & nunciis serenissimi regis Francorum, qui re & effectu unionis materiam promovebant, denegavit salvum conductum prorogare, & de novo concedere: denegans eisdem suam præsentiam & omnem audientiam, nedum super via cessionis, immo super aliis unionem tangentibus, recessum indicendo, & mandando eisdem nunciis ut a dicta civitate Lucana recederent. Dixit etiam idem dominus Gregorius publice & frequenter, quod via cessionis erat mala & injusta ac diabolica, & quod eam de cætero prosequi nullomodo intendebat, contra juramenta & vota per ipsum præstita notorie, veniendo in magnum scandalum ecclesiæ, cum pertinacia & contumacia notoria, a quibus diverti non potuit, etiam luce clarioribus responsionibus sibi factis: concordans in his cum domino Benedicto, qui eodem cupiditatis instinctu asseruit, & publice prædicavit, quod si viam cessionis prosequeretur pro unione habenda, crederet peccare mortaliter, ut in præcedentibus est descriptum. Quæ quantum erroris, etiam fidei oppositi, juxta multorum assertionem contineant, decernat & judicet hoc sanctum concilium in Dei nomine aggregatum.

XXV. De præmissis non contentus dominus Gregorius, ut majora & evidentiora extirpationi schismatis præstaret impedimenta, & ut haberet cupiditatis suæ & errorum suorum fautores ac defensores, contra juramentum & vota præstita, & in bullis suis scripta, etiam contra consilium dominorum cardinalium, & ipsis absentibus, quatuor de facto, cum de jure non posset, in cardinales promovit, suæ cupiditatis & errorum suorum fautores, ac unionis ecclesiæ notorios impeditores. Adhuc tractatu unionis pendente, oratoribus videlicet domini Benedicti in Luca existentibus, & oratore dominorum cardinalium de mandato domini Gregorii existente in Portu Veneris pro concordia loci, & contradicentibus omnibus cardinalibus, talem profanationem fecit. Et ideo contradicebant, quia de jure communi non poterat, cum talis profanatio esset notorie destructio unionis ecclesiæ. Et mala malis addens, ac pejora pejoribus, ac pacis ecclesiæ evidentiora impedimenta, dominis cardinalibus tunc in Luca existentibus paulo ante prohibuit & interdixit sub magnis pœnis, privationis videlicet dignitatũ & beneficiorum, ac perjurii, quas ipso facto voluit incurrere, ne exirent civitate Lucana, nec per se, nec per medias personas participarent cum nunciis dicti domini Benedicti, & domini regis Franciæ, & ne auderent se insimul

mul congregare. Quæ duo ultima mandata clare contra unionem erant; nam nisi tractaretur cum oratoribus domini Benedicti, non poterat unio procurari; & sic contra juramenta sua & cardinalium: nec etiam unio tractari poterat sine cardinalium congregatione. Et hoc revocare noluit, nec alias extirpationi schismatis intendere, quantumcumque fuit monitus & requisitus per dominos cardinales, & quamplures alios viros notabiles. Et quia domini cardinales tūc in Luca existentes, non obstantibus præmissis, intendebant & laborabant ut finis imponeretur schismati per viam cessionis juratæ, & voto firmatæ etiam per eos & eorum quemlibet, pro qua consequenda jurarunt nihil omittere de contingentibus, utilibus, necessariis, aut quomodolibet opportunis; nec ab his retrahi poterant minis vel terroribus: D. Gregorius deliberavit cum suis, aliquos ex ipsis dominis cardinalibus capere & carceri mancipare, & aliquos tractare durius. Quod & fecisset certa die in sua domo & palatio adunatis in magno numero armigeris, nisi per dominum Lucanum, & ejus providentiam fuisset caute & honeste obviatum.

XXVI. Videntes autem tunc domini cardinales in Luca existentes domini Gregorii pertinaciam, contumaciam, & dispositionem notoriam, nedum in via cessionis juratæ, voto firmatæ, & in verbo cum domino Benedicto concordatæ, immo & ad omnem aliam viam per quam haberi posset unio; & quod ipsi D. Gregorio, absque gravi offensa Dei & schismatis perpetuatione, ac fautorio multorum eorum detrimento fidei, & notorio ac evidenti periculo animarum ac ecclesiæ desolatione irreparabili, non poterant adhærere, nec vota nec juramenta per ipsos præstita observare: ipsi DD. cardinales tunc in Luca existentes, seu eorum duæ partes, & finaliter omnes, uno dumtaxat excepto, ab ipso D. Gregorio recesserunt, & ad hanc civitatem Pisanam, velut ad locum tutum se transtulerunt, cum firma intentione & proposito, ut se conjungerent cum DD. cardinalibus, qui D. Benedicto adhærebant, ad finem ut ipsis simul unitis, utilius & liberius possent extirpationi schismatis intendere, prout vigore instrumenti in conclavi celebrati obligabantur & tenebantur, & secundum multorum valentium doctorum consilia per ipsos DD. cardinales habita in Senis, de mandato expresso dicti D.G. expresse tunc dicentis, quod contentabatur quod haberent consilia, & secundum consilia procederent: impedimentis, pertinaciis, & indispositionibus notoriis dominorum Gregorii & Benedicti non obstantibus, cum evidenter foret notorium, quod si attenderetur ipsorum dominorum Gregorii & Benedicti voluntas, numquam ipsis viventibus extirparetur schisma, sed potius perpetuaretur, & Christi charactere insigniti, erroribus involuerentur ex eorum factis, dictis & damnatis persuasionibus a cunctis Christi fidelibus detestandis.

XXVII. Moleste autem gerens dominus Gregorius recessum dominorum cardinalium, & de statu suo dubitans, per suos armigeros insequi fecit bonæ memoriæ cardinalem Leodiensem, quamplurimum affectatum ad unionis procurandum bonum, dato dictis suis armigeris mandato crudeli, ut ipsum quondam dictum dominum cardinalem ad D. Gregorium vivum reducerent, vel incisum per frusta. Ecce mandatum pontificis adeo crudele, ut videretur impius Menelaus contra Oniam sacerdotem sanctum ab inferis rediisse, cuncta dissipans & civitatem inficiens bonorum sanguine cruento. Sed Altissimus qui bonis assistit & malis consiliis obviare consuevit, sic protexit ipsum quondam dictum domi-

A num cardinalem, ut in sicariorum manus non incideret, sed a Domino protectus, ad locum Librafractæ Pisani districtus, salvus & incolumis perveniret. Deinde die sequenti tam ipse bonæ memoriæ cardinalis Leodiensis, quam alii domini cardinales qui de Luca recesserant, ad hanc civitatem Pisanam se personaliter contulerunt. Expolita tamen extitit domus ipsius quondam domini cardinalis in Luca existens prædæ rapaci, & bona mobilia ibi reperta, fuerunt violenter ad domum tunc camerarii & nepotis domini Gregorii apportata. Et idem creditur quod fuisset factum de aliis dominis cardinalibus, nisi per dictum dominum Lucanum extitisset obviatum.

B XXVIII. Ex quo vero domini cardinales in civitatem Pisanam convenerunt, voluerunt adhuc laborare ut dominus Gregorius debitum suum faceret, & veritatem agnosceret, ac ad unitatem ecclesiæ procurandam procederet juxta vota & juramenta per ipsum præstita. Et de his fecerunt ipsum requiri & exhortari, primo per eorum litteras, secundo per dominum cardinalem Burdegalensem, tertio per duos notabiles episcopos, videlicet Varmiensem & Lubucensem*, qui licet exhortationibus piis, humilibus supplicationibus, & rationibus luce clarioribus institerint, ut ipse D. Gregorius pertinacia deposita veritatem agnosceret, vota & juramenta servaret, & ulterius paci & unitati ecclesiæ se obicem non poneret in suæ animæ detrimentum, & ecclesiæ scandalum, C offerendo eidem quod in casu quo præmissa faceret, ipsi domini cardinales omnem honorificentiam & adhærentiam debitam præstarent & exhiberent. Requirentes eundem, ut ad civitatem Pisanam veniret, ad quam venire debebat, quia ipsam obtulit, & in sublimibus commendavit, quam etiam offerri fecit per ipsos dominos cardinales, & promitti quod ad ipsam irent, ut supra plenius tractatum est; vel si venire nollet, per procuratorem renunciaret. Ipse tamen dominus Gregorius, velut in cor durum datus, acquiescere noluit, omnia contemnens, & in sua solita permanens pertinacia, impedimentis & erroribus antedictis.

*al. Barinensem & Lubucensem,

D XXIX. Demum quatuor ex dictis dominis cardinalibus qui ad Pisanam se transtulerant civitatem, cum quatuor ex DD. cardinalibus qui domino Benedicto adhærebant, in Liburno diœcesis Pisani, de voluntate D. Benedicti & totius ipsorum collegii convenerunt ad tractandum de unione ecclesiæ celeriter procuranda. Et quia dominus Benedictus de tribus suis cardinalibus ad hoc deputatis confidentiam non habebat juxta suæ considerationis intentum: adjunxit eisdem quatuor suos familiares, videlicet Rotomagensem quondam, Tolosanum & Tarraconensem archiepiscopos, ac magistrum generalem ordinis Prædicatorum. Et his omnibus existentibus in Liburno, post aliqua colloquia, aperta fuit inter E eos via concilii generalis utriusque partis & obedientiæ in uno loco partium Italiæ convocandi, ad finem, quod ibidem duo de papatu contendentes renunciarent juxta concordata juramento & voto firmata; alias in eorum contumaciam provideret concilium & ecclesia congregata, ut foret secundum Deum Divinas & canonicas sanctiones providendum. Quæ via sic aperta, velut necessaria & canonica, accepta & grata fuit omnibus dom. cardinalibus partis utriusque ibidem existentibus, & aliis per dominum Benedictum, ut præmittitur, deputatis, qui dominum Benedictum de hac via concilii sic aperta certificaverunt, & ex post retulerunt, quod ipse dominus Benedictus erat contentus de via concilii sic aperta. Et idem retulit in Liburno magister Simon Salvator decretorum

ANNO CHRISTI 1409

cretorum doctor, ipsius domini Benedicti familiaris, ad hoc destinatus. Et ex post antequam D. Benedictus a Portu Veneris recederet, scripsit litteras credentiales dominis Prænestino, de Thurcio, & sancti Angeli, in Liburno existentibus, per sacristam Magalonæ, qui in vim credentiæ ipsis exposuit quod dominus Benedictus erat recessurus ad partes Cataloniæ; & quod erat contentus ipse dominus Benedictus, quod ipsi domini cardinales prosequerentur viam motam generalis concilii utriusque partis & obedientiæ; & quod ipse dominus Benedictus erat dispositus dimittere aliquos de suis ad istam materiam prosequendam una cum ipsis dominis cardinalibus prædictis, dummodo a Gubernatore Ianuæ posset pro illis salvum conductum habere.

XXX. Concluso vero tractatu de via generalis concilii in Liburno inter dictos cardinales prædictos utriusque partis, & alios deputatos per dominum Benedictum: subito dominus cardinalis de Chalento, tres archiepiscopi prædicti, & generalis ordinis Prædicatorum, e Liburno recesserunt. Et ad Portum Veneris accedentes retulerunt domino Benedicto quæ gesta fuerant: & eidem consuluerunt domini cardinales tunc in Portu Veneris existentes, & alii prælati sui consiliarii & familiares, ut omnino sequeretur & amplecteretur viam concilii generalis utriusque partis, de quo apertum fuit in Liburno inter cardinales partis utriusque. Quorum sprevit consilium, & mutata voluntate deliberavit ad Perpinianum accedere: & volens viam generalis concilii utriusque partis impedire, ibidem publicavit, quod in festo omnium Sanctorum in loco Perpiniani teneret concilium suæ obedientiæ. Dominus etiam Gregorius in Luca audiens, & per D. Benedictum certificatus, quod DD. cardinales concluserant de via concilii utriusque partis: etiam deliberavit e Luca recedere. Et volens pariter viam concilii generalis utriusque partis impedire, ibidem publicavit, quod teneret concilium suæ obedientiæ & partis in festo Pentecostes futuro in provincia Aquileiensi, vel exarchatu Ravennatensi. Per quæ concilia sic divisa, & in locis adeo remotis ac diversis terminis, etsi impediri posset pax ecclesiæ juxta intentionem ipsorum duorum contendentium de papatu, qui una collusione ac concordia damnata in hanc vanitatem conveniebant: nullo tamen modo poterat schisma extirpari, sed potius nutriri & foveri in magnum ecclesiæ detrimentum, & periculum animarum.

XXXI. Et post dominus Benedictus de mense Iunii proxime præteriti recessit a Portu Veneris, suos gressus dirigens ad regem Aragonum, & ad locum Perpiniani applicuit, nullo alio dato ordine ad schismatis extirpationem, immo tractatu pacis rupto, & prosecutione unionis ecclesiæ omnino deserta, in dicto loco Perpiniani de mense Septembris proximi præteriti promovit de facto quinque in cardinales, suos familiares, opinionum suarum & viarum in impedimentum unionis tendentium sequaces, & pertinaces defensores. Et pari modo dominus Gregorius de Luca recedens, & de unione ecclesiæ nullomodo curans, novem de facto in cardinales promovit. Et hæc per ipsos facta sunt collusione mutua, & concordia damnata, ut evidenter ostendunt eorum facta & dicta in impedimentum unionis concurrentia: per hoc credentes plures habere sequaces & defensores, & facilius viam generalis concilii utriusque partis impedire.

XXXII. Ex post dominus Benedictus, cum fuit in Perpiniano, antequam suum inchoaret particulare concilium in impedimentum unionis, & ut suum

A concilium particulare majoris videretur autoritatis, tres alios suos familiares in patriarchas promovit, & tales qui contra suam voluntatem veritatem dicere non auderent: & demum per plures dies tenuit suum particulare concilium, in quo interfuerunt fere quadraginta prælati, archiepiscopi, episcopi, abbates. Et ibidem legi fecit secundum se suæ assumptionis modum, & quæ fecerat pro unione habenda. Sed non fuerunt ibi descripti seu recitati sui defectus, & impedimenta per eum paci ecclesiæ præstita, nec alia quæ in præcedentibus sunt veridica narratione descripta. Et ex post, ut fertur, dici fecit per concilium suum particulare, quod ipse erat verus papa, ac quod fecerat debitum suum in unione ecclesiæ procuranda,

B & quod ipse semper fuerat catholicus absque labe hæresis & schismaticæ pravitatis. Fecit etiam publice dici & prædicari in Perpiniano, quod concilium in hac civitate Pisana convocatum teneri non poterat, nec convocari sine ipso; & quod ad ipsum in solidum pertinebat convocatio concilii generalis; contra veritatem juris, volens per hoc impedire hoc concilium generale utriusque partis, & quod prælati Aragoniæ & Castellæ ad ipsum concilium non venirent. Et si ista ad impedimenta unionis ecclesiæ, & schismatis nutrimentum pertineant, deliberet & decernat hoc sanctum concilium.

XXXIII. Et licet per præmissa velut ex evidentibus & certis indiciis, ac præsumptionibus violen-

C tis, famaque communi & vulgata, appareat notorie de eorum collusione & damnata concordia ad viam mutuæ cessionis per eos juratæ, & omnem aliam per quam posset haberi unio & schisma extirpari: tamen ultra præmissa in Roma, Senis, & Luca, & Portu Veneris, inter curias ipsas sequentes fuit, & est communis fama & opinio, & aliqui notabiles viri dicunt se vidisse litteras & cedulas, continentes quod inter dominos Gregorium & Benedictum est, & fuit confœderatio, concordia, & collusio juramento firmata, quod ad hoc ut ipsi evitare & repellere valeant viam mutuæ cessionis, ipsi seipsos & suos dicunt se tractare debere materiam unionis, & non concilio dominorum cardinalium, principum, seu aliorum quorumcumque qui de suo consilio & opinione non

D essent, quia ad ipsos, ut asserunt, & non ad alios, præcise spectat prosequi unionem, nisi in quantum alii per eos essent requisiti, & quod ipsi loca electa pro pace danda ecclesiæ possunt mutare pro eorum libito voluntatis; & dicere contrarium, est ecclesiæ, ut aiunt, contradicere & pacem impedire. Tenent etiam mutua concordia, quod melius est ecclesiam stare in divisione, ut est, quam si cogerentur ad viam mutuæ cessionis. Tenent etiam & concordes existunt, quod si simul haberent in uno loco convenire, tractarent de reductione unius ad alterum de via compromissi & successionis, ut sic manerent, dum viverent, & uno defuncto superstes unicus papa remaneret. Et istud asseritur plus placere contendentibus ipsis, ut asserunt

E viri notabiles, qui præmissa audiverunt, & aliquas scripturas ipsorum contendentium viderunt & legerunt.

XXXIV. Postquam autem D. Benedictus recessit a Portu Veneris ad partes Cataloniæ dirigens gressus suos, disposuit D. Greg. a Luca recedere, & sic se abinvicem elongare, ut unus ad Occidentem, & alter ad Orientem viderentur intuitum dirigere, omnino deserto unionis negotio, & in desperationem posito. DD. card. partis utriusque in majori numero hinc inde in Liburno convenientes, quia adhuc non habebant alium locum accommodum pro conventione, & materia concilii utriusque partis & obe-

obedientiæ ibidem apertam velut necessariam prosequentes, præviderunt fore utile & necessarium ut ipsum concilium generale partis utriusque convocaretur, ut prius deliberaverant, ad vigesimam quintam diem proximi præteriti mensis Martii, cum continuatione dierum sequētium in hac civitate Pisana. Quæ civitas alias per ambos de papatu contendentes ad consummandum pacis & unitatis vinculum fuerat electa, oblata & nominata, & idonea ac conveniens reputata: sic quod per dominos cardinales, qui D. Gregorio adhæserant, in eorum parte convocarentur domini cardinales absentes, prælati, principes, & alii qui forent convocandi; & pariter per alios dominos cardinales in sua parte ad prædictum locum & diem. B Quod & factum extitit per ipsorum patentes litteras de communi & concordi ipsorum consensu, in forma canonica & juridica. Actum fuit etiam & conclusum, quod pari modo per ipsorum dominorum cardinalium litteras, præmissa omnia intimarentur DD. Benedicto & Gregorio, & requirerentur ut vocationi ipsius concilii præstarent consensum & opem, & ex superabundanti vocarent ad prædictos locum & diem una cum DD. card. sibi obedientibus. Et quod ipsi contendentes de papatu, vocarentur & provocarentur ad dictum concilium renunciare, ut promissum, juratum & voto firmatum & concordatum fuerat, per se, vel procuratores suos, ad hoc sufficiens, C speciale & irrevocabile mandatum habentes, cum intimatione quod alias in ipsorum contumaciam, contradictionem vel recusationem, provideret concilium, & ecclesia congregata, eorum vel alterius ipsorum absentia non obstante, prout foret secundum Deum, Divinas & canonicas sanctiones, providendum, & alias fuit in Romana ecclesia sancte & virtuosissime observatum. Quæ omnia fuerunt per patentes litteras dictorum dominorum cardinalium domino Benedicto intimata in persona sua propria in loco Perpiniani. Et solemniter fuit vocatus & provocatus ad hoc prius concilium, etiam in causa schismatis & fidei: ut constat litteris ipsius domini Benedicti, & publicis & authenticis instrumentis. Et nihilo minus præfati domini cardinales in vim cedulæ, in conclavi juratæ, de novo ipsum D dominum Benedictum requisiverunt per suas litteras, ut renunciaret, quia hoc reputabant & reputant pro bono unionis expedire. Ut autem præmissa omnia notificarentur domino Gregorio, duo domini cardinales, videlicet domini, Aquilejensis & Mediolanensis vulgariter nuncupati, de voluntate & mandato ac assensu aliorum dominorum cardinalium, ad civitatem Senarum, in qua residebat dominus Gregorius, accesserunt. Et quia ibidem domini Gregorii non potuerunt habere præsentiam, ipso impediente, nec ipsum personaliter ad prius concilium provocare, nec alia facere quæ ordinata fuere, licet ibidem cum Senensibus solicitam facerent diligentiam, per plures videlicet octo E dies, ut præsentiam ipsius domini Gregorii habere possent: litteras patentes provocationis ipsius ad concilium, in causa fidei & schismatis alias præmissa plenarie continentes, publice ac patenter sub publico testimonio, in præsentia multorum clericorum & laicorum poni fecerunt & dimiserunt in principali altari cathedralis ecclesiæ civitatis Senarum, & in valuis ecclesiæ sancti Christophori ejusdem civitatis Senarum, sub testimonio publico & multorum præsentia, affixerunt taliter, quod de illis dominus Gregorius non posset ignorantiam allegare: prout isti sacro concilio est per instrumentum facta fides, immo ad ejus notitiam pervenerunt, & haberi debent de jure, perinde ac si sibi personaliter intimatæ fuissent.

XXXV. Et post dominus Gregorius per varios nuncios & alios conatus est impedire hoc sanctum concilium in impedimentum unionis ecclesiæ: procurando ut domini cardinales, qui sibi adhæserant, mutarent locum & diem ordinatum, & convenirent cum ipso domino Gregorio in alio loco & termino. Et quia domini cardinales evidenter perpenderunt, quod illud petebatur ad impedimentum unionis ecclesiæ, & ut impediretur hoc sanctum & universale concilium utriusque partis in hac civitate Pisana congregatum, cum in hoc tractatu nulla fieret mentio de D. Benedicto & parte quæ sibi adhæsit, sine quibus schisma extirpari non potest, nec unio haberi: propterea præfati domini cardinales, constantes in inceptis permanserunt, nec voluerunt, sicut nec debuerunt, tam evidenti malitiæ & notorio impedimento unionis aliquatenus consentire: ut etiam evidentibus responsionibus dicti domini cardinales nunciis hoc tractantibus luce clarius ostenderunt.

XXXVI. Et ulterius dominus Gregorius nedum viam concilii generalis, sed omnem prosecutionem unionis impedire volens, notificavit per suas litteras, quas ad varias mundi partes direxit: quod dominos cardinales qui sibi adhæserant, & qui unionem ecclesiæ prosequebantur, privaverat dignitatibus & beneficiis, & contra prælatos & officiarios sequentes dominos cardinales, & eis in unione prosequenda adhærentes, processit ad privationem dignitatum, beneficiorum, officiorumque, nulliter & de facto, cum de jure hoc facere non posset in impedimentis unionis. Et pari modo dominus Benedictus volens impedire omnem prosecutionem unionis ecclesiæ, fecit de facto cæteros processus contra dominos cardinales, prælatos, reges, & principes, & alios qui se a sua obedientia subtraherent. Et ut viam concilii generalis impediret, citari fecit coram se in Perpiniano comparituros cæteros prælatos, universitatem studii Parisiensis, & nonnullos magistros & doctores, & alios viros litteratos, responsuros super certis articulis in impedimentum unionis & concilii generalis, cum ipsi citati constanter prosequantur viam concilii generalis & schismatis extirpationem, Intendentes per hoc præfati DD. Gregorius & Benedictus, prosecutores unionis ecclesiæ & concilii generalis utriusque partis terrere & avertere a prosecutione unionis & pacis ecclesiæ ac viæ concilii generalis utriusque partis, in eorum animarum detrimentum, & ecclesiæ grave & notorium scandalum.

XXXVII. Ultra præmissa, verbis & litteris præfati DD. Gregorius & Benedictus conati sunt impugnare hoc sanctum & universale cōcilium, & ejus vocationem, dicendo & asserendo quod hoc universale concilium non poterat se intromittere, vel cognoscere, seu aliquid definire de causa ipsorum, & schismatis extirpatione, & sic per consequens nec de aliis erroribus quibus ipsi notorie, quantum in eis est, corpus ecclesiæ commaculant. Et hoc est satis evidens & notorium, ac etiam evidēs existit & certum, quod ipsi, licet solemniter & ex superabundanti cautela, requisiti, noluerunt huic sancto concilio assensum ferre & opem, nec ad ipsum venire concilium, ut fuerant solemniter vocati, & etiam provocati, renunciaturi pro unionis bono, & juramēto & voto multipliciter sunt astricti, ut manifestum existit & notorium. Per quæ evidentius constat de eorum notoria contumacia hæresim in hoc casu importante, & summam damnationem secundū canones in eos dictāte, incorrigibilitate &

& damnata pertinacia adeo evidenti & notoria, ut adversus illam admittenda non sit excusatio.

XXXVIII. Quare pro parte dicti procuratoris, promotoris, seu solicitatoris, petitur, postulatur, & requiritur, per hanc sanctam & universalem synodum, & ejus sententiam, decerni & pronunciari: primo unionem & conjunctionem factam de duobus collegiis in unicum collegium, fuisse & esse legitimam & canonicam, ipsamque autoritate præfatæ synodi roborari pro bono tam sancti & pii negotii, ac validam & rationabilem declarari pro bono & evidenti necessitate sanctissimæ unionis: ac etiam hanc sanctam synodum per dominos cardinales utriusque collegii ad tantum bonum simul legitime unitos & congregatos, rite & debite convocatam, ac etiam congregatam, & tempore congruo, in loco tuto, habili & idoneo, securo & libero, & ad eam velut repræsentantem universalem Dei ecclesiam, cognitionem hujus causæ, ac etiam decisionem, pertinere & spectare. Decerni etiã & declarari, omnia & singula superius enarrata, fuisse & esse notoria, & super eis etiam tanquam notoriis procedendum: & exinde memoratos contendentes, & eorum quemlibet, toti populo Christiano denunciari, & ostendi debere omni dignitate & honore, etiam papali, se reddidisse indignos, velut notorios schismaticos, notorios fautores, & schismatis nutritores, pertinaces hæreticos, & notoriis criminibus enormibus, perjurii, & violationis voti, irretitos, etiã notorie scandalizantes cum incorrigibilitate, contumacia & pertinacia evidentibus & manifestis; ipsosque propter præmissas iniquitates, ne regnent vel imperent, seu præsint, a Deo & sacris canonibus, fore abjectos, privatos, ac ab ecclesia præcisos, suis ligatos peccatis; & nihilo minus sententiando privari, abjici & præcidi: & insuper eisdem & cuilibet eorum inhiberi, ne aliquis eorum pro summo pontifice gerere se præsumat. Omnes & quoscumque Christianos ab eorum obedientia, nonobstante quocumque fidelitatis juramento, aut alio vinculo astrictos, perpetuo absolutos declarari. Inhibendo etiam cunctis Christi fidelibus, ne dictis contendentibus, seu eorum alteri, tamquam papæ seu summo pontifici obediant, pareant, vel intendant, nec consilium, auxilium, vel favorem præstent, aut eos recipiant, vel receptent, etiam sub pœnis excommunicationis, & aliis a sanctis patribus & canonibus inflictis, promulgatis, & ordinatis. Et si parere contempserint ordinationi & sententiæ hujus sacri concilii, decernendum fore & decerni, ipsos, & eorum fautores, defensores & adhærentes, etiam per potestates sæculares compescendos fore & compesci, juxta sacrorum canonum dispositiones & Divina mandata.

Et pari modo petitur, postulatur, & requiritur, decerni, & declarari, omnes & singulos processus ac sententias, per dictos contendentes, & eorum quemlibet factos, latos, & fulminatos; ac privationes ordinum, dignitatum, beneficiorum, & officiorum, ac graduum quorumcumque, & qualiacumque, ac quomodocumque nuncupentur, seu nominentur, contra dominos cardinales, & eis adhærentes, ac eos sequentes, ac etiam contra dominos reges & principes, prælatos & alios ecclesiasticos & sæculares cujuscumque conditionis & status, ac etiam contra universitates, Parisiensem, Bononiensem, & alias universitates seu communitates, ac singulares personas, cum hæc omnia in odium prosecutionis & unionis, & impedimentum ejusdem, appareant esse facta, fuisse & esse nullos, & cassos & irritos, ac nullius vigoris vel momenti; & quatenus de facto processerunt, annullandos, cassandos & irritandos, ac annullari, cassari, & irritari debere. Et nihilo minus etiam promotiones vel potius profanationes cardinalium, velut in impedimentum unionis attentatas, & quæcumque alia, quomodocumque, & qualitercumque per eos, vel eorum alterum, gesta vel facta sub colore pontificalis officii in impedimentum unionis, fuisse & esse nullas, cassas, irritas & inanes; & quatenus de facto processerunt, annullari, cassari, & irritari per hanc sanctam & universalem synodum debere. Et consecutive omnes sententias excommunicationis, inhabilitationis, vel alicujus alterius pœnæ, per eos vel eorum aliquem latas in adhærentes, neutrales, seu eis obedientiam subtrahentes, autoritate præsentis concilii nullas declarari. Et insuper omnem suppleri defectum, si quis forsan intervenerit in præsenti processu ex solemnitate juris omissa.

Et ad informandum plenius hanc sanctam synonodum, si prædicta omnia omnibus notoria non existant: licet omnia & singula prædicta sint vera, manifesta & notoria, ita quod aliquali tergiversatione celari non possunt, nec indigeant clamore alicujus accusatoris: tamen procurator seu promotor præfatus dat, exhibet, producit articulos præsentes, & contenta in eisdem narrative & dispositive. Et de quolibet ac conjunctim & divisim, & in quantum videatur huic sanctæ universali synodo, offert se probaturum in eis contenta, vel ea quæ ei sufficient, seu sufficere videbuntur, ad suum propositum consequendum in toto vel in parte, & non aliter, nec alio modo. De quo solemniter protestatur, vestrum benignum auxilium humiliter implorando.

Et prædicta omnia & singula dictus procurator seu promotor dat, exhibet, & producit omni meliori modo, via, forma, & causa, quibus potest & debet: salvo jure sibi corrigendi, addendi, detrahendi, &c.

SESSIO VI.

Sexta sessio fuit die ultima Aprilis: & ibi statim post Missam & litanias proposuit episcopus Salisberiensis de Anglia, qui tempore medio cum multis aliis dominis Anglicis applicuerat Pisas, exhortans in effecta totum concilium ad procedendum in negotio secundum bonam justitiam & æquitatem: dicens se cum aliis habere sufficiens mandatum ex parte regis Angliæ & regni ad tractandum & prosequendum cum aliis, & tenendum seu accordandum quidquid ibidem ordinaretur in facto ecclesiæ, seu unionis, &c. Et quia nondum ex parte dictorum Anglicorum, nec ex parte illorum de Alemannia, fuerant nominati per eos eligendi ad examinandum testes, de quibus dictum est in sessione præcedenti: ideo fuit dies continuata ad diem sabbati proximam, quæ erit dies quarta Maii; in qua, sicut dictum fuit per advocatum ex parte concilii in hoc negotio ordinatum, dominus Petrus de Ancorano, utriusque juris doctor Bononiensis, debebat dare responsiones ad proposita alias in quarta sessione per episcopum Verdensem, & alios ambassiatores regis Ruperti, de quibus ibi dicitur. Et fiet etiam commissio nominandis ad examinandum testes (de quibus est supradictum:) Et ulterius in negotio procedetur prout fuerit rationis. Fuit etiam illico protestatum per dictum advocatum ad instantiam promotorum & procuratorum ad hoc totum negotium prosequendum, ex parte concilii ordinatorum, de prosequendo tempore & loco contra dictum episcopum Verdensem, & alios ambassiatores dicti Ruperti

ANNO CHRISTI 1409.

dicti Ruperti (de quibus supra) qui non expectato responso illicentiati recesserunt: quodque ipse & alii qui cum eo sic recesserant, & debebant concilio interesse, incurrerant pœnas juris contra sic recedentes vel non venientes latas a jure, &c.

SESSIO VII.

Septima sessio fuit die sabbati quarta Maii: & ibidem post Missam & litanias, doctor Bononiensis, vocatus dominus Petrus de Ancorano, dedit responsiones ad proposita alias per oratores & nuncios D. Ruperti, &c. de quibus supra facta est mentio in quarta sessione. Postea fuerunt lecta nomina electorum pro qualibet patria ad recipiendum testes & instrumenta, ad probandum notorietatem propositorum in quinta sessione contra istos duos contendentes: & illico fuit eis autoritate concilii data commissio, de qua promotores petierunt instrumentum. Fuit etiam dictum, quod expediebat autoritate totius concilii mittere ad regem Ladislaum Siciliæ, ad exhortandum eum quod non impediret concilium, & quod cessaret ab impedimentis, quodque teneret & servaret ibi deliberanda, &c. Et ab omnibus fuit dictum: placet. Et fuit dies continuata ad procedendum ulterius in hoc negotio ad diem Veneris, quæ erit dies decima Maii.

SESSIO VIII.

Octava sessio fuit dicta die Veneris decima die Maii, & post Missam & litanias, fuit potestas data in alia sessione ad examinandum & recipiendum testes & instrumenta, continuata ad octo dies, videlicet ad diem Veneris, decimam octavam diem Maii. Ibidem etiam ad instantiam promotorum & procuratorum, &c. fuit determinatum, unionem amborum collegiorum card. propter bonum unionis eccl. & pro necessitate prosequendi hoc tam pium negotium alias factam, fuisse bene, rite, & debite factam: eamque synodus roboravit & confirmavit, & declaravit quod per eos potuit concilium ecclesiæ universalis congregari ad providẽdum isti negotio, & quod hoc præsens concilium est sufficienter repræsentativum totius ecclesiæ catholicæ, in loco tuto, idoneo & securo, & tempore congruo congregatum; quodque hoc præsens concilium habet potestatem cognoscendi de hoc toto negotio, &c. & decidendi, tanquam quod non habet alium quoad hoc superiorem in terris. Et hæc omnia fuerunt illico per dictum concilium accordata, pronunciata, & conclusa per os domini patriarchæ, prout in cedula super hoc facta & lecta continetur, cujus scriptus est tenor infra.

Item fuit autoritate concilii dictum & declaratum, licet pro tunc non pronunciatum in scriptis, quod a tempore quo isti contendentes recusarunt adimplere juramenta sua & vota de via cessionis per eos præstita, licuit ab eis subtrahere obedientiam, ab eo tempore quo viam cessionis prosequi omiserant, &c. & quod pro nunc erat ab omnibus obedientia eis & eorum cuilibet subtrahenda; & quod processus, inhabilitationes, & censuræ, latæ per eos, aut eorum alterum, in præjudicium prosecutionis unionis, erant irrita & cassa, &c. sed quia de hoc non erat littera seu pronunciatio dictata, fuit hoc sic dimissum usque ad aliam sessionem, quæ fuit assignata ad decimam septimam diem mensis Maii proximam. Tenor autem dictæ cedulæ in hac sessione pronunciatæ sequitur, & est talis.

Sancta synodus, habita plena & matura deliberatione decernit, pronunciat, & declarat, unionem & conjunctionem factam de duobus collegiis S. R. ecclesiæ cardinalium, fuisse & esse legitimam & canonicam; ipsamque sua autoritate roborat, approbat, & confirmat, pro bono tam sancti & pii negotii, ac evidenti & imminenti necessitate universalis ecclesiæ catholicæ, extirpatione schismatis, ac unione & redintegratione ipsius ecclesiæ: ac etiam hanc sanctam synodum per DD. cardinales utriusque collegii, ad tantum bonum simul unitos & congregatos, tempore cõgruo, & in loco tuto, habili, idoneo, securo & libero; rite, debite, & canonice convocatam. Declarat insuper, pronunciat, & decernit, per Dei gratiam hic esse generale concilium repræsentativum totius ecclesiæ universalis catholicæ, rite, juste, & rationabiliter fundatum & congregatum: & ad hoc generale conciliũ, tanquam ad unicum superiorem & judicem in terris pertinere hujusmodi causæ, & omnium propositorum contra DD. Benedictum & Gregorium nominatos, contendentes, seu, ut asseritur, colludentes, cognitionem, examinationem, decisionem, & omnimodam determinationem omnium singulorum ad dictam causam pertinentium, quoquo modo dependentium, incidentium, seu emergentium ex præmissis.

Item sancta synodus habita matura ac plena deliberatione ex causis præmissis, pro secunda dilatione ad producendum testes statuit terminum ab hodie ad octo dies: quæ erit decima septima præsentis mensis Maii, & ad illum diem assignat proximam sessionem.

SESSIO IX.

Nona sessio fuit die Veneris XVII. Maii, in qua post Missam & litanias fuit ex parte concilii dictum & declaratum, quod ordo sedendi in concilio per quoscumque prælatos sive ambassiatores aliquorum, non faceret præjudicium ecclesiis, vel personis seu eorum dignitatibus aut prærogativis; quodque de hoc nullus de cætero contra aliũ posset se juvare in aliquo, tam in proprietate quam saisina seu possessione, vel quasi.

Item per os domini patriarchæ Alexandriæ de mandato synodi fuit pronunciatum in scriptis, super illis tribus de quibus in proxima sessione dictum fuerat, sed pro tunc non pronunciatum, videlicet: Quod licuit, &c. ut in præcedenti sessione dictũ fuit; Et quod subtractio obedientiæ ex nunc in antea curreret; & quod processus contra hoc facti non tenerent, &c. ut ibi dictum est. Et ulterius in eadem sententia pronunciatum fuit & declaratum, quod domini cardinales, & alii prælati, producti in testimonium in hac causa, poterunt esse conjudices, ac etiam testes. Tenor autem hujus cedulæ est infra scriptus.

Item, in eadem synodo commissio alias data examinatoribus testium fuit continuata ad diem Mercurii proximam, quæ erit dies vigesima secunda Maii: quæ dies etiam fuit pro proxima sessione assignata. Et fuit data autoritate concilii potestas dictis examinatoribus addendi articulos alios novos, vel declarandi jam datos, &c. prout videntur expedire pro causa. Tenor autem dictæ pronunciationis factæ in prædicta sessione sequitur, & est talis.

Sancta & universalis synodus hic in Christi nomine congregata, declarat, pronunciat, & decernit, ex justis & rationabilibus causis a Petro de Luna, qui Benedictus decimus tertius, & Angelo Corario, qui Gregorius XII. dicebantur, improbe contendentes de papatu, & ab ipsorum cujuslibet obediẽtia licuisse recedere libere & impune: videlicet a præfato Benedicto, ex eo tẽpore quo viam cessionis per eũ juratam solemniter, realiter prosequi, & eandẽ effectualiter adimplere, damnabiliter omisit; & a præfato Gregorio, ex

ex eo tempore quo viam cessionis per eum juratam & solemni voto firmatam & promissam, realiter prosequi, & effectualiter adimplere, damnabiliter prætermisit.

Insuper eadem sancta synodus ex causis, quibus supra, pronunciat, statuit, ordinat, & decernit, præfatis contendentibus de papatu, & ipsorum cuilibet, qui canonice requisiti vocatique in præsenti causa schismatis & fidei, fuerant declarati legitime contumaces, fore a cunctis Christi fidelibus omnimodam obedientiam subtrahendam, & ex nunc in antea ab omnibus pro subtracta haberi, & ita observandum decernit, pronunciat, atque mandat.

Processus autem & sententias, condemnationes, privationes, inhabilitationes, & censuras quascumque, per ipsos contendentes, aut ipsorum alterum, in præjudicium unionis ecclesiæ, aut prosecutionis ejusdem contra subtractos, aut in posterum subtrahentes, factos, aut in posterum fiendos, hæc sancta synodus decernit & declarat cassos existere, & nullius esse roboris vel momenti : & eosdem cassat & annulat, quatenus de facto processerunt, aut in futurum procederent.

Item, eadem sancta synodus in favorem fidei, & pro schismatis extirpatione, ac lacerata ecclesia unienda & pacificanda, decernit, pronunciat, & declarat, omnes cujuscumque status, etiamsi cardinalatus præfulgeant dignitate, qui in causa præsenti sunt, & esse possunt judices seu conjudices in concilio, etiam esse posse legitimos testes, eorumque tam sententiis quam testimoniis, fidem esse indubiam adhibendam.

Item, cum propter diversitatem & prolixitatem articulorum, in præsenti causa productorum, posset testium examinatio dispendiose protelari : propterea sancta synodus decernit, pronunciat, & declarat, quod domini commissarii, seu examinatores, ad hoc per sanctam synodum deputati, possunt dictos articulos declarare, specificare, & in eis addere, detrahere, mutare, ac etiam novos articulos de novo recipere, & super eis testes examinare, interrogatoria facere, prout utilitati & accelerationi causæ viderint expedire, & mittere etiam extra locum concilii, maxime Florentiam, ad recipiendum & examinandum alios testes. Et ex prædictis causa cognita & deliberata, dat, statuit, & decernit, tertiam dilationem ad probandum, & testes producendum, & ad ulteriora procedendum, prout eidem sanctæ synodo videbitur expedire, diem Mercurii proximam, quæ erit vigesima secunda hujus mensis ; ad quam diem statuit & ordinat proximam sessionem.

SESSIO X.

Decima sessio fuit die Mercurii vigesima secunda Maii. Et primo post Missam & litanias fuit petitum, quod Benedictus & Gregorius de papatu contendentes, quibus alias data fuerat dilatio ad audiendum jurare testes, & dicendum contra eos si quid dicere vellent, nunc antequam fieret publicatio, vocarentur ad valuas: & si non comparerēt, decernerentur quoad hoc contumaces, & in eorum contumaciam ulterius procederetur ad publicationem testium, &c. Et ita fuit factum. Postea illico decretum fuit, publicationem esse faciendam : & illico fuit incepta per hunc modum, quod unus de notariis legebat articulos, & unus de examinatoribus, scilicet archiepiscopus Pisanus ad hoc deputatus, lecto articulo dicebat, contenta in hoc articulo probantur notoria per tot testes, nominando in genere eorum dignitates, sed non personas : & quia illa die non potuit perfici istud, iste actus continuatus fuit ad diem sequentem, quæ pro alia sessione fuit assignata.

SESSIO XI.

Undecima sessio fuit die Iovis tertia Maii ; in qua post Missam & litanias continuatus fuit actus hesterna die inchoatus: & post articulorum lecturam completam, secundum formam alia die inchoatam, petitum fuit & requisitum, quod per concilium decerneretur publicationem testium esse factam, & esse ulterius procedendum in causa, prout concilio videretur ; super quo si placeret, daretur dilatio ad diem Sabbati proximam ad respondendum super istis, & deliberandum tempore medio, quid dicendum. Et ita fuit accordatum, & ad aliam diem Sabbati, quæ erit dies vigesimaquinta hujus mensis Maii, fuit sessio assignata. Et ulterius illico fuit requisitum, quod de novo ad valuas ecclesiæ illa dies assignaretur duobus de papatu contendentibus, ad audiendum ordinationem concilii de modo ulterius procedendi, & audiendum decerni publicationem testium debite esse factam, & debere haberi pro facta, nisi dicant, vel aliquis pro ipsis causam quare, &c. Et ita in omnibus fuit accordatum.

SESSIO XII.

Duodecima sessio fuit die sabbati vigesima quinta Maii, quæ fuit vigilia Pentecostes, & post Missam & litanias fuit requisitum per advocatum, quod dicti duo contendentes ad valuas vocarentur : & ita fuit factum per duos cardinales more solito. Et quia non comparuerunt, nec aliquis pro eis, fuerunt reputati contumaces, & in eorum contumaciam dictum fuit publicationem testium haberi pro facta, & ulterius procedendum. Et illico fuit per os domini patriarchæ Alexandriæ pronunciatum autoritate concilii, videlicet quod attenta notorietate eorum de quibus agitur, visis attestationibus, receptis & publicatis, crimina & excessus & alia necessaria ad decisionem causæ fuerunt & sunt notoria, & pro talibus reputabat, decernens ulterius tanquam super notorio esse procedendum. Postea fuit petitum & requisitum ex abundanti, quod adhuc prorogaretur potestas alias data commissariis ad examinandum testes, de qua supra, usque ad tempus latæ sententiæ ad finem : quod si aliquæ litteræ producerentur, quæ facerent ad causam, vel si fierent a huc alii novi articuli super illis, testes possent recipi : & ita fuit accordatum.

Item etiam petitum fuit & accordatum, quod pro bono causæ si cardinalibus videretur esse mittendum ad D. Lucanum & ad Senenses, pro aliquibus quæ ad hanc causam essent expedientia, ipsi cardinales ad hoc fine alia congregatione possent nomine concilii ibidem mittere, & ad hoc eligere personas sicut voluerint.

Item ad procedendum ulterius fuit dies & sessio assignata ad diem Mercurii post festum Pentecostes, quæ erit vigesima nona Maii, videlicet ad deliberandum de die assignanda dictis contendentibus ad audiendam sententiam diffinitivam, & de citando eos ad illam diem ad sententiam audiendam. Tenor vero pronunciationis factæ, de qua in hac præcedenti sessione fit mentio, talis est.

Sancta synodus attenta eorum de quibus agitur notorietate, de qua per factorum evidentiam, depositionem testium, & alia documenta legitime constat, habita super his deliberatione matura pronunciat & decla-

Anno Christi 1409.

declarat, delicta, crimina & excessus, & alia ad decisionem necessaria, in petitione præsentis causæ deducta contra dictos Benedictum & Gregorium de papatu contendentes, per promotores seu procuratores per hanc sanctam synodum deputatos, fuisse & esse notoria, & tanquam super notoriis fuisse & esse ad ulteriora procedendum, & tanquam in causa in qua imminet scandalum, & periculum notorium est in mora.

SESSIO XIII.

Tertiadecima sessio fuit die Mercurii vigesima nona Maii, quæ fuit in septimana Pentecostes; in qua post Missam & litanias, magister Petrus Plaoul pro universitate Parisiensi dixit, & declaravit, opinionem universitatis esse, istos duos contendentes debere reputari schismaticos, & antiquati schismatis nutritores, & hæreticos pertinaces, firmans autoritatem concilii ad decidendam hanc causam, & declarandum eos esse ab ecclesia præcisos, & abjectos, & eos quantum opus est abjiciendos & ejiciendos, &c. sumens thema suum: *Congregabuntur filii Iudæ & Ierusalem, & ponent sibi caput unum, &c* Postea immediate unus episcopus Italicus, dictus Novariensis, legit quandam cedulam facientem mentionem, qualiter secundum ordinationem dominorum cardinalium, per dominum cardinalem Mediolanensem fuerunt simul congregati omnes magistri in theologia, & licentiati, ac baccalaurei formati, qui ad dictum concilium de multis partibus & universitatibus convenerant, & inter eos fuerat habita plena deliberatio super ista materia, & postea in eandem opinionem convenerant, & concordes fuerant; videlicet quod dictos ambos contendentes schismaticos tenent, & hæreticos, pertinaces, &c. ut supra, & omnium & singulorum nomina recitavit, quorum multi sunt episcopi & prælati, & faciebant omnes numerum centum & trium.

Ozee 1. c.

Item postea dixit, quod in eadem opinione fuit universitas Florentina, in qua fuerunt centum & viginti magistri subscripti. Idem etiam deliberavit universitas Bononiensis, quæ de hoc misit litteras: Idem universitates sive studia Aurelianensis, & Andegavensis, & Tolosana per suos ambassiatores præsentes ibidem.

Postea advocatus petiit, quod ad procedendum ulterius in hac causa, assignaretur dies Mercurii proxima peremptorie istis contendentibus, ad audiendum sententiam diffinitivam in hac causa; & quod de hoc cedula affigeretur in valvis ecclesiæ, quod ad hoc agendum assignaretur sessio ad diem Mercurii, quæ erit dies quinta mensis Iunii.

Ulterius dixit, quod si placeret tempore medio, scilicet die sabbati proxima, fieret una sessio, in qua fieret relatio de testibus quibusdam examinatis post relationem alias factam, qui scilicet fuerunt examinati super quibusdam novis articulis de novo additis & traditis, & etiam super antiquis juxta ordinationem alias in proxime præcedenti sessione factam; & ad faciendum etiam, si sit opus, pleniorem relationem quam alias facta fuit super examinatione testium alias receptorum, ad serenandum conscientias aliquorum, si visum fuerit expedire. Et ita fuit per concilium accordatum: & sessiones istas ordinavit, scilicet unam ad diem sabbati, quæ erit prima dies Iunii; & aliam ad diem Mercurii sequentem, quæ erit quinta dies Iunii.

SESSIO XIV.

Quartadecima sessio fuit die sabbati prima die Iunii, in qua post Missam & litanias, examinatores sive commissarii, ad examinandum testes alias dati, fecerunt per os D. archiepiscopi Pisani, unius ex eis, recitari numerum testium, qui de veritate contentorum in articulis deponebant, designando eorum dignitates & titulos, non propria nomina, recitando summarie effectum articuli non ad longum, & postea subjungendo: Iste articulus probatur per tot testes de veritate, quorũ testium tot sunt cardinales, tot talis status, &c. sicut in simili super notorietate fuit factum in decima & undecima sessione, quando testes fuerunt recitati, qui de notorio deponebant. Et fuit hoc factum ad pacificandum aliquos qui volebant scire, si per testes probarentur esse vera illa, quæ dictis contendentibus opponebantur: quia interdum dicuntur aliqua notoria, quæ tamen non probantur esse vera. Et hoc facto subjunxit dictus archiepiscopus, quod si aliquis vellet videre depositionem testium, ut magis probaret veritatem illorum quæ dicebantur, reperiret die Lunæ & Martis proxima apud Carmelitas, qui dictas depositiones ostenderet cuicumque videre volenti, sed non expediebat aliter publicare.

SESSIO XV.

Quinta decima sessio fuerat ordinata ad audiendum jus ad diem Mercurii quinta die Iunii, quæ fuit vigilia Sacramenti, & illa die fuit hujusmodi sessio. Et prius per advocatum, nomine procuratorum & promotorum in hac causa, fuit requisitum, quod ad valvas ecclesiæ vocarentur duo contendentes, qui ad hanc diem vocati fuerant & citati, prout ex relatione, & per instrumentum apparet: & sic fuit factum per duos cardinales more solito, nullusque comparuit. Postea dictus advocatus requisivit contumaciam contra eos, & quod ulterius procederetur ad sententiam proferendam, sicut alias fuerat adhoc dies hæc assignata: fuit responsum, placet. Postea surrexit patriarcha Alexandriæ, qui de consensu synodi sibi dato protulit nomine totius synodi sententiam diffinitivam, per quam declaratur ac diffinitur, quod objecta contra dictos contendentes sunt & fuerunt notoria; & quod ex his sunt schismatici, & antiquati schismatis nutritores & fautores; quod etiam sunt hæretici, & a fide devii, & ex hoc ab ecclesia præcisi, & adeo ne præsint dejecti & abjecti, & sic declarat dicta synodus; & nihilo minus eos privat & dejicit ab omni honore & dignitate etiam papali. Et ultra hoc decernit, processus per eos factos, aut eorum alterum, contra aliquos cardinales, sententias, censuras, aut privationes, esse irritas & inanes, eaque cassat ad cautelam & irritat. Et ulterius decernit sancta synodus, promotiones seu ordinationes, immo profanationes cardinalium, per dictos contendentes, & eorum utrumque factas, videlicet per Petrum de Luna a die xv. Iunii, & per Angelum Corario a die tertia Maii, anni millesimi quadringentesimi octavi, esse irritas & inanes; & quantum opus est, cassat & irritat, &c. prout in forma quæ est hic infra scripta continetur. De quibus omnibus promotores petierunt instrumentum.

Postea etiam ex parte concilii fuit lecta una cedula, per quam concilium ordinat, quod ordo sedendi in isto concilio tentus & habitus, per quoscumque sit, non possit cuiquam facere præjudicium, nec etiam commodum, aut prærogativam afferre, &c. sicut fuerat etiam factum in nona sessione.

Postea etiam dixit dictus patriarcha Alexandriæ, quod a multis petebatur ordinari & decidi, quid di-

ANNO CHRISTI 1409.

cendum aut tenendum esset de promotionibus factis per istos contendentes, quoad alias dignitates quam cardinalatus; & similiter de processibus per eos factis contra alios, quam contra cardinales, de quibus omnibus in forma sententiæ nulla facta est mentio: super quo, si placeret, ordinaretur una sessio ad diem Lunæ proximam, quæ erit die decima Iunii, in qua decerneretur super istis, & interim deliberaretur plenius super hoc quid dicendum: & sic fuit ab omnibus accordatum, & ad dictam diem fuit propter hoc sessio ordinata. Fuit etiam petitum, quod in sententia prædicta diffinitiva omnes se deberent subscribere, quando esset posita in forma; & sic fuit accordatum, & etiam postea factum. Et illico etiam prohibitum fuit omnibus, ne de villa decederent, quousque prædicta omnia essent completa. Et his factis & dictis statim cœperunt clerici qui litanias dixerant, cantare, *Te Deum*, alta voce, & hymno perfecto omnes recesserunt de ecclesia. Tenor autem pronunciationis sententiæ diffinitivæ contra prædictos contendentes sequitur, & est talis.

Extat in actis supra editis. Sed cum discrepent ab iis multæ hujus codicis lectiones, iterum hic edenda fuit.

Christi nomine invocato, sancta & universalis synodus universalem ecclesiam repræsentans, & ad quam cognitio & decisio hujus causæ noscitur pertinere, Spiritus sancti gratia in hac majori ecclesia Pisana congregata, ibique pro tribunali sedens, visis & diligenter inspectis omnibus & singulis productis, probatis & agitatis in præsenti causa unionis ecclesiæ, fidei, & schismatis contra Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum de Corario, Gregorium duodecimum olim nuncupatos, quæ in præsenti processu hujus causæ plenius continentur, ac quibuscumque aliis ipsam sanctam synodum ad infra scriptam diffinitionem moventibus & inducentibus, habita prius inter seipsos, & demum cum copiosa multitudine magistrorum in sacra theologia, ac utriusque juris doctorum, pluries & pluries diligenti collatione, & tandem deliberatione matura, omnesque pariter in hanc sententiam reperiens unanimiter concordare omni modo, via & jure, quibus magis & melius potest in prædictorum contendentium, seu verius colludentium de papatu, & cujusque eorum contumaciam: in his scriptis pronunciat, decernit, deffinit & declarat omnia & singula crimina, excessus, & alia cuncta necessaria ad infra scriptam decisionem præsentis causæ deducta per providos viros magistros Henricum de Monteleone, Ioannem Descrivanis, & Bertholdum de VVildunqhen * promotores, instigatores & solicitatores, seu procuratores deputatos ad prosequendum præsentem causam, pro hujus detestandi & inveterati schismatis extirpatione, & unione atque redintegratione sanctæ matris ecclesiæ, contra & adversus prælibatos Petrum de Luna, Benedictum decimum tertium, & Angelum Corario, Gregorium duodecimum (de papatu damnabiliter contendentes) ab aliquibus nuncupatos, in petitione coram ipsa sacra & universali synodo præsentata & exhibita, fuisse vera & esse, atque notoria, ipsosque Angelum Corario, & Petrum de Luna de papatu, ut præfertur, contendentes, & eorum utrumque fuisse & esse notorios schismaticos, & antiqui schismatis nutritores, defensores, fautores, approbatores, manutentores, pertinaces, necnon notorios hæreticos, & a fide devios, notoriisque criminibus enormibus perjurii & violationis voti irretitos, universalem ecclesiam sanctam Dei notorie scandalizantes, cum incorrigibilitate, contumacia & pertinacia notoriis evidentibus & manifestis. Et ex his & aliis se reddidisse omni honore & dignitate, etiam papali indignos, ipsosque & eorum utrumque propter præmissas iniquitates,

* VVilding & Voiederghen

A crimina & excessus ne regnent, vel imperent, aut præsint, a Deo & sacris canonibus fore ipso facto abjectos & privatos, ac etiam ab ecclesia præcisos, & nihilo minus Petrum & Angelum, & eorum utrumque, per hanc sententiam diffinitivam in his scriptis privat, abjicit & præcidit; inhibendo eisdem ne eorum aliquis pro summo pontifice gerere se præsumat, ecclesiamque vacare Romanam ad cautelam insuper decernendo.

Et insuper omnes & quoscumque Christicolas, etiam si imperiali, regali, vel alia qualibet præfulgeant dignitate, declarat ab eorum & cujuslibet eorum obedientia, non obstante quocumque fidelitatis juramento, aut alio quocumque vinculo, quo B illis vel eorum alteri tenerentur astricti, fore perpetuo absolutos, inhibendo eisdem Christi fidelibus ne prædictis de papatu contendentibus, seu eorum alteri quomodolibet obediant, pareant, vel intendant, aut consilium, auxilium, vel favorem ipsis præstent, aut eos recipiant, vel receptent, sub pœnis excommunicationis, & aliis a sanctis patribus & sacris canonibus inflictis, promulgatis & ordinatis. Quodque si parere contempserint huic ordinationi & sententiæ, ipsos & eorum fautores, defensores, adhærentes & sequaces, etiam per sæculares potestates fore compescendos, & compesci debere juxta præcepta Divina & sacrorum canonum dispositiones, eadem sancta C synodus pronunciat & diffinit.

Ac insuper omnes & singulos processus, & sententias excommunicationis, inhabilitationis, vel alterius censuræ & pœnæ, privationes quoque ordinum & dignitatum, etiam cardinalatus, beneficiorum & officiorum, ac graduum quorumcumque, qualiacumque sint, & quomodocumque nuncupentur, seu nominentur, contra dominos card. per dictos Petrum de Luna & Angelum Corario factos, actos & fulminatos, fuisse & esse nullos, cassos & irritos, nullas, cassas & irritas, ac nullius roboris, efficaciæ vel momenti, & quatenus de facto processerunt, eatenus annullandos, cassandos & irritandos, annullandas, cassandas & irritandas; sicque & etiam ad cautelam quate- D nus expediat omni modo & jure quo melius potest annullat, cassat & irritat.

Et insuper promotiones, immo verius profanationes quorumcumque ad cardinalatum per dictos contendentes de papatu & eorum utrumque attentatas, videlicet per dictum Angelum a die tertia Maii, & per Petrum ante dictum, a die xv. Iunii anni proximi præteriti millesimi quadringentesimi octavi, fuisse & esse nullas, cassas, irritas & inanes, & quatenus de facto processerunt, de facto annullandas, cassandas & irritandas, & sic etiam ad cautelam quatenus expediat omni modo & jure quibus melius potest, præfata sancta synodus per hanc sententiam diffinitivam cassat, irritat & annullat.

E Ad providendum autem adversus processus, constitutiones, & sententias in præjudicium unionis, & alias per Petrum de Luna & Angelum Corario olim contendentes de papatu seu colludentes præfatos, factas & latas contra reges & principes, patriarchas quoque, archiepiscopos, episcopos, ac alios ecclesiæ prælatos, universitates studiorum, communitates, ac singulares personas ecclesiasticas & sæculares, & circa promotiones olim per ipsos contendentes factas ad dignitates quascumque; & ulterius ad procedendum super aliis bonum universalis ecclesiæ tangentibus, sancta synodus statuit diem Lunæ proximam pro sessione futura, quæ erit decima mensis præsentis Iunii.

SESSIO

ANNO CHRISTI 1409

SESSIO XVI.

Sextadecima sessio fuit die Lunæ decima Iunii, sicut fuerat in proxima sessione ordinatum. Et ibi fuit dominus cardinalis de Chalento, qui Petrum de Luna dimiserat & ab eo recesserat, & ad concilium venerat. Et in ista sessione primo fuit per os domini archiepiscopi Pisani lecta una cedula, in qua omnes & singuli cardinales erant subscripti, continens in effectum formam cujusdam promissionis, quam fecerunt omnes prædicti & singuli cardinales ad satisfaciendū multis, qui requirebant & petebant, quod reformarētur usurpationes quæ erant in ecclesiā introductæ in præjudicium libertatis ecclesiasticæ, &c. per quam cedulam omnes & singuli prædicti cardinales promittunt, videlicet quilibet eorum, si eum contingat ad papatū assumi, quod intendet reformationi ecclesiæ tam in capite, quam in membris; & si eum contingat assumi ad papatum, erga eum instabunt & procurabunt fideliter & bona fide, quod circa dictam reformationem intendat, nec permittat, quantum in eo erit, quod hoc concilium dissolvatur, quousque super hoc provisum extiterit. Et ideo placet eis quod adhuc concilium continuetur, &c. ut in forma cedulæ, cujus tenor est infra.

Postea venit advocatus per concilium alias deputatus, qui petiit & requisivit, quod cum alias in proxima præcedente sessione fuerit sententia lata diffinitiva contra duos contendentes, &c. & parum esset, si non demandaretur executioni, quod placeret dare & ordinare commissarios ad publicandum dictam sententiam, & executioni demandandum ubique, vel in diversis mundi partibus ubi oportebit: ad quos nominandos, si placet, ordinet concilium, quod collegium dominorum cardinalium eos tales, sicut voluerit, ad hoc idoneos possit & valeat nominare. Et ita fuit accordatum.

Item petiit & requisivit, quod cum Angelus Corario olim ab aliquibus nominatus Gregorius XII. sedem suam nitatur tenere in patriarchatu Aquileiensi, & populum illius patriæ ad se allicere, ac ab obedientia D. patriarchæ Aquileiensis faventis huic concilio retrahere, placeat huic concilio mandare dominis illius patriæ, ac vassallis ecclesiæ, quod dicto patriarchæ Aquileiensi pareant & intendant, & dicto Angelo seu Gregorio nullatenus obediant, &c. Et ita fuit ab omnibus accordatum.

Postea fuit dictum & publicatum, quod si placeret, continuaretur hoc concilium, & alia sessio ordinaretur, ad providendum & ordinandum circa illa de quibus in proxima sessione dictum fuerat, videlicet de promotionibus & processibus, &c. & generaliter ad providendum circa illa quæ agenda restant, ad quod, si placeret, ordinaretur sessio ad diem Iovis proximam, quæ erit decimatertia Iunii. Et ita fuit accordatum. Tenor autem cedulæ continens juramentum dominorum cardinalium, de qua supra, sequitur, & est talis.

Nos omnes & singuli episcopi, presbyteri & diaconi, cardinales, congregati in civitate Pisana pro schismatis extirpatione, unitate & bono statu in Dei ecclesia reducendis, promittimus in verbo veritatis Deo, sanctæ Romanæ ecclesiæ, & sanctæ synodo hic in Christi nomine congregatæ, quod si quis nostrum in summum Romanum pontificem eligetur, præsens concilium continuabit, nec dissolvet aut dissolvi permittet, quantum in eo erit, usquequo per ipsum, cum consilio ejusdem concilii, sit facta debita, rationabilis, & sufficiens reformatio universalis ecclesiæ & status ejus, tam in capite quam in membris. Promittimus etiam, quod si aliquem de dominis cardinalibus absentibus, vel extra nostrum collegium, assumi contingat in papam, pure, veraciter & bona fide, antequam procedamus ad publicationem electionis illius, procurabimus toto posse habere ab eo promissionem, ac sufficientem securitatem, quod servabit & adimplebit omnia, & singula supradicta: & interim lata sententia contra contendentes de papatu, super eorum dejectione sumus contenti, & ratum habemus, quod sede vacante continuetur concilium, & quod in eo, quantum commode fieri poterit, in dicta reformatione procedatur; & quod super hoc in proxima sessione alia sessio indicatur.

SESSIO XVII.

Septimadecima sessio fuit die Iovis decimatertia Iunii anno prædicto, in qua post Missam & litanias venit capitaneus, & potestas, ac vicarius villæ Pisanæ. Et tunc advocatus ascendit pulpitum, & dixit alta voce, quod quia instabat tempus intrandi conclave ad eligendum papam, & juxta constitutionem Gregorii decimi, quæ incipit, *Ubi majus*, quæ est de elect. lib. VI. domini temporales loci ubi est papa eligendus, debent facere certa juramenta, ut in prima constitutione continetur: ideo ad hoc veniebant prædicti officiarii, qui pro parte dominorum Florentinorum, qui habent dominium civitatis Pisanæ, parati erant facere dicta juramenta, & fecerunt. Postea subjunxit, quod etiam secundum tenorem dictæ constitutionis sunt preces ad Deum porrigendæ pro habendo papam, &c. Ideo si placeret, in crastino fieret processio generalis de ecclesia sancti Martini usque ad ecclesiam cathedralem: & ita fuit accordatum. Postea domini patriarchæ, Alexandrinus, Ierosolymitanus, & alius de Bohemia, dictus Antiochenus, ascenderunt pulpitum: & ibi legit patriarcha Alexandrinus cedulam continentem qualiter synodus ordinabat, quod pro hac vice ambo collegia cardinalium procederent ad electionem papæ, non obstante quod aliqui eorum sunt promoti in una obedientia, alii in alia, seu ab alio papa; & quod potest esse dubium qui sint cardinales vel non. Per hoc tamen, ut dicit cedula, non intendit synodus sive concilium aliquid de novo ordinare vel immutare circa modum & potestatem eligendi papam, quæ spectat ad dominos cardinales. Cujus quidem cedulæ tenor infra scribitur.

Item, legit aliam cedulam continentem in effectum, quod concilium ordinat, processus & sententias, inhabilitationes, privationes, immo etiam constitutiones papales, per istos contendentes, contra quascumque personas cujuscumque status, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, universitates, collegia, reges, principes, &c. videlicet per Angelum Corario dictum Gregorium duodecimum, a die tertia Maii, anni domini millesimi quadringentesimi octavi, & a Petro de Luna, quicumque fuerit, factos seu factas in præjudicium unionis ecclesiæ, esse nullos, sive nullas, & tales processus sive sententias annullat & cassat, &c. ut in forma cedulæ quæ hic infra scribitur.

Item etiam continebat hæc cedula, quod concilium ordinabat non esse standum de cætero aliquibus bullis vel litteris, quæ ab aliquo dictorum duorum contendentium dicantur emanasse, quæ illis quibus dirigebantur alias prius non fuerint præsentatæ, vel aliis ostensæ, sic quod sufficienter tollatur suspicio, quod dictæ litteræ sub antidata, vel alias in fraudem, factæ fuerint, nisi isto concilio sedente, exhibeātur & ostendantur in dicto concilio per illos qui eas habent, &c. ut

ut in forma cedulæ, cujus tenor infra scribitur :

Item postea in dicta sessione supervenerunt ambassiatores regis Arragoniæ, scilicet tres milites & unus doctor, & supplicaverunt pro audientia: quæ fuit accordata, dum tamen nihil scandalorum dicerent in præjudicium seu diffamationem hujus concilii generalis, &c. & in effectum proposuit ille doctor, quod rex Arragonum audiverat hanc congregationem esse factam pro facto ecclesiæ seu unionis; ideo ipse affectans bonum unionis recommendat hanc congregationi factum hujusmodi. Secundo dixit, quod rex Arragoniæ non vellet pro aliquo interesse particulari dare impedimentum unioni ecclesiæ sive pro favore Petri de Luna sive pro quocumque alio. Tertio quod Petrus de Luna, una cum concilio quod tenuerat apud Perpinianum, ordinaverat aliqua, quæ ad factum unionis habendæ possunt, ut creditur, proficere, super quo miserat ambassiatores suos, qui illa habent dicere : ideo ex parte regis Arragoniæ supplicabat quod ipsi super istis audirentur, supplicans quod in hoc facto nihil innovaretur vel fieret de novo, quousque fuissent auditi. Quarto subjunxit, quod dictus rex non fuerat aliqualiter informatus de illis quæ in hoc concilio facta erant: ideo de præsenti illa non poterat approbare, sed paratus erat informationes recipere, & per Dei gratiam taliter in facto ecclesiæ semper faceret, quod omnes deberent contentari, nec ab aliquo posset reprehendi : de hoc tamen petiit instrumentum.

Postea hoc facto, dictum fuit singulis prælatis, qualiter domini cardinales consulebant debere responderi istis ambassiatoribus per hunc modum: videlicet quod concilium primo regratiaretur regi Arragonum de affectione quam habet ad bonum unionis. Secundo quod darentur libenter aliqui deputati notabiles, qui per cardinales possent nominari & deputari: & isti eos informarent ad plenum de actis in hoc concilio, ut etiam ipsi de his possent regem suum informare: & sperabatur quod de omnibus manerent bene contenti. Tertio quod placebat concilio audire illos nuncios Petri de Luna, dum tamen docerent de littera vel mandato; & ad hoc etiam aliqui ex parte concilii deputarentur qui eos audirent, cum alias fieri non poterat bono modo, sedente concilio, quia hora erat tarda, & ista erat ultima sessio ante introitum conclavis; ideo aliter fieri non poterat, quod daret concilium potestatem cardinalibus eos nominandi. Et ab omnibus fuit responsum, quod placeret ita responderi. Postea ergo advocatus ascendit pulpitum, & dictam responsionem dedit ex parte concilii dictis ambassiatoribus regis Arragonum ibidem præsentibus: & sic recessimus illa die.

Tenor autem primæ cedulæ, de qua in ista sessione fit mentio, sequitur & est talis.

Quia hoc pestiferi schismatis tempore, domini „ cardinales in hoc sacro concilio existentes, quidam „ fuerunt a diversis olim contendentibus de papatu „ creati, & nunc Deo dirigente procedendum est ad „ electionem unici & indubitati papæ : hoc sacrum „ concilium universalem ecclesiam repræsentans, vult, „ cõsentit, disponit & ordinat, quod ipsi a diversis creati „ ad electionẽ prædictam procedãt, si & in quantũ opus „ est, hac vice autoritate hujus concilii : nec per hoc „ potestati dominorum cardinalium circa electionem „ Romani pontificis intendit in aliquo derogare, vel „ aliquid innovare. Hortatur tamen prædictos cardi„ nales, quod ipsi cum caritate ad electionem unius pa„ storis procedant, sic unanimiter, quod de quacum„ que discordiæ scintilla notari non debeant.

A

Secunda cedula.

Omnes & singulos processus, sententias excommunicationis, suspensionis, interdicti, maledictionis, seu alterius cujuscumque censuræ, pœnæ; constitutiones papales, inhabilitationes, privationes ordinum, dignitatum, beneficiorum, officiorum & graduum quorumcumque, tam ecclesiasticorum quam sæcularium, contra prosequentes unionem sanctæ matris ecclesiæ, videlicet tam contra principes, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, & alios viros ecclesiasticos, cujuscumque ordinis vel status existant, quam contra singulares personas, cujuscumque conditionis, ordinis, vel status existant, etiam si imperiali, vel regali, vel alia præmineant potestate; necnon relaxationes, absolutiones juramentorum, fidelitatis, confœderationis, & homagiorum, ac etiam contra civitates, universitates studiorum, collegia ecclesiastica vel sæcularia, communitates villarum, castrorum, terrarum, seu districtuum, ac singulares personas, per Petrum de Luna a quocumque tempore, & per Angelum Corario a die iij. Maii, anni Domini millesimi quadringentesimi octavi, de papatu olim contendentes, immo verius colludentes, factas & illatas, & de ipsorum, seu alterius eorum mandato: hæc sancta synodus decernit, declaratque, nullos seu nullas fuisse & esse, & quatenus de facto processerunt, cassat & annullat, vultque esse nullius roboris vel momenti, & pro infectis haberi.

B

C

Item, si aliquæ bullæ, seu litteræ, sub eorum seu alterius eorum titulis, seu nominibus, expeditæ reperiantur, seu exhibeantur a dictis diebus; videlicet a dicto Petro de Luna a quocumque tempore, & per Angelum Corario a die tertia Maii vel ante, contra prosequentes unionem supradictam: si illæ non sunt ante dictos dies præsentatæ, vel exhibitæ sub testimonio sufficienti, capitulis vel ecclesiis, seu prælatis, aut aliis quibus diriguntur, seu scribuntur, consimili modo sint nullæ, & nullius roboris vel momenti, & pro infectis habeantur.

D

Die Veneris decimaquarta Iunii, quæ erat crastinum præcedentis sessionis, sicut in eadem sessione fuerat deliberatum, facta fuit processio generalis omnium prælatorum revestitorum, ab ecclesia S. Martini usque ad ecclesiam cathedralem, cum cantu litaniarum & antiphonarum. Et in dicta ecclesia cathedrali fuit celebrata Missa solemnis de sancto Spiritu per unum dominum cardinalem.

Eadem autem die post prandium venerunt nuncii Petri de Luna apud sanctum Martinum, & intraverunt locum ubi erant aliqui domini cardinales ordinati ad audiendum eos: & cum difficultate intraverunt propter assistentiam populi & servitorum ac famulorum, qui deridendo contra eos proclamabant & sibilabant. Ibi tamen postquam ingressi fuerunt, ostio clauso fuit eis denunciata & intimata sententia lata contra dictos contendentes de papatu, de qua supra in quintadecima sessione.

E

Item etiam capitaneus villæ Pisarum erat ibidem, qui intimavit eis quod jam fecerant juramenta de custodiendo conclave, & de multis aliis juxta formam c. *ubi majus*, de elect. l. VI. inter quæ erant tria capitula, quæ principaliter concernebant; quod non permitteret dictus capitaneus quod aliquid fieret in præjudicium, scandalum, vel vituperium, seu impedimentum procedendi ad electionem unius papæ. Et ista tria capitula dictis nunciis intimavit explicite, eis denuncians quod quidquid facerent, aut dicerent, tamen caverent sibi, quod contra ista nulla-

tenus

ANNO CHRISTI 1409

tenus attentarent. Ipsi autem dixerunt quod volebant habere copiam dictorum capitulorum, & super hoc deliberare antequam aliquid proponerent; & hanc copiam habuerunt, & sic pro tunc recesserunt. Et die sequenti, licentia non petita abierunt, & sic nihil proposuerunt, videntes esse dispositionem negotiorum ad aliud, quam illud quod forsitan prætendere aut dicere volebant pro dicto Petro de Luna.

Die autem sabbati immediate sequente, quæ fuit dies quintadecima Iunii, omnes cardinales de sero intraverunt conclave, quod fuerat præparatum in domo archiepiscopali civitatis Pisanæ, & ad electionem papæ processerunt, videlicet die Mercurii, quæ fuit dies vigesima sexta Iunii, & elegerunt dominum " cardinalem Mediolanensem, ordinis fratrum Minorum, qui vocatus est Alexander quintus.

al. Petrum e Candia.

SESSIO XVIII.

Octavadecima sessio fuit postquam dictus dominus Alexander papa electus erat: ipso ibidem præsidente die Lunæ prima Iulii, in qua post Missam & litanias, per dominum cardinalem de Chalento fuit lecta & publicata una cedula, omnium & singulorum cardinalium manibus subscripta, per quam publicabant omnibus & nunciabant se elegisse in papam concorditer dominum cardinalem Mediolanensem, & in eum consensisse, & ideo se in dicta cedula omnes subscripsisse.

Die autem Dominica immediate sequente, quæ fuit dies septima Iulii, dictus dominus papa Alexander fuit coronatus in ecclesia cathedrali, ubi fuit celebrata Missa solemnis. Et illa die fuerunt multa solemnia, ut puta de stupis combustis, dicendo, *Sic transit gloria mundi*: de epistola & evangelio in Missa Græce, Hebraice, & Latine: de impositione tiaræ, cum qua papa revestitus equitat per villam, & omnes prælati revestiti cum equis de panno albo copertis: de lege Iudæorum, quæ papæ per Iudæos præsentatur: & de similibus. Quæ omnia fuerunt debite & solemniter expedita.

SESSIO XIX.

Nonadecima sessio fuit die Mercurii decima Iulii, in qua post Missam & litanias consuetas, unus ex parte Florentinorum ascendens pulpitum proposuit, offerendo obedientiam papæ, laudando electionem ejus, &c. & ad idem statim etiam idem dixit unus ex parte communitatis Senensis. Hoc facto cardinalis de Chalento legit per cedulam quomodo papa revocabat omnes processus & sententias, ac censuras latas durante schismate per aliquem contendentium de papatu, decernens nullum de cætero debere reputari ligatum dictis sententiis, & ad cautelam omnes absolvit, &c.

Item legit unum alium articulum, per quem papa approbat & ratificat ex certa scientia, sacro concilio approbante, omnes dispensationes super matrimoniis, & super etiam casibus concernentibus conscientiam, aut forum pœnitentiale, factas per aliquem dictorum contendentium, quoad sibi obedientes, etiam in partibus neutralibus aut subtractis. Et de istis lectis tenor sive copia scribitur infra.

Et postea idem dominus cardinalis dixit, quod quia papa habebat intentionem laborandi ad reformationem ecclesiæ in capite & in membris, sicut alias obtulit, ipse ordinavit certos cardinales, tam episcopos quam presbyteros & diaconos, usque ad numerum octo cardinalium, quibus commisit quod cum

A deputandis ex parte prælatorum, & aliorum de diversis mundi partibus, haberent videre de illis quæ viderentur reformanda, circa quod hortabatur diligenter intendere. Et ad concludendum super avisatis seu avisandis, assignabatur sessio ad diem Lunæ proximam, quæ erit dies XV. Iulii. Tenor autem cedulæ lectæ in hac sessione sequitur, & est talis.

ANNO CHRISTI 1409.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, " Filii, & Spiritus sancti, Amen. Nos Alexander " Divina providentia papa quintus, considerantes " quod tam per Petrū de Luna, Benedictum tertium, & " Angelum Corario, Gregorium duodecimum, a non- " nullis nominatos, nuper de papatu contendentes, " B quam per dominos quondam archiepiscopum Bar- " rensem, Vrbanum sextum, Perrinum " Thomacel- " lum, Bonifacium IX. Cosmatum de Thomacellis, " Innocentium septimum, & Robertum de Gebennis, " Clementem septimum, nuncupatos, dictorum nuper " contendentium prædecessores, durante præsente " schismate & occasione ejusdem, nonnulli processus, " sententias excommunicationis, privationis, irregula- " ritatis, inhabilitationis, suspensionis & interdicti, ac " alias censuras ecclesiasticas in se continentes, in & " contra diversas personas, regna, jurisdictiones, com- " munitates, universitates, collegia, loca, districtus, & " territoria, fuerint & sint hinc inde facti & promulga- " C ti; ac propter antiquationem dicti schismatis, & " etiam quia multi notabiles doctores utriusque juris, " & magistri in sacra pagina, scripserunt pro & contra, " ac publice & solemniter determinaverunt, in du- " bium vertatur a multis, quis a tempore dicti schis- " matis fuerit Romanus pontifex, seu quis veri vicarii " Iesu Christi fungeretur officio: ad exonerationem " conscientiarum utriusque obedientiæ, quæ jam per " Dei gratiam ad unum ovile redactæ sunt, omnes & " singulos ejusmodi processus & sententias, qui vel " quæ occasione & prætextu schismatis, ac adhæren- " tiæ utriusque partis, seu viæ neutralitatis assumptæ " vel introductæ, hinc inde, ut præmittitur, lati, de- " creti, seu fulminati fuerint, quos omnes & singulos " D hic pro expressis haberi volumus, hoc sacro appro- " bante concilio, ex certa nostra scientia tollimus & " abolemus, ac pro sublatis & abolitis in perpetuum " haberi volumus, neminem præfatis sententiis aut " processibus esse ligatum vel involutum declarantes. " Et nihilo minus ex abundanti, & ad cautelam, si & " quatenus indigeant, quoscumque sub dictis proces- " sibus comprehensos, a dictis sententiis & censuris ab- " solvimus, & pro absolutis haberi decernimus & de- " claramus, etiam super irregularitatibus, si quas pro- " pter præmissa, vel occasione præmissorum, contraxe- " rint, dispensantes. "

" Odorico & aliis Petrum,

Item, omnes & singulas dispensationes factas per " contendentes, vel eorum alterum, seu eorum præ- " E decessores, super matrimoniis & aliis casibus quæ fo- " rum conscientiæ respiciunt, eorum durante obedien- " tia, etiam in partibus neutralibus vel subtractis, ex " certa nostra scientia ratificamus & approbamus. "

SESSIO XX.

Vicesima sessio, quæ erat assignata ad diem Lunæ prædictam, scilicet diem quintamdecimam Iulii, non fuit illa die, sed per papam ex causa fuit continuata ad diem Mercurii XXIV. Iulii: & propter adventum regis Ludovici, iterum fuit continuata ad diem Sabbati inde sequentem, quæ fuit dies XXVII. Iulii. Et in hac sessione interfuit rex Siciliæ Ludovicus, in qua post Missam & Litanias per os

ANNO CHRISTI 1409.

domini cardinalis de Chalento ex parte domini papæ pronunciata fuerunt in scriptis ea quæ sequuntur, habita prius per aliquos dies deliberatione per provincias, & prælatos ad partem: tenor autem dictæ pronunciationis est infra scriptus.

Item postea dominus archiepiscopus Pisanus in præsentia papæ præsidentis in concilio alta voce dixit, quod a parte domini nostri papæ, qui præsens erat, dictus dominus noster compatiens statui ecclesiarum & paupertati, plene & libere revocabat reservationes factas de spoliis defunctorum prælatorum. Item revocabat reservationes fructuum obvenientium sede vacante, quos fructus aliqui sui prædecessores reservaverant. Item revocabat reservationes procurationum episcopalium & aliorum prælatorum ad quos spectant, nec illas vult habere. Item dixit, quod dictus dominus noster papa plenarie & liberaliter quittabat & remittebat omnia arreragia, quæ per ecclesiasticos, prælatos & alios beneficiatos ratione vacantium, seu annatarum, vel alias, cameræ apostolicæ debebantur de toto tempore transacto usque ad diem suæ assumptionis.

Item postea idem archiepiscopus proposuit, quod quia dominis cardinalibus, seu collegio cardinalium, quod solet recipere medietatem dictorum vacantium, quoad prælaturas; etiam ad causam hujus medietatis debebantur multa arreragia, expediens videbatur supplicare dicto collegio quod omnia arreragia sibi debita remittere vellent, sicut papa requirens quod prælati responderent si hoc eis placeret, omnes responderunt, placet. Et statim dictus archiepiscopus se inclinans dixit alta voce: Vobis dominis meis cardinalibus pro parte omnium supplicatur quatenus ista arreragia remittere dignemini; & licet nihil respondissent pro hora, tamen dictus archiepiscopus statim iterum dixit alta voce omnibus: Videatis si sit expediens, quod omnia ista sint remissa & quittata, & super hoc respondeatis si placet. Omnes statim clamaverunt, Placet, Placet. Et statim dictus archiepiscopus nomine omnium de istis petiit instrumentum. Verum est quod satis sciebatur per ante, quod quasi omnibus cardinalibus satis placebat, excepto cardinale Albanensi, qui sæpius dixerat quod nunquam remitteret, & ipse etiam in dicta sessione existens clamabat, quod sibi non placebat. Et ad idem erat cardinalis Neapolitanus, cui etiam non placebat. Et pro aliis concernentibus reformationem ecclesiæ expediendis fuit adhuc una sessio ordinata ad diem Veneris, quæ erit dies secunda Augusti.

Dicta vero die Sabbati vicesima septima Iulii, anno prædicto millesimo quadringentesimo nono, præsidente ibidem domino Alexandro papa V. per os domini cardinalis de Chalento pronunciata fuerunt in scriptis ea omnia quæ sequuntur in forma:

SAnctissimus dominus noster Alexander papa V. » sacro approbante concilio, omnes & singulas ele- » ctiones, postulationes, promotiones, confirmationes, » collationes, quascumque provisiones, quibusvis per- » sonis hodie pacifice possidentibus, & huic sacro con- » cilio, & ejus determinationibus adhærentibus, de » quibuscumque prælaturis, dignitatibus & beneficiis » ecclesiasticis, curatis vel non curatis; consecrationesque » episcoporum, & ordinationes clericorum, per ip- » sos contendentes de papatu, aut eorum alterum, seu » eorum prædecessores, aut eorum mandato vel autori- » tate, temporibus & locis, in quibus eisdem realiter & » libere præstabatur obedientia, dum tamen ante sen- tentiam, & alias canonice factæ sint, & publice & pa- » cifice tempore sententiæ possederint, & in præjudi- » cium unionis aut prosecutionis ejusdem, vel huic con- » cilio adhærentium factæ non fuerint; ex certa no- » stra scientia, ac motu proprio, sacro etiam appro- » bante concilio, ratificamus & approbamus, ac ratas » haberi volumus atque firmas, & etiam si oporteat de » novo providemus, ubi autem aliquis casus emerge- » ret, per quem appareret aliquem adhærentem huic » concilio gravatum per aliquem ex contendentibus, » a die tertia Maii quoad Angelum Corario, & a deci- » maquinta Iunii quoad Petrum de Luna, anni mille- » simi quadringentesimi octavi; placet concilio quod » dominus noster provideat secundum quod sibi vi- » debitur. »

Item placet concilio quod super facto archiepi- » scopi Ianuensis dominus noster provideat. Item ele- » ctiones, postulationes, ipsarum admissiones, confir- » mationes, mutationes, consecrationes, clericorum » ordinationes, collationes, præsentationes, insti- » tutiones, permutationes, privationes, & quasvis pro- » visiones & dispositiones quibusvis personis, huic sa- » cro concilio & ejus determinationibus adhærenti- » bus, de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis & » prælaturis per electores, confirmatores, patronos, » ordinarios, & quoscumque provisores ad hoc ha- » bentes potestatem, & autoritatem canonice factas, » temporibus & locis subtractionis & neutralitatis, in » quibus hujusmodi contendentibus obedientia non » præstabatur, dummodo alias canonice factæ sint, hoc » sacro approbante concilio ratificamus & approba- » mus, & ratas manere volumus, atque firmas, ac om- » nem suscipere roboris firmitatem, reservationibus » non obstantibus quibuscumque; declarationibus ta- » men & decretis hoc capitulum concernentibus in » aliis sessionibus lectis, in suo robore permanentibus. »

Item, ut unione & pace jam in Dei ecclesia per » ipsius gratiam in capite confirmata, pax & tranquil- » litas subditorum perfectius procuretur, & litium an- » fractus, quorum dubii sunt eventus, consultius evi- » tentur; hoc sacro approbante concilio decernimus » & declaramus, quod omnes & singuli beneficia ec- » clesiastica, dignitates, personatus, vel officia cura- » ta, titulo ordinario assecuti, & possessionem pacifi- » cam jam adepti, dum tamen canonice & alias quam » per privationem adhærentium huic sacro concilio » & ejus determinationi assecuti fuerint, beneficiis hu- » jusmodi libere & pacifice gaudeant, nec in jure, ti- » tulo seu possessione suis hujusmodi quomodolibet » inquietentur, turbentur seu graventur, etiamsi spe- » cialiter vel generaliter beneficia prædicta sedi apo- » stolicæ fuerint reservata. »

Per præmissa vero, seu aliquod præmissorum, » non intendimus derogare ordinationibus circa præ- » missos articulos factis in ultima congregatione præ- » latorum & aliorum ecclesiasticorum facta Parisiis. » Nec etiam ex præmissis vel aliquo præmissorum vo- » lumus aliquod præjudicium generari venerabilibus » fratribus nostris cardinalibus, vel alicui ipsorum huic » sacro concilio, & ejus determinationi nunc adhæren- » tium, in beneficiis alias per ipsos & quemlibet ipso- » rum possessis canonice. »

Item per hoc non intendimus fieri aliquod præ- » judicium fratri nostro Albanensi cardinali in jure » quod habet in archidiaconatu Lucionensi. »

Item sacro approbante concilio decernimus fo- » re procedendum contra obedientes & adhærentes » pertinaciter, seu fautores Petri de Luna, & An- » geli Corario, nuper de papatu contendentium & col- » ludentium, per hoc sacrum concilium de schismate & » hæresi

ANNO CHRISTI 1409.

" hæresi notoriis per diffinitivam sententiam condemnatorum, modis quibus est secundum sacros canones contra contendentes & fautores hæreticæ pravitatis procedendum.

" Item sacro approbante concilio decernimus" nos vel successorem nostrum ex certis, magnis & arduis causis nos & hoc sacrum concilium moventibus, iterum generale concilium ecclesiæ fore convocandum, hinc ad triennium: videlicet an. quo dicetur D. millesimo quadringentesimo duodecimo in mense Aprilis, in civitate seu loco habili & decenti, qui locus declarabitur per annum ante tempus concilii per nos vel successorem nostrum convocationem facientem.

*f. per nos

" Item sacro approbante concilio decernimus & declaramus, quod si cardinalis de Flisco infra duos menses proximos personaliter ad nos venire, & obedientiam nobis præstare, & determinationi hujus sacri concilii adhærere voluerit, benigne recipiatur cum integritate status & honoris, atque beneficiorum, quæ decimo quinto Iunii millesimi quadringentesimi octavi obtinebat.

" Item omnes dispensationes factas per episcopos diœcesanos in partibus neutralibus, cum defectum ætatis patientibus causa assequendi & obtinendi beneficia, dignitates aut prælaturas.

" Item & omnes absolutiones & habilitationes in foro pœnitentiali, tam per contendentes, quam dictos ordinarios pendente schismate factas super casibus sanctæ sedi apostolicæ reservatis, ex certa nostra scientia sacro approbante concilio ratificamus & approbamus.

SESSIO XXI.

Vicesimaprima sessio, quæ erat assignata ad diem secundam Augusti, fuit continuata ad septimam Augusti; in qua post Missam & litanias fuit lecta cedula continens aliqua expedientia pro bono regimine ecclesiastico; cujus tenor infra scribitur. Et dedit papa plenam indulgentiam omnibus qui interfuerunt concilio prædicto generali, & ejus determinationi adhærent, sic quod quilibet infra duos menses a tempore, quo ad ejus notitiam devenerit, possit dictam absolutionem exequi: & etiam voluit quod quilibet prædictorum hac indulgentia uti possit in mortis articulo. Et hoc totum etiam extendit ad familiares & servitores illorum, qui in dicto concilio fuerunt, &c. Et dedit omnibus licentiam recedendi; & concilium continuavit usque ad aliud concilium infra triennium convocandum, prout in dicta cedula continetur, cujus tenor est infra scriptus: & sic finis.

Ipsa die septima Augusti præsidente domino papa Alexandro V. in dicto concilio generali Pisano pronunciata fuerunt ea quæ sequuntur, anno videlicet Domini MCDIX.

" Sanctissimus dominus noster sacro approbante concilio ordinavit, quod bona immobilia ecclesiæ Romanæ, seu aliarum ecclesiarum nullatenus per ipsum, vel alios prælatos alienentur seu hypothecentur usque ad proxime indictum concilium, in quo super hoc articulo maturius poterit deliberari.

" Item dominus noster eodem approbante concilio ordinat & mandat celebrare concilia provincialia per metropolitanos, & synodos per eorum suffraganeos, secundum formam juris & concilii generalis, quia ex eorum omissione multa sequuntur inconvenientia.

A

" Item dominus noster eodem approbante concilio ordinat & mandat celebrari capitula monachorum nigrorum, & canonicorum regularium secundum formam concilii generalis, & constitutiones Honorii tertii, felicis recordationis, & Benedicti duodecimi. Et quia limitatio provinciarum facta per Benedictum duodecimum non posset obstante temporis malitia observari, ordinat dominus noster quoad dicta capitula celebrand.. standum juri antiquo durante impedimento prædicto: videlicet ut provincia communis & vulgaris possit per se provinciale concilium celebrare, ex quo commode non potest cum alia convenire: & deputabit dominus noster præsidentes & executores ad præmissa exequenda.

B

" Item dominus noster misericordia motus liberaliter remittit, prout alias fecit, omnia arreragia majora, & minuta servitia suæ cameræ apostolicæ, de toto tempore antiquo debita, sibi dumtaxat competentia: etiamsi qui propter defectum solutionis hujusmodi arreragiorum, sententiam excommunicationis incurrerint, eos autoritate apostolica absolvit; & si aliqui propter causam prædictam, irregularitatem incurrerint, cum eis misericorditer dispensat, & ad communionem sacramentorum & suorum ordinum restituit; mandatque litteras & instrumenta tradi & confici omnibus petentibus de remissione prædicta.

C

" Item dominus noster sacro approbante concilio disponit non facere translationes de invitis, nisi parte audita & vocata, & de consensu majoris partis cardinalium, nisi ex causis justis & rationalibus.

" Item dominus noster sacro approbante concilio decernit, quod per dictum dominum nostrum cum cardinalium consilio deputentur nuncii solemnes, & mittantur ad reges & principes cunctos fideles, ad publicandum & prosequendum autoritate domini nostri papæ & sacri concilii, acta in isto sacro concilio.

" Item dominus noster autoritate Dei & apostolorum Petri & Pauli, atque sua, concedit omnibus qui in hoc sacro concilio interfuerunt, & ejus determinationi adhærent, absolutionem plenariam a culpa & pœna semel tantum.

D

" Item quod quilibet de prædictis infra duos menses postquam ad ejus notitiam hujusmodi concessio pervenerit, possit dictum beneficium absolutionis assequi in forma ecclesiæ.

Postquam articulus iste per reverendissimum in Christo patrem dominum cardinalem de Chalento in pleno concilio lectus fuit, dominus noster papa Alexander V. voluit quod extenderetur dictus articulus in mortis articulo, & sic est duplex: voluit etiam quod servitores illorum qui ad dictum concilium venerant, & illis in veniendo & stando in loco concilii servierant, præfatam indulgentiam perciperent.

E

Item dominus noster sanctissimus cum consilio concilii intendit reformare ecclesiam in capite & in membris. Et quia jam multa per Dei gratiam sunt expedita, quæ * ipsum dominum nostrum, & favorem " prælatorum, aliorumque inferiorum concernunt, restentque alia quæ propter recessum prælatorum & ambassiatorum de præsenti expediri non possunt, propterea dominus noster sacro requirente & approbante concilio dictam reformationem suspendit, & continuat usque ad proxime indictum concilium, & præsens concilium prorogat & continuat usque ad illum terminum, qui præfixus est ad concilium jam dictum. Et interim dat licentiam omnibus ad concilium convo-

*per al. statum & favorem

ANNO CHRISTI 1409.

convocatis ad proprios lares redeundi usque ad tempus præfixum, ut supra.
Et sic finis dicti concilii.

Præsentes autem in dicto concilio, aut qui ad eum miserunt, inferius sunt subscripti.

Sequuntur prælati, ambassiatores & procuratores; seu eorum nomina, qui in hoc sacro concilio Pisano comparuerunt & fuerunt: quod concilium tentum & celebratum fuit anno MCDIX. computando secundum morem curiæ Romanæ, & incepit die XXV. Martii.

Et primo reverendissimi in Christo patres & domini, domini sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales.

Episcopi cardinales.

Reverendissimus in Christo pater & dominus, dominus Guido episcopus Prænestinus.
R. in Chr. P. & D.D. Henricus episc. Tusculanus, dictus Neapolitanus.
R. in Chr. P. & D. D. Nicolaus episc. Albanensis.
R. in Chr. P. & D. D. Ioannes episc. Ostiensis, dictus Vivariensis, S. R. E. vicecancellarius.
R. in Chr. P. & D.D. Antonius episc. Prænestinus, dictus Aquilegiensis.
R. in Chr. P. & D.D. Petrus episc. Tusculanus, dictus de Podio.

Presbyteri cardinales.

R. in Chr. P. & D. D. Petrus tit. S. Susannæ, dictus de Thureio.
R. in Chr. P. & D. D. Angelus tit. S. Potentianæ, dictus Laudensis.
R. in Chr. P. & D. D. Petrus tit. S. Praxedis, dictus de Hispania.
R. in Chr. P. & D. D. Conradus tit. S. Chrysogoni, dictus Militensis.
R. in Chr. P. & D. D. Franciscus tit. sanctorum Quatuor Coronatorum, dictus Burdigalensis.
R. in Chr. P. & D. D. Iordanus tit. S. Martini in Montibus, dictus de Vrsinis.
R. in Chr. P. & D.D. Ioannes tit. sanctæ Crucis in Ierusalem, dictus Ravennatensis.
R. in Christo P. & D. D. Petrus tit. duodecim apostolorum, dictus Mediolanensis.

Diaconi cardinales.

R. in Chr. P. & D. D. Amedeus S. Mariæ novæ, dictus de Saluciis, sacri collegii camerarius.
R. in Christo P. & D. D. Raynaldus S. Viti in Macello, dictus de Brancaciis.
R. in Chr. P. & D.D. Radulphus S. Nicolai in carcere Tulliano, dictus Barensis.
R. in Chr. P. & D.D. Balthasar S. Eustachii, dictus S. Eustachii.
R. in Chr. P. & D.D. Odo S. Georgii ad velum aureum, dictus de Columna.
R. in Chr. P. & D. D. Ludovicus S. Agathæ, dictus de Barro.
R. in Chr. P. & D.D. Petrus S. Angeli, dictus Romanus.
R. in Chr. P. & D. D. Petrus Blavi, dictus etiam S. Angeli.

A Sequuntur ambassiatores regum, & primo illustrissimi domini Romanorum & Bohemiæ regis.

R. in Chr. P. & D.D. VVenceslaus patriarcha Antiochensis.
R. in Chr. P. D. D. Simon episcopus Misnensis.
Magnificus Baro D. Bonecius Cosmoi* miles.

* al. Cosnich.

Ambassiatores domini Francorum regis.

R. in Chr. P. D. D. Simon patriarcha Alexandrinus.
R. P. D. Petrus episcopus Meldensis.
R. P. D. Ægidius episcopus Constantiensis.
Venerabilis vir D. Guillelmus Bonstraterii, legum doctor.
B Venerabilis vir D. Ioffredus de Perusia, decretorum doctor.

Ambassiatores domini Anglicorum regis, & omnium ipsius regni prælatorum, & capitulorum ecclesiarum, ac totius ecclesiæ Anglicanæ.

R. P. D. Robertus episcopus Salisberiensis.
R. P. D. Henricus Mencuensis.
V. vir D. Thomas abbas monasterii B. Mariæ Iorevallensis ordinis S. Benedicti.
D. Thomas prior Cantuariensis ordinis S. Benedicti.
D. Comes Sucfolchiæ.
C D. Ioannes Colme miles.
D. Ricardus Canyngston legum doctor, canonicus & officialis Eboracensis.

Ambassiatores regis Ludovici.

R. P. D. Ioannes episc. Vapicensis, *seu* Vapincensis.
D. Guillelmus de Rupibus, miles & cambellanus.
D. Ioannes de Genoardis legum doctor, consiliarius.
Magister Lucas de Castilione, secretarius.

Ambassiatores regis Poloniæ.

R. P. Dominus Petrus episcopus Cracoviensis.

D Ambassiatores regis Cypri.

R. in Christo pater & dominus, dominus cardinalis S. Angeli.

Ambassiatores ducis Brabantiæ.

V. vir D. Ioannes abbas monasterii de Gemblous, ordinis S. Benedicti.
V. P. D. abbas monasterii de Villari, ordinis Cisterciensis.
V. P. D. abbas monasterii de Tungerloe, ordinis Præmonstratensis.
V. vir D. Petrus Guidonis legum doctor, cancellarius.
E V. vir D. Ioannes de Terouhont, licentiatus in legibus.
V. vir D Godefridus de Orchenis, licentiatus in legibus.

Ambassiatores domini ducis Carestii Austriensis.

Sacræ Theologiæ magister Franciscus, ordinis Prædicatorum.
Magister Petrus de Vingar vicecancellarius universitatis studii Viennensis, magister in artibus.

Ambassiatores domini ducis Stephani Bavariæ.

V. P. D. Ioannes, abbas monasterii S. Gisleni in

Cella, ordinis S. Benedicti, Cameracensis diœcesis, sacræ theologiæ professor.
D. Thomas de Fraxino, miles.
D. Thomas de Reynghesfiette, licẽtiatus in legibus, ecclesiasticus S. Petri Luthosensis, Cameracensis diœcesis.

Ambassiatores dominorum Henrici & Gontherii fratrum comitis de VVatsenburg.

V. vir dominus Ioannes de Goch. præpositus ecclesiæ S. Sebastiani.

Ambassiatores ducis Clevensis.

R. in Chr. P. & D. D. Guido, miseratione Divina episc. card. Prænestinus.
V. D. Petrus Scalpipe canonicus Zauttensis, Coloniensis diœcesis.

Ambassiatores domini Georgii Beuzon, domini Croüit.

V. P. Frater Pantheleon de Zuelis, ordinis Minorum, consiliarius.

Ambassiatores domini Blandrata.

R. P. D. Ioannes *seu* Iohannotus episcopus Novariensis.

Ambassiatores domini Caroli ducis Lotharingiæ, & Marchionensis.

D. Henricus Tronle licentiatus in decretis, decanus ecclesiæ B. Mariæ in Ivodio, consiliarius.
D. Gerselus de VValderfringa, pastor in Sinis, Treverensis diœcesis, capellanus.

Ambassiatores domini ducis Mazoniæ senioris.

V. vir D. Paulus præpositus ecclesiæ S. Mariæ extra muros Placentiæ, ordinis Præmonstratensis.

Ambassiatores domini Iudoci marchionis Brandeburgensis & Moraviæ, archicancellarii sacri Rom. imp.

R. P. D. Ioannes episcopus Lubecensis.
V. vir D. Theodericus præpositus Tangermontensis, in decretis licentiatus.

Ambassiatores domini Friderici comitis Mortenburg, & in Sternberg.

D. VVlricus in Vrstin ecclesiæ rector, & D. Iudocus in Ferostomin ecclesiæ rector, dicti domini comitis secretarii.

Ambassiatores dominorum Friderici & VVillelmi Germanorum Lantgravi, Thuringiæ, marchionum Misnensium.

V. vir Nicolaus Lubiche, decanus ecclesiæ B. Mariæ Eoffordensis, dictorum marchionum secretarius.

Ambassiatores R. P. archiepiscopi Coloniensis.

Magnificus vir Ioffridus de........ præpositus Maguntinensis, & thesaurarius ecclesiæ Coloniensis, comes.
Magnificus vir D. Theodericus de Murse præpositus Vriennensis, & archidiaconus ecclesiæ Coloniensis, comes.

A D. Ioannes de Huepe, subdiaconus ecclesiæ Coloniensis.
D. Hemericus VVestriheltz, utriusque juris doctor, sacri palatii Auditor, decanus ecclesiæ S. Andreæ Coloniensis.
D. Hugo de Hernoist, miles.
D. Christianus de Cipr. legum doctor, scholasticus ecclesiæ S. Geronis Coloniensis.
D. Henricus de Cipr. legum doctor, canonicus ecclesiæ S. Cassii Biconiensis, Coloniensis diœcesis.
D. Baldelinus de Diclie canonicus ecclesiæ S. Andreæ Coloniensis.

Ambassiatores domini archiepiscopi Maguntinis.

D. Ioann. Kempen, præpositus S. Bartholomæi Frankfordensis, Maguntinensis diœcesis.
B D. Conradus Curos decanus B. Mariæ ad gradus Maguntini.
D. Henricus Herenselle, decretorum doctor.
D. VVeyso, præpositus Ietheburgensis.
D. Philippus Prælath. canonicus Maguntinensis.

Ambassiatores R. P. domini archiepiscopi Salzeburgensis.

V. vir D. Fridericus Deys, decretorum doctor, decanus Padeburnensis.

Ambassiatores R. P. domini patriarchæ Aquilegiensis.

C R. P. D. Ioannes episc. in universali ecclesia.
Nobilis vir Franciscilinus de Panthera.
D. Andreas de Monticul, licentiatus in legibus.

Ambassiatores magistri ordinis de Prussia.

Procurator generalis S. Ioannis Ierusalem.

Ambassiatores R. P. D. Ioannis electi Leodiensis.

Sacræ theologiæ professor magister Girardus Rondelli, magister in theologia.
D V. vir D. Lambertus de Stipite, decretorum doctor.
V. vir D. Ægidius de Iomalintue, in utroque jure licentiatus.
V. vir D. Andreas Sudemian, licentiatus in legibus.
V. vir D. Paulus de Clotingerii, in vtroque jure licentiatus.

Sequuntur patriarchæ præsentes.

R. P. D. Simon, patriarcha Alexandrinus.
R. P. D. VVenceslaus, patriarcha Antiochenus.
R. P. D. Hugo de Robertis, patriarcha Ierosolymitanus.
R. P. D. Franciscus Laudo, patriarcha Gradensis.

E

Protonotarii.

D. Arragonensis de Malespinis.
D. Dominicus de Flisco.

Archiepiscopi præsentes.

Reverendi patres domini
Franciscus Narbonensis, camerarius.
Philippus Lugdunensis.
Petrus Bituricensis.
Nicolaus........
Amelius Turonensis.
Pileus Ianuensis.

ANNO CHRISTI 1409.

Vitalis Tolosanus.
Alamanus Pisanus.
Bertrandus Arborensis.
Ioannes Viennensis.

Episcopi præsentes.

Reverendi patres domini
Petrus Meldensis.
Guillelmus Lexoviensis.
.... Albingaunensis.
Dominicus Albiensis.
Gentilis Neocastrensis.
Helias Aniciensis.
Bertrandus Apamianus.
Iulianus Marsicanensis.
Nicolaus Bosanensis.
Benedictus Vintimiliensis.
Guillelmus Vticensis.
Lanfrancus Bethlemitensis.
Petrus Belvacensis.
Ludovicus VVlturanus.
Petrus Famaugustan.
Guillelmus Vestanens.
Iacobus Florentin.
Ægidius Nemausensis.
Petrus Lomberiensis.
N. Nazareth.
Alvanus Ouetensis.
Petrus Cracoviensis.
Nicolaus Antonius Lucerinens.
Petrus Cameracensis.
Antonius Calenen.
Raimundus Petragoricensis.
Io. Lubecensis.
Franciscus Oscensis.
Blasius Sulcitan.
Gregorius Landemerien.
Guillelmus *olim* ep. Carleolen.
Simon Cassinensis.
Matthæus Pistoriensis.
Guillelmus Ebroicensis.
VValterus Bonon.
Io. Forjuliensis.
Guillelmus Mirapicensis.
Iacobus Æduensis.
Paulus Cerniens.
.......Aretinensis.
Tristanus Trecorensis.
Paulus Massiliensis.
Iacobus Comaculensis.
N. Sistaricensis.
Brandia Placentin.
Philippus Saonensis.
Io. Vapincens.
Leonardus Fermanens.
Bertrandus Dignensis.
Stephanus Dolensis.
Bartholomæus Alariensis.
Petrus Faventinus.
Martinus Atrebatensis.
Alexius Bobiensis.
Iacobus Laudensis.
..........Santonensis.
Ioannes in universali eccles.
Bertrandus Tutelensis.
Ægidius Forojuliensis.
Ægidius Constantiensis.
Ioannes Novariensis.
Imbertus Aginnensis.
Franciscus Cicen.

A Ioannes Vivariensis.
Gundenis elect. Sconiginens.
V. vir D. Leonardus administrator ecclesiæ Chiensis.
V. pater magister Nicolaus ordinis Minorum, administrator ecclesiæ Tregestin.

Sequuntur abbates præsentes monasteriorum infra scriptorum.

V. P. D. Bernardus abbas monasterii S. Mariæ Vallis-umbrosæ Fesulan. diœcesis.
V. P. D. Io. abbas Cisterciensis pro se & toto suo ordine.
B V. P. D. abbas Camaldulensis.
D. Io. abbas S. M. de Agario, ordinis Camaldulensis.
D. Andreas abbas monasterii Casæ-Dei, ord. S. Ben. Claromontensis diœcesis.
D. A. S. Mariæ de Fraboro, ord. S. Benedicti Flor. diœcesis.
D. Guido ab. Ss. Sergii & Bacchi, ord. S. Bened. prope Andegavum.
D. Simon ab Gemmeticensis, ordinis S. Bened. Rotomag. diœcesis
D. ab. S. Salvatoris de Septimo, ordinis Cisterciensis Florentin. diœcesis.
D. Petrus ab. Grandimontensis.
C D. Guillelmus ab. de Nucariis ordinis S. Benedicti, diœcesis Turonensis.
D. Guido abbas Grassensis, ordinis S. Benedicti, diœcesis Carcassonensis.
D. ab. de Thironio ordinis S. Benedicti Carnotensis diœcesis.
D. Io. ab. Pontiniaci, Cisterciensis ordinis.
D. I. abbas S. Iustinæ de Padua, ordinis S. Benedicti.
D. Io. abbas de Gringniano de Prato, ordinis Vallis-umbrosæ Pistorensis diœcesis.
D. Bernardus abbas S. Michaelis de Podiobonzi, ordinis S. Benedicti Florent. diœc.
D. P...... ab. Camporum bonorum, ordinis Cisterciensis Vivariensis diœc.
D D. Marcus ab. S. Salvii de Florentia, ordinis Vallis-umbrosæ.
D. Balthasar ab. S. Michaelis de Pasignano, ordinis Vallis-umbrosæ Floren. diœc.
D. Io. ab. S. Petri super Divam, ord. S. Bened. Sagiensis diœcesis.
D. ab. S. Michaelis de Fusculis de Pistorio, ord. Vallis-umbrosæ.
D. Philippus ab. Anianæ, ord. S. Bened. Magalonensis diœces.
D. Antonius abb. S. Michaelis de Batgepisano, Camaldulensis ordinis.
D. Stephanus ab. Crudacii, ord. S. Bened. Vivariensis diœc.
E D. P..... ab. S. Maxentii, ord. S. Benedicti.
D. P..... ab monasterii S. Augustini Lemovicensis, ord. S. Bened. nominatus pro clero Lemovicensis diœc.
D. Franciscus ab. monast. S. Mariæ de Parciana, ord. Vallis-umbrosæ Pistoriensis diœc.
D. Guillelmus ab. de Gimondo, Cisterc. ord.
D. Paulus ab. S. Anastasiæ de Amandulo, Pistoriensis diœcesis.
D. abbas S. Martini ad Pinum, ord. .....
D. Stephanus abb. de Caritate, ord. Cisterc.
D. Ægidius ab. s. Eligii Noviomensis diœc. ordinis sancti Benedicti.

D.P.

ANNO CHRISTI 1409.

D. P. . . . . abbas S. Victoris Massiliensis.
D. Antonius ab. S Pauli de Rosnello, ord. Vallis-umbrosæ, Fesulanensis diœc.
D. Io. ab. Celanensis, ord . . . :.
D. Io. ab. S. Crispini majoris Suessionensis.
D. Guillelmus ab. de Cormeliis, ord. S. Bened. Lexoviensis diœcesis.
D. Franciscus ab. de Vpolis, ord. Vallis-umbrosæ Florent. diœcesis.
D. Guispardus ab. S. Trinitatis de Floren. ord. Vallis-umbrosæ.
D. Franciscus ab. S. Genovefæ Parisiens. ord. S. Augustini.
D. Ricardus ab. monast. S. Pavacii de Floren. ord. Vallis-umbrosæ.
D. Sebastianus ab. S Salvatoris Camaldulensis.
D. Nicolaus ab S. Mariæ de Florentia.
D. Ioan S. Gisleni in Cella, ord. S. Bened.
D. ab. S. Dominici Pisan. ord . . . . .
D. Io ab. S. Baronti, ord S. Benedicti, Pistoriens. diœc.
D. Laurentius ab. S. Petri de Ceveo, ord. Camaldulensis.
D. Philippus ab. Cassiani, ord. S. Bened. VVlteranensis diœcesis.
D. Gregorius ab. S Salvatoris de Salvamunda, ord. Camaldulensis.
D. Ioan. ab. S. Petri de Muchero, ord. Vallis-umbrosæ, Florent. diœces.
D. Iacobus ab. S. Stephani de Cencono, ord. Camaldulensis.
D. P. ab. Montis S. Michaelis in Periculo maris, ord. S. Benedicti, Abrincens. diœc.
D. Mamilianus ab. S. Fadiacii de Pisis, ord. Camaldulensis.
D. Salvator ab. S. Ægidii, ord. S. Bened. Nemausens. diœc.
D. Radulphus ab. omnium Sanctorum Andegavis, ord. S Augustini.
D. Ruffinus ab. S. Laurentii extra muros Novarienses.
D. Andreas abb. Galliaci, ord S. Benedicti.
D. abbas de Gemblous, ord. S. Bened. Cameracens diœc.
D. ab. de Villari, ord. Cisterc.
D. Andreas ab. S. Bartholomæi Anglari, ord. Camaldul.
D. P. ab. Vezeliacensis, ord. S. Bened. Eduens. diœc.
D. . . . . ab. Molismensis, ord. S. Bened. Lingonensis diœc.
D. Bartholomæus ab. S. Bartholomæi de S. Iucunda, ord. Camald.
D . . . . ab XII. apostolorum, ord. . . . . .
D. Iacobus ab. S. Donati de Senis, ord. Vallis-umbrosæ.
D. Bartholomæus ab. S. Fidelis Puppio, ord. Vallis-umbrosæ, Aretin. diœc.
D. Landulphus ab. Saganen.
D. Matthæus ab. Claræ-vallis, ord. Cisterciensis, sacræ theologiæ professor.
D. Mezilaus ab. monast. Curciens. ord. S. Benedicti Cracoviens. diœc.

Generales ordinum.

R. P. Sacræ theologiæ magister Thomas de Fimo, ord. Prædicatorum magister, generalis dicti ord. partis Citramontanæ, pro se & toto suo ordine cum infra scriptis magistris.

Magistro Simone de Pisis, regente Florentiæ.

A Magistro Michaele de Florentia, vicario nationis Tusciæ.
Magist. Iacobo de Pisis
Magist. Leonardo de Florentia.
Magist. VVerturo Florentino, priore Florentino.
Magistro Andrea de Florentia
Magist. Ioanne de provincia Poloniæ, regente Cracoviæ
Magist. Ardisono de Padua, priore Paduano, & vicario generali provinciæ S. Dominici.

R. P. F. Antonius de Ponto, minister generalis ordinis Minorum partis Citramontanæ, pro se & nomine suo, una cum infra scriptis magistris in theologia videlicet:

B Mag. Francisco de Creppa, ministro provinciæ Mediolanensis.
Mag. Ioanne de Bononia, ministro provinciæ Bononiæ
Mag. Matthæo de Palma, ministro provinciæ Romanæ.
Mag. Vitale Volentini, de provincia Provinciæ.
Mag Ioanne Ioannis de Florentia.
Mag. Nicolao de Tergesto.
Mag. Bartholomæo de Bononia.
Mag. Langalecto de Placentia.

R. P. F. Matthæus de Bononia sacræ theologiæ professor, generalis ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli partis Citramontanæ, pro se & suo ordine, una cum infra scriptis magistris in theologia, videlicet:

C Mag. Andrea de Luca, procuratore dicti ordinis.
Mag. Ioanne de Florentia, vicario generali in provincia Tusciæ.
Mag. Bartholomæo de Florentia, syndico universitatis Bononiæ.

R. P. Sacræ theologiæ magister Ioannes Grassi, generalis ordinis Carmelitarum partis Vltramontanæ, una cum magistro Raymundo procuratore generali dicti ordinis.

R. P. Sacræ theologiæ magister Nicolaus de Caissia generalis ordinis fratrum Heremitarum partis Citromontanæ, pro se & toto suo ordine, una cum infra scriptis magistris in theologia, videlicet.

D Mag. Boecio de Tolentino, procuratore dicti ord.
Mag. Simone de Florentia, regente Florentiæ.
Mag. Bartholomæo de Pisis, regente Pisis.
Mag. Gabriele de Spoleto, regente Bononiæ.
Mag. Iacobo de Guessa provinciali provinciæ vallis Spoleti.

R. P. Sacræ theologiæ magister Antonius de Bononia, generalis ordinis B. Mariæ servorum, partis Citramontanæ, pro se & ordine suo una cum infra scriptis magistris.

Mag. Antonio de Alexandria.
E Mag. Vrbano de Bononia.
Mag. Antonio de Passcingaro.

R. P. Sacræ theologiæ professor magister Petrus de Vena, generalis fratrum Eremitarum S. Augustini, partis Vltramontanæ, una cum fratre Raimundo de Crosio.

Ministri ordinum.

V. F. Alanus David, minister provincialis ordinis Minorum provinciæ Turoniæ, nomine suæ provinciæ, & ut nominatus inter electos pro dicta provincia.

Præ-

ANNO CHRISTI 1409.

Præceptores præsentes præceptoriarum infra scriptarum. A

Nobilis vir D. Iacobus de Algis miles, præceptor domus siue præceptoriæ hospitalis S Ioannis Ierusalem de Florentia, & procurator generalis dicti ordinis, nomine suo, & ut locum tenens D. Nicolai de Vrsinis, militis prioris Venetiarum, locum tenentis domus hospitalis dicti ordinis.

Religiosus vir F. Ioannes, præceptor domus S. Antonii de Rinverso, & cellerarius generalis monasterii Viennensis, pro se, & præceptoribus suæ dictæ præceptoriæ subjectis.

Religiosus vir F. Guillelmus de Vnone, præceptor B præceptoriæ siue domus de eleemosynario, ord. S. Antonii Bisuntinensis diœcesis, suo nomine & suæ præceptoriæ.

Priores & procuratores generales ordinum præsentes.

R. vir F. Onesimus, prior generalis totius ordinis Camaldulensis, pro se, & quadraginta uno abbatibus, & septuaginta prioribus dicti ordinis.

Religiosus vir F. Nicolaus de Balinibus, prior generalis S. Sepulchri Dominici

R. vir D. Galterus Craffi prior eccl. & conventus Rhodi, ordinis S. Ioannis Ierusalem, decretorum doctor.

R. vir F. Petrus procurator generalis ordinis B. Mariæ Teuthonicorum, nomine suo ac procuratorio nomine magistri generalis dicti ordinis. C

Sequuntur priores prioratuum tam conventualium quam aliorum, & tam ultra quam citramontanorum.

Religiosus vir D. Radulphus, prior prioratus S. Ioannis in Monte.

R. vir F. Ioannes prior prioratus S. Fabiani Pistriensis diœcesis.

R. vir F. Io. de Griffomonte, prior Vallis-viridis prope Parisios.

R. vir F Ioannes Tuelli, prior prioratus Fontis-nostræ-Dominæ, ordinis Carthusiensis, Suessionensis diœcesis. D

R. vir F. Dominicus prior prioratus S. Bartholomæi prope Ianuam. Omnes tres eorum propriis nominibus, & pro toto ordine Carthusiensium in regno Franciæ existentium.

R. vir F. Guillelmus de Soiffet, prior prioratus conventualis S. Arnulphi de Crispeio, Silvanectensis diœcesis.

R. vir F. Franciscus prior monasterii de Popiena, ord. Camaldul.

R. vir F. Io. prior prioratus S. Mariæ de Serra.

R. vir F. . . . . prior prioratus de Sarmasia.

R. vir F. . . . . prior prioratus convent. de Boudolena.

R. vir F. Petrus Mourandi, prior prioratus B. Mariæ de Cluterio, Diniensis diœcesis. E

R. vir F. . . . . . prior prioratus de Podio Caprensi.

R. vir F. . . . . . prior prioratus conventualis de Bou-lonia.

R vir F. Petrus prior Tueris, Viennensis diœcesis.

R. vir F. Petrus Dacres, prior prioratus Abbatis-villæ, Ambianensis diœcesis.

R. vir F. Antonius de Restis, præpositus domus Pervercelinæ Mediolani.

Ambassiatores universitatum studiorum generalium, primo studii Parisiensis.

Venerabiles & circumspecti viri, magistri, Dominicus Parvi, & Petrus Plaoul, in theologia magistri.

Robertus de Quesneyo, Petrus de Provine, decretorum doctores.

Ioannes Petri in medicina magister.

Eustachius de Foquembergue, in artibus magister, & licentiatus in decretis.

Poncius Simoneti, in artibus magister, & licentiatus in theologia.

Guillelmus Carpentarii, in artibus magister, & baccalaureus formatus in theologia.

Arnoldus V Vivvit, in artibus magister, & licentiatus in theologia.

Ioannes Broulleti, dictus Francisci, in artibus magister, & licentiatus in decretis.

Vniversitas studii Bononiensis.

Vniversitas studii Exoniensis.

Vniversitas studii Tolosæ, pro qua erat præsens V. vir magister Ioannes Garsis ordinis fratrum Minorum, in sacra theologia professor, dictæ universitatis procurator & ambassiator.

Vniversitas studii Andegavensis.

V. vir D. Guillelmus Maligeneris, utriusque juris doctor.

V. vir D. Nicolaus de Melleio, legum doctor, dictæ universitatis ambassiator.

Vniversitas studii Viennensis.

Vniversitas studii Cracoviensis.

Sacræ theologiæ magister Franciscus ordinis Prædicatorum.

V. vir magister Petrus de Liegier, vicecancellarius dictæ universitatis.

Vniversitas studii Montis-pessulani.

V. vir D. Leonardus Alamandi, licentiatus in decretis.

Vniversitas Cantabrigæ.

Vniversitas studii Pragensis.

Vniversitas studii Coloniensis.

Sequuntur archiepiscopi qui miserunt ambassiatores & procuratores.

Reverendi patres, domini
- Archiepiscopus Coloniensis.
- Archiepiscopus Maguntinensis.
- Thomas Aquensis.
- Artaudus Arelatensis.
- Archiepiscopus Ebredunensis.
- Archiepiscopus Turritanus.
- Ludovicus Rotomagensis.
- Guido Remensis.
- Theobaldus Bisuntinensis.
- Hebrardus Salzburgensis.
- Gunthiernus Magdeburgensis.
- Archiep. Cantuariensis de Anglia.
- Archiep. Eboracensis de Anglia.

Sequuntur episcopi qui miserunt suos ambassiatores & procuratores.

Reverendi patres, domini
- Petrus Parisiensis.
- Aymo Gratianopolitanus.
- Hugo Lemovicensis.
- Guillelmus Regensis.
- Leonardus Grassensis.
- Ioannes Venciensis.

Ioannes

Ioannes Glandatensis.
Ioannes Aptensis.
Ioannes Tholonensis.
V. Vlricus Lamecensis.
Leonardus Carn.
Engelmarus Viennensis.
Bertrandus Montisalbani.
Ioannes Ratizponensis.
Ioannes S. Pauli.
Stephanus Vabrensis.
Conradus Olomucensis.
Henricus Nannetensis.
Gatianus Corisopitensis.
Guillelmus Ruthenensis.
Ioannes Castrensis.
Guido Leonensis.
Ioannes Malleacensis.
Germanus Lucionensis.
Ioannes Laudunensis.
Ioannes Bajocensis.
.... Abrincensis.
Ioannes Sagiensis.
Philippus Noviomensis.
Bertrandus Biterrensis.
Acardus Conseranensis.
Hardouinus Andegavens.
Victor Suessionensis.
Martinus Tornacensis.
Ioannes Ambianensis.
Carolus Cathalaunensis.
Matthæus Marinensis.
Adam Cenomanensis.
Martinus Carnotensis.
V Vlricus Brixinensis.
Lanceslaus Vratislaviensis.
Ioannes electus Leodiensis.
Franciscus Tenealbanensis.
Henricus Tullensis.
Fredericus Trajectensis.
Milo Eduensis.
Henricus Electensis.
Petrus Papiensis.
Petrus Terdonensis.
Bartholus Alexandriæ.
Petrus Pacensis.
Antonius Troiensis.
Gonsalvus Lamacensis.
Ioannes Briocensis.
Michael Antissiodorensis.
Stephanus Trecensis.
Petrus Matisconensis.
Radulphus Metensis.
Robertus Nivernensis.
Georgius Pataviensis.
Iacobus Plotensis.
Arnoldus Culmensis.
Ioannes Pomezaniensis.
Henricus V Varmiensis.
Henricus Sambiensis.
Henricus Claromontensis.
Philibertus Cabilonensis.
Girardus Pictavensis.
Vdalricus Neubergensis.
V Valterus Merseburgensis.
Bartholomæus Vintimiliensis.
Ioannes Virdunensis.
Petrus Auraicensis.
...... Ploicensis.
...... Bangorensis.
...... Asaphensis.

A

...... Vigorniensis.
...... Lichefeldensis.
...... Conventrensis.
...... Herefordensis.
...... Roffensis.
...... Elienensis.
...... V Vintoniensis.
...... Londoniensis.
...... Bathoniensis.

Sequuntur abbates qui miserunt procuratores cum plena potestate.

Ven. P. D. Gerentonus, abbas monasterii S. Antonii Viennensis, ordinis S. Augustini.

B

V P. D. Raymundus, abbas monasterii Cluniacensis, pro se & toto suo ordine.

V. P. D Estoldus, ab. Fiscanensis, ord S. Benedicti, doctor decretorum.

V. P. D. Elias, ab. monast. Burgidolensis, ord. S. Benedicti, Bituricensis diœc.

V. P. D. Guillelmus, abbas monasterii de Lezato, ordinis S. Bened. Rivensis diœc.

D. Ioannes, abbas monast. S. Cypriani extra muros Pictavenses, ord S. Benedicti.

D. Aymericus, ab. monast. S. Benedicti de extra Quinciacæ prope Pictav. ord. S. Benedicti.

D. Pe. ab. monast. S. Crucis, ord. S. August. Pictavensis diœc.

D. Ioannes, ab monast. Montis-majoris, ord. S. Ben. Arelatensis diœc.

C

D. Bertrandus, ab. monast. S. Hilarii, ord. S. Benedicti, Carcassonensis diœc.

D. Iacobus, ab. monast. B. Mariæ de Quadraginta, ord. S. August. Narbonensis diœc

D. Ioannes, ab. monasterii Fontis-frigidi, ord. Cisterciensis.

D. Bern. ...... ab. monast. S. Iusti de Vlteris, ordin. Camaldulensis.

D. Leo, ab. monast. S. Petri de Tenolio, Præmonst. ord. Laudunensis diœc.

D. Michael, ab. monast. montis S. Eligii, ord S. Aug. Atrebat. diœc.

D. Philippus, ab. monast. S. Taurini, ord. S. Bened. Ebroicensis diœc.

D. Gervasius, ab. monast. de Bello-loco, ord. S Aug. Cenomanensis diœc

D

D. Io. ab. monast. de Ybreio, ord. S. Bened. Ebroic. diœc.

D. Guillelmus, ab. monast S. Petri de Cultura, ord. S. Bened. Cenomanen. diœc.

D. Ioannes, ab. monast. S. Vincentii, ord S. Benedicti, Cenoman. diœc.

D. Io. ab. monast. de Vadacio, ord. S. Augustini diœc. Cenomanensis.

D. Io. abb. monast. S. Georgii de Nemore, ord. S. August. Cenoman. diœc

D. Io. ab. monast. S. Carilephi, ord. S. Bened. Cenoman. diœc.

E

D. Petrus, ab. monast. de Vadoalneti, ord S. Bened. Cenoman. diœc.

D. Io. ab. monast. de Pelicia, ord. S. Bened. Cenoman. diœc.

D. Simon, ab. monast. de Ebronio, ord. S. Bened. Cenoman. diœc.

D. Prior & conventus monast. de Lonlaye, abb. ipsius monast. in remotis agente, ord & diœc. prædictorum.

D. Guillelmus, ab. monast. S. Andreæ Avinionensis, ord. S. Bened.

D.Io.abbas monast. Præmonstratensis.
D. Io. ab. monast. S. Petri ad montes, ord.S.Bened. Catalaunensis diœc.
D. Guillelmus, ab. monast. omnium Sanctorum in Insula, ord.S.Aug.
D. Ioannes, ab. monast.S. Memmii in suburbio Catalaunensi, ord.S.Aug.
D.Guido,ab.monast.de Vsarchia, ord. S. Bened.Lemovicensis diœc.
D.Petrus,ab.monast.S.Mariæ S. Eusechii de Cellis, ord.S.Aug.Bituricensis diœc.
D. Io. ab. monast. de Virsione,ord.S.Bened.Bituricensis diœc.
D.Guillelmus, ab. monast. de Casalibenedicto, ord. S.Bened.Bituricensis diœc.
D. Io. ab. monast. S. Gildasii ord. S. Bened.Bituric. diœc.
D.Guillelmus,ab. monast. Fontiscombaudi, ord. S. Bened. Bituricens.diœc.
D. Io. ab.monast.S.Genulphi ord. & diœcesis prædictorum.
D Gacianus, ab.monast.B. Mariæde Exolduno,ord. & diœc.prædictorum.
D.Iacobus,ab.S.Petri Villæ de nato, ord.S. Bened. Vabrens.diœc.
D.Prior & conventus monast. de Millebeco, ord. S. Bened.Bitur. diœc.
D.Aymericus, ab. monast. S.Ambrosii, ord.S. Aug. Bituric.diœc.
D. Robertus,ab.monast. Miseraïensis, ord. S. Aug. Bitur. diœc.
D. Raimundus, ab.monast.Conchensis,ord.S.Benedicti, Ruthenensis diœc.
D.Aymericus,ab.monast.Psalmodiensis, ord. S. Bened.Nemausensis diœces.
D.Germundus ab.monast.S.Trin.deMaloleone,ord. S.Aug.Malleacensis diœc.
D.Petrus, ab.monast. Cendratensis, ord. S. Bened. Nemausensis diœc.
D.Io. ab.monast. S. Laudi de S.Laudo,ord.S. Aug. Constantiensis diœc.
D.Io.ab. monast. B.Mariæ de Angliis, ord. S.Aug. Lucionens. diœc.
D. Guillelmus, ab. monast. B. Mariæ de Hambeïa, ord.S.Bened.Constantiensis diœc.
D. Petrus, ab.monast.B.Mariæ loci-Dei in Iardo, ord. Præmonstratensis.
D.Michael,ab. monast.S. Salvatoris Vice comitis, ord.S.Bened.Constant.diœc.
D.Poncius, ab. monast.de Nobiliaco, ord.S. Bened. Pictavensis diœc.
D.Stephanus, ab.monast.S.Mariæ de Montisburgo, ord.S.Bened.Constantiens.diœc.
D.....ab.monast.de Bello-fonte,ord.S.Bened. Malleacensis diœc.
D.Io.ab.monast.S.Ioannis Angeliacensis,ord.S. Bened.Xanctonensis diœc.
D.Nicolaus, ab.monast.S.Leodegarii,ord.S.Bened. Xanctonensis diœc.
D.Michael,ab.monasterii Villæ-magnæ,ord.S.B.Biterrensis diœc.
D. Ademarus, ab. monast. Carossensis, ord. S.B.Pictav. diœc.
D.Raimundus, ab. monast. Iocundensis,ord.S. Ben. Electensis diœc.
D. Guillelmus, ab. monast. B.Mariæ de Becco-Helluini,ord.S.Bened.Rotomagensis diœc.
D.Arnaudus,ab.monast.de Ioncellis,ord.S.Ben. Biterrensis diœc.
D. Ioan.ab. monast. de S.Aniano, ord. S. Bened. S. Poncii,Thomeriacensis diœc.
D.Matthæus,ab. monast.sæcularis ecclesiæ S. Affrodisii, Bitterrens. diœc.
D. Bernardus, ab. monast.S.Tiberii, ord. S. Bened. Agathensis diœc.
D.Iacobus,ab.monast.S.Mauri supra Ligerim,ord.S. Bened. Andegavensis diœc.
D. Guido,ab monast.S.Mariæ Vngiaci, ord. S.Aug. Eduensis diœc.
D. Theobaldus, ab. monast.S.Albini Andegav, ord. S. Bened.
D.Io. ab. S.Petri de Burgolio, ord. S. Bened.Andegav. diœc.
D. I.ab. monast. S.Martini Ruri-Curtensis,alias de Bosco, ord.S.August. Belvacensis diœc.
D. Simon ab.monast.S. Nicolai prope Andegavum, ord. S.Bened.
D.Reginaldus, ab. monast. S. Vitoni Virdunensis, ord.S.Bened.
D. Radulphus, ab. B. Mariæ de Rota, ord. S. Aug. Andegav.diœc.
D.....ab.monast. Stabulensis, ord.S.Bened.Leodiensis diœcesis.
D.....ab.monast.Gemblacensis.
D. Petrus, ab.monast.B.Ioannis Evang.Mellinensis, ord.S.Aug. Andegav. diœc.
D.....ab. monast. S.Trudonis, ord.S.B.Leodien. diœc.
D. ab.monast. S. Vmberti, ord. S. Bened. Leodien. diœc.
D.....ab.monast.Vliderbatensis,ordinis S. Bened. Leod. diœc.
D.....ab.monast. Alnensis Cist. ord. Leod. diœc.
D. Guillelmus de Cadonio, prior monast. B. Mariæ de Cassiano, Biterrensis diœc. de monast. S. Ruffi prope Valentiam immediate dependentis.
D.....ab.Villariensis.
D.....ab. Vallis S. Lamberti, ord. Cisterciensis, Leodiensis diœc.
D.....ab. monast. Villis-Dei, ord. Cisterc. Leodien. diœc.
D..... ab.monast.Magni-Prati, ord. Cisterc.Leodiensis diœc.
D.....ab.monast. Floreffiensis, ord. Præmonstrat. Leod. diœc.
D.....ab.monast.S. Gerardi de Bronio, ord. S. Bened.Leodiensis diœc.
D..... ab.monast.VValchiodorensis & Hasteriensis, ord.S.Bened.Leod.diœc.
D.....ab.monast. Florinensis, ord.S. Bened. Leod. diœc.
D. Renerus, ab.monast. S. Iacobi, Leod. diœc. ord. S. Bened.
D. Henricus ab.monast. S. Laurentii extra muros, Leod. ord. S. Bened.
D. Io. ab. monast. 12. Apostolorum Belli-reditus Leod. ord. Præmonstrat.
D. Guillelmus,ab.monast. S.Eligii in Pulcro-monte prope Leodium, ord. S. August.
D.....ab.monast.Averbodiensis, ord. Præmonstr. Leod.diœc.
D. ab.monast.Parcensis,Præmonst.ord.Leod.diœc.
D..... ab. monast. Lessiensis, ord.Præm.Leod.diœc.
D.....ab. monast. Helicmensis, ord. Præmonstr. Leod. diœc.
D. ... ab.monast.Novi-Monasterii,ord.S.Aug.
D..... ab.monast.Florensis,ord. S. Aug. Leodiensis diœc.
D.....ab. monast. Maloniensis ord. S. August. Leod.diœc.

D.

ANNO CHRISTI 1409.

D. Ioannes ab. monaſt. ſanctorum Floræ & Lucillæ, Aretinenſis, ord. S Bened.
D. Antonius, ab. monaſt. S Ianualis & Copolonenſis, ord. . . . . . Aretinenſis diœc.
D. Io. ab. monaſt. de Campuano, ord. Camald. Aretinenſis diœc.
D. . . . . . ab. monaſt S. Andreæ de Sexto, ord. . . . . Ianuenſis diœc.
D. . . . . . ab. monaſt. S. Benigni ord. . . . . . . Ianuenſ. diœc.
D. . . . . . ab monaſt. S. Mariæ de Pervallo, ord. . . . . . Ianuenſ. diœc.
D. . . . . . ab. monaſt. S. Bartholomæi de Foſſato, ord. . . Ianuenſ. diœc.
D. . . . . . ab. monaſt. de Maſſayo.
D. . . . . . ab. monaſt. de Vernuſſia.
D. . . . . . ab. monaſt. de Mareſſiis.
D. . . . . . ab. monaſt. S. Sulpicii.
D. . . . . . ab. monaſt. beatiſſimæ Trinitatis de Vindocino, ord. S. Bened Carnot. diœc. ad Romanam eccleſiam nullo medio pertinentis.
D. . . . . . ab. monaſt. S. Mariæ de Iubino, ord. . . . . . . Ianuenſis diœc
D. . . . . . ab. monaſt. S Andreæ de Bonx, ord. . . . . Ianuenſis diœc.
D. Bernardus ab. monaſt. S. Polycarpi, ord. S. Bened. Narbon. diœc.
D. Ioannes ab. monaſt. S. Trinitatis de Exaquio, ord. S. Bened. Cõſtantienſis diœc.
D. . . . . . ab. monaſt. S. Honorati.
D. . . . . . ab. monaſt. de Croſſio.
D. . . . . . ab. monaſt de Toroneto.
D. . . . . . ab monaſt de Salvarie.
D. . . . . . ab. monaſt. S. Salvatoris Lodovæ ord. S. Bened.

Sequuntur domini abbates de Anglia qui miſerunt ambaſſiatores, ſive procuratores.

D. . . . . . ab. monaſt. S. Auguſtini extra muros Cantuarienſes.
D. . . . . . ab. monaſt. de Faveshan.
D. . . . . . ab. monaſt. de Bello.
D. . . . . . ab. monaſt. de VVaidenve.
D. . . . . . ab monaſt de Coleheſte.
D. . . . . . ab. monaſt. de Hida.
D. . . . . . ab. monaſt de Vervelle.
D. . . . . . ab monaſt. de Cartheryz.
D. . . . . . ab. monaſt. de Abindonia.
D. . . . . . ab. monaſt. de Desherbonne.
D. . . . . . ab monaſt de Miletone.
D. . . . . . ab monaſt. de Perne
D. . . . . . ab monaſt de Abbatiſſinteye.
D. . . . . . ab. monaſt. de Malmesbery.
D. . . . . . ab monaſt de Taneſtolie.
D. . . . . . ab. monaſt de Evershan.
D. . . . . . ab. monaſt de Glouceſtre.
D. . . . . . ab monaſt. de Barchere.
D. . . . . . ab monaſt de Vincecombe.
D. . . . . . ab. monaſt. de Alteſcoe.
D. . . . . . ab monaſt. de Temesbesbury.
D. . . . . . ab monaſt de Glaſconia.
D. . . . . . ab monaſt de Monchaileth.
D. . . . . . ab monaſt. S Albani.
D. . . . . . ab. monaſt. de Eushan.
D. . . . . . ab. monaſt de Rameſey.
D. . . . . . ab. monaſt de Burgo S. Petri.
D. . . . . . ab. monaſt de Coruland.
D. . . . . . ab. monaſt de Bardenay.
D. . . . . . ab. monaſt de Ceſtria.
D. . . . . . ab monaſt. de Sallopia.
D. . . . . . ab. monaſt. Burtonenſis.

A D. . . . . . ab monaſt. Ternei
D. . . . . . ab. monaſt. de Burgo S. Edmundi.

Omnes ſupradicti ſunt ordini S. Benedicti.

D. . . . . . ab. monaſt. de VVernerley.
D. . . . . . ab. monaſt. de Forneſta.
D. . . . . . ab. monaſt. de Fontanis.
D. . . . . . ab. monaſt. de Riavalie
D. . . . . . ab. monaſt. de Bellaloënda.
D. . . . . . ab. monaſt. de Meſla.
D. . . . . . ab. monaſt. de Viſcallis.
D. . . . . . ab. monaſt. de Orelay.
B D. . . . . . ab. monaſt de Nonconenrio.
D. . . . . . ab. monaſt. de Holinculcani.
D. . . . . . ab. monaſt. de Caldria.
D. . . . . . ab. monaſt. de Rethford.
D. . . . . . ab. monaſt. de Ruppe.
D. . . . . . ab. monaſt de Buelſced.
D. . . . . . ab. monaſt. de Tirefordia.
D. . . . . . ab. monaſt. de Cumba.
D. . . . . . ab monaſt. de Salbro.
D. . . . . . ab. monaſt. de Scoloay.
D. . . . . . ab. monaſt. de Parcoludo.
D. . . . . . ab. monaſt. de Strata florida.
D. . . . . . ab. monaſt. de Haylio.
D. . . . . . ab. monaſt. de VValledregia.
C D. . . . . . ab. monaſt. de Turbineret.
D. . . . . . ab. monaſt. de Regali loco.
D. . . . . . ab. monaſt. de Turtenna.
D. . . . . . ab. monaſt. de Doze.
D. . . . . . ab. monaſt. de Villisdenni.
D. . . . . . ab. monaſt. Hiltenſis.
D. . . . . . ab. monaſt de Blande.
D. . . . . . ab. monaſt. de Schtished.
D. . . . . . ab. monaſt. de Lilyshellis.
D. . . . . . ab. monaſt. de Gracia.
D. . . . . . ab. monaſt. VValborum.
D. . . . . . ab. Monaſt. de Lacres.
D. . . . . . ab. monaſt. Halnenſis.

Omnes ſupradicti ſunt ordinis Ciſtercienſis.

D D. . . . . . ab. monaſt. de VValchen.
D. . . . . . ab. monaſt. de Loyceſerie.
D. . . . . . ab. monaſt. Corutenſis.
D. . . . . . ab. monaſt Nortenſis.
D. . . . . . ab. monaſt. de Oſtency.
D. . . . . . ab. monaſt. S. Iacobi Norhthantonne.
D. . . . . . ab. monaſt. de Darle.
D. . . . . . ab. monaſt de Roboetoe.
D. . . . . . ab. monaſt de Oſcy.

Priores prioratuum, monaſteriorum, & eccleſiarum infra ſcriptarum, in regno Angliæ.

Prior monaſt. de Davoyo.
Prior monaſt. Hertenſis.
Prior monaſt. eccleſiæ Roffenſis.
E Prior monaſt. de Lubben.
Prior monaſt. de Boſgrohovv.
Prior. monaſt. eccleſiæ VVintonienſis.
Prior monaſt. S. Neoty.
Prior monaſt. de VValingford.
Prior monaſt. de Daventre.
Prior monaſt. Conventrenſis.
Prior monaſt. de Bonore.
Prior monaſt. eccleſiæ Elienſis.
Prior monaſt. Norvvicenſis.
Prior monaſt. S. Nicolai Exonenſis.
Prior monaſt. de Barneſtahele.
Prior monaſt. VVigornienſis.
Prior monaſt. de Letheſt.

Prior monast. de Maluerne magna.
Prior monast. ecclesiæ Bathoniensis.
Prior monast. de Spaldoag.
Prior monast. de Terford.
Prior monast. de Caossale.
Prior monast. de Bronholme.
Prior monast. de Festome.
Prior monast. de Suapris.
Prior monast. de VVymadham.
Prior monast. de Bymahan.
Omnes prædicti sunt ordinis S. Benedicti.

Sequuntur capitula ecclesiarum quæ miserunt procuratores.

Tolosensis.
Ambianensis.
Narbonensis.
Noviomensis.
Aquensis.
Arelatensis.
Ebredunensis.
Voliensis.
Regensis.
Focalquerii.
Grassensis.
Pimatensis.
Venciensis.
Dignensis.
Tholonensis.
Forojuliensis.
Aptensis.
Sistariensis.
Massiliensis.
Vapicensis.
Nauvantensis.
Lomberiensis.
Nivernensis.
S. Petri de Boneva.
Carcassonensis.
Conseranensis.
Tarviensis.
Ianuensis.
Dolensis.
Albiensis.
Electensis.
Vticensis.
Cenomanensis.
Tornacensis.
Pragensis.
Atrebatensis.
Carnotensis.
Tutelensis.
Vabrensis.
Ruthenensis.
Mimatensis.
Nemausensis.
Leodiensis.
Floriensis.
Silvanectensis.
Parisiensis.
Senonensis.
Saonensis.
Agathensis.
Cameracensis.
Rotomagensis.
Bituricensis.
Eduensis.
Constantiensis.
Aretinensis.
Bononiensis.
Biterrensis.
Novariensis.
Andegavensis.
Mirapicensis.
Tullensis.
Matisconensis.
Metensis.
Cabilonensis.
Lingonensis.
Claromontensis.
VVintoniensis.
Dunelmensis.
Laudunensis.
Viennensis.
Cathalaunensis.
Aniciensis.
Magalonensis.
Vigintimiliensis.
Virdunensis.
Vivariensis.
Avraicensis.
Beati Martini Tur.
Condomensis.
S. Flori.
Exoniensis.
Sarezburiensis.
Eliensis.
Bathonensis & Vellens.
Roffensis.
Herefordensis.
Cistriensis.
Lichefeldensis.
Cornensis.
VVigornensis.
Lincolniensis.
Londoniensis.
Norvicensis.
Menevensis.
Bangorensis.
Asaphensis.
Culmensis.
Pomezaniensis.
VVarmiensis.
Sambiensis.

Sequuntur procuratores civitatum & diœcesum, qui miserunt ad id sacrum concilium.

Cleri civitatis & diœcesis Ambianensis.
Cleri civitatis & diœcesis Suessionensis.
A Cleri civitatis & diœcesis Bononiensis.
Cleri civitatis & diœcesis Ianuensis.
Cleri civitatis & diœcesis Leodiensis.
Cleri civitatis & diœcesis Silvanectensis.
Cleri civitatis & diœcesis Novariensis.
Cleri civitatis & diœcesis VVratislaviensis.

Sequuntur provinciæ quæ miserunt procuratores.

Rotomagensis.
Turonensis.
Remensis.
Senonensis.
Lugdunensis.
Ebredunensis.
B Arelatensis.
Aquensis.
Mediolanensis.
Ravennatensis.
Burdegalensis.
Pisanensis.
Cantuariensis.
Eboracensis.

Sequuntur communitates quæ miserunt ambassiatores.

Communitas Ianuensis.
Communitas Florentinorum.

G. C. OBSERVATIO in superiorem indicem eorum qui concilio interfuerunt.

C EOrum qui huic concilio interfuerunt catalogum alium profert Raynaldus, breviorem quidem, sed ex quo partim observari, partim etiam emendari nonnulla in superiore possunt.

Inter cardinales episcopos, qui hic vocatur Henricus Tusculanus, illic dicitur Sabinensis. Vtriusque tituli causas intellige. Henricus Minutulus, Neapolitanus archiepiscopus (unde & cardinalis Neapolitanus vocatus) a Gregorio XII. cardinalis Tusculanus creatus est: Petrus quoque de Podio, ejusdem tituli cardinalis dictus est a Petro de Luna. Qui cum ambo Pisano concilio interessent, ambo Tusculanis infulis insignes: ne controversia hæc, pacis, cui studebatur, concilia interverteret, Henricus cessit, & ad Sabinensem sedem tum vacuam transiit. Melius autem vocatur Sabinensis, tum ob causam, quam mox attigi: tum quia Petrus de Podio ibidem vocatur Tusculanus.

Inter eosd. episc. Ostiensis Ioan. vocatur, male in Raynaldi catalogo dictus Antonius: ut ex Ostiensium episcoporum catalogo constat. Alia hic sunt in quibus discrepant duo isti indices, sed manifesto vitio Romani, aut ejus exscriptoris.
D Cujusmodi errata in hac observatione prætermitto.

Cardinalibus presbyteris addit Romanus catalogus Antonium S. Praxedis, dictum Tudertinum, & Ludovicum de Baro: sed falso hunc posteriorem, cum tempore concilii esset diaconus cardinalis S. Agathæ, & vero in superiori indice hunc locum obtineat: neque cardinalis presbyter duodecim apostolorum, nisi ab Alexandro V. post concilium creatus sit. Eum Romanus recenset inter regni Francorũ legatos.

Addit quoque, qui hic desiderantur, legatos regni Portugalliæ, & omnium ecclesiasticorum & prælatorum totius regni, Ioannem episcopum Vlyssiponensem, episcopum Lamecensem, mag. Laurentium provincialem ordinis S. Augustini, magistrum ordinis Minorum, eundemque regi a confessionibus.

Ex eodem discimus interfuisse Philibertum e Noylaco magistrum Rhodiorum equitum, cum religiosis equitibus sexdecim.

Hic archiepiscopi præsentes enumerantur tantum decem,
E illic duodecim: adduntur que Franciscus Smyrnensis, & Ioannes Vlyssiponensis: additur & nomen Sipontini, Nicolaus, quod hic expunctum. Hic episcopi tantum sexaginta sex enumerantur; illic non nominantur quidem ulli, sed octoginta fuisse narratur. Hic procuratores absentium episcoporum 86, illic 102. Hic procuratores capitulorum, 100. illic 109.

DE

ANNO CHRISTI 1409.

DE CONCILIO PISANO

SUPER ELECTIONE UNICI SUMMI pontificis celebrato.

Ex Historia MSS. Caroli VI. regis Francorum à monacho Sandionysiano.

LOnge lateque per orbem qui Spiritus sancti gratia inspirati tandiu sub nefandissimo schismate fidelium universalem matrem ecclesiam doluerant ancillari, amborum contendentium de papatu & summo ejus culmine ambitionem improbam execrabiliter damnantes, conventionem utriusque collegii cardinalium, ut viam facilem veniendi ad pacem & concordiam, commendabant. Ubique obtemperando eorum monitis, de Francia, Anglia, Boëmia, cæterisque Christianitatis regnis & dominiis, metropolitani, episcopi, & abbates, ex collegiis cathedralium ecclesiarum universitatibusque regnorum jam solemnes nuncii mittebantur, & iter arripuerant gaudentes ut in concilio Pisano interessent pro diuturno schismate sopiendo. Nec quemquam ex ipsis scio, qui non feliciter viæ finem attigerit præoptatum: nisi dominum Guidonem de Raya Remensem archiepiscopum, qui quamvis in colloquiis publicis hucusque & coram principibus, Petrum de Luna tenuerit summis laudibus efferendum: quia tamen ad id beneplacitum Deo negotium cum cardinali de Baro obedienter procedebat, occasum suum non immerito deflendum, hic inserere dignum duco.

Cum enim ambo ad villam quandam duabus dietis a Ianua distantem gratia hospitii divertentes, & orta verbali controversia, occasione equorum memorati cardinalis, marescallus ejus, alium qui hoc officium publice exercebat, occidisset: mox populares commoti & eidem subito vicem pro vice reddentes, & ad hospitium cardinalis accedentes, quinque ex suis, quos habuerunt obviam, ferali rabie peremerunt. Ulterius ad facinora volentes procedere, cum præfatus archiepiscopus ad fenestras domus se ostendens eos verbis lenibus tentaret compescere, ictu jaculi trans præcordia confossus interiit, nec ultra vocem emisit. Nec sceleribus contenti, jam tentabant ut igne suffocatorio cæteri spiritum exhalarent: cum nuncius inopinate supervenit, qui tantam vesaniam autoritate gubernatoris Ianuæ repressit. Qui, quia villa subdita sibi erat, ad perpetuam memoriam facinus inultum non reliquit: sed peractis archiepiscopi exequiis, quantis studiis funus ullum celebrari poterat, quotquot ad detestabilem commotionem convenerant, conditioni, ætati, aut sexui non parcendo, variis exterminari suppliciis, & domum in qua locatus fuerat solo æquari præcepit.

Ad promotionem autem causæ ecclesiæ sanctæ Dei rediens: quia domini cardinales vigesimum quintum diem Martii assignaverant pro prima sessione, in pulchra & spatiosa navi ecclesiæ cathedralis urbis Pisanæ celebranda, in qua & sedes prælatorum ibidem assistentium aptari fecerant: secundum exigentiam ordinum & dignitatum ibi convenientes nominandi, sic fuerunt collocati. Primam namque sedem altitudinis altaris constituti in introitu chori a dextra ab eoq; pedibus XII. distantem, domini cardinales, Prænestinus, Albanus, Ostiensis, Podiensis, de Tureio, de Saluciis, ac de sancto Angelo, qui obedierant domino Benedicto; Neapolitanus etiam, Aquileiæ, de Columna, de Ursinis, de Brancacio, de Ravenna, de Laude, & de S. Angelo, qui Gregorio adhæserant, occupaverunt, ut decebat, & in facie altaris ante

A dicti, cujus latera paulo longius sacri palatii protonotarii ambiebant. De ambassiatoribus regis Franciæ, episcopus Meldensis solus interfuit; pro rege Siciliæ Ludovico, episcopus de Gap, duo milites, quidam doctor in legibus, cum uno secretario; necnon pro rege Angliæ, cum quodam milite unus doctor cum clerico qui de Alemannorum deliberatione facta apud Francquefort veniebant, solum præsentes fuerunt. Et his qui prælati erant episcopis & abbatibus, ab utroque latere dictæ navis usque ad valuas ecclesiæ sedes præparatæ erant: sediumque scabella nuncii capitulorum & conventuum tenuerunt. In residuo capacitatis dictæ navis, longe humilioribus scamnis, ambassiatores regum non prælati, cæterorum dominorum & comitatuum, cum docto-

B ribus, cæterisque nunciis capitulorum & conventuum, consederunt. Et his debite locatis, dominus cardinalis Prænestinus Missam de Spiritu sancto celebravit solemnem. Qua finita, & a quodam doctore collatione facta, in qua disertissime causam tangens congregationis concilii, cum assistentes orare monuisset devote pro unione ecclesiæ, nil amplius actum est ipsa die.

Die Martis, Martii scilicet XXVI. hujus sacri conciliis fuit secunda sessio vel convocatio celebrata, & inter Missæ solemnia, quæ peregit quidam alterius

C partis cardinalis Mediolanensis, omnes monitione solemni hortatus est ut Dominum devotissime orarēt, quatenus causa ecclesiæ inchoata bono fine clauderetur. Et inde singuli prælati se cappis ecclesiasticis induentes, albasque mitras sumentes, cum unus ex assistentibus capellanis alta voce intonuisset, *Orate*, tunc omnes flexis genibus spatio dicendi psalmum, *Miserere mei Deus*, proni in terram se dederunt. Pausam istam quidam cardinalis una collecta finivit: & cum similem dixisset post antiphonam a capellanis cantatam, unus eorum continuavit litaniam alta voce, cui prælati responderunt. Et cum post orationem idem hymnum, *Veni Creator Spiritus*, inchoasset: hymno dicto, *Erigite*, alta voce intonuit. Et sic omnes surrexerunt: & erecti, à quodam cardina-

D li dalmatica insignito evangelium unum devotissime audierunt.

His peractis, publice indictum fuit autoritate concilii, ut omnes, prælatis, nunciis & doctoribus exceptis, ab ecclesia recederent. Inde unus advocatus, notarii, procuratores, & promotores plures statuti sunt ad accusandum ambos contendentes de papatu. Quidam iterum eliguntur, qui nomina accedentiū ad id sacrum concilium in scriptis redigerent, & quandiu in prælaturis vixissent, ut sic secundum suum ordinem in sedibus locarentur. Super officiis istis debite exequendis, juramentis præstitis, advocatus cathedram eminentem ad denunciandum statuta in cō-

E cilio ascendens, intelligibilique vocis oraculo pertinaciam amborum contendentium recitans, quorum unū pro Benedicto, *beneficium*, alterum pro Gregorio, *errorium*, pluries nominavit, prolixiori sermone proposuit quandiu in hoc deflendo schismate ecclesiam Dei tenuerant, & ut pro pace obtinenda fuerant sufficienter ad sacrum concilium evocati, concludens ut evocati publice si dedignarentur comparere, reputarentur contumaces. Cum autem dixisset de illis de Fleisc, Auxitanensi, de Chalento, qui sub uno, atque de illo de Thode, qui sub altero contendentium se cardinales dicebant, unus ex promotoribus mox surrexit instanter postulans, ut quod advocatus requisierat concilium approbaret, & super petitione a protonotariis clericis cameræ, ac cæteris notariis præsentibus fieri sibi postulavit publica in-

stru-

ANNO CHRISTI 1409.

strumenta; servando judiciarium ordinem conciliorum, petitis assentiendo: inde duo cardinales cũ uno archiepiscopo, & uno episcopo, advocato quoque & notariis prædictis miserunt ad valuas ecclesiæ; quas protinus aperientes, cum prænominatos alta voce evocassent, a popularibus ibi stantibus quærentes, si scirent aliquem ex eorum familiaribus in urbe locatum: ad sedes suas redeuntes ab ore unius retulerunt neminem eorum reperisse, sicque accusatores petierunt ut reputarentur contumaces, & super hoc sibi fieri instrumenta: tunc cardinales Prænestinus Pictavensis alias nominatus, cunctis antiquior, & qui ante schisma ad cardinalatum assumptus fuerat, cæteris quæsivit, quid agendum. Qui omnes negotium dignum duxerunt differri usque ad diem sequẽtem: quod cum cæteri assistentes approbassent iterando, placet, placet, sic illa sessio soluta est.

Die igitur sequenti tertia evocatio concilii celebratur cum solemnitatibus prius tactis: fueruntque dicti contendentes, nominati * qui prius sibi adhærentes evocati: qui cum non comparuissent, nec aliquis vir pro ipsis, promotoresque instarent ut reputarentur contumaces; de benignitate tamen omnium assistentium, quæ petebant, usque ad diem sabbati sequentem, quæ fuit Martii dies ultima, dignum duxerunt differre: & sic concilium illud solutum est.

* Corr. nominatique prius, sibi adhærentes,

Die dicta quarta sessione celebrata cum solemnitatibus solitis, cum prænominati contendentes minime comparuissent, ad advocati & promotorum requestam reputati sunt contumaces: & in scripto quod tunc legit cardinalis Prænestinus, dixit, quod de eis adhærentibusque expectaretur usque ad aliam sessionem assignatam ad diem Lunæ, post octavas Resurrectionis Dominicæ, quia illa hebdomada non debebant jurisdictiones exercere; sicque omnibus concedentibus quod ecclesia Pisana apta erat ad concilium celebrandum, ita discessum est.

Quæ in synodo facta ac deliberata fuerunt a die Aprilis XV. *usque* XXII. *mensis Maii.*

VLterius procedendo in facto unionis, XV. Aprilis iterum celebratum est sacrum concilium cum observantiis prius tactis in sessione secunda: ibique domini cardinales Mediolani, & de Baro, qui Alemannorum deliberationi interfuerant apud Frãcquefort, venerunt: præsentes quoque fuerunt octoginta & decem archiepiscopi & episcopi, nonnulli quoque abbates, doctores, clerici, notarii, qui non interfuerant in congregationibus antedictis. Et tunc quatuor prænominati cardinales, qui cum duobus contendentibus se tenebant, evocati iterum, minime comparuerunt, sicque de benignitate assistentium fuit continuata dieta usque ad aliam sessionem; nuncios regum Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Boëmiæ, ac multorũ dominorum Alemanniæ, qui (ut fama referebat) veniebant, expectando.

Die dicta quidam archiepiscopus, duo episcopi, & totidem clerici, qui se nuncios dicebant ducis Ruperti de Bavaria, quem regem Romanorum nominabãt, in concilium sunt inducti: qui tamen cum aliis non sederunt, nec, sicut ipsi, decorati fuerunt indumentis ecclesiasticis, sed mox proponi fecerunt per episcopum dictum de Berde, & in sua propositione ambiguitatibus plena solum fecit XXII. quæstiones, inter quas principaliores fuerunt: si cardinales sui collegii poterant se subtrahere ab obedientia sui papæ? si poterant evocare dictum papam? si poterant vocare concilium generale? si duo collegia poterant se mutuo habilitare ad tenendum concilium? concludendo quod dictum concilium debebat mutari & differri, attento quod ille quem papam nominabant suum, promptus erat comparere: dum tamen esset in alio loco, & promittebat complere quæ juraverat, si alter etiam adimpleret, dureque redarguendo suos cardinales dixit, quod injuste & irrationabiliter fecerant subtractionem prædictam. Cum verbis finem fecisset, & se paululum nuncii retraxissent, unanimi assensu assistentium conclusum est, ut revocati, eisdem præciperetur autoritate concilii, ut scriptis quæ proposuerant, traderent, & qualem a domino suæ habebant autoritatem: quod tandem non sine difficultate magna peregerunt.

Iterum dum hæc agebantur, qui extra valuas ecclesiæ custodiebant equos suos, magnam contentionem commoverunt, & adinvicem rixati sunt: præfati enim domini recedentes, in scandalum omnium aspicientium mutuo altercabantur; indeque clare patuit, quod non venerant nisi ad impediendum factum ecclesiæ.

Nondum exacta hebdomada ad villam Pisanam venit quidam Ivo nominatus Karlut, malum caput, dominus civitatis Darnun, in qua tunc Gregorius vel Errorius morabatur, qui ut erat litteratus, & facundus, & summe in rhetorica expertus, instantissime dominis cardinalibus requisivit, ut concilium differretur, & locus mutaretur: sed ad eum audiendum constituti valde solemnes clerici, domini cardinales Albanensis & de Thureio de parte nostra, de parte vero altera, Aquileię & Mediolani; qui multis rationibus ostenderunt, hoc non posse fieri; & sic inefficax, unde venerat, rediit.

Dominica Aprilis mensis die XXI. in præsentia omnium de concilio existentium, in ecclesia S. Martini archiepiscopus Tolosanus Missam celebravit: & inter solemnia Missæ quidam frater Minor episcopus Dignensis in Provincia sermonem faciens, & pro themate capiens; *mercenarius fugit*, ostendit luculentissime quo modo duo contendentes non erant veri pastores, sed mercenarii, ideo expellendi, attentis viis quas tenuerant: propositiones eorum etiam evidentissime improbavit, nec tenendas ostendit quas proposuerant ambassiatores ducis Ruperti de Bavaria: qui tamen nuncii eadem die subito sine responsione (nescitur quo ducti spiritu) recesserunt, quamvis assignata eis esset ad comparendum dies sequens.

Aprilis XXIV. die, in majori ecclesia congregatio sacri concilii facta fuit, missaque cum observantiis prætactis celebrata. Quia domini cardinales totum processum divisionis ecclesiæ à principio & huc usque, & quidquid summi pontifices, & ipsi interim egerant, in scriptis redigi fecerant: de consensu omnium assistentium advocatus sacri concilii cathedram ascendens, spatio trium horarum processum illum alte, & intelligibiliter legit: indeque fuerunt lectæ requestæ promotorum, continentes contra ambos contendentes: Primo quod concilium acceptabat aggregationem, & unionem mutuam duorum collegiorum, & totum quod ex ea poterat dependere: approbabat etiam evocationem cõcilii generalis per eos factam: citationem & evocationem contra duos contendentes roborando, firmas etiam decernebat: iterum, & quod locus Pisanus habilis erat ad celebrandum concilium ulterius; attento quod ambo contendentes fuerant debite evocati, & contumaces reputati. Ultra, & quod contendentes privarentur a dignitate papatus, eorum quoque fautores omnibus beneficiis, dignitatibus, officiis privarentur: & si

contra privationem istam aliquid attentarent, puniri possent per judices sæculares. Iterum, quod omnes reges & principes, & generaliter omnes cujuscumque status essent, penitus absolverentur a juramentis præstitis duobus contendentibus.

Ordinatum & tunc fuit in eodem concilio, ut viri litterati, honestæ conversationis, & bonæ conscientiæ, eligerentur ad recipiendum reformationes, testesque producendos per promotores præfatos contra duos contendentes, & specialiter super continuatione schismatis pertinaci, & super conclusionibus mutuo inter se factis: & ad nominandum prædictos viros, ut procederetur ulterius in facto dicti concilii, fuit continuata dieta ad diem Martis propinquam, ultimam mensis Aprilis.

Ipsa die dominus patriarcha Alexandrinus, magister Simon Cramant universitatis Parisiensis, nuncii ducum Brabantiæ, Hollandiæ, ac patriæ Leodiensis, villam Pisanam ingressi sunt: subsequenter quoque ambassiatores Angliæ, videlicet archiepiscopus [a] Salberiensis, cum uno episcopo, duobus abbatibus, uno milite, & duobus doctoribus, in comitiva nobili ducentorum equitum. Applicuerunt postea ambassiatores archiepiscopi Maguntinensis & archiepiscopi Coloniensis, cum apparatu insigni: nuncii tamen Colonienses ad duas dietas de villa Pisana, a gentibus marchionis de Mala Spina capti fuerant & detenti, sed interventu & favore domini Boussicaudi gubernatoris Ianuæ, cum omnibus bonis suis fuerant liberati.

[a] episcopus

Ultima die Aprilis congregato concilio, & Missa ab episcopo Luxoviensi in præsentia nunciorum Angliæ celebrata, post litanias & observantias prætactas, archiepiscopus [b] Salberiensis Anglicus cathedram ascendit: & sermonem faciens, unum & alterum contendentium rationabiliter increpando, exhortatus est dominos cardinales & concilium, ut procederent diligenter ad unionem ecclesiæ. Nihilque amplius actum est die illa, sed fuit continuata ad diem quartam Maii: dieque sequenti cardinalis Burdegalensis, altera quoque sequente cardinalis Hispaniæ, villam illam ingressi sunt.

[b] episcopus

Die quarta Maii concilio congregato, dum episcopus Ebroicensis Divina celebrabat, Anglorum nuncii, qui tunc præsentes aderant, ad latus sinistrum; patriarcha vero, episcopi Meldensis & Constantiensis, nuncii regis Franciæ, episcopus quoque de Gap nuncius regis Siciliæ, ad latus dextrum post cambellanum Romæ sederunt. Peractisque Missæ solemniis, cum prælati post consuetas observantias, ornamenta sumpsissent ecclesiastica, & patriarcha post primum cardinalem episcopum, dominum scilicet Prænestinum, sedisset, sicut statutum fuerat: quidam excellentissimus doctor Bononiensis Petrus d'Aquaran [c] nominatus, cathedram ascendens, quæstionibus factis ab ambassiatoribus ducis Ruperti de Bavaria respondens, subtiliter & profunde ostendit, contendentes per cardinales & concilium sufficienter evocatos; & quod contra eosdem poterant juste procedere; sed & illi domini sub quibus tunc residebant: prolatas dubitationes a nunciis dicti ducis Ruperti penitus annullando. Postea etiam advocatus ascendens cathedram, dixit, quod ad examinandum testes per promotores producendos cōtra duos contendentes, cardinalis de Laude Italicus, & cardinalis S. Angeli, pro duobus collegiis; pro regno Franciæ episcopus Lexoviensis, & tres doctores; pro regno Angliæ unus doctor; pro Provincia unus; & pro Alemania duo; velut ad id idonei nominati fuerant: & hoc omnes approbaverunt assistentes. Addidit finem dans ver-

[c] de Anharano

A bis, quod quia dominus Ladislaus, qui se dicebat regem Siciliæ, armis Saonæ urbem infestabat, quæ erat Florentinorum, impediendo sacrum concilium, ut aliqui ad eum mitterentur, qui autoritate concilii præciperent, ut inde recedens resipisceret ab inceptis. Et hic sermo bonus in oculis omnium assistentium visus fuit; diesque continuata fuit ad diem x. Maii. In congregatione ista, nuncii Maguntini & Colonienses non interfuerant, ob discordiam motam inter eos pro prioritate sessionis: ordinatumque extitit, ut reducerentur ad pacem.

Octava die Maii in ecclesia S. Michaelis, quia tunc celebrabatur festum Apparitionis ejusdem archangeli, præsentes fuerunt in concilio cardinales, Missamque celebravit dominus patriarcha: qui præ-B dicationes faciens, sex rationes posuit, per quas, propositiones nunciorum ducis Ruperti de Bavaria, efficaciter destruxit & annullavit, qui ponebant in dubium, si cardinales poterant evocare papam suum? si poterant sibi subtrahere obedientiam? si ambo collegia poterant se habilitare mutuo? nam luculenter probavit, quod hæc omnia rationabiliter poterant pro tanto bono, sicut extirpatio schismatis, & unio universalis ecclesiæ; & quod quidquid tactum fuerat, concilium poterat confirmare; multaque ibi tetigit facientia ad bonum unionis. In isto concilio interfuerunt archiepiscoporum Maguntiæ & Coloniensis nuncii, & sicut statutum fuerat, intermixti consederunt, & primus de Colonia. Missaque peracta per promotorem & unum clientem [a], multi præ-C lati citati sunt ad comparendum die sequenti in domo Carmelitarum coram commissariis per concilium ordinatis, ad jurandum in causa amborum contendentium. Ista die post prādium in ecclesia S. Martini, cum dominis cardinalibus nuncii regum & prælati congregati: tunc cardinalis Prænestinus dixit, quod fratres sui in prosecutione unionis nihil agere intendebant sine deliberatione concilii; & quia omnes nequibant in his deliberationibus interesse, bonum erat aliquos ordinare qui semper præsentes, cum deliberaretur, essent, & deliberata aliis nunciarent; & si aliquos dignos ad hoc repererant, illos nominarent. Ad hoc patriarcha dixit: jam conclusum pro natione Franciæ, ut de qualibet provincia archiepiscopus, si præsens esset, & in absentia episco-D pus, vel doctor hujus provinciæ interesset. Fueruntque nominati postea pro Francia patriarcha, archiepiscopi præsentes; pro provincia Senonensi episcopus Meldensis; pro Rotomagensi episcopus Lexoviensis: & sic de aliis: pro Provincia, quæ semper cum Francis stabat, episcopus de Gap: statutumque, ut sic de cæteris nationibus fieret, & ut soli nominati in deliberationibus remanerent.

[a] f. clericum.

Inde cardinalis Albanensis novam materiam intrans, nuncios Petri de Luna nunciat brevi venturos: quærens tamen quomodo reciperentur, audirentur, vel etiam tractarentur. Addidit & requestis per promotores factis XXIV. Aprilis, ut per dictum decer-E neretur concilium, quod ad ipsum ut repræsentans universalem ecclesiam cognitio pertinebat extirpationis schismatis, aut decisionis ipsius: statutumque est, ut die crastina post prandium, provinciarum deputati cum cardinalibus propter hoc congregarētur.

Super hoc IX. Maii locutus patriarcha pro natione Franciæ & Provinciæ, dixit, quod mutua deliberatione habita, rata habebant per cardinales postulata: adducens ultra, ut promotiones prælaturarum duorum contendentium, usque ad limitatum tempus approbarentur per dictum concilium; cui mox visum fuit, quod in finalibus fieret. Quantum ad receptionem

nem nunciorum Petri de Luna, indiscussum reliquit, A qualem honorem ipsis exhiberent, qui nondum scilicet subtraxerant obedientiam. Quoad audientiam concedendam, dixit quærendum ab eis qualem autoritatem habebant, & quibus dirigebantur, antequam audirentur: nec negavit quin honestatem servando, sine molestiis vel injuriis semper tractari deberent. Post patriarcham locutus archiepiscopus Salzberiensis, pro natione Angliæ, in puncto unico D. patriarchæ contradicens, mirari se dixit, quod aliqui subtraxerant, aliqui non: addens, quod necesse erat ut in concilio omnes essent unius voluntatis, & quod subtractio communis esset omnibus: concludens, quod B nullus honor erat nunciis Petri de Luna exhibendus: in qua opinione tandem stetit patriarcha; Quidam episcopus de Cracovia regis Poloniæ nuncius, Maguntini & Colonienses nuncii, & alii: sed super hoc, cardinales qui non subtraxerant, deliberationem petierunt.

Veneris decima die Maii, post Missam celebratam ab episcopo Massiliensi, & observationes prætactas, cum electis provinciarum inito consilio, cum advocatus proposuisset quæ prolocuta fuerant, non faciendo de subtractione nostrorum cardinalium mentionem, a promotoribus Anglicis super hoc interrogati adhuc deliberationes peterent: tandem super hoc interrogati assistentes omnes, subtractionem debere esse commu- C nem unanimiter concluserunt. Tunc dominus patriarcha, sedem suam, quam habebat inter duos cardinales antiquiores, relinquens, & cathedram ascendens, pronunciavit alta voce, autoritate concilii, subtractionem obedientiæ duorum contendentium licite fieri potuisse & debere; & illi qui eam fecerant, debebant, & poterant; nec deinceps a quoquam obediendum erat eis; & quod super habilitatione promotionum per eos facta, de post quod cessaverant a prosecutione unionis ecclesiæ, mature deliberaretur ulterius. Et quia dies prima productionis testium contra duos contendentes servari non poterat, quia diebus festivis acciderat: pro secunda productione diem XVII. Maii assignavit ad procedendum ulterius in causa prædicta.

D Maii XI. die in præsentia Electorum provinciarum, quidam episcopi & doctores fuerant deputati, qui minutam facerent subtractionis prætactæ, quæ traderetur concilio, ad corrigendum, si correctione indigeret, & correcta mitteretur ad omnes Christianitatis nationes. Dieque XIII. hujus mensis, in generali concilio dominus cardinalis Prænestinus dixit, quod omnes fratres sui consentiebant subtractioni per concilium ordinatæ.

Maii XVII. die ad instigationem promotorum, in generali concilio statutum est, ut subtractio prædicta in scriptis publice legeretur, ut consuetum est de jure. Insuper aliæ requestæ factæ & concordatæ fuerunt, quæ continentur in cedula sequenti, assignataque est dies ad XXII. mensis Maii, qua, consensu uni- E versalis concilii dominus patriarcha cathedram ascendens, prædictam cedulam alte legit, quæ sequentia continebat.

Anno Domini MCCCCIX. XVII. die mensis Maii quæ fuit Veneris, sancta & universalis synodus, &c. *Ut supra, pag.* 2196. E.

DE ELECTIONE
PAPÆ ALEXANDRI.

Ex eadem historia MSS.

Utriusque collegii dominis cardinalibus a sancta synodo autoritate concessa, ut ad electionem procederent unici vicarii Christi, devotissima ejus sponsa ecclesia (quam tamdiu obstinata ambitio amborum contendent um ancillari coegerat) honorem recuperaret pristinum, & regnis dominaretur universis: invocata Spiritus sancti gratia, quæ agenda susciperet dirigenda, conclave circa festum S. Ioannis Baptistæ ingressi sunt. Ne a semitis rectitudinis deviarent, preces validas principum compatriotarum, favorem, opulentiam, vel quorundam generis claritatem, justo favorabilius attendentes, ut actu similiannales sæpius referunt accidisse; quotquot pestiferum schisma oderant & reprobabant, devotis orationibus Divinas aures pulsabant, ut votis eorum sic condescendere placeret, quod inchoata valerent commendabili fine terminare. Qui regis assistebant assidue consiliis, ambigendum dicebant, ne domini justo remissius in agendis se habentes, mora nimia aliquod impedimentum intermedium allatura esset. Quapropter ipsis compendiosam epistolam accelerationis exhortativam misit. Sed antequam nuncius medium itineris attigisset, eos audiens negotium consummasse, non ulterius progredi dignum duxit. Sane sanctæ conversationis ac devotionis virum Petrum de Candia ordinis fratrum Minorum, in sacra pagina excellentissimum professorem, de archiepiscopatu Mediolanensi ad cardinalatum assumptum, (quem sciebant ex Candia Græciæ remotissima Insula, & ex ignota prosapia ortum, cui nec opum acervi, sed tenuis facultas res etiam familiares ministrabat) in summum pontificem elegerunt circa finem Iunii; Iuliique VII. die Alexandrum quintum vocaverunt. Quæ cum Regi litteris intimassent sui nuncii Parisiis missi, & quam laudabiliter olim studio Parisiensi sacræ Scripturæ flores odoriferos ubiq; longe lateque per orbem spargere docuerat: promotionem ejus tam favorabiliter acceptavit, ac si regnicola, vel de regio sanguine procreatus extitisset.

G. C. ADDITIO ALTERA

Ad acta concilii Pisani.

Habuit Odoricus Raynaldus alia concilii Pisani acta, ex quibus excerpta quædam annalibus suis inseruit Nos ex iis delibabimus quæ singularia sunt, & quorum nulla in actis superioribus mentio.

Advocatus concilii, qui in prima sessione concilium allocutus est, Simon Perusinus vocabatur. SESSIO I.

Sessione IV. Roberti Romanorum regis oratores quatuor, Ioannes Rigensis archiepiscopus; Matthæus Vormatiensis, & Ulricus Rigensis, episcopi, Conradus e Susato Spirensis ecclesiæ canonicus, & theologiæ professor. Ulricus primo statim accessu peroravit unus, seque ac suos venire professus est, ut pacem inter Gregorium & cardinales conciliarent. SESSIO IV.

Die consequenti, qui fuit XVI. *April. Conradus, non in publica sessione, sed in sacrario ecclesiæ, coram cardinalibus, proposuit dubitationes, supra descriptas, p.* 2165. B. *& seq. cum responsionibus quas esse lectas sessione VII. a Petro Ancharano ipsarum autore, constat ex actis superius editis ex Dacherii Spicilegio, sess. VII. & ex opusculo, cui titulus:* Quæ in synodo gesta, &c. *pag.* 2235.

IX. April. provocationem a Pisano concilio ad Gregorium ediderunt. Denique die Dominico XXI. *ejusdem mensis, salutato nemine clam abierunt. Provocationis autem a concilio, hoc instrumentum habe ex Raynaldo.*

In nomine Domini, Amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo quadringentesimo nono, Indictione secunda

ANNO CHRISTI 1409

secunda, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Gregorii Divina providentia papæ XII. anno tertio, die decimanona mensis Aprilis, hora Primarum vel quasi, in ecclesia S. Catharinæ ordinis Prædicatorum in civitate Pisarum, in notariorum nostrorum, testiumq; subscriptorum præsentia, personaliter constitutus honorabilis vir dominus Côradus de Susato, canonicus ecclesiæ Spirensis, in sacra theologia & in artibus magister, procurator, & procuratorio nomine serenissimi & gloriosissimi principis & domini, D. Roberti Romanorum regis semper augusti, constituentis, prout de ejus mādato per litteras patentes, sigillo majestatis dicti Romanorum regis in cera crocea impendente sigillatas, plenam fecit fidem: animo & intentione appellandi & provocandi, tenens in suis manibus quædam papiri folia, quandam appellationem seu provocationem in se continentia, hujusmodi appellationem seu provocationem interposuit, appellavit, & provocavit, apostolos petiit, & protestatus fuit, omniaq; & singula alia fecit, & facere se dixit, quæ in dictis papiri foliis continentur, quorum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis.

Coram vobis discretis viris notariis publicis, tanquam personis authenticis & fidelibus, & testibus hic astantibus fide dignis, ego Conradus de Susato, in sacra theologia & in artibus magister, canonicus in ecclesia Spirensi, procurator & nomine procuratorio serenissimi & excellentissimi principis & dômini, D. Roberti Dei gratia Romanorū regis semper augusti, præcipui defensoris & advocati ecclesiæ sācti Dei, animo & intentione appellandi & provocandi, & apostolos petendi, & recipiendi atque præstandi melioribus & efficacioribus modo, via, jure, causa, atque forma, quibus possum & debeo, dictusque dominus meus potest & debet, dico & propono: quod licet dudum felicis recordationis D. Innocentio PP. VII. ab hac vita mortali subtracto, tunc episcopi, presbyteri, & diaconi, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, qui tunc erant, celebratis ejusdem quondam D. Innocentii funeralibus, atq; ejus corpore ecclesiasticæ tradito sepulturæ, pro electione summi pontificis in côclavi secundum formam sanctorum canonum congregati, omnium & singulorum vota omnia & singula, côcorditer, nemine discrepante, in sanctissimum in Christo patrem & dominum, D. Angelum tit. S. Marci presbyterum cardinalem, ipsorumq; confratrem, ejus exigentibus meritis, Divinitus inspirati direxerunt; ipsūque in summum Romanæ & universalis ecclesiæ pontificem elegerunt, inthronizaverunt, & ut talem venerantes adorarunt. *Et nonnullis interjectis, quibus a cardinalibus, ut justum pontificem habitum, promulgatamque toto orbe illius electionem describit, subjungit:*

Nihilo minus dicti domini olim cardinales, omnes & singuli, uno dumtaxat excepto, suæ salutis immemores, inobedientiæ filii, nescitur quo ducti spiritu, foris egressi contra sacerdotem Domini, & relicto suo rege, rebellarunt, & ecclesiam sanctam Dei, quæ in unitate consistit, ad cujus defensionem prælibatus serenissimus dominus meus constituens astringitur & obligatur, scindentes & scindere molientes, se schismatis" contra papam irreligiosa temeritate instituerūt, necnon sua temeritate usque ad hoc prosiliere: & suam divisionem, catholicam esse credentes ecclesiam, cathedram sibi constituere atque primatum assumere conantes, ab eo quod unum est semetipsos segregarunt. Et licet præfati olim domini cardinales die XI. mensis Maii proxime præteriti omnem obedientiam dicto sanctissimo domino nostro Gregorio se scripserunt subtraxisse, prout in litteris suis datis Liburni

Deest auctores,

primo die mensis Iulii clarissime continetur, in quibus dicitur inter cætera: quod XI. mensis Maii proxime præteriti, omnem, quantum in nobis fuit, obedientiam juxta juris exigentiam abstraximus, & recessimus ab eodem: quæ, & tenorem litteræ ego procurator, prædicto nomine procuratorio, in quantum faciunt pro justificatione, & verificatione præsentis appellationis, haberi volo pro insertis: plurimum tamen magni, potentes, & sapientes viri, revocant in dubium, an dicta die, prout scripserunt, ipsi obedientiam abstraxerunt, eo quod idem dum cardinales in aliis suis litteris datis Pisis XII. mensis Maii scribunt: quomodo die XI. Maii recesserunt de Luca hora vigesimasecunda, hoc est per duas horas ante noctem? Et in eisdem litteris circa finem habentur hæc verba: Nec nostræ mentis est, a fide veritateque juris erga præfatum dominum nostrum (dummodo modis hactenus per eum retentis succisis, ipsum ad id quod tenetur effectualiter adimplere, dispositum videamus) modo aliquo deviare: sed tali eventu obediētiam & reverētiam debitas exhibere. Cum igitur XII. die Maii non habebant intentionem subtrahendi juxta jam expressa: quomodo stabit, quod die immediate præcedenti subtraxerunt obedientiam?

Item die XIII. dicti mensis Maii appellationem quandam interposuerunt, in qua coram domino Gregorio, tanquam sanctissimo domino & patre sanctissimo, cum omni reverentia, tanquam humiles ipsius servitores, appellarunt. Quinimmo dicunt in ea: A vobis, pater beatissime, irrationabiliter & secundum nō rectam rationem decernentibus, ad vosmet secundum certam rationem & melius informatū. Notarii quoq; ipsum in instrumento cui appellatio est inserta, sanctissimum in Christo patrem scribunt & appellant, &c. Ex quibus luce clarius habetur, quod tūc, scilicet die XIII. Maii, ipsi olim domini cardinales, & eorum notarii, dominum Gregorium pro sanctissimo patre & domino & summo pontifice manifeste scripserunt, nominarunt, & recognoverunt. Quomodo igitur scribunt, quod XI. die dicti mensis Maii obedientiā subtraxerunt? Ecce inculcationem, ecce involutionem, ecce dubitationem, mentibus principum, dominorum, & aliorum virorum sapientum ingestam. Et si sic erraverunt in principio: non est mirum, quod in fine gravius erraverunt. Dicitur namque: Parvus error in principio, maximus est in fine.

Esto tamen quod præfati domini olim cardinales die XI. mensis Maii obedientiam D. Gregorio subtraxissent, quod tamen ex præmissis non apparet: quia tamen, ut scribūnt in dictis litteris, hora vigesimasecunda, per duas scilicet horas ante noctem recesserunt, evidentissime constat, quod nullam solemnitatem nec ordinem juris in re tam grandi & nova, sicut merito servassent, servaverunt. Vix eis sufficiebat tempus Pisas accedendi ante noctem: & ecce obedientiam subtrahere concluserunt, & eam subtraxerunt, ipsumque sanctissimum dominum nostrum Gregorium contra justitiam & juris ordinem, ut apparet, spoliaverunt. Vbi deliberaverunt? in campo. Vbi concluserunt? in diversorio. Ecce præcipitationem facti in principio. Non enim immerito prius dominum Gregorium monuissent, quod nisi votis & juramentis satisfaceret, obedientiam sibi subtraherent. Numquid attendere debebant, cum quadam maturitate, quanta rei solemnitate Gallici processerunt cum suo domino, quem vocant Benedictum, cum semel sibi obedientiam subtraherent? Litteras autem & instrumenta appellationum, & alia superius inducta, in quantum faciunt pro justificatione præsentis appellationis, &c.

ANNO CHRISTI 1409.

ego procurator præsentibus haberi volo pro insertis.

Præterea dicti olim cardinales, prioribus non contenti, sed pejora malis adjicientes, præfato domino nostro, sanctissimo domino Gregorio, multiplices injurias verbis, scriptis, atque factis, cum nulla contra eũ adhuc esset lata sententia, cum etiam ipsi non essent, nec deberent esse judices in causa propria, contra juris & justitiæ ordinem, & omnem æquitatem humanam, in multiplex opprobrium sedis apostolicæ, universalis ecclesiæ, obedientiæ nostræ, & in cleri vilipendium, & totius cleri status denigrationem, multipliciter irrogarunt, ab executione sententiæ nondum latæ inchoantes. Sicque prædicti olim cardinales per litteras suas & pseudoapostolos, præfatum sanctissimum dominum nostrum, nondum juste convictum nec confessum, prædicarunt, intimarunt & publicarũt, quasi per totam Christianitatem, perjurum, votifragum, schismaticum, immo schismatis autorem, & hæreticum. Numquid est hic modus procedendi tantorum virorum, olim in tanto fastigio dignitatis constitutorum, ad quos oculi aliorum fidelium sicut sagittarii ad metam respiciunt, jurgiis, blasphemiis, & maledictionibus partem adversam, ante sententiam latam, tam turpiter & detestabiliter informare? numquid ista sunt media ad concordiam & unionem inducendam? numquid bonus finis, bene etiam intentus, per bona & apta media bene, & rationabiliter est prosequendus? numquid scriptum est: Quod justum est, juste exequaris?

Item quis est iste modus a sæculo inauditus, quod dicti olim domini cardinales, qui huc usque a tempore domini Gregorii, & sui prædecessoris, fuerunt duces nostræ obedientiæ, anticardinales Gallicos pridem excommunicatos, anathematizatos, & indignos aliquo prælationis titulo nominare, quinimmo schismaticos, & illius nefandi schismatis in ecclesia sancta Dei inductores & nutritores, vocant & scribunt reverendissimos patres & dominos, quinimmo & cardinales sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ; & sanctissimum dominum nostrum Gregorium vocant & scribunt schismaticum, & schismatis nutritorem! Bene hæc potest conversio in oppositam qualitatem appellari, cum tamen ipse sanctissimus dominus noster nec schisma induxit, sed pluribus, proh dolor! annis ante eum fuit & duravit, nec iis, qui schisma induxerunt, favet & assistit. Fomentum namque schismatis illis attribuitur, qui schisma faciunt, vel fecerunt, inducunt vel induxerunt, & in hujusmodi perseverant, vel eisdem assistunt, *&c.* sed nihil ad eos, qui non sunt sibi conscii alicujus culpæ in hoc facto. Sicut enim schisma Græcorum non est Latinis imputandum: ita nec schisma Gallicorum, seu per Gallicos introductum, capiti, vel membris obedientiæ Romanæ. Ipse insuper pro sublatione schismatis, cum nondum duobus annis esset in pontificatu, concilium generale decernere voluit, decrevit, & per suas patentes litteras, prout inferius plenius dicetur, induxit, ut unio & pax daretur ecclesiæ. Denique litteris suis & nunciis, omnes & singulos sub obedientia domini Gregorii consistentes requisiverunt & hortati sunt, ipsique nihilo minus mandaverunt, quantum in eis erat, ut ipsi & eorum singuli domino Gregorio obedientiam subtraherent: cum tamen ad hujusmodi subtractionem nondum essent causæ sufficientes ad lucem positæ. Mirabile visum est, quod de tanto volebant se intromittere. Quis etenim constituit eos judices Gregorii, & totius obedientiæ nostræ, & præsertim Germaniæ? Constat eos velle omnes a Romano pontifice declinare. Quod si factum fuisset, quis tempore medio dispensasset in casibus papæ reservatis? quis cognovisset in causis appellationum ad eum devolutis? quis etiam pallium dedisset, & archiepiscopos confirmasset? *&c.*

Præterea sanctissimus dominus noster Gregorius, videns se non posse proficere, nec concordare cum eo, qui se vocat Benedictum ab alia parte, ad viam cessionis perficiendam, conclusit pro unione in ecclesia Dei perficienda, viam concilii generalis, prout etiam illud convocavit, & indixit per certas litteras suas apostolicas sub data tertio Nonas Iulii, in festo scilicet Pentecostes proximo futuro: quarum litterarum tenorem, in quantum faciunt pro verificatione præsentis appellationis, & non aliter, ego procurator haberi volo pro insertis. Et verisimile est, quod ipse dominus Gregorius diu ante, cõcilium concluserat: sed antequam litteræ conficerentur, habuit cogitare de congruis tempore & loco, quibus deberet convocari.

Verum ut ipsi domini cardinales præfatum D. Gregorium etiam in hoc sanctissimo proposito prævenirent, præoccuparent, & impedirent: cum quibusdam anticardinalibus & schismaticis, dudum per D. Gregorium, & suos prædecessores, ex causis anathematizatis, & quocumque prælationis titulo privatis atque condemnatis, & pro schismaticis reputatis, atque a gremio & consortio sanctæ matris ecclesiæ, eorum exigentibus demeritis, prorsus exclusis, se univerunt & junxerunt; ac unum quoddam cum eis, ut asserũt, prætensum collegium, nullum caput habentes, neque recognoscentes, de facto licet non de jure effecti, quoddam prætensum concilium, quod potius conventiculum, vel conciliabulum dici debet, per certas suas litteras sub data anticipata, ut vehementer præsumitur, fabricatas, in civitate Pisarum, in festo Annunciationis virginis gloriosæ lapso, sub data Liburni, vigesima quarta mensis Iunii, indixerunt. Ex quibus quidem litteris quot dubitationes, quot inculcationes, & involutiones, in cordibus principum, & dominorum, & sapientum ac Christi fidelium exortæ sint, vix poterit calamo scribi, vel lingua explicari: eo quod isti domini olim cardinales, quantum ex ipsis eorum litteris luce clarius habetur (quas etiam, in quantum faciunt pro verificatione præsentis appellationis, ego procurator haberi volo pro expressis) nova, numquã prius visa, vel audita, attentare conati sunt; semitas antiquorum, & sanctorum patrum & sacrorum canonum doctrinas omittentes, obliquas ac dubias ambulare cœperunt vias, prout & illas continuant de præsenti. Et nihilo minus in neglectu posuerunt omne id & totũ quod est honestatis, consolationis, & conservationis obedientiæ nostræ, & ecclesiæ sanctæ Dei, de suis omnimodis confusione, desolatione, ruina atque divisione minime curãtes. Vnde, ut de pluribus pauca tãgantur, primo videamus de præoccupatione. Ex litteris namq, eorum pro cõcilio celebrãdo destinatis, de quibus statim facta est mentio, manifeste habetur, quod unio ipsorum olim cardinalium cum anticardinalibus, præcessit ipsam prætensi sui concilii indictionem: dicentes prius se esse unitos, & postea matura deliberatione conclusisse concilium convocandum. Vnde dicitur in dictis litteris inter cætera: Quibus » visis, & pluribus habitis inter nos consiliis, firmamus » nos venire cum dominis alterius collegii, & Liburnum » accedentibus nobis, qui locus est prope civitatẽ Pisanam ejusdem diœcesis, ac de eis dominis cardinalibus ex altera parte in sufficienti numero nobiscum congregatis, in unum nos univivimus propositũ, &c. Et nihilo minus, ut habetur ex litteris suis super eorum unione datis Liburni penultima die mẽsis Iunii, litteræ concilii datæ sunt per quatuor dies ante: quia

te: quia vigesimaquarta Iunii. Ecce quomodo in scriptis eorum dant intelligere sibi invicem contradictoria, quia ante indictionem convocationis concilii fuerunt uniti cum anticardinalibus,&non fuerunt uniti. Quis sanæ mentis ex istis non inciperet dubitare de factis, & processu dictorum dominorum? unde etsi dicti domini tempore suæ unionis cum anticardinalibus primo indixissent concilium: constat tamen, quod hoc factum fuisset per quatuor dies post datam litterarum convocationis concilii.

Item in quibusdam litteris suis dicto serenissimo Romanorum regi domino meo directis, datis Livurnii vigesima sexta Iulii scribunt ista verba: Deliberavimus invicem, convocare concilium generale ex utraque parte, eisdem loco & tempore: cujus rei atque nostri propositi intimationem, determinato loco ubi optandissima congregatio hujusmodi fieri debeat, & oratorem nostrum præcipuum, mittemus in brevi. Ex quibus litteris & verbis patet quod vigesimasexta Iulii, quæ fuit plusquam per mensem, post prætensam datam litterarum convocationis sui prætensi concilii, ipsi deliberaverant convocare conciliũ: sed nondum convocabant, quia nondum erat determinatus locus, ubi ista congregatio fieri deberet. Igitur tempore datarum litterarum sui prætensi cõcilii, nondum erant concordes de loco. Igitur data est anticipata, & hoc in fraudem domini Gregorii, ut vehementer præsumitur, & ut videantur eum prævenisse. Per ejusmodi enim adinventiones exquisitas vehementer suspicatur & præsumitur, ipsos olim cardinales, fuisse & esse causas impedimenti unionis exoptatæ. Nonne quivis catholicus hoc concipere poterit evidenter, quod si hujusmodi indictionem conciliabuli emisissent, dictumque concilium papæ fuisset sortitum effectum, nec, ut prædicitur, impeditũ, sicut obedientia Benedicti in suo, ita & nostra in papali concilio, unanimi voce & concorditer requisivisset, & efficaciter induxisset dominum Gregorium ad observantiam voti & juramenti sui pro reintegratione ecclesiæ sanctæ Dei? necessariumque fuisset ipsum ad hoc attendere, omnis dilationis mora profligata: alias tota obedientia, vero ordine, & juxta omnem æquitatem, & cum bona conscientia, recessisset ab eodem tanquã fautore schismatis antiquati, nullaque fuisset in nostra obedientia divisio subillata, quin immo ex tunc sincera unio per ambas obedientias procurata, & inducta. Quidam etiam abbas ambassiator dictorum dominorum olim cardinalium retulit, quod per duos menses disputarunt de loco, in quo indiceretur concilium. Et de hoc etiam habetur evidens magnumq; testimonium eorum, qui adhærent ipsis dominis olim cardinalibus, dicentium quod per totum mensem Augusti primo fuit concordatum de loco Pisarum cum Florentinis. Quod etiam patet ex hoc, quia nuncius qui deferebat litteras concilii cardinalium ad partes Rheni, habuit litteras credentiæ olim dominorum cardinalium sub data primæ Septembris: & post hæc recessit de Pisis: & per consequens tunc fuit primo expeditus. Et verisimile est, quod illum, vel alium nuncium, citius destinassent, si de loco & tempore die vigesimaquarta Iunii concordassent. Item multi curtessani, quorum aliqui tempore indictionis concilii, per Gregorium fuerunt in Luca, & aliqui in Pisis, & aliqui in Liburno, dixerunt quod dominus Gregorius publicaverat concilium suum per plures dies antequam audiretur de concilio olim cardinalium. Videtur igitur manifestum, quod datam prædictam callide anticipaverunt, volentes Gregorium & suum concilium prævenire. Quod si per impossibile non esset factum: quare sic tarde intimaverunt suum concilium? nam dominus Gregorius bene per duos menses suum concilium ante prætensum concilium eorum per litteras patentes publicavit.

Insuper etsi convocatio concilii generalis, juxta traditionem & decreta sanctorum patrum, pertinet ad summum Romanæ ecclesiæ pontificem, dispositum saltem ad convocandum, & qui, quantum in se est, concilium generale indixit, & per suas patentes litteras apostolicas publicavit: dicti tamen olim cardinales, & eorum in hac parte complices, in litteris & scriptis suis affirmant, & verbis prædicare non verentur, quod hoc veritatem habeat de papa indubitato. Per quæ papatum domini Gregorii revocant in dubium, cum tamen in instrumento conclavis ad instantiam dictorum dominorum, ante electionem domini Gregorii in summum pontificem, clare dicatur in hæc verba: Et intendentes ad remedia fortiora, non quid juris pro parte eorum justitia suadet. Quod jus verissimum est & plena veritate fulcitum. Dicti autem instrumenti conclavis tenorem, in quantum facit pro justificatione & verificatione præsentis appellationis, ego procurator prædictus volo haberi pro expresso.

Præterea si dubitant de papatu domini Gregorii, quare simili ratione non dubitant de suo cardinalatu? quod si dubitant, tunc etiam ex simili dubio non habent se intromittere de electione summi prætensi pontificis, contra prætensam practicam quam habent præ manibus. Item pariformiter dicti domini, & eorum complices, habebunt dubitare de papatu Innocentii VII. Bonifacii IX. & fortassis Urbani VI. & sic in eandem videntur incidere opinionem, quinimmo & verius errorem, cum Gallicis, qui a principio istius detestandi & horrendissimi schismatis, ecclesiam catholicam & inconsutilem Christi tunicam dividere præsumpserunt. Ipsi etiam in dando dominum Gregorium, & alium, seu alios, ejusdem prædecessorem seu prædecessores, obedientiæ nostræ, in summos pontifices: eandem nostram obedientiam totam videntur decepisse, subsannasse, & eidem illusisse, si fas est dicere.

Item in litteris, quas scripserunt serenissimo domino meo, domino Ruperto Romanorum regi, post assumptionem dicti domini Gregorii, sub data Romæ decima Decembris, scribunt in hæc verba: Post solemnes de futuri pontificis electione tractatus, illo divinus inspirante, qui cuncta perpetua ratione gubernat, vota nostra in reverendissimum in Christo patrem & D. ex nostro collegio D. Angelum tit. S. Marci presbyterum cardinalem confratremq; nostrum ad culmen dignitatis apostolicæ, post Divinæ gratiæ munera, universis ejus exigentibus meritis, nec immerito ascensurum, nemine discrepante, direximus, ipsumq; confratrẽ nostrum die ultima Novembris in dominũ nostrum elegimus atq; patrem. In quibus verbis dant manifeste intelligi, quod ipsum Gregorium ad culmẽ apostolicæ dignitatis elegerunt & assumpserunt, nullum dubium prætendentes. Quod si aliquod dubium prætendebant, quare ipsum omni dubio semoto in summum pontificem elegerunt, & ipsum toti nostræ obedientiæ pro summo pontifice dederunt, præsentarunt, necnon verbis & scriptis, nunciis & ambassiatoribus, cum solemnitate debita publicarunt?

Præterea licet congregationẽ per dictos olim cardinales indictã in Pisis ad festum Annũciationis virginis gloriosæ proxime præteritum, prætẽdant esse conciliũ generale, & in eo tanquam in cõcilio generali posse, & debere facta tractari universalis ecclesiæ, eaq; habere vim & efficaciam: nihilo minus ex ratione, & simul ex scriptis eorum, & modo procedendi, contrarium

ANNO CHRISTI 1409.

luculenter apparet. Concilium namque generale debet esse liberum secundum traditiones sanctorum patrum: sed congregatio indicta per ipsos olim cardinales, expresse restricta est & limitata: unde in litteris suæ convocationis dicitur in hæc verba: Finisque imponatur schismati, per viam mutuæ cessionis: & infra: Est enim nostra, & dominorum de collegio alterius partis intentio, & irrevocabile propositum, quod cum his, qui veniunt ad dictum locum & terminum, provideatur fidei & ecclesiæ juxta effectus prædictos. Item in litteris confœderationis, seu unionis dictorum dominorum cum anticardinalibus, dicitur & scribitur inter cætera sic: Iuramento & voto irrevocabili firmavimus, quod per viam mutuæ cessionis, ambo[a] de papatu, vel alterius alio mortuo vel canonice ejecto, prosequamur unionem.

[a] *f.* amborum de papatu contendentium,

Numquid isti præsumunt imponere legem Spiritui sancto, a quo dicitur regi concilium generale? numquid sunt dabiles aliæ viæ rationabiles pro unione ecclesiæ sanctæ, quam via cessionis? unde via hæc cessionis est a Gallicis pridem adinventa, & in particulari eorum conciliabulo determinata: quam pro lege isti ponentes, per anticardinales Gallicos inducti, concilium limitare, & regulam seu legem Spiritui sancto imponere minus provide, quinimmo & periculose, præsumpserunt. Quasi concilium, non quamcumque rationabilem viam pro unione ecclesiæ introducenda non inquirere, de ea deliberare, atque eam libere & absolute assumere debeat atque possit.

Item terminus in litteris convocationis prædictæ expressus, videtur esse nimis brevis, quoad plures de nostra obedientia: eo quod plurima tantum[a] distantia a loco Pisarum, quod post insinuationem eis factam, per se, vel suos procuratores, ad locum Pisarum non poterunt modo humano pervenire. Si igitur non veniant, non tamen sunt contumaciter absentes, & per consequens congregatio facta Pisis non meretur dici concilium generale. Præterea dicti prætensi domini videntur asserere, dicere, & tenere, quod sanctissimus dominus noster, dominus Gregorius, teneatur in Pisis in concilio prætenso, per eos indicto, potius conciliabulo, comparere; & si veniret, quod posset ibidem judicari. Quod utiq; ex iis, quæ gesta sunt hactenus, nullatenus apparet, eo quod major pars prælatorum in Pisis existentium est de parte sibi adversa, quæ partem nostram semper reputavit & prædicavit schismaticam, sicut e contra: alii autem omnes fere subtraxerunt domino Gregorio obedientiam diu ante concilii sui prætensi indictionem, & fecerunt se partem contra eum ipsum, incusantes & crimina enormia imponentes ante sententiam latam; ipsique olim cardinales sunt excommunicati, omnique honore & dignitate privati & exuti. Quis autem compos rationis præsumat dicere, quod quis, quantumcumque etiam modicus, coram suis adversariis, seu parte adversa, comparere teneatur, seu etiam quod sententia prætensa, si quam ferret, ipso jure subsisteret?

[a] *Corr.* tam sunt

Præterea esto quod dominus Gregorius veniret Pisas, & vellet renunciare: non veniente Benedicto, dubium est an debeat renunciare, cum contingere posset quod ille, qui vocat se Benedictum, parte ex adversa post resignationem Gregorii diceret: Ego jam sum unicus, & nullum habeo contendentem de pari: cur vultis me privare vel compellere ad cedendum? Quod si fieret, utique cederet ad ignominiam & verecundiam permaximam totius obedientiæ nostræ: & maxime quia dicitur, & ita dicunt aliqui ex olim cardinalibus nostræ obedientiæ, quod anticardinales Gallici obedientiam suo Benedicto pridem

A restitutam nondum abstraxerant. Præterea licet necessario aliqui de prætensis olim dominis cardinalibus, & anticardinalibus, fuerint excommunicati, anathematizati, inhabilitati, & omnis prælationis titulo privati: nihilo minus in vilipendium apostolicæ potestatis clavium ecclesiæ, nescitur quo jure, quo modo, & qua bona conscientia, una partium alteram habilitavit, dispensavit, famæ restituit, & in cardinales creavit, & fortassis una aliam absolvit. Quæ utiq; nullatenus ipsis vel alicui eorum, sed soli papæ, vel suam autoritatem habenti, possunt convenire.

Item licet domini olim cardinales ex obedientia nostra primo, & deinde ipsi & anticardinales Gallici simul pro parte serenissimi domini, domini Roberti

B Romanorum regis constituentis, domini mei, & per suos solemnes oratores, fuerunt cum omni reverentia & debita instantia requisiti & exhortati, quatenus amore Dei, & intemeratæ virginis Mariæ, & totius curiæ supercælestis, necnon contemplatione ecclesiæ militantis, & ad petitionem regiæ majestatis, vellent inclinari ad mutandum locum Pisarum, & ad reconveniendum in alio certo loco, dicto domino Gregorio, & eis congruo, ubi dominus Gregorius faceret id, ad quod obligatur, & ulterius ad electionem unici summi pontificis procederetur, quia speraret dicta regia majestas, quod per istum modum omnibus dubiis, scrupulis, perplexitatibus, difficultatibus, ac novis

C divisionibus, præcipue in partibus obedientiæ nostræ, sublatis & exclusis, fieret pura, & sincera, integra ac universalis unio in ecclesia sancta Dei, quam per concilium indictum a domino Gregorio, vel etiam per congregationem in Pisis factam seu indictam, timeret non posse habere: quod si ad hoc inclinarentur, & sic facerent, dicti oratores regiæ majestatis offerebant ipsis dominis plenam ejusdem regiæ majestatis assistentiam: & sive dictus dominus Gregorius in dicto loco compareret, & debitum suum faceret, sive non, nihilo minus ad electionem summi pontificis procederetur, quia ex tunc clare appareret, quod dominus Gregorius nollet facere debitum suum.

D Fuit etiam per eosdem oratores dictum & allegatum, quod si pro anima hominis lucranda expediret, sicut revera expedit, magnam, immo multum grandem rem facere: multo magis incomparabiliter ad lucrandum plures animas, ad cavendum innumeras strages, ad præveniendum destructiones, destitutiones, & desolationes ecclesiarum, monasteriorum & cœnobiorum, atque universali integra ac pura unione facienda & procuranda, brevis mora, cum assignatione alterius loci bene commodi, nullatenus esset deneganda. Licet etiam dubia & difficultates, quibus multorum animi moventur & moti sunt, in præsentia dictorum dominorum & aliorum prælatorum in ecclesia cathedrali Pisana congregatorum, die de-

E cimaquinta mensis Aprilis fuerunt explicata, propter quæ & alia plurima, prout tunc publice dicebatur, timor erat, & est dictum domino regi Romanorum, quod per congregationem in Pisis factam, sincera & integra fidelium unio nequaquam haberetur: nihilo minus dicti domini, quasi indurati, obstinati, & in alienum sensum miserabiliter versi, & primo & secundo responderunt præcipitanter, prompte, & satis irreverenter, quod impossibile esset mutare locum, quodque super mutatione loci nihil vellent audire, vel tractare quoquo modo.

Et quia dicti olim cardinales, prout colligitur ex præmissis, consideratis viis & modis per eos servatis, ab obedientia domini Gregorii summi pontificis perperam recesserunt, multiplices injurias verbis, scri-

ptis,

ANNO CHRISTI 1409.

ptis, & factis, irrogarunt, & ipsum blasphemarunt; prætensum quoddam concilium, quinimmo conciliabulum, in loco Pisarum, ad præveniendum, præoccupandum, & impediendum concilium indictum per sanctissimum dominum nostrum Gregorium papam duodecimum, quantum in eis fuit, indixerunt; datam litterarum, ut præsumitur, anticiparunt; locum sui prætensi concilii, verius conciliabuli, dudum antequam eis esset concessus, pro congregatione fienda nominarunt; ipsum dominum Gregorium, papam dubitatum appellarunt & scripserunt; suam congregationem prætensam, quam concilium vocant, contra libertatem & naturam concilii, certis modis, tanquam legem imponentes Spiritui sancto, limitarunt & restrinxerunt; terminum conventionis seu congregationis pro multis de nostra obedientia nimis brevem assignarunt; in propria causa, cum sint pars & manifesti adversarii, se judices, vel conjudices esse præsumpserunt; se invicem, licet nulliter & de facto, habilitaverunt; petitiones, instantias, requisitiones, & exhortationes per oratores dicti domini serenissimi regis Romanorum, & pro parte sua oblatas & factas, pro pura, sincera, & integra unione fidelium inducenda (ut cum eorum bona venia loquar) animose, pertinaciter, & præcipitanter, temere, & irreverenter excluserunt, & admittere recusarunt; & quia etiam, ut verisimiliter timetur, dicti prætensi olim cardinales in neglectu penitus ponentes omne id, quod est confusionis, desolationis, ruinæ, destitutionis, verecundiæ, ignominiæ, & divisionis partis & obedientiæ nostræ, quantum apparere potest ex iis quæ per eos acta sunt, aguntur, & agentur verisimiliter in futurum, sanctam ecclesiam catholicam, & inconsutilem Christi tunicam, scindere, dividere, lacerare, laniare, prosternere, & conculcare, timore Dei prorsus excluso, satagentes, plura scandala, dissidia, & errores introducere, ac procurare, & quantum in eis erit, facere non cessabunt novum idolum, vitulum conflatilem, perversum antichristum, & maledictionis æternæ filium nominando, & intrudendo suas pravissimas, & perversissimas affectiones, & errores insequendo, quibus totum statum sedis apostolicæ, & Christi fidelium, ad exitium & præcipitium intolerabile ponere, & integraliter subvertere nituntur: idcirco ego Conradus supradictus procurator, & procuratorio nomine præfati excellentissimi & gloriosissimi principis ac domini, domini Roberti Romanorum regis semper Augusti, cernens dictos olim cardinales, & alios anticardinales, quibus dicunt se unitos, a suo prætenso proposito non posse revocari; sed eos hujusmodi velle intendere damnabiliter, & de facto inhærere: sentiensque sanctam & universalem ecclesiam catholicam, cujus ipse Romanorum rex est defensor, & advocatus præcipuus, ad quem spectat, ne eam aliquibus patiatur insidiantium procellarum fluctibus illidi, & quietam faciem tempestatis insolito timore turbari, & præsertim obedientiam nostram, per omnia & singula præmissa, & alia plurima, quæ calamus non capit, attentata & præsumpta, in suoque prætenso conciliabulo, per se & eos qui in eo confluunt & conveniunt, verisimiliter, ut timetur, licet nulliter, & de facto, attentanda & præsumenda, dictumque dominum meum, serenissimum dominum regem Romanorum, & jus suum ac quoslibet Romanæ ecclesiæ & sacri Romani imperii fideles, & præcipue status, honores, & jura regum, principum & prælatorum, communitatum, ac personarum tam spiritualium, quam sæcularium, cujuscumque status, conditionis, vel sexus existant, præsertim eorum, qui hactenus fuerunt de obedientia domini

A Gregorii, & suorum prædecessorum, multipliciter læsa esse, vel saltem lædi, & gravari posse quomodolibet in futurum; ne etiam præfatus serenissimus Romanorum rex per dictos olim cardinales, & anticardinales, ac eorum conciliabulum, nulliter & de facto attentata, fienda, & præsumenda, aut ipsorum aliqua, in præjudicium sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, sacrique Romani imperii, sive regni, regum, principum, prælatorum, communitatum, ac personarum, sive spiritualium, sive sæcularium, atque prædictorum ejusdem ecclesiæ & sacri Romani imperii sive regni subditorum quorumcumque, aliquatenus videatur approbare, aut in ea vel ipsorum aliquod cōsentire quovis modo; & volens nedum contra præterita illata, B ac præsentia gravamina, quæ fortassis inferuntur, sed & contra futura, licet nulliter & de facto, inferenda juris beneficiis, dictum dominum nostrum Romanorum regem, sanctam Romanam ecclesiam, sacrum Romanum imperium sive regnum, omnes & singulos supra nominatos defendere, & juvare a præmissis omnibus & singulis, & aliis gravaminibus quibuscumque illatis, & inferendis, comminatis & comminandis, & omnibus sequelis, seu illis quæ elici poterunt quomodolibet ex eisdem, vel eorum altero, communiter vel divisim, pro dicto domino serenissimo Romanorum rege, & pro aliis regibus, principibus, prælatis, communitatibus, personis privatis, spiritualibus, vel sæcularibus, & aliis quibuscumque præsenti appellationi adhærentibus; necnon a dictis olim C cardinalibus, anticardinalibus, conventiculo atque conciliabulo per eosdem convocato, vel in posterum convocando, contra ipsos & quemlibet ipsorum adhærentium eis, atque suum conciliabulum seu conventiculum ingredientium seu approbantium, quod cum de jure, & bona æquitate ac ratione possum, & debeo, & ipse præfatus serenissimus princeps dominus meus Romanorum rex potest & debet, ad Dominum nostrum Iesum Christum, sponsum & caput præcipuum ecclesiæ militantis, judicem vivorum & mortuorum, nec non ad generale concilium legitime, rite, & canonice, atque debite convocatum, seu convocandum, in iis scriptis procuratorio nomine D quo supra, provoco & appello, apostolos peto primo, secundo, tertio, instanter, instantius, instantissime, si quis sit qui eos mihi dare possit, velit, aut valeat, protestans, quod hac appellatione seu provocatione pendente contra præfatos, sanctam Romanam ac universalem ecclesiam, & serenissimum dominum meum Robertum Romanorum regem, cæterosque reges, principes, prælatos, communitates, personas spirituales, & sæculares, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ & Romani imperii subditos, præsenti appellationi, & dicto Romanorum regi adhærentes, seu adhærere volentes, nihil omnino debeat attentari.

Submitto nihilo minus ego Conradus procurator nomine procuratorio quo supra, Domino nostro Iesu Christo & futuro generali concilio, rite, legitime, at- E que canonice convocato, vel convocando, prædictæ S. Romanæ ecclesiæ jura, privilegia, honores, bona, immunitates, & libertates, atque ejusdem ecclesiæ dictique domini Roberti Romanorum regis constituentis, domini nostri, aliorumque regum, principum, prælatorum, communitatum, personarum, atque ecclesiæ & imperii subditorum, ac fidelium, omniumque & singulorum sibi & præsenti suæ appellationi adhærentium, vel adhærere volentium, omnia atque singula bona præsentia, & futura, cum protestatione minuendi, corrigendi, immutandi, facti substantia non mutata, & alias prout est moris, cum protestatione etiam intimandi, insinuandi, & publicandi, ubi,

ANNO CHRISTI 1409.

ubi, quando, quibus, & quoties videbitur expedire.

SESS. X. & XI.

Lecti sunt sessionibus decima & undecima aliquot articuli adversus Gregorium & Benedictum, iidem prorsus atque ii qui sessione V. lecti fuerant. Hoc interest, quod in quinta sessione eos promotor proposuerit narrative & dispositive, *ut ipse sub finem loquitur*, offerens se probaturum in eis contenta: *at his sessionibus lecti sint testium fide muniti. Itaque prius propositi sunt accusatoris loco, nunc convictionis. Cum igitur descripti superius pag. 2172. fuerint sessione V. actorum ex Dacherii Spicilegio editorum: hic integros ex Odorici Raynaldi annalibus describere supersedeo: sed ea tantum, quæ in his sessionibus vel addita, vel mutata sunt.*

Articuli producti coram sancta synodo contra Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum Corario, Gregorium XII. nuncupatos, de papatu perperam contendentes, notorii probantur, ut sequitur.

Coram hac sancta & universali synodo, hic præsentialiter Spiritus sancti gratia congregata, &c. p. 2172.

I. Articulus. Et ut ab exordio schismatis, vera & notoria describatur narratio: deputati ad facta infrascripta colligenda & causas, dant & exhibent huic sancto concilio, quæ in sequentibus describuntur, tanquam vera, manifesta, & notoria.

Post mortem enim, &c. *Ibidem usque ad hæc verba*, & unitas in Dei ecclesia reduci valeret, quamvis domini cardinales de utraque obedientia id permaxime anhelarent: sed non poterât exequutioni demâdare propter potentiam præsidentium.

Probatio primæ partis primi articuli est & probatur per quatuordecim testes, quorum tres sunt cardinales, quinque episcopi, & unus ad certam ecclesiam cathedralem electus. Unus est abbas, tres doctores, & unus licentiatus in decretis.

Sed superveniente domini Clementis transitu ab hac luce, iidem domini cardinales qui in Avinione erant, inter quos erat dominus Petrus de Luna diaconus cardinalis tunc, postea assumptus in Benedictum XIII. quod semper gesserunt in corde, disposuerunt in actionem adducere, futuris impedimentis & ambitionibus viam præcludendo. Propter quod post conclavis ingressum, antequam ad electionem procederent, ad invicem promiserunt, & juramento firmaverunt, quod si quis eorum in papam eligeretur, prosequeretur extirpationem schismatis, & unitatis vinculum in Dei ecclesia reduceret, per omnes vias rationabiles & accommodas, per quas brevius posset haberi unio, etiam usque ad renunciationem papatus inclusive, si majori parti dominorum cardinalium eorum, qui tunc erant, pro bono unionis videretur expediens fore: ut hoc in quadam cedula super præmissis facta, subscripta manibus ipsorum dominorum cardinalium, plenius continetur. Et singulariter fuere prædicta jurata per dominum Petrum de Luna, tunc diaconum cardinalem S. Mariæ in Cosmedin, &c. *usque ad hæc verba*: ad requisitionem dominorum cardinalium prædictorum. *pag.* 2173. C.

Et ista secunda pars primi articuli probatur per XII. testes, tres sunt cardinales, quatuor episcopi, & unus electus ad ecclesiam cathedralem, unus abbas, duo legum & decretorum doctores, & unus licentiatus in decretis.

Et tunc illico ipse dominus Benedictus ad varias mundi partes, verbo & scripto mandavit & notificavit, quod erat omnino dispositus renunciare pro bono unionis, adversario pariter renunciante. Sed infra paucos dies sic opinionem mutavit, quod de via cessionis verbum audire nolebat, illosque exosos habebat, qui de illa materia mentionem faciebant.

Et probatur notorius per octo testes, quorum unus est cardinalis, duo sunt episcopi, unus electus confirmatus ad ecclesiam cathedralem, unus abbas, duo doctores, tam legum, quam decretorum, & unus licentiatus in decretis.

II. Articulus. Post vero ipsius domini Benedicti assumptionem, domini cardinales, &c. *usque ad finem articuli.*

Et probatur per octo testes, quorum tres sunt cardinales, unus episcopus, unus electus ad ecclesiam cathedralem, duo doctores decretorum, & unus licentiatus in decretis.

III. Articulus. Deinde infra annum assumptionis domini Benedicti, &c. *usque ad hæc verba*, quod erat necessarium & expediens ut per viam mutuæ cessionis finis schismati imponeretur. *pag.* 2174. C.

Et probatur ista prima pars tertii articuli per decem testes, quorum duo sunt cardinales, tres episcopi, unus ad ecclesiam cathedralem electus, unus abbas, & duo doctores juris canonici & civilis, unus licentiatus in decretis.

Deinde etiam cardinales iteratis & humilibus supplicationibus, &c. *usque ad finem articuli tertii.*

Et probatur ista secunda pars tertii articuli per duodecim testes, quorum tres sunt cardinales, quinque episcopi, unus ad ecclesiam cathedralem electus, unus legum doctor, unus abbas, & unus licentiatus in decretis.

IV. Articulus. Ex post serenissimi principes, reges Franciæ, Angliæ, &c. *per totum.*

Et probatur quartus articulus per decem testes, quorum duo sunt cardinales, quatuor episcopi, unus ad ecclesiam cathedralem electus, unus abbas, unus doctor legum, unus licentiatus in decretis.

V. Articulus. Post hoc illustrissimus princeps, rex Romanorum & Bohemiæ, &c. *p.* 2175. D. *usque ad hæc verba*: quia crederet peccare mortaliter, si illam acceptaret & prosequeretur.

Et probatur illa pars prima quinti articuli per undecim testes, quorum quatuor cardinales, tres episcopi, duo legum doctores, & unus archipresbyter ecclesiæ cathedralis, & unus licentiatus in decretis.

Hæc autem assertio sive dogmatizatio sic publice facta audientes commovit quamplurimum, &c. *usque ad finem articuli.*

Et probatur ista secunda pars quinti articuli per septem testes, quorum quatuor sunt cardinales, duo episcopi, & unus licentiatus in decretis.

VI. Articulus. His peractis, ostenderunt domini cardinales frequenter domino Benedicto claris & evidentibus rationibus, &c. *per totum.*

Et probatur iste articulus per quinque testes, quorum duo sunt cardinales, unus episcopus, unus electus ad ecclesiam cathedralem, unus licentiatus in decretis.

VII. Articulus. Ulterius quia multi reges, & principes, prælati, & alii, &c *per totum.*

Et probatur iste septimus articulus per sex testes, quorum tres sunt cardinales, unus episcopus, unus ad ecclesiam cathedralem electus, & unus

unus licentiatus in decretis.

VIII. *Articulus.* Subtractione ipsi domino Benedicto facta durante, *&c. usque ad hac verba* : quod illa quæ verbo obtulerat, facto haberet adimplere. *pag.* 2177.B.

Et probatur ista prima pars octavi articuli per octo testes, quorum duo sunt cardinales, tres episcopi, unus ad ecclesiam cathedralem electus, unus utriusque juris doctor, unus licentiatus in decretis.

Et in restitutione obedientiæ, inter ipsum dominum Benedictum, *&c. Ibid. usque ad finem articuli.*

Et probatur ista secunda pars octavi articuli per testes quatuor, &c.

IX. *Articulus.* Exactis ex post aliquorum temporum intervallis, dominus Benedictus suos destinavit nuncios, *&c. per totum.*

Et probatur iste nonus articulus per septem testes, quorum tres sunt cardinales, duo episcopi, unus ad ecclesiam cathedralem electus, & unus licentiatus in decretis.

X. *Articulus.* Subsequenter mortuo domino Bonifacio, præfati *&c. usque ad finem articuli.*

Et probatur iste decimus per vigintiquinque testes deponentes, aliquis super toto, aliquis super partibus: quorum quatuor sunt cardinales, unus magnificus baro, tres auditores, unus magister in theologia, unus doctor legum, unus advocatus consistorialis, unus clericus cameræ, duo scriptores litterarum apostolicarum, unus scriptor pœnitentiariæ, unus licentiatus in decretis, unus nobilis de Ianua, unus olim vicecamerarius, unus clericus capellæ, duo generales ordinum Mendicantium, unus alius scriptor litterarum apostolicarum, procurator ordinis.

XI. *Articulus.* Item ipse dominus Gregorius per suas litteras & nuncios, prædicta per eum jurata, *&c.*

Et probatur undecimus articulus per quatuordecim testes deponentes, quosdam super toto articulo, & quosdam super partibus: quorum quatuor sunt cardinales, unus magnificus baro, duo auditores, unus licentiatus in decretis, unus clericus cameræ, duo scriptores litterarum apostolicarum, unus scriptor pœnitentiariæ, unus clericus capellæ, unus advocatus consistorialis.

XII. *Articulus.* Et per antea audito de bona voluntate domini Gregorii, *&c. usque ad finem articuli.*

Et probatur iste duodecimus articulus per quatuordecim testes, quorum tres sunt cardinales, unus magnificus baro procurator, unus auditor, unus clericus cameræ, unus generalis ordinis Mendicantium, unus scriptor pœnitentiariæ, unus clericus capellæ, duo scriptores litterarum apostolicarum.

XIII. *Articulus.* Item quod dictus dominus Gregorius, cum de dicta concordia loci Saonæ notitiam habuisset, *&c. per totum articulum.*

Et probatur iste articulus per septemdecim testes, quorum quatuor sunt cardinales, quinque doctores, quatuor scriptores litterarum apostolicarum, & quatuor nobiles viri.

XIV. *Articulus.* Item quod licet dominus Gregorius maxime ad importunam instantiam, *&c. usque ad finem articuli.*

Et probatur iste articulus per septemdecim testes.

XV. *Articulus.* Tandem loco de Petra sancta, ut præmittitur, prius oblato, *&c.*

Et probatur iste articulus XV. per XXIII. testes, quorum sex sunt cardinales, unus episcopus, quatuor doctores, unus magister in theologia, quinque scriptores

A apostolici, & sex alii notabiles viri.

XVI. *Articulus.* Præterea ut evidentius de ipsorum dominorum contendentium de papatu collusione constet, *&c. usque ad articuli finem.*

Et probatur iste XVI. articulus per VIII. testes, quorum duo sunt cardinales, unus episcopus, duo doctores, unus magister in theologia, unus scriptor, & unus magister baro.

XVII. *Articulus.* Existentibus autem præfatis dominis Gregorio & Benedicto in Luca, *&c. per totum art.*

Et probatur iste XVII. articulus notorius per XIV. testes, quorum quatuor sunt cardinales, duo doctores, unus magister in sacra pagina, tres scriptores, & alii quatuor notabiles viri.

B XVIII. *Articulus.* Videntes autem domini cardinales in Portu Veneris existentes, *&c.*

Et probatur iste articulus notorius per quinque testes, quorum tres sunt cardinales, unus episcopus, & unus licentiatus in decretis.

XIX. *Articulus.* Item pari modo dominus Gregorius alienavit multa bona ecclesiæ Romanæ, *&c.*

Iste articulus probatur notorius per XII. testes, quorum duo sunt cardinales, unus doctor, unus magister in theologia, unus clericus cameræ, & tres scriptores, & quatuor alii notabiles viri.

XX. *Articulus.* Item quod idem dominus Gregorius loquentes sibi vel aliis, *&c. usque ad articuli finem.*

C Iste articulus notorius probatur per XIV. testes, quorum duo sunt cardinales, unus episcopus, duo doctores, duo magistri in sacra pagina, quatuor scriptores, & tres alii notabiles viri.

XXI. *Articulus.* Demum domini cardinales, seu eorum major pars, *&c.*

Iste articulus probatur notorius per tres testes, quorum unus est cardinalis, unus episcopus, & unus licentiatus in decretis.

XXII. *Articulus.* Consequenter domini cardinales in Portu Veneris existentes, *&c.*

Iste articulus probatur notorius per XI. testes, quorum quinque sunt cardinales, unus episcopus, unus magister in sacra pagina, tres scriptores apostolici, unus doctor.

D XXIIII. *Articulus.* Item dominus Gregorius in Luca existens, obtulit domino Benedicto locum Pisarum, *&c.*

Iste articulus probatur notorius per XV. testes, quorum quatuor sunt cardinales, tres doctores, duo magistri in theologia, quinque scriptores, unus magnificus baro.

XXIV. *Articulus.* Subsequenter dominus Gregorius in Luca existens, *&c.*

Iste articulus probatur notorius per XVIII. testes, &c. quorum quinque sunt cardinales, tres doctores, duo sacræ theologiæ professores, quinque scriptores, & tres alii notabiles viri.

E XXV. *Articulus.* De præmissis non contentus dominus Gregorius, *&c.*

Iste articulus probatur notorius per XVIII. testes quorum quinque sunt cardinales, tres doctores, duo sacræ paginæ professores, quatuor scriptores, unus magnificus baro, & alii tres notabiles viri.

XXVI. *Articulus.* Videntes autem domini cardinales tunc in Luca existentes domini Gregorii pertinaciam continuam, *&c.*

Iste articulus probatur notorius per XI. testes, quorum tres sunt cardinales, quatuor scriptores, & unus miles.

XXVII.

XXVII. *Articulus*. Moleste autem gerens dominus Gregorius recessum dominorum cardinalium, *&c. pag*.2.87.

Iste articulus probatur notorius per XIV. testes, quorum quinque sunt cardinales, quatuor doctores quatuor scriptores, & unus miles.

XXVIII. *Articulus*. Ex quo vero domini cardinales in civitate Pisana convenerunt, *&c. pag*.2188.

Iste articulus probatur notorius per VII. testes: tres sunt cardinales, quatuor doctores, quatuor scriptores, & unus baro.

XXIX. *Art*. Demum quatuor ex dictis dominis cardinalibus, qui ad Pisas se transtulerunt, *&c. Ibid.*

Iste articulus probatur notorius per duos testes, quorum unus est cardinalis, unus magister in theologia.

XXX. *Articulus*. Concluso vero, *&c. p*.2189.

Iste articulus probatur notorius per sex testes, quorum quatuor sunt cardinales, unus episcopus, & unus licentiatus.

XXXI. *Articulus*. Ex post dominus Benedictus de mense Iunii proxime præteriti, *&c. Ibid.*

Iste articulus probatur per quinque testes, quorum unus cardinalis, tres episcopi, & unus licentiatus.

XXXII. *Articulus*. Ex post dominus Benedictus, cum fuit in Perpiniano, *&c. Ibid.*

Iste articulus probatur per quinque testes, quorum unus cardinalis, tres episcopi, & unus licentiatus.

XXXIII. *Art*. Et licet per præmissa, *&c. p*.2190.

Iste probatur articulus notorius per unum testem episcopum, unum, *&c.*

XXXIV. *Articulus*. Postquam autem dominus Benedictus recessit a Portu Veneris, *&c. Ibid.*

Iste articulus probatur per sex testes, quorum duo sunt cardinales, tres episcopi, & unus licentiatus.

XXXV. *Articulus*. Ex post dominus Gregorius, per vicarios nuncios, *&c. pag*.2 91.

Iste articulus probatur notorius per tres testes, quorum duo sunt cardinales, & unus licentiatus.

XXXVI. *Articulus*. Et ulterius dominus Gregorius nedum viam concilii generalis, *&c. Ibid.*

Iste articulus probatur notorius per tres testes, quorum duo sunt cardinales, & unus episcopus.

XXXVII. *Articulus*. Ultra præmissa verbis & litteris, *&c. Ibid.*

Iste articulus probatur notorius per septem testes, quorum quatuor sunt cardinales, duo episcopi, & unus licentiatus.

Quinque ultimi articuli generales probantur notorii per viginti testes, quorum decem sunt cardinales, unus patriarcha, duo episcopi, & quatuor doctores. *Hic desinunt articuli a Raynaldo editi.*

Conditum deinde eadem sessione hoc decretum, in iisdem annalibus e Vaticano tabulario descriptum.

HÆc sancta & universalis synodus universalem ecclesiam repræsentans, decrevit & declaravit, collegium cardinalium ex utraque parte congregatum, & per ipsum concilium unitum, ipsum concilium convocare potuisse, & hujusmodi convocationem ad dictum sacrosanctum collegium spectasse & pertinuisse, & spectare & pertinere hac vice, in hac causa detestandi & antiquati schismatis, & fidei: hic quoque concilium generale, seu sanctam synodum, ipsam universalem ecclesiam repræsentans, pleno jure convocatum, seu convocatam, fuisse & esse, ipsamque synodum ad definitivam sententiam in hac causa procedere posse & debere. Insuper prædicta sacrosancta synodus pronunciavit & declaravit, in hac civitate Pisana pro nunc concilium, seu sanctam synodum, universalem ecclesiam repræsentans, seu repræsentantem, in numero sufficienti fuisse & esse congregatum & congregatam.

Item prædicta synodus pronunciavit, decrevit, & declaravit, civitatem Pisanam fuisse, & esse locum idoneum, tutum, aptum, & securum, pro præsenti concilio seu sancta synodo celebrando, seu celebranda. Item sacrosancta synodus pronunciavit, decrevit, & declaravit, Petrum de Luna Benedictum XIII. & Angelum Corario Gregorium XII. olim appellatos, sufficienter & debite fuisse & esse ad prædictum concilium seu sanctam synodum convocatos, atque citatos.

Hæc sancta synodus universalem ecclesiam repræsentans, ambos contendentes citari facit in valvis & portis ecclesiarum Pisanarum, tam pro majori & aliarum * diversarum ad audiendum definitivam ferri sententiam, quæ sequitur, vel dicendum causam rationabilem quare id fieri minime deberet.

Lata tandem est in utrumque sententia, sessione XV. *quam ex iisdem annalibus hic repræsento.* Sess. XV.

Instantibus procuratoribus & promotoribus per hanc sanctam synodum deputatis, fertur definitiva sententia.

IN nomine Christi, Amen. Nihil est profecto Christiano populo infelicius, nihilque periculosius, nihilque quod illi magis possit officere: quam quod caput infectum, inquinatumque nefario atque detestando infidelitatis errore miserabile patiatur. Vulnerato namq; pastore, juxta verbum sacratissimi canonis, quis curandis ovibus adhibet medicinam? aut quem populum a rationis clypeo tueatur qui jaculis hostium sese feriendum exponit? aut qualem fructum de se producturus est, cujus gravi peste radix infecta est? Major ergo metuenda est illis calamitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducantur, qui magis in se Dei iracundiam provocent quam per semetipsos placare debuerunt. Sic e contra nihil est, cui magis atq; ferventius, cunctis aliis postergatis,* totis mentis viribus, omnis anima invigilare, insudare, atque intendere incessanter debeat, quam quod hujusmodi morbo tanquam pestifero remedium condecens apponatur, quod quippe, nedum in capite, quod omnibus in signum & speculum datum est, verum & in membris, nobis cunctis Deus omnipotens manifestat, cum Saram concutiat, & ancillam suam Agar diris affligat verberibus: cumque rege Nabuchodonosor, ut decretum tale prodeat: *Quicumque dixerint blasphemiam in Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, in interitu erunt, & domus eorum in dispersionem.* Dan. 3.

Quæ siquidem ab intimis cordis, ac etiam ineffabili mœstoque pectore, sacra hæc & universalis synodus diligentissime trutinans, & attendens quo profecto tali, proh dolor! morbo, sancta Dei ecclesia in personis memoratorum Angeli Corarii Gregorii papæ XII. & Petri de Luna Benedicti papæ XIII. nuncupatorum, & a nonnullis, mirum quippe in modum lacrymabiliter est infecta, illique cupiens congruentem, juxta ipsius qualitatem & quantitatem, adhibere medicinam, nec ultra dissimulare, clausisque oculis pertransire, volens eorum, & cujuslibet eorum notorie crimina, & excessus, quibus jam pene piscatoris est in totum submersa navicula, & ipsorum conversionem expectare sine manifesta & irreparabili cunctorum Christi

ANNO CHRISTI 1409.

Christi fidelium excidio & ruina, maxime attentis illorum evidenti pertinacia & incorrigibilitate, quæ indubie non minor Pharaonis experientia media; quæ usque in hæc tempora noscitur extitisse. Ex quibus sic compendiose narratis, & aliis evidenter & notorie in processu hujus causæ comprehensis, & sufficienter probatis, constat evidenter, quod ipsi duo contendentes de papatu, in impedimentum pacis & unionis ecclesiæ, & fidei detrimentum, gravissima crimina infrascripta, quæ nulla valent tergiversatione celari, commiserunt, & in quibus perseverant velut dati in sensum reprobum, cor durum, & deducti in profundum malorum.

Primo detrectaverunt multoties, & perseverando continue detrectant de præsenti notorie & effectualiter, dum hactenus pertinaciter recusarunt, & de præsenti recusant, pacem & unitatem ecclesiæ dare per viam mutuæ cessionis ab ipsis alias approbatæ, juramento irrevocabiliter firmatæ, & ab ipsorum altero voto etiam roboratæ, scandalizantes in hoc enormiter ecclesiam Dei cum contumacia & pertinacia ac incorrigibilitate notoriis, hæresim maxime in hoc casu importantibus, cum per hoc, quantum in eis est, derogetur veritati catholicæ, quæ præcipit unicam ecclesiam esse debere in vinculo caritatis & pacis.

Secundo, quia notorie ex prædictis foverunt & nutriverunt antiquatum & inveteratum schisma in Dei ecclesia, & impedimenta evidentissima unitati ecclesiæ & extirpationi schismatis præstiterunt, & præstant de præsenti; &, quod longe deterius est, fideles a sua communione abjecerunt, & abjiciunt, schisma notorie faciendo, dum inhærendo suis ambitionibus & damnatis opinionibus, potius voluerint pati subtractiones & neutralitates eis fieri, quam per viam mutuæ cessionis sanctæ a cunctis Christi fidelibus approbatæ, schismati finem imponi: in quo casu juxta determinationem catholicam sanctorum doctorum ipsi seu eorum alter, etiam qui alias fuisset verus pontifex, potestatem & autoritatem amisit, nomenque episcopi habere seu retinere non potest, & juxta oracula Divina a summo dejici sacerdotio, in quo alias juste & canonice institutus fuisset.

Tertio, quia errores fidei oppositos & hæresim continentes manifeste & notorie ipsi duo contendentes de papatu tenuerunt pertinaciter, & indurate asseruerunt, prædicaverunt, seu alias publice dogmatizaverunt, & defenderunt, dum dixerunt in suæ ambitionis defensionem, quod via mutuæ cessionis per ipsos juratæ, tam sancta & justa, autoritatibus novi & veteris testamenti conveniens, sanctorum dictis pariter & exemplis, & determinationi ecclesiæ, & quæ summæ caritatis, & unitatis existit, continens summum & perfectum bonum, erat mala, iniqua, exosa, perniciosa, diabolica, & continens peccatum mortale si fieret, seu exequutioni mandaretur pro unione habenda. Quæ assertiones ad derogationem fidei, & quantum in eis est, in corruptionem articuli fidei, unam sanctam ecclesiam, evidenter & inexcusabiliter censentur pertinere. Et per hoc censentur & censeri debent a quacumque dignitate, quæ eis posset competere, projecti, & damnabiliter ejecti, ac effecti minores, seu inferiores quocumque catholico, &c.

Quarto, in prædictis damnatis assertionibus adeo fuerunt, & sunt pertinaces, ut nec temporis cursu, nec caritativis monitis eis factis, ac ostensione veritatis, eas revocare voluerint. Et licet aliquando dixerint vel dicant quod sunt parati renunciare, hoc quod verbo dicunt vel alias dixerunt, facto impediverunt & impediunt per difficultates mutuas, diffugia velut ex condicto seu mutua collusione. Idque apparet violenter ex evidentibus & notoriis indiciis, taliter ut non pœnitentes in prædictis erroribus, sed potius pertinaces & manifeste hæretici merito sunt censendi.

Quinto evidentius apparet, & in prædictis ipsorum contumacia & damnata pertinacia, quia vocati & provocati legitime ad hanc sanctam synodum ut venirent, renunciaturi pro bono unionis, juxta juramenta & vota per ipsos præstita, cum intimatione quod alias ecclesia congregata provideret & procederet in causa schismatis & fidei, eorum absentia, seu contumacia non obstante, ut foret secundum Deum providendum & canonicas sanctiones, hoc facere contumaciter recusarunt & recusant, nec alias voluerunt seu volunt in ipso concilio comparere, immo sunt conati, & conantur hanc sanctam & universalem synodum per præcepta, prohibitiones, & processus pœnales, nullius tamen efficaciæ vel momenti, impedire & perturbare, ut hæc sancta & universalis synodus extirpationi schismatis intenderet: volentes per hoc ipsi duo contendentes in eorum damnationis statibus permanere, & ecclesiam Dei contra omne fas in divisione & antiquato schismate detinere, non curantes de Dei offensa, tam gravi periculo fidei, & ecclesiæ, dum tamen valeant in eorum damnatis cathedris permanere.

" ** G. C. ADDITIO TERTIA

Qua continentur epistolæ, aliaque acta ad Pisanum concilium pertinentia.

PRætermissis cæteris, ea tantum hic edimus, quæ proxime ad concilium spectant: ea scilicet, quæ a cardinalibus, postquam a suo quique pontifice discedentes, Pisas coierunt, vel contra eosdem, eorumque conventum sunt edita.

I.
LITTERÆ CARDINALIUM

Quibus principes admonent se a Gregorio secessisse ac venisse Pisas.

Ex Theodorico Niemo.

ILlustris princeps, & potens domine, amice noster carissime, post salutem, reminiscentes nos semper erga matrem ecclesiam sanctam vos devotum, fidelem, ac pronum filium, pro illius statu & honore, libenti animo laborasse: ideo quæ occurrerunt nuperrime, & occurrunt in eadem ecclesia, nobilitati vestræ deliberavimus intimare, ut vobis, & aliis devotis & amatoribus ipsius, ecclesiæ faventibus & auxiliantibus, justissime & necessarie ejusdem ecclesiæ sumpta per nos sanctissima & desideratissima unio, ad quam solum & nihil aliud intendimus, ut ad salubrem deducatur exitum & votivum: ut, de quo certi sumus, omni sua possibilitate devotio vestra faciet. Experientia nunc teste probamus quod scribitur, nisi certe posse in humanis actibus polliceri: cujus utinam in re præsenti essemus expertes.

Novit vestra nobilitas, novit etiam fere orbis totus, cum, Deo ita volente, sanctæ mem. dudum dom. Innocentius PP. VII. esset sublatus de medio, moti, ut tenebamur, una cum aliis reverendiss. DD. Card. S.R.E. compassione tamdiu scissæ & laceratæ ecclesiæ, & cupientes pro pace & salute animarum gregis Domini, ut scissura tam pestilens, & tam inveterata, de ecclesia, sanctissime uniretur, juramentis, votis, & promissionibus (quanquã de justitia & veritate partis nostræ dubitari non posset, aut possit) nos ipsos, inter quos erat dominus noster, D. Gregorius PP. XII.

XII. tanquam frater noster, quanto arctius cognovimus, obligavimus. Cum quibus promissionibus, juramentis, & votis, ipse dominus Gregorius fuit ad apicem summi apostolatus assumptus: & ad quæ, ante & post assumptionem præfatam immediate, & in inthronizatione sua, & deinde in consistorio publico, illa ratificans, & se obligans, iterum promisit, juravit & vovit, ut in instrumentis publicis, & manus propriæ scripturis, ac suis propriis bullis ad Christianorum principes, dominos, & communitates directis, luce clarius est. Et cum crederemus, sicut ipse ajebat, post conventum Saonæ locum, se aut navicula sola, aut peditem solo baculo comitatum, si aliter nequiret, ad illum profecturum omnino: verbis tamen suis penitus effectu carentibus B pluries testabatur, ut tam sanctum unionis opus, tamque pium & desideratum, ad quod assumptus erat, perficeret: nunc uno nunc alio dilationum variarum sumpto & quæsito colore, usque in hodiernam diem distulit, non curans, prout se jurejurando ac voto ut non semel, sed pluries obligaverat, usque nunc, in non modicum Christianæ religionis & ecclesiæ detrimentum, votum & promissam rem consummare. Et quanquam nos cum majori parte, immo cum tota quasi Romana curia, quorsum incederet perpenderimus: tamen sine motu & nocuo vel scandalo, quo res C ipsa pollicita perficeretur, omnibus viis & modis honestissimis, gravibus, & maturis, cum sanctitate sua incessimus, ut tandem vellet eam ad salubrem & votivum exitum perducere. Verum quantum secum profecerimus, jam non sine admiratione & stupore nobilitas vestra percipiet. O bone Deus, quam difficile est cujusquam intentionem, nisi experientia longa quæ vix sufficiens est ad hominem ostendendum, cognoscere! Quis enim, qui verba ejus audisset tunc, ad credendum potuisset impelli, ut talem se postea effectibus ostendisset? Elapso jam tanto tempore, quod ipse per inania verba consumpsit, ad creationem novorum cardinalium, quantum in eo fuit (quia penitus juramento, voto, & promissione, suis & nostris obsistentibus, prohibebatur) incœpit velle prorum- D pere. Cui cum devotis, supplicibus & efficacissimis rationibus resisteremus pro debito & exoneratione conscientiarum nostrarum, intuentes consensum nostrum nec debere nec posse adhiberi: paucis decursis diebus, die Veneris quarta mensis instantis, nobis ad palatium congregatis, nisi sibi, ut comperimus, facta resistentia exstitisset, fretus quorumdam pravis, venenosis, & detestandis consiliis, nos pro parte violenter in tetros carceres posuisset, & pro parte crudeli nece vita privasset, ut multi autoritatis non parvæ existimant, & sumus multifarie informati. Manifeste quidem, ita & comperte loquimur. Nam satellitum & armatorum non mediocris numerus, per omnes apostolici palatii partes, ad secretiores us- E que conspecti sunt: & nonnullorum pallida ora, maximi sceleris patrandi signa nō dubia, effugimus, Dei misericordia, tam grande evitantes periculum. Sed ut, qualis erat animo, talem se effectu ostenderet: sub gravibus nobis mandavit pœnis, ne aliquis cardinalium in Romana curia existentium, de civitate Lucanensi, ubi curia residebat præfata, exiret, ne congregaremur ad invicem, & ne per nos vel interpositam personam cum oratoribus Petri e Luna & Gallicis, qui ex parte serenissimi principis regis Francorum & universitatis Parisiensis, pro tractanda unitate dictæ ecclesiæ venerant, pro qua solertissime laborabat, participaremus, ipso illa minime mandare valente, cum honoris, unionis, & status ecclesiæ Dei, essent penitus destructivi. Non valuimus, quod ægre admodum ferebamus, invicem congregari pro tractando ordinandoque ad unionem opportuna, quæ ad consolationem Christiani populi & etiam vestræ nobilitatis pertineant, vobis & aliis Christianorum principibus cooperantibus: & ut præfata unio veniret in lucem. Et attentis præteritis, & duritie ac moribus hominis, nil aliud poteramus animis volvere, nisi tanquam ad immolandum victimas reservatas.

Neque his acquiescens, die Mercurii sequenti, nono die mensis ejusdem, vota, promissiones, & juramenta sua parvipendens: sine nostra præsentia, sed nobis per prius expressa contradicentibus, ut de jure tenebamur, ad pronunciationem, quam nullatenus poterat, in quatuor cardinales devenit, quod numquam a rerum initio fuit in ecclesia Dei. Et nos ad consensum præstandum, non sine minaci supercilio, in immane periculum evasuro, compellere intendebat: sed Deus suæ ecclesiæ, de cujus unione jam merito desperari poterat, misertus est. Nos enim videntes, ita potenter naviculam Petri quassam & quasi naufragantem, pro exoneratione conscientiarum nostrarum, proque universali statu ecclesiæ, & Christianorum pace, cum omnes alias vias conspiceremus penitus obseratas, die duodecima hujus, circa vigesimam secundam horam, de præsenti civitate Lucanensi, ut confusionem ecclesiæ & tot pericula vitaremus, ac conservationi præfatæ unionis consuleremus, Divinitus aut quasi miraculo nobis occasione præstita, cum deliberatione recessimus: & ad hanc Pisarum civitatem, magno cum honore recepti, devenimus. Unde illo favente, cujus res agitur, sæpedictæ ecclesiæ statum & honorem, quos usque ad exitum prosequi omni via nobis possibili, secundum vota & juramenta nostra, intendimus, tandem emanaturos speramus, &c.

Datæ Pisis, die XIV. mensis Maii, anno MCCCCVIII. sub nostrorum secretorum signetorum sigillis.

II.

PROVOCATIO CARDINALIUM A GREGORIO AD CONCILIUM œcumenicum.

In nomine Christi, Amen.

ANno a nativitate ejusdem MCCCCVIII. Indictione prima, die Dominica, XIII. mensis Maii, hora tertiarum, vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris, domini nostri, domini Gregorii, Divina providentia papæ XII. anno II. in civitate Pisarum in archiepiscopali palatio. *Et infra*: Coram beatitudine vestra, beatissime pater, cum omni reverentia in his scriptis appellando proponunt humiles servitores vestri, Angelus Ostiensis, Antonius Prænestinus, episcopi; Conradus tituli sancti Chrysogoni, Iordanus tituli sancti Martini in montibus, presbyteri; Raynaldus sancti Viti in Macello, Odo [a] sancti Georgii ad Velum aureum, Ioannes sanctorum Cosmæ & Damiani, diaconi, S. R. E. cardinales, quoad notitiam suam pervenit, quod eadem beatitudo vestra, nondum decem diebus elapsis, eisdem aliqua præcepta fecit, quæ de jure sunt nulla; & quatenus essent aliqua,

[a] *Hic postea Martinus V. fuit.*

aliqua, cum omni semper reverentia loquendo, sunt iniqua & injusta. Primi autem mādati tenor talis est: » Præcipimus omnibus & singulis cardinalibus exi- » stentibus in Romana curia, sub pœna privationis car- » dinalatus & beneficiorum suorum, quam quilibet ip- » sorum incurret ipso facto, ne ab ista die, quarta vide- » licet Maii, in antea, aliquis exeat de Luca sine speciali » & expressa licentia nostra, per nos ore tenus sibi » facta: cujus mandati nullitas & iniquitas manifesta patet.

Primo, quia non poterant ibi morari cum securitate personarum suarum, & sine metu carceris aut mortis, qui alioqui cadere posset in constantem virum; maxime quia die Veneris quarta Maii cum irent ad palatium, invenerunt domum habitationis vestræ etiam intrinsecus plenam viris & satellitibus armatis ultra solitum morem custodiæ, & in locis insolitis & ultra armaturam solitam: & dictum fuit eis a fide dignis & a veridicis personis, quod aliqui ex dictis cardinalibus debebant interfici ea die, quod postea rei declaravit eventus. Nam cum dominus cardinalis Leodiensis de Luca recessisset, fuerunt (ut notorie patuit) post eum nonnulli ex armatis dictis destinati, quibus etiam mandatum extitit, ut eum caperent, & si ipsum captum ducere non possent, tandem dominum cardinalem occidere deberent: qui etiam insequenter post reditum ipsorum per dominum Lucanensem capti fuerunt, & in carcerem detrusi.

Item, quia domus præfati domini cardinalis Leodiensis postea per gentes beatitudinis vestræ ultra omnem modestiam fuit posita ad saccomannum in Luca, & familiares ejus capti & torti: & hoc absque alia justa causa, sed tantum quod solicitabant causam unionis sanctæ matris ecclesiæ, prout de jure & ex juramento & voto tenentur: & quia non consentiebant creationi novorum cardinalium, prout de jure non poterant, nec debebant; quia nec vos, sancte pater, de jure creare illos potestis, nec debetis, stante obligatione facta in conclavi, & per vos ratificata, ac etiam iterata post assumptionem vestram ad apicem summi apostolatus.

Item, quia in domo vestra nocte præcedenti fuerunt fabricati cippi & compedes, pro carcerandis & detinendis dictis cardinalibus.

Item, quia non consuevit, nec de jure debet, aut potest tam gravis pœna pro tam levi culpa, talibus viris, tantæque conditionis imponi, nisi ex gravissimis tantum culpis, & cum magna solemnitate, quæ in tali præcepto servata non fuit, & servari tamen debet, si possint, seu debeant cardinales privari cardinalatu, & de jure non aliter fieri poterat.

Item, quia secundum obligationem factam in conclavi, & votum ac juramentum ipsorum, oportet eos convenire cum alio prætenso collegio in loco idoneo. Cum autem civitas Lucanensis fuit jam per aliam partem recusata, tamquam locus non idoneus: necesse erat ipsos exire dictam civitatem Lucanensem pro prosequendo negotio unionis, & servando juramenta sua.

Item, cum per vos, beatissime pater, & per ipsos cardinales de voluntate vestra, fuerit oblatum de eundo ad civitatem Pisarum, si altera pars veniret Liburnium, quæ oblatio per aliam partem certo modo fuit acceptata: necesse erat eis se conferre Pisas, ut servarent etiam oblationem suam: quare dictum mandatum fuit omnino nullum & injustum.

Item, per ejusmodi mandatum contra jus & justitiam eis indicebatur carcer, cum nihil deesset a carceribus mancipari, inter parietes murorum collocari, & incipiebatur ab executione a carceribus contra viros in tanta dignitate constitutos, quod omnia jura detestantur.

Aliud mandatum quod fecit beatitudo vestra, eisdem cardinalibus fuit tale. Item sub pœna perjurii quam incurrerent ipso facto, præcipimus & » mandamus eisdem, ne ulterius congregentur in ali- » quo loco sine expresso mandato nostro. Cujus qui- » dem præcepti nullitas & iniquitas, & injustitia manifeste patet.

Primo, quia mandatum hoc est contra jus collegii, quod habent cardinales de jure & antiqua consuetudine a tanto tempore: quod jus collegii principaliter consistit in conveniendo simul, & tractando negotia ad ipsum collegium pertinentia. Quod jus & facultas ab eis sine causa auferri non debet.

Item, cardinales tenentur collegialiter inter se tractare & conferre de causis fidei, & hæresis, & schismatum, prout in conclavi se obligarunt solemniter per votum & juramentum: ac mutua fide tractare universaliter & singulariter de uniendo ecclesiam, quod fieri non potest nisi collegialiter congregentur. Hanc igitur facultatem nobis interdicere, est non solum nolle per se attendere ad unionem ecclesiæ, sed etiam prohibere ipsis, ne ad eam attendant: quod omnino est iniquum & abominabile.

Item, quia si numquam juratum fuit per ipsos cardinales, vel aliquem ipsorum, quod se non congregabunt: tunc juramentum fidelitatis vel obedientiæ, si quod præstiterunt, non extenditur ad hoc, quod de jure facere possunt. Quare incongrua omnino & inconveniens ac injusta fuit pœna perjurii, in transgressionem talis mandati vel præcepti constituta.

Tertium præceptum, quod fecit dominis cardinalibus beatitudo vestra, fuit tale: Item sub ea- » dem pœna perjurii præcipimus & mandamus eis- » dem cardinalibus, ne aliquis eorum participet cum » oratoribus Petri de Luna, neque cum oratoribus » Gallicis, sive per se, sive per interpositam perso- » nam. Cujus quidem præcepti nullitas & iniquitas manifeste patet.

Primo quia ex juramento sunt astricti nihil omittere de contingentibus necessariis vel quomodolibet opportunis, seu utilibus: licetque inchoata omnia prosequi, mediare, & finire, ad sanctam unionem consequendam, quæ obtineri & perfici non potest, nisi habendo tractatus & colloquia cum altera parte & cum nunciis ad hoc missis; maxime qui per vos, pater beatissime, ad hoc tractandum fuerunt acceptati. Hoc præceptum manifeste etiam est contra dictam obligationem, juramentum, & votum: & per consequens nullum & injustum.

Item quia hoc præceptum est contra caritatem, in qua qui non manet, in Deo non manet: & quia quilibet fidelis Christianus tenetur, quantum potest, errantes denuo revocare, quod utique fieri non potest absque participatione & colloquio. Non ergo debuit prohiberi, maxime talibus viris, quorum affectus omnes debent revocare Christianos ab hæresibus & schismatibus. Quare, beatissime pater, præfati D. cardinales & servitores vestri, cum omni obedientia & humilitate ac reverentia exponunt & dicunt, talia præcepta esse nulla, & de jure eos nullatenus astringere ad observationem ipsorum ini-

ANNO CHRISTI 1409.

iniquitatem. Aut si forte forent aut censerentur alicujus roboris vel momenti: dicunt ipsa fuisse & esse iniqua & injusta, & se ex ipsis præceptis fuisse & esse gravatos contra omnem justitiam ac debitum juris, & ab ipsis præceptis, ac omnibus aliis gravaminibus post prædicta forte secuturis, si quæ forte sequentur in posterum, præfati cardinales, in quantum eis licet & in quantum possunt, provocant, & in his scriptis appellant: & primo quia ratio appetitui noscitur esse superior, & intellectus dominari sensibus, a vobis, beatissime pater, irrationabiliter & secundum* rectam rationem decernentibus, ad vosmet secundum rectam rationem & melius informatum; item si discretio personarum requiritur, a vobis, pater sancte, vicario, ad Dominum nostrum Iesum Christum, qui judicaturus est mortuos & sæculum per ignem; item ad generale concilium, a quo & in quo solent gesta etiam summorum pontificum quæcumque pertractari, decerni, & judicari; item ad papam & pontificem futurum, cujus est gesta inordinata sui prædecessoris in melius reformare.

*Cor. cōtra rect. rat.

III.

RESPONSIO

Super appellatione olim cardinalium.

QUamvis appellatio facta, per quendam Angelum episcopum Ostiensem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalem, & suos sequaces, die quarta Maii, super quibusdam mandatis eis factis per sanctissimum in Christo patrem & dominum nostrum, dominum Gregorium papam XII. sit offensiva Divinæ majestatis, sedis apostolicæ, fidei orthodoxæ, & sacrorum canonum, ac indigna responsione: nihilo minus ipse dominus noster papa ex compassione & benignitate decrevit, quod respondeatur: nimium dolens ex multiplici errore alias inaudito prædictorum appellantium.

Et primo dicetur de justitia & opportunitate prædictorum mandatorum ipsius domini nostri papæ, secundo de ipsa appellatione, tertio de falsitate causarum ipsius appellationis.

Pro primo dicitur, quod notorium est quod ab ipso initio, quando venerunt Gallici ambassiatores Romam, cardinales nimium adhæserunt ipsis Gallicis, qui etiam tunc procuraverunt subversionem, & divisionem partis nostræ: quam divisionem tandem ad effectum deduxerunt de pluribus ex cardinalibus.

Item notorium est, quod usque ad diem quartam mensis Maii proxime præcedentis, qua die præfatus dominus noster papa fecit prædicta mandata, ipse dominus noster toleravit conversationem indifferenter ipsorum cardinalium cum ipsis ambassiatoribus Gallicis, ambassiatoribus Petri e Luna, & quibuscumque aliis. Et e contra tam in domibus, quam extra, ac de die & nocte, conjunctim & separatim, & ex quo cardinales usurpaverunt se congregare collegialiter sine licentia præfati domini nostri, quod sine licentia ejus ante non faciebant, sæpius incœperunt cum prædictis non solum separatim, sed etiam collegialiter conversari: non obstante quod præfatus dominus noster quandoque ostenderit humiliter, esse reprehensibilem hujusmodi congregationem collegialem, quam semel inhibuit Senis. Sed postea non fuit observatum ex nimia benignitate, clementia, & supportatione præfati domini nostri: & in tantum hæc processerunt, quod multi dolenter timuerunt de malo exitu futuro.

Item aliqui ex cardinalibus abutentes mansuetu-

A dine, benignitate, & clementia ipsius domini nostri papæ, cæca & inquieta cupiditate cœperunt machinari contra & adversus præfatum dominum nostrum, & fabricari facere certa consilia schismatica & hæretica, & alios trahere ad se variis modis, consurgere contra veritatem, & innocentiam præfati domini nostri papæ: qui continuo, pure & efficaciter intendens ad unionem per viam renunciationis, eosdem cardinales sana consilia vertentes, vias & bonos modos turbantes, ac partem adversam foventes, ut merito redderent se suspectos, necnon falsum suggerentes, quod præfatus dominus noster nolit unionem, patienter supportans, nihil contra aliquem eorum attentavit facere, nec quod superius dictum est.

B Item cum varii tractatus habiti essent, & tandem tractaretur de loco Pisarum pro ipso domino nostro & sua curia, & de loco Liburnii pro altera parte, ex quo altera pars ad nullum locum unicum pro utraque parte idoneum consentiebat: emersis novis casibus, videlicet de occupatione urbis Romæ attentata per Petrum e Luna & suos sequaces, ac traditione ejusdem Romanæ urbis per Romanos facta regi Ladislao illustri, necnon conspirationibus factis per cardinales & alios, quæ conspirationes divulgabantur & copiose diffamabantur: merito ex præfatis contingentibus tam gravibus turbato præfato tractatu pendente de Pisis & Liburnio, prædictus dominus papa

C considerans tantam subito mutationem rerum & earum circumstantias, necnon præterita & præsentia colligens, quæ brevis sermo non explicat, ac informationes secretas quas recessus cardinalium verificat, ac periculum maxime ecclesiæ, & sibi scandalum, & obedientiæ suæ ignominiam imminere ex tali cardinalium recessu, unionis plurimum impeditivo, sibi obicem & obstaculum impositivo, eo quod membra sequi caput, & non caput membra conveniat, disconveniatque membra surripere ducatum & directionem, quæ ad caput spectare noscuntur: pie decernens obviare, & quanto mitius poterat providere, ne tanta sequerentur mala, formidabilibus præceptis, ex debito pontificatus, statuit rempublicam tueri juste & opportune per infrascripta præcepta, de

D quibus in appellatione prædicta fit mentio, die quarta mensis prædicti ea scriptis tradendo, ac ecclesiæ & sibi consulens, quatuor cardinales sibi fidos postea creando: ad quæ providenda consilium debitum defensionis suam sanctitatem arctavit, & mansuetudinem impulit. quæ quidem præcepta sunt hæc.

» Præcipimus omnibus & singulis cardinalibus existentibus in Romana curia, sub pœna privationis cardinalatus & omnium beneficiorum suorum, quam quilibet incurrat ipso facto, ne ab ista die, quarta videlicet Maii inclusive, in antea, aliquis eorum exeat de Luca sine speciali & expressa licentia nostra, per nos ore tenus sibi facta. Item sub pœna perjurii, quam incurrant ipso facto, præcipimus, & mandamus eisdem, ne ulterius congregentur in aliquo loco sine

E expresso mandato nostro. Item sub eadem pœna perjurii, quam incurrant ipso facto, præcipimus & mandamus eisdem, ne aliquis eorum participet cum oratoribus Petri e Luna, neque cum oratoribus Gallicis, sive per se, vel interpositam personam.

Item si consideretur, quot & quantis criminibus recessus prædictus, hos homines qui ab eo recesserunt, maculavit: clare videbuntur justitia & opportunitas primi præcepti, superius dictis declarantibus justitiam & opportunitatem secundi & tertii præceptorum. Nam hi homines astricti sunt juramento obedientiæ & fidelitatis ipsi domino nostro papæ: nec fecerunt, nec facere potuerunt juramenta contra obe-

obedientiam: ergo fidem & juramentum fregerunt, & conspiraverunt, & apostataverunt, usurpaverunt Divinum, & sacrorum canonum ordinem pervertерunt: qui in crimen læsæ majestatis multipliciter inciderunt, diffamando, detrahendo, & adversus præfatum dominum nostrum papam scribendo, ab obedientia ipsius, quantum in eis est, alios detrahere nitendo, detractionem debitorum cameræ persuadendo, falsa multifarie componendo: qui videntur viam pacis non cognovisse, sed pallio unionis prosequentes cupiditatem sanctissimum dominum nostrum dejiciendi: & avertat Deus ne vadant in obscurum hæresum noviter inventarum.

De appellatione dicatur breviter. Hæc appellatio videtur potius inventa ad diffamandum, quam ad sublevandum: hæc appellatio est contra sacros canones: hæc appellatio non defendit, sed gravat: hæc appellatio implicat falsitatem hæreticam: hæc appellatio implicat ignorantiam, vel malitiam, vel vanitatem: hæc appellatio ostendit fictionem animi, comparatis partibus adinvicem, ex quibus judicatur dolus: & per eam appellantes se ipsos accusant, & impugnant.

Nunc respondeatur ad causas appellationis. Et primo dicunt in appellatione, mandatum primum esse injustum & iniquum: & reddunt pro causa, dicentes quod non poterant morari in Luca cum securitate suarum personarum, sine metu carceris & mortis, qui alioqui cadere posset in constantem virum. Et ut apparet in dicta appellatione, dictam insecuritatem & metum incipiunt a quarta die Maii immediate præcedentis: quia revera ante illam diem nil possunt fundare, ut patet etiam ex dictis superius: & usque ad illum diem fuerunt mansuete & benigne tractati, adeo ut videretur multis ipse dominus noster reprehensibilis super tanta mansuetudine.

Ut igitur declaretur veritas, aliqualiter incipietur a materia pertinenti ad præcedentem. Nam in medio Quadragesimæ, dominus noster papa considerans modos non congruos super tractatu unionis, difficultates, voluntates varias, & passiones non regulatas rectitudine rationis cardinalium, & quorumdam aliorum, per quæ omnia potius videbatur veniri ad præcipitium, ruinam, confusionem, divisionem, & ignorantiam, quam ad ecclesiæ integrationem: concepit pro utilitate unionis, creare camerarium nepotem suum solum in cardinalem, assignans congruam & efficacem rationem. Sed erant dicentes quod non poterat fieri, obstantibus voto, juramento, & promissione: qui in hoc reputati sunt voluntarii, non valentes respondere rationibus præfati domini nostri papæ in contrarium factis. Et quamvis licite tunc potuisset, & secundum aliquos pro honore suo debuisset: cessit tamen pro scandalo evitando ipsis cardinalibus tunc ei resistentibus. Et quia super istis dominus Lucanus fuerat pacificus mediator & discretus, & etiam cognoscebat præfatum dominum nostrum benigne portasse super hac materia offensam: prædicta quarta die mensis Maii, volens procedere ex causis superius dictis ad provisionem cardinalium novorum, & prædictorum præceptorum, ut fieret cum pace omnium, advocavit illo mane præfatum dominum Lucanum, ut esset mediator tranquilllitatis, ut omnia cum pace fierent. Et quamvis tunc dominus noster voluit creare aliquos novos cardinales: tamen leviter flexus ad preces humiles cardinalium, destitit creare, sed prædicta mandata tunc edidit: & ex tunc omnes cardinales pacifice sine aliqua molestia ad domos redierunt. Et quia præfatus dominus Lucanus se interposuit de materia creandi cardinales, habita promissione ab uno eorum, quod si congregarentur, fieret intentio domini nostri papæ. Qua congregatione facta, præfatus dominus Lucanus sentit se defraudatum, quibus diebus nulla molestia alicui fuit facta, nec verbo; sed omnia pacifice transierunt, domino nostro inclinante se, & se submittente ad quodque rationabile, & usque ad creationem unius dumtaxat, venientibus & recedentibus cardinalibus secundum consuetudinem benigne tractatis, & congrue se habentibus venientibus ad præsentiam domini nostri, stando & recedendo. Nec potest dici cum vero, quod aliqua offensa fuit illata, nedum cardinalibus, sed nec alicui de familia eorum usq; in præsentem diem: nisi quantum inferius dicetur super fuga Leodiensis, si tamen ibi offensa appareat. Et hæc hic in Luca sunt clara, & manifesta. Ex qua veritate luculenter apparet falsitas conficta super materia timoris mortis, carcerationis, compeditationis & torturationis.

Item præmissa etiam declarantur ex eo, quod die nona præfati mensis Maii, prædictus dominus noster, volēs creare cardinales ex præmissis causis, fecerat vocari cardinales, quorum aliqui venerūt. Et quia videbatur eis grave interesse, aliis absentibus in creatione, qui utplurimum dicebantur non bene sani: præfatus dominus noster, eosdem qui venerant obedientes licentiavit, ne animo essent gravati propter absentiam aliorum: dans eis intelligere, ut si crearet in præsentia, crearet tantummodo duos; sin autem in absentia, crearet plures, quemadmodum quatuor creavit. Post quorum creationem tres ex antiquis reduxerant fere omnes alios, transmissi ab ipso domino nostro: & ad suggestionem ipsorum trium & aliorum, distulit actum publicum consuetum fieri super nova creatione cardinalium usque ad diem Sabbati immediate sequentem, scilicet duodecimam. Unde die Veneris de mane, die videlicet undecima, qua die prædicti appellantes recesserunt ab ipso domino nostro, omnes antiqui cardinales existentes in curia, fuerunt cum præfato domino nostro in camera paramenti, exceptis infrascriptis, videlicet Aquileiense, & Tudertino, qui vera infirmitate videbantur impediri venire, & de Leodio, qui illis diebus ostenderat se non bene sanum, & die Jovis tarde prædictis tribus transmissis, non dederat clarum responsum (credebatur tamen venturus) & excepto de Columna, qui dixerat se venturum die Sabbati ante actum publicum, & ceremonias complendas; & retulit Burdegalensis ipsum de Columna ad eum misisse pro excusatione. Exceptis igitur iis quatuor prænominatis, omnes alii die Veneris de mane, ut supra dicitur, collegialiter & personaliter, pacifice & quiete, de bono animo, in quantum apparuit, dixerunt & promiserunt se venturos in sequenti die Sabbati de mane ad complendas cæremonias fiendas per eos, quas dicebant se facturos ex mandato ejusdem domini nostri: quia ex quo fecerat eos, tenebant ipsos esse veros cardinales: quam concordiam aliqui ipsorum dixerunt ad extra, ex qua nata fuit pluribus lætitia. Quo tempore tempestive ille de Leodio occulte recesserat: quem recessum præfatus dominus noster primo audivit cum esset in prandio, & stupuit: & cum ipse esset in dormitione in meridie, camerarius audiens prædictum recessum, mandavit ut aliqui irent post eum, ad retinendum eum, ne faceret scandalum: qui habuerunt in mandatis ne transirent limites Lucanos in territorio Florentinorum. Qui redeuntes fuerunt carcerati per dominum Lucanum, ex eo quod aliqui eorum fecerant rixam cum aliquibus, qui exiverant castrum Libræ fractæ extra limites Lucanos in territorio Florentinorum. Quæ rixa tamen, ut postea apparuit,

parruit, fuit ex culpa illorum qui exiverant dictum castrum. Sed ex quo iste de Leodio non fuerat repertus infra confines Lucanos: duo ex transmissis per camerarium fuerunt usque ad dictum castrum Libræ fractæ pro informatione habenda. Sed tamen illa transmissio multum displicuit præfato domino nostro, nec circa domum, res, & familiam ipsius de Leodio, camerarius aliter se habuit, quam modeste. Et quia aliqui se traxerant ad prædictam domum propter novitatem: camerarius misit ad sedandum & recuperandum, & restituendum quæ per aliquos distrahebantur, sicut factum est.

Quod autem dicitur de mandato mortis in ipsa appellatione, confictum est. Immo mandatum fuerat, quod deducerent eum modeste: nec aliquis familiaris alicujus fuit tortus: & hæc tortura non potest fieri, quin fuisset notum Et totus processus, & effectus, qui secuti sunt, ostendunt falsum esse quod dicitur, quod reliqui omnes dictorum cardinalium carcerari debebant. Nec etiam indicium de hujusmodi carceratione reperitur, quia talia clarissime sunt conficta: & per consequens falsa est causa, quam reddunt. Mirum est quod audeant talia confingere: nec illa die quarta mensis Maii viderunt nisi consuetos armatos, nisi illos qui solent associare dominum Lucanum, & illos qui sunt de familia nepotis ejusdem domini nostri, qui pauci sunt, qui omnes sociaverunt dominos suos, & eos expectabant armati, ut antea consueti erant: ita quod nihil possunt colorare apud illos, qui noscunt materiam. Item quod illa nocte fuissent fabricati cippi, non potuisset latere: tamen nullus reperitur qui sciat. Unde claret quod est confictum.

Item ad id quod dicunt, quod non consuevit, nec de jure debet, aut potest, tam gravis pœna, &c. responsum est superius, ubi dicitur de justitia ipsius mandati.

Item ad illud quod dicunt, quia secundum obligationem factam in conclavi, & votum, ac juramenta ipsorum, oportet eos convenire cum alio prætenso collegio in loco idoneo, &c. respondetur, quod ipsi debent advertere quantum peccatum sit velle impugnare veritatem in tanta materia, & pervertere intellectum & intentionem scripturæ, & voti, & juramenti illius instrumenti facti in conclavi, & subvertere ordinem datum a Deo, & descriptum in sacris canonibus, & etiam præconceptum & expressum in conclavi. Nec in hac parte potest sic obscurari veritas, ut non videatur depravatio voluntatis in præmissa damnabiliter incidere. Nam ad cardinales non spectat locum idoneum eligere, sed ad papam, etiam secundum tenorem prædicti instrumenti conclavis, sicut in eo manifestum est: in quo per* papam electio ad utramque partem, secundum intentionem voti & juramenti, debuerunt capita & membra simul convenire, scilicet dominus noster papa cum suo collegio, & antipapa cum suo prætenso, & non membra sine capitibus. Et sic fuit dictum, tractatum, intellectum, conventum, & firmatum in conclavi. Et hæc separatio manifeste subvertit ordinem debitum: & est contra scripturam & intentionem voti & juramenti dicti instrumenti conclavis: & perversitas separationis membrorum a capite, est inchoatio novi schismatis, & non emendatio antiqui: nec votum, nec juramentum, poterant obligare ad hujusmodi separationem, cum manifeste obviaret Divinæ ordinationi, & sacris canonibus. Non ergo fuit necesse exire de civitate Lucana, pro prosequendo negotium unionis, & servando juramentum: immo per talem exitum, magnum obstaculum inductum est negotio unionis,

*f. pro papa eligendo

A ac importabilis turbatio, & alias inaudita confusio, ut etiam superius tactum est.

Nec velint depravare sensum scripturæ præfati instrumenti conclavis, ubi dicitur: "Dummodo velint sic convenire, ac concordare, quod sequatur, &c." Et ibi intelligitur de conventione & concordia animorum circa canonicam electionem: & debuit esse in loco electo, ut supra præsentibus capitibus ad actum renunciationis: ita quod illud verbum *sic* dicit modum in actibus eligendum, & non modum loci: determinat enim ita illud, *insimul concordare*, sicut & illud infinitivum *convenire*. Nam ex modo actuum, & non ex modo loci, sequitur juste canonica electio.

B Sine enim qualitate in actibus non sequitur canonica electio, quæ non habet ordinem ad qualitatem loci, nisi intelligatur per qualitatem loci dispositio facta a capitibus, & præsentia eorum, secundum jam dicta, vel qualitas a jure petita. Et hujusmodi qualitates non sunt servatæ, nec possunt servari, nisi per dispositionem papæ, & antipapæ.

Nec valet quod dicunt, *in obligatione loci Pisarum & Liburnii*: quia manifestum est, quod numquam fuit conclusum, nec nata aliqua obligatio: & tractatus ille pendebat. Delusorie tamen ex parte antipapæ, ut attentatio invasionis Urbis per eum docet: & illa prædicta emerserunt gravia ad illum tractatum pertinentia, quæ merito indigebant novo consilio, &

C cum dicunt: *necesse erat eis se conferre Pisas, ut servarent fidem*: aut intelligunt quod obligaverint se per fidem, ire Pisas sine capite suo; & tunc se accusant super eo ad quod obviandum fuit factum præceptum & mandatum: si autem intelligunt cum capite suo ante firmationem contractus, qui pendebat, non debuerunt præstare fidem; & si præstiterunt, servanda erat secundum intellectum quem habuerunt, & sic non tenebantur sine capite. Verum falsitas involvit fallentem; & cum credit se tueri, falso detegitur in aperto: & dum pro fide ostentata frangit fidem Deo & homini sibi præsidenti, merito damnabiliter convincitur.

Item ad id quod dicunt, se carceratos infra muros Lucanos: respondetur, quod contra tanta pericula

D non potuit aliquid mitius fieri. De qua materia plura possent dici pro justitia, & opportunitate illius mandati: sed pro nunc sufficiant quæ superius dicta sunt.

Item ad illud quod dicunt, de jure & consuetudine congregationis cardinalium collegialiter, dicunt scienter, manifeste falsum: cum etiam tempore præfati domini nostri solebant non se collegialiter congregare, nec aliquid tractare, nec litteras ad collegium transmissas legere, nec aperire, sine licentia ipsius domini nostri: sicut semper servatum est, quousque incœperunt usurpare tempore præfati domini nostri. Nec tenetur collegialiter de causis fidei, &c ut

E dicunt: quia ad eos non spectat, nisi quantum papæ placuerit. Et mirum est, quod contra tam notoria audeant affirmare. Nec se potuerunt obligare in diminutionem potestatis papæ: ad quem spectat vocare cardinales, & non ad alium, & collegialiter cum eis tractare de unione ecclesiæ, & aliis occurrentibus.

Idcirco per illud præceptum secundum, ipse dominus noster nullam facultatem abstulit ab eis, nec interdixit, neque prohibuit, ut non attenderent ad unionem ecclesiæ, quam pleno affectu prosequebatur, & toto conatu prosequi intendit: sed providit ne perverse laberentur in divisionem, sicut lapsi sunt. Qui lapsus iniquus & abominabilis est; & non præceptum ipsius domini nostri, quod justum & opportunum fuit, ut superius dictum est.

Item

Item ad illud quod dicunt, quod nunquam juraverunt se non congregare, & quod de jure possunt se congregare, & quod juramentum fidelitatis & obedientiæ non se extendit ad hoc: satis videtur ressponsum, quia de jure non habent. Sed tamen adhuc respondetur sibi, quod de jure non possunt se congregare contra præceptum papæ, nec ad hoc potuerunt se obligare, nec etiam se obligaverunt, ex aliquo actu facto in conclavi, nisi postea temerarie attentaverint facere: ex qua attentatione non sequeretur obligatio. Quin immo in conclavi expresse fuit per omnes negatum illud quod nunc faciunt & fecerunt, etiamsi deligendus fuisset electus, & in papatu expresse non vellet servare obligationem factam per eum: sicque tunc reprobaverunt, propter periculum, quod nunc fecerunt. Et tamen non sunt, nec fuerunt in casu, quod papa non velit, qui fideliter prosequitur ad quod tenetur: & si non potest per unam viam, intendit per aliam, nec quicquam fundari potest in contrarium. Advertant ergo, qualis sit assertio, quod congregare se contra præceptum papæ, non est contra juramentum obedientiæ & fidelitatis. Hæc enim conclusio repugnat principatui a Deo instituto, & subvertit statum papatus, & ordinem principatus, & firmitatem eius; contradicit sanæ doctrinæ & antiquatæ observantiæ. Collegialiter ergo cardinales habent tractare cum papa fideliter, prudenter, caritative, provide, ac mature pro unione: quod ipse dominus noster continue voluit, & utinam ii qui ab eo recesserunt sic fecissent.

Ad illud autem quod dicunt de tertio præcepto sive mandato, satis ex superioribus patet responsio. Et utinam non talia & tanto tempore tractassent sic sine fræno cum Gallicis & schismaticis, ac aliis: quia tanta mala non fuissent sequuta, & verisimile credi potest, quæ in præsenti habentur & in futuro dubitantur. Et utinam servassent sane & pure juramenta & vota sua de inchoatis, mediatis, & finiendis, & nihil omittendo de contingentibus, &c. quantum in eis erat, id est, quantum ad eos spectat: quia non præsumpsissent, nec præsumerent.

Item ad ultimum quod dicunt, quod certum præceptum est contra caritatem, in qua qui non manet, » in Deo non manet; & qua quilibet fidelis Christianus tenetur quantum potest errantes ab erroris semita revocare: quod utique fieri non potest absque participatione & colloquio: non ergo debuit prohiberi, maxime talibus viris, quorum officium esse debet revocare Christianos ab hæresibus & scissuris. Hoc ultimum hic præceptum de verbo ad verbum, quod ab eis positum est, secundum omnem partem facit contra eos: quæ res satis plana est, idcirco breviter sumatur. Et primo revocēt se a divisione, quam fecerunt de semetipsis, & a scissuris quas nituntur facere in alios per subtractionem obedientiæ, &c. alios si quos infecerunt. Secundo ab erroribus se, & alios quos induxerunt. Tertio provideant, ne se & alios in hæreses immergant, tanquam fideles Christiani, quod ad suum officium dicunt hoc spectare. Et utinam illa participatio & collocutio fuissent in caritate: quia præceptum, quod sanctissimus dominus noster fecit in caritate, non fuisset opportunum.

Libenter igitur præfatus dominus noster papa subjicit se pleno corde, humili affectu, digna devotione, & recta voluntate, amantissimo Christo & sibi amabilissimo, & ejus judicio, ex cujus providentia ejus vices gerit in terris, qui novit secreta cordis, & falli non potest. In quo posuit fiduciam suam, sperans per eum liberari a calumniis hominum, & veritatem & A innocentiam suam illustrari, & per ejus manus misericorditer pacem ecclesiæ dari, & integrationem. Et quia videt multiplices defectus ex ignorantia & malitia hominum, quos non valet reparare: vehementissime desiderat concilium generale.

Datum Lucæ pridie Id. Iunii, pontificatus nostri anno secundo.

V.

TRes cardinalium Benedicti litteræ, quarum binis Benedictum ipsum; aliis, omnes de obedientia sua, ad concilium Pisanum convocant, editæ sunt superius, pag. 2114. 2140. 2153. Et responsio Benedicti, pag. 2157.

Item & litteræ cardinalium Gregorii ad episcopos, aliosque suarum partium eodem convocandos, pag. 2146. Quibus litteris cum adscripta esset dies XXIV. Iunii, temporis notam falso anticipatam contendebant Gregorii sectatores, eoque consilio, ut viderentur Pisani suum indixisse concilium antequam suum Gregorius Aquileiam convocaret litteris pridie Nonas Iul datis. Falsam autem esse hanc temporis indicationē duobus maxime argumentis probabant: altero, quod sub finem tantum Augusti facta cardinalibus copia fuerit a Florentinis celebrandi Pisis concilii, ac proinde Iunio mense non potuerint eo convocare; altero, quod datis ad Robertum Imp. litteris Liburni 26. Iulii, scripserint se utriusque partis convocare concilium statuisse, brevique locum designaturos, ex quo constet, litteras, quæ concilii locum Pisas designant, Iunio scriptas minime fuisse. Priore argumento Pisanos cardinales urget Gregorius ipse in litteris ad Florentinos datis, quas mox edemus; altero Cæsarei oratores, in dubiis quæ sessione IV. proposuerunt. Vide supra, pag. 2167. E. cum responsione quam Petrus de Ancharano subjecit.

VI.

INHIBITIO FACTA CARDINALIBUS A PETRO DE LUNA.

Ex tomo VI. Spicilegy.

Ne opinionem suam de via cessionis traderent in scriptis dominis ducibus, vel in quadam cedula, super hæc confecta subscriberent.

BEnedictus, &c. Cum ad nostrum pervenerit auditum, quod vos venerabiles fratres nostri D sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, requisiti fueritis, quod in quadam cedula vobis tradita vos propriis manibus subscribere debeatis (quod si fieret, absit, dubitari forsan posset quod pro tempore redundaret in perniciem libertatis Romanæ ecclesiæ, & contra ipsius honorem, ac etiam in Dei offensam non modicam, & in occasionem vobis detrahendi, debilitationem justitiæ nostræ partis, & exaltationem & obdurationem intrusi, & sibi adhærentium) nosque jam obtulerimus plures modos, & vias rationabiles, factibiles, Deo placentes, & juri convenientes; per quas utilius, uerius, & expedientius ad honorem Dei & suæ sanctæ ecclesiæ, & adhærentium justitiæ istius partis, unio in Dei ecclesia haberi potest, & schisma eradicari & evelli, prout de apertione & oblatione modorum prædictorum, & viarum per nos oblatarum dilectis filiis ducibus, Ioanni Bituricensi, Philippo Burgundiæ, patruis, ac Ludovico Aurelianensi, germano carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Francorum illustris, & per eundem regem ad nos destinatis, ut in quibusdam publicis instrumentis super hæc confectis latius continetur. Idcirco præmissis & aliis multis attentis & consideratis, quæ in tanto Dei & ecclesiæ negotio attendi & considerari debent, loco & tempore opportunis latius explicandum, & etiam exponendum: vos omnes & singulos, venerabiles fratres nostros, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, monemus, hortamur, & requirimus in virtute sanctæ obedientiæ ac fide-

fidelitatis, quibus nobis & ecclesiæ Romanæ tenemini, ut nobis in prosecutione dictarum viarum per nos oblatarum, & aliorum in præmissis contentorum, quæ ad bonum unionis ecclesiæ tendunt, prout ad nos pertinuerit, assistatis, & adhæreatis fideliter & diligenter, absque fraude, dolo, & machinatione quibuscumque; nec ad impediendum unionem prædictam detis consilium, auxilium vel favorem, directe vel indirecte, publice vel occulte, prout etiam, virtute juramenti per vos super hoc præstiti, estis astricti. Et nihilo minus inhibemus vobis, & vestrum cuilibet, in virtute sanctæ obedientiæ, ne in dicta cedula, ut præmittitur, vos subscribatis, nec etiam consentiatis aliqualiter aliis quæ non licent, seu non decent, seu ex quibus occasio forte præberi posset detrahendi, quod contra reverentiam, obedientiam, aut honorem nobis & ecclesiæ Romanæ per vos debitos, seu laudabiles mores per nos & vos, prædecessores nostros & vestros, observari consuetos, aliqua fierent per vos, quod absit, prout nec credimus quod facietis. Quod si contrarium per vos vel aliquem vestrum fieret, quod non credimus: protestamur contra vos & vestrum quemlibet sic facientes, de pœnis in jure statutis, & aliis debitis pro transgressione præmissorum. Ad quæ vobis injungenda movemur, tum consideratione præmissorum, tum etiam quia a pluribus dicitur, quod erga nos & nobis assistentes modi inconvenientes servantur, propter quos si aliud etiam a nobis fieret vel diceretur, censeretur forsitan non valere, & possent inconvenientia & scandala sequi. De quibus modis qui erga nos & nostros tenentur, solemniter protestamur: videlicet quod si per vos aliud fieret, seu diceretur, manente statu negotiorum nunc occurrentium, id & ea, & quidquid ex eis sequeretur, vel ob ea, reputamus & volumus non valere, & haberi pro infectis. Per præmissa vero venerabilibus fratribus nostris, quorum honorem prospicere ex nostræ mentis affectu desideramus, vel quibusvis aliis in aliquo derogare non intendimus, nec præcipere aliquod illicitum, sed tantum occurrere scandalis & animarum periculis, quæ verisimiliter evenire posse timemus, & honori ac juri ecclesiæ Romanæ providere, ut juris seu rationis fuerit, & tenemur, & ita protestamur.

VII.

Ibid.

LITTERÆ UTRIUSQUE COLLEGII cardinalium ad universitatem Parisiensem.

Mittunt epistolam scriptam ad Carolum regem Francorum.

MIseratione Divina episcopi, presbyteri, & diaconi sanctæ Romanæ ecclesiæ utriusque collegii cardinales, venerabilibus & doctissimis viris, rectori, cæterisque magistris sacræ universitatis studii Parisiensis, salutem. Super statu atque conditionibus præsentium rerum, & spe jamiam infirma parte reposita reipublicæ reformandæ, tollendique dissidii de medio campo orthodoxæ fidei, scribimus quantum pro nunc velocitas rerum patitur, Christianissimo domino regi Francorum in hæc verba:

Christianissimo ac serenissimo principi domino Carolo Francorum regi, vestri episcopi, presbyteri, & diaconi sanctæ Romanæ ecclesiæ utriusque collegii cardinales, salutem in eo per quem reges regnant, & dispersiones Israelis congregare. Certi sumus devotionem vestram non latere progressum amborum dominorum contendentium de papatu, neque ignorare ex vestris accuratissimis studiis, quibus ostensionibus, quibus palliationibus, quibusve operibus aut affectibus, & ad quem exitum, causa unionis ecclesiæ sanctæ Dei ab eisdem contendentibus finaliter sit perducta, immo, quod non sine dolore revolvimus, nisi de medio occurratur, nunquam magis prope in exilium* coarctata. Nos itaque, quorum ex utraque parte præ cæteris maxime in hac rerum vertigine, & supremo animarum periculo, interest rebus tam gravibus obviare: utrinque decrevimus, Spiritu sancto dictante, in uno loco pro summo remedio convenire, ut sicut jam mutua nostrorum vota in unum aspirabant, illud palam cum expressione operis atque pro viribus demonstraremus. Eo igitur Spiritu sancto agente, annuit Deus piissimis votis nostris, ut quod mente conceperamus, repente cum multorum admiratione impleremus. Venimus namque ad hanc terram vestræ celsitudinis, & in summa pauculis diebus intermissis, ita in omni agendorum materia, dictæ unionis attingendæ convenimus, ita concordes tanquam ex una mente per omnia ad rem ipsam perficiendam percussi, ut Divinum potius quam humanum fuerimus arbitrati. Rebus autem, serenissime princeps, sic stantibus, ut præfertur, litteras vestras regales cuilibet nostrum collegio directas accepimus gaudenter: tum quia ex illis cognovimus circa cœpta vestram laudabilem perseverantiam huic sancto operi non deesse, tum etiam potissime, quia noster effectus cum vestro non discrepat. Et quod regia majestas nobis per suas litteras suadebat, jam fere opere complevisse, prout per ea, quæ dominus patriarcha Alexandrinus consiliarius vester, qui abhinc infra breve recedet, particularius explicabit, vestra regia majestas agnoscet. Quam ille conservare dignetur, cujus, &c.

* f. exitiū

Et quia ex præmissis, licet pauculis pro præsenti, attendere poteritis, quantum materia, de qua agitur, ad summum ejus Divinis potius quam humanis consiliis dirigatur; & per dictum dominum patriarcham, aliosque collegas redeuntes ad propria ob eandem causam poteritis informari: nihilo minus quia interea possunt multa ad opus dictæ materiæ vobis solicitantibus procurari, hortamur igitur vos, quatenus circa illa velitis pro viribus insistere juxta quod per litteras ambassiatorum regiorum hic existentium eritis medullitus informati.

Datum in villa de Liburno Pisanæ diœcesis, sub sigillis nostrum sex utriusq; collegii priorum, ultima die Iunii, anno Domini MCCCCVIII.

VIII.

LITTERÆ NEUTRALITATIS per cardinales Gregorianos.

Ibid.

Miseratione Divina episcopi, presbyteri, & diaconi sacrosancta Romana ecclesie cardinales, universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam.

QUamvis ea quæ circa pacem & unionem universalis ecclesiæ sanctæ retroactis temporibus gessimus, non dubitemus ex litteris & scripturis nostris ad omnium vestrum notitiam devenisse: nihilo minus tamen ulteriori cura miserabili statui ejusdem ecclesiæ & populi Christiani succurrere & providere cupientes, pauca admodum prius acta resumi convenit, dum ad ulteriora quæ restant, gratia nobis assistente Divina, sumus processuri. Novistis enim satis quibus obligationibus, promissionibus, & modis, dominus Gregorius ad unionem in dicta ecclesia faciendam fuerit & sit astrictus: & quibus pollicitationibus se illam facturum toti mundo promiserit, oculi cunctorum

cunctorum suis litteris solicitati inspexerunt: quorum omnium immemor, suis promissionibus, votis, & juramentis reiteratis vicibus factis per eum, spretis, & ad ludibrium tractis, damnatum schisma, proh dolor! in ipsa Dei ecclesia inveteratum, notorie & pertinaciter fovere, & manutenere, Christianumque populum secum in participium hæresis trahere, non solum non abhorret, sed summa diligentia nititur & procurat: ut sic positus ad gubernationem populorum, factus sit ruina multorum. Nos enim qui una cum diversorum Christi fidelium, regum, & aliorum principum, ac civitatum, communitatum, oratoribus & ambassiatoribus, propterea curiam dicti domini Gregorii tunc sequentibus, cum eodem Gregorio omnibus viis & modis, quibus potuimus, ut prædictum schisma juxta promissiones, vota, & juramenta, tolleret, & ecclesiam Dei prædictam ad unitatem reduceret, diligenter indesinenterque tractaveramus, & laboraveramus: considerantes, & per experientiam comprobantes, omnem diligentiam, omnesque labores & tractatus propterea factos, penitus irritos & inanes; quodque nulla supererat spes proficiendi in hujusmodi unionis materia cum domino Gregorio antedicto, sed ipsum in dies magis & magis ac pertinacius ad dictum schisma fovendum manutenendo sæviente, immo nobis ne de hujusmodi unionis materia tractaremus publice in effectu prohibente: eundem Gregorium, velut hæreticum & nutritorem schismatis antiquati, dereliquimus sibi, cum juxta canonicas sanctiones peccatum sit ei obedientiam præstare, die undecima mensis Maii proxime præteriti omnem, in quantum in nobis fuit, obedientiam juxta juris exigentiam abstraximus ac recessimus ab eodem, dispositi, ut oportet, ex adverso consurgere, & murum nos opponere pro domo Israel. Sic enim Dominica voce præcipitur, separandum a tabernaculis talium durissimorum hominum, prout ipse est, & eum sequentes, ne simul pereamus cum peccatis eorum. nam simili supplicio digni sunt qui fuerunt peccatis eorum contaminati, juxta Divinas & canonicas sanctiones.

Vobis igitur omnibus & singulis intimamus & notificamus per præsentes, ab ipsius domini Gregorii obedientia penitus & omnino desistendum & recedendum fore, sibique in sua pertinacia perfida assistentes, ac adhærentes, veluti schisma foventes censeri debere mulctari: necnon omnes & singulas promotiones, & provisiones metropolitanarum & cathedralium ecclesiarum, & monasteriorum quorumcumque; necnon litteras, commissiones, & concessiones quascumque, sive gratiam, sive justitiam continentes, per eundem Gregorium seu prætensa ejus autoritate ab eadem die & citra factas & in antea faciendas; similiter omnes tam definitivas, quam alias sententias in quibuscumque causis per ipsum dominum Gregorium, seu ejus mandato, vel prætensa autoritate in sua curia interim latas, & in antea faciendas, ipso jure fore nullas & invalidas, easque, ac omnia & singula alia, quæ per eundem Gregorium sub titulo Romani pontificis, aut sua autoritate supradicta, a dicta die & citra, sive per modum justitiæ, sive per modum gratiæ, etiam proprio vel alio quocumque modo, concessa seu facta sunt, vel in futurum fieri contigerit, per primum Romanum pontificem, prout juris fuerit, faciemus, gratia nobis assistente Divina, nulla & invalida declarari, & in quantum de facto processerunt, & expedierit, penitus cassari, & etiam revocari. Idcirco etiam præsertim vos reverendos fratres & dominos, dominos legatos apostolicæ sedis, patriarchas, archiepiscopos[a], &

Deest, episcopos,

A alios quarumcumque patriarchalium, metropolitanarum, & cathedralium ecclesiarum, necnon monasteriorum prælatos, rectores & beneficiatos, præcipue etiam & vos sanctæ sedis apostolicæ officiarios, & alios Romanam curiam sequentes; vosque etiam sanctæ Romanæ ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus vicarios, vassallos, ac omnes & singulos ab ipsa Romana ecclesia vicariatus, domos, feuda, terras, & possessiones, seu alia cujuscumque generis bona tenentes, vel censum aut canonem, seu alias alicujusmodi debitum cameræ apostolicæ solvere debentes, tenore præsentium rogamus & hortamur in Domino, & quantum in nobis est, requirimus & monemus: quatenus ab ipsius domini Gregorii obedientia penitus & omnino desistatis & recedatis, nec ei B aut cameræ apostolicæ suo nomine de communibus vel minutis servitiis, seu annatis beneficiorum ecclesiasticorum, vel vassallagiis seu censibus, aut alicujus alterius generis debito, quocumque nomine nominetur, per clericos vel per laicos prædictæ cameræ quoquo modo solvi consueto, aliquatenus respondeatis, nec per vestros subditos responderi faciatis, aut etiam permittatis. Si enim talibus honoribus bonisque temporalibus, obedientia insuper & reverentia, viderit se denudatum: ab omni temeritate, & obstinatione desistet, & rubore suffusus, ad humilitatis gratiam, ad sanctissimæ unionis affectum, tam ipse C quam ejus consultores, immo potius deceptores, debebunt verisimiliter inclinari. Scituri quod contrarium facientes, velut inveteratum schisma foventes & manutenentes, ut schismaticos & fautores inveterati schismatis prosequemur, & eos juxta sacros canones, ut schismaticos, suspensos a suis beneficiis, dignitatibus, & omni honore ecclesiastico jam habitis & obtentis, nunciando. Et insuper ad solutionem debitam dictæ cameræ tempore congruo faciendam denuo compellentur: & scientes, quod ad prædicta solvenda de cætero non vos astringunt promissiones, fidelitates, homagia, juramenta, & alia vincula quæcumque, immo de jure ab eis estis ipso jure penitus absoluti & liberati quoad ipsum. Et ne aliquis vel D aliqui, prætextu ignorantiæ istius nostræ notificationis, intimationis, & saluberrimæ monitionis, valeant seu valeat excusari, vos reverendissimos patres & dominos, dominos cardinales, apostolicæ sedis legatos, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, & alios supradictos, in Domino exhortamur, quod præsentem nostram deliberationem & notificationem, tam utilem, quam necessariam sanctissimæ unioni facilius obtinendæ, per vestras legationes, provincias, diœceses, & loca quælibet publicetis; ita quod ad omnium catholicorum notitiam verisimiliter debeant pervenire. Cæterum ad illorum consolationem, qui nos pro hujusmodi extirpatione schismatis, & universalis ecclesiæ unione continue satagentes, sequendo, E exercitio & emolumentis officiorum dictæ sedis hactenus forsan frustrati, aut ipsis officiis, seu eorum beneficiis, aut eorum vicariatibus, seu feudis, aut aliis bonis vel moribus, per dictum dominum Gregoriũ, seu ejus prætensa autoritate, privati fuerint, vel in posterum frustrari, seu privari de facto contigerit, intendentes, faciemus, Dei nobis gratia ad hoc assistente, cuilibet ipsorum sic frustratorum, seu privatorum, de beneficiis, vicariatibus seu feudis, aut aliis bonis vel juribus, si quæ per adhærentes dicto Gregorio tenentur aut occupantur, seu de aliis eorũdem adhęrentiũ bonis, juxta merita & conditiones frustratorum, & privatorum eorumdem, fieri recompensam.

Datum Liburnii Pisanensis diœcesis, sub trium priorum nostrorum impressione sigillorum, die pri-

 ma

ANNO CHRISTI 1409.

ma mensis Iulii, prima Indictione, anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi millesimo quadringentesimo octavo.

IX.

LITTERÆ GREGORII, quibus se purgat a criminationibus cardinalium.

Ad futuram rei memoriam.

AD protegendam innocentiam nostram adversus assertionem improvidam, & injustam obloquentium, detractorum & erigentium cornua malignantium in Christum suum, quibus inter cætera puritatem mentis nostræ, apostolicæque potestatis plenitudinem, ac nostram, damnabilibus infamiæ maculis deturpare, ac suis incursibus irritare, temerarie non verentur, & etiam conniuntur: asserentes, nos promissionem, votum, ac juramentum nostra, circa desiderabilis unionis in Dei ecclesia materiam salutarem in conclavi facta, emissa, & præstita, contemnere realiter observare: ne falsa pro veris recipiantur, cum opprimatur sæpe numero veritas, nisi salutaris defensionis præsidio fulciatur, tenore præsentium notificamus & declaramus, quod nostræ firmæ voluntatis fuit & est, & in Deo speramus erit, pure & fideliter servare formam & intentionem nostrorum juramenti, voti, & promissionis in conclavi factorum hujusmodi. Et quia die undecima mẽsis immediate præterito, quidam tunc ex venerabilibus fratribus nostris S.R.E tunc cardinalibus, videlicet Antonius olim Prænestinus episcopus, Conradus olim tit. S. Chrysogoni, Franciscus olim tit. SS. Quatuor Coronatorum, Iordanus olim tit. S. Martini in montibus, presbyteri, Raynaldus olim S. Viti in Macello, Odo olim S. Georgii ad Velum aureum, diaconi, præfatæ ecclesiæ cardinales, mandata nostra ausu temerario cõtemnentes, & a nobis damnabiliter recedentes, mala malis adversum nos accumulare damnabilius procurarũt, quos clemẽter expectãtes, paternisque affectibus, sed incassũ, ut redirent sæpius excitatos supportavimus.

Volentes tamen oculos paternæ pietatis erga ipsos, ut convertantur & vivant, extendere, severitatemque misericordi temperare clementia, ipsos Antoniũ olim Prænestinum episcopũ, Conradum olim tit. S. Chrysogoni, Franciscum olim tit. Ss. Quatuor Coronatorũ, Iordanum olim tit. S. Martini in montibus, presbyteros, Raynaldũ olim S. Viti in Macello, & Odonẽ olim S. Georgii ad Velum aureum, diaconos, cardinales præfatos, & eorum quemlibet, de fratrum nostrorum consilio præsentium tenore requirimus & monemus, eisque nihilo minus per scripta harum serie injungẽtes, quatenus infra præsentem mensem Iulii ad præsentiam nostram, ubi nos esse contigerit, debeant personaliter & præsentialiter se conferre: qui, si venerint infra prædictum mensem, & caritative, ac provide voluerint tractare nobiscum, & cum venerabilibus fratribus nostris præfatæ ecclesiæ cardinalibus, super negotio unionis hujusmodi, eos benigne recipiemus, atque tractabimus, & abolentes omnem infamiæ maculam, sive notam præmissorum, & aliorum patratorum occasione contractam, remittemus eisdem offensionẽ quamlibet, atque pœnam. Et cum sint perjurio maculati, & omnibus officiis, beneficiis, atque cardinalatibus privati, continuata etiam nostra majori clemẽtia eosdem reintegrabimus, & in statum pristinum reponemus Et præmissa omnia, & singula referri volumus, atque referimus ad Petrum olim S. Angeli diaconum cardinalem, qui sæpe monitus, ex transgressione alterius mandati nostri omnibus beneficiis & cardinalatu etiam est privatus.

Si autem (quod non remur) ad cor contritum & humile, & ad viam veritatis redire noluerint, cõfidimus, quod Altissimus providebit contra confusionem & involutionem, quas tam exitiabiliter quam præcipitabiliter induxerunt; nosque excitabit ad faciendum, & providendum prout justum fuerit & etiam opportunum, & aliis recensitis noverimus in Domino, temporum atque rerum gravitate pensata, quomodolibet expedire: volentes nihilo minus, & autoritate apostolica decernentes, quod hujusmodi monitio proinde valeat, & plenum robur obtineat firmitatis, dictosque Antonium Con rdum, Franciscum, Iordanum, Raynaldum, Odonem, ac Petrum, olim præfatæ ecclesiæ cardinales, & quemlibet eorum perinde arctet, quacumque constitutione apostolica contraria non obstãte, ac si eis, & eorum cuilibet intimata, & insinuata personaliter, & præsentialiter extitisset, &c. *Dat fidẽ publicam, ne sedem apostolicam metu aliquo declinent: ac ne citatio ipsos lateat, sed in omnium oculis collocetur, Lucana ecclesiæ ostiis affigi diploma jubet.*

Dat. Lucæ IV. Id. Iulii pontificatus nostri anno II.

X.

LITT. CARD. AD GREGORIVM.

Contendunt ab eo concilium œcumenicum neque celebrari neque indici posse.

DOminus & salvator noster Dei filius Iesus Christus, de summis cælorum ad ima mundi descendens, & tandem pro salute humani generis mortem subiens temporalẽ, ascensurus ad patrem, ne gregem suum suo sanguine redemptum sine pastore desereret, fundamenta suæ militantis ecclesiæ in beato Petro principaliter collocavit; & ut ab ipso quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet, & ut suæ stabilitate fidei cæteros in Christiana religione firmaret, ut per hoc unum caput, unam originem, unamque ecclesiam designaret, quæ ramos suos per universum orbem copia suæ ubertatis extendit, ut per ipsa unam sponsam Christi incorruptam & pudicam, casto pudore castitatem custodientem, beati Petri successoribus & gregi Dominico demonstraret.

Verum a triginta annorum citra curriculis decursis, caput illud unum in duo divisum, ipsam etiã beati Petri sedem in duas similiter sedes divisam, quod dolenter referimus, viderunt omnes fidei catholicæ prælati, reges, principes, & omnes Christiani populi nationes, quibus cum hæc scissura & decoloratio sanctæ matris ecclesiæ displiceret, & plurimum continuo odiosa fuisset; ab ipsis dictam sanctam ecclesiam sic divisam tenentibus, bona verba & spes optima de unione, per eorum litteras & nuncios semper data fuerunt: effectus autem tot verborum & bonæ spei quis & qualis secutus fuerit, usque ad assumptionem vestram per nos episcopos, presbyteros & diaconos S.R.E. cardinales factam ad summi apostolatus apicem, in qua Gregorii XII. nomen, o utinam sic re accepissetis, elegistis, vos & tota ecclesia catholica sunt testes. Quot enim dicto tempore adversa pertulerit, quotque repetitis malleis, crebrisque tunsionibus subjacuerit, attestantur quamplura. Defecerunt namq; litterarũ studia, & per cõsequens ad viros ignaros translata ecclesiarũ regimina: defecerunt jam universalis & aliarum fere omnium temporalia, & in ruinam prostrata sunt ipsarum magnifica ædificia: denique in laicis erga clericos deficit reverentia, & totaliter in contemptũ populorum deducta est censura ecclesiastica, in clericis impunita maleficia, & in locum honestatis & scientiæ successerunt præsumptio, temeritas & superbia: ut sic ex istis & aliis, non sine mentis amaritudine perlegendis, de ipsa ecclesia cum Isaia dolenter concludere valeamus. *A planta pedis usque ad verticem non est in ea sanitas.* Isa. 16.

Nos autem una vobiscum, qui de nostro collegio tunc

ANNO CHRISTI 1409.

tunc eratis, videlicet Angelo Corario tituli S. Marci presbytero cardinali, vulgariter dicto Constantinopolitano, dicta sede vacante per obitum bonæ memoriæ Innocentii VII. volentes tot animarum periculis & scandalis obviare, incepimus, ut ex debito officii tenebamur, attendere diligenter ut talem eligere, & in beati Petri sede ponere curaremus, quem ex præsumptis bona vita & sancta conversatione præterita crederemus Christi vestigia imitari, qui velut pastor bonus, animam suam posuit pro ovibus suis, & qui æternam salutem præponendam crederet gloriæ temporali, sequens in hoc etiam Christum humilem & dicentem: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ian. 18.

Et non solum ista de isto cogitare, sed etiam de humanæ conditionis fragilitate curavimus, quæ nunquã permanet in eodem statu, ac etiam astutiis inimici hominis, qui non desinit *circuire velut leo rugiens, quærens quos devoret*, & facta nostra quandoque in principio, quandoque in medio quandoque in fine corrumpere suis astutiis, ut nonnunquam qui toto tempore vitæ suæ bona opera exercuit, & peregit, aliqua tentatione suborta, & opposita, cuncta ejus bona præterita supplantet, obruat, & corrumpat; unde de Saul, qui prius in oculis Dei bonus visus, in fine sui scribitur, quod spiritus malus descendit supra Saul. Et idcirco nosmetipsos & singulos de gremio collegii sacri existentes, & quemlibet futurum Romanum pontificem per nos de dicto gremio eligendum, curavimus obligare vinculo juramenti, voti, & promissionis, solemni, Deo & Virgini sanctissimæ matri ejus Mariæ, beatis apostolis Petro & Paulo, & toti cælesti curiæ, esse vigiles, solicitos, & per omnia diligentes pro sanctissima unione, & eam prosequi in principio, medio, & fine, & nihil omittere de necessariis, utilibus, & quomodolibet contingentibus, quod unio subsequatur: & ita & vos tũc cardinales, & nos omnes similiter promisimus, vovimus, & juravimus effectualiter, ut prædictũ est. 1 Pet. 5.

Quibus quidem firmatis voto & juramento, ut supradictum est, in vos præfatum Angelum tunc cardinalem Constantinopolitanum, tanquam in præstantiorem, doctiorem, sanctiorem, & in omni virtute eminentiorem, direximus unanimi consensu vota nostra. Nam in personam vestram concurrere putabamus, ut apparebat, famam videlicet præclaram, sanctitatis apparentiam multiplicem, honestatis fervorem, & zelum perfectæ caritatis, maturitatem ætatis, & insuper ad sanctissimam unionem ardens desiderium, & per lacrymarum effusionem sæpius magnam ostentationem voluntatis, sperantes indubie per vos supradicta promissa juramento & voto firmata servari, & spe ab intentione vobis in conclavi patefacta, & similiter voto, & juramento, elegimus, & assumpsimus in episcopum animarum nostrarum & universalis ecclesiæ, & gregis Dominici directorem.

Post quam electionẽ, & ante inthronizationẽ, eamdem promissionem, votum, & juramentum, de novo præstitistis: & subsequenter hæc omnia in publico consistorio publicastis, & confirmastis, ac etiam de prædictis firmiter observandis, ad omnes fere mundi principes climatis Christiani litteras direxistis. Solemnes insuper oratores, & cum pleno mandato, ad dominum Petrum de Luna, per nonnullos Benedictum vulgariter nuncupatum, illico, ut tenebamini, destinastis, ipsum ad similem cessionem, & renunciationem sui prætensi papatus multipliciter exhortando, & de loco mutuæ cessionis concorditer eligẽdo, & in litteris ad eum directis utendo inter cætera istis
" verbis: Non enim semper de jure suo disputandum
" est: sæpe rigor ipse utilitati & tempori cedit. Nam
" si mulier illa & juri suo renunciare, & filio suo pro-

A prio spoliare se voluit, ne sectionem unius pueri vi- "
deret: quanto magis nos, si malitia operante, ad optatã "
unionem pervenire non possumus, per vias justitiæ "
pie cedendum videtur? "

Demum responso ab eo habito, & convento de loco Saonæ per vestros dominos oratores ad rectorem dicti loci litteras apostolicas direxistis, inter alia continentes in effectu, quod oblationibus vobis factis ab eis uti intendebatis, & quod pro vobis vestrisque fratribus dominis cardinalibus pararent necessaria, & taliter providerent super ipso accessu, quod possent merito commendari, prout planius in dictis litteris continetur. Tandem ad dictam civitatem sive locum Saonæ accedere velle pluribus de causis minus justis recusastis, nobis contrarium asserentibus propter observantiam promissorum. Deinde dicto domino Benedicto papa prætenso ad dictum locum se in termino conferente, & de accessu vestro & nostro similiter requirente, pluribus aliis ad hoc vos exhortantibus, præcipue oratoribus serenissimi regis Franciæ, in eodem proposito non accedendi pertinaciter perstitistis. B

Similiter mediis notabilibus a dominis & oratoribus, maxime illustris ducalis dominationis Venetorũ, pluribus locis successive oblatis utrique parti securis: in ipsis eligendis ac etiam recusandis pluries variastis, & interim per vos indebite & injuste dissolutus fuit contractus dictæ conventionis loci concorditer eligendi, & per consequens sanctissimæ unionis: ut sic merito qui ad tantum bonum optatum omni populo venerant, vel miserant, dolenter possint dicere cum propheta: *Venerunt ad hauriendum aquam, & vasa sua vacua reportarunt*: & iterum illud: *Expectabamus pacem, & ecce turbatio; & justitiam, & ecce iniquitas, & judicium, & ecce clamor* Si enim nihil tam conveniens humano generi, quam promissa servare: quid censendum est in sublimi excelsoque solio præsidenti? Certe quædam dicit lex: nihil est quod præclariore luce præfulgeat, quam recta fides in principe; cujus verbum aut sanctum, aut sacrilegum. C Ierem. 14. Isa. 5.

Quibus adhuc non obstantibus, sed remanentibus in civitate Lucana hac de causa prosequendi & exhortandi vos ad præfatam sanctissimam unionem dominis oratoribus præfati regis Franciæ, & prædicti domini Benedicti, & ad idem multipliciter vos impellentibus juxta conventa, vota, & jurata, & nobis ad istud idem, & in eadem voluntate concurrentibus & laborantibus apud vos cum omni insistere lenitate & mansuetudine: nostra & omnium aliorum salubria monita contempsistis. Et tandem animum vestrum in oppositum celare amplius non valentes, in ea verba, & pluries atque pluries prorupistis, quod via cessionis & renunciationis erat diabolica, & damnata, & eam sequi nullatenus volebatis, nobisque impie & invalide sub pœna privationis cardinalatus, perjurii, & beneficiorum, ore tenus inhibuistis, ne cum prædictis ambassiatoribus Benedicti, vel regis Franciæ, de materia unionis amplius loqueremur; nec etiam nos ausi essemus de cætero sine vestro mandato similiter amplius congregari: prædictis mandatis expresse tendentibus in præjudicium sanctissimæ unionis, quæ sine congregatione & colloquiis cum prædictis prosequi non poterat nec haberi; ac etiam in scandalum totius populi Christiani, & insuper in confusionem, ruinam, & totale exitium omnium ecclesiarum, & totius status ecclesiæ temporalis destructionem, ac etiam contra sæpius promissa vota & jurata, & populo toties publicata, quasi per talia peccandi & dejerandi licentiam, ac vota & promissa tam solemniter transgrediendi per traditionem clavium regni cælorum assecuti fueritis potestatem. D E

ANNO CHRISTI 1409.

Vere per ista & alia, quæ de vobis vidimus & audivimus, semper hoc timendum est de eo, quod beatus Bernardus de papa Eugenio verebatur, ne in multis occupationibus, quoniam multæ erant, frontem induraret, & in duritiam cordis iret, & inde in aversionem: definiens quid est cor durum, videlicet quod » semetipsum non exhorret, quia nec sentit ipsum esse, » quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis » induratur, ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad pericula impavidum, temerarium in Divina, præteritorum oblivifcens, præsentium negligens, » futura non providens: & ut breviter cuncta horribilis mali mala concludam, ipsum est, quod nec Deum » timet, nec homines reveretur.

Si in hanc cordis duritiam jam incessistis, ut ex prædictis & aliis quæ quotidie in vestra curia & per vestros consiliarios agitantur, apparet: lacrymantibus cordis oculis contristamur, & plurimum anxiamur, quia præter & contra spem nostram talia contigerunt. Per ista quidem de electione vestra ad apicem summi apostolatus, gaudium in mœrorem & luctum, & expectata consolatio unitatis in majus scandalum & labores fere intolerabiles sunt conversi, ut sic quilibet nostrum dicere possit illud Iob: *Conversa in luctum est cithara mea, & organum meum in vocem flentium*: & iterum illud: *Expectavi ut faceret uvas & fecit labruscas*: labruscas inquam, acerbissimas, quas comedere obstupescunt reges, principes, populus catholicus, atque clerus, considerantes excidisse a tanto tamque sperato bono, & dimissos in tanto excidio absque spe reconciliationis alicujus, & in pejori statu quam prius fuerant, relaxati, protracti, & delusi post longam moram & consumptionem temporis, de loco conveniendo pro renunciatione ac cessione verbali in quolibet certo loco, & si non per vos, saltem per procuratores idoneos de facili facienda, si non quæ vestra & vestrorum sunt, sed quæ Christi, quærere & cogitare, ut vestræ famæ & gloriæ congruebat, & justum fuerat, curavissetis.

Iob. 38.

Isa. 5.

Ex quibus, & aliis quæ quotidie vidimus de progressionibus vestris & modis, Deo teste, vobis compatimur: quæ patienter conniventibus oculis transissemus, si absque Dei offensa & transgressione juramentorum & votorum nostrorum potuissemus quomodolibet tolerare. Verum quia ex tali tolerantia & patientia fuissemus prædictorum voluntarii transgressores, & per consequens ut perjuri & infames ab omnibus reputati, & toti mundo exosi, & (quod pejus est) inveterati schismatis nutritores, & ob hoc per consequens juxta sacros canones hæretici reputandi: ideo Spiritus sancti gratia illustrati, obedire volentes Deo magis, quam hominibus, curavimus unanimiter & concorditer, ut iidem canones præcipiunt, a vestris tabernaculis & consortio separari, ubi nihil proficere, quinimmo ex tali mora officere sanctissimæ unioni plurimum fuerat visum nobis.

Idcirco ne sanctæ ecclesiæ, a qua ab ipsa nostra pueritia enutriti & sublimati sumus, ingratissimi de tot beneficiis videamur, & ne Dominus & Redemptor noster Iesus Christus conqueri de nobis possit, & illud Isaiæ dicere: *Filios enutrivi & exaltavi, illi autem spreverunt me*: & iterum illud: *Qui edebat panes meos, ampliavit adversus me supplantationem*: & rursum: *Generatio prava & perversa, hæc Domino retribuisti*? veluti mus in pera, ignis & serpens in gremio, suis consueverunt hospitibus exhibere: considerantes etiam pro majori parte nostrum, senilem nostram ætatem, immo quorumdam senio jam confe-

Isa. 1.

Psal. 40.

Deut. 32.

A cta, & per hoc de proximo migraturi ad vitam aliam sine tempore, sine fine, rationem ibidem reddituri in districto judicio, & tremendo examine, & ituri, si bona egerimus, in resurrectionem vitæ; si vero mala, veluti maledicti a Deo, in supplicium æternum; & præsertim præsidentes, quibus durissimum judicium comminatur Deus, de quorum manibus subditorum ratio postulatur: quæ præeminentia si recto rationis judicio consideratur, ut ait Gregorius, plus doloribus afficitur quam honoribus gaudet; & omnis potentatus brevis, sed etiam si annis mille, amplius in eis labor, & dolor: considerantes etiam per recessum vestrum & alterius, videlicet Benedicti, a voluntaria cessione, & unum ab altero adeo elongatum, quin B immo per vos etiam dicta via publice reprobata, prius tamen plusquam millies approbata & studiose pertractata, ac etiam viam justitiæ, ac juris utriusque discussionem difficilem & impossibilem, & verisimiliter sine exitu, sine fine, non absque periculo, & scandalo partis alterius obedientiæ, si alterum non habuisse jus in papatu fuisset per viam justitiæ declaratum, & per consequens tantam multitudinem populi Christiani, reges insuper, principes, erravisse cum periculo, & discrimine animarum suarum: necnon vidētes tot tergiversationes, volubilitatem, & inconstantiam utriusque vestrum, juxta communem omnium opinionem invicem colludentium, ac etiam pro- C pter crimen immanissimum, quod ex tam longa mora & protractione in sponte cedendo juxta sacros canones incurristis: & propter nonnullas causas rationabiles, quæ ad infra scriptam convocationem sacri concilii simul Dei gratia uniti, nostros animos induxerint: dicimus, & de jure prætendimus, potestatem convocandi & congregandi sacrum & generale concilium ad nos totaliter devolutam, ex eo etiam maxime quod ex retro gestis estis in dicta congregatione suspecti; cum non nisi postquam præsensistis nos ad dictam convocationem parari, hoc unquam velle facere ostendistis: & quia nec possibile sit per ambos, vel in uno loco tale generale concilium convocari, nec vocatio illorum obedientiæ alterius partis posset recte dici concilium generale, nec in eo de altero irre- D quisito aliquid definire, nec requisitus etiam cum parte sua accederet, & si accederet, & si ambo præsideretis, prout in uno papa indubitato probabiliter dici posset, essetis in eodem corpore & unica ecclesia, duo capita quasi monstrum: nec jura, quæ de congregatione generalis concilii autoritate papæ loquuntur, vendicant sibi locum, cum duo contendunt contra vota & juramenta sua improbabiliter de papatu, & quia per mutuam cessionem absque concilii vocatione, juxta præmissa tot vinculis confirmata, possetis sine tot laboribus & dispendiis dare ecclesiæ unitatem & pacem. Ex quibus & multis aliis, si duceretis dictum concilium congregandum, quid aliud præsu- E mendum, quam velle rem trahere per longum, ut hactenus protraxistis? & ad quem finē dicta convocatio fieret, postquam tot vinculis tenemini ad cedendum sponte? utrumne ad finem discutiendi de jure utriusq; altera parte absente? & etiam si præsente, poteritisne vos ambo ignari facti, nisi quatenus auditu percipere potuistis, plus coram dicto cōcilio etiam simul utriusque obedientiæ congregato, in facto vel jure ostendere, quemadmodum[a] ostensum fuse hactenus per illos quodammodo, qui viderunt & tetigerunt, & cōtraria solemnium doctorum utriusque obedientiæ pro se & contra se consilia reportarunt? Præterea cum partes utriusque obedientiæ congregatæ simul forent: quis contra partem suæ obedientiæ definiret? quinimmo procul dubio præsumendum foret, prælatos,

ANNO CHRISTI 1409.

[a] Corr. quā ostensum

tos, reges, & principes, de vestris moribus fastiditos, & ad cedendum sponte tot juramentis & votis, & vinculis obligatos, aliqua pœna gravissima merito condemnare.

Ad prædicta igitur, tam salubriter, quam consulte pro vobis cum caritate dicta, & scripta, placeat & dignemini, deposito omni carnalitatis affectu, sanæ mentis consideratione attendere, & non errores erroribus accumulare, & per vias retrogradas veritatem confundere, & sacro concilio universalis ecclesiæ, per vos ad quos pertinet, ut prædiximus, convocato impedimenta præstare, ne ipsius generalis concilii, & totius populi Christiani indignationem fortius incurratis. In nomine igitur Domini nostri Iesu Christi, cujus ecclesiæ militantis causam suscepimus, & suscipimus, totis mentis affectibus, & cum animorum sinceritate feliciter inchoandam, mediandam, & totaliter terminandam, prout ex prædictis promissionibus per nos factis, juramenti & voti, ut prædicitur, vinculis roboratis & confirmatis, efficaciter obligamur, decrevimus & firmavimus, ac decernimus & firmamus, utrumque collegium unitum & in unum conjunctum, totam universalem ecclesiam ad sacrum concilium convocare & congregare, prout juris ordo postulat, & requirit, ut ad ipsum omnes, & singuli, qui de jure vel aliter ad ipsum accedere vel mittere decreverunt, pro exequenda sanctissima unione sunt efficaciter astricti, venire & comparere debeant legitime ad civitatem Pisarum in provincia Tusciæ, ad festum Annunciationis B. Virginis proxime secuturum: ut sic adveniente dicto termino, coram dicto sacro concilio hæc flebilis causa diuturni & nefandi schismatis, a Dei ecclesia extirpandi, radicitus proponatur, & taliter per ipsum concilium ordinetur & provideatur, quod per viam renunciationis & cessionis per vos promissam & juratam, diu absque aliqua justa causa tam protractam, in dicto sacro concilio, sancta unio & perfecta, ut expedit, habeatur in ecclesia sponsa Christi. Ad ipsum igitur concilium infra prædictum terminum convocandum vos requirimus, & invitamus, & in Domino exhortamur, quatenus ad dictum locum & indictum terminum accedatis in dicto sacro concilio, ad prædictam renunciationem, prout vovistis & jurastis, efficaciter adimplendam: certificantes vos, quod si venire neglexeritis, aut si veneritis, & ad quæ tenemini voto & juramento, efficaciter non ea adimpleveritis, dictum concilium contra vos vobisque faventes, sequaces, & adhærentes procedet, ut justum judicaverit coram Deo & ejus mystico corpore, & pro pace & unitate expedire videbit, vestra & aliorum pertinacia & obstinatione non obstantibus: pro meritis recepturi vos, & alii assistentes vobis in tanto scandalo & schismate nutriendo & fortius indurando, justitiæ complementum.

Datum in castro, seu loco Liburnii Pisanæ diœcesis, sub trium priorum nostrorum sigillorum appensione, decima sexta mensis Iulii, prima Indictione, anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MCCCCVIII.

XI.

Ex Annalibus Raynaldi.

LITT. PISANORUM CARDINALIUM.

Ad præsules qui erant in Gregorii comitatu.

Conantur eos ad se allicere.

Miseratione Divina episcopi presbyteri, & diaconi sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, universis & singulis reverendis patribus, dominis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac venerabilibus patribus, dominis abbatibus, necnon venerabilibus & circumspectis viris dominis contradictarum sacri palatii causarum, & apostolicæ cameræ auditoribus, dictæque cameræ & capellæ clericis, litterarum apostolicarum & sacræ pœnitentiariæ correctoribus, scriptoribus, & earundem litterarum apostolicarum abbreviatoribus, ac dictarum pœnitentiariæ cōtradictarum & palatii causarum audiendarum procuratoribus; necnon magnifico viro Marescalco, & nobilibus magistris hospitii & coquinæ, ac discretis viris armorum servientibus, magistris ostiariis & cursoribus, cæterisque tam clericis, quam laicis officialibus, & non officialibus cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ, curiam domini Gregorii in Senis existentis sequentibus, salutem, & unionis ac pacis affectum.

Ad crudele, & antiquatum schisma de medio populi Christiani evellendum scribitur in Levitico: In una domo comedetis, &c. In una domo vescuntur secundum patrum instituta, qui in una catholica ecclesia veram hostiam Redemptoris immolant unici. Sola illa domus est, & unica, quæ intra se positos valida caritatis compage custodit: unica ecclesia est, quæ apud duos esse nō potest, nec divisos in se populos tegit. Alieni sunt, profani sunt, fidem quam Christo debent nullatenus præbent, qui universalis ecclesiæ scindi patiuntur unitatem, qui tunicam Christi desuper contextam minutatim per frusta discerpunt, qui unicam Christi exterminant, qui domum Dei scindunt quæ supra petram unam ædificata est, & una populum in unitate concludit. Hic unitatis & pacis decor domus est, quem Psalmista desiderat: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*, qui habitare facit unanimes in domo. *Psal. 25.* Sane proh dolor! domus hæc unica, sponsa sine macula & ruga, hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, jam triginta annorum spatio, ambitione de papatu contendentium, frustatim per membra divisa est; arca Noe libidine dominandi per medium partita; induerunt duo Christi tunicam, & quæ duos non capit. Nunc autem duo illi in tanto monstro præsidere satagentes, omnibus studiis, multifariis conatibus, sic Christi vineam conculcare moliuntur, quibus merito dici potest illud Ieremiæ: *Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meā, portionem meam desiderabilem dederunt in vastum & desertum solitudinis; posuerunt eam in dissipationem.* *Ierem. 12.* *Desolatione desolata est terra, quia non est qui recogitat ex corde.* *Ibidem.* Novissime autem cum nobis viderint cataractæ cæli, & rores gratiæ Christi descendisse, propinata via clara ad pestiferum hoc schisma delendum, via scilicet renunciationis promissa, vota, atque jurata per utrumque contendentium de papatu, durissima corda mollita crederentur, ut merito cunctus populus exultanti animo diceret, & canticum cantaret: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*: in domum unitatis, in domum unicam tranquillitatis, & pacis, illud firma credulitate sperantes: *Psal. 121.* *Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum*: scilicet cor unum, & anima una, in unum ovile, in uno salutari fonte gratiæ non descendentis nisi in habitantes in unum. *Psal. 131.* Ecce concupiscentia, radix omnium malorum, dominandi libido, atque ambitio in cathedra præsidendi, se opposuit ex adverso: gaudium nostrum versum est in luctum, lætitia in mœrorem, risus in planctum amarum, ut merito dicere cogamur: *Expectavimus pacem, & non est bonum; & tempus curationis, & ecce turbatio.* *Ierem. 8.* Et ubi summa fide, & ineffabili spe, in eccle-

ANNO CHRISTI 1409.

sia Dei sperabatur unio, fictis coloribus diversis, atque variis initis tractatibus, in nulla mentis concordia dominis de papatu contendentibus, spes pacis, unionis, & concordiæ, repente de manibus erepta est, & coacta est extra mundi partes exulare.

Iam enim per anfractus difficultatis de loco conveniendi, anni & pluris tempore frustrato, sine quo potuissent, ut & pluries sunt requisiti, per procuratorem cedere, aut in manibus collegiorum: cum etiam multa in medio fuerint oblata loca communi hominum opinione habilia, quæ modo unus, modo alter de contendentibus refutavit injuste: pluries etiam requisito per nos domino Gregorio, & per ambassiatores pro hac causa degentes in curia, ut per aspersionē sanguinis Christi, viscera sua super populi stragem commoverentur; ut memor esset finis pastoralis officii, quod in salutem dirigitur animarum, ac juramenti, promissionis, & voti, quæ tam solemniter præstita ab eo, & toti mundo publicata fuere; ut Christum imitaretur, cujus vicariatum tenebat in terris, qui pro populi salute, nedum de cathedra, sed de cælis in humana membra descendit, de domino formam servi accipiens, nedum dignitate se exuerat temporali, sed a tanta gloria descendens, nostras necessitates, & miserias assumere dignatus est, & ultimo crucis mortem. Quanto autem plus a nobis, & a quampluribus aliis exhortatus est: tanto plus obtusis auribus induratum se præbuit: nunc cardinales contra juramenta, & vota, nobis primo renuentibus, postea absentibus, quantum in eo fuit, de facto creando, ad propositum non cedendi quamplurimum impellentes: nunc præcepta iniqua, & nulla, ad confusionem unionis fulminando pœnalia, ne invicem aut ambassiatoribus alterius partis, nec aliis, cum quibus solis poterat unio ad effectum perduci, loqueremur, ne etiam de civitate Lucana discederemus, ut quod eo præsente agi non poterat, in absentia etiam ad effectum perduci non valeret: nunc aperte & clare viam renunciationis in publico ut diabolicam reprobando, quam ante laudaverat, & juraverat, ut sanctam asserendo; necnon etiam ad nonnullos litteras destinando, quod illam amplius non erat intentionis prosequendi: tandem omni conventionis & concordiæ rupto tractatu, factis & dictis detexit, omnino de unione desperandum. Novissime autem fucatis coloribus dicti contendentes, sic putantes Deo & mundo illudere, se pararunt ad recessum: quod postquam a domino Gregorio discessimus, uterque effectui mancipavit, domino Gregorio Senas, domino quidem Benedicto Perpinianum in Aragonia petentibus, uno ad Occidentem, altero ad Orientem gressibus directis, ad schisma perpetuandum, & unionis spem penitus evacuandam, in medio luporum absque compassione, contra debitum caritatis, & officii, gregem Christi, ut mercenarii, & quibus non erat cura de ovibus, sed de ovium lana, morsibus luporum, ac dentibus rugientis leonis, non tam turpiter, quam impudenter deseruerunt & inhumaniter, quasi facto acclamantes illud Ieremiæ: *Venite, & congregamini omnes bestiæ terræ; parate vos ad devorandum*: ecce derelictus est grex. Heu propheta Iesu Christi, pro te ipse de cælo descendit, dura verba, duriora verbera, durissima carnis vulnera sustinuit, ad ultimum tam dira crucis morte, te suo pretiosissimo sanguine redemit: nunc autem mercenarii absque pietate crudeles, & dentibus insidiatoris laniandum gregem exponunt, de vellere & lana contendentes, carnibus, & animarum perditione pascuntur, quærentes quæ carnis, & quæ sua sunt, & non quæ Iesu Christi. Contra quos Dominus per Ezechielem: *Non quæsierunt* *pastores mei gregem, sed pascebant se ipsos*. Væ tamen pastoribus. *Vos dispersistis gregem meum*, inquit pastoribus, *ejecistis eos, non visitastis eos: ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum*. O durissima, & præceps libido dominandi, quæ obtentu vix anni sedis, nec suo parcit senio, nec defert officii debito, deinde nec lateri Salvatoris, quod in aqua & sanguine colligendi in fidei unitate populi obtulit, ne quis tentaret dividere quos ille colligeret. Cognoscitur profecto Dominus justitiam faciens, qui nunc in membris quæ redemit injuriam patiens ignoratur.

Ierem. 12. · Ezech. 34. · Ierem. 23. · Ezech. 34.

Nos autem pietate & animarum compassione compuncti, tantam advertentes cordis duritiam dominorum de papatu contendentium, dum maxime in domino Gregorio, qui vir tantæ in principio sanctitatis reputabatur, tantam cernimus cordis duritiam, qui posita manu ad aratrum, anteriora dimittens, retro, tam fixe, tamque immobiliter ad posteriora versus sit, ut postpositis atque contemptis tam solemnibus vinculis, quibus Deo, & populo se astrinxit, absque Dei timore, sine ullo rubore verecundiæ, tantam populi stragem patiatur: attendentes officii nostri fore, tantam non dissimulare populi perditionem, neque in tanto tacere discrimine, tanquam illi, quibus major, negligente pastore, cunctis Christianæ religionis zelus incumbit: cum etiam error, cui resistitur, probetur; & non careat scrupulo societatis occultæ, qui dum potest, manifesto facinori non desinit obviare: videntes penes dominum Gregorium nihil penitus proficere, qui magis & magis quotidie obstinabatur: nec de unione quicquam in ejus præsentia tractare valentes propter præcepta injusta, timores mortis, & carcerationis, quos juste timebamus, plus Deo quam homini parere volentes, ut tenemur tam ex debito officii, quam ex vinculis voti & juramenti, quibus ad nihil necessariis, utilibus, aut quomodolibet opportunis in re hac omittendis astringebamur, Pisas accessimus; quam civitatem dominus Gregorius ante elegerat pro loco decenti, ac multifarie laudaverat; & ad quam ipso mandante, ante accedere promiseramus, deinde Liburnum in dicta diœcesi Pisana, ubi cum reverendissimis dominis alterius collegii in unum propositum & voluntatem dandi pacem populo Christi nos junximus: & habitis inter nos pluribus consiliis, accersitis etiam & habitis consiliis tam prælatorum, ac aliorum tam Divini quam humani juris peritorum quamplurium, viam elegimus concilii generalis, per quam commodius dari poterat executio præmissorum, & pax, & unitas in ecclesia Dei, videlicet ut quodlibet collegium suam vocaret obedientiam in uno loco & termino, scilicet in civitate Pisarum prædicta, & in festo Annunciationis gloriosissimæ Virginis Mariæ proxime futuro. Et sic eos per alias litteras requisivimus, ut sic per concilium ecclesiæ universalis utriusque deliberetur quid sit necessarium, aut opportunum taliter circa factum duorum de papatu contendentium, & necessitatem ecclesiæ imminentem, per viam juratam, & promissam, ut ipsorum vel alterius absentia non obstante, schisma extirpetur, & per electionem unici & indubitati pastoris, ecclesiæ providere valeremus, ut sic cum Ezechiele dicere valeamus: *Salvabimus gregem nostrum, & non erit ultra in rapinam, & suscitabimus super eum pastorem unum*. Ezech. 34.

Determinatis autem litteris nostris concilii requisitoriis, hæc præsentientes dicti domini de papatu contendentes, ad hanc salutarem viam perturbandam, & ut pax ecclesiæ dari nequiret, duo ordinaverunt

verunt conventicula, seu conciliabula, ad diversos dies & distantes, ac loca diversa, ab invicem remotissima; domino Gregorio in provincia Ravennati, aut Aquileiensi, & diem Pentecostes; altero, qui se Benedictum appellat, apud Perpignanum in Aragonia in festo omnium Sanctorum: cum notorium sit, sic stantibus terminis, unionem nullatenus, aut aliquam viam ex conciliis diversarum obedientiarum sic dispersim loco & tempore congregatarum dari posse, immo potius schisma confirmari, & si bonæ forent voluntatis, potius huic nostræ de universali ecclesia utriusque obedientiæ, ex qua sola secundum canonicas sanctiones, & sanctorum patrum instituta, ac consuetudinem hactenus in talibus observatam, unio dari potest, prout requiruntur, consentirent, quam novas facerent sic loco & tempore diversas; ex quibus nihil aliud sequi potest, quam unionis confusio, & schismatis perpetua confirmatio.

Vltra hæc, postea dictus dominus Gregorius, ut suum magis panderet propositum unionem confundendi, secundam dedit bullam universis Christi fidelibus sub IV. Idus Iulii, in qua suæ asserit fuisse voluntatis & esse, & quod gratia Christi in futurum erit, pure & fideliter servare formam, & intentionem suorum juramentorum, voti, & promissionis, in conclavi factorum, nos convocando ad eum ad tractandum secum, & cum eis, quos de facto creavit cardinales, super negotio unionis, qui qualiter retro fuerit bonæ voluntatis, prænarrata, & quæ toti mundo sunt notoria, ostendunt: & qualiter sit in præsenti, & verisimiliter erit in futurum, series ultimæ bullæ patenter ostendit: cum quotidie domini de papatu contendentes, ab invicem se elongent, cum quibus simul hæc sunt tractanda. Et convocatio, quam de nobis fecit, nulla alia causa fieri patenter ostenditur, nisi ut nobis a collegio alterius partis separatis, sine quibus partem alterius obedientiæ habere non valeremus, quæ cum nostra requiritur, ut tota detur ecclesiæ congregatio, via quam elegimus de manibus nostris auferatur, & schisma perpetuetur. Nos etiam vocat ad novos incipiendos tractatus, re solam executionem desiderante implementi juramenti notorii: & sic rem, quæ jam est in executione, ad primordialia nititur reducere, & extranea principia. Ac quasi satis materia trita non sit, & quasi eam satis difficultatibus, vacillationibus, & varietatibus non involverit inanibus concordia loci: eam nunc novis tractatuum anfractibus implicare conatur.

Nos autem secum humaniter agere volentes, eum requisivimus, ac de novo requirimus ad cautelam per infinitam misericordiam Iesu Christi, quatenus viscera sua commoveantur super gregem sic divisum, sic laceratum, sic ferarum dentibus expositum, sic ejus & alterius culpa catervatim ad chaos & profundum inferni innumerabiliter descendentem, ne sit immemor judicii æterni, coram quo sanguis animarum eorum in districto examine de manibus ejus excutietur; ne sit immemor suæ salutis, nec juramenti, promissionis, & voti, quæ præstitit tam solemniter, quorum ruptura populum pessimis corrumpit exemplis, ac gravissime scandalizat; nec in tantum sit suæ famæ prodigus, quæ ab universo laceratur, & subsannatur, in sui præjudicium, & omnium, qui amodo se servitio Dei mancipabunt, & spiritus vitam ingredientur, in qua permaxime vivere putabatur, ut dignetur quæ retro mala gesta sunt emendare, unionem populi Christi accelerare, famam suam malam ad odorem bonæ convertere: & cum videat convocationes inutiles, quas uno cum alio domino, qui se pro papa gerit, agit, & nullam aliam viam propter absentiam longam partis alterius utilem fore, tũ, ut experientia docuit, similiter noluit cõvenire, dignetur, & velit nostræ cõgregationi, ex qua sola sequi potest unio, consentire, & (ut tenetur) procuratorem ad renunciandum constituere: & sic ratio male gesta emendabit, Deo primo, secundo hominibus se reconciliabit: famam ab universo juste laceratam in odorem bonæ famæ cõvertet: apud Deum meritum, & vitam consequetur æternam, apud homines laudem & bonum exemplum. Nos autem interim ante & usque ad cessionem ad omne debitum sibi offerebamus præbendum · & post cessionem eum tanquam patrem & dominum, venerandum, & tractandum. Videntes autem nihil proficere, & dominos, qui de papatu contendunt, præfatos magis & magis quotidie indurari; secundum normam evangelicam, cum nihil aliud adsit, deliberavimus dicere ecclesiæ universali quam convocamus, ac eos ut incorrigibiles, schisma antiquatum descendens in hæresim nutrientes, contra vota, & juramenta in populi scandalum, voti fractores, & perjuros notorios habemus, & ethnicos, & publicanos.

Et cum interim talibus præbere obedientiam nihil aliud sit, quam eos in suo obstinato fovere ac manu tenere proposito, & principaliter schisma facere, & duo supra se capita tenendo, populum Christi in unitate a Deo prædestinata, dividere contra articulum fidei, *Vnam sanctam*: dicimus vobis cum scriptura: separamini a tabernaculis durissimi hominis, & nolite tangere ea quæ ejus sunt, ne pereatis in peccatis ejus: recedite a præsentia sua, & ejus curiam, ut Polycarpus refert de Ioanne, balnea ejus, ne super vos corruant, qui ecclesiam Dei lacerat, qui vineam Christi conculcat, & inveteratum nutrit schisma in contemptum, & ruinam ecclesiæ sanctæ.

Nostro autem proposito, Divinitus (ut putamus) inspirato, ut in salutem non tam nostram, quam vestram & totius populi Christiani ordinato, qui unionem quærimus, qui vias Deo placitas, & ad unionem aptas, & a sacris canonibus approbatas eligimus, ut adhærere velitis, requirimus, obsecramus, & quantum in nobis est in virtute Spiritus sancti injungimus, ut ad nos accedatis, si commode poteritis in consiliis & auxiliis opportunis, & operationibus quibuscumque assistentes; præsertim Dominum Deum nostrum Iesum Christum, cujus res agitur, exorando, quatenus sua pietate dignetur hoc sanctum opus ad finem perducere, & conducere optatum; scituri quod accedentibus, si fuerint indigentes, providebitur ad condecentiam sui status; & quod contra contumaces in non recedendo, & remissos, dictumque Gregorium sequentes tanquam contra foventes ipsum in schismate antiquato, quod in hæresim descendit, loco & tempore opportunius procedetur ad privationem dignitatum, honorum, beneficiorum, & officiorum, inhabilitatemq; ad illa, & ulterius prout fuerit contra tales de jure procedendum.

Dat. Pisis sub trium priorum nostrorum sigillorum appensione, die undecima mensis Octobris, prima Indictione anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MCCCCVIII.

XII.

RESPONSIO CARD. PISANORUM

Data Senensium oratoribus qui hortati erant ad sentiendum cum Gregorio & unicum generale concilium celebrandum.

I. Est nostra intentio dare pacē ecclesiæ simul cum dominis de alio collegio, per viam justā, rationabilem, canonicam, & alias a sanctis patribus observatam: scilicet viam concilii generalis utriusque obedientiæ. Et licet secundum glossas & doctorum opiniones possent domini cardinales facere: tamen ut sine scrupulo procedatur, tutiorem partem eligunt, scilicet concilii generalis utriusque obedientiæ ubi ambo vocabuntur, ut adimpleant promissa & jurata: quorum altero veniente & implere volente, alter secundum sententiam concilii ejicietur; ambobus contendentibus non venientibus, etiam concilium procedet secundum juris regulas: adeo quod unio sequetur in Dei ecclesia.

II. Si ergo dominus Gregorius vult unionem ecclesiæ ut ore dicit, habet tenere aliquos modos: videlicet quod in convocatione concilii, quam nos facimus simul cum convocatione partis alterius, idem dominus Gregorius veniat, & renunciet, domino Benedicto cedente, vel decedente, vel ejecto canonice, hoc est per convocationem partis suæ & nostræ: cum notorium sit, ex separatione obedientiarum nullatenus posse unionem consequi: cum verisimiliter constet, utrumque contendentium ex congregatione suapte dumtaxat tam longinqua non posse dare pacem ecclesiæ: sed necessarium est, ut ad pacem ecclesiæ ambæ obedientiæ conveniant, ut possint extrema simul conjungere, ut expedit.

III. Itē, si hoc facere noluerit dominus Gregorius, saltem procuratorem constituat nobis fidum & irrevocabilem ad cedendum, domino Benedicto cedente, vel decedente, vel ejecto canonice, cum clausulis opportunis suo tempore declarandis: tunc enim velle unionem ostendet & bonum suum declarabit.

IV. Itē, si dicat quod nos volumus eū ad plus obligare, quam sit in primo instrumento, videlicet in casu ejectionis quod ipse renunciet, non est verum, nam ex vi instrumenti ipse ad hoc tenetur. Nam ipse tenetur dare pacem ecclesiæ per omnem viam rationabilem, ex qua possit sequi unio. Ista est talis, ergo, &c. Item non obstante instrumento, etiam de jure communi ipse tenetur cedere pro gravi scandalo evitando, ergo, &c. Sumat ergo exemplum B. Clementis, qui sponte cessit, ut in ecclesia scandalum non esset.

V. Item, ipse vult concilium particulare: nos volumus generale concilium utriusque obedientiæ. Suum non potest dare pacem, ut diximus, nostrum sic. Veniat ipse ad concilium sine nova obligatione specifica, nisi quod stet deliberationi nostri concilii generalis, & pro loco non remanebit.

VI. Item esset expediens, quod populus Senarū supra se reciperet hoc onus: videlicet quod dominus Gregorius veniret ad concilium utriusque obedientiæ. Et sicut dictum est, non remanebit propter locum: & ibi vel renunciabit, ut tenetur de jure, & etiam ex vigore voti & juramenti; vel stabit determinationi concilii generalis: & hoc suis loco & tempore extendetur in bona & optima forma.

VII. Itē prædicta practicentur: & notificatis nobis qualitatibus negotiorum, tunc forte mittetur Senas

A honorabilis ambaxiata. Aliter quidquid fieret, esset contra unionem, cujus contrarium quærit civitas Senarum.

VIII. Item considerata fidelitate & voluntate illius magnificæ cōmunitatis etiam hactenus erga sanctam Romanam ecclesiam, nos sumus apti eandem civitatem honorare, & eidem facere ultra alias civitates Italiæ, ad cujus honorem & utilitatem offerimus nos paratos.

XIII.

RESPONSIONES GREGORII

B *Ad superius scriptum cardinalium Pisanorum.*

Est nostra intentio dare pacem ecclesiæ, &c. Factis oppositum demonstratis, novum schisma inchoantes, & ad illud fovendum, totum orbem invitantes proditionibus, falsitatibus, mendaciis, dolis, & fraudibus utentes, sicut litteræ vestræ simul & verba verbis comparata instruunt.

Cum dominis de alio collegio, &c.

Utique nec apud nos, nec apud quosdam, veram obedientiam sequuntur: illi vero collegium faciunt sed prætensum, sicut sensistis, dixistis, & scripsistis Et si apud nos illi collegium facerent: vos nec cardinales essetis, nec collegium faceretis.

C Per viam justam, rationabilem, &c. Id est, per viam concilii generalis utriusque obedientiæ. Si sic esset, cum superstite papa nullus possit concilium generale celebrare, summo pontifice excepto, & summus pontifex sit superstes, scilicet dominus papa Gregorius, & ipse indixerit concilium generale, etiam antequam vos de conciliabulo convocando aliquid publice tractaretis: quare vos, & alii schismatici, ad illud unum verum concilium non venitis, ostensuri si quid juris habetis?

Licet secundum glossas & doctorum opiniones possent domini cardinales facere, &c. Salva reverentia, quia nullus textus, nulla glossa, nulla cujuscumque doctoris opinio hoc, quod dicitis, tenet. Sed quia for-

D matis casum falsissimum, casui falsissimo suffragantur glossæ, & opiniones, quas postea recitare vultis. Sed concesso vobis per impossibile, quod casus, quem dolose formatis, verus foret, adhuc non potestis concilium celebrare. Nam nec vos, nec illi estis cardinales: non vos, quia multipliciter, & multoties, estis ipso jure & ipso facto privati, necnon & declarati privati publice & occulte: illi vero quia nunquam cardinales fuere, nec creati sunt de novo, patet quod non sunt cardinales. Sed esto quod cardinales adhuc essetis (quod tamen omnimode denegamus) per processus Urbani VI. quos approbastis, etiam essetis ipso facto privati, quia cum schismaticis participatis

E in crimine, ac iniquitatibus eorum favetis.

Ubi ambo vocabuntur, &c. Si nil aliud ageretis quam id, hac temeritate superba vos summi pontificis judices constitueretis contra omnium patrum sanctiones: & si dignitates aut beneficia vel officia haberetis, ipso facto deponendi essetis sicut archidiaconus, & nonnulli alii in XVII. distinct. notant.

Ad secundum capitulum: Si ergo dominus Gregorius vult unionem ecclesiæ corde, ut ore dicit, &c.

Ipsi scitis, quia unionē voluit vultque, & propter eā assequendum sponte dimisit terras ecclesiæ ab hostibus invadendas, celebrem famam propriam exposuit, assumpsitque pericula mortis. Sed vos qui nihil aliud quam cessionem quærebatis, vestris factionibus, infamationibus, consultationibus cum schismaticis & aliis

Anno Christi 1409.

aliis infernalibus viis, unionem impedivistis; velut obliti juramentorum vestrorum, votorum, & promissionum, de eligendo locum unum, præparatoriis præmittendis renunciationi & recessu a capite non admittendo, etiamsi ipsum caput publice & manifeste contradiceret unioni.

" Ad tertium capitulum: Dominus Gregorius " saltem procuratorem constituat, &c. Ipsum summum pontificem vos perjurum efficere laboratis. Iuravit enim una vobiscum ad locum conventionis & electionis accedere, & de iis, quæ pertinent ad unionem ecclesiæ, personaliter pertractare. Item quæritis fieri, quod an fieri possit non est expressum in jure: videlicet quod summus pontifex per procuratorem renunciare valeat.

" Ad quartum capitulum: Item si dicat, quod " nos volumus eum ad plus obligare, &c. Patet falsitas, vultis enim eum obligare ad grave peccatum, scilicet quod subjiciat se summum pontificem vobis schismaticis, quod foveat & confirmet vestrum schisma, quod conciliabulum vestrum approbet ut concilium, quod Divinum & humanum ordinem pervertat, & quod renunciet nondum certus verisimiliter, quod ex sua cessione integritas unionis sequatur in ecclesia Christianorum, quod est expresse contra juramentum, & votum, ac promissionem, facta in conclavi.

" Ista est talis: id est rationabilis via. Negatur. Immo est contra omnem rationem, quod omni dignitate, officio, & beneficio [a], perjuri, irregulares, infames, crimine læsæ majestatis damnati, concilium celebrent, papam citent, immo quod summus pontifex talibus conventiculis intersit, nisi forte ad damnationem & exterminationem sic convenientium.

[a] Deest privati

" Item non obstante instrumento, etiam de jure " communi ipse tenetur cedere pro gravi scandalo " evitando, ergo, &c. Falsum est hoc, ecclesiasticæ unionis perpetualiter subversivum. Nam per istam viam daretur occasio imposterum cardinalibus, qui quacumque de causa de vero papa non essent contenti, quod a suo capite rebellarent, ad hoc ut ipse summus pontifex pro tali scandalo evitando cederet. Et quia non sunt facienda pessima, ut sequantur iniqua.

" Sumat ergo exemplum B. Clementis, qui " sponte cessit, &c. Supponitis incertum pro certo, quia opinionem vestram veram & certam non potestis fundare: immo famosiores sunt, qui scribunt Clementem non cessisse, quam qui arbitrantur oppositum. Sed sumatis vos potius exemplum Cælestini, qui solus papatui realiter cessit, absque dubio adhuc vivens successorem habens. Et tamen ecclesia Gallicana cum universitatibus suis determinavit Bonifacium VIII. papam non esse, quod prædecessor suus adhuc militaret in via: ut sic discrete considerare possitis, quod dominus papa ita prudenter ad viam cessionis accedit, ut omne dubium tollatur de medio, & integram pacem gregi Dominico largiatur.

" Ad quintum capitulum: Ipse vult concilium " particulare: & nos volumus generale, &c. Salva pace, quia nec particulare, nec generale vultis, quia nullum erit concilium vestrum (jura scientibus loquor) sed solus summus pontifex papa Gregorius, quia est pater generalis, & communis, potest, & vult generale concilium, excepto, quod ad illud non venient Iudæi, Sarraceni, Tartari, & quique schismatici, sed fideles ecclesiæ catholicæ, de quorum numero non sunt, nisi qui suæ sanctitati ad-

A hærent. Celebravit dominus Iesus Christus concilium cum XII. Apostolis, & fuit generale concilium: collegit Caiphas multorum pontificum & Pharisæorum grande concilium, quod verius fuit conciliabulum.

Veniat ipse ad concilium sine nova obligatione " specifica, nisi quod stet determinationi nostri con- " cilii, &c. Ista obligatio esset schismatica, sapiens hæresim: ideoque non solum alterius speciei ab obligatione facta in conclavi, sed & alterius generis: si tamen vitia, & mere privativa, sub aliquo proprio genere cadunt. Præterea gratia veritatis videndæ, aut vestrum concilium erit particulare, aut genera-

B le: si particulare, ergo nullum, & inique petitum; si vero generale, aut papa de jure tenetur stare determinationi talis concilii, aut non: si sic, frustra petitis; si non, ergo novam obligationem inducitis, quod tamen minus vere negatis. Item si erit concilium generale, quod negamus, & dominus noster ejus determinationi resisteret: nonne tamen Christianitatem haberet oppositam, sicut vos dictis & litteris procuratis? cur ergo petitis novam obligationem hanc, nisi quia scitis concilium vestrum fore nullum, & vultis omnia clara involvere, & offuscare?

Ad sextum capitulum: Item esset expediens, quod " populus Senarum supra se reciperet hoc onus, vide- "

C licet, quod dominus Gregorius veniret ad conci- " lium, &c. Satis innotescit, quorsum tendat vestra maligna iniquitas, scilicet ut a populo Senensi dominus papa Gregorius teneatur, ducaturque ad præsentiam vestram captivus: ita ut quod plures vestrum insidiis non valuistis adimplere, nunc perficiatis cum dolis.

Ad septimum capitulum: Aliter, quidquid fie- " ret, esset contra unionem. Scripta dictis repugnant, " quia doli vestri latere non possunt. Oratores enim cum amplis promissionibus remisistis directe contrariis eis quæ dedistis in scriptis, & tandem concluditis aliter quidquid fieret & esset contra unionem. Si vultis dominum nostrum transeuntibus stare dictis: quare scripturas mansuras in oppositum datis? si vero scripturas vultis in suo robore stare: cur ver-

D ba volantia in oppositum fabricatis? nisi quia malitiose contra sanctum Domini machinantes, vultis quod ij oratores lingua pandant in populis, vos offerre magnalia ad magnificandas fimbrias vestras & phylacteria dilatanda, præclaraque fama domini papæ, quam sustinere nequitis, obnubiletur in turbis, atque si dominus papa renuerit acceptare, quod tam munifica verbo tenus, & specie tenus offerri ei videantur, ipse pravus, & vos optimi prædicemini: si vero admitteret, vos qui discordiam seminatis, respondeatis non esse vestræ intentionis, cum appareat e converso in scripturis traditis eis.

Ad octavum capitulum: Considerata fidelitate, "

E &c. Hæc adulatoria verba cæteris principibus, & communitatibus scribitis, præferentes omnem locum omnibus locis apud eum qui dominatur in illo: per effectum vos ostenditis esse mendaces per ea quæ dixistis, & velocissime concludere cum Florentinis tractastis.

XIV.

GREGORII EDICTUM,

Quo cardinales qui a se discesserant, nisi intra tres menses redeant, omnibus dignitatibus privat.

Gregorius, &c. Ad futuram rei memoriam.

SVscepisti cura regiminis, vehementer nos angit, & urget caritas sponsæ Christi, ut præsumptuosis ac temerariis malignorum conatibus, opportunis obviemus remediis, & ut quos Dei timor a malo non revocat, & nostra clementia copiose diutius demonstrata ad veniam capessendam non emollit, pro eorum excessibus vigor ecclesiasticæ disciplinæ competat, & ad declarationem pœnarum eis tam a jure quam ab homine inflictarum mediante justitia procedamus: ut & illorum comprimatur iniquitas, & * utique terreantur talia vel similia attentare.

* *f.* cæterique

Sane cum ad ecclesiæ sacrosanctæ integrationem per viam cessionis secundum formam in conclavi traditam totos nostros pure, & sincere, ac fideliter, continuo adhiberemus conatus, schismaticis ex adverso, sicut finalem patuit per effectum, dolis, fraudibus, involutionibus, insidiis, & violentiis intendentibus, cum quibus nonnulli ex nostris tunc cardinalibus, & ad invicem conspirarunt, ut creditur, decepti & corrupti: ne ipsi tunc cardinales ad partes divisionis malignæ defluerent, & optabile unionis bonum versutiis, & malitiis malignantium contingeret impediri, quam etiam divisionem schismatici incœperunt in Roma efficere, cum quibus schismaticis cardinales pro eorum libito voluntatis, libera, publica, & secreta habuerunt colloquia, & tractatus, a mense Iulii, usque ad diem quartam Maii: cum sic ad prædictam sanctam unionem non proficerent sed officerent, nos, certis indiciis, & multorum relatibus dignis prævidentes, ac ex iis quæ præcesserant, eosdem tunc cardinales, nos & apostolicam sedem velle relinquere, non timentes tam grave scandalum & turpe inserere, & contra processus felicis recordationis Vrbani VI. prædecessoris nostri, approbatos, & observatos jam triginta annis elapsis, omni dignitate, officio, & beneficio, commodo, & honore, ipso facto transgressores privantes, schismaticis adhærere, cum quibus actualiter tractabatur, ex quorum recessu novum schisma verisimiliter poterat oriri, & roborari vetustum, sicut demum rei malus probavit eventus: præcepimus tam provide quam juste, simul & pie, ipsis omnibus & singulis cardinalibus existentibus in Romana curia, sub pœna privationis cardinalatus, & omnium beneficiorum suorum, quam quilibet ipsorum incurreret ipso facto, ne ab illa die, quarta videlicet Maii, in antea, aliquis eorum exiret de Luca, sine speciali & expressa licentia nostra, per nos ore tenus sibi facta. Item sub pœna perjurii, quam incurrerent ipso facto, præcepimus & mandavimus eisdem, ne ulterius congregarentur in aliquo loco, sine expresso mandato nostro. Item sub eadem pœna perjurii, quam incurrerent ipso facto, præcepimus, & mandavimus eisdem, ne aliquis eorum participaret cum oratoribus Petri de Luna, neque cum oratoribus Gallicis, sive per se, sive per interpositam personam: quia nostræ intentionis erat, sicut & expressimus, cum prælibatis olim cardinalibus, per expeditivas, claras, & saluberrimas vias, ad desideratam unionem procedere, palpato quod a schismaticis fueramus delusi, & in frustratoriis verbis detenti: prout præcipue claruit tunc circa finem mensis Aprilis, quando inter arctos tractatus de locis conventionis, Petrus de Luna almæ urbi nostræ, ut eam caperet, parabat insidias: ad quod perficiendum suas direxit cum suis galeas armatas.

Quæ præcepta nostra si servassent, & nobiscum, ut volebamus & decebat, perseverassent: jam, ut verisimiliter arbitramur, esset status ecclesiæ reformatus, vel saltem reformationi vicinus. Ipsorum vero tunc cardinalium, quod dolentes referimus, quidam, videlicet Antonius olim Prænestinus episcopus, Conradus olim tituli sancti Chrysogoni, Franciscus olim tituli S. Martini in Montibus, de Vrsinis, presbyteri, Raynaldus olim sancti Viti in Macello, Odo olim sancti Georgii ad Velum aureum, diaconi, cardinales, suæ salutis immemores, Divina pariter, & nostra, summorumque pontificum prædecessorum nostrorum, necnon juris humani, contemnentes præcepta, odibiles Deo, nobis rebelles, subversores ecclesiæ, scandalum populorum, perjuri, & præmissorum jussorum violatores, fugam ineuntes, recesserunt a nobis, facto probantes se ex nobis non esse. Quos postea sequutus est Petrus olim sancti Angeli diaconus cardinalis, consimiliter mandata nostra contemnens: qui paulo ante valde damnabat fugam prædictorum. Qui omnes mala malis adversum nos accumulantes damnabilius, procurarunt sanctam matrem ecclesiam, quantum in eis fuit, viperinis conatibus laniare; & inconsutilem Domini tunicam scindere satagentes, scandalorum & schismatum seminaria præpararunt: & famæ suæ prodigi, & honoris proprii persecutores effecti, non tantum seipsos nexibus peccatorum involvere, sed in reprobum sensum dati, etiam alios ad præcipitium trahere conantur; curiales aliquos, & officiales nostros pecuniis, promissionibus, minis, & aliis deceptionibus subtrahentes, notarios etiam cum registris causarum, & libris curiæ, ad se traxerunt cum gravi scandalo, & etiam detrimento partium litigantium. Attentarunt etiam aliqua, quæ ad solum Romanum pontificem pertinent, litteras quoque nostras intercipientes, & nuncios, quos ad principes destinabamus & populos, pro celebrando concilio generali: litteras etiam ad nos & curiales nostros directas, necnon quoscumque ad nos & nostram curiam adventantes, quantum in eis fuit, detineri fecerunt contra processus, & sententias apostolicas, in die Cœnæ Domini in talia perpetrantes promulgatas.

Quæsiverunt insuper per ambassiatas frequentes, & litteras, quas sub sigillis, quibus, antequam essent privati, utebantur, ad prælatos, principes, & communitates, per diversas mundi partes, ut obedientiam nostram a nobis subtraherent, destinarunt. Et ut nihil omitterent ex iis, quæ pacem & desideratam unionem possent impedire: unicum, & salutare ipsius unionis auxilium post tot mala relictum, generale concilium, quod die secunda Iulii in festo Pentecostes proxime futuro indiximus celebrandum, miris & damnatis artibus conati sunt impedire: etiam vero concilio suum conciliabulum opponendo. Et existimantes loquacitatem, & maledicentiam, unionis bonum signum: prorupere sæpius & publice in verba non tam blasphema & schismatica, quam insana, innocentiam nostram apertis falsitatibus diffamantes.

Nos tamen more pii patris, qui salutem zelabamus ipsorum, sperantes ipsos ad cor reversuros, & viam veritatis repetituros: eos diu-

ANNO CHRISTI 1409.

diutius expectavimus patienter, nullum de beneficiis per eorum privationem vacantibus alicui conferendo, usque ad quatuor tempora Septembris; & exinde pauca contulimus. Et per diversos probos viros magnæ autoritatis eos excitari fecimus, etiam per nostras patentes litteras, ut infra certum terminum ad nos redirent, benigne requisivimus & caritative monuimus: promittentes eisdem quod, si cum caritate tractare vellent nobiscum, & cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, super negotiis unionis, eos benigne reciperemus atque tractaremus, abolendo omnem infamiæ maculam sive notam, præmissorum & aliorum patratorum occasione contractam, remittendo eisdem offensionem quamlibet atque pœnam: & cum essent perjurio maculati, & omnibus officiis, beneficiis, atque cardinalatibus privati, continuata nostra majori clementia eosdem reintegraremus, & in statum pristinum reponeremus.

Ipsi vero in sua pertinacia & superbia obstinati, nescientes in semitis justitiæ dirigere gressus suos, timoremque Dei præ oculis non habentes, etiam post dictam monitionem, & excitationes nostras, contra nos & Romanam ecclesiam conspirationes, colligationes, & machinationes diversas continuarunt, & sub prætextu unionis nostram dumtaxat dejectionem quærentes, in ecclesia Dei majus schisma & divisionem ponere præsumpserunt. Et ut in prædictis complices & fautores haberent: se cum schismaticis, & schisma nutrientibus, videlicet cum quibusdam anticardinalibus Gallicis, per processus apostolicos, ut præfertur, Vrbani VI. prædecessoris nostri, justo Dei judicio condemnatis, juramentis, & aliis promissionibus ligaverunt, contra processus hujusmodi facere non verentes: & in scriptis suis ipsos anticardinales Gallicos, reverendissimos cardinales appellant, & sic eos verbis & factis honorant, communicantes cum eis etiam, proh dolor! in Divinis, asserentes, quod piæ aures refugiunt audire, dubium esse magnum & probabile tam de jure nostri papatus, quam prædecessorum nostrorum, a quibus ipsi cardinalatum, beneficia, & honores habuerunt, veritatem in mendacium commutantes.

Necnon post terminum prædictæ monitionis, iterato excitati per ambassiatam Senensium per eos verbis deceptionis damnabiliter delusam, ac deinde per Venetorum ambassiatam, restitutionis præmissæ nostræ clementiæ ab utraque ambassiata facta promissione, quas vacuas remiserunt, nec reductionem unici concilii per Venetos requisitam concesserunt, nisi ad suum conciliabulum iremus. Congruum quidem pluribus videtur, ut unum fieri debeat concilium: non tamen suum usurpatum, & a jure reprobatum, & super hæresi fundatum.

Hos tamen tempore & malitia longe ante præcessit iniquitatis alumnus, & perditionis filius, damnatus Baldassar Cossa olim S. Eustachii diaconus cardinalis, qui tyrannice sub mentito nomine legationis, nostras & sanctæ Romanæ ecclesiæ terras occupans, odiis & errorum furiis debacchatus fere per annum ante recessum olim cardinalium prædictorum de Luca, studuit per nonnullos ad hoc invitatos, & falsitatibus informatos, nos perjurii & schismatis maculis infamare: & fecit quantum potuit hoc contra nos publice divulgari, successive solicitans adversus nos insurgere cardinales, prælatos, principes, communitates, & alias privatas personas: inter quos præcipue mendaciis, precibus, precio, ac pollicitationibus, seduxit Petrum de Candia, tunc basilicæ XII. Apostolorum, & Ioannem, timorem eisdem incutiendo, tunc S. Crucis in Ierusalem, presbyteros cardinales, ut sibi cæterisque rebellibus & schismaticis adhærerent. Nec his malis contentus, execrabilia quædam mandata pœnalia fecit, ne quis nos papam diceret aut scriberet, arma nostra in nostrum & sedis apostolicæ opprobrium turpiter & manifeste de locis publicis & privatis faciens deleri, & captivari jubens nuncios nostros, & quamplures ad curiam adventantes perturbavit, & pecuniis & bonis aliis spoliavit, præcludens omnem viam, quam potuit, ne litteræ nostræ per nos de indicto concilio generali, & aliis veritatibus edocendis, ad prælatos, principes, & communitates, eorumque ad nos pervenirent.

Quorum errores secuti sunt tandem Henricus olim Tusculanus episcopus, Angelus olim tituli S. Potentianæ presbyter, & Landulphus olim tit. S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus, cardinales. Quorum duo priores nobiscum, postquam primi fugerunt, steterunt Lucæ: nobiscum etiam, & cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, concilio generali, quod indiximus, unanimiter consentientes, & promotiones & quæcumque tractanda erant tractantes publice & privatim, usque ad consensum inclusive procedendi contra præfatos apostatas & rebelles olim cardinales, etiam distributiones recipientes. Necnon quando de Luca recessimus cum antedictis venerabilibus fratribus nostris, S. R. E. cardinalibus, petiere licentiam cum suis famulis nominatim expressis remanendi: quam in scriptis, ut voluerunt, concessimus, donec liberi forent a suis languoribus corporalibus: deinde se ad nos Senas venturos, ubi pro tunc nostra residebamus cum curia, per replicatas litteras, & nuncios frequentatos ad nos, ultra promittentes nobiscum perpetuo commorari. Landulphus vero, qui tunc temporis in nostra civitate Perusina & circum adjacentibus terris, erat vicarius, per suum oratorem solemnem ad præsentiam nostram sæpe transmissum, de constantia nos commendavit, confortavit ad patientiam, & ad procedendum contra sæpe dictos olim cardinales rebelles nos animavit, usque ad mortem nobis obedire promittens, & requirens quid ipsum facere juberemus, in hac confessione, solum verbali, ut suis factis ostendit, perseverans præcise quousque nostram & Romanæ ecclesiæ civitatem Assisii, contra fidelitatis propriæ juramentum, tradidit pro pecunia, & eam sibi imbursavit.

Nos igitur, attendentes quantum præmissa sunt gravia, & graviorem, nisi efficax apponatur remedium, perniciem paritura, præsertim cum intendant ecclesiam novo idolo profanare: cum insolentiæ, quæ sine cautionis remedio per conniventiam tolerantur, animarum pericula & gravia scandala consueverint generare: ac nequeuntes absque indignatione majestatis æternæ, & tremore conscientiæ, tam gravia scelera & excessus detestabiles amplius tolerare: postquam pluries per plurimos viros solemnes de nostro beneplacito & consensu, ad reversionem & plenam restitutionem & veniam fuerunt invitati, ipsique nostra clementia & impunitate abutentes, iniquitatibus iniquitates accumularunt: adversus præfatos iniquissimos viros olim S. R. E. cardinales, de fratrum nostrorum consilio, in virtute Altissimi decrevimus exurgere, & super præmissis contra ipsos procedere justitia mediante.

Anno Christi 1409.

A Quare Senis residentes in nostro consistorio, ipsos, Antonium olim Prænestinum episcopum, Aquileiensem vulgariter nuncupatum, Iordanum olim tit. S. Martini in Montibus, de Vrsinis, Corradum olim tit. S. Chrysogoni, Militensem, & Franciscum olim SS. Quatuor Coronatorum, Burdegalensem, presbyteros, necnon Raynaldum S. Viti in Macello, de Brancaciis, Odonem olim sancti Georgii ad Velum Aureum, de Columna, Petrum olim S. Angeli, & Baldassarem Cossa olim S. Eustachii diaconos, cardinales, declaravimus privatos, & reos transgressionis præceptorum nostrorum, & de novo privavimus cardinalatibus, & eorum beneficiis, officiis, commodis, & honoribus: & vigesimooctavo Septembris, de fratrum nostrorum hujusmodi consilio etiam privavimus, & privatos declaravimus, omnes cardinales primis superius privatis & declaratis privatis adhærentes & participantes in crimine, & nonnullos alios, omnibus dignitatibus, honoribus, gradibus, officiis, & beneficiis: intendentes, quam primum commode possemus, eosdem olim cardinales privatos citare, & præfatas declarationes & privationes iterum innovare, non aliter (pro tunc malitia temporis ordinarium processum impediente) habiliter valentes procedere. B

Et quamvis prædicta & alia multa delicta, excessus, & crimina eorumdem, diu fuerint & existunt adeo notoria, quod nulla potuerint nec possint tergiversatione celari, nosque propterea absque alia citatione juste potuerimus ac possimus declarare, prædictos infra[a] scriptas pœnas incidisse: ad majorem tamen cautelam & certitudinem præmissorum, & abundantiorem justitiam, necnon nostram mansuetudinem exhibendam, & ad convincendam eorum malitiam, de fratrum nostrorum prædictorum consilio, tenore præsentium citamus prædictos, Antonium olim Prænestinum, Aquileiensem vulgariter nuncupatum, Henricum olim Tusculanum, dictum Neapolitanum, episcopos, Corradum olim tit. S. Chrysogoni, Militensem, Iordanum olim tit. S. Martini in Montibus, de Vrsinis, Petrum olim tit. basilicæ XII. Apostolorum, Mediolanensem, Ioannem olim tit. S. Crucis in Ierusalem, Ravennatem, Angelum olim tit. Potentianæ, Laudensem, presbyteros; necnon Raynaldum olim S. Viti in Macello, de Brancaciis, Baldassarem Cossa[b] S. Eustachii, Odonem olim S. Georgii ad Velum aureum, de Columna, Petrum olim S. Angeli, præfatæ S. R. E. diaconos, cardinales, & quemlibet eorum in solidum, ut trigesima die, a data præsentium computanda, de quibus triginta diebus proxime futuris, decem pro primo, alios decem pro secundo, reliquos vero decem pro ultimo & peremptorio termino assignamus, si die ea consistorium erit, alioquin prima die tum sequente qua per nos consistorium teneri contigerit, compareant personaliter coram nobis humiliter & honeste, ubicumque tunc erimus, visuri ac audituri se declarari propter præmissa & alia fuisse & esse privatos, ac de novo privari officiis & beneficiis atque cardinalatibus, & tanquam hæreticos puniendos; & ad videndum & audiendum easdem declarationem & privationem per nos Senis factas, ut præfertur, innovari & publicari; necnon ad audiendum & videndum se declarari, & publicari se commisisse crimina inobedientiæ, apostasiæ, ariolandi, schismatis, blasphemiæ & perjurii, conspirationis, calumniæ, falsi, & læsæ majestatis, & propter præmissa crimina incidisse in pœnas & sententias spirituales & temporales, in talia perpetrantes inflictas & promulgatas; ad audiendum etiam & videndum, per nos alias pœnas eisdem infligi, prout nobis visum fuerit, & justitia suadebit: certificantes eisdem, quod, sive venerint, sive non, nos tamen in dicto termino ad declarationem & inflictionem hujusmodi faciendas, prout justum fuerit, procedemus, eorum absentia vel contumacia non obstante. C D E

[a] Corr. supra

[b] Deest, olim

Et quia audivimus, Franciscum olim tit. SS. Quatuor Coronatorum, Burdegalensem, presbyterum, & Landulphum olim S. Nicolai in carcere Tulliano, Barensem, diaconum, præfatæ S. R. E. cardinales, se ad remotiores partes transtulisse adversus nostram innocentiam, contra ecclesiæ unionem & contra veritatem acturos pro posse: ipsos citamus, quatenus prima die, qua per nos consistorium teneri contigerit, post tres menses ab hodierna die proxime futuros, de quibus tribus mensibus unum pro primo, unum pro secundo, & reliquum pro ultimo & peremptorio termino assignamus, compareant personaliter coram nobis, ubicumque tunc erimus, visuri & audituri per nos decerni & declarari, ipsos propter præmissa incidisse in omnes supra scriptas pœnas; & audiendum & videndum per nos alias pœnas eisdem infligi, prout nobis visum fuerit & justitia suadebit: certificantes eosdem, quod sive venerint, sive non, nos tamen in dicto termino ad declarationem & inflictionem hujusmodi procedemus justitia mediante, eorum contumacia seu absentia non obstante.

Cæterum volumus & autoritate apostolica decernimus, quod hujusmodi citationes perinde valeant, & plenum robur obtineat firmitatis, dictosque olim cardinales & eorum quemlibet perinde arctent, quacumque constitutione apostolica contraria non obstante, ac si eis & eorum cuilibet intimatæ, & insinuatæ personaliter & præsentialiter extitissent, &c. *Subdit, ne metu judicium sedis apostolicæ declinarent, remve ipsos latuisse obtentarent, liberi & tuti commeatus syngrapham se dare, & in principiis ecclesiæ Ariminensis foribus, diploma defigendum jussisse: denique hæc adjungit:*

Sequens edictum, usdē omnino verbis hactenus conceptū est.

Et ut nil omittamus de iis quæ quomodolibet ad sacram unionem præsumi possunt pertinere, vestigia nostri Salvatoris sequentes, qui non solum debitorem decem millium talentorum contritum & rogantem absolvit, sed & sibi familiarem publicanum, honorandum, correctum tamen, assumpsit, & pœnitentem Petrum negatorem Deitatis & perjurum, suo gregi præfecit, prælibatos olim cardinales superius nominatos hortamur, & per aspersionem sanguinis Crucifixi obsecramus, quatenus infra terminum eis ad comparendum, ut præmisimus, assignatum, ad cor revertentes, suosque recognoscentes errores, ad nos, benigne suscipiendi, revertantur pœnitentes, certificantes eosdem, quod ad cardinalatus commodum & honorem, necnon ad beneficia quæ primitus obtinebant, quorum tunc alteri non fuerit jus acquisitum, misericorditer restituemus; deletis inhabilitationibus, notis infamiæ, & quibuscumque censuris, quas ob sua scelera hujusmodi incurrissent, post prædictum terminum spe restitutionis penitus denegata: ut sic pœnitentes reversi, & a nobis pie restituti, ad sacræ unionis effectum, quem mundus pernicioso schismate fatigatus expectat, nobiscum cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, tractandum & perficiendum assistant. Hoc ipsum referri volumus ad prædictos, Franciscum olim tit. SS. Quatuor Coronatorum presbyterum, & Landulphum olim S. Nicolai in carcere Tulliano, diaconum, cardinales, si infra terminum trium mensium ejs præfixum ad cor reverti & pœnitere voluerint. Nulli ergo, &c.

Datum Arimini XIX. Kal. Ianuarii, pontificatus nostri anno secundo.

GRE-

ANNO CHRISTI 1409.

XV.

GREGORII EDICTUM ALTERUM

Quo cardinales, qui ad constitutum diem reversi non fuerant, omnibus dignitatibus privat.

Secundam tantum hujus edicti partem edimus, ex Raynaldi annalibus, qui primã partem omisit, quod iisdem verbis, atq. superius edictum, concepta sit.

VT nil omitteremus de iis, quæ quomodolibet ad sacram unionem præsumi possent pertinere, vestigia nostri Salvatoris sequentes, qui non solum debitorem decem millium talentorum contritum & rogantem absolvit, sed & sibi familiarem publicanum, honorandum, correctum tamen, assumpsit, & pœnitentem Petrum negatorem Deitatis & perjurum, suo gregi præfecit: prælibatos olim cardinales superius nominatos hortati fuimus, & per aspersionem sanguinis Crucifixi obsecravimus, quatenus infra terminum eis ad comparendum assignatum, ad cor revertentes, suosque recognoscentes errores, ad nos, benigne suscipiendi, reverterentur pœnitentes: certificantes eosdem, quod ad cardinalatus commodum & honorem, necnon ad beneficia quæ primitus obtinebant, quorum tunc alteri non foret jus acquisitum, misericorditer restitueremus, deletis inhabilitatibus, notis infamiæ, & quibuscumque censuris, quas ob sua scelera hujusmodi incurrissent, post prædictum terminum spe restitutionis penitus denegata: ut sic pœnitentes reversi, & a nobis pie restituti, ad sacræ unionis effectum, quem mundus pernicioso schismate fatigatus expectat, nobiscum cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus tractandum & perficiendum assisterent.

Ac etiam attendentes quod, licet præfati olim cardinales cum anticardinalibus fuissent requisiti, & instanter rogati, per ambassiatores solemnes carissimi in Christo filii nostri Sigismundi illustris regis Hungariæ, & dilectorum filiorum Michaelis Zeno ducis & communitatis Venetiarum pluries, necnon per oratorem dilecti filii Malatestæ de Pensauro ad requisitionem dilecti filii Caroli de Malatestis, quatenus pro bono hujusmodi unionis feliciter consequendo, neve per suum conciliabulum a nostro generali concilio separatum dicta unio retardaretur, sed forsan (quod absit) omnino impediretur, vellent a loco Pisarum discedere, & si non in loco nostri concilii ut dignum & justum esset, saltem in aliquo communi libero & sufficiente, ad quem locum communem, dimisso nostro loco, si quis per nos esset specialiter nominatus, nos parati eramus accedere, & per hoc nostram humilitatem & voluntatem, quam semper ad sacram unionem habuimus, & habemus, efficaciter exhibere: iidem hoc facere pertinaciter, & obstinate penitus denegarunt, nullam concordiam aliam volentes, nisi quod sequamur eorum pravas affectiones, iniquitates, & errores, quæ totum statum primæ sedis, sive Romanorum pontificum, præcipitio exponunt: in tanta duritia permanentes, quod nedum videntur sacram unionem, quam verbis prædicant, realiter & omnino refugere; sed etiam, proh dolor! ad perpetuandum, quantum in eis est, hoc schisma nefandum intendere, & novum idolum, id est alium antipapam, in Dei ecclesia velut conflatilem vitulum procurare. Quorum considerantes malitiam & contumaciam obstinatam, pro bono universalis ecclesiæ, cui autore Domino præsidemus, gravibus nostri cordis aculeis pungimur, & ad procedendum contra eosdem mediante justitia sine prorogatione alterius termini perurgemur.

Adveniente igitur prædicta trigesima die, videlicet hesterna, tunc propter festi solemnitatem consistorium non tenuimus, sed die immediate sequente, videlicet hodierna: nobisque cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus in consistorio publico consistentibus, comparuit coram nobis dilectus filius Guillelmus Biordi de Latini, de Prato, Pistoriensis diœcesis, procurator fiscalis dictæ Romanæ ecclesiæ; & prædictorum olim cardinalium ad dictam diem citatorum, & non comparentium, & cujuslibet ipsorum, contumaciam accusavit, ac petiit ipsos & ipsorum quemlibet, per nos, contumaces & contumacem reputari, ac decerni, & declarari ipsos, & ipsorum quemlibet, in pœnas & sententias prædictas, & in ipsis processibus contentas, & alias propter præmissa a jure vel ab homine in talia perpetrantes inflictas, & quomodolibet promulgatas, seu etiam ordinatas, incidisse, & alias eis & eorum cuilibet pœnas per nos infligi, prout nobis videretur, & justitia suaderet.

Nos igitur dilectis filiis nostris Bandello tituli S. Balbinæ presbytero, Ariminensi, & Petro Mariæ in Cosmedin diacono, de Venetiis vulgariter nuncupatis, cardinalibus, vivæ vocis oraculo mandavimus, ut ad portas palatii nostri accederent, ut ibi per se & alios clamarent, & clamari facerent, ut si prædicti olim cardinales, vel aliquis eorum, vel aliqui aut aliquis pro eis vel eo, ibidem existerent, dictum palatium intrarent, & ad nostram præsentiam accederent. Et deinde prædicti Bandellus & Petrus, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, ad nos redeuntes, dixerunt, se ad prædictas portas accessisse, & ibidem per se & alios clamasse, & clamari fecisse, prout eis a nobis mandatum fuerat, quod si iidem olim cardinales vel eorum aliqui seu aliquis, vel aliquis pro eis vel aliquo eorum, existerent, dictum palatium intrarent, & ad nostram præsentiam accederent: ac retulerunt se prædictos olim cardinales, aut eorum aliquem minime reperisse, nec etiam aliquem pro eis vel ipsorum aliquo. Propter quod prædictus procurator iterum petiit, prout primo petierat, & superius est expressum.

Nos igitur præfatos, Antonium olim Prænestinum dictum, Aquileiensem vulgariter nuncupatum, Henricum olim Tusculanum, dictum Neapolitanum, episcopos, Conradum olim tituli S. Chrysogoni, Militensem, Iordanum olim tit. S. Martini in montibus, de Vrsinis, Petrum olim tit. basilicæ XII. Apostolorum, Mediolanensem, Ioannem olim tit. S. Crucis in Ierusalem, Ravennatem, olim tit. S. Potentianæ, Laudensem, presbyteros, necnon Raynaldum olim tit. S. Viti in Macello, de Brancatiis, Baldassarem Cossa olim S. Eustachii, Odonem olim S. Gregorii ad Velum aureum, de Columna, & Petrum olim S. Angeli, præfatæ sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales diaconos, & quemlibet eorum, de fratrum nostrorum consilio reputantes, prout sunt merito, contumaces; nec volentes nec valentes, salva conscientia, tantam contumaciam, ac tot excessus notorios relinquere impunitos, in eosdem olim cardinales, propter hujusmodi contumaciam, excommunicationis sententiam promulgamus, & declaramus eos fuisse & esse inobedientes, apostatas, schismaticos, blasphemos, perjuros, conspirationis, necnon ariolandi, falsi, & læsæ majestatis criminibus irretitos. Et insuper propter eorundem olim cardinalium excessus, & delicta, & alia supradicta, declaramus eos fuisse & esse privatos, ac de novo privamus, omnibus officiis, & beneficiis, dignitatibus, atque cardinalatibus, & eorum commodis & honoribus, & eos tanquam hæreticos decernimus puniendos.

Innovamus etiam & publicamus prædictas declarationes & privationes, per nos Senis factas: in qua-

rum prima prædictos Antonium olim Prænestinum A episcopum, Aquileiensem vulgariter nuncupatum, Iordanum olim tit. S. Martini in Montibus, de Ursinis, Franciscum olim tit. SS. Quatuor Coronatorum, Burdegalensem, & Conradum olim tit. S. Chrysogoni, Militensem, presbyteros, necnon Raynaldum olim S. Viti in Macello, de Brancatiis, Odonem S. Georgii ad Velum aureum, de Columna, Petrum olim S. Angeli, & Baldassarem Cossa olim S. Eustachii, diaconos, cardinales, de fratrum nostrorum consilio declaravimus privatos a die transgressionis præceptorum nostrorum, quæ fuit undecima Maii proxime elapsi, & ipsos de novo privavimus cardinalatibus, officiis, beneficiis, & eorũ commodis, & honoribus; in secun- B da autem declaratione & privatione, quæ fuit XXVIII. Septembris, de fratrum nostrorum consilio privavimus, & privatos declaravimus omnes cardinales, primis superius privatis & declaratis privatis, adhærentes, & participantes in crimine, & nonnullos alios, omnibus dignitatibus, honoribus, gradibus, officiis, & beneficiis. Et nihilo minus præsente populi multitudine copiosa, per hanc nostram sententiam pronunciamus, decernimus, & declaramus, prædictos olim cardinales, propter prædictos excessus, in pœnas & sententias in prædictis processibus Urbani VI. prædecessoris nostri contentas, & alias in talia perpetrantes, tam a jure, quam ab homine inflictas, & promulgatas, damnabiliter incidisse, ipsosque fuisse & esse C privatos, & eos privamus quibuscumque dignitatibus, honoribus, privilegiis, & gratiis, necnon omnibus terris, locis, feudis, & bonis ac juribus, & jurisdictionibus quibuscumque, quæ a nobis aut prædicta Romana ecclesia, vel quibusvis aliis ecclesiis, aut personis ecclesiasticis, vel Romano imperio, seu quibusvis aliis, quocumque titulo obtinent; ipsorumque bona, & jura omnia, fuisse, & esse confiscata, & ea confiscamus; ipsorumque olim cardinalium personas, detestabiles, & infames esse declaramus. Et insuper omnes, & singulos, qui præfatis olim cardinalibus, vel alicui eorum, juramento fidelitatis seu homagii, aut alterius cujuscumque obsequii debito, submissione, obligatione, vel pacto quacumque firmitate vallato, prius tenebantur astricti, absolvimus, & decernimus absolutos: D ita quod nullus eis obedire, intendere, vel parere, nullus eis debita reddere, nullus eis respondere extra judicium, vel in judicio teneatur.

Monemus insuper omnes & singulos patriarchas, archiepiscopos, & episcopos, & alios ecclesiarum prælatos, necnon quoscumque clericos cujuscumq; gradus, conditionis, vel status existant, ne dictis olim cardinalibus vel alicui ipsorum, contra nos, & Romanam ecclesiam, vel nostras, & ipsius ecclesiæ jurisdictiones & bona, servire vel adhærere præsumãt. Quod si secus egerint, eo ipso excommunicationis sententiam, & omnes alias pœnas, in supradictos olim cardinales inflictas & promulgatas, incurrant.

Mandamus etiam omnibus & singulis Christi fide- E libus, utriusque sexus, cujuscumque status, ordinis, dignitatis, præeminentiæ, vel gradus existant, etiamsi regali, reginali, imperiali, seu alia quavis præfulgeant dignitate, sub pœna excommunicationis, & aliis censuris, & pœnis gravissimis, per nos imponendis, prout nobis visum fuerit, & justitia suadebit, ne ipsis olim cardinalibus, vel alicui eorum, contra nos & Romanam ecclesiam, vel nostras & ipsius ecclesiæ jurisdictiones & bona, favere vel adhærere præsumant. Sint etiam ipsi olim cardinales intestabiles; nec testamenti habeant liberam factionem: ad bona quoque aliorum, ex testamento vel ab intestato, nullatenus admittantur: nulla fides, nulla eis credulitas adhibeatur; sed a testimonio velut infames, & indigni totaliter repellantur. Sit eis judicatus, & cujuslibet alterius officii publici exercitium interdictum.

Et insuper ut prædictorum olim cardinalium eo major sit confusio, quo ipsorum culpæ potentius fuerint divulgatæ: omnibus & singulis patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, sub excommunicationis pœna, quam ipso facto incurrant, nisi mandato nostro hujusmodi, postquam ad eorum notitiam pervenerit, per nostras litteras ipsis episcopis vel eorum metropolitanis directas, paruerint in effectu, districte præcipiendo mandamus, quatenus ipsi prælati in singulis eorum ecclesiis, cum in eis major aderit populi multitudo, singulis diebus Dominicis & festivis, per unũ mensem, campanis pulsatis, & candelis accensis, & demum extinctis, & in terram projectis, per se vel alios, dictos olim cardinales publice & alta ac intelligibili voce denuncient fuisse & esse excommunicatos, inobedientes, apostatas, schismaticos, blasphemos, perjuros, conspiratores, necnon ariolandi, falsi, & læsæ majestatis criminibus irretitos, & ipsos ut tales tamdiu faciant a Christi fidelibus evitari, donec ad cor reversi, suosque recognoscentes errores, a nobis, vel successoribus nostris Romanis pontificibus, absolutionis beneficium meruerint obtinere.

Quod si forte dicti olim cardinales, vel ipsorum aliquis, in mortis articulo, ab alio quam a nobis vel successore nostro Romano pontifice fuerint absoluti: nihilo minus decernimus, & volumus, quod ipsi perpetuo careant ecclesiastica sepultura. Et si supervixerint, volumus, quod quam cito commode poterunt, coram nobis vel dictis successoribus nostris se personaliter repræsentent, satisfacturi & recepturi, prout justitia suadebit. Alioquin, ne propter hoc censuræ ecclesiasticæ eludantur, volumus quod ipsi olim cardinales in eandem excommunicationis sentẽtiam reincidant ipso facto: & quicumque eosdem olim cardinales, vel eorum aliquem, scienter præsumpserit ecclesiasticæ tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem condignam excommunicationis sententiæ se noverit subjacere: nec absolutionis beneficium obtinere mereatur, nisi propriis manibus ipsorum, vel ipsius, olim cardinalium vel cardinalis, corpora seu corpus extumulent, & procul abjiciant ab ecclesiastica sepultura: & nihilo minus locus ille perpetuo careat ecclesiastica sepultura. Et nisi prædicti olim cardinales se correxerint a prædictis excessibus & delictis, sine alia citatione aut monitione, pœnas alias, quas pro nunc misericorditer omittimus, imponemus eisdem, prout nobis visũ fuerit, & justitia suadebit. Nulli ergo, &c.

Dat. Arimini XIX. Kal. Februarii, pontificatus nostri anno III.

XVI.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA AD FLORENTINOS.

Apologiam apud eos suam instituit.

Gregorius, &c. dilectis filiis nobilibus viris prioribus artium, & vexillifero justitiæ populi & communis Florentiæ, salutem, &c.

OMnis catholicus fidei Christianæ zelator quantum teneatur pro fide Christi, & sacræ unionis dulcedine laborare, nec debet nec potest, si sanæ mentis existat, ullatenus ignorare: cum & fidei documenta exhibeant, & ipsa natura, unitatis amorem in cunctis animantibus etiam repræsentet. Proinde cum nunc de re ipsa litteras patentes, dilectissimi filii, habuerimus per manus unius, qui se vestrum dixit esse cursorem, sub vestri prioratus

ANNO CHRISTI 1409.

ratus officii nomine, vestrorum prædecessorum tempore datas, licet eorum gesta & scripta in hac materia potuissent & debuissent, prout vos ipsos nosse putamus, non ita inhonesta transire: attamen placide accepimus & libenter, ac ipsarum contenta perspeximus diligenter, cum nil vere gratius possit nostro præsentari conspectui, quam de re ipsa tractari cum modis & mediis, per quæ possit non infici, sed perfici, sicut optavimus semper, & cupimus tota mente.

Et ut sic firmiter videatis, nulla recognoscentes erronea a dilectis filiis communitate vestra catholica, sed a quibusdam civibus minus quam debita commotione deductis, quos in meliorem spiritum reducat Altissimus; & desiderantes, ut prædiximus, exitum bonum rei: non tardabimus ultra ea, quæ oratores nostri, quos nunc apud vos debetis habere, exposuisse amodo debuerunt, etiam præsentibus respondere. Et ut præfatarum litterarum continentiæ uberius satisfiat !, ad ea quæ tangunt particulariter descendemus.

Dicunt siquidem in primordio, neminem esse debere, qui non habeat ad Dei ecclesiam, sublato pestifero schismate, uniendam intendere, & quærere ejus pacem: & cum, Divina bonitate, non sitis inferius membrum ipsius, nulla in re debere vos enixe magis, atque diligentiori cura laborare indicatis, quam dare pro viribus operam tantæ rei. Contentamur certe & lætamur, quod nec infimi sitis, sed potentes pariter, & fideles noscamini, & juvetis ut compleatur hoc sanctum Dei desiderium, atque nostrum. Licite tamen & congrue, prout convenit, & aliter quam fuerint prædecessores ipsi vestri, qui ad multa indecentia devenerunt: & si tot legationum vices, quot apud nos, Petrum de Luna transmisisse dicunt, pro re ista non profuerint, dolemus corde tenus & affligimur.

Sed noscit Deus, & homines viderunt, tam ex vestris, quam aliis qui adfuerunt, si volunt veritati hærere, quod per nos numquam defuit, nec remansit. Et si tot sciverunt Florenorum millia, quot provenisse scribunt de vestrorum finiũ beneficiis ad hæc trahi: bene scitis vos, & ipsi qui sic scribũt, quod multo plura fuere quæ sub illo nomine pro vestra republica remanserũt, si illa modica voluimus, & quæ habuimus, esse conversa pro Vrbis tuitione, quam non potuimus propterea defensare, neglectis etiam indigentiis propriis, quas portavimus pro tractatus unionis prosecutione, quam facimus tam ferventer, omissis omnibus cum prostratione personæ, quam & in æstatis ardore, & in hyemis glacie, omni submisimus periculo & jacturæ, deferentes propria, & cum evidentia personalis discriminis, non semel sed pluries per aliena viatoris more vagantes, & incassum hucusque, malignorum operante versutia, quam novistis.

Nil valuisse dicunt exhortationes, & preces, & oblationes factas nobis de Pisana, Florentina, & aliis civitatibus, oppidis vestris, &c. Exhortationes ipsas equidem atque preces admisimus, & habuimus gratas singulariter & benigne, &, quantum in nobis fuit, valuere continue, & valerent semper in omnibus possibilibus & honestis. Sed quæ de vestrarum civitatum oblationibus tangunt, quomodo fuerint, ut alii intelligant, expedit aperire. Cum enim de provincia nostri patrimonii discessimus, & in Tusciam declinavimus, non volentibus jam corruptis nostris, qui tunc erant, cardinalibus, per viam Lombardiæ, ut deliberaveramus, transire, & appropinquare Saonam pro re ista sancta perficienda, si potuissemus: ad vos misimus & quæsivimus instantissime Florentiam, vel in alia ex vestris terris nobis magis grata, & facto accommoda, receptari, dispositi ex tunc, cum Altissimi gratia, protectioni communitatis vestræ principalius inhærere. Et responsum fuit, non posse, nec velle, si pars adversa non veniret. Et nos ut veniret institimus totis viribus: eaque recusante, non valuimus habere. Perreximus Lucam, & cum gentibus vestris & per terras vestras, fidenter & domestice, quantum scitis: & dum Lucæ essemus, vestra semper loca quæsivimus, & ut pars adversa conveniret nobiscum in Pisis, fecimus posse nostrum. Dumque essemus in strictiori tractatu, adversarii ipsi pararunt insidias contra Vrbem; & contra personam nostram etiam conspirarunt: ut sic aliquos ex ipsis tunc cardinalibus nostris, contra nos etiam ad invicem conspirantibus, subtraxerint a nobis, qui contra præcepta nostra Pisas perrexerunt, ut nostis, per aliquos ex vestris ducti, qui sub unionis colore talibus intendebant, ut tamen credimus, præter & contra mentem communitatis vestræ. Fecerunt autem sic, quod, ubi nos cum nostris minimum locum ex vestris non potuimus habere, ipsi conspiratores & fugientes a nobis Pisas obtinuerunt: & cum parte adversariorum in ea postea se junxerunt. Quantum igitur ista conformia fuerint oblationibus, quas tam amplas factas inquiunt & sinceras, quantum bonæ caritati convenerint, qualeque præparatorium fuerit unioni, quod a divisione & scandalis inchoassent, prudentia vestra judicet.

Sed his missis, quæ vitia non fuere erroris, vestræ universitati, ut credimus, per antea tunc non nota: veniamus ad alia, quæ litteræ ipsæ dictant, ubi aiunt scriptum esse, non qui cœperit, sed qui perseveraverit salvum esse, & ob id suum habuisse consilium a doctoribus & jurisperitis & timentibus Deum, synodum spectare ad illos qui olim cardinales fuere, & alios a jam diu pro schismaticis & hæreticis condemnatos, & pro illa Pisas concessisse eisdem. Respondeant qui talia scribunt, & qui tunc in vestris magistratibus præfuerunt, qui fuere doctores, & qui isti fuere periti & timentes Deum. Fuerunt perditionis filii, ille olim Aquileiensis, & alter, qui appellatur de Tureio, & Baldassar Cossa, qui Antonium de Butrio & Petrum de Ancharano, doctores suo jugo submissos, metu præmiserat, contra suam conscientiam autorantes. Qui Antonius, quæ dixerat & scripserat, revocavit in mortis articulo, ut fideliter nobis constat. Fuerunt & illi, olim Mediolanensis & Ravennas, qui seducti sunt, & secuti Baldassarem præfatum, tamquam mali caput. Fueruntne isti consultores, qui contra Christum Domini convenerunt in unum in civitate vestra Florentiæ de mense Augusti proxime præteriti, dum pro conciliabulo ipso, quod synodum vocant, Pisas obtinuerunt, pro sacro generali concilio per nos indicto die secunda Iulii præcedentis ad festum proximum Pentecostes, si potuissent, impediendo: non verentes, in tempore, ut in aliis, falso uti, fingentes præfatum conciliabulum xv. Maii posuisse celebrandum in Pisis, cum dicti loci concessionem, ut dictum & manifestum est, circa finem dicti mensis Augusti tantummodo obtinuerint. Quam utinam non habuissent! & modo forsan res esset meliori unionis dispositioni propinqua.

Quare cum ab ambassiatoribus nostris, qui tunc Florentiæ erant, quorum unus adfuit inter alios, vir singularis & doctor eximius dilectus filius noster Petrus Mauroceno, tunc notarius noster & modo suis meritis diaconus cardinalis, clare ostẽderetur eis omni ex jure contrarium, exaudire noluerunt? Quare & cives vestri proprii doctores & magistri, tam religiosi, quam sæculares, in opinione æquissima cum nostris oratoribus concurrentes, recusati fuere? Quare præclara consilia vestri populi vestrique communis

ANNO CHRISTI 1409.

nis noluerint admittere, dum negarunt præstare assensum, magnum cognoscentes errorem tam de conciliabulo ipso, quam de concessione civitatis Pisanæ; ut sic illos tunc præsides vestros oportuerit pro sua & præfatorum malignitate fovenda ad vias pergere indirectas, & (prout apud nos notorium esse constat) civitatem ipsam concesserunt eisdem per viam baliæ Pisanæ ad hæc totaliter impertinentis, nisi forsan pertinens facta fuerit, prout fertur, pro observatione & executione promissionum, quæ de subtrahenda obedientia nostra facta fuisse dicuntur, quando cum gubernatore Ianuæ fuit conventum de habendo dominio civitatis Pisanæ. Multa autem cum præfatis civibus vestris in ipsa concessione civitatis Pisanæ & conciliabuli offerta, minus quam licite interventa, nolumus aperire: quæ tamen communitati vestræ non credimus fore ignota. Non fuit hæc perseveratio bona: longe præstantior & Deo acceptior extitisset accelerata peccati correctio.

Dicunt post hæc, ad nos misisse, ut ad præfatum conciliabulum assentiremus accedere. Quod quantum absurdum fuerit atque sit, judicet ipse Deus, & vestrarum conscientiarum maturitas velit justo judicio intueri: postquam ipsi agnoscere noluerunt, cum evidentissimis rationibus monstraretur, omni jure omnique æquitate improbum & detestabile illud esse. Sed esse debebat, quod postea tempore suorum in officio successorum, qui viri modestissimi fuere, ad preces & instantias carissimi in Christo filii nostri regis Hungariæ illustris, & dilectorum filiorum ducis & communitatis Venetiarum, & subsecutione Caroli de Malatestis, annuerimus loca mutari, & in uno loco communi, libero, & securo, esse cum eis, ut sic ex utraque parte fieret sacrum generale concilium. Quod licet in auribus vestræ communitatis, ut fertur, consonum videretur: illi tamen reprobi renuerunt, in sui conciliabuli obstinatione damnabiliter persistentes. Quamobrem dicunt ipsi vestro officio præcedentes, per litteras eorum prædictas, exhortatos a multis obedientiam nobis tollere, postquam non volebamus nostra juramenta, vota, & promissa servare, nec aliquorum partes audire, ob id convocasse prælatos, magistros & doctores, religiosos & alios sanctos viros, degentes in locis suæ ditioni subjectis, & cum eorum consilio obedientiam subtraxisse: prius tamen ad nos misso uno egregio & peritissimo domino Stephano Bonacursi oratore suo, & in nihilo proficiente, & cum conditione, subtractionem ipsam fecisse, quod non ante sextum & vigesimum diem præsentis mensis Martii locum habeat: declarasse quoque, quod si infra hoc tempus volumus ad præfatum concilium accedere, nosque libere & sponte determinationi illius conciliabuli submittere, atque quod determinationi præfatæ stare nos obligabimus, vel si decreverimus infra præfatum XXVI. diem per nos vel legitimum procuratorem nostrum, cum pleno & irrevocabili mandato ad prædicta, renunciare papatui in manibus præfatorum damnatorum Pisis existentium, quos cardinales appellant, aut alterius cujuscumque speciale mandatum ad prædicta habentis ab eis, tunc in illis casibus subtractio ipsa perinde sit habenda ac si non facta esset: ad prædicta nos orantes & obsecrantes, cum oblatione salvi conductus pro nobis & societate honesta, ad dictum conciliabulum accedendi. Et hæc est summa ad contextum scriptionis illorum vestrorum in officio prædecessorum.

Ah pater omnipotens! unde tuis creaturis, quas de nihilo facis, præsumptio talis & tanta est, quod in sedem tuam sanctam, quam pro ipsis conservandis, & salvandis, constituisti in terris, non timeant insurgere tam proterve? Unde est, quod calumnias & fallacias faciant ante te, qui omnia præsentia habes? unde, quod non erubescant tuæ majestatis thronum, in sæculo isto tam dulciter institutum, impellere & velle ducere velut monstrum? Parce, parce eis misericorditer, & ignosce, oramus suppliciter, & succurre: ne pereat grex tuus, pro quo tu mortis patibulum tolerasti. Et vos, filii dilectissimi, ab intimis cordis penetralibus exhortamur, ut facies vestras vertatis in cælum, corda vestra figatis in Domino, nec vestrorum prædictorum in officio prædecessorum vestigia imitemini, qui dicunt convocasse concilium ad subtrahendum obedientiam apostolicæ potestatis, pro damnatorum obstinatione tuenda, quam debuissent, & deberent, reprimere penitus & opprimere.

Præsupponunt nos nolle juramenta, vota, & promissa nostra servare, falsum totaliter affirmantes: cum & vota, & juramenta, & promissa semper voluerimus & velimus, & in futurum continue intendamus integraliter observare, & mortem potius subire vellemus, quam desistere ab eisdem. Laudes Altissimo, qui hanc firmitatis gratiam nobis indulget. Et firmum hoc teneatis, & tenere possunt qui verum diligunt, non ut illi, qui aiunt de suo dominio convocasse concilium: & saltem solum de sua ditione vocassent, ut prætendunt. Sed ut alii sciant, qui a longe distant, cum vobis, qui vidistis, dicere non sit opus: quare & de Bononia nobis subjecta, sed occupata tyrannide per principaliorem unionis hostem & pacis Baldassarem præfatum, convocarunt generales illos Prædicatorum, Minorum, & Carmelitarum, ac sequaces ipsorum privatos, & justo Dei judicio tam per processus nostros, quam aliorum prædecessorum nostrorum summorum pontificum, condemnatos, propter conspirationes & conjurationes ac sacrilegia contra nos commissa per eos? Quare & alios quoscumque, & undecumque potuerunt habere, nobis infestos & rebelles? quare & illos reprobos, Aquileiensem, & de Tureio, & Mediolanensem, fecerunt præsides in concilio, & dilectum filium nostrum Lucam civem vestrum ibidem existentem, presbyterum cardinalem, & apostolicæ sedis legatum, noluerunt admittere, sicut prius receperant, & honoraverant in suo dominio, ut cardinalem pariter & legatum? Quare, si concilium, prout decet, liberum esse volebant, vexillifer ille justitiæ prima die surrexit in principio, dicens, præmisso aliquali libertatis colore, deliberatum esse per dominum Florentinum nullis bullis domini papæ Gregorii obediri sub eorum dominio, sive per privationem, sive per decessionem prælatorum essent, & adhuc determinatum nullum denarium domino papæ Gregorio portari per collectores de jurisdictione ipsorum? Quid aliud hoc erat, nisi suadere omnibus, obedientiam nobis totaliter subtrahendam? Quare & ad hunc finem die secunda cancellarium suum in introitu concilii fecerunt dicere quæ dixit, & postea per dominium Laurentium de Rodulphis in publico etiam allegari? Quare & illi tres viri Dei, qui soli restiterunt, & pro veritate nostra dixerunt, etiam uno ex eis pro justitia monstranda usque ad ignis introitum se offerente, si quis ex contrariis voluisset intrare, compulsi fuerunt & minis attriti, ita ut eos tacere oportuerit, immo & alium ex eis, qui tacere noluit, ut asseritur, deserere civitatem? suntne ista liberi concilii ostensiva? non certe.

Dicunt præfatum Stephanum oratorem suum præmisisse, & nil profuisse: cum & ipse a nobis non nisi ardentem nostrum ad unionem affectum potuerit reportare, & deferre, per oratores ipsos nostros

quos actualiter nunc habetis, nos debite responsuros. Sed in hoc, prout in aliis, se gesserunt, cum oratorem ipsum suum post dictam eorum congregationem miserunt, & trium dierum terminum nobis dari fecerunt ad respondendum eidem. Litteras Florentiæ datas die qua hinc orator ipse discessit, postea transmiserunt, præceptorias, & sub gravibus pœnis minatorias subditis suis in nostra curia existentibus, si e vestigio non discederent. Ambassiatorem ipsum dicunt nil profuisse, cum adhuc responsum non habuissent a nobis: quod habituri tamen erant, ut habuistis, minime expectarunt; sique illud, ut debet, admittitur, proficuum utique valde erit, & sancti operis perfectivum. Sed ut nullus ex actibus suis ab altero discreparet, fecerunt ipsos in omnibus consimiles, & conformes ad obedientiam etiam subtrahendam: licet parum restaverit subtrahendum, cum præceptum fuit ab eis, litteras apostolicas non servari, & introitus canonicos interdici. Solum supererat atque restat nomen papatus, circa quod principaliter cum promissionibus & pactis abhorrendis, illis vestris civibus bene notis, omnis eorum astutia malignatur, & præfatorum reproborum ambitio tendit, non respicientium unionem, nec quidquam, dummodo id sibi valeant quærere quovis modo. O cæca cupiditas! o cupida rabies! o insana fragilitas hominum non verentium Dei sedem offendere, ut illam condemnatione æterna sibi valeant vendicare! procul vere sunt ipsi a nobis, qui illam graviter assumpsimus, & solum Dei timorem & amorem, ejus nutu percepimus electionem nostram concorditer & spontanee factam esse, cepimus onus istud cum intentione & aviditate intentissima unionem & pacem dandi populo Christiano: ad quæ super omnia apud Deum nostrum continue & sincere retinemus intentum.

Et ob id prædictos nostros ad præsentiam vestrã missimus oratores, tria habentes a vobis principaliter procurare. Primum quod nostra veritas, nostraq; justitia, immo Dei, locum habeat apud vos plusquam malignitas adversantium. Secundum, quod inobedientiam velitis evadere, & in catholica fide & debita obedientiæ præstatione persistere: cum non hominibus, sed Deo vivo & vero impendatis. Nec credatis quod hæc quæramus ob aliud, quam ob suam reverentiam, & salutem vestram, & aliorum considerratione fidelium, pro quorum etiam interesse tenemur & instititimus plusquam nostro: ne principes & magnates, communitates & universitates, & cæteri obedientiæ nostræ, taliter videant cum Gallicorum gloria se delusos, & exemplum perpetuum dimittatur in terris taliter & tam graviter excedendi. Tertium & ultimum est, quod non velitis nostrum sanctum propositum perturbare, sed juvare, ut tenemini & debetis, & adversantes illos inducere ad locum tertium, communem, liberum, & universale concilium celebrare, & pacem ac perfectam unionem dare, quam cupimus & speramus. Neque putetis, quod de loco tertio dicimus, dilatorie interponi. Parati sumus, prout ab ipsis oratoribus nostris etiam debuistis habere, nos virum eligere Deum timentem, pacem amantem, schisma odientem, & cunctis respectibus unionem sacratissimam procurantem, qui pro parte nostra locum eligat supradictum, si ad idem potestis adversarios pro eorum parte deducere: quod recusare non debẽt, si pacem & unionem, quã ore prædicant, corde gerunt. Velit igitur, quidquid per vestros actum sit in præteritum, devotio vestra, quam per illas strictiores

A & magis pias, quas possumus atque scimus, obsecrationes in Domino requirimus, & monemus, his nostris justis desideriis ad tantum bonum perficiendum, juxta spem & fidem nostram, reddere vos conformes. Et si nulla causa alia vos inducat: saltem moveat illa Divina, quæ super omnia est, bonitas & majestas.

Dat. Arimini, IV. Id. Martii, pont. nostri anno III.

XVII.

ALEXANDRI PAPÆ VI. DIPLOMA.

B *Quo Pisani concilii acta confirmat.*

Rerum omnium summi ac providi ordinatoris, domini nostri Iesu Christi, vices, quanquam insufficientibus meritis, gerentes in terris, exemplo ejus invitamur, ut de suprema apostolicæ dignitatis specula, ad singulas orbis partes, nostræ considerationis aciem extendentes, ad ea potissimum, per quæ fides catholica roboretur, ac hæreses & schismata procul ab ecclesia depellantur, ac illa, quæ ad hoc provide & solemniter gesta sunt, & pro salute Christi fidelium executioni debitæ demandantur, opem atque operam, prout nostrum requirit officium, impendamus.

C Sane dudũ, videlicet anno Dominicæ Incarnationis millesimo trecentesimo septuagesimo octavo, in Romana ecclesia, hoste humani generis procurante, gravis & pestilens nimium exorta scissura, magna populo Christiano infra breve tempus attulit detrimenta: tota ipsius ecclesiæ fabrica per illam in duas partes divisa, quarum uni quondam Vrbanus VI. in sua, & alteri quondam Clemens VII. in ejus obedientiis nuncupati, eodem tempore ut Romani pontifices præsidebant; Vrbanus quidem in Italia, Clemens autem præfatus in Gallia, sibi sedem, adhærentium auxilio, vendicabant. Deinde ipsis duobus contendentibus ab hac luce subtractis, quondam Bonifacius IX. Vrbano, & iniquitatis alumnus Petrus de Luna olim Benedictus XIII. in eorum obedientiis nuncupati, Clementi prædictis, ac etiam postea Bonifacio prædicto vita

D functo, quondam Innocentius, qui VII. ac demum etiam ipsi Innocentio, infra pauca tempora sublato de medio, perditionis filius Angelus Corario, qui olim Gregorius XII. nominabatur, in hujusmodi obedientiis successerunt. Sed cum dicto Clemente vita functo, ageretur, ut alter in locum ejus subrogaretur: cardinales de obedientia ipsius Clementis, de quorum numero tunc erat Petrus de Luna prædictus, ad extirpanda discrimina generalis incommodi, quæ ex schismate hujusmodi continue pullulabant, adinvicem promiserunt, & juramento firmarunt, ut si quis eorum in successorem dicti Clementis eligeretur, prosequeretur extirpationem

E schismatis, & unitatis vinculum in Dei ecclesia, etiam usque ad renunciationem sui papatus inclusive, si majori parti cardinalium eorundem pro bono unionis expediens videretur: ut in quadam cedula super præmissis facta, & subscripta manibus ipsorum cardinalium, plenius continetur.

Hæc autem ipse Petrus non solum una cum cæteris unanimiter promisit, & juravit: verum etiam in verbis suis affectionem ac solicitudinem, erga unionem per hanc viam habendam, ardentissimam ostendebat. Ex cujus assertione & verbis, cardinales prædicti, qui tunc pro electione celebranda convenerunt, potissime invitati dicuntur ad electionem de persona

Dddddd ejus

ejus faciendam: credentes proculdubio, quod ea quæ ore & labiis prædicabat, etiam corde & opere cũ sinceritate exequeretur. Sed præfatus Petrus, dicto Clementi surrogatus, licet statim rebus adhuc recentibus iterato promiserit & juraverit illa observare, & per varias mundi partes verbo notificaverit & scriptura, se pro bono unionis esse omnino paratum renunciare, adversario suo pariter renunciante: tamen paulo post, honoris fastigio & dominandi cupiditate allectus, ac retrorsum conversus, primo paulatim tergiversari, deinde aperte contradicere, & sine ullo velamine impugnare viam cessionis incepit, omnesque exosos habere, qui de hoc audebant sibi facere mentionem. Angebantur miserabiliter cardinales præfati, se & commodum Christianitatis contra spem suam ludificari, atque decipi conspicientes. Sed tantus erat imminentis periculi terror, qui in actibus atque verbis tam ipsius Petri, quam aliorum quorundam intrinsecorum ejus proferebatur, ut alii ex eisdem cardinalibus ori suo silentium imponere, alii qui liberius de hoc locuti fuerant, comminationum metu, interdum a consiliis, & ab ipsis Missarum solemnibus, non petita licentia, nec expectato fine, recedere, alii ex nostra civitate Avenionensi, in qua idem tunc Petrus degebat, subito abire, ob timorem captivitatis & carceris, cogerentur.

Nec solum cardinales ipsos contempsit, verum etiam principes & dominos temporales, qui ad hanc viam ipsum exhortabantur: inter quos carissimus in Christo filius noster Carolus rex Francorum illustris, quo majori autoritate ipsum Petrum, ad ea, quæ promiserat, observanda induceret, dilectum filium nobilem virum Ioannem Bituricensem, & quondam Philippum Burgundiæ, patruos, ac Ludovicum Aurelianensem, germanum, duces, cum notabili comitiva, prælatorum, ac magistrorum in theologia, & juris doctorum, & aliorum insignium virorum, oratores ad eum transmisit. Qui cum ad unionem Christianorum ex parte ejusdem regis ipsum Petrum hortarentur, & viam cessionis, tanquam breviorem & necessariam, præferrent, & non solum promissiones & juramenta ab eodem Petro nuper super hoc facta, sed etiam verba ipsius allegarent, qui legatus existens in Francia, quibusdam ex præfatis ducibus, & aliis notabilibus viris dixerat, fore necessarium & expediens, ut per viam mutuæ cessionis finis schismati imponeretur: ac etiam ipsi cardinales tunc simul ob præsentiam ducum congregati, hanc viam cessionis expedire pro bono unionis assererent, & de hoc sibi supplicarent, & quia supplicationibus, & rationibus nihil proficere posse videbant, in vim promissionis, & juramenti, eundem Petrum solemniter requirerent, ut per viam cessionis pacem ecclesiæ prosequi vellet: præfatus Petrus calcato pudore, & dominandi cupidine obcæcatus, expresse facere denegavit.

Denique ne singula (quod nimis prolixum foret) consectemur, hanc viam cessionis per varios regum & principum oratores sibi propositam, per se improbavit, & per alios ejus intrinsecos fecit publice impugnari. Ac tandẽ, ut omnibus spẽ de illa præcideret, per suum confessorem in ecclesia fratrum ordinis Prædicatorum Avenione fecit publice prædicari, quod ipse potius pateretur mortem, quam hujusmodi viam quomodolibet acceptaret. Quin etiam cardinalibus præfatis aliquando in sua præsentia constitutis idem Petrus affirmavit, frustra sibi de hoc mentionem fieri, quia ipse nunquam illam viam prosequeretur, etiamsi adversarius renunciare vellet, & quod nunquam sederet inter cardinales in eodẽ scamno: per hoc evidenter ostendens, se de statu suo, non de unione, & pace Christianorum, prout facere promiserat & juraverat, cogitare.

Ob hæc igitur perjuria, perversitates, & errores, eidem Petro obedientia in regno Franciæ subtracta: cũ per aliqua temporũ curricula hujusmodi subtractio duravisset, ipse tandem suos defectus aliqualiter recognoscens, per instrumentum publicum, quod fere ad omnes reges & principes suæ partis direxit, viam obtulit mutuæ cessionis, adversario cedente, mortuo, vel ejecto. Promisit etiam dictus Petrus in eodem instrumento, quod ad congregationem, synodum, vel concilium, quod inde teneri vel celebrari contingeret pro unione ecclesiæ, ipse accederet.

Et per hujusmodi oblationem, & alias quasdam cõsiderationes, fuit tunc eidem Petro obedientia restituta. Credebatur enim, quod illa quæ verbo obtulerat, facto adimpleret. Sed exinde continuata perjuriorum serie, non magis postrema, quam priora ejus promissa servavit. Cumq; postmodum ad Bonifaciũ præfatum suos dictus Petrus misisset oratores (quibus tamen, quid daret in mandatis, quidve illic facere aut tractare deberent, cardinalibus præfatis tenuit occultum) atq; ipse Bonifacius intra paucos dies, postquam dicti oratores ad eum venerãt, decessisset: cardinales, qui eidem Bonifacio adhæserant, dictos oratores tunc etiam Romæ existentes requiri fecerunt, & requisiverunt, quod si a dicto Petro mandatum seu potestatẽ habeant de via cessionis offerenda, hoc eis notificarẽt, quia ipsi cardinales dispositi erant in eo casu ab electione cessare; & si de hoc mandatum non habeant, quod mitterent super hoc ad ipsum Petrum, & quod ipsi intendebant in electione supersedere, & expectare responsum: præfati oratores se nullum habere mandatum de cessionis via offerenda, & quod pro hoc mittere nolebant ad dominum suum, responderunt: quoniam dicta via cessionis bona non erat, ex quo non solum evidens, verum etiam palpatum fuit, ipsum Petrũ ad ostentationem dumtaxat, non ad aliquem unionis effectum, oratores prædictos in Italiam transmisisse.

Post hæc igitur dictorum oratorum responsa, quæ tergiversationem dicti Petri maxime detexerũt: cardinales præfati Romæ existentes, quibusdam, quæ ad unionem habendam utilia credebant, præordinatis, ad electionem processerunt. Et quia paulo post per experientiam manifestum fuit, quod illa, quæ tunc dicti cardinales circa unionem consequendam ordinaverunt, non satis adversus malitiam & cupiditatem hominum valida fuerant: propterea ipso quoque Innocentio, qui dicto Bonifacio surrogatus fuerat, infra breve tempus vita functo, iidem cardinales, antequam ad electionem procedere vellent, magno zelo unionis inducti, disposuerunt ad fortiora remedia pro pace & reintegratione Christianorum manus apponere. Itaque præfati cardinales, inter quos etiam dictus Angelus Corario erat, in palatio papali Romæ apud sanctum Petrum, ad eligendum successorem tunc insimul congregati, universaliter singuli, & singulariter universi, unanimiter & concorditer promiserunt, jurarunt adinvicem, ac Deo, beatæ Virgini, sanctisque apostolis Petro & Paulo, & toti cælesti curiæ voverunt, quod si quis eorum in successorem dicti Innocentii foret assumptus, pro integratione Christianorum, renunciaret effectualiter juri suo & papatui, si & quatenus dictus Petrus, aut ejus successor, qui esset pro tempore, similiter renunciaret ac cederet juri suo, sive decederet, dummodo ipsius Petri cardinales cum ipsis cardinalibus ipsius Angeli vellent taliter convenire & concordare, quod ex ipsis hinc inde sequeretur cano-

canonica electio unici Romani pontificis; quodque ad creationem novorum cardinalium non procederet. Ac etiam multa tunc expressa promiserunt se facturos, & curaturos in hac parte, omni dolo & fraude atque mala interpretatione cessantibus. Et sic quilibet ipsorum juravit corporaliter, manu tactis sacrosanctis evangeliis coram se præsentialiter præsentatis, servare, adimplere, ac exequi; quodque a dictis promissione, voto, & obligatione, ac juramenti præstatione, & ejus observatione, ac omnibus & singulis supradictis, nullus eorum absolutionem peteret, seu impetraret, per se vel alios, nec impetratis aut impetrādis uteretur, & sibi forte concessam nullatenus acceptaret, nec data potestate per ipsum alterius faceret se B absolvi, seu etiam cum aliquo secum dispensari, sed vellet dicto vinculo remanere perpetuo obligatus; quodque ad majorem certitudinem, & firmitatem præmissorum, quilibet eorum teneretur se subscribere manu propria omnibus & singulis instrumentis exinde conficiendis: quorum quidem instrumentorum, quilibet eorundem cardinalium unum, vel plura habere valeret, pro ejus arbitrio voluntatis.

Quibus quidem promissionibus, juramentis, votis, ut præfertur, emissis, idem Angelus tunc dicto Innocentio surrogatus, promissiones, juramenta, & vota hujusmodi, etiam post eandem surrogationem immediate, ac deinde in ejus consistorio generali, ratificavit & renovavit, alios increpando, qui cum pacem & C unionem potuissent Christianitati præstare, neglexerant: ac litteras suas, uti juxta tenorem ejusdem instrumenti tenebatur, ad eundem Petrum direxit, per quas prædicta a se promissa, jurata, & voto firmata notificavit, viam cessionis offerendo, ac ipsum Petrum requirendo & invitando, ut pro pace & unione Christianorum iis oblatis annuere vellet. Quod tandem ipse Petrus, post longam instantiam suorum cardinalium, super hoc a quodam nuncio ejusdem Angeli requisitus, tanquam vulpes astuta, verbo tenus effecit: & deinde per suas litteras ad præfatum Angelum transmissas, versa vice invitavit eundem ad prosecutionem unionis, ac se paratum cedere verbis obtulit: licet ex circumstantiis evidentibus comprehendebatur, quod dictus Petrus cessioni prædictæ non cum D effectu, sed verbis & ostentatione dumtaxat, assentiebat, ut ante & post, in progressu hujus tractatus semper extitit manifestum.

Deinde Angelus præfatus, ad eundem Petrum, ad firmandum locum, in quo convenire deberet, suos misit oratores. Qui cum Petro & ejus cardinalibus antedictis, tunc Massiliæ residentibus, nomine dicti Angeli & pro eo concluserunt, quod ex tunc in proximo instanti festo S. Michaelis archangeli de mense Septembris, vel ex causa supervenientis impedimenti legitimi in sequenti ex tunc immediate celebritate Omniū Sanctorum, Angelus & Petrus prædicti, cum eorum collegiis cardinalium Saonæ convenire deberent, ad faciendum ibidem unionem antedictam. Quæ omnia E dictus Angelus, etiam postea, ratificavit & approbavit: dicendo tunc frequentius, nihil adeo sibi carum existere, sicut quod eandem facere posset cum Petro & ejus cardinalibus unionem; & quod, si galeas non haberet, in una barcha, vel pedes cum baculo, ad dictam civitatem Saonæ intendebat infallibiliter proficisci. Quod tamen postea non curavit: quamvis prædicti cardinales qui eum elegerant, cum majori parte illorum, qui tunc eandem curiam sequebantur, omnibus viis & modis honestissimis, gravibus, & maturis, cum eodem Angelo intendentibus, ipsum, ut dictam unionem ad salubrem & votivum exitum ducere vellet, interpellare assidue non cessarent

A Qui tamen apud eum per longa temporum intervalla proficere nullatenus potuerint. Nonnumquam enim ipsis per verba respondendo ambigua, dicebat, quod si dictam unionem per ejus cessionem fieri contingeret, profecto timeret, quod per hoc magis schisma in eadem ecclesia suscitaret. Quandoque vero, per quosdam diversorum Mendicantium ordinum fratres, pluresque alios quos sibi sub spe promotionum attraxerat, etiam in ecclesiis, & aliis locis publicis, corā multitudine populi copiosa prædicare fecerat, quod si papatui cederet, etiam ex hoc prædicta unio sequeretur, animam suam in inferno damnaret. Et multa etiā alia iis similia, fabulosa seu figmenta reperiens, conabatur semper novas edere formas, quæ per *tempus redimens Romæ, ac in Viterbiensi & Senensi civitatibus, donec dicti termini ad conveniendum Saonæ, ut prædicitur, præterirent.

Quippe cardinalibus præfatis, qui cum ipso erant, Saonam accedere volentibus, sub gravibus pœnis inhibuit, ne illuc accederent: ac omnes pro dicta unione laborātes habebat exosos. Et successive, cum post hæc magnis difficultatibus protracti præfati Angelus Lucam, & Petrus ad Portum Veneris accessissent, ac de uno medio loco, in quo simul convenirent, tractaretur: miris cavillationibus & fallaciis vota Christi fideliū, pacem & unionem affectantium, deluserunt: cum ipsi duo contendentes, immo verius colludentes, per eorū intrinsecos, & antiquitatum suarum conscios homines, quos uterque ipsorum, sub spe promotionum & præmiorum, sibi asciverant, secretos inter se haberent tractatus, & interdum, nocturna & clandestina inter Angelum prædictum & nuncium quemdam ejusdem Petri, & vice versa, prædictum Petrum cum secreto nuncio dicti Angeli, traherentur colloquia, ac velut ex composito ad vexationem & scandalum Christianitatis, invicem conspirantes, sic se habebāt, ut quod unus offerret, alter ex opposito denegaret: nec ullo modo poterant, annitentibus tam ipsis cardinalibus, quam prælatis & oratoribus regum, principum, & communitatum, qui tunc ista de causa illic convenerant, ad concordiam deduci: Petrus quidem, quoniam galeas tanquam ad bellum armatas habebat, nusquā a littore discedere, nec locum acceptare volebat, nisi maritimum, & cujus dominium in suis manibus traderetur; Angelus alios scrupulos cum mirabili incōstantia quæritabat. Unde oriebatur apud homines justissima quædam & intolerabilis indignatio: cernētes duos nequissimos, & in capita sua detestabiliter mentitos senes, terreni honoris cupiditate corruptos, & in reprobum sensum datos, cum paucis nequitiarum fautoribus, contra desiderium & zelum totius populi Christiani, qui pacem & reintegrationem sui mirabiliter affectabat, schisma perniciosum detestabileque nutrire ac perpetuare velle; & ob hoc juramenta, promissiones, & vota, postposito Dei timore, & hominum verecundia, flagitiosissime conculcare. Ob hæc homines Deum timentes, & unionis zelatores, plurimum torquebantur: & piis precibus, ac sanis exhortationibus apud eosdem contendentes, non desistebant instare, ut pacem, cujus debitores esse dignoscebantur, Christianitati reddere vellent.

Frustra vero multis precibus per aliquos menses apud surdas eorundem contendentium aures consumptis, tandem præfatus Angelus dolum, quem de non faciendo dictam unionem diu ante conceperat, intra se ulterius retinere non valens, contra promissiones, vota, & juramenta sua prædicta, & in fomētum schismatis memorati, etiam devotis supplicationibus cardinalium, qui eum elegerant, & efficacibus rationibus aure surda penitus obauditis, ac præter & contra volunta-

luntatem eorundem cardinalium & promissiones, juramenta, ac vota sua, ad creationem quatuor, prout ipse dicebat, cardinalium, de facto processit; ac etiam quorundam pravorum, ac nefandorum consiliis seductus, eosdem cardinales, qui eum elegerant, Dei timore, hominumque verecundia postpositis pro eo quod pro hujusmodi tunc facienda unione apud ipsum vehementius laborabant, & in creatione dictorum novorum cardinalium contra promissiones, juramenta, ac vota sua de facto, ut præmittitur, factorum, consentire nolebant, (quod nefas est dicere) eos incarcerare, ac vita privare, ut apparebat manifestis indiciis, conabatur. Sed auxiliãte Domino, prædicti cardinales, a facie arcus jam tensi ut læderet, evaserũt: nec propterea idem Angelus a præconceptis nequiter odio & rãcore per ipsum contra eosdem cardinales, qui eum elegere, desistens, sub privationis & aliis gravibus eis mandavit pœnis, ne aliquis eorum de præfata civitate Lucana exiret, nec ipsi cardinales congregarentur ad invicem, aut per se vel interpositam personam, cum oratoribus domini Petri, & illis qui ex parte ipsius regis Francorum, & dilectorum filiorum universitatis studii Parisiensis, pro tractanda unitate hujusmodi ad eandem civitatem Lucanam venerant, loquerentur. Quæ quidem mandata, omnem spem & tractatum unionis hujusmodi totaliter sustulerunt. Quadam etiam die in publico consistorio, Lucæ adhuc existens, publice asseruit, quod ad faciendum unionem prædictam, viam cessionis ut perniciosissimam ac diabolicam sequi nollet.

Cum igitur tam dicti cardinales, quam ambassiatores, prælati, & fere omnes Christi fideles, unionem ecclesiæ affectantes, de hujusmodi unione consequenda ex facto ipsius Angeli omnimodo desperarent: cardinales ipsi cogitantes, quod melius esset eis incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei, & fieri transgressores promissorum, juramentorum, & votorum prædictorum, etiam si proinde exilium, paupertatem, & omnia mala eos pati oporteret, versus civitatem Pisanam (quam etiam per prius dictus Angelus pro facienda unione prædicta in eadẽ, ut ad hoc valde idoneam, & ut ejus verbis utamur, quasi ad hoc fabricatam, eidem Petro tunc recusanti, licet prius in Massilia civitatem obtulisset eandem ambassiatoribus dicti Angeli, tunc etiam recusantibus, obtulerat) accesserunt. Et dum ibi prædicti cardinales forent insimul congregati, adhuc cum omni humilitate dictum Angelum per intermedios nuncios eorum aliquoties solicitarunt, ut ei placeret ad eandem civitatem Pisanam accedere, atque una cum eis, quod ad perfectionem dictæ unionis, sicut expediret efficaciter pertractare, & in hoc etiam ipsius Angeli induratum animum immutare minime potuerunt.

Prædictusque Petrus interim ab eodem loco Portus Veneris recedens, tractatumque unionis totaliter derelinquens, ad Cataloniam declinavit: ubi plures in cardinales contra promissiones suas, & in præjudicium unionis ecclesiæ, profanavit: omnibusque pene suis cardinalibus, qui bonum unionis hujusmodi expectabant, in diversis castris sive locis eidem loco Portus Veneris propinquis, remanentibus, ac de facto unionis per dictum Petrum perficiendæ etiam penitus desperantibus.

Qui posteaquam iteratis vicibus, & diversis nunciis, eundem Petrum ad dictam civitatem Pisanam accedere pro unione ecclesiæ, & suo debito exequendo, monuerunt: cum dictis cardinalibus, qui dictum Angelum elegerant, in loco Liburnii Pisanensis diœcesis convenientes, super prosecutione reali ipsius

A unionis, inter se diversa colloquia & tractatus longo tempore habuerunt: & demum per viam concilii generalis, tanquam viam rationabilem, & juridicam, ad hujusmodi schisma tollendum, procedendum fore decreverunt: & concilium ipsum, prout ad eos hoc casu pertinebat, ad civitatem Pisanam, quæ ab utroque contendente, licet diversis temporibus, approbata & oblata fuerat, & quæ ad id per omnes reputabatur idonea, & secura, convocarunt: ad eandem civitatem, pro horum executione, personaliter accedentes: interim prædicto Angelo ab eadem civitate Lucana ad dictam civitatem Senensem, unde illuc venerat, recedente: ubi etiam mala malis accumulando, plures alios in cardinales, contra sua promissa, juramenta, &

B vota, profanavit.

Convocato igitur per eosdem rite hujusmodi generali concilio ad civitatem Pisanam, & convocatione ipsius universis Christianitatis partibus, regnis, ac provinciis, debito tempore solemniter publicata, ac successive etiam Angelo & Petro præfatis, necnon illis qui eis adhærebant, & se pro cardinalibus tenebant, congruo tempore renunciata, citatisque eis, & vocatis peremptorie, ut per se vel alios eorum nominibus, & pro ipsorum interesse, ad dictum generale concilium in eadem civitate Pisarum celebrandum, & ad causam schismatis & hæresis contra ipsos instituendam, etiam convenirent, ac comparerent, ac præstita & oblata eis plena securitate illic conveniendi,

C necnon ibidem morandi, & recedendi juxta eorum beneplacitum voluntatis: tandem adveniente præfinito termino, quo dictum generale concilium in eadem civitate Pisana fuerat celebrandum, & illic postea de partibus, regnis, & provinciis prædictis, ac per mare & per terram, quasi innumera multitudine prælatorum, videlicet patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, & etiam ambassiatorum, & procuratorum regum & principum, & prælatorum, & aliorum qui illuc personaliter accedere non potuerunt, ac etiam multorum insignium locorum nunciis & ambassiatoribus, necnon magistrorum in theologia, & juris doctorum, mira multitudine illic continuo concurrentibus: eisdem cardinalibus & præla-

D tis, qui ad hujusmodi concilium convenerant, ad formandum processum pro unione ecclesiæ necessarium contra eosdem Angelum & Petrum, ipsorumque sequaces, pluries insimul convenientibus, ipsis Petro & Angelo illic non comparentibus per se vel alios, & propterea contumacibus, prout erant, merito reputatis, servatis etiam servandis, post multorum temporum intervalla, & nonnullis sessionibus, necnon aliis solemnibus actibus, prout ordo juris & tanti negotii qualitas exigebat, per eosdem cardinales, per patriarchas, archiepiscopos, episcopos, & abbates, qui locum in eodem concilio habebant, etiam publice & solemniter factis: tandem hujusmodi generale concilium, dictorum Angeli & Petri, & suorum sequacium, ab-

E sentia seu contumacia non obstante, pronunciavit, decrevit, definivit, & declaravit (prout hæc omnia in dicto processu deducta, petita, & probata fuerunt) Angelum & Petrum præfatos, fuisse & esse notorios schismaticos, & ejusdem schismatis nutritores, defensores, fautores, approbatores, incorrigibiles & pertinaces, necnon notorios hæreticos, & a catholica fide devios, atque promissionum, votorum, & juramentorum suorum hujusmodi transgressores, & eandem ecclesiam notorie scandalizantes, & propterea omni honore & dignitate, etiam papali, se reddidisse indignos, ipsosque etiam per sacros canones ab eadem ecclesia fore abjectos, privatos, & præcisos, ac privavit, abjecit, & præcidit: inhibendo quoque eisdem Angelo & Petro,

A Petro, ne quis eorum se pro Romano pontifice gereret, aut nominare præsumeret: decrevitque dictam Romanam ecclesiam vacare, & per illos, ad quos hoc pertineret, ad summi Romani pontificis electionem procedendum fore: ac omnes & singulos, etiamsi imperiali, regali, aut alia quavis dignitate fulgerent, juramento & obedientia, quibus forte eis tenerentur astricti, penitus absolutos: inhibendo etiam Christi fidelibus ante dictis, ne alicui ipsorum Angeli & Petri parerent, obedirent, & intenderent, aut præstarent auxilium, consilium, vel favorem, sub excommunicationis & aliis censuris, sive pœnis in tales a canonibus promulgatis: illos etiam, qui forsan hujusmodi sententiæ prædicti concilii parere contemnerent, ac fautores, defensores, & sequaces Angeli & Petri præ- B dictorum, eisque adhærentes, etiam per sæculares potestates compescendos fore, & compesci debere: & insuper processus, ac excommunicationis, inhabilitationis, seu alias sententias, & censuras, necnon privationis ordinum quorumcumque ac dignitatum, etiam cardinalatus, beneficiorum, & officiorum, ac graduum quorumlibet, contra eosdem cardinales, qui hujusmodi concilio adhæserunt & interfuerunt; necnon promotiones quorumcumque ad cardinalatus honorem per Angelum a die tertia mensis Maii, ac Petrum, prædictos, a die quintadecima Iunii, anni C Domini millesimi quadringentesimi octavi, factas, fuisse & esse nullas, irritas, atque cassas, illasque, quatenus de facto processerant, cassavit, irritavit, & etiam annullavit, prout hæc omnia in prædicta sententia plenius continentur.

Nos itaque, qui postea fuimus, Divina favente clementia, ad apicem apostolatus assumpti, de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, prædictam sententiam, & omnia alia & singula, quæ per concilium hujusmodi, pro tollendo schismate prædicto, reintegratione memorata, facta fuerunt, utpote provide, & tantorum venerandorum patrum, immo universalis ecclesiæ, autoritate & concordia facta, rata habentes & grata, ea autoritate apostolica ex certa scientia approbamus, & præsentis scripti pa- D trocinio munimus: decernentes, non minoris existere vigoris & firmitatis hujusmodi sententiam, necnon omnia & singula acta & actitata in eodem generali concilio in hac parte, quam fuerunt & sunt alia concilia in diversis arduis negotiis ipsius ecclesiæ celebrata: volentes insuper, & eadem autoritate decernentes, quod eidem sententiæ, in judicio, & extra, stetur firmiter, & omnino pareatur. Et quia turpis est pars, quæ suo non congruit universo: volumus etiam, & autoritate prædicta decernimus, quod si quis contra eandem sententiam forsan verbo vel facto, quod absit, temere facere aut venire præsumpserit, tanquam schismaticus & hæreticus, & hæreticorum fautor, necnon ut universalis ecclesiæ turbator E & scandalizator, ab omnibus fidelibus habeatur, ac etiam evitetur; donec ab errore hujusmodi resipiscens, ad gremium ipsius ecclesiæ præmissa satisfactione debita, cum humilitate & reverentia revertatur. Nulli ergo, &c.

Datum Bononiæ II. Kal. Februarii, anno I.

XVII.

Ex eodem Raynaldo.

SCRIPTA DOMINI CAROLI DE MALATESTIS

De iis quæ ipse cum cardinalibus Pisis tractavit, & in reditu cum Gregorio, a quo legatus ad cardinales fuerat.

Ait sanctitatem suam facere posse quod sibi libebat: cum reverentia tamen, de his quæ titubat, ipsā advisabat. Videlicet accessus sui ad partes Foroiulii accelerationem, futuram esse maximi scandali, non extirpandi forte diebus suis. Credere quidem poterat sanctitas sua, ipsi Carolo, si placebat, non dicturo in hoc mendacium: per ea enim quæ dum Pisis erat, comprehendere potuerat, multi erant qui solicitabant per publicos processus, sanctitatem suam & adversarium suum ejici, & opportunitatem ad honestandum negotium, quod optant, quærunt: cumque viderint beatitudinem eandem discessisse, calumnias exasperabunt in eam, jus suum dilatantes, dicentesque: ecce viam ad conveniendum pro sacra unione exequenda. Atque ex hoc jam adepti, coram suis astantibus quos cupiebant, processus urgebunt: & postquam de tractatu unionis infecto illos palam instruere poterunt, eum perjurum, fautorem antiquati schismatis, & hæreticum astruent, neminemque sic excusare eum posse, cum cedendi tractatum quemlibet infecerit, nec alium prosequatur, per quem unionem fieri possibile sit. Quidam patule dicent: Potest orbis universus cernere, quod non nisi ad subterfugiendum cessionem, & decipiendum fideles, illiusmodi concilium indixit & prosequitur: certus namque est, dominum Benedictum & suos ad illud accessuros non fore, similiter neque majorem partem fidelium, quæ ad hoc verum & sacrum concilium accessit & accessura est; & propterea ipsum cum paucissimis suis confluentibus non posse unionem per concilium illud facere, cũ certissimus sit, & certi quilibet esse debeant, quod non accedebant illuc ad unionem perficiendam, sed, quantum in eo fuerit, destruendam. De consilio quidem domini Benedicti, qualem unionis fructum attulisset, patebat. Vnde inferent, quod uterque eorum jam præcisus est, & notorie incorrigibilis, gravemque jacturam sanctæ ecclesiæ imminere, si apostolicam sedem diutius vacare sinatur: & exinde occasione sumpta, concorditer procedent ad sententiam diffinitivam celeriter, & postmodum ad tertii, ut sic dicatur, pontificis electionem. Quo facto (quod jam factum est) ipso domino Gregorio Forojulium accedente, Carolus videre videbatur, & cum reverentia petebat, quomodo & quando putabat fieri unionem posse.

Et si diceret forte, quod alias dixerat, se paratum acquiescere terminationi concilii sui, quod vere & juridice universalem repræsentabat ecclesiam, & ecclesiæ universalis autoritate fungebatur: petebat, dato quod sic esset, quid in facto concilium illud proficiet unioni, & quid circa hoc consulere poterit, aut definire. Si enim consultum fuerit, & concesso etiam quod juridice terminatum, quod dominus Vrbanus prædecessoresque sui, & ipse, veri fuerint pontifices, & quod diligentiam debitam adhibuerint pro unione exequenda: iterum terminent, ipsum tanquam verum pontificem ab omnibus venerandum fore. Cæterum terminent, aliorum congregationes, non concilia, sed conciliabula fuisse, irritent, damnent eos & acta per eos.

A Petebat a sanctitate sua, si alios credebat hujusmodi acceptare sententiam, dicens Carolus se certissimum esse, quod non: & propterea certissimus erat, quantum humana fragilitas de aliquo certificari poterat humana consideratione, concilium suum per viam illam de facto unionem facere non posse.

Insuper si diceretur quod dabitur modus in illo concilio reintegrandi obedientiam, quæ fuit domini Vrbani, dato quod sic fiat (quod tamen fieri quodammodo impossibile Carolus putabat) animadvertebat quod pars illa fuit per multos annos absque ulla divisione, multa principum prosperitate & potentia fulta: & tamen schisma minime sublatum fuit, quinimmo quotidie auctum & inveteratum. Vnde etiam per viam illam concilium suum unionem producere B posse, parum sperandum erat.

Præterea, quod ipse dominus Gregorius una cum concilio suo, omni postposita excusatione, ubicumque in orbe terrarum fuerint adversarii ejus utrique, videlicet qui dicitur dominus Benedictus, & unio collegii, terminaverit accedere, ibique suum debitum quodlibet implere plene & perfecte: non putabat tamen Carolus, quod, si qui Pisis sunt, electionem alterius jam fecerint, stante quod in facto expertus est modicam erga Dominum Deum reverentiam & caritatem; insuper urgente in proximos odio, & privati honoris & commodi mundani ambitione proterva, non credit, licet vnio fieri deberet, ipsam tamen fie- C ri. Movebant quidem præsertim animum suum rationes istæ: nam dominus Gregorius adversariis ejus non cedentibus, cedere debere atque teneri non credebat, sed suum consulere concilium, aut * diffinire.

*f. ut diffiniret.

Quod si huic viæ dominus Gregorius jam conceperat terminaveratque, suo cōcilio illam terminante, assentire: longe præstantius pensabat Carolus certitudini unionis, & ipsi domino Gregorio fore, Pistorium accedere, quam festinare suum concilium celebrare, ut talem exequatur terminationem, postpositis quidem rationibus aliis publicis, & privatis.

Hæc propter unionis certitudinem apparebat præferenda: videlicet, primo cedere quam alius eligatur, quam post: si enim primo cesserit, dubia non est ele- D ctio causa sui. Si quidem, antequam cedat, alius eligatur, sua cessio post factam electionem illam, nisi de facto tantum certificare non potest. Valeat licet pontifex cedere, non potest sibi substituere pontificem. Et si mala seu inepta fuerit electio, illiusmodi cessio post factum, ineptitudinem illius auferre non poterit, multo minus sic validare. Si dicatur, dispensari posse electionem illam per eum prius quam cedat: quis dicet hoc certum esse de jure, an dubium potius est, an cuilibet juri canonico dissonum & oppositum.

Præterea quis credet, electum illum & electores hujusmodi, postulare dispensationem, vel gratis oblatam acceptare velle? At si dicatur: ille talis, postquam fuerit electus, cedere poterit: dicebat Caro- E lus quod bene faceret, sed ratione multiplici, & præsertim præteritorum experientia, & præsentium qualitate ponderata, non putabat, quod si tertius eligatur, nisi invite nunquam cedet. Aut enim cogitatur, eligendum eligi debere cum modo, ut cedat, aliis cedentibus, quisquis electus fuerit cum voto solemni & juramenti cautione, quam magis de jure valide fieri queat. Et tunc vel credebatur, illos, qui Pisis erant, hujusmodi electionem facturos esse, vel non. Detur quod sic: tunc quærebatur, qua ratione humana habilior modus reperiatur, tres insimul conventuros fore & cessuros, quam duo? Si namque difficultas negotii, causa impedimenti fuit: aucta causa difficultatis, addi impedimentum necesse erat. Qualis enim erat difficultas conveniendi insimul duos, & modum reperiendi ad cedendum, opus teste erat, si negotii difficultas, & non partium voluntas causa fuit impedimenti. Si quoque voluntas, credendumne est humanæ menti, liberum citius cessurum fore, quam eos, qui per vota solemnia & juramenta valida ad cedendum obligatos fore toto patebat orbi? Vel forte credendum erit, si tertius ille majorem sibi cæteris favorem inspiciat, citius, quam cæteri cesserint, cedere?

Quod autem electio illa non fieret cum obligatione ad cedendum, iis rationibus ipse Carolus movebatur. Primo quidem putabat, quod si volebant, qui Pisis erant, concilium juridicum & indubitatum asserere, velut asserebant, eorum terminationes tam circa ejectionem, quam circa electionem, validas, indubitatas, & irrefragabiles omnimode fore, cunctis fidelibus conarentur ostendere, & inde non cum obligatione illiusmodi electionem facturos fore. Si quidem bono moverentur zelo, dubitandi maxima inerat ipsis causa, si cum modo cedendi debite elegerint: ne forte, si noluerit ille servare promissa, opus eis sit (dato quod jus foveant) illum iterum, tanquam alios, velut perjurum, antiquati schismatis fautorem, & hæreticum, ejectum & præcisum, declarare, & ad quarti electionem pervenire. Vnde quartum schisma pro trischismate fieret. Cōcludebat ergo de primo ad ultimum, quod in principio unius particulæ proposuit: videlicet accelerationem ad concilium suum Forojulii, accelerationem posse esse, immo futuram esse credebat, accelerationis tertii ad nomen papatus eligendi. Quo facto, de unione diebus suis parum, quinimmo forte minime, erit sperandum. Et ideo suppliciter sanctitatem deprecabatur suam, modum adhibere, per quem tam proximum, maximum, pessimumque scandalum non fiat in ecclesia sancta Dei. *Et infra*: Præterea quoniam non solum per ea quæ clandestine perceperat, verum per ea quæ manifeste viderat, & multis tam aliorum, quam eorum qui secum inerant, manifesta etiam esse putabat, non credebat sanctitatis suæ personam tutam Pisis esse, potestate civitatis existente, velut erat, in favorem congregatorum Pisis prompta, multo quidem minus concilium. Nec quoque putabat, quod sumpta suspicionis rationabili excusatione apparenti, propter detrimentum sui status, suæque civitatis, reive publicæ excidium evitandum, domini Florentini, fortalitia & potestatem civitatis Pisanæ, in manibus suspectorum partibus ecclesiæ universalis traderent. Verum ex adverso considerabat, quod concilium Pistorii congregandum, non privatum, sed commune esse oportebat, quia communi consensu & autoritate congregari alii asserebant: nec amplius suæ præjudicabat sanctitati ipsum Pistorii congregari, communi partium consensu & autoritate, quantum Bononiæ & cæteris locis, quibus sic congregandum esse assenserat, qui Pisis erant assentirent congregari. Credebat etiam per ea, quæ sibi oblata fuerant, quod domini Florentini, Pistorium & fortalitia ejus in manibus non suspectorum partibus ecclesiæ universalis deponerent, ad hūc actum celebrandum, ex quo tuta erit persona sua, & concilium tutum & liberum. Si quidem non deponent, tunc orbi patebit, quidquid ex parte sui implevisse debuerit, fecisse, illos vero minime, innotescat. Cæterum orbi humilitatis ejus abundantia, & suorum superbia adversantium, & multimode fallacia exquisita, unde fortes animo efficerentur multi, convenirentque ad notoriam perversorum malitiam superandam: deque duobus alterum fieri necesse ipsi Carolo videbatur, si (non obstante illorum, qui Pisis erant, non æqua petitione) Pistorium humiliaverit ire,

ire ; vel, exhibita sibi ex suis tutelæ sufficienti cautione, unio fiat; vel apud dominum Deum & homines justificatus erit penitus, cum nihil omisisse de iis, ad quæ tenetur ad unionem perficiendam, & ultra, Deus noverit, & hominibus patens erit. Sicque a domino Deo per se, & homines ecclesiæ sanctæ, & sanctitatis suæ causa fovebitur, ad optimumque dirigetur finem. Et cum multa, propter suspicionem captam in eum, ei opponantur, & ipsi tanquam malefactori detrahant : ex bonis operibus considerantes eum, glorificabunt Dominum, & suæ venerabuntur sanctitatis bonitatem.

Supplicabat igitur sanctitati suæ, ne vellet propter modicum permittere, tot fidelium errare mentes & pessimum schisma tot inveteratum annis plurificari, intendi, & extendi, cum sanctitatis suæ maxima ignominia, & forte demerito: deprecabaturque sanctitatem eandem, quatenus animadvertere placeret, quale quantumque excidium dicto fieret in populo, si non concordabat se cum iis, qui Pisis erant. Et si se pastorem reputat, ut credebat Carolus : penset, quod de minima ove perdita rationem cogetur reddere a patrefamilias.

His auditis, dominus Gregorius replicavit, illos velle, se & eos qui fuerunt & sunt sibi fideles, in eorum manibus & potestate poni, & quod absolute cedat concilio in manibus eorum & potestate posito: & quod cognoscebat hanc esse desolationem sui & suorum, dicens, si absolute cesserit, quid fieret de cardinalibus suis, quid de rege Romanorum, & de rege Ladislao, & de rege Hungariæ, & de aliis suis curialibus & fidelibus, quos sciebat, propter eorum constantiam erga eum, illis exosissimos esse. Et concludebat, valde apud Dominum se errare credere, & maximam agere impietatem, si sui & suorum perditionis causa foret, ut aliorum satiaret impiam voluntatem: & quod propterea nolebat Deum, & suos, & conscientiam suam taliter lædere, sed potius mortis periculo se submittere, sperans in Domino, quod ipsum & suos fideles adjuvabit.

Ad hæc Carolus ait, quod qui Pisis erant, promiserant ipsum & suos bene & caritative tractare: quodque hoc & cætera particulariter promissa, sibi, ipso cedente, servabuntur, volebat promittere, & se obligare. Unicum collegium insuper acturos, & curaturos fore cum effectu, quod sacra synodus solemniter hoc idem faceret, etiam quod futurus pontifex promissa illa servabit integre & inviolabiliter.

De cardinalibus vero suis & de aliis particularibus, nihil velut retulerat, nihil tractaverat. Sciebat namque sanctitas sua, quod nullam habuerat licentiam seu potestatem ab eo tractandi super aliquo cum eis, si non assentiebant prius ad aliquem propositorum locorum accedere, pro unico & communi concilio celebrando. Noluit igitur mandato & licentiæ contradicere. Verum opinabatur, per ea quæ comprehendere valuisset, quod cernentes qui Pisis erant, ipsius maximam humilitatem & liberalitatem multa mereri, ipso cedente propter sacram unionem ecclesiæ, contentarentur dominum Antonium nepotem suum cardinalem remanere, & forte camerarium, quamvis hoc sibi difficilius videretur, propter duos collegii illius, hoc officium prætendentes. De aliis vero quibusdam, quos non malos reputabant, forte hoc assentirent. De duobus quidem, videlicet de dominis vulgariter dictis Ragusiensi & Senensi, nullomodo credebat, quoniam pessimos viros reputabant: & eos, & quemlibet eorum, causam fuisse destruendæ unionis & omnis scandali, publice & communiter Pisis ferebatur : & propterea cunctis plusquam exosos esse

A palpaverat. Principes autem, qui suæ sanctitati fideles fuerant, securos de suo statu fieri decentissimum erat: & parum circa hoc difficultatis esse certus erat. Alias quidem, quando via cessionis tractata est, recordabatur ipse Carolus dictum fuisse, ad omnem futuri scandali inter partes fomitem exstinguendum, opportunum fore, quod ea, quæ dominus Urbanus & sui egerant successores in obedientia sua, firma & rata haberet universalis ecclesia: similiter quoque, quæ ille qui dictus fuit dominus Clemens, successorque suus. Namque aliter necesse foret litem juris papatus, ad quam delendam, cessionis viæ partes assenserunt, suscitare, vel quæ partium jus prosecuta fuisset, autoritatem executione non pari approbando terminare, esto quod sublata fuissent strepitus & figura judicii. De suis quoque curialibus dixit putandum esse, B quod benigne tractarentur.

Verum adjiciebat, dato quod suos cardinales alii nollent cardinales remanere, & suos cardinales in officiis eorum, numquid hoc unionem impedire debebat universi populi Christiani? Audierat nempe a sanctitate sua pluries, ut faverent ei ad sacram unionem perficiendam, suos fecisse cardinales. Primos quidem, ne inter eos, qui adversus eum jam conspiraverant, & decipulas non cessabant suis tendere pedibus, solum se absque consilio reperiret & favore ; alios quoque, ne rebellatis adversus cardinalibus suis, ipse ab eis cum tribus derelictus, cum ipsis tantum tribus remaneret. Audierat etiam a sua sanctitate, quod viros humiles, & quam meliores sciverat, elegerat ad ec- C clesiam sanctam Dei uniendam & reformandam, omni penitus spe humani favoris ejecta. Concesso igitur hoc, cum cardinales istos fecerit propter unionis favorem & sanctæ ecclesiæ quietem : sanctitatem rogabat suam Carolus, quod ne in detrimentum propositi ipsos fecisse reperiatur. Putabat etiam ipsos debere velle suæ dignitati cedere, ne propter hoc sanctæ ecclesiæ impediatur commodum & tranquillitas: videntes præcipue ipsius exemplum, qui post dominum Deum suus erat pater & dominus & magister, & pontificali, quæ major erat, suæ dignitati renunciabat, ut quiete & commodo fruatur ecclesia. Si autem nollent, cum mala in hoc deprehendatur eorum ambitio, potius ecclesiæ commodum tolli a sanctitate sua supplicabat, quam ipsorum prava voluptas. De suis D vero cardinalibus similiter docebat, concludens in responsione hac, quod si videbatur sanctitati suæ annuere petitioni eorum, qui Pisis erant, cum opportunum foret tractare de securitate sui accessus Pistorium, & concilii tute ibi celebrandi, futurique pontificis libera electione : poterat, immo decens erat, de statu suorum cardinalium futuro tractare, necnon de securitate status principum qui fuerant constantes in obedientia sua, & aliis suis sequacibus, & fidelibus, &c.

XIX.

E RESPONSIO CARDINALIUM DOMINI GREGORII

Facta ambassiatori domini Malatestæ de Pensauro, ad quadam capitula per ipsum dominum Malatestam petita.

AD capitulum secundum, videlicet : Dixi pro « parte præfati fidelissimi servitoris vestri do- « mini nostri Malatestæ, quomodo magnificus frater « suus dominus Carolus sibi pridem intimavit, quod « pro unione consequenda eidem videretur unicam « tan-

tantum fore viam indubitatam, & sine aliquo scrupulo enervativam penitus omnis scandali, & cujuscumque dubitationis de mentibus fidelium: videlicet quod fiat unicum & generale concilium, in quo concurrat voluntas dicti domini Gregorii pariter, & vestra. Alias si plura concilia in diversis locis indicta fierent, ut ordinatum est: verisimiliter & necessario multa scandala, divisiones, ac hæreses suborirentur exinde: & sic, ubi pacem quærimus, multiplex discordia sequeretur; sicque erit error posterior, pejor priore, &c. Respondent & dicunt sic: quod veritas est, quod pro bono negotii, & ut in illo certius & securius procedatur, & ad serenandas conscientias omnium, utile & expediens est quod non teneantur plura concilia, quia sunt solum ad impediendum, & non ad expediendum sanctum negotium, de quo agitur. Ipsi ergo commiserunt se simul, & fecerunt unicum collegium pro prosecutione sanctæ unionis: & habitis inter eos multis deliberationibus, & diversis ac repetitis consiliis pro unica & sola via dandi pacem ecclesiæ, elegerunt convocare concilium generale, & elegerunt locum communem infra Italiam, scilicet Pisarum: qui locus per contendentium quemlibet fuerat oblatus, ut patet per publica instrumenta. Nam primo dictum locum obtulit dominus Benedictus in Massilia, nepoti, & aliis ambassiatoribus domini Gregorii: locum eundem in loco de Portu Veneris publice obtulerunt dicto domino Benedicto; ad quam electionem etiam domini cardinales utriusque collegii consenserunt, & præcipue collegium Italicum hoc procuravit de mandato dicti domini Gregorii, per organum magnifici militis comitis Campaniæ, quem ad hunc effectum miserunt Portum Veneris ad dictum Benedictum & suum collegium. Et ideo dominus Gregorius habet quod quærit: nam Pisanus locus, ut prædicitur, est electus de communi consensu, ut ipse vult, & nedum de communi consensu, sed ad procurationem ejus solius, ut patet ex responsione sua facta in Luca, & ex bulla quam super hoc domino Benedicto transmisit, cujus bullæ particula sequitur in hæc verba, videlicet: Itaque nobis illa via magis placebit, & placet, ut sub uno aliquo domino, vel dominio, in quo utraque pars tuta foret, hujusmodi foret conventio personalis. Hæc enim via omnia impedimenta excludit, omnes scrupulos repellit, omnes amputat difficultates: pro cujus executione, Florentinorum & Senensium loca habilia & decentia, tam maritima quam terrestria, & insuper civitatem Lucanam, sibi pro parte vestri fecimus offerri, & præcipue civitatem Pisanam, qui locus est idoneus, ut nullus magis valeat reperiri, divisus flumine, galeis, secundum quod tu optare videris, accessibilis, abundans victualibus, capax multitudinis, tutus ab omni respectu, sic accommodus, ut ad istam conventionem fabricatus videatur. In unius diei spatio nos per terram, & tu per mare, ad eum locum convenientes, pacem Christianitati reddere possumus.

Itaque ad istum locum, tanquam ad locum per utrumque electum, dicti domini cardinales mandaverunt concilium generale, vocaveruntque solemniter & canonice utrumque dictorum contendentium ad dictum locum & præfixum diem: & ita nunciaverunt per ipsorum solemnes nuncios, & litteras publicas & apertas, omnibus prælatis, regibus, principibus, ducibus, nobilibus, notabilibus, communitatibus totius Christianitatis. Itaque concludunt, quoad istum articulum, quod per eos non stetit, nec stat, quin concilium generale fiat, sicut fieri debet, ad quod ipse & Benedictus, de cujus re similiter agitur, specialiter sunt vocati.

Ad tertium articulum videlicet: Item dicit præfatus dominus Carolus, sibi a certo innotuisse, multos principes & communitates concurrere ad hanc viam, tanquam præ cæteris meliorem: institisse quoque cum præfato domino Gregorio, eidem supplicantes, ut sibi placeret concurrere cum concilio suo in uno loco, vestris reverendissimis paternitatibus vestroque concilio: subjungens idem dominus Carolus, quod si altera partium, V. R. P. videlicet, & præfati domini, se retraxerit a prædicta electione dicti unici loci communiter fienda (verisimiliter hoc eventurum non asserit) quod ab illa parte, quæ recusaverit, omnis obedientia totaliter subtrahetur cum vilipendio, detrimento, & infamia maxima ejusdem partis, cum manifeste convinceretur nolle unionem per modum justum & æquum, attenta maxime promissione utriusque, facta de non omittendo aliquid de contingentibus. Recusare autem electionem dicti unici loci, esset omittere, & sic contra promissa venire, &c. Respondent dicti domini cardinales, quod de fide, legalitate, & probitate, & pura intentione dicti domini Caroli circa unitatem ecclesiæ, dicti domini confidunt, sicut de speciali & singulari filio ecclesiæ Romanæ: & pro tanto, quidquid dicat, vel faciat, domini reputant eum bono zelo procedere. Sed possibile est, quod dominus Gregorius vellet eum circumvenire, si posset: sed cum Dei auxilio sperant dicti domini, quod ipse est talis, qui non permittet se decipi vel seduci. Et quia dicitur in dicto articulo, quod posset multum imputari ad vilipendium, detrimentum, vel infamiam illius partis, quæ non acceptaret tertium locum eligendum, cum manifeste convinceretur eos nolle unionem, & per consequens ab illa parte subtraheretur omnis obedientia, attento quod multi principes, & communitates concurrerunt ad hanc viam: respondent dicti domini cardinales, quod possibile est, quod aliqui domini & communitates, qui non sunt plene informati de facto, de circumstantiis, ad informationem seu suggestionem dicti domini Gregorii contentarentur, & placeret eis, si possibile esset, quod fieret mutatio ad unicum locum de communi partium voluntate. Sed domini certificant dictum dominum Carolum, & dominum Malatestam, quod ipsi habent nova de majoribus regibus & principibus Christianis, & de majoribus prælatis totius ecclesiæ, quod ipsi acceptant, laudant, & approbant viam istam receptam per dominos cardinales, de concilio generali celebrando in Pisis: & venient ad dictum locum, & tempus, qui venire poterunt, legitimo impedimento cessante, & qui erunt legitime impediti, mittent procuratores plene instructos cum sufficienti mandato: & erunt in tanto numero, quod bene admirabuntur uterque istorum contendentium.

Et nihilo minus credunt dicti domini cardinales, quod omnes, qui pro nunc approbant mutationem loci, quando erunt informati de impossibilitate juris & facti, & malitiosa cautela, per quam istud procuratur per dominum Gregorium, recognoscent veritatem, & concurrent cum majori & saniori parte regum, principum, communitatum, cleri, & populi Christiani, & cum tota ecclesia, autoritative, canonice, & sufficienter unita. Et ut dicti domini sint de singulis informati, tanquam speciales ecclesiæ filii: domini eis notificant, ipsosque cum pura veritate informant, quod in casu de quo agitur, quando scilicet sunt duo contendentes de papatu, ut est in casu præsenti, concilium generale est judex ordinarius & superior utriusque. Nam clarum est, quod propter dubium unus non est superior altero: nec ambo

ambo simul, cum non possint esse duo capita, & esset contra articulum fidei: *& in unam sanctam,&c.* nec alter ipsorum per se habet in ista materia aliquam jurisdictionem, nec convocandi, nec ordinandi, nec aliquod statuendi. Nam alias quilibet esset judex in causa propria de titulo sui papatus: nec unus cũ parte sibi obediente obediret, seu determinationi alterius. Ita quod oportet de necessitate, quod sit dare tertium, qui judicet inter eos: & nullus est, nisi universalis ecclesia, quæ est superior & mater utriusque, quam reputant generale concilium in hoc casu. Nam nullus eorum habet integram obedientiam, ita quod universalis ecclesia non est, neque esse potest apud aliquem eorum, & per consequens neuter potest convocare concilium quod sit generale totius ecclesiæ.

Opponuntur etiam contra eorum quemlibet fautoriæ schismatis, atq; asseruntur notoriæ & probabiles, pertinacis & obstinati ex dictis & factis eorum opponuntur enormia & gravia crimina, notoria facti permanentis, de quibus pluries & solemniter moniti, fuerunt incorrigibiles, pertinaces & obstinati: & crimina sunt talia, quæ enormiter scandalizant totam ecclesiã, immo sunt in subversione, nisi occurratur, totius status ecclesiastici. Istis pro vero præsuppositis, quæ sunt luce meridiana clariora, quæ præsidenda*signa frenetis audebit asserere, quod ipsi, vel eorum alter, in ista materia possit, vel debeat esse judex, & per consequens autoritative convocare concilium generale, cum multi opinentur eos jam esse præcisos?

Præterea clarum est, quod isti sunt principales Benedictus & Gregorius, de quorum facto agitur: ita quod de necessitate juris oportet eos requirere, & provocare ad causam, & assignare eis locum securum. Et istud jam est factum per dominos cardinales: nam D. Gregorius hunc locum recusare non potest. Nam omnis locus in hoc articulo recusatur, vel quia nõ est idoneus, vel inhabilis, vel quia non est tutus, vel quia nõ est electus per partes. Quoad idoneitatem vel habilitatem loci Pisarum non est insistendum: primo quia notorium est, secundo etiam ultra loca mundi Gregorius cõmendavit locum Pisarum, sicut est rei veritas. Item ex tunc se posuit bis in manibus Florentinorum, in quorum dominio est ipse locus. Similiter dominus Benedictus, qui jam acceptavit hunc locum, non potest eum allegare suspectum: & ut communiter contrariũ etiam asseritur, & est magis verisimile propter illam, quæ facti dicitur, & habentur litteræ a diversis personis fide dignis: *Dominus Benedictus personaliter veniet ad istud conciliũ ad locum præsumptum. Si inveniat locum mutatum, factis iustis & rationabilibus protestationibus suis recedet, & sic concilium ruet, & ipse prætendet se excusatum.*

Præterea reges & principes, communitates, prælati, clerus, & populus totius Christianitatis utriusq; obedientiæ, sunt solemniter vocati ad istum locum & terminum, & a pluribus habetur responsio, quod veniẽt vel mittent. Si inveniant locum mutatũ, delusi & frustrati, si venerint, recedent; & si per prius ea sciverint, non venient, & arguent nos probabiliter varios, mutabiles, & inconstantes, & per consequens conciliũ ruet, ut supra. Et credant dicti D. Carolus & Malatesta, quod multi venirent Pisas, qui propter multas rationabiles & justas causas, non transibunt magis profunde in Italiam.

Sunt & multa alia, ex quibus manifeste cõvincitur, quod dictus Gregorius & sui, qui vellent divertere, & impedire istud sanctum negotium, procurant ista diverticula. Quis sanæ mentis nõ videat, quod quidquid agitur per dictum Gregorium & suos, est ad divertẽdum istud sanctum concilium, per quod solum potest sedari schisma, & uniri ecclesia Dei? & quod malitiose & nequiter procuratur ad impediendum tãtum & tam optatũ bonum, ita per Dei gratiam dispositum & propinquum; & sub fallaci & dissimulata cautela petant seu peti faciunt loci mutationem? Quæ enim est ratio, quod dominus Gregorius non veniat ad locum per eum nedum acceptatum, sed tam publice & solemniter oblatũ, & copiose laudatum, nisi ut sub verborum pampinis frustretur negotium? Nam si nunc, quod absit, concilii congregatio impediretur: nõ esset spes, quod de tempore nostro posset iterum congregari. Et ad istud tendunt isti seductores populi Christiani, & maxime bonorum virorum & simplicium devotorum, tractando & procurando per vias exquisitas, quod divertatur negotiũ & conciliũ non teneatur, *&c.*

XX.

DUBIA MOTA PER CARDINALES, qui fuerunt Pisis in ann. Dom. MCCCCIX.

Ex Raynaldo.

Quia in concilio universali possent duo contendentes de papatu, seu ipsorum alter, vel etiam ipsorum sequaces, movere dubia, & dicere exceptiones, quæ sequuntur: ideo super illis est habenda ante diem concilii matura deliberatio.

I. Et primo forsan dicetur, & excipietur, quod cardinales non potuerunt vocare concilium, sed potius ille, qui gerit se pro papa in parte sua: & hoc videtur habere colorem per omnia jura, di. XVII. Et nisi huic dubio clare satisfiat, non censebitur ecclesia congregata, nec esse ibi concilium, sed potius conciliabulum, & sic nullius autoritatis, jux. c. mul. XVII. di.

II. Item moveri*aliud dubium. Si quilibet, qui se pro papa gerit, petit ante omnia restitutionẽ propter subtractiones, & neutralitates sibi factas: talis petitio videtur habere colorem per C*. item summatus, qui est sub §. Item cum Balaam 2. q. 7.

III. Item poterunt dicere prima facie contendẽtes, quod posito quod cardinales possent vocare conciliũ, vocatio esset nulla; quia expoliatus episcopus ex quacumq; causa vocari non potest de jure ad conciliũ, nisi fuerit restitutus, nec de aliquo crimine agi contra eũ, ut volunt jura per expressum 3. q. 1. & 2. per totum. Et ista est una exceptio, quæ prima facie videtur juridica per dicta jura: & in illis dominus Benedictus se fundavit tempore alterius subtractionis. Et nisi isti dubio respondeatur, concilium nullius effectus reddetur.

IV. Item posset moveri dubium. Si Benedictus vel Gregorius in concilio peterent, subtractos vel neutrales repelli a concilio, tanquam ibidem vocem non habentes: ista petitio videtur habere colorem per §. huic etiam*. 17. di. Et quia spoliati seu neutrales, spoliantes per hoc papam, censentur esse inimici secundum jura vulgata: & sic venient in concilio ut partes, non autem ut judices, vel vocem habentes.

* Deest potest

* Falsa hæc locorum indicatio.

* Locus falso indicatus.

Qui fuerit his dubitationibus satisfactum, ex nullo, quod extet, monumento constat.

VITA ALEXANDRI PAPÆ V.

ANNO CHRISTI 1409.

Alexander V. instituti S. Francisci religiosus, antea Petrus Philaretus de Candia vocatus, natione Cretensis, commentariis quos in libros sententiarũ scripsit, Diviniq; verbi concionibus clarissimus, theologiæ doctor profundissimus, ex archiepiscopo Mediolanensi & cardinali presbytero basilicæ SS. apostolorum, communi omnium cardinalium utriusq; obedientiæ suffragio, Gregorio XII. quondam vero põtifici, & Benedicto XIII. antipapæ schismatico, renunciantibus subrogatus est in cõcilio œcumenico & generali Pisano VI. Kal. Iulii, ann. Dom. 1409. tẽpore Ruperti imperatoris. Regnum Neapolitanum Ladislao ecclesiæ persecutori ademptum, consensu patrum omnium in Pisano concilio præsentium, [ex eo gradu ad summũ ecclesiæ culmen evectus est] Ludovico

vico Andegavensi contulit. Pisas discedens, Bononiã se A recepit: ibiq; in morbũ incidit, ex quo dum sibi mortẽ imminere sentiret, cardinales ad se accersiri jussit. Cumq; ad pacẽ & concordiã, communemq; ecclesiæ utilitatem, eos adhortatus fuisset, omnia quæ in concilio Pisano decreta erant, sibi justa videri dixit. Ad extremum cum dixisset illud Christi, *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*, spiritum Deo reddidit

Ioan. 14. quinto Nonas Maii, anno 1410. postquam octo mensibus ecclesiam rexisset. Bononiæ in ecclesia S. Francisci sepultus est. Pauperes unice diligebat, plurimum humanus erat, & in quemvis liberalis: adeo ut interdum omnibus exhaustis per iocum dicere soleret, se divitem episcopum fuisse, cardinalem pauperem, B pontificem vero mendicum esse.

VITA IOANNIS PAPÆ XXI. VVLGO XXIII.

Anno Christi 1410.

IOannes hujus nominis vulgari opinione XXIII. patria Neapolitanus, prius Baltazar Cossa vocatus, illustri familia natus, ex cardinale S. Eustachii, & legato Bononiensi, factus est pontifex consensu omnium fere cardinalium utriusque obedientiæ, decimosexto Kalendas Iunii anno Domini 1410. Ad pontificiam dignitatem promotus, electores imperii adhortatus est, ut Sigismundum Bohemiæ regem, imperatorem deligerent. Quo facto, eidem in Italiam venienti, ut Ladislaum Romanam ecclesiam inquietantem com- C pesceret, obviam apud Laudem processit, cumque eodem Mantuam perrexit: ubi dum regia quadam magnificentia per D. Franciscum Gonzagam excepti essent, consultatum fuit de bello Ladislao inferendo, qui plurimas ecclesiæ ditiones involaverat, & ne ipsi quidem Vrbi pepercerat. Hortatu imperatoris ad tollendum schisma triginta sex annorum, universale concilium Constantiæ celebrandum indixit. Quo cum venisset, tantis & tam enormibus accusationibus oneratus est, ut mutato habitu, non sine magno timore, clam se subtraxerit. Verum decreto contra ipsum lato, apprehensus, & in carcerem conjectus, criminibusque quadraginta, de quibus accusatus erat, convictus, communi omnium consensu depositus fuit, sententiamque adversum se pronuntiatam approba- D vit: ac Ludovico Bavaro ad custodiendum traditus, tribus annis captivus detentus est. Exinde Gregorius quoque citatus est, qui initio quidem comparere recusavit, verum bonis Sigismundi admonitionibus persuasus, Carolum Malatestam eo misit; qui omnium sententia intellecta, nomine ipsius renunciavit. Tertius antipapa Petrus de Luna, sive Benedictus XIII occupata arce Panicolæ in Perpiniano, adeo se contumacem præstitit, ut ejus causa discussa per concilium, depositus fuerit. In eadem synodo, Bohemorum error damnatus est, eorumque antesignani Ioannes Hus & Hieronymus Pragensis exusti sunt. Omnibus hisce rebus transactis, ad eligendum novum E pontificem animum adjecerunt: ad quam rem debito modo perficiendam, ex omnibus nationibus probatæ vitæ viros sex, qui cum cardinalibus conclave ingrederentur, selegerunt. Quibus introductis tertio Idus Novembris anni 1417. ipso die S. Martini, contra omnium opinionem, communi tamen gaudio, cardinalis Columna pontifex eligitur: qui sibi nomen ab eo Sancto qui in eum diem incidebat, accepit. Sed de eo in subsequentibus latius. Quod ad Ioannem & Gregorium attinet, unus concilii decretis agri Piceni legatus designatus est: alter vero per Martinum (cui se Florentiæ humiliter submiserat) cardinalis & episcopus Tusculanus creatus fuit. Verum paulo post, mœrore animi afflicti perierunt. Gregorius quidem Recaneti, Ioannes vero Florentiæ, cujus Cosmas a Medicis heres factus, supra modum locupletatus est.

*** CONCILIVM ROMANVM

Anno Christi 1412. 1413.

Adversus VVicleff. & Hussitas ann. MCCCCXII. & MCCCCXIII. celebratum.

SVb anni MCCCCXII. finem, celebravit Ioannes XXIII. Romæ concilium, in quo VVicleffi & Hussitarum errores damnati sunt: ut constat ex ejus synodali decreto, quod mox subjiciemus. De hoc autem concilio duo discimus ex ejusdem Ioannis litteris, quibus Constantiense concilium indixit: alterum, convocatum fuisse, ut mos gereretur Pisano concilio, quod generale conciliũ triennio post iterum convocandũ statuerat; alterum, non convenisse prælatos tanto numero, quantum rerum gerendarum gravitas postulabat.

Ioannis XXIII. synodale decretum adversus Hussitas.

Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

IN generali concilio inter omnes apostolicæ sedis instantias, quas ad regimen Christiani populi jugiter impendit, illa videtur esse præcipua, ut cum aliquã doctrinam suboriri senserit, quæ oculos Divinæ majestatis offendere, & grave in se periculum animarum continere possit, eã, ne propagetur ulterius, & per eam mentes fidelium damnabiliter capiantur, mox studeat extirpare. Cum ergo in nõnullis mundi partibus, quidam curiosi ea discere atque docere, non quæ ad animarum salutem & augmentum fidei, sed ad suum factum ampliandum, & catholicæ fidei subversionem cedunt, quosdam libellos seu volumina, vel tractatus & opuscula, quæ dicuntur Ioannis VVikleff (videlicet dialogum, trialogum, & alios plures libros, quos præsẽtibus haberi volumus pro expressis, nomine dicti Ioannis VVikleff inscriptos & intitulatos) non solum in scholis frequentare, sed etiam ad populum in sermonibus exponere nitantur: in quibus libellis, voluminibus, seu tractatibus, multa hæretica dogmata, multiq; continentur errores, & in fide minus recte sonantes, per quos, simplices & indocti a veritatis tramite deviare, experti vero atque docti nimium scandalizari perhibentur, quæ ad nostram & hujus sacri concilii deducta sunt publicam notionem: nos, ut ex injuncti nobis pastoralis officii debito tenemur, volumus in iis, quãtum cum Deo possumus, occurrere animarum periculis, ne (quod ait Apostolus) variis & peregrinis doctrinis Christi fideles in devium abducantur, quos etiam summa cura Salvator admonuit, ut caverent a fermento Pharisæorum: cujus rei perniciosissimam pestiferamque malitiam optimo fermenti manifestat exemplo. Nam veluti fermentum, testimonio Apostoli, totam massam corrumpit: sic hæreticorum falsa doctrina, omnem catholicam eruditionẽ, cui admiscetur, veluti rabidum venenum, nisi occurratur, inficeret. Quam etiam doctrinam, abominationem desolationis idem Salvator appellavit, dicens: *Cum audieritis abominationem desolationis*: quem Marc. 13. locum doctor sacer Hieronymus exponens, abominationem dicit posse intelligi omne dogma perversum. Volentes autem in præmissis, licet notoria sint, mature procedere, & omne scrupulositatis dubium amputare, certis ex venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, atque nonnullis episcopis, sacræ theologiæ, utriusque juris professoribus, & aliis, commisimus de præmissis inquirere, & negotium hujusmodi diligenti examinatione discutere. Ex quorum processu & relatione, nobis & eidem sacro concilio constitit atque constat, præmissa, tam per facti evidentiam, quam per plures diffinitivas sententias, tam autoritatẽ apostolica, quam nonnullorum archiepiscoporum in suis conciliis

ANNO CHRISTI 1412. 1413.

ciliis, & locis insignibus & diversis, fuisse, & esse notoria atque vera.

Nos igitur eodem approbante concilio declaramus, & decernimus, illa esse notoria, quæ nulla possunt defensione tueri; & super illis fore, tanquam super notoriis, procedendum: & exurgentes in Dei virtute contra hanc falsam, perversam, pestiferamq; doctrinam, eodem sacro approbante concilio, dictos libellos, tractatus & opuscula, videlicet, dialogum, trialogum, & omnes alios hujusmodi libellos, & alia, quæ ejusdem Ioannis VVikleff nomine inscribuntur & intitulantur, cujuscumq; artis & facultatis existant (attento maxime, quod in eis, licet aliqua vera scripta sint, falsa tamen illis, veluti lepra in humano corpore, permixta sunt, & in eorum lectione periculose, tamquam inter scorpiones & colubros, Christi fideles versarentur) damnamus & reprobamus, atque Salvatoris sententiam exequentes, dicentis: *Si quis in me non manserit, mittetur foras, & sicut palmes arescet, & in ignem mittetur, & ardet*: igne jubemus publice concremari. Ejusdem etiam autoritate concilii districtius inhibentes, ne quis Christi nomine insignitus, audeat aliquē vel aliquos, seu aliqua ex dictis libellis, tractatibus, & opusculis, dicti Ioannis VVikleff nomine inscriptos aut intitulatos, legere, exponere docere, vel tenere, aut illis, ac nomine & autore VVikleff uti, vel illum ut autorem, nisi forte in illorum reprobatione, allegare publice vel occulte. Et ut de medio ecclesiæ illa periculosa spurcissimaque doctrina eliminetur omnino: jubemus per locorum ordinarios, libros, tractatus, & opuscula hujusmodi, etiam autoritate apostolica, per cēsuram ecclesiasticam, &c, si sit opus, cum adjectione quod contra non parentes procedetur tanquam contra fautores hæresis, diligenter inquiri, & repertos ignibus publice concremari. Si quis autem hujusmodi sententiæ, inhibitionis, decreti, atque jussionis, violator aut contemptor extiterit: statuimus, eodem approbante concilio, contra ipsum, veluti suspectum de fide, procedi.

Ioan. 15.

Monemus insuper autoritate præmissa omnes & singulos, qui voluerint tueri memoriam dicti Ioannis VVikleff, ut infra novem menses proxime futuros, quos pro primo, secundo, tertio, atq; perēptorio termino assignamus, compareant apud sedem apostolicam coram nobis, vel nostro successore canonice intrante, vel in hoc sacro concilio, vel alibi ubi contigerit nos vel successorem prædictū residere, dicturi, & allegaturi quidquid voluerint, ne idem Ioannes, licet ab humanis ereptus, de hæresi cōdemnetur. Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum IV. Non. Februarii, pontificatus nostri anno tertio.

ANNO CHRISTI 1413.

*** CONCILIUM LONDINENSE

Adversus VVicleffi sectatores, ann. MCCCCXIII. a Cantuariensi archiepiscopo celebratum.

THomas VValsinghamus ad hunc annum. Eo tempore, *inquit*, Lolardi [a] qui doctrinam evangelicam & apostolicam atque propheticam depravabant, fixerunt schedulas in valuis ecclesiarum Londoniis, quæ continebant, centum millia parata ad insurgendum contra cunctos qui non saperent sectam suam. Invitabantur [b] nempe viribus & ingenio cujusdam, qui dicebatur Ioannes Oldcastell, qui ob reverentiam nuptiarum quas contraxerat cum affine nobilis viri domini de Cobham, cognomen dicti dominii est sortitus. Erat iste Ioannes fortis viribus, operi Martio satis idoneus, sed hostis ecclesiæ pervicacissimus: Regi propter probitatem carus & acceptus, sed tamen propter hæreticam pravitatem valde suspectus.

[a] *Iidem sunt ac VVicleffistæ.*

[b] *f.* Innitebantur

Eo tempore facta Londoniis cleri convocatione per

A dominum Cātuariensem, maxime jam causa prædicti Ioannis: repertum fuit, quod idem Ioannes fuit & est principalis receptator & fautor, protector & defensor Lolardorum, & quod, præsertim in diœcesibus Londoniensi, Roffensi, & Herefordensi, ipsos Lolardos, ab ordinariis sive diœcesanis locorum minime licentiatos, contra constitutionem provincialem inde factam, ad prædicandum transmisit, eorumque prædicationibus nefariis interfuit, & contradictores, si quos repererat, minis, & terroribus, ac brachii sæcularis potestate cōpescuit: asserens inter cætera, quod Cantuariensis archiepiscopus, & ejus suffraganei, non habuerunt, nec habent potestatem aliquam hujusmodi constitutionem faciendi: aliterque sensit, & sentit, ac dogmatizat, & docet, de sacramentis altaris, & pœnitentiæ, peregrinationibus, & adorationibus imaginum, ac clavibus, quam Romana ecclesia docet & affirmat.

ANNO CHRISTI 1413.

B Quare ex parte totius cleri, dominus Cantuariensis fuerat requisitus, ut desuper præmissis contra eundē Ioannem procedere dignaretur. Qui tamen ob reverentiam domini regis, cujus ad tunc idem Ioannes familiaris extiterat, & ob honorē ordinis militaris, una cum omnibus suffraganeis tūc præsentibus, & magna parte cleri, accessit ad præsentiam domini regis (tunc in prædio suo de Kennyngthon existentis) declarās ei defectus ejusdem. Ad instantiam tamen domini regis cupientis eum sine dedecore revocare, suspensum fuit negotiū magno tēpore. Sed cum dominus rex circa reductionē ejus longū tempus trivisset inaniter, significavit domino Cantuar. se circa eū inutiliter laborasse.

C Dominus ergo Cantuariensis dictum Ioannem de & super præmissis personaliter respōsurum coram eo ad certum terminum decrevit evocandum, ac nunciū suum cum litteris citatoriis ad dictum Ioannem transmisit (tunc in castro suo de Coulyng degentem) mandans dicto nuncio, ut ad castrum dicti Ioannis nullo modo ingrederetur, nisi licentiatus: sed per mediationem cujusdam Ioannis Butler hostiarii cameræ domini nostri regis, ipsum dominum Ioannem requireret, quatenus daret dicto nuncio licentiam ingrediendi, ut citaret eundem, seu saltem extra castrum suum prædictum faceret sui copiam, ut sic citatione posset apprehendi. Qui tamen Ioannes Oldcastel dicto Ioanni Butler ex parte domini regis sibi præmissa exponēti, publice respondit, quod nullo modo citari voluit, nec citationem ipsius aliqualiter tolerare. His auditis, D. Cantuar. decrevit eum citandum per edictum, in valuis Roffensis ecclesiæ sibi vicinæ publice affigendum: ut compareret coram eo XI. die mensis Septembris, super præmissis, & aliis hæreticam pravitatem concernentibus, personaliter responsurus.

D Quo die adveniente, D. Cantuar. in capella majori infra castrum de Ledes, quod tunc inhabitabat, sedens pro tribunali, audita & recepta relatione, quod idem D. Ioannes se incastellavit & fortificavit in castro suo prædicto, ac opiniones suas defendit, claves ecclesiæ & potestatem archiepiscopalem multipliciter contemnendo: fecit eum citari publice ac præconizari. Qui cū diu expectatus, nullo modo compareret prout initio, contumacem excommunicavit in scriptis. Et quia dictus Ioannes in defensionem erroris sui contra claves ecclesiæ se incastellavit, & fortificavit: D Cantuariēsis decrevit iterato citare dictum Ioannē, si posset apprehendi, vel alias per edictum, sicut prius, ut compareret corā eo die Sabbati proximo, post festum S. Matthæi apostoli & evangelistæ proximo futuro: causam rationabilem, si quam habet, quare contra eundem ad graviora procedi non debeat, tanquam publicum hæreticū, schismaticum, & hostem & adversariū universalis ecclesiæ, quare etiā pronūciari non debeat, ac auxiliū brachii secularis cōtra eum solemniter invocari,

E

personaliter responsurus, & recepturus, circa omnia & singula præmissa, quod justitia suadebat.

Adveniente termino præfixo, domino Cantuariensi sedente pro tribunali in capitulo sancti Pauli Londoniis, assidentibus sibi dominis, Richardo Londinensi, & Henrico V Vintoniensi, episcopis, dominus Robertus Murley miles, custos turris Londoniarum, secum præfatum dominum Ioannem adduxit. Nam parum ante per regios ministros comprehensus fuerat, & in turri clausus. Cui dominus Cantuariensis recitavit processum memoratum, quomodo videlicet in convocatione cleri detectus & delatus extiterat, quomodoque citatus & propter suam contumaciam excommunicatus: unde dominus Cantuariensis gratiose se obtulit & paratum fore promisit ad absolvendum eum. Sed ille absolutionem domini Cantuariæ petere noluit: sed divertens ad alia, dixit quod libenter recitaret coram domino Cantuariense fidem quam tenet. Extraxitque de sinu suo schedulam indentatam, quam tradidit domino Cantuariensi, postquam legisset. Qua schedula perlecta, dominus Cantuariensis dixit: Ecce domine Ioannes, in hac schedula vestra, plura bona continentur, ac satis catholica: sed habetis terminum istum ad respondendum super aliis, errores & hæreses sapientibus, quibus per contenta in hac schedula non est plene responsum. Et propterea vos oportet ad eadem respondere qualiter sentitis, & fidem vestram plenius declarare: videlicet an credatis & affirmetis, quod in sacramento altaris, post consecrationem rite factam, remaneat panis materialis vel non. Item an teneatis, credatis, & affirmetis, quod in sacramento pœnitentiæ necessarium fuerit, quod habens copiam sacerdotis confiteatur de peccatis suis presbytero per ecclesiam ordinato. Qui respondit expresse, se nolle aliter prædicta declarare, quam in dicta schedula continetur. Cui compatiens dominus Cantuariensis, dixit: Caveatis domine Ioannes, quia si ad hæc vobis injecta, clare non respondeatis in termino legitimo vobis jam dato, poterimus vos denunciare & declarare hæreticum. Sed dictus Ioannes, aliter respondere contempsit.

Tunc dominus Cantuariensis declaravit ei, quid sancta Romana ecclesia, sequens dicta beatorum Augustini, Hieronymi, & Ambrosii, & aliorum sanctorum, determinavit, quas determinationes oportet quoscumque catholicos observare. Ad quæ dictus Ioannes respondit, quod voluit credere & observare, quidquid sancta ecclesia determinavit, ac quicquid voluit se credere & observare: sed quod dominus papa & cardinales, archiepiscopi, episcopi, cæterique prælati ecclesiæ haberent potestatem talia determinandi, noluit ad tunc aliqualiter affirmare. Vnde dominus Cantuariensis sibi compatiens, sub spe melioris deliberationis sibi in Anglicis certis articulis, rogavit ut in die Lunæ proxime sequente, plene & clare suum daret responsum super eisdem.

Quo die Lunæ, videlicet 25. die mensis Septembris, coram domino Cantuariensi, & ante dictos episcopos, adjuncto illis Bangorensi episcopo domino Benedicto, comparuit dominus Robertus Murley custos turris Londoniēsis, ac præfatum dominum Ioannem secum duxit, ac coram domino Cantuariensi, & toto clero pro tunc congregato, statuit. Cui archiepiscopus affabiliter & suaviter recitavit acta prioris diei, & quomodo excommunicatus fuerat & est: ac rogavit & requisivit eundem, ut peteret ac admitteret in forma debita ecclesiæ absolutionem. Quod se dictus Ioannes facturum negavit, sed a solo Deo absolutionem petiturum. Consequenter dominus Cantuariensis suavi & modesto modo rogavit & requisivit eundem, quatenus de & super contentis in dicta schedula determinationem ecclesiæ eidem transmissam de sibi oppositis clarum daret responsum. Et primum super sacramentum Eucharistiæ: ad quem articulum inter cætera respondit: quod sicut Christus in terra degens, habuit in se Divinitatem & humanitatem, Divinitatem tamen velatam & invisibilem sub humanitate, quæ in eo aperta & visibilis fuerat: sic in sacramento altaris est verum corpus, & verus panis, videlicet quem videmus, & corpus Christi sub eadem velatum, quod non videmus. Ad fidem circa sacramentum hujusmodi in schedula prædicta per dominum Cantuariensem transmissa sibi, perque sanctam Romanam ecclesiam & doctores sanctos determinatam, expresse negavit, dicens quod determinatio ecclesiæ facta est contra sacram Scripturam, postquam ecclesia dotata est, & venenum infusum in ecclesiam, & non ante. Quod etiam ad sacramentum Pœnitentiæ & confessionis dixit, & asseruit, quod si quis esset in aliquo gravi peccato constitutus, a quo ipse surgere nesciret, expediret & bonum esset sibi adire aliquem sanctum & discretum sacerdotem pro consilio ab eo habendo: sed quod confiteretur peccatū suum proprio curato seu alteri presbytero, etiamsi haberet copiam ejusdem, non est necessarium ad salutem: quia sola contritio peccatum hujusmodi delere posset, & ipse peccator purgari. Circa adorationem sanctæ crucis, dixit & asseruit, quod solum corpus Christi, quod pendebat in cruce, debuit adorari, quia illud corpus solum, fuit, & est adorandum. Et interrogatus quem honorem faceret imagini ipsius crucis, respondit verbis expressis, quod illum honorem solum faceret sibi, quod bene mandaret eam, & poneret in bona custodia. Quo autem ad potestatem clavium, dominum nostrum papam, & archiepiscopos, & alios prælatos, dixit quod dominus noster papa est verus antichristus, hoc est caput ejusdem; archiepiscopi & episcopi, necnon alii prælati, sunt membra; & fratres, cauda ejusdem. Quibus papæ, archiepiscopis, & prælatis non est obediendum, nisi quatenus fuerint imitatores Christi & Petri, in vita, moribus, & conversatione: & quod dixit idem Ioannes alta voce, manibus expansis, alloquendo circumstantes: Isti qui judicant & volunt damnare me, seducunt vos omnes & seipsos, & vos ducent ad infernum, & ideo caveatis ab eis. Quibus omnibusq; per eum sic dictis, dominus Cantuariensis iterum ac sæpius flebili vultu dictum dominum Ioannem alloquebatur, verbis quibus potuit exhortando, ut ad unitatem rediret ecclesiæ, crederet & teneret quod ecclesia Romana credit & tenet. Qui respondit expresse, se aliter non credere, quam superius expressit.

Videns ergo dominus Cantuariensis, se in nullo posse proficere, cum magna cordis amaritudine processit ad prolationem sententiæ diffinitivæ, in hunc modum.

In Dei nomine, Amen.

NOs Thomas permissione Divina, &c. In quadam causa sive negotio hæreticæ pravitatis, de & super diversis articulis, super quibus dominus Ioānes Oldcastell miles, dominus de Cobham[a], corā nobis in ultima cōvocatione cleri nostræ Cantuariensis provinciæ, in ecclesia S. Pauli celebrata: post inquisitionē diligētem ibidem inde captam, reperimus eundem Ioannē fore & esse hæreticū, hæreticis credentē, ac in fide & observantiis sacrosanctæ Romanæ & universalis ecclesiæ errantē, & præsertim circa sacramēta Eucharistiæ & Pœnitentiæ, ad quod tanquam iniquitatis & tenebrarum filius in tantum obduravit cor

[a] *Deest, accusatus est, aut aliquid simile.*

ANNO CHRISTI 1413.

cor suum, ut non intelligat vocē pastoris sui, nec velit monitionibus allici, nec reduci blanditiis. Vnde pensatis ipsius delictis & culpis, per ipsius damnabilem pertinaciam aggravatis, nolentes quod is qui nequam est, fiat nequior, & alios inficiat sua labe, de consilio & assensu magnæ discretionis & sapientium virorum venerabilium nobis assistentium, præfatum dominum Ioannem Oldcastell militem, dominum de Cobham, de & super hujusmodi detestabili reatu convictum, & ad ecclesiæ unitatem pœnitentialiter redire nolentem, hæreticum, ac in iis quæ tenet, docet, determinat sacrosancta Romana & universalis ecclesia, & præsertim in articulis subscriptis, errantem indicamus, declaramus, & concedimus sententialiter & diffinitive in his scriptis, relinquentes eundem exnunc tamquam hæreticum judicio sæculari. Ipsum nihilo minus hæreticū, omnesq; alios & singulos, qui eundem de cætero in sui favorem erroris receptaverint, defensaverint, seu sibi consilium, favorem, vel auxilium in hac parte præbuerint, tanquam fautores, receptatores, & defensores hæreticorum, excommunicamus, & excommunicatos denunciamus in his scriptis.

His itaque peractis, dominus Cantuariensis regem certificavit super præmissis, vivæ vocis oraculo, postulans ut dominus rex dignaretur dicto Ioanni damnato juridice, gratiose concedere. XL. dies ad inducias. Nam tam Rex, quam pontifex, non ejus interitum, sed vitam cupiebant affectualiter, & pro salute sua laboravere non segniter. Vnde factum est, ut ad turrim adduceretur, ubi sub induciarum spatio sibi concessarum posset resipiscere, & gratiam tam ecclesiasticam quam regiam promereri. Sed ista specialis indulgentia facta fuit sibi malignandi copia, dum citra præfixum terminum elapsus e custodia, congregavit iniquitatem sibi, nil aliud cogitans, quam de vindicta. Re vera clam destinatis litteris ad sequaces suos, tam milites, quam armigeros, qui non pauci fuere, hortabatur ut & ipsi scriberent ad amicos suos, ut & ipsi se ad vindictam mutuo concitarent. Igitur per omne tempus illud, quod fluxit ab evasione ejus usque ad circumcisionem Domini, vel Epiphaniam, discurrebant undique Lolardorum nuncii, qui rurales & quoscumque poterant, promissis amplis stipendiis, allectarent, quatenus in certum diem eis denunciandum parati forent ad standum viriliter, & actus martios peragendum. Multis ignaris quærentibus causam pro qua vel in qua certare deberent, responsum fuit, non esse curandum, dummodo stipendia larga reciperent, & pro rebus bene gestis affluenter remunerandos procul dubio se sperarent.

ANNO CHRISTI 1413.





APPENDIX AD TOMVM VNDECIMVM CONCILIORVM.

ANNO CHRISTI 1210.

*** CONCILIVM ARELATENSE. A

A Theodisio S. A. L. celebratum ann. D. MCCCX.

In quo, Raymundo comiti Tolosano conditiones oblatæ, quibus reconciliaretur cum ecclesia, & ab eo rejectæ.



Qui comitis Raymundi gesta scripsit vulgari Tect sagum idiomate, autor est, teste Guillelmo Catello in historia comitum Tolosanorum, Raymundum, post concilium in villa S. Ægidii habitum, statim esse revocatum a legato Theodisio, diemque dictam Arelate, ubi quid de ipso statuendum esset, interim in deliberationem adductum est: paruisse Raymundum, & Arelatem venisse: oblatas ipsi fuisse conditiones, quibus cum ecclesia reconciliaretur: sed, quia severiores erant, oblatas privatim ab uno e patribus, totius concilii nomine, nec promulgatas: his autem capitibus conditiones illas comprehensas fuisse. B

I. Comes Raymundus arma ponet, eosque dimittet, qui suppetias ipsi venerunt, ne uno quidem retento.

II. Ecclesiæ obsequens erit, omnesque impensas & jacturas resarciet: eique, quandiu vivet, absque ulla contradictione subjectus erit. C

III. In tota ejus ditione nemo nisi duobus carnium generibus vescetur.

IV. Idem expellet ejicietque omnes hæreticos, eorumque fœderatos, ab omni sua ditione.

V. Idem tradet Legato & comiti Montisfortis, omnes & singulos qui ab eo indicati fuerint, ut de iis ad arbitrium statuant: idque ante annum vertentem.

VI. Nemo in ejus ditione, sive nobilis ille sit, sive secus, vestimenta ulla gestabit pretiosa, sed tantum cappas nigras & viles.

VII. Castella omnia arcesque munitas suæ ditionis, destrui & solo æquari faciet, re nulla ex iis relicta. D

VIII. Nullus ex suis, licet nobilis, habitabit in ulla urbe vel arce; sed extra, rure, quasi rusticani essent.

IX. In tota ejus terra, nulla tributa solventur, præter antiqua & legitima quæ solvi & exigi solebant.

X. Vnusquisque qui familiæ caput est, quotannis denarios quatuor Tolosanos persolvat legato, vel iis per quos exigi legatus jusserit.

XI. Decimas de fundis suis restitui faciet, & emolumenta omnia quæ inde homines sui perceperint.

ANNO CHRISTI 1210.

XII. Cum legatus per comitis terras & ditiones equitabit: neque ipse, neque ullus ex ejus comitibus, sive magnus, sive parvus, solvent quidquam de suo, & impensas nullas facient. Nihil ab eis exigetur: nihil iis contradicetur.

XIII. Cum prædicta omnia Raymundus comes perfecerit, trans mare ibit ad bellum contra infideles Turcos, idque in ordine S. Ioannis: neque huc unquam redibit, nisi fuerit ipsi a legato præscriptum.

XIV. Postquam prædictis omnibus satisfecerit, ditiones omnes suæ, quandocumque ipsi libuerit, ab eodem legato & comite Montisfortis illi restituentur.

Has conditiones (ait idem autor) Raymundus comes risu excepit: cumque illas ostendisset regi Arragonum, qui tum in eadem urbe versabatur: ad eum Rex: Habes, inquit. Offensus itaque Raymundus, insalutato legato discessit: Tolosatibus conditiones sibi propositas exhibuit, quibus cum viderentur iniquiores, de communi consilio statuerunt opem comiti suo ferendam, pereundumque potius, quam sinendum ut tam in ligne haberetur. Eadem capita per cæteras ditionis suæ urbes cum circumtulisset, idem omnes ac Tolosa statuerunt.

G. C. Quod vero ait autor idem, idcirco vocatum esse Raymundum ad Arelatense concilium, quia nihil definitum in villa S. Ægidii fuerat, ob difficultatem negotii fa sum esse constat, tum ex verbis historiæ Albigêsium, quæ retulimus p. 54. tum ex legatorum ad Innocentium III. epistola, quam vide in Vaurensi concilio ad annum MCCXIII.

*** ADDITIO AD CONCILIVM MONSPELIENSE.

ANNO CHRISTI 1215.

Tomi hujus pag. 108. editum.

G. C. Concilium hoc, anno MCCXIV. attribueram: uti & St. Baluzius v. cl. in editione sua, quæ post perfectam nostram prodiit: ex qua intellexi, consequenti anno fuisse tribuendum. Ibi enim annus quidem MCCXIV. adscribitur, & dies VI. Id. Ianuarias. Erat igitur tum Gallicanus quidem annus MCCXIV. cum anni exordium a Pascha Galli ducerent: Iulianus vero, sive Romanus, ad quem exigenda tempora sunt, jam cœperat a Calendis Ianuar. labi decimus quintus.

Quid editioni Baluzianæ accedere possit ex nostra, quivis alius existimet: ego, quæ nobis ista suppeditat, hic profero.

PETRI

ANNO CHRISTI 1215.

PETRI LEGATI EPISTOLA AD Arnaldum archiepiscopum Narbonensem.

Concilium quatuor provinciarum apud Montempessulanum indicit.

Petrus servus crucis Christi, Divina miseratione, tituli S. Stephani in Cœlio monte presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, venerabili per Dei gratiam archiepiscopo Narbonensi, apostolicæ sedis legato, salutem in Domino.

CUm ex injunctæ nobis legationis officio teneamur generaliter omnium ecclesiarum immo totius Christianitatis, in regno Franciæ, majoribus præsertim necessitatibus subvenire: illuc præcipue in auxilium nos præparare convenit, ubi pax & fides catholica periisse, & corporum & animarum pariter destructio invaluisse, a multis retroactis temporibus dinoscuntur. Hac igitur consideratione inducti, & zelo fidei commoti, tantæ miseriæ compatientes, super omnia nobis necessarium esse videtur, & sine quo propositum nostrum adeo commode provenire non possit, ut ad reformandam & confirmandam fidem catholicam locis in quibus omnino defecit, vel periclitari videtur, omni opere omnique studio laboremus: maxime cum principes & barones, & fere universum populum ad hoc perficiendum pronum intelligamus & voluntarium. . . . . Divina inspiratione commotos, nos ad hoc tam sanctum negotium perficiendum precibus excitantes. Non enim convenit sanctæ ecclesiæ aut Christianitati, sanctum Christi negotium contra Albigenses & Tolosanos hæreticos, tot & tantis Divinis promotum miraculis, imperfectum post terga relinquere, cum jam sit per Dei gratiam in portu debitæ consummationis.

Et cum in pluribus partibus quatuor archiepiscopatuum, scilicet Bituricensis, Narbonensis, Occitanensis, Burdegalensis, pestem hæreticam constet nondum penitus extirpatam, non immerito timetur, & jamdiu confirmatis in fide periculum, & in noviter conversis recidivum. Omissis igitur interim quampluribus magnis & arduis sanctæ ecclesiæ negotiis in Francia, deliberatione præhabita diligenti, de multorum bonorum virorum & prudentum consilio, ac principum, baronum, militum, tam crucesignatorum quam aliorum, ad prædicta & alia tractanda ac peragenda, quam* ad destructionem omnium hæreticorum, & eorundem credentium, fautorum, defensorum, & utilitatem & commodum universalis ecclesiæ, pertinere videntur, proponimus celebrare concilium cum prælatis quatuor prædictarum provinciarum, & aliis bonis viris, secundum quod videbitur expedire. Locum autem concilii elegimus competentem apud Montempessulanum: tum pro eo quod satis propinqua est civitati Tolosæ, quæ caput & sentina esse dinoscitur totius malitiæ hæreticæ pravitatis: tum propter opulentiam loci, & amplitudinem tantæ multitudini necessariam: tum etiam propter securitatem.

* Corr. quæ

Quare vobis cum omni devotione mandamus, ut huic concilio personaliter intersitis omnibus postpositis, episcopos, abbates, archidiaconos, & alios quos expedire videritis de provincia vestra, tam auctoritate vestra, quam nostra, citetis, ut ad prædictum concilium, omni causa & occasione postpositis, personaliter accedant.

Datum Remis VII. Idus Decembris.

A

CANONES.

HÆc sunt statuta edita apud Montempessulanum in concilio quod ibi habuit dominus Petrus, tituli S. Stephani in Cœlio monte presbyter cardinalis, & apostolicæ sedis legatus, una cum pluribus archiepiscopis & episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis & principibus: anno ab Incarnatione Domini MCCXIV. die Mercurii post Ephiphaniam, VI. Idus Ianuarii.

Sequuntur canones, editi pag. 107. & sequentibus: quorum canonum quia non eadem est, quæ in nostra editione, distinctio, idcirco eorum ordinem, repræsentamus.

B

I. II. III. IV. *ut in nostra editione.*

V. Item nullus clericus, taliter pignora pro mutuo recipiat, ut fructus pignorum suos faciat, &c.

VI. VII. VIII. *ut in editione nostra, pag. 109.*

IX. Quia vero quidam, *&c. complectitur nonum & decimum editionis nostræ.*

X. Ad tollendam quoque, *&c. Idem est atque noster undecimus.*

XI. Item parochialium, *&c. Nobis* XII.

Qui vero est noster XIII. *omnino in Baluziana editione deest.*

C

XII. XIII. *Iidem qui in editione nostra,* XIV. XV.

XIV. *Complectitur nostros.* XVI. XVII. *non tamen omnino integros. In nostro* XVII. *pro* pallis, *corrige,* palliis.

XV. *Idem atque noster* XVIII: *sed multo noster amplior.*

XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. *Iidem, qui nobis,* XIX. *& quatuor consequentes Sed in nostro* XXII. *ubi legitur,* sunt in panc, *forte corrigendum*, sive in pane. *Item nostri* XXIII. *sic finem corrige.* Ita quod duorum digitorum, vel trium ad plus, fit, *&c. Noster autem* XXIV. *plane deest editioni Baluzianæ*

XXI. Itē nullus monachus, *&c. Est nobis* XXV. *noster est paulo amplior. Sed ejus initiū sic emenda.* Itē nullus monachus, vel clericus regularis, nisi propter, *&c.*

D

XXII. XXIII. sunt nobis XXVI. XXVII. In posteriori *sic corrige*, capam nigram, *&c.*

XXIV. *Complectitur nostros* XXVIII. XXIX.

XXV. *Est pars nostri* XXX. *usque ad*, privilegiis.

XXVI. Cum monasteria, &c. *Et pars secunda nostri* XXX. *& complectitur præterea totum* XXXI.

XXVII. *Complectitur nostrum* XXXII. *& sequentes duodecim, qui nonnulla continent, quæ apud Baluzium desunt. In nostro* XXXVIII. *ubi* firmantis, *lege*, firmantia. *In* XLI. *sic corrige* civitates, villas, & castra.

XXVIII. Quia propter conjurationes, *&c. Vt noster* XLV.

E

XXIX. Item capitulum, *&c. Vt noster* XLVI. *Sed noster ille canon est mutilus extrema parte: qua sic habetur in Baluz. editione.*

Si vero præfati consules, & domini locorum, seu bajuli eorundem, a diœcesanis episcopis requisiti, in hoc fuerint negligentes vel remissi, seu etiam contemptores: volumus, ut ipsarum personæ, excommunicationi, & terræ interdicto ecclesiastico supponantur. Sancimus præterea, eidem Avenionensi concilio inhærentes, ut si præfati consules, & domini locorum, seu bajuli eorundem, qui, ut prædictum est, negligentes inventi fuerint in hoc Dei obsequio, castra quæ-

ANNO CHRISTI 1215.

A quædam vel possessiones ab ecclesiis nos-cuntur habere, ea perdant propter ingratitudinem & indevotionem suam, & ad ipsas ecclesias redeant pleno jure. Ad hæc adicimus, quod fautores, receptatores, vel defensores hæreticorum, cunctosque qui præfatis hæreticis patrocinium præstiterint vel favorem, ad fovendam in eisdem locis hæreticam pravitatem, simili decernimus sententiæ subjacere, parique cum ipsis hæreticis pœna feriri.

XXX. In fine statuimus, præfata statuta in præsenti concilio edita, publicari per omnes diœceses & ecclesias parochiales, ne quis ignorantiæ vitium possit prætendere: & per singulos annos relegi in eisdem ecclesiis, semel aut pluries secundum ordinationem episcoporum diœcesanorum: & nihilo minus annis singulis relegi in synodis diœcesanis.

Datum apud Montempessulanum, die Mercurii post Epiphaniam, anno ab Incarnatione Domini MCCXIV. VI. Idus Ianuarii.

*** CONCILIVM BITVRICENSE

A Roberto cardinale sedis apost. legato, indictum anno MCCXV.

De hoc indicto, at non celebrato concilio, ita continuator Roberti S. Mariani monachi, ad annum MCCXV. Robertus, *inquit*, S. Stephani in monte Cœlio presbyter cardinalis, cum jam fere per biennium ob negotium crucis Franciam peragrasset, & propter temeritatem suam omnibus se fecisset exosum: tandem concilium apud Bituricas convocavit. Tunc episcopi Franciæ appellarunt, viri improbi impetum formidantes: quem postea Romæ in generali concilio vehementissime reddidere confusum: adeo quod dominus papa multiplices dicti cardinalis excessus a prælatis Franciæ sibi petiit relaxari.

ANNO CHRISTI 1224.

*** CONCILIVM MONSPELIENSE

Habitum anno MCCXXIV.

Vt a St. Baluzio v. cl. editum est.

Ex gestis Ludovici VIII. Franc. regis, ad ann. M. CC XXIV.

INfra octavas Assumptionis beatæ Mariæ, apud Montempessulanum, autoritate apostolica concilium celebratur. Nam Honorius papa, Narbonensi archiepiscopo dederat in mandatis, quod ibi modum pacis, quam Raymundus comes Tolosanus & alii Albigenses sanctæ matri ecclesiæ offerebant, audiret, & quod inde faceret, remandaret. Qui convocatis totius provinciæ episcopis, & abbatibus, ac clericis universis, a comite Tolosano aliisque baronibus juramenta recepit, quod terram securam, & obedientiam Romanæ ecclesiæ redderent, & clericis redditus suos in integrum restaurarent, eisque pro damnis quindecim millia marcharum infra tres annos persolverent, & de hæreticis confessis vel convictis justitiam facerent indilatam, ac pro posse suo per universam provinciam pravitatem hæreticam extirparent.

Iuramenta Raymundi comitis Tolosani & aliorum baronum, data in concilio habito apud Montempessulanum anno MCCXXIV.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Anno Incarnationis ejusdem MCCXXIV. VII. Kalend. Septembris. Nos Raymundus Dei gratia dux Narbonæ, comes Tolosæ, marchio Provinciæ, cum sacrosancta Romana ecclesia pacem summo desiderio facere desiderantes, ad honorem Dei, & ejusdem Romanæ ecclesiæ, & sanctissimi in Christo patris nostri Honorii summi pontificis, pio corde & vera devotione, per nos & per omnes homines ac valitores nostros, offerimus vobis domino A. Narbonensi archiepiscopo, & per vos sanctæ Romanæ ecclesiæ & domino papæ, omnia illa quæ in alio colloquio vobis & per vos sanctæ Romanæ ecclesiæ obtulimus. Videlicet quod fidem catholicam, sicut eam sancta Romana prædicat & docet ecclesia, servabimus, & per terram nostram servari pariter & fideliter faciemus. Terram insuper nostram hæreticis fideliter purgabimus ad cognitionem ecclesiæ: videlicet bona eorum publicando, eosdemque corporaliter puniendo. Item pacem plenam & integram in tota terra nostra servabimus, & servari plenissime faciemus, ruptarios de nostris finibus expellendo. Ecclesiis etiam & viris ecclesiasticis restituemus plenarie omnia jura sua. Libertates quoque ecclesiarum & aliorum locorum religiosorum servabimus, & servari plenissime faciemus in posterum & in perpetuum. Præterea pro damnis & injuriis, ecclesiis ac viris ecclesiasticis irrogatis, & ut ob reverentiam & honorem Romanæ ecclesiæ & domini papæ, provideri valeat honori comitis Montisfortis: dabimus ecclesiæ XX. millia marcharum argenti, terminis competentibus solvendarum: ita tamen, si petitioni quam comes Montisfortis in terra nostra & valitorum nostrorum facit, dominus papa nobis absolvi, & instrumenta quæ ab ipso domino papa, vel a domino rege Francorum, vel patre ejus, idem comes Montisfortis vel pater ejus super eo dicitur impetrasse, summus pontifex faciat nobis reddi. Verum quia nec in primo nec in secundo colloquio aliquis præsens fuit pro comite Montisfortis, cum quo super compositione, quam sanctissimus pater noster Honorius mandaverat fieri, tractare potuimus, ad præsens plene non possumus respondere. Verumtamen nos in præsenti solemnes nuncios ad dominum papam dirigimus: cum quibus tam super compositione prædicta, quam super omnibus aliis ad reconciliationem nostram pertinentibus, plene poterit tractari, & omnia ad finem debitum Divina gratia mediante perduci. Concedentes & promittentes, nos in perpetuum ratum habituros & firmiter servaturos, quicquid cum illis nunciis super facto nostro de mandato & voluntate domini papæ fuerit ordinatum aut factum. Et cum nos credamus pro majori parte restitutionem fecisse ecclesiis ac viris ecclesiasticis, secundum quod in alio colloquio promisimus: tamen specialiter nunc promittimus, quod ea omnia quæ restant ad restituendum ecclesiis ac viris ecclesiasticis, plenissime restituemus ad cognitionem domini papæ, vel domini A. Narbonensis archiepiscopi, vel cujuslibet episcopi in diœcesi sua. Et de faiditis Tolosæ restituendis cum honoribus suis, faciemus quicquid dominus papa noverit faciendum. Ad ultimum, si ea quæ obtulimus, domino papæ sufficientia non videntur: cum servire sanctæ eclesiæ regnare sit, nos in omnibus & per omnia misericordiæ & mandatis domini papæ pro posse nostro obediemus humi-

ANNO CHRISTI 1224.

humiliter ac devote. Salva dominatione serenissimi nostri regis Franciæ, & domini Imperatoris. Quod autem omnia prædicta attendamus & compleamus bona fide, plene & sufficienter cavebimus per securitates idoneas ad cognitionem domini papæ.

Et nos Rogerius Bernardi Dei gratia comes Fuxensis, & Trencavellus eadem gratia vicecomes Biterrensis, idem & eodem modo promittimus nos in tota terra nostra facturos, & in perpetuum servaturos, sicut superius dominus noster comes Tolosæ promisit pro se & pro nobis, & aliis valitoribus suis, se in perpetuum servaturum. Datum apud Montempessulanum die & anno quibus supra.

LITTERÆ AMALRICI DOMINI MONTISFORTIS

Ad episcopos qui conventuri erant ad concilium Monspeliense.

Rogat ne pacem faciant cum Raymundo comite Tolosano.

Reverendis in Christo patribus & dominis suis carissimis, Narbonensi, Arelatensi, & Auxitanensi, Dei gratia archiepiscopis, & universis episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis, ad concilium de Montepessulano congregandis, Amalricus Divina providentia dux Narbonæ, comes Tolosæ, & dominus Montisfortis, salutem, & cum omni reverentia & devotione seipsum.

CUm vos zelo fidei animati, Iesu Christi negotium inceperitis, & manutenueritis sicut veri fidei zelatores: nunc necesse est quod vos, cum tempus messionis prope sit, & jam fruges albescant ad messem, expectetis modicum, & cursum perseveranter agatis; ut bravium cum gloria consequi possitis optatum, propter quem tam fideliter laborastis; cum frustra mittatur manus ad aratrum, nisi mittens respexerit donec consummaverit quod incepit. Eia igitur, Patres sanctissimi, attendite, & videte quam mirabilis sit Deus in operibus suis, & quam sint mirabilia facta sua: quia licet videatur suum negotium totaliter dimisisse, modo deliberat & disponit ut ipsum negotium resuscitet cum gloria & triumpho; cum ipse, sicut credimus, cor domini regis Franciæ animaverit ad subveniendum suo negotio, immo, ut loquamur verius, ad consummationem ipsius. Ideoque paternitatem vestram exoramus humiliter & devote, obsecrantes vos & adjurantes per aspersionem sanguinis Iesu Christi, cujus res agitur, quatinus nullam compositionem sive pacem, quæ præjudicet juri nostro, cum Raymundo filio Raymundi quondam comitis Tolosæ, faciatis, nec fieri permittatis; maxime cum illud in totius cleri & populi & universalis ecclesiæ scandalum & ignominiam perpetuam redundaret.

** ADDITIO AD DECRETA GREGORII IX.

Pag. 402. *Decreto CXXXVIII. post ultimam vocem*, interponat, *adde quæ sequuntur, ibi omissa.*

Prædicatores quoque, qui penes excommunicatos, vel alios alienarum rerum detentores, in prædicationibus & confessionibus, quasi gerunt causas eorum, ad quos res ipsæ spectare noscuntur, eleemosynas licite possunt ab illis recipere: præsertim si alias non valeant in illo loco sustentationem habere.

Si qui vero, ratione officii quod in ecclesia obtinent, aut etiam alii clerici seniores, zelo devotionis, pueros vel adolescentes in minoribus ordinibus constitutos, turbantes Divinum officium; & hi qui obtentu prælationis vel magisterii, subditos & scholares, correctionis causa leviter forte percusserint: excommunicationis sententiam non incurrunt. Quod & de his dicendum est, qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum graduum, simili modo, ut cohibeantur a suis insolentiis, & scientia bonisque moribus informentur, duxerint corrigendos.

** AD CONCILIUM NYMPHÆÆ Anno MCCXXXIII. celebratum.

ANNO CHRISTI 1233.

ADDITIO.

FIdei professio, quam in eo concilio ediderunt de Spiritus sancti processione apocrisiarii Gregorii papæ IX. ut ibidem habetur, pag. 461. D. Latina quidem a nobis data est: sed cum Græce, in Græcorum quippe concilio sit edita: juvat eam hic eadem lingua repræsentare, Latino contextu omisso, cum jam superius editus sit.

ΟΡΟΣ ΤΩΝ ΑΠΟΚΡΙΣΙΑΡΙΩΝ ΤΟΥ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ ΠΑΠΑ Θ'.

Ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται.

Ὁ Πατὴρ ἐστὶ πλήρης θεὸς ἐν ἑαυτῷ, ὁ υἱὸς θεὸς πλήρης ἀπὸ τοῦ πατρὸς γεννητὸς, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πλήρης θεὸς ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἐκπορευόμενον. καὶ τὸ πνεῦμα μὲν ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται ἀμέσως· ἀπὸ τοῦ πατρὸς, μεσιτεύοντος τοῦ υἱοῦ. τὸ δὲ, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται ἀπὸ τοῦ υἱοῦ, τοῦτο ἔχει ὁ υἱὸς ἀπὸ τοῦ πατρός. διὰ τοῦτο, ὅστις πιστεύει, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἐκπορεύεται ἀπὸ τοῦ υἱοῦ, ἐν ὁδῷ ἀπωλείας ἐστίν. ὅθεν ὁ ἅγιος Ἀθανάσιος, ὅταν ἐν τοῖς μέρεσι τοῖς δυτικοῖς ἐξόριστος ἦν, ἐν τῇ ἐκθέσει τῆς πίστεως, ἣν τοῖς Λατινικοῖς ῥήμασι διεσάφησεν, οὕτως ἔφη· Ὁ πατὴρ ἀπ' οὐδενός ἐστι ποιητὸς, οὔτε κτιστὸς, οὔτε γεννητός· ὁ υἱὸς ἀπὸ τοῦ πατρὸς μόνου ἐστὶν, οὐ ποιητὸς, οὔτε κτιστὸς, ἀλλὰ γεννητός· τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀπὸ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, οὐ ποιητὸν, οὐδὲ κτιστὸν, οὐδὲ γεννητὸν, ἀλλ' ἐκπορευτόν. Καὶ ὁ αὐτὸς ἅγιος Ἀθανάσιος ἐν τῇ ἐκθέσει τῆς πίστεως, ἣν ῥήμασι γραικοῖς ἐξηγήσατο, οὕτως ἔφη κατὰ ῥῆμα· τὸ πνεῦμα δὲ τὸ ἅγιον, ἐκπόρευμα ὂν τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ πάντα φέροντος υἱοῦ, δι' οὗ ἐπλήρωσε τὰ πάντα. ὅθεν καὶ ὁ μακάριος Γρηγόριος, ὅστις δικαίως Θαυματουργὸς λέγεται, Νεοκαισαρείας

ANNO CHRISTI 1233.

ρείας ἐπίσκοπος, ἐν τῇ ἐκθέσει τῆς πίστεως, ἣν δι' A ἀποκαλύψεως παρὰ τοῦ μακαρίου Ιωάννου εὐαγγελιστοῦ, μεσιτευούσης τῆς θεογεννητρίας, ἔσχεν, ἀειδήλως οὕτως κέκραγε λέγων· εἷς θεὸς πατὴρ λόγου ζῶντος, σοφίας ὑφεστώσης, καὶ δυνάμεως, καὶ χαρακτῆρος αἰωνίου, τέλειος τελείου γεννήτωρ, πατὴρ υἱοῦ μονογενοῦς, εἷς κύριος μόνος ἐκ μόνου, θεὸς ἐκ θεοῦ, χαρακτὴρ καὶ εἰκὼν τῆς θεότητος, λόγος ἐνεργής, καὶ τὰ λοιπά. ὧδε περὶ υἱοῦ λαλῶν λέγει· μόνος ἐκ μόνου· οὐχὶ τοίνυν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ μόνου, ἐκ τοῦ πατρὸς [*], οὐκοῦν καὶ ἄλλου, ἐπειδή ἐστιν ἀπό τινος· ὅταν δὲ λέγομεν ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ ἄλλου, οὐ λέγομεν ἐξ ἄλλου κατὰ τὴν οὐσίαν, ἀλλὰ κατὰ τὴν ὑπόστασιν. ὅτι δὲ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐστὶν ἀμέσως, ἀπὸ δὲ τοῦ πατρὸς, μεσιτεύοντος τοῦ υἱοῦ, διαμαρτύρεται ὁ μέγας Γρηγόριος ὁ Νυσσαέων, οὕτως λέγων· τὸ ἀπαράλλακτον τῆς φύσεως ὁμολογοῦντες, τὴν κατὰ τὸ αἴτιον καὶ τὸ αἰτιατὸν διαφορὰν οὐκ ἀρνούμεθα, ἐν ᾧ μόνῳ διακρίνεσθαι τὸ ἕτερον ἀπὸ τοῦ ἑτέρου καταλαμβανόμεθα· τὸ [*] μὲν αἴτιον πιστεύειν εἶναι, τὸ δὲ ἐξ αἰτίου, καὶ τοῦ ἐξ αἰτίας ὄντος.

[*] f. ἐκ μόνου, οὐκοῦν ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ ἄλλου.

[*] f. τῷ τὸ μὲν

Πάλιν ἄλλην διαφορὰν ἐννοοῦμεν· τὸ μὲν γὰρ C προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, τὸ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου. ἐπειδὴ ἐκείνῳ ᾧ τινα διαφέρουσι, ἀδύνατόν ἐστιν τὸ ἀμφότερον ἁρμόζεσθαι· τὸ προσεχῶς εἶναι ἐκ τοῦ πρώτου, ἢ μόνον τῷ υἱῷ, ἢ μόνον τῷ ἁγίῳ πνεύματι ἁρμόζεσθαι ἀναγκαῖόν ἐστι· λέγουσιν οἱ ἅγιοι, ὅτι μεταξὺ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, οὐδέν ἐστι μέσον· μόνος οὐκοῦν ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς προσεχῶς ἐστίν. ἔστι δὲ κοινὴ ἔννοια· ὅ, τι περ οὖν ἐστὶν ἀπό τινος, ἀπό τινός ἐστι προσεχῶς. ἐπειδὴ οὖν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπό τινός ἐστιν, ἀπό τινός ἐστι προσεχῶς. ἀλλ' οὐκ ἔστιν ἀπὸ D τοῦ πατρὸς προσεχῶς, ὡς ἤδη ἐδείχθη· οὐκοῦν ἀπὸ τοῦ υἱοῦ ἐστὶ προσεχῶς. τούτοις τοίνυν τοῖς ἁγίοις πατράσιν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῷ μακαρίῳ Αμβροσίῳ ἐπισκόπῳ Μεδιολάνων, καὶ τῷ μακαρίῳ Αυγουστίνῳ τῆς Ιππῶνος πόλεως ἐπισκόπῳ, ἁγίῳ τε Ιερωνύμῳ τῷ ἰσχυροτάτῳ τῶν αἱρετικῶν στρεβλοτάτων καταμαχητῇ, ἀκολουθήσας ὁ μακάριος Κύριλλος, καὶ σὺν αὐτῷ ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ τρίτη σύνοδος, γεγραμμένον ἡμῖν ἐγκατέλιπον ἐμφανῶς, τὸ πνεῦμα εἶναι ἐκ τοῦ υἱοῦ. Οθεν ὀρθόδοξος οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἐκ τῆς πίστεως ἐξοδεύει, ὅστις τοῖς ῥήμασιν αὐτοῦ καταμάχεται. E λέγει γὰρ φανερωτάτως ἐν τῷ ἑαυτοῦ πρὸς τὸν βασιλέα Θεοδόσιον περὶ τῆς ὀρθῆς πίστεως προσφωνητικῷ, τὸ πνεῦμα εἶναι ἐκ τοῦ υἱοῦ, διὰ τούτων τῶν ῥημάτων· καὶ μὴν ἄνδρα λέγων τὸν ὅσον οὔπω παρεσόμενον, καὶ ὀφθησόμενον, αὐτὸν ἔφη βαπτίζειν ἐν πυρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, οὐκ ἀλλότριον τοῖς βαπτιζομένοις ἐνιέντα πνεῦμα δουλοπρεπῶς, καὶ ὑπουργικῶς, ἀλλ' ὡς θεὸν κατὰ φύσιν, μετ' ἐξουσίας τῆς ἀνωτάτω, τὸ ἐξ αὐτοῦ, καὶ ἴδιον αὐτοῦ. τί ταύτης τῆς μαρτυρίας φανερώτερον; ὧδε γὰρ φανερώτατα περὶ τοῦ υἱοῦ λέγει, ὅτι τὸ πνεῦ-

A μα τὸ ἅγιον τοῖς βαπτιζομένοις ἐνίησι τὸ ἐξ αὐτοῦ, καὶ ἴδιον αὐτοῦ. καὶ τοῦτο αὐτὸ διὰ τῶν αὐτοῦ ῥημάτων τῷ Ερμείᾳ γράφει ὁ αὐτὸς μακάριος Κύριλλος ἐν τῷ λόγῳ τῷ πρὸς αὐτὸν Ερμείαν, οὗτινος ἡ ἐπιγραφή ἐστι· περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ μονογενοῦς, καὶ ὅτι Χριστὸς εἷς καὶ κύριος κατὰ τὰς γραφάς.

Male in Latino, Herniā.

Καὶ ὁ αὐτὸς μακάριος Κύριλλος ἐν τῇ ἑρμηνείᾳ ἐννάτου ἀναθεματισμοῦ, τοῦτο αὐτὸ λέγει. ἐν τῷ αὐτῷ γὰρ ἀναθεματισμῷ, ἴδιον εἶναι τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα εἰπὼν, τὸν αὐτὸν ἔννατον ἀναθεματισμὸν ἑρμηνεύων, τίνι ἐννοίᾳ ἴδιον αὐB τοῦ εἶναι τὸ πνεῦμα εἶπεν, ἀνέῳξε λέγων· ἄνθρωπος γεγονὼς ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ λόγος, ἀπομεμένηκε καὶ οὕτω θεὸς, πάντα ὑπάρχων ὅσα καὶ ὁ πατὴρ, πλὴν τοῦ εἶναι πατὴρ, καὶ ἴδιον ἔχων τὸ ἐξ αὐτοῦ, καὶ οὐσιωδῶς ἐμπεφυκὸς αὐτῷ πνεῦμα ἅγιον, καὶ τὰ λοιπά. ὧδε πάλιν φανερώτατα, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ υἱοῦ εἶναι λέγει ὁ ἅγιος πατήρ. οὐκ ὀφείλει δέ τι εἶναι ἀμφίβολον, ὅτι τὴν ἔννοιαν ἐκείνην ὧδε ἀνέῳξεν ὁ ἅγιος, ἥν τινα εἶχεν, ὅτε τὸν ἀναθεματισμὸν ἐξέθετο· τὸν C ἀναθεματισμὸν δὲ ἐκεῖνον σὺν πᾶσιν ἄλλοις ἀναθεματισμοῖς ἐδέξατο ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ τρίτη σύνοδος, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἐννοίᾳ, ἐν ᾗ ὁ ἅγιος ἐξέθετο. ἀρίδηλον γάρ ἐστι, τοὺς ἁγίους πατέρας ἐν τῇ ἁγίᾳ προειρημένῃ συνόδῳ συναχθέντας, ὅλην τὴν τρίτην τοῦ προειρημένου πατρὸς ἐπιστολὴν, πρὸς τὸν ἀσεβῆ Νεστόριον τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον γεγραμμένην, χωρίς τινος δισταγμοῦ ἀναξάνσεως [*] δεδέχθαι. γινωσκομεν δὲ ὅτι τῆς προειρημένης ἐπιστολῆς τὸ ἔσχατον μέρος τοὺς προειρημένους περιέχει ἀναθεματισμοὺς δώδεκα. εἰ δή τις νομίμως D ἐπιχειρήσειεν τὰ τοῦ Θεοδωρήτου ἐπισκόπου Κύρου ῥήματα ἀσεβέστατα, ἅπινα κατὰ τῶν προειρημένων ἁγίου πατρὸς δώδεκα ἱερῶν κεφαλαίων ἀνέδην ἐξέμεσε· γινωσκέτω τὴν πέμπτην ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον ἀναθεματίσασαν τοὺς [*] τοῦ προειρημένου Θεοδωρήτου βλασφημους· ὅσα κατὰ τοῦ μακαρίου Κυρίλλου, ῥήματα, ἐν οἷς αὐτῷ ἀπεκρίνατο, μόνον οἶδε κατηγορεῖν· λέγει γὰρ ἡ πέμπτη ἁγία καὶ καθολικὴ σύνοδος ἐν πράξει ὀγδόῃ οὕτως· καταχρινόμεθα, καὶ ἀναθεματίζομεν πρὸς τοῖς ἄλλοις πᾶσιν αἱρετικοῖς τοῖς κατακριθεῖσι, καὶ E ἀναθεματισθεῖσι παρά τε τῶν εἰρημένων ἁγίων τεσσάρων συνόδων, καὶ ἀπὸ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ Θεόδωρον τὸν γενόμενον ἐπίσκοπον Μοψουεστίας, καὶ τὰ ἀσεβῆ αὐτοῦ συγγράμματα, καὶ τὰ ἀσεβῶς συγγραφέντα παρὰ Θεοδωρήτου, κατά τε τῆς ὀρθῆς πίστεως, καὶ τῶν δώδεκα κεφαλαίων τῶν ἐν ἁγίοις Κυρίλλου, καὶ τῆς ἐν Εφέσῳ ἁγίας τρίτης συνόδου, καὶ ὅσα ὑπὲρ συνηγορίας Θεοδώρου καὶ Νεστορίου αὐτοῦ γέγραπται. ἐκ τούτων ἀρίδηλόν ἐστιν, ὅτι ἐκεῖνα ἅπερ ὁ Θεοδώρητος κατὰ τῶν δώδεκα κεφαλαίων τοῦ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου ἔγραψεν, ἀθέμιτά εἰσι, καὶ ἀσεβείας γέμοντα· καὶ ὅστις αὐτὰ ὡς ἀληθῆ νομικὴν ὑπηγορίαν ἔχει, ἐχθρός ἐστι

[*] f. ἀπροφασίστως, qua voce solebant ea ætate reddere Latinam, irrefragabiliter.

[*] for. τὰς τοῦ... βλασφημίας

Anno Christi 1233.

ὅτι τῆς πίστεως. γράφει γὰρ ὁ μακάριος Κύριλλος A πρὸς Ἀκάκιον ἐπίσκοπον Μελιτινῆς, μετὰ τὴν ἕνωσιν τῶν ἐκκλησιῶν, οὑτωσὶ λέγων· ἃ δὲ γεγράφαμεν ὀρθῶς κατὰ τῶν Νεστορίου δυσφημιῶν, οὐδεὶς ἀναπείσει λόγος ὡς οὐκ εὖ γεγόνασιν εἰπεῖν. καὶ πρὸς Δωνατὸν ἐπίσκοπον ὡσαύτως γράφει λέγων· γεγράφαμεν γὰρ ὀρθῶς, ἃ γεγράφαμεν, τῇ ὀρθῇ καὶ ἀμωμήτῳ συνηγοροῦντες πίστει, καὶ οὐδὲν τὸ παράπαν τῶν ἰδίων ἀρνούμεθα· οὐ γὰρ εἴρηταί τι, καθάπερ αὐτοί φασιν, ἀτημελῶς, ἀλλὰ τῆς ὀρθότητος ἐχόμενα πανταχοῦ, καὶ τῇ τῆς ἀληθείας δυνάμει συντρέχοντα· ἐκ τούτων φανερώτατα. ὅτι, τὸν μακάριον Κύριλλον οὐδὲν ἐκείνων ἀρνήσασθαι, ὧν εἶπεν· ἀλλὰ ἐν τῇ αὐτῇ ἐννοίᾳ, ἐν ᾗ αὐτὸς εἶπε, χωρὶς σημειώσεώς τινος διορθώσεως κεκρατηκέναι. οὐδὲ αὐτὸς μόνος διορθώσασθαι ἠδύνατο ἄν, καὶ (ὅπερ ἀπείη ἀπὸ τοῦ B ἁγίου) ἤθελεν, ὅπερ ὅλη ἡ ἁγία σύνοδος χωρὶς τινος ἀμφιβολίας, * ἀναξάνσεως, καὶ θαρρούντως ἐδέξατο· ἐδέξατο δὲ, ὡς εἴρηται, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἐννοίᾳ, ἐν ᾗ ἐξέθετο μετὰ τῆς ἁγίας συνόδου δέξασθαι * ἀπαιτοίη. ταύτην γὰρ τὴν ἁγίαν σύνοδον, πάντες οἱ ἅγιοι πατέρες, οἱ ἐν ταῖς μετακολουθησάσαις συνόδοις, σέβονται, καὶ ταὐτὰ πιστεύουσιν, ἅπερ καὶ αὐτή. ἀλλὰ καὶ οἱ ἅγιοι πα- C τέρες ἐκείνην φθάσαντες, τὰ αὐτὰ ἐφρόνησαν, ἅπερ ἐκείνη. ταύτην πίστιν ἔχομεν, καὶ οὕτως πιστεύομεν, καὶ φρονοῦμεν, καὶ ὁμολογοῦμεν.

* Corr. ut supra.

Αἱ ὑπογραφαί.

Ταύτην τὴν πίστιν ἐγὼ Ραδοῦλφος, ὁ ἀπὸ τῆς τάξεως τῶν ἀδελφῶν τῶν ἐλαχίστων, τοῦ κυρίου πάπα Γρηγορίου τῆς πρεσβυτέρας Ρώμης ἐπισκόπου ἀποκρισιάριος, ἔχω, οὕτως ὑπογράφω, καὶ οὕτως πιστεύω.

Ταύτην τὴν πίστιν ἐγὼ Ἀμμώνιος ὁ ἀπὸ τῆς τά- D ξεως τῶν ἐλαχίστων ἀδελφῶν, τοῦ κυρίου πάπα Γρηγορίου τῆς πρεσβυτέρας Ρώμης ἐπισκόπου ἀποκρισιάριος, οὕτως πιστεύω, καὶ οὕτως φρονῶ.

Ταύτην τὴν πίστιν ἡμεῖς, ὅ, τε Οὖγος, καὶ Πέτρος, οἱ ἀπὸ τῆς τάξεως τῶν Κηρύκων, τοῦ κυρίου πάπα Γρηγορίου τῆς πρεσβυτέρας Ρώμης ἐπισκόπου ἀποκρισιάριοι, οὕτως πιστεύομεν, καὶ οὕτως φρονοῦμεν.

Anno Christi 1234.

* ** CONCILIVM ARELATENSE

A Ioanne archiepiſcopo & ſuffraganeis celebratum, Gregorio papa IX. pontifice max. Imperatore Friderico II. Regnante in Gallia S. Ludovico.

Ex MS. codice eminentiſſimi card. Chiſii nunc primum prodit.

Concilium domini Ioannis celebratum anno Dom. MCCXXXIV. VI. Id. Iul.

TITVLI CANONVM.

1. *Vt ſtatuta concilii Lateranenſis IV. diligenter obſerventur.*
2. *Vt epiſcopi per ſe & alios prædicent.*

A
3. *Vt quilibet compellantur hæreticos de terris ſuis exterminare.*
4. *Vt ſingulis Dominicis & feſtis publice excommunicentur hæretici, & eorum fautores.*
5. *Vt inquirantur hæretici, & denuncientur.*
6. *Vt hæretici convicti, in carcerem perpetuum detrudantur.*
7. *Vt pax per per totam Provinciam ſervetur.*
8. *Vt de pace tenenda, ſibi invicem epiſcopi dent juvamen.*
9. *Vt confratriæ non fiant, niſi de voluntate epiſcopi.*
10. *Vt excommunicatus pro damno dato, vel injuria irrogata, non abſolvatur, priuſquam ſatisfecerit.*
11. *De iis qui poſt mortem detecti fuerint hæretici, vel credentes hæreticorum.* B
12. *Vt nulli laico eccleſia vel beneficium concedatur.*
13. *Ne quis excommunicetur ſine admonitione prævia. Et de pœna excommunicatorum, qui intra menſem non ſatiſfecerint.*
14. *Vt epiſcopi correctioni ac reformationi morum diligenter ſtudeant.*
15. *De iis qui in qualibet ſynodo, & ſingulis Dominicis ac feſtis, excommunicandi ſunt.*
16. *Vt Iudæi ſigno a Chriſtianis diſcernantur: & pro decimis ac oblationibus ſatisfacere compellantur.*
17. *Vt privilegiati non enervent ſententias prælatorũ.*
18. *Vt regalia B. Trophimi viriliter defendantur.*
19. *De ruralibus eccleſiis per proprium ſacerdotẽ, vel ſaltem juxta diſpoſitionẽ epiſcopi, adminiſtrandis.* C
20. *Vt in decimis, legatis, &c. iure cõmuni procedatur.*
21. *Ne teſtamentum fiat, niſi præſente rectore vel capellano parochialis eccleſiæ.*
22. *Ne pedagia niſi legitima exigantur.*
23. *Ne quis de juribus eccleſiarum cum religioſis componat, ſine autoritate epiſcopi.*
24. *Vt nullus beneficio ſpolietur ſine cauſæ cognitione.*

Anno Christi 1234.

CANONES.

I. *Vt ſtatuta concilii Lateranenſis IV. diligenter obſeruentur.*

QVoniam ex obedientiæ debito conſtitutiones Romanorum pontificum tenemur fideliter obſervare, mãdamus omnibus ſuffraganeis noſtris, & diſtricte præcipimus, ut canonicas regulas & ſtatuta concilii Lateranenſis IV. a domino papa Innocentio III. promulgata diligenter obſervent, & a ſuis ſubditis faciant obſervari. D

II. *Vt epiſcopi per ſe & alios prædicent.*

Item præſentis approbatione concilii duximus ſtatuendum, ut quilibet epiſcopus in ſua diœceſi frequenter fidem prædicet orthodoxam: & cum expediet, per alias honeſtas & diſcretas perſonas faciat prædicari. E

III. *Vt quilibet compellantur hæreticos de terris ſuis exterminare.*

Item ſtatuimus, quod quilibet epiſcopus moneat & efficaciter inducat, & ſi neceſſe fuerit, per cenſuras etiam compellat, potentes, caſtellanos, conſules, & civitatum, & aliorum locorum dominos & rectores, quibuſcumque fungantur officiis,

ANNO CHRISTI 1234.

officiis, ut sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defensione fidei præstent publice juramentum, quod de terris suæ jurisdictioni subjectis universos hæreticos ab ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt.

IV. *Ut singulis Dominicis & festis publice excommunicentur hæretici, & eorum fautores.*

Item statuimus, ut singulis diebus Dominicis & festivis, publice excommunicentur & anathematizentur pulsatis campanis, & extinctis candelis, omnes hæretici, quibuscumque nominibus censeantur, credentes, receptatores, defensores, & fautores etiam eorundem.

V. *Ut inquirantur hæretici, & denuncientur.*

Item ut plenius exterminari valeat hæretica pravitas, statuimus ut in singulis parochiis, tam in civitate quam extra, quilibet episcopus sacerdotem unum, vel duos, vel tres bonæ opinionis laicos, vel plures si opus fuerit, juramenti religione cōstringat, quod diligenter & solicite investigent, si quos ibi repererint hæreticos, credentes, fautores, defensores, & receptatores eorum, & ipsi episcopo & rectoribus civitatum, & dominis locorum, & bajulis eorundem, cum omni studeant festinantia intimare, ut eos puniant secundum canonicas & legitimas sanctiones: nihilo minus bona hæreticorum omnia confiscantes, iis tamen qui incarcerari debent ad arbitrium episcopi sufficienti provisione reddenda.

VI. *Ut hæretici convicti in carcerem perpetuum detrudantur.*

Item, sicut audivimus, quidam hæretici in Arelatensi provincia constituti, qui metu mortis ad catholicam ecclesiam revertentes, necnon & plures alii quondam de hæretica pravitate convicti, ad errorem pravitatis ejusdem, quem a se penitus abdicasse videbantur, ut gravius scindere valeant catholicam unitatem, sæpius revertuntur. Unde ne per tales, sub ficta conversionis specie, catholicæ fidei professores perniciosius corrumpi contingat: omnibus suffraganeis nostris autoritate domini papæ & nostra districte præcipimus, ut hæretici pestilentes, postquam de pravitate fuerint jam convicti, si aliter puniti non fuerint, id est, quod eorum quilibet in sua diœcesi, ut ipsis det vexatio intellectum, in carcere perpetuo detrudere non postponant: de bonis ipsorum, si qua fortassis habent, vitæ sibi necessaria, prout talibus convenit, ministrando. Damnati per ecclesiam de hæretica pravitate, si converti noluerint, sæculari judicio relinquantur animadversione debita puniendi, sicuti dominus PP. statuit, * hæreticos judicamus.

VII. *Ut pax per totam provinciam servetur.*

Item mandamus, quod pax servetur per totam Arelatensem provinciam, prout in statutis pacis evidentius continetur.

VIII. *Ut de pace tenenda, sibi invicem episcopi dent juvamen.*

Insuper hoc omnibus suffraganeis nostris, & aliis episcopis & prælatis, autoritate præsentis concilii injungentes, quod de pace tenenda & censura ecclesiæ fideliter observanda, & de plenitudine justitiæ exhibenda, mutuum sibi præstent ad invicem consilium & juvamen.

IX. *Ut confratriæ non fiant, nisi de voluntate episcopi.*

Item, quia propter conjurationes & conspirationes quæ confratriæ vocantur, in civitatibus, & villis, & castris, quam multæ discordiæ & dissensionis materiæ suscitantur: autoritate præsentis concilii sub interminatione anathematis prohibemus, ne in villis, civitatibus, & castris, fiant de cætero confratriæ, nisi de voluntate diœcesani episcopi, propter urgentem & evidentem utilitatem id fiat; & si quæ hactenus factæ sunt, caussa cognita ad diœcesani arbitrium destruantur: possessionibus ipsarum aliis piis locis, secundum diœcesani arbitrium, deputatis.

X. *Ut excommunicatus pro damno dato, vel injuria irrogata, non absoluatur, priusquam satisfecerit.*

Item statuimus, quod si quis, propter damnum datum, vel injuriam irrogatam, excommunicationis vinculo fuerit innodatus, non ante, absolutionis beneficium mereatur obtinere ipse qui damnum dedit, vel injuriam irrogavit, quam pro posse suo satisfaciat competenter. Quod si absque satifactione debita fuerit absolutus, absolvens juxta superioris arbitrium puniatur.

XI. *De iis qui post mortem detecti fuerint hæretici, vel credentes hæreticorum.*

Item statuimus, quod si quis post mortem detectus fuerit in secta seu credentia hæreticorum decessisse, si eorum corpora vel ossa ab aliis discerni potuerint, extumulentur, & sæculari judicio relinquantur.

XII. *Ut nulli laico ecclesia vel beneficium concedatur.*

Item statuimus, ut nulli laicæ personæ, nomine suo vel alterius, ecclesia vel ecclesiasticum

siasticum beneficium concedatur.

XIII. *Ne quis excommunicetur sine admonitione praevia. Et de poena excommunicatorum, qui intra mensem non satisfecerint.*

Item autoritate praesentis concilii prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione praemissa, & praesentibus personis idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari admonitio, promulgare praesumat. Excommunicatus autem, si satisfacere B contempserit intra mensem, non ante, absolutionis consequatur beneficium, quam pro singulis mensibus solvat pro poena solidos quinquaginta: quorum medietatem dominus temporalis percipiat, alia vero medietas ad pias causas dioecesano reservetur episcopo dispensanda.

XIV. *Vt episcopi correctioni ac reformationi morum diligenter studeant.*

Item mandamus omnibus suffraganeis C nostris, & districte praecipimus, ut in corrigendis excessibus & moribus reformandis, praesertim in clero, curam & solicitudinem cum Dei timore habeant diligentem, per singulas dioeceses statuendo personas idoneas, providas & honestas, quae solicite investigent, quae correctione vel reformatione invenerint esse digna; & ea dioecesano episcopo studeant intimare. Quod si dioecesanus negligens fuerit in correctione, ipsi referre ad provinciale concilium non postponant. D

XV. *De iis qui in qualibet synodo, & singulis Dominicis ac festis, excommunicandi sunt.*

Item statuimus, ut in qualibet synodo, & singulis diebus Dominicis & festivis, excommunicentur usurarii & adulteri manifesti, divini & sortilegi, & omnes ad eorum divinationem vel sortilegium scienter accedentes.

XVI. *Vt Iudaei signo a Christianis discernantur: & pro decimis ac oblationibus satisfacere compellantur.* E

Item decernimus, quod Iudaei masculi, a XIII. annis & supra, deferant extra domos in superiori veste, in pectore signum[a] cellae, latitudinis trium vel quatuor digitorum, nisi sint in viagio constituti. Mulieres autem Iudaeae a XII. annis & supra, oralia deferant extra domos. Si vero Iudaei quocumq; praetextu contra fecerint, Christianorum eis participium denegetur. Hac eadem poena Iudaeos decernimus compellendos ad satisfaciendum ecclesiis pro decimis & oblationibus, de domibus & possessionibus, quas A noscuntur in ipsis parochiis possidere.

[a] Caeterorũ conciliorum hac de re constitutiones habent, signũ iotae.

XVII. *Vt privilegiati non enervent sententias praelatorum.*

Item hoc duximus statuendum, quod si privilegiati sententias praelatorum, & censuram ecclesiasticam duxerint enervandas, etiam eis possit propter hoc plerumque justitia denegari.

XVIII. *Vt regalia B. Trophimi viriliter defendantur.*

Item, cum teneamur jura suffraganeorum nostrorum defendere & servare: volumus, & mandamus omnibus suffraganeis nostris, ut regalia B. Trophimi ad ecclesiam Arelatensem pertinentia pro posse suo defendant viriliter & potenter, secundum quod in privilegiis Romanorum imperatorum eidem ecclesiae est concessum. Quorum privilegiorum transcriptum, vel saltem transcriptum privilegii Colradi[a], unusquisque habeat & transcribat.

[a] Conradi

XIX. *De ruralibus ecclesiis per proprium sacerdotem, vel saltem iuxta dispositionem episcopi, administrandis.*

Item statuimus, ut quaelibet ruralis ecclesia proprium habeat sacerdotem, vel saltem juxta dispositionem dioecesani episcopi ecclesiae serviatur.

XX. *Vt in decimis, legatis, &c. iure communi procedatur.*

Item statuimus, quod episcopi & alii praelati curam animarum habentes, in decimis, primitiis, legatis, vel relictis capellaniis, vel monasteriis, vel aliis piis locis, & in aliis juribus ecclesiasticis, iure communi utantur, & procedant secundum canonicas sanctiones.

XXI. *Ne testamentum fiat, nisi praesente rectore vel capellano parochialis ecclesiae.*

Item, quoniam pro certo didicimus, quod credentes haereticorum, fautores, defensores, & receptatores eorum, in testamentis haereticis hactenus legaverint: de consilio praesentis concilii prohibemus, ne quis, sine praesentia rectoris vel capellani suae parochialis ecclesiae, praesumat condere testamentum, vel testis interesse, nisi periculum sit. Quod si tabellio tali testamento praesumpserit interesse: ipso facto excommunicationem se noverit incursurum: & si testator taliter decesserit, sine licentia dioecesani episcopi non tradatur ecclesiasticae sepulturae. Quod si testator ea quae legavit pro animae suae redemptione non diviserit, sed aliquorum dispositioni commiserit dividenda: illi sine consilio dioecesani vel ejus

ANNO CHRISTI 1234.

ejus locum tenentis, vel rectoris ecclesiæ parochialis, si illi de facili haberi non possunt, legata dividere non præsumant.

XXII. *Ne pedagia nisi legitima exigantur.*

Item statuimus, ne aliqua pedagia vel salinaria per Arelatensem provinciam accipiantur, nisi quæ apparent imperatorum, vel regum, vel principum, vel Lateranensis concilii largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine, a tempore cujus non extat memoria, introducta. Quod si aliquis contra hoc fecerit, & infra mensem non destiterit: extunc per censuras ecclesiasticas desistere compellatur.

XXIII. *Ne quis de iuribus ecclesiarum cum religiosis componat, sine autoritate episcopi.*

Item sub interminatione anathematis prohibemus, ne aliquis Arelatensis provinciæ, super decimis vel aliis juribus debitis ecclesiis parochialibus, cum aliquibus religiosis componere audeat, sine autoritate diœcesani episcopi: vel jus uni ecclesiæ debitum, alteri audeat assignare.

XXIV. *Ut nullus beneficio spolietur sine causæ cognitione.*

Item statuimus, quod nullus ecclesiastico beneficio jam adepto, sine causæ cognitione, a prælato suo aliquatenus spolietur. Quod si spoliatus, intra mensem non fuerit restitutus: extunc cum de spoliatione constiterit, superior ex officio suo spoliatum restituere non postponat.

Præcedentia statuta, excepto statuto de usuris Iudæorum, fuerunt renovata a prædicto domino Ioanne in concilio Arelatensi, ann. Dom. MCCXXXVI. III. Idus Novembris.

ANNO CHRISTI 1235.

** CONCILI AB. MOGUNTINUM

A Gregorio papa IX. damnatum: in quo absoluti Stigandi hæretici; & qui Conradum Marpurgensem interfecerant, ad sedem apostolicam, nulla inflicta pœna, remissi. Anno Domini circiter MCCXXXV.

DE Stigandis, qui Germaniam inficiebant, hæreticis, deq; Conradi Marpurgensis, a quo damnati fuerant, cæde, videndus supra conventus Moguntinus ad ann. MCCXXXIII. Quid autem utrisq; deinde sit actum in Moguntino altero conventu, discimus ex epistolis duabus Gregorii papæ IX. quæ ab Angelo Manrique, tomo IV. annal. Cisterc. ad ann. 1235. referuntur, in hunc modum.

Gregorii IX. epistola, qua graviter ab iis peccatum declarat, qui de hæresi a legato apostolico damnatos, inconsulta sede apostolica absolverunt.

A *Archiepiscopo Salisburgensi, & episcopo Ildesheimensi, & abbati de Buch, Cisterciensis ordinis, Misnensis diœcesis.*

ANNO CHRISTI 1235.

VIneæ Domini cultores, licet immeriti, constituti, juste in desiderio gerimus, ut illius latitudinem gratitudinis fructu semper venustam existere procuremus: turbationem non modicam subeuntes, si forte aliquæ plantarum, quæ in illa evidentibus existunt indiciis grandiores, sint sterilitate notabiles, vel nocivorum productione fructuum displicentes. Sane dudum mirantes audivimus, & referimus conturbati, quod cum olim post obitum recolendæ memoriæ magistri Conradi de Marpurg, prædicatoris verbi Dei, B de quibusdam, quos infectos labe pravitatis hæreticæ tenebat assertio, plurimarum oriretur materia quæstionum, quibusdam proponentibus, quod processus contra illos per eundem magistrum habitus, iniquitatis maculam habuisset; aliis vero referentibus ex adverso, quod pius extitisset, & providus, & incremento catholicæ fidei plurimum opportunus: ad dubitationes hujusmodi declarandas, certi locus & terminus sunt præfixi. Demum congregato concilio, ad quod plures ecclesiarum prælati, & principes sæculares, ac alii quorum præsentia tanto competebat negotio, convenerunt, exurgente nullo pro tuitione fidei, quæ C saltem a præsentibus sub nulla debebat negligentia præteriri: memorati infecti, ut dicitur, rationis inconsulto speculo, quod potissime in talibus haberi debebat præ oculis, sunt absolutionis beneficium assequuti. Illi vero perditionis filii, qui dicti magistri sanguinem innoxium effuderunt, omissis prolatione sententiæ ac inflictione pœnæ, quæ contra ipsos pro excessu tam detestabili, & digno non brevibus deplorari lacrymationibus, debebantur, ac satisfactione aliqua non recepta, sunt ad præsentiam nostram pro absolutionis obtinendæ gratia destinati.

Et infra. Quia igitur rationabile est, causam fidei quibuslibet anteferri, quæ potissime summi pontificis examini competebat: avertentes a debita nobis reverentia faciem, præsumpserunt aliqui terminare, quasi D autoritatis præmissæ nescii, vel ab ejusdem intellectu perspicuo peregrini. Quo consilio iidem ad transgressionem mandatorum Domini processerunt? Quo jure, quod est in canonica sanctione præcipuum, ab ipsis tam notabiliter extitit prætermissum? Nunquid facultas eis aberat sedem apostolicam consulendi? cum & locorum longinquitas, vel anfractus itineris, aut tremenda elatio pelagi sævientis, pro qua cæli claviger non expavit quin Salvatori diceret, ut sibi, quod per aquas ad eum procederet, imperaret, nullum ipsis afferret obstaculum; nunciorumque penuria nullum excusationis tribueret fulcimentum. Nunquid illorum memoria capacitasque non habebat, E quod ad S. R. E. cujus fundamentis super petram positis quisque cedit impetus tempestatis, in ambiguis & fluctuosis quæstionibus, per quas imminet naufragium fidei, si non contingat easdem prospere terminari, sit assidue revertendum? Præsertim cum dictus claviger, cujus arbitrio orbis universitas solvitur & ligatur, cujusque judicium a conditore justitiæ confirmatur, audire meruerit: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: & aliquando conversus, confirma fratres tuos*: cum etiam dubium non existat, quod qui secum non colligit, spargit; & nemo unquam sub diluvio sæculi, non in area positus, confirmatur. Luc. 22.

Sed quid ad ista studio exaggerationis intendimus? cur quæstionum cumulis immoramur? Porro nedum provectis & prudentibus, sed parvulis & ignaris potest esse liquidum, quod de præmissis multum sit devo-

ANNO CHRISTI 1235

devotionis & obedientiæ prætermissum: præsertim cum litterarum nostrarum series, per quas mandavimus ut processus contra hujusmodi pestilentes, secundum formam concilii generalis,& nuper a nobis edita,haberetur,mandati transgressoribus excusationis suffragium non acquirat: quia cum post processum habitum autoritate apostolica contra ipsos,si criminosi vel immunes a macula hæreticæ pravitatis existerent, dubietas immineret,ad examen nostrum omni erat occasione postposita properandum.

Nos igitur, etsi hactenus ista dissimulationi dederimus: super eisdem tamen in posterum,prout expedire viderimus, Domino* procedemus. Interim autem homines miseros,qui humanitatis affectu, & miserationis effectu, Christum prodendo, domini se reddiderant modis omnibus alienos, sine condigna nolentes provisione remittere: præsentium vobis autoritate committimus, ut circa ipsos, Dominum habentes præ oculis, juxta formam, quam vobis sub bulla nostra interclusam mittimus,autoritate nostra, omni contradictione & appellatione cessantibus, procedatis; præsentes in primo colloquio generali, in quo carissimum filium nostrum Fridericum imperatorem Romanorum, ac alios principes ecclesiasticos & mundanos adesse contigerit, publicari & exponi solenniter facientes.

* f. adjuvante Domino

Datum Perusii II. Kal. Aug. pontificatus nostri anno IX.

GREGORII PAPÆ IX. EPISTOLA altera ad eosdem.

De indicenda Conradi Marpurgensis interfectoribus pœnitentia.

CUm interfectores bonæ memoriæ magistri Conradi de Marpurg prædicatoris verbi Dei, ad sedem apostolicam accessissent, ejus misericordiam & salutis suæ consilium implorantes: nos eis injunximus, ut in subsidium transeant Terræ sanctæ. Quocirca præsentium vobis autoritate mandamus,quatenus post receptam ab eis sufficientem & idoneam cautionem,quod in passagio Martii proximi futuri, vel alio proximo sequenti, ad partes se transferant transmarinas, eisdem inter alia sub debito præstiti juramenti,ut per omnes majores ecclesias regionis illius,ubi tam execrabile facinus commiserunt,si secure poterunt, vadant nudi & discalceati,braccis duntaxat retentis, fune vel corrigia ad collum ligata, virgas in manibus deferentes,& ab omnibus presbyteris illarum ecclesiarum psalmum pœnitentialem dicentibus,ante fores earundem,quando major aderit populi multitudo,se faciant verberari, suum publice confitendo peccatum; iisque peractis,absolutionis beneficium impendatis eisdem, non obstante, quod absoluti fuisse ab aliis referuntur. Præsertim cum pro tantæ immanitatis excessu absolvi nequierint,absque mandato sedis apostolicæ speciali. Præterea si illi, quorum ope,consilio, vel assensu, tantum facinus est commissum, ad mandatum vestrum redierint, pro tanto excessu satisfactionem condignam humiliter impensuri: eos ad absolutionis gratiam admittatis. Alioqui sceleratos hujusmodi, & prædictos, publice candelis accensis, alienos ab ecclesia,ipso jure,atque a fidelium consortio pronuncietis. Cæterum tam eos, quam descendentes ab ipsis recta linea, ad nullos honores, dignitates, ordines, admittantur.

Datum Perusii II. Kal. Augusti, anno nono.

G. C. Hæ Gregorii litteræ datæ sunt anno Gregorii nono qui in annum Christi MCCXXXV. incidit. Cum autem asserat in priori epistola, *se hactenus ista dissimulationi dedisse*: fieri potuit, ut conciliabulum hoc de quo conqueritur, multo ante sit habitum, ipso scilicet anno MCCXXXIII. quo cæsus est Conradus, aut proxime consecutis duobus. Liberam relinquimus de annis tribus conjecturam.

** CONCILIUM OTHONIENSE IN DANIA

ANNO CHRISTI 1245.

Adversus bonorum ecclesiasticorum prædatores,& contemptores cæremoniarum, anno MCCXLV. celebratum.

AUtorem habemus hujus coacti concilii Joannem Isacium Pontanum, Danicæ historiæ lib. VII. cujus hæc sunt verba, ad annum MCCXLV. Per idem, *inquit*, tempus, Uffo archiepiscopus Lundensis, synodum contraxit Othoniæ apud Fionios,cui præter cæteros interfuere episcopi ac suffraganei ejusdem, Gunarus Viburgensis, Nicolaus Stigothus Roschildensis, Petrus Arhusiensis, Gunarus Ripensis, Ioannes Burglaviensis, Eschillus Slesvicensis, cum Petro coadjutore,& Ivaro episcopo Othoniensi. Miserat & nuncium suum Ioannem Placentinum pontifex. Hic decreto sancitum, aut repetitum potius quod Leo olim adversus ecclesiæ prædatores promulgaverat, eos anathematis reos haberi, sicuti & illos quibus ecclesiasticæ ceremoniæ contemptui essent. Visumque tum etiam, ut idem pontificis decretum festis omnibus diebus Danice recitaretur: ac publice simul diris devoverentur, cujuscumque status aut conditionis essent,qui rei istius facinoris convincerentur. Simile huic est decretum Gregorii IX. quod is anno octavo pontificatus sui Perusiæ in gratiam earundem ecclesiarum evulgavit. Et volunt quidam notatos hisce edictis ipsos etiam principes, Ericum præsertim, ejusque fratrem Abelem,quod,dum illi mutuis inter se odiis flagrant,multa præter fas & æquum,cum ab ipsis, tum a milite ipsorum,in ædes & ædificia sacra sint perpetrata, collationes quoque & onera ecclesiasticis eorumque ministris imposita. Quæ cum ægre ferrent,nec mutare possent episcopi, pontificum tandem opem ab ipsis imploratam. Et constat,celebrata superiori synodo Nicolaum Stigotum Roschildensem episcopum, oborta inter ipsum & regem simultate,e Dania ad Norvagos secessisse,& inde conscensa navi in Gallias Claravallam abiisse, ubi quadriennio circiter post in fata concessit.

G. C. Quo sit anni tempore celebrata hæc synodus, Pontanus non indicat: Joannes vero Meursius, qui Danicam historiam post eum scripsit, cum eadem omnia de synodo commemorat, tum illud addit, vere novo celebratam esse. Locus igitur illi ante Lugdunense concilium tribuendus.

** CONCILIUM ARELATENSE

ANNO CHRISTI 1246.

Anno MCCXLVI. III. Idus Decembr. celebratum.

HUjus concilii nulla, quod quidem sciam, extat memoria, nisi quæ superius habetur ad calcem alterius Arelatensis concilii, anno MCCXXXIV. habiti.

** CONCILIUM INSULANUM

ANNO CHRISTI 1251.

Ab Arelatensis provinciæ præsulibus,præside Ioanne Bauciano archiepiscopo celebratum anno Dom. MCCLI.

Prodit nunc primum ex cod. MS. eminentissimi cardinalis Chisii: in quo sic inscribitur, *Concilium secundum domini Ioannis.*

TITULI

ANNO CHRISTI 1251.

TITULI CANONUM.

PRÆFATIO.

HÆ sunt statuta, per dominum Ioannem Dei gratia sanctæ Arelatensis ecclesiæ archiepiscopum, apud Insulam in provinciali capitulo facta, & renovata, præsentibus & consentientibus autoritatem præstantibus, venerabilibus in Christo patribus R. Cavallicen. B. Massilien. G. Carpentoraten. B. Tricastrino. R. Tolonen. & P. Auraicen. episcopis. Dominis Ioan. Avinionensi, & S. Vasionensi, etiam episcopis, se canonice excusantibus, sed tamen aliis....... committentibus vices suas; præsentibus etiam pro majori parte abbatibus, & præpositis, & prioribus conventualibus provinciæ Arelatensis, an. Dom. MCCLI. die Martis post festum Exaltationis sanctæ Crucis.

CANONES.

I. *Ut fides catholica frequenter prædicetur.*

an. 1234. c. 2. PRimum capitulum de fide catholica frequenter prædicanda, scilicet secundum quod in Arelatensi concilio olim noscitur constitutum.

II. *Ut fiat inquisitio hæreticorum.*

Item de inquisitione hæreticorum observetur, quod statutum est in canonibus & statutis conciliorum: & fiat dicta inquisitio a quolibet episcopo in sua diœcesi: & scripta olim facta requirantur a Prædicatoribus & ab aliis qui ea habent, tam autoritate ordinaria, quam autoritate hujus concilii.

III. *Ut bona hæreticorum a prælatis occupentur.*

Insuper addentes quod bona hæreticorum sub dominio & jurisdictione ecclesiarum existentium, a prælatis ipsarum ecclesiarum occupentur. Si quis autem alius bona talium, sive mobilia vel immobilia, in præjudicium dictarum ecclesiarum, vel prælatorum, per se vel per alium invadere, occupare, seu confiscare præsumpserit: fit uterque ex tunc ipso facto excommunicationis sententia innodatus, potestate absolvendi domino archiepiscopo, & diœcesano lo-

A ci, congrua satisfactione præmissa, autoritate præsentis concilii reservata.

IV. *Ut sententia excommunicationis servetur, & puniantur contemptores.*

Item sententia excommunicationis, cum debita admonitione & maturitate proferatur, & ab omnibus tam privilegiatis, quam aliis, inviolabiliter observetur: & contra contemptores excommunicationum, servetur quod continetur in concilio * Valenti- *An. 1248. c. 17.
B no. Et si ulterius contempserint, puniantur pecuniaria pœna contemptores, ut continetur in concilio Arelatensi, si hoc poterit An. 1234. c. 13.
per temporales dominos obtineri.

V. *Ut decimæ exigantur & prædicentur.*

Item de decimis statuimus, quod exigantur & prædicentur frequenter secundum tenorem litterarum domini papæ, & solvantur ecclesiis vel prælatis, quibus de jure debentur.

VI. *Ut testamenta in præsentia presbyteri fiant.*

C Item de testamentis faciendis in præsentia rectoris ecclesiæ, vel parochialis sacerdotis, servetur quod statutum est in dicto concilio * Arelatensi, & concilio Tolosano ". * c. 21. " An. 1229. c. 16.

VII. *Ut canonica portio solvatur.*

Item statuimus, quod canonica portio exigatur & solvatur secundum canonicas sanctiones.

VIII. *Ut excessus privilegiatorum coerceantur.*

D Item super excessibus privilegiatorum coercendis servetur constitutio domini Innocentii IV. quæ incipit, *Volentes* *. * De privileg. in 6.

IX. *De pignorantibus ecclesias vel præbendas.*

Item statuimus, quod quicumque, autoritate vel temeritate propria, ecclesias vel ecclesiasticas præbendas pignoraverit, vel gadiaverit, seu bona eorum invaserit seu occupaverit violenter, nisi intra VIII. dies super hoc satisfecerit, sit extunc ipso facto excommunicationis sententia innodatus.
E Diœcesano tamen episcopo ab hac excommunicationis sententia absolvendi, autoritate concilii, concedimus potestatem.

X. *De pedagiis & salinariis.*

Item de novis pedagiis & salinariis, quæ per Arelatensem provinciam exiguntur, servetur quod in Avenionensi " & Arelatensi * conciliis continetur. " Ann. 1209. c. 6. * Ann. 1234. c. 22.

XI.

ANNO CHRISTI 1251.

XI. *De confratriis & conspirationibus.*

Item super confratriis, conjurationibus, conspirationibus, colligationibus, societatibus, vel quocumque nomine censeantur, vocentur, pacta seu conventiones, servetur quod statutum est in concilio * Valentino: hoc addentes, quod si qui ad enervandam censuram ecclesiasticam, vel ut contumaciter perdurent in excommunicatione, prædicta pacta vel conventiones inire præsumpserint contra jura ecclesiastica, sive ante excommunicationem sive post, dicta pacta, conventiones, vel etiam vota, vel promissiones, prorsus irrita habeantur & denuncientur, sicut in dicto concilio continetur.

* An. 1248. c. 20.

XV. *De precibus pro negotio terræ sanctæ faciendis.*

Item pro negotio terræ sanctæ dicatur psalmus, *Deus venerunt gentes*; oratio, *Deus qui admirabili providentia*: sicut fieri consuetum.

XIII. *De clandestinis matrimoniis.*

Item clandestina conjugia fieri prohibemus: quæ si facta fuerint, procedatur contra contrahentes secundum canonicas sanctiones.

ANNO CHRISTI 1253.

** CONCILIUM RAVENNENSE

Quod Philippus archiepiscopus cum suffraganeis suis celebravit anno Dom. MCCLIII. Innocentio IV. pontifice.

Acta exhibet Rubeus histor. Ravenn. libro VI. in hunc modum.

In Christi nomine.

ANno a Nativitate ejusdem MCCLIII. tempore Innocentij IV. die Lunæ tertia exeunte mense Aprili, XI. Indict. Ravennæ, in choro ecclesiæ archiepiscopatus, præsentibus testibus ad hoc specialiter adhibitis, & rogatis dominis, presbytero Bono, presbytero Bernardo, Iacobo de Petrella, & Peppo de Castelvitro, cardinalibus ecclesiæ Ravennatis, & DD. Alberico præposito, presbytero Arnulpho, presbytero Ambrosio, Floro, Ioanne de Morisano, Aimerico & Giezo cantoribus S. ecclesiæ Ravennæ, & me Benvenuto Cafarelli notario infra scripto. Nos frater Iacobus episcopus Bononiensis, Fr. Gualterius episcopus Faventinus, Thomas episcopus Imolensis, Bono episcopus Comaclensis, Albertus episcopus Mutinensis, Richelmus episcopus Liviensis, & Ioannes electus Foropompiliensis, in præsentia venerabilis patris D. Philippi, Dei gratia S. ecclesiæ Raven. electi, in die beati Vitalis martyris, in archiepiscopali ecclesia congregati, volentes communi concordia & voluntate, tam indemnitati ecclesiarum provinciæ archiepiscopatus Ravennæ salubriter consulere, quam reprimere malitias & præsumptiones damnabiles perversorum hominum, invadentium, sive occupantium temeritate propria possessiones, homines, & jura ecclesiæ, &

A archiepiscopatus, seu archiepiscopi Raven. & episcopatuum, & episcoporum, & aliarum ecclesiarum, ac monasteriorum, venerabiliumque locorum omnium provinciæ suprascriptæ: cum dignum sit, ut quos divinus timor a malo non revocat, saltem coerceat severitas disciplinæ, ut ipsorum malitia refrenata, ecclesiæ gaudeant debita libertate: volumus, & voluntate propria consentimus, quod dictus dominus electus Ravennas, contra raptores, & invasores, ac illicitos notorios detentores bonorum & jurium archiepiscopatus prædicti, ac episcopatuum, & episcoporum, & aliarum ecclesiarum, ac monasteriorum venerabiliumque locorum omnium provinciæ nominatæ, qui sunt in nostris civitatibus & B diœcesibus constituti, censuram ecclesiasticam possit, & debeat exercere: sententiam quam ipse dominus electus Ravennas contra prædictos duxerit proferendam, ratam & firmam habendo ad mandatum dicti domini electi Ravennatis, denunciare ac exequi promittentes, & ad hoc ut nos possit compellere, dantes ei plenam & liberam potestatem. Quibus omnibus ego prænominatus Benvenutus Cafarelli, S. Raven. ecclesiæ notarius interfui, & ut supra legitur, jussu prædictorum dominorum episcoporum, atque Foropopiliensis electi, & mandato præfati domini electi Ravennatis, subscripsi & publicavi.

ANNO CHRISTI 1260.

C ** ALEXANDRI PAPÆ III.

CONSTITUTIO CYPRIA.

Alexander Episcopus servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

IN perpetuum cultus justitiæ late protenditur, cum jurgiorum strepitus nonnunquam unitatem separans, & vulnerans caritatem, pacis silentio coarctatur. Propterea in controversiis, maxime quibus viri ecclesiastici diffident, quos ideo invicem oportet fore quietos, quia inter alios debent esse pacifici: judicialis prudentiæ studium ad conciliationem discordium in vinculo caritatis decet præcipue vigila- D re. Non enim in rigore spiritus vehementis, qui statum rerum frequenter evertit, & conterit firmitatem, neque in commotionibus simultatum quæ sæpius ex litibus oriuntur, catholicæ unitatis religio proficit: sed in sibilo auræ tenuis, hoc est, in placabili mulcebris * spiritus lenitate, qua fervidæ animositates altercantium mitigantur.

* f. mulcentis.

Sane venerabili fratre nostro Germano Græcorum regni Cypri archiepiscopo, & procuratoribus venerabilis fratris nostri Nicosiensis archiepiscopi, in nostra præsentia constitutis: idem Græcorum archiepiscopus inter alia proposuit coram nobis, quod cum olim episcopi Græcorum regni prædicti, sua va- E cante metropoli, præficiendi sibi eundem Germanum, aut aliam personam idoneam, in archiepiscopum, a felicis recordationis Innocentio papa prædecessore nostro, per ipsius litteras (non obstante constitutione generalis Concilij, vel bonæ memoriæ Petri Albanensis episcopi, olim in illis partibus apostolicæ sedis legati) licentiam impetrassent: ipsum Germanum in suum archiepiscopum elegerunt. Et venerabilis frater noster Tusculanus episcopus, tunc in eisdem partibus dictæ sedis legatus, cui prædecessor ipse mandaverat, ut ei quem canonice prædicti episcopi eligerent, si persona esset idonea, munus confirmationis impenderet, quodque illum faceret a suis suffraganeis consecrari: præsentatam sibi ejusdem Germani electionem confirmans, sibi fecit ab

ANNO CHRISTI 1260.

eisdem suffraganeis beneficium consecrationis impendi: recepta postmodum, ecclesiæ Romanæ nomine, tam ab ipso, quam a suffraganeis episcopis, obedientiæ sponsione: dicti que suffraganei sibi tanquam metropolitano suo, canonicam obedientiam promiserunt.

Cum autem idem Germanus esset in archiepiscopalis dignitatis possessione pacifica, in clero & populo Græcorum regni præfati jura metropolitana exequendo: memoratus Nicosiensis archiepiscopus, suis finibus non contentus, qui neque in eum qui superiorem alium quam Romanum pontificem non cognoscit, neque in subditos sibi memorati regni Græcos, cujuslibet jurisdictionis obtinet potestatem: ipsum ad suam præsentiam personaliter evocavit, ut super quibusdam articulis, de quibus proponebat contra eum, sicut asserebat, inquirere, responderet. Et quoniam idem Germanus archiepiscopus, hujusmodi vocationis mandato non parens, sicut nec etiam tenebatur, se, ecclesiam suam, & subditos sibi Græcos, quos jam præfatus Nicosiensis archiepiscopus gravaminibus nonnullis affecerat, apostolicæ sedis protectioni supposuit: ipse Nicosiensis archiepiscopus, post appellationem ad sedem eandem taliter interpositam, & postquam idem Germanus archiepiscopus iter arripuit propter hoc ad nostram præsentiam veniendi, vicarios ipsius a vicaria sua violenter ejiciens, Græcos subditos suos ab obedientia ejus avertere moliens, variis oppressionibus & jacturis, ecclesiasticas sententias, quas in aliquos ex eisdem subditis idem Germanus archiepiscopus rationabiliter tulerat, de facto relaxans, ac in personam ejus, excommunicationis, ut dicitur, ferens sententias multiplices, eidem Germano archiepiscopo & ecclesiæ suæ molestias irrogavit, ex quibus se incurrisse queritur damna gravia & expensas.

Propter quod idem Germanus a nobis inter cætera petiit, ut attentata in eum per dictum Nicosiensem archiepiscopum revocare gravamina, eundemque Nicosiensem ab his & similibus potestatis indebitæ supra Græcos, & competentium ipsis super decimis & aliis jurium usurpationibus, compescere curaremus. Licet autem coram præfato episcopo Tusculano, quem dederamus in controversia hujusmodi auditorem, procuratores allegarent prædicti, quod idem Nicosiensis archiepiscopus pro ea causa nunquam citatus fuerat ab homine aut a jure, nec ipsi ab eo pro causa ipsa, sed pro aliis negotiis erant missi; & ideo super præmissis cum ipso Germano Græcorum archiepiscopo subire judicium non debebant: nihilominus tamen postmodum de speciali mandato nostro, ne ipsi Germano Græcorum archiepiscopo deesse videretur, per aliquod subterfugium, justitiæ plenitudo, compulit eos idem auditor petitionibus ejus pro dicto Nicosiensi archiepiscopo respondere.

Proposuerunt ergo in judicio, quod processus circa promotionem ejusdem habitus, nullus fuit, cum ad memoratos episcopos jus eligendi archiepiscopum nullo modo pertineret, ac ipsi electionis tempore, quam de ipso fecisse dicuntur, vinculo excommunicationis publicæ tenerentur, & litteræ apostolicæ, in quibus prædicta fuit eis eligendi permissa licentia, per excommunicatos fuerint impetratæ. Ex quibus causis, pro parte ipsius Nicosiensis archiepiscopi, per vicarios ipsius, qui tunc temporis absens erat, ne ad electionem seu confirmationem aut consecrationem procederetur, hujusmodi fuit, pro jure Nicosiensis ecclesiæ, appellatum.

A Præterea cum autoritate fel. rec. Celestini PP. prædecessoris nostri, qui insulam Cypri propter inobedientiam & perfidiam Græcorum habitantium tunc in illa, exposuit Latinis catholicis occupandam, fuerint ibi, ejectis exinde Græcorum sedibus, quatuor pontificales Latinorum sedes erectæ, quarum pontifices in decimis & aliis ecclesiæ juribus, quæ Græci episcopi in eadem habuerant insula, successerunt, & earum unam, Nicosiensem videlicet, idem Celestinus cæteris prætulerit potestate, ut in tota eadem insula per dignitatem metropolitanam aliis ecclesiis præemineret; ac postmodum dictus Albanensis episcopus suæ legationis autoritate statuerit, & statutum ejus fuerit per sedem apostolicam confirmatum, B ut in tota insula prædicta quatuor episcopi Græci tantum essent, & certa sedium haberent loca intra diœceses Latinorum, qui utique postea Nicosiensi archiepiscopo, tanquam metropolitano suo, & episcopis Latinis in quorum erãt constituti diœcesibus, se obedientiæ vinculo constrinxerunt: evidenter apparet, quod metropolitanus alius, præter Nicosiensem archiepiscopum, in eadem insula, quæ una est provincia, non potuit nec debuit ordinari.

Quare inter alia petebant procuratores prædicti, ut quod circa ordinationem præfati Germani in ecclesia Nicosiensi præjudicium factum fuit, & quidquid ex eo aut ob id fuerat subsecutum, denunciaremus non habere vigorem, & C inhiberemus eidem Germano, ne quid in Cypro de juribus archiepiscopalibus attentaret.

Demum lite super his contestata, & multis hinc inde factis positionibus, ac responsionibus subsecutis ad eas, necnon & plurimis ad probandum utrinque articulis ordinatis, cum ex ipsis juris auspiciis in longum protrahi litis dispendia viderentur: dictus Germanus archiepiscopus nobis humiliter supplicavit, ut paupertati ecclesiæ Græcorum, ne tot distraheretur ambagibus, & tot premeretur difficultatibus, consulentes, statui ejus & paci deberemus per salubrem dispositionis ordinationem apostolice providere, qua jurgantium murmura conticerent, & sub obedientia ecclesiæ Romanæ, Græci prædicti regni tranquillam vitam ducerent cum Latinis. D Nimirum ut Latinorum & Græcorum ejusdem regni ecclesiæ, diversarum concussæ altercationum turbinibus fluctuarent, præcipuam, sicut perpendimus, ingerebat materiam indeterminatio finium circa ordinem potestatum: præter id quod diversitas corporum & dissonantia morum solent generare dissensus, in conversatione conviventium sub variis observantiarum ritibus nationum.

Nos igitur, qui ex injuncto nobis apostolatus officio, & debemus, & cupimus, tam remotis pacem dicere, quam propinquis: intendentes studiose curare, ut ecclesiæ prędictæ rato invicem ordine dirigantur, E & mutua in Christo pace lætentur, sanctius fore prævidimus ad salutem, earum controversias tranquillæ ordinationis arbitrario sopire consilio, quam judicialis decisionis gladio diffinire. Igitur litigiosis contentionibus partium, & implicitis hinc inde subtilitatum intricationibus, disputationumque tumultibus in infinitum sæpe progredientibus: imperantes, de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ potestatis plenitudine, constitutis in præsentia nostra, memorato Germano Græcorum archiepiscopo, & venerabilibus fratribus nostris Nibone de Solia, Ioachim de Carpasio, & Mathia de Leschara, Græcorum sedium Cypri episcopis, necnon & præfati Nicosiensis archiepiscopi procuratoribus, præsenti ordinatione statuimus, & statuto perpetuo pro

Anno Christi 1260

pro pace utriusque ecclesiæ, super præmissis & aliis quæ inter illas possent impoſterum diſſidendi contentioſam generare materiam, irrefragabiliter ordinamus: ut in inſula Cypri de cætero infra Latinorum epiſcoporum diœceſes, & ſub Nicoſienſi metropoli, quatuor dumtaxat exiſtant Græcorum pontificales ſedes, & eccleſiæ cathedrales, olim per præfatum Albanenſem epiſcopum locis ſpecialibus aſſignatę: cum quatuor ſolummodo in eadem inſula fore noſcantur epiſcopales ſedes & eccleſię pontificum Latinorum. Unam ſiquidem pontificalem ſedem Grecorum in Nicoſienſi apud Soliam, aliam in Paphena apud Arſino, tertiam vero in Famaguſtana apud Carpaſium, & reliquam in Nimocienſi, diœceſibus, apud Leſcaram, conſiſtere volumus; & ab iis denominari, & tam nomen quam dignitatem pontificalis officii habere pontifices, qui eas pro tempore canonice obtinebunt.

Porro quoties quamlibet prædictarum ſedium, Græcorum præſule vacare contigerit: alter a clericis ſedis ejuſdem, invocata Spiritus ſancti gratia, in epiſcopum eligatur: cujus electionem Latinus pontifex, in cujus diœceſi fuerit ſedes illa, ſi eam invenerit de perſona idonea celebratam, canonice, autoritate ordinaria, rite ac ſine difficultate confirmet, ac ſibi faciat per epiſcopos Græcos vicinarum diœceſum, quos ad hoc idem Latinus advocabit pontifex, manus conſecrationis impendi: epiſcopalem ſolicitudinem atque curam monaſteriorum, eccleſiarum, cleri & populi Græcorum, in ſua civitate atque diœceſi conſiſtentium, autoritate propria commiſſurus eidem, & recepturus ab ipſo juratoriam profeſſionem obedientiæ, in hanc formam.

Ego N. epiſcopus de Solia, Nicoſienſis diœceſis, ab hac hora in antea fidelis ero & obediens beato Petro, ſanctæque Romanæ eccleſiæ, dominoque meo N. archiepiſcopo Nicoſienſi, ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus: & non ero in conſilio, neque in facto, ut vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Conſilium quod mihi aut per ſe, aut per nuncium, vel per litteras manifeſtaverint, ad eorum damnum nulli pandam. Papatum Romanæ eccleſiæ, ac pontificatum eccleſiæ Nicoſienſis, & regulas ſanctorum patrum, adjutor ero ad defendendum & retinendum, ſalvo ordine meo, contra omnes homines. Vocatus ad ſynodum veniam, niſi præpeditus fuero canonica præpeditione. Legatum ſedis apoſtolicæ, quem certum eſſe cognovero, in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo. Sic Deus me adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

Et hanc formam ab epiſcopo Græco ſuæ diœceſis recipiet pro ſe ac eccleſia ſua quilibet Latinus epiſcopus regni Cypri. Et ſi electionem illam cognoverit Latinus pontifex irritandam, ad caſſationem ejus procedat, ſicut de jure fuerit procedendum. Epiſcopi vero Græci, a Latino pontifice ad conſecrationem electi Græci ſuæ diœceſis convocati, ad hoc ſine moræ diſpendio, ex præſentis conſtitutionis & ordinationis debito, convenire, ac incumbentia conſecrationis implere munia teneantur.

Sane Græcorum pontificum damnatio, ſeu depoſitio, ſicut & tranſlatio ac ceſſio, ſoli Romano pontifici, juxta prærogativæ apoſtolicæ privilegia, reſervetur: ut in illis, ſicut & in cæteris epiſcopis, pontificalis dignitatis ſtatus & præcellentia muniatur. Ac cuicumque Græcorum eccleſiæ paſtore vacanti Latinus pontifex autoritate propria præſulem ingerere non præſumat: niſi forte ad eum, illis negligentibus eligere qui debebant, facultas ea vice ordinandi eandem eccleſiam de paſtore, juxta generalis ſtatuta concilii, fuerit per lapſum trimeſtris temporis devoluta. In eo etiam caſu poteſtatem non habeat Latinus epiſcopus præficiendi eccleſiæ ſic vacanti, niſi perſonam Græcam, & tanto honori & honori * ex merito congruentem. Sedis vero Græcæ vacantis epiſcopo bona, decanus & capitulum ipſius ſedis futuro pontifici cuſtodiat fideliter & aſſignet. Cæterum epiſcopi ejuſdem inſulæ canonice ordinati, & de cætero in prædictis Græcorum ſedibus ordinandi, habeant in monaſteriis, eccleſiis, cleris & populis Græcis ſibi commiſſis, & obtineant univerſa quæ ad dignitatis vel ordinis epiſcopalis officium pertinere de communi jure noſcantur. De quibus Latini epiſcopi, exceptis illis dumtaxat caſibus in quibus metropolitanus poteſt de jure juriſdictionem exercere in ſuffraganei ſui ſubditos, nil uſurpent. Cauſæ autem ad forum eccleſiaſticum pertinentes, ſi emerſerint inter Græcos, ad ſuum Græcum pontificem; ſi vero inter Latinum & Græcum, ſive Græcus actor fuerit, ſive reus, ad Latinum loci pontificem deferantur judicialiter dirimendæ: verum ſalva ſedis apoſtolicæ præeminentia, ad cujus præſidiū omnes oppreſſi poſſunt immediate confugere. Cum ab epiſcopo Græco appellandum videbitur: ad Latinum epiſcopum, in cujus diœceſi idem Græcus conſiſtit epiſcopus, & exinde ad Nicoſienſem archiepiſcopum, ſi opus fuerit, provocetur. Præſenti quoque ordinatione cenſemus, ut in civitate vel diœceſi Latini pontificis, præter conſiſtorium epiſcopalis ſedis Græcorum, cum quo auditorium officialis vel vicarii, ſi quem Græcus habet epiſcopus, unum & idem eſſe dignoſcitur, nullum aliud conſiſtorium habeatur juriſdictionis ordinariæ inter Græcos: niſi forte in aliqua eccleſia Græcorum regni ejuſdem, ſit archidiaconatus, vel alia dignitas, annexum habens ordinariæ audientiæ conſiſtorium ab antiquo, a quo ad ejuſdem eccleſiæ Græcum pontificem, & exinde gradatim, ſubditi ejus, cum eorum intererit, provocabunt. Archiepiſcopo denique, & Latinis epiſcopis, pro offenſis vel injuriis & juribus ſuis, eccleſiarumque ſuarum, animadvertendi canonice in Græcos ſuarum civitatum & diœceſum in illis caſibus competere volumus poteſtatem, in quibus eis de jure competit in Latinos.

Ad ſynodum vero pontificis Latini Græcus epiſcopus intra illius diœceſem ſedem habens, ſemel in anno cum abbatibus & ſacerdotibus ſuis curam habentibus animarum, teneatur obedienter occurrere, ac ſynodalia ejus ſtatuta (quæ tamen Græcorum ritibus fidei catholicæ non adverſis, & a Romana eccleſia toleratis, non obvient) recipere ac ſervare. Ne autem epiſcopi Græci onere duplici prægraventur, cum ipſos adire oporteat ex hujuſmodi ordinationis debito epiſcopales ſynodos pontificum Latinorum: eos ire ad provinciale concilium decernimus non cogendos.

In viſitationibus epiſcoporum Græcorum, vel ſubditorum eorumdem, illam habere volumus Latinos pontifices intra proprias civitates & diœceſes poteſtatem, quam metropolitanus in viſitationibus ſuffraganeorum ſuorum & ſubditorum eorundem concedunt canonicæ ſanctiones. Archiepiſcopo tamen & epiſcopis Latinis, cum ſuas diœceſes circa Gręcos jure diœceſano viſitaverint, hoc in exigendis procurationibus indicimus temperantię moderamen: ut idem archiepiſcopus quinque dumtaxat, Paphenſis epiſcopus quatuor, Famaguſtanus tres, & Nimocienſis etiam tres, a Gręcis ſuarum civitatum & diœceſis, procurationes in univerſo recipiant annuatim: quarum quælibet ſummam triginta ſolidorum Turonen-

Anno Christi 1260.

* Cor. Et gradui. Nam antiqua versio Graeca, quam vidi, habet, καὶ τιμῆς, καὶ βαθμοῦ.

nensium, vel tot Byſantinorum qui eidem ſummæ æquivaleant, non excedat. Verum licet procurationum numerum viſitationis gratia debitarum, conſiderata ipſorum paupertate Græcorum, duxerimus miſeratione provida taliter moderandum: qui tamen Latinis epiſcopis ad hoc ſunt eccleſiarum ſuarum bona conceſſa, ut in illis circa officii ſui debitum indeficienter valeant militare: volumus, ut ſi fidei orthodoxæ neceſſitas, aut ſinceritas obedientiæ quæ eccleſiæ Romanæ debetur, vel morum exegerit diſciplina, quod iidem Græci pluries viſitentur ſuper hoc, circa ipſos, ſine aliquo illorum gravamine, viſitationis debitum propriis ſumptibus, quando tamen eis ſacrorum canonum inſtituta id permiſerint, impendere teneantur: cum & apoſtolus Paulus, noſtræ inſtitutionis exemplar, interdum ſibi victum manuum labore quæſierit, ne gravis eſſet iis quibus evangelium prædicabat, aut illi quos ſumptus prædicandi miniſtrare pigebat, ob hoc ſalutis miniſterio privarentur.

Plane jus percipiendi decimas in inſula memorata pertineat ad eccleſiam Latinorum: & in earumdem decimarum perceptione, conſuetudo a prælatis & clericis Latinis obtenta, & hactenus cuſtodita, ſervetur. Per hoc tamen quod in hac parte conſuetudinem dicimus obſervandam, nemo ſe ad decimarum ſolutionem putet exemptum, quæ jure canonico & Divino debentur.

Porro licet eccleſia Græcorum regni Cypri, ſecundum hanc ordinationem, non ſit nationis ſuæ metropolitanum in poſterum habitura: volumus tamen, præfatum Germanum archiepiſcopum Græcorum, dum vixerit, dignitatis archiepiſcopalis nomine ac honore potiri. Propter quod perſonam ipſius, donec ceſſerit vel deceſſerit, ab archiepiſcopi Nicoſienſis qualibet prorſus eximimus poteſtate: atque ſtatuimus, ut ipſo Germano cedente, vel decedente, nullus in præfato regno de cætero Græcorum archiepiſcopus ordinetur.

Sed ne idem Germanus archiepiſcopus incerta ſede vagetur, præfatum N... epiſcopum ſedis Græcorum quæ eſt in Solia Nicoſienſis diœceſis, a vinculo quo eccleſiæ ſuæ tenetur, abſolvimus: ipſum ad ſedem epiſcopalem Græcorum de Arſino Paphenſis diœceſis, nunc vacantem, de plenitudine apoſtolicæ poteſtatis, ac prædictorum fratrum conſilio, transferendo, & dando eidem licentiam ad eandem ſedem libere tranſeundi. Præfato vero Germano archiepiſcopo dictas ſedem & eccleſiam de Solia, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, de eiſdem conſilio & poteſtate, committimus, ſibi retentis ſemper dignitatis archiepiſcopalis honore ac nomine, epiſcopaliter gubernandas: ita tamen quod ei ſit liberum, vel in dicta ſede de Solia, vel apud eccleſiam Græcorum beati Barnabæ Nicoſienſis, quam ad epiſcopum ſedis ejuſdem ex hujuſmodi noſtræ ordinationis beneficio pertinere perpetuo volumus, pro libito commorari. Ipſo vero Archiepiſcopo cedente, vel decedente in ſede de Solia, quotieſcumque ipſa vacaverit, ſimplex dumtaxat Græcæ nationis epiſcopus ſubrogetur: qui Nicoſienſi archiepiſcopo, eo modo, quo alii Græci epiſcopi Latinis debent ſubeſſe pontificibus, juxta præſentis ordinationis providentiam ſit ſubjectus. Eundem etiam Germanum Græcorum archiepiſcopum, in monaſteria eccleſiaſtica, clerum, & populum Græcorum, Nicoſienſis civitatis & diœceſis, illam habere volumus, dum commiſſæ ſibi ſedi præfuerit, poteſtatem, quam alii Græcorum epiſcopi regni Cypri, ex hujuſmodi ordinationis providentia, in Græcos ſibi ſubditos ſortiuntur.

Cæterum ut ipſo Græcorum archiepiſcopo ſuperſtite, vel archiepiſcopalis dignitatis officium retinente, ipſius & archiepiſcopi, ac pontificum Latinorum, ſupra Græcos, circa jurium archiepiſcopalium executionem, poteſtas, ad ſubmovendam altercationis materiam, dirimatur: ordinamus atque ſtatuimus, ut idem Germanus Græcorum archiepiſcopus, dum vixerit, ex hujuſmodi ordinationis ſtatuto, ſine contradictione Latinorum pontificum, libere, dum tamen canonice, Græcos Cypri electos vel deinceps eligendos in epiſcopos, & a Latinis pontificibus, in quorum ſunt diœceſibus, confirmatos, autoritate metropolitana ad ſacros promoveat ordines, & promotos conſecret, ac alios ejuſdem regni Græcos epiſcopos convocet ad conſecrationis hujuſmodi miniſterium exequendum: & circa univerſos Græcos ipſius regni, eadem autoritate, viſitationis impendat officium, cum de jure fuerit impendendum: & in viſitationibus hujuſmodi, ſeu in his quæ viſitationis ratione competunt, eam, quam metropolitanis canones ſacri concedunt, habeat facultatem: & in vita ejus, de his, archiepiſcopus & epiſcopi Latini, ad quos hæc, ſicut & alia jura, ſecundum præſentis ordinationis ſtatutum, poſt ejuſdem Græci archiepiſcopi ceſſionem vel obitum, pertinebunt, eo invito ſe nullatenus intromittant: ſalva interim Nicoſienſi archiepiſcopo & epiſcopis Latinis, in cæteris caſibus, a quibus Græcus abſtineat archiepiſcopus, poteſtate, quam ipſi Nicoſienſi archiepiſcopo, ratione metropolis, & tam ei quam aliis Latinis epiſcopis, ratione diœceſium, circa univerſos Græcos regni præfati, hujus noſtræ ordinationis attribuit conſtitutum.

Sane dicto archiepiſcopo Græcorum vivente, ſicut & poſtmodum, juriſdictionem quamlibet in Græcos Nicoſienſis civitatis & diœceſis, excepta perſona præfati Germani epiſcopi, in appellationibus & aliis, Latinus archiepiſcopus obtinebit, quæ aliis Latinis epiſcopis regni prædicti per hanc ordinationem in epiſcopos, clericos, & alios Græcos ſuarum civitatum, & diœceſium eſt conceſſa. Quamvis autem perſonam ejuſdem Germani archiepiſcopi, donec ceſſerit vel deceſſerit, omnino exemptam eſſe velimus ab archiepiſcopi poteſtate Latini: ut tamen in ipſo præſentis ordinationis obſervatio inchoetur, idem Germanus archiepiſcopus, nomine ſedis de Solia ſibi commiſſæ, Latino epiſcopo juratoriam profeſſionem obedientiæ faciat ſecundum formam ſuperius annotatam. Ex profeſſione autem & obedientia hujuſmodi, Latinum archiepiſcopum animadvertendi in perſonam ejuſdem Germani archiepiſcopi, vel injungendi quicquam eidem, in caſu quocumque, nullam habere volumus facultatem: ut conceſſa dumtaxat perſonæ ſuæ per hanc ordinationem exemptionis plenaria libertate inconcuſſe lætetur. Si quando vero a præfato Germano Græcorum archiepiſcopo fuerit appellandum ad Latinum archiepiſcopum: ſalva prærogativa ſedis apoſtolicæ appelletur. Porro quando Nicoſienſis archiepiſcopus, poſt præfati Germani archiepiſcopi ceſſionem vel obitum, Græcos ſuæ provinciæ in ſuffraganeorum ſuorum civitatibus vel diœceſibus, jure ſuæ metropolis, quod ſibi competere volumus, viſitabit: unicam tantum in qualibet civitate & diœceſi, ab univerſis Græcis, earum communiter procurationem recipiat annuatim, quæ ſexaginta ſolidorum Turonenſium ſummam, vel tot Byſantinorum qui illis æquivaleant, non excedat.

Vtrorumque igitur poteſtate, Latinorum videlicet & Græcorum pontificum regni Cypri, diſcretione hujuſmodi noſtræ ordinationis, (quam ad Syros ejuſdem regni, eoſdem cum Græcis mores, ritus, communiſque

ANNO CHRISTI 1260.

munisque juris censuram ab antiquo servantes, extendimus) limitibus designata: præsentis decreti autoritate jubemus, ut neutri nostræ positionis terminos transilire, vel amplius sibi prælationis aut libertatis vendicare præsumant; sed in Christo, qui est vera pax omnium, utrique, tanquam invicem membra, per unanimitatis cohærentiam & subministrationis ordinem, fiant ejusdem capitis idem corpus. Amen.

Datum Anagniæ per manum magistri Iordani, sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarii & notarii. V. Nonas Iulii, Indictione II. Incarnationis Dominicæ anno MCCLX. pontificatus vero domini Alexandri papæ IV. anno VI.

Ego Alexander catholicæ ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Odo Tusculanus episcopus subscripsi.

Ego Stephanus Prænestinus episcopus subscripsi.

Ego frater Ioannes tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis subscripsi.

Ego frater Hugo tituli sanctæ Sabinæ presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Ricardus sancti Angeli diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Octavianus sanctæ Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Ioannes sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Ottobonus sancti Adriani diaconus cardinalis subscripsi.

ANNO CHRISTI 1260.

** CONCILIUM ARELATENSE

A Florentino archiepiscopo cum suffraganeis celebratum anno Dom. MCCLX.

TITULI CANONUM.

1. *Condemnatur Ioachitica doctrina.*
2. *Ut doceatur populus, qualiter baptizandi parvuli in necessitate.*
3. *Ut Confirmationis sacramentum jejunis tribuatur a jejunis.*
4. *Ut matrimonia non fiant absque autoritate ecclesiæ.*
5. *Ut in ecclesiis semper resideant saltem vicarii perpetui.*
6. *Ut celebretur octava S. Trinitatis, & festum S. Trophimi.*
7. *Ne sint in ecclesiis cerei lignei, sed luminaria provideantur.*
8. *Ne Iudæi ferant habitum sacerdotalem: immo signo aliquo distinguantur a fidelibus.*
9. *Ut clerici beneficiati causas non agant in curia sæculari.*
10. *Ut monachi & canonici regul. pro doctrina sacra salarium non accipiant.*
11. *De vita & honestate canonicorum regularium.*
12. *Ut Hospitalariorum & Templariorum familiares, qui non sunt de domestica eorum familia, per prælatos corrigantur.*
13. *De regimine hospitalium.*
14. *Ut prælatus mutuum contrahens, instrumenta proprio sigillo consignet.*
15. *Ut parochianorum ad ecclesias suas non impediatur conventus.*
16. *Ne pro beneficiis ecclesiasticis ad arma concurratur.*

PRÆFATIO.

Antiquorum patrum & sanctorum episcoporum autoritas irrefragabilis, & consuetudo celebris, illud in ecclesia Dei obtinuit, ut per varias provincias patribus in unum congregatis, sacri celebratione concilii discutiatur status ecclesiæ: & quod temporis immutavit malitia, congregatis in unum prælatis, & melius reformetur, & sicut multorum examinatione rectorum consultius & cautius, quicquid agendum tenendumque fuerit, discutitur, sic etiam quod discussum & statutum fuerit, firmius multorum consensu & diffinitione sapientium roboretur: ut sic propulsetur pravorum & mente corruptorum astutia, conservetur sanctorum prudentia, & per multorum prudentiam sapientium, sanitas maneat in orbe terrarum: & sicut sanctorum apostolorum, & quibus, & per quos, sacrosancta & catholica fundata est per totum orbem ecclesia, traditiones, quas a solius pii & cælestis pastoris nostri hauserunt pectore, immutabiliter commendatæ refulgent; sic sequentium per tempora canones & instituta patrum, in cunctis totius orbis ecclesiis vigere probantur, quorum solerti providentia, & vigilanti solertia, quotiens variarum hæresum schismatumque visum est pullulare seminarium, totiens, ne succresceret, prorsus evellendum, avulsum & condemnatum disparuit. Quapropter plurima sanctorum patrum concilia in ecclesia Dei, velut quatuor evangelia, celebrantur.

Quod si primitivorum sanctorum temporibus, constantium in fide, admirandorum virtute, ferventium caritate, tam solers & diligens contra reprobos adhibita est cautela: quid agendum est diebus novissimis, cum temporibus periculosis instantibus surgent pseudoprophetæ dicentes: hic est Christus? & discipuli quoque mente corrupti *ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus*, tanto astutiores in suis adinventionibus, quanto pertinaciores in suis malitiis, & expertiores in antiquorum versutiis, hypocrisis & simulationis exterius velamine dealbati, sed interius fuligine nequiores. 2. Tim. 4.

Inter quos non modicum locum & valde perniciosum tenent illi, qui in fundamento suæ vesaniæ vera quædam in parte & varia jaciendo ternaria, eademque perniciose adaptando, doctrinam fœdissimam concordantiarum suarum contextu nefario statuere moliuntur, & malitiosa veneratione Spiritus sancti, quem, secundum ordinem nominandi, tertiam dicimus in Trinitate personam, singulari redemptioni factæ per filium tam impudenter quam nefarie * nituntur: dum tempus & opera Filii sub annorum curriculo, & sæculi hujusmodi parte quadam signata & media claudere perhibentur: ut quemadmodum dicit Filius in carne mundo apparens visibilis: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor:* sic & Spiritus sanctus completo Filii tempore, dicat, Hactenus post patrem operatus est Filius, & ego de cætero operabor operationem Filii sub illo annorum numero claudendo, quo satanas olim ligatus per Filium, denuo pronunciatur solvendus. Hoc exemplum mille ducentis sexaginta annis: ac si solemnius & magnificentius quodammodo sigillatim & approbante Spiritu sancto operatus sit deinceps, quam hactenus a principio nascentis ecclesiæ fuerit operatus.

* f. obnituntur: Ioan. 5.

Quis autem sententiare præsumat, Spiritum sanctum gloriosius paraclitum infundendum deinceps in cursu præsentis sæculi, quam cum repente super apostolos Christi vehementer insonuit, & linguis apparens igneis dispertitis, super singulos requievit & sedit, genera linguarum tribuens, corda eorum tam patenter & potenter inflammans, ut totum doctrina salutis

ANNO CHRISTI 1260.

salutis illustrarent & fervore caritatis accenderent mundum.

a Ioachimi abbatis sectatores.

Isti tamen Ioachitici[a], quorundam ternariorum intercatenatione fictitia, nituntur astruere, Spiritus sancti tempora cum lege majori fore deinceps revelanda. In fundamento erroris sui primitus jacientes sacratissimum id & supercæleste ternarium ineffabilium personarum individuæ Trinitatis, Patris videlicet, & Filii, & Spiritus sancti: & super quod omnis stabilitur veritas, erroris sui vanitatem firmare conantur. Nulla siquidem adeo falsa & pestifera est doctrina, quæ non aliqua vera intermisceat.

Huic igitur summæ veritati alia quædam subnectunt & contexunt ternaria, dicentes tres status vel ordines hominis sibi invicem successione quadam temporum clarificandos. Primus est ordo conjugatorum, qui tempore Patris claruit in veteri testamento. Secundus est status clericorum, qui tempore gratiæ claruit per Filium, in hoc statu mundi medio. Tertius autem status, est ordo monachorum, clarificandus tempore majoris gratiæ in Spiritu sancto.

Addunt etiam cum iis, aliud doctrinæ sacræ ternarium: videlicet veteris & novi Testamenti, ac deinceps evangelii æterni, sive evangelii Spiritus sancti, duabus rotis in visione prophetica tertiam phantastice subnectentes, & comparatione secuturi quod spirituale nunciabamus, evangelium spirituale Filii, litterale ore blasphemo & sacrilego dicere non formidant. Dividunt etiam & distinguunt totum hoc spatium labentis sæculi in tria tempora, quorum partem primam Patri attribuunt, scilicet spiritus & legis Mosaicæ: secundam attribuunt Filio, quam appellant spiritus gratiæ: & duravit annis MCCLX. Tertiam Spiritui sancto, quam dicunt tempus amplioris gratiæ, & veritatis revelatæ, ad quod referunt evangelium id * est Filii. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quod in sacro die Pentecostes impletum fuisse in apostolis, & deinceps continue in apostolicis viris implendum, omnes catholici hactenus exposuere doctores.

Ioan. 16.

Adnectunt etiam ad prædicta quoddam vivendi ternarium, trium prædictorum temporum distinctione variatum. Per primum namque, tempus posuerunt in quo vivebant homines secundum carnem. Secundum, quod illi adjunxerunt inter utrumque, hoc est inter carnem & spiritum, usque in præsens tempus. Et ex hoc sequetur aliud, in quo vivent secundum spiritum, & ab eo videlicet usque ad finem mundi.

His igitur & hujusmodi sibi invicem coaptatis & connexis ternariis: quid ab hac perfida & perniciosa contexitur concordia, nisi quod exsuffletur deinceps redemptio per Christum facta, & finem habeant ecclesiæ sacramenta? Quod Ioachitici ore polluto, ut expressimus, quodammodo dicere non formidant: dum evacuandas his temporibus & abjiciendas asserunt omnes figuras & signa: vivida tantummodo maneat unitas, & absque sacramentorum velamine penitus revelata. Quæ omnia debet detestari, abominari, & abjicere, quilibet Christianus, qui a sanctis accepit, & firma fide tenet, invisibilis gratiæ visibiles esse imagines & figuras ecclesiastica sacramenta: sub quorum visibilibus speciebus quibusdam, ipse Dei Filius, dominus salvator noster, se in ecclesia sua usque ad finem mundi manere promisit.

Et licet nuper, præsentibus nobis & procurantibus, a sancta Dei sede apostolica damnata fuerit nova quædam, quæ ex his pullulaverat, doctrina venenata, evangelii Spiritus sancti pervulgata nomine, ac si Christi evangelium non æternum, nec a Spiritu sancto nominari debuisset: tamquam pestis hujusmodi fundamenta non discussa fuerint, nec damnata, libri videlicet Concordantiarum, & alii libri Ioachitici, qui a majoribus nostris usque ad hæc tempora remanserunt intacti, utpote latitantes apud quosdam religiosos in angulis & antris, doctoribus indiscussi, a quibus si ruminati fuissent, nullatenus inter sacros alios & sanctorum codices mixti remansissent: cum alia modica Ioachitica opuscula, quæ ad eorum pervenere notitiam, tam solemniter sint damnata.

CANONES.

I. *Condemnatur Ioachitica doctrina.*

Nos ergo, qui prædicta cum aliis quibusdam majoribus nostris diligenter inspeximus, contulimus & notavimus, timentes non immerito, ne posteris maneant in laqueum & ruinam, præsertim cum in partibus provinciarum, quibus licet immeriti, in parte præsidemus, jam plurimos etiam litteratos hujusmodi phantasiis intellexerimus eatenus occupatos & illectos, ut plurima super iis commentaria facta descripserint, & de manu ad manum dando circumferentes, ad externas transfuderint nationes. Ne ergo error peccans ulterius serpat ut cancer, & paulatim occupet curiosos, nos quantum debemus & possumus in hac per... cientes nostri provincialis sacri autoritate concilii, prædicta, prout ad manus nostras devenerunt, reprobantes: ne subditi nostri de cætero talibus utantur, aut ea ultra recipiant, sub anathematis interminatione prohibemus.

II. *Vt doceatur populus, qualiter sint baptizandi parvuli in necessitate.*

Circa sacramentorum dispensationem, quoniam per quorumdam dispensatorum negligentiam multiplices subcreverunt abusus: statuimus, ut presbyteri parochiales in præcipuis festivitatibus in plena ecclesia & publica populi allocutione & sermone, doceant parochianos suos, qualiter & quibus verbis debeant uti, dum parvulos in casu necessitatis taliter baptizant.

III. *Vt Confirmationis sacramentum jejunis tribuatur a ieiunis.*

Confirmationis autem sacramentum, quod propter sui venerationem & sanctorum apostolorum traditionem, a solis pontificibus datur, nonnisi jejunis & a jejunis, nisi propter necessitatem, tribuatur: nisi propter nimiam populi multitudinem & frequentiam, ut quando prælati visitant, non potuerint commode jejuni officium Confirmationis implere: exceptis parvulis, qui sugentes ubera, tempus & horam lactandi non servant.

IV.

A

IV. *Vt matrimonia non fiant, absque autoritate ecclesiæ.*

Cæterum quia jam in partibus Provinciæ, quasi passim, absque autoritate ecclesiæ, suorum suarumque præsumunt firmare conjugia: statuimus, ut quicunque laïci hujus præsumptionis & temeritatis actores, seu participes, fuerint deprehensi, una cum his qui sic juncti fuerint, tamdiu per suos parochiales in ecclesiis suis publice & solemniter excommunicati denuncientur, quousque super hoc pœnitentiam agentes, meruerint a suis pontificibus absolutionis beneficium obtinere.

B

V. *Vt in ecclesiis semper resideant saltem vicarij perpetui.*

Item quia major pars ecclesiarum parochialium hujus provinciæ, ad monachorum vel conventuum regularium pertinet prioratus, de quorum collegiis aliqui consueverant in ipsis ecclesiis continue residere, in spiritualibus & temporalibus præsidentes, & de ipsis, prælatis suis rationem congruam opportune reddentes; nunc autem residentia sua ad hæc sola coartatur tempora, quibus spiritualibus * spolia colliguntur, alicubi nullo prorsus sacerdote relicto, alicubi vero solo mercenario: ita quod plurimæ ecclesiæ, aut rectores & ministros non habent, aut per *.... regantur mercenarios: statuimus, ut in talibus ecclesiis deinceps, aut de ipsis collegiis ad quorum patronatum pertinent, aliquæ bonæ sufficientes & honestæ personæ resideant, quæ curam animarum loci recipiant a prælatis; aut si tales sunt patroni, qui curam habere non debeant, aut non velint, tantum accipiatur & sequestretur de bonis & dotibus ecclesiæ, quantum vicario perpetuo sufficienti & honesto & in sacris promoto, ibidem residenti & per patronum præsentato, & per prælatum instituto, ad victum honestum sufficiat & vestitum, & alia quæ ad officium vicarii pertinere noscuntur: & hujusmodi vicarius curam animarum loci recipiat a prælato. Quod si vacante tali ecclesia per mortem aut * successionem vicarii, non fuerit intra tempus statutum a jure alter vicarius sufficiens, prælato loci per patronum præsentatus: ex tunc per ipsum prælatum vicarius competens constituatur ibidem, nec ultra mercenariis, nisi forte bonis & expertis, & hoc ad tempus, & ex causa, Dominicarum ovium regimina committantur: quia mercenariis gregem committi Dominicum, evangelica veritas summi pastoris ore promulgata graviter detestatur.

* f. temporalia spolia.

* f. presbyteros

* cessione.

VI. *Vt celebretur octaua S. Trinitatis, & festum S. Trophimi.*

Item statuimus etiam, ut in octava Pentecostes celebretur solemniter officium sanctæ Trinitatis, & a vesperis Sabbati Dominica agatur solemnitas, & per totam sequentem hebdomadam tres lectiones & tria responsoria singulis diebus, nisi festum IX. lectionum extiterit, de sanctæ Trinitatis historia per ordinem decantentur, usque ad vesperas sequentis Sabbati, & tunc incipiatur historia. Festum autem B. Trophimi per totam provinciam solemniter celebretur sicut de apostolis.

C

VII. *Ne fiat in ecclesiis cerei lignei, sed luminaria prouideantur.*

Cæterum, quia non covenit aliquid eorum, quæ ad decorem & ad honestatem cultus Dei fieri consueverunt in ecclesiis Dei, fictitie & simulatorie agi, maxime in ecclesiis majoribus cathedralibus & conventualibus, & ubi ad hæc in veritate agenda ecclesiarum suppetunt facultates: prohibemus districte, cereos ligneos in colorem ceræ tinctos in prædictis ecclesiis fieri aut haberi, seu in processionibus aliquatenus deportari; seu * juxta status & facultates ecclesiarum, & secundum festorum & solemnitatum excellentiam, luminaria congrua per sacristam, vel per eum ad quem de consuetudine pertinet, subministrentur.

* Corr. sed.

D

VIII. *Ne Iudæi ferant habitum sacerdotalem: immo signo aliquo distinguantur a fidelibus.*

Item quia ridiculosum est & turpe, quod habitus sacerdotales, ut sunt capæ rotundæ clausæ, quibus ambulando per vias & plateas ministri ecclesiastici a cunctis popularibus discernuntur, perfidis Iudæis & infidelibus cum eisdem Christi sacerdotibus sint communes: districtius inhibemus, ne de cætero ab infidelibus habitus hujusmodi deportentur; sed rotis, aut signis aliis in exteriori eorum habitu patentibus utantur, quibus infideles a fidelibus distinguantur.

E

Si quis autem laïcus, aut sæcularis potestas, Iudæum aliquem, aut infidelem alium, habitum hujusmodi sacerdotalem deferre compulerit, excommunicetur, & a sanctæ matris ecclesiæ liminibus arceatur: maxime cum a sanctis patribus prædecessoribus nostris, & sanctæ sedis Apostolicæ legatis, fuerit hoc idem alias solemniter promulgatum.

IX.

ANNO CHRISTI 1260.

IX. *Vt clerici beneficiati, causas non agant in curia laïcali.*

Adhæc cum per ecclesiasticos ecclesiastica,& per sæculares sæcularia tractari conveniat, ne forte clericus ad aratrum mittens manum, & aspiciens retro, Dei regno efficiatur ineptus: nec enim beatus apostolus Matthæus qui & Levi telonearius dictus est, postquam a Domino vocatus fuit, rursus ad lucra telonei resedit: inhibemus districte, ne clericus in ecclesia beneficiatus, advocationis officium suscipere in curia laïcali præsumat, nisi forte pro ecclesia, B vel pro pauperibus & viduis & orphanis, patrocinari voluerit intuitu pietatis. Si quis autem contra hoc attentare præsumpserit, ipso facto ab ingressu ecclesiæ noverit se suspensum: & si per prælatum suum requisitus & monitus, ab hujusmodi officiis desistere noluerit, beneficio ecclesiastico privetur per eundem; & per ipsum, beneficium alteri conferatur. Quod si resipuerit, ab ipsa suspensionis sententia per episcopum suum absolvatur.

X. *Vt monachi & canonici regul. pro doctrina sacra salarium non accipiant.* C

Illud etiam penitus interdicimus, ne monachi, aut canonici regulares, pro doctrina sua ab auditoribus suis, seu a rectoribus civitatum & burgorum quibus docent, salarium accipiant. Quod si fecerint, ipso facto noverint se suspensos.

XI. *De vita & honestate canonicorum regularium.*

Item cum canonici regulares a cæteris canonicis sæcularibus in victu & vestitu discerni debeant, secundum statuta S. patris D Augustini: præcipimus, ut omnes & singuli canonici regulares, sani & incolumes, in adventu Domini mensam & cibum in refectorio teneant regularem .... refectorium diebus prædictis & temporibus, nisi evidenti causa, manducare præsumant. Item habitu clauso & uniformi, regularibus congruo, cum sella alba vel fustina sine phaleris equitent. Qui autem contra hoc fecerit, octo diebus a mensa fratrum noverit se suspensum: & per illos octo dies in terra sedendo comedat quod sibi ministri duxerint apponendum.

Deest nec extra.

XII. *Vt hospitalariorum & templariorum familiares, qui non sunt de domestica eorum familia, per prælatos corrigantur.*

Item cum hospitalarii & templarii, præter signa religionis suæ solita & antiqua, quibus fratres religionem eorum profiten-A tes, habitus suos consignant, quædam signacula adinvenerint quibus familiares suos clericos in ecclesiastico & sæculari habitu persistentes consignare cœperunt, ut sic eos etiam contra prælatos defendant, immunitatibus suis & exemptionibus ipsos gaudere satagentes, ac si de domestica eorum essent familia: volumus, ordinamus, & statuimus, ut tales per prælatos suos, non obstantibus signis hujusmodi, ab omnibus insolentiis suis & delictis jure ordinario compescantur, corrigantur, & puniantur; prout in decretali de privilegiis continetur. *C. Tuarū.*

XIII. *De regimine hospitalium.*

Item quia in civitatibus & oppidis provinciæ nostræ, hospitalia pauperum multa sunt, quorum regimina ut frequentius laïci & clerici sæculares, multiplici prece & precio, aliquando etiam per litteras papales & mandata principum & potentum, consueverant occupare, nec ibi pauperibus aliquid ministratur, sed omnia bona & eleemosynæ talium hospitalium per hujusmodi rectores in usus proprios asportantur & devorantur: ordinamus & statuimus, prout in jure cavetur, ut de cætero per prælatos locorum, & alios ad quos id pertinere noscitur, proprie, congrue & ad id competenter perquirantur, qui habitu & signo aliquo religionis assumpto, ibidem Domino famulantes, vitam agant communem, & annis singulis, ipsis institutoribus suis, vel deputatis ab eis, rationem de omnibus reddant, nihil sibi aut suis, præter victum & vestitum, de omnibus eleemosynis hujusmodi hospitalium retinentes.

XIV. *Vt prælatus mutuum contrahens, instrumenta proprio sigillo consignet.*

Item cum magnopere cavendum sit prælatis, ne bona ecclesiarum suarum obligent, absque evidenti necessitate & urgenti: quoties ejusmodi exegerit necessitas, adhibita omni diligentia fiat, hoc* & cautela, ut & munimenta competentia conscribantur, & propriis prælatorum sigillis consignentur, eademque intra ...: repetantur & cassentur. Sæpius etiam accidit ut supra g..... obligatione & mutuo ali-E cui prælato ecclesiastico, post ejus mortem, & an*... successiones plurimas, unius incogniti apud modernos notarii, & cujus memoria temporis diuturnitate præteriit, proferatur instrumentum, cui, etiamsi præsentialiter viveret, modica non immerito fides in talibus esset adhibenda, cujusmodi occasione vexatæ fuerunt ecclesiæ multotiens & gravatæ. Vt ergo hujusmodi malitiis obvietur, & ecclesiarum periculis occurratur in hac parte, duximus statuendum,

f. hac caut.

f. annorū.

ANNO CHRISTI 1260.

dum, ut prælatus qui pro suis & ecclesiæ necessitatibus mutuum contraxerit, chartas & instrumenta inde confecta proprii saltem sigilli charactere & impressione consignet: necdum notarii signum absque sigillo prælati sufficiat in hoc casu, sed ad fidem in hujusmodi obligationibus faciendam, etiam instrumenta cum sigillis episcoporum roborentur. Et ne per statuti hujus ignorantiam se quispiam valeat excusare, hoc per omnes civitates provinciæ hujus, villas, & oppida, in ecclesiis, per mensem unum continue, diebus Dominicis & festivis, solemniter & patenter præcipimus & volumus publicari.

XV. *Vt parochianorum ad ecclesias suas non impediatur conuentus.*

Item quia laïci statum suum & ecclesiæ mandata scire non valent, nisi Dominicis diebus, quibus in ecclesia hæc consueverunt recitari, ad parochias suas pro Divinis audiendis conveniant: districtius inhibemus, ne religiosi, in ecclesiis suis aut capellis eos diebus Dominicis & solemnitatibus præcipuis recipiant ad Divina: nec horis illis, in suis locis populo publice prædicent, quibus in parochiis Missarum solemnia celebrantur. Sed illi religiosi qui sciunt, & quibus conceditur in populo prædicare, verbum Dei per diversas parochias civitatum prædicent, & castrorum, vel in locis suis, horis talibus, quibus parochianorum ad ecclesias suas non impediatur conventus. Si qui autem religiosi contra hoc attentare præsumpserint, ipsis tamdiu prohibeatur prædicationis & confessionis officium: quousque congrue castigati, ab hujusmodi præsumptionibus resipiscant.

XVI. *De pœnitentiariis qui per villas & oppida mittuntur tempore Quadragesimæ.*

Item, quia propter imbecillium & impotentium & pauperum occupationes & penuriam, aliquando per villas & oppida consueverunt pœnitentiarios suos in Quadragesima destinare, ut eos a casibus qui majoribus reservantur, absolvant: frequenter accidit, ut magna pars Christianorum, occasione hujusmodi pœnitentiariorum, propriis sacerdotibus super confessionibus illudant, asserentes se dictis pœnitentiariis fuisse confessos, cum tamẽ per hujusmodi confessores vix aut nunquam possit pars populi modica suorum peccatorum confessionibus generaliter expediri. Vt ergo de cætero populares, occasiones hujusmodi frivolas non prætendant: inhibemus, ne confessores hujusmodi qui mittuntur solummodo ad prædicta, per villas & parochias diœcesis discurrentes, generalibus parochianorum

A confessionibus audiendis se occupent, nisi de mandato prælati, & licentia curati, generalibus confessionibus audiendis se duxerint occupandos: sed eos ad proprios remittant sacerdotes, & casibus pro quibus mittuntur pœnitentes absolvant: ne ipsi parochiani mandatum de confitendo saltem semel in anno propriis sacerdotibus simulatorie & dolose se gaudeant evasisse: nec prælati super casibus sibi reservatis, ad parochianos suos pœnitentiarios destinent, B nisi ad eos, qui commode prælatos suos adire non possunt.

XVII. *Ne pro beneficiis ecclesiasticis ad arma concurratur.*

Ad hæc, cum jam perniciose inolitum sit in partibus Provinciæ, non solum apud sæculares clericos, sed & apud regulares monachos, ut cum super beneficiis ecclesiasticis quæstiones inter aliquos oriuntur, relictis & contemptis ecclesiasticis judicibus, ad quos solos cognitio & definitio talium C pertinere noscuntur, statim ad arma concurrant, parentum & amicorum suorum sæcularium laïcorum impetu & violentia ecclesias occupantes, armis quoque & armatis munientes easdem, se deinde mutuo prout prævalent, plerumque cum effusione sanguinis, nonnunquam vero cum homicidiis, expellentes; propter quod in partibus illis innumerabilia surrexerunt, & adhuc quotidie surgunt scandala, plurima quoque corporum & animarum scandala sequuntur & ruinæ. Nos igitur tot & tantis D insolentiis occurrere cupientes, statuimus, ut quicunque clericus sæcularis, aut religiosus, talia de cætero præsumpserit attentare, absque diœcesani sui aut judicis, seu ex communis * sui ecclesiastici autoritate & licentia, armorum & armatorum impetu. . . . . . . *Cætera desunt.*

* *f.* juris.

G. COSS. OBSERVATIO.

Arelatense hoc concilium voco, quod Arelatensis provinciæ sit. Quo enim celebratum sit loco, plane ignoramus, neqae ullum superest in actis vestigium, ex quo id E conjicere possimus. Temporis autem, quanquam adscriptus dies annusque non sit, notitiam suppeditat præfatio, in qua de hæreticis primo canone condemnatis hæc verba sunt: *Secundam* (temporis partem) *attribuunt filio, & duravit annis M CC.LX* Hinc etiam intelligimus, servatum non esse ordinem temporum in Chisiano codice, ex quo hæc Arelatensis provinciæ descripta concilia sunt. Nam in eo, proxime post Bertrandi Maleferrati concilium anni M.CC.LXX. sequitur hoc Florentini, uti admonui ad calcem concili Insulani ann. M.CC.LXXXVIII.

** CONCILIVM SEDENENSE

ANNO CHRISTI 1267.

A præsulibus Arelatensis provinciæ celebratum anno Dom. M. CC. LXVII.

PEtrus Gassendus in notitia ecclesiæ Diniensis, cap. 24. ubi de Bonifacio Diniensi episcopo loquitur: Observari, *inquit*, potest, hujus tempore

Hhhhhh hoc

ANNO CHRISTI 1267. hoc est anno M. CC. LXVII VII. Kal. Novemb. A celebratum fuisse Sedenæ provinciale concilium, cujus decreta varia in statutorum nostrorum codicem translata habentur, sub Ebredunensi archiepiscopo Henrico, cujus nomen titulo Ostiensis cardinalis celebre est.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1257.

*** CONCILIUM ARELATENSE

A Bertrando de sancto Martino, Arelatensi archiepiscopo, cum suffraganeis celebratum circa annum Dom. M. CC. LXXV.

Ex M S. cod. eminentiss. Card. Chisii.

TITULI CAPITULORUM.

CAPITULA.

I. II. III. IV. *desiderantur. Quinti supersunt ultimæ voces.*

.... latenter excepta super civitatem Arelatensem & aliis locis in quibus episcopus præsens erit.

V. *Ut censuræ latæ ab uno, ab aliis observentur.*

Item quod sententias excommunicationis vel interdicti latas ab uno, alii denunciari & observari faciant, cum a proferente super hujusmodi fuerint requisiti. Addentes, quod prædictæ sententiæ excommunicationis & interdicti, non nisi ex justis causis, & cum maturitate & solemnitate debita, proferantur.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1275.

VI. *Ut fiat inventarium de bonis ecclesiarum & hospitalium.*

Item statuimus, quod priores & rectores ecclesiarum, & hospitalium pauperum, & omnes alii beneficia ecclesiastica obtinentes, faciant inventarium de omnibus bonis immobilibus & mobilibus, in principio sui regiminis infra mensem: & idem faciant institui post primam synodum infra mensem.

VII. *Ne calices & alia vendantur aut pignorentur.*

Item statuimus, quod calices, libri, & alia ornamenta ecclesiæ, non vendantur, nec pignori supponantur, sine diœcesani licentia speciali: & frequenter hoc statutum in ecclesia publicetur, quod tam vendens, quam emens, tam supponens pignori, quam recipiens, ipso facto excommunicationis sententiæ subjacebunt.

VIII. *Ut testamenta fiant coram parochiali presbytero.*

C Item statuendo volumus & præcipimus, ut testamentum & ultima voluntas, in præsentia semper catholicorum virorum, & parochialis sacerdotis, vel alterius personæ ecclesiasticæ de voluntate ipsius parochialis presbyteri, vel locum ejus tenentis, condatur seu ordinetur: præsertim ut idem sacerdos vel locum ejus tenens, valeant de ipso testatore laudabile testimonium perhibere, & ne de ipso aliqua infidelitatis suspicio habeatur, & maxime ut ea quæ in pias causas relinquet, fidelius & citius persolvantur. Quod si testator vocare, ut diximus, D sacerdotem parochialem contempserit: careat ecclesiastica sepultura, donec de hujus mandati contemptu, quod eo ipso præsumitur nisi eum vocaverit cum effectu, ecclesiæ satisfactum fuerit competenter. Notarius vero, qui absque solemnitate superius expressa notare vel scribere præsumpserit testamenta & ultimas voluntates, quousque ad cognitionem diœcesani satisfecerit, ingressum ecclesiæ sibi noverit interdictum.

E IX. *Ut parochiales presbyteri diligentissimi sint circa legata pia.*

Verum quia parochiales presbyteri, circa solutionem eorum quæ ad pias causas a decedentibus relinquuntur, negligentes existunt, præcipue ex quo in his, quæ ipsis proveniunt, eisdem fuerit satisfactum: statuimus, ut omnia legata ad pias causas ab ipsis testatoribus derelicta, omnes parochiales sacerdotes in scriptis penes se retinere

ANNO CHRISTI CIRCITER 1275.

* Aliquid hic deest cujus ultima syllaba so, certo enim legendum, solicitos esse præcip. & int.

nere procurent, ut sciant quid, a quo & quibus * licitos esse præcipimus & intentos: statuentes, ut post obitum testatoris, infra quindecim dies, heres ab ipso parochiali presbytero requisitus, ipsius testamenti seu voluntatis ultimæ eidem sacerdoti dare transcriptum seu translatum, quo ad pias causas, & piis usibus deputata, expensis legatariorum teneatur, ad quod ab eodem presbytero per censuras ecclesiasticas compelli valeat ipse heres. Insuper statuentes, ut legantur publice tunc, proxima die Dominica vel festiva, legata supradicta; ut quid cui legatum fuerit vel relictum, minime ignoretur: adjicientes, ut sacerdos qui hoc legerit, pro persona quæ legatum seu relictum hujusmodi fecerit, Dominum deprecetur, & ad rogandum pro ipsa persona subditos suos sive parochianos moneat, & inducat ut saltem orationem Dominicam dicant.

X. *Ut nemo solicitetur ad eligendam sepulturam extra ecclesiam parochialem: & ne testatoris voluntas impediatur.*

Item excommunicentur omnes illi qui solicitant, monent, inducunt aliquo modo, aliquam vel aliquem, per se vel per alium, ut dimissa sua ecclesia parochiali vel matrice, ad aliam se transferant, sepulturam ibi ecclesiasticam eligendo. Adjicientes, ne quis clericus seu alia persona, testatoris voluntatem seu ordinationem impediat, vel ad impediendum, per se vel per alium præstet consilium, auxilium, vel favorem, in præjudicium alicujus ecclesiæ vel ecclesiasticæ personæ. Et si quis contra fecerit, ipso facto excommunicationis sententia sit ligatus, donec a suo diœcesano absolutionis beneficium meruerit obtinere.

XI. *Ut in prædictis iura obseruentur.*

Item volumus & mandamus, quod in dictis exigendis jura canonica observentur.

XII. *De casibus episcopo, vel papæ reseruatis.*

Item statuimus, quod si quis confitebitur se credere pravitatem hæreticam: item si quocumque modo commiserit simoniam: item clerici excommunicati majori excommunicatione, vel interdicti aut suspensi, si ante absolutionem divina officia celebrarent, scilicet missam cantando, evangelium, epistolas, vel alias horas canonicas dicendo, & faciendo principaliter officium suum in ecclesia: item clerici per saltum promoti, aliquo ordine prætermisso: item clerici, qui ab aliquo episcopo se fecerunt ordinari, episcopi sui licentia non obtenta: item incendiarii: item illi qui tractaverunt in malos usus Eucharistiam sive chrisma: item illi qui suos filios occiderunt: item illi qui facto, verbo, consensu, vel aliquo modo, homicidium perpetrarunt: item sacrilegi & violatores ecclesiarum: item illi qui luxuriam expleverunt cum matre, vel sorore, vel cum alia consanguinea sua, vel uxore fratris, vel cum sanctimoniali consecrata, vel qui violenter virginem defloraverunt: item illi qui in ecclesiis luxuriam commiserunt: item illi qui cum Iudæa vel Sarracena vel bruto animali coire ausu temerario, vel alias contra naturam, præsumpserunt: item mulier, quæ de adulterio recepit infantem, quem maritus ejus credit esse suum, propter quem legitimi liberi fraudantur hereditate paterna: item qui mulieribus aliquid fecerunt, propter quod fecerunt abortivum, vel non concipiunt; mulier contra si hoc fecerit, vel sibi procuraverit fieri: transmittantur absolvendi per ipsos episcopos, si id eis de jure competit, alioquin, cum eorum litteris, ad sedem apostolicam transmittantur.

XIII. *De casibus episcopo reseruatis.*

Item, illi qui contra aliquos falsum tulerũt testimonium in aliquibus causis: item qui contractis sponsalibus cum aliquibus præstito juramento, & non dissolutis, postmodum contrahunt cum aliis sponsalia vel matrimonium, contra juramentum prius præstitum temere veniendo. Item illi qui excommunicati, vel nominatim interdicti a quocumque judice, ingerunt se Divinis in ecclesia ante absolutionem, invito proprio sacerdote, nec ad monitionem sacerdotis volunt exire de ecclesia, Divinum officium perturbantes. Item clerici qui scienter celebraverunt in ecclesia interdicta. Item illi qui in cœmeterio ecclesiastico, interdicto supposito, præsumunt scienter excommunicatorum corpora sepelire. Item, si aliqui abstulerunt, subtraxerunt, aut forefecerunt, vel qualitercumque illicite acquisierunt, rapuerunt, seu decimam retinuerunt: nisi sciatur, quibus personis certis vel locis prædicta de jure fuerint emendanda. Item de his qui in testamento seu ultimis voluntatibus, pro forefactis incertis relinquuntur, emendandis, vel etiam dividendis. Statuimus omnes casus supradictos ad episcoporum audientiam, ab omnibus confessiones audientibus, specialiter reservandos: inhibentes, quod illi qui confessiones audiunt, se intromittere non debeant de absolutionibus peccatorum, nisi personæ quæ in aliquos prædictorum casuum inciderint, fuerint adeo senes vel valetudinariæ, quod ad episcopos, vel eorum pœnitentiarios, venire non possint; vel nisi fuerint in mortis articulo constitutæ. Et tunc eis nihilo minus in-

ANNO CHRISTI CIRCITER 1275.

jungatur, quod si recuperaverint sanitatem, pro prædictis se debeant episcoporum aspectibus præsentare.

XIV. *Ut clerici beneficiati, vel in sacris constituti, bladum vel vinum non emant causa revendendi.*

Item statuimus, quod nullus clericus beneficiatus, nullus in sacris ordinibus constitutus, per se vel per alium emat bladum vel vinum causa revendendi, vel negotiandi, vel huic statuto fraudem aliquam adhibeat. Quod si contra fecerit, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto: de qua sententia, nisi per diœcesanum possit oblationis beneficium obtinere: & tunc puniatur in amissione bladi vel vini, seu precii convertendi in fabricam ecclesiæ parochialis: salva etiam pœna alia majori, si diœcesano videbitur imponenda juxta ipsius contrafacti qualitatem.

XV. *Ut iidem in vendendis victualibus usura vel dolo non utantur.*

Item, ordinamus & statuimus, ut nullus clericus beneficiatus, nullus in sacris ordinibus constitutus, vendat bladum, vel vinum, seu alia victualia, sub ea forma quod contractus usurarii verisimiliter præsumantur, nec fraudem aliquam per se vel per aliũ circa præmissa adhibeat. Quod si fecerit, in pœnam amittat rem venditam, seu precium, convertendum in fabricam seu ornamentum ecclesiæ parochialis, juxta majorem necessitatem & utilitatem ecclesiæ antedictæ.

XVI. *Ut sint in ecclesiis calices argentei.*

Item statuimus, quod in omnibus ecclesiis, quarum redditus & proventus annuatim attingunt summam xv. lib. Turon. expensis duntaxat quæ fiunt in colligendo & reponendo deductis, fiant calices argentei ab ipsarum rectoribus infra annum.

XVII. *Ut ecclesiæ rurales, & domus quæ ad eas pertinent, reficiantur.*

Item statuimus etiam, ut episcopi Arelatensis provinciæ, rectores ecclesiarum, vel alii qui ad hoc de consuetudine tenentur, compellantur ad reficiendas ecclesias rurales, & alias domos quaslibet, & alias officinas eisdem ecclesiis necessarias, & servitoribus earundem, prout ipsis qui hoc tenentur facere propriæ suppetunt facultates.

XVIII. *Ut usurarii & adulteri denuncientur excommunicati.*

Item statuimus, quod usurarii publici, & adulteri, publice denuncientur excommunicati diebus Dominicis & festivis.

XIX. *Ut nomina eorum, qui non fuerint confessi proprio sacerdoti, vel religiosis qui hoc proprio sacerdoti testentur, deferantur ad episcopum.*

Item statuimus, quod omnes sacerdotes curam animarum habentes, de bonis ipsarum ecclesiarum emant chartularia, in quibus quolibet anno, saltem in Quadragesima, conscribant nomina parochianorum, qui ad pœnitentiam venerunt, & dicta chartularia teneant & custodiant diligenter, ipsa, quando ab ecclesia recesserint, penes ecclesiam dimittentes. Nomina autem illorum, qui in Quadragesima non fuerint ad confessionem faciendam proprio sacerdoti, vel alii de licentia ipsius, in synodo post Pascha, per proprios sacerdotes in scriptis ad diœcesanum episcopum deferantur. Et si cõtigerit, quod religiosi, aut alii confessiones audiant, præsertim in Quadragesima, de parochia alicujus: nomina sibi confitentium, infra octavam Paschæ, in scriptis tradant proprio sacerdoti, ut sic parochialis sacerdos certitudinem habeat de confessionibus subditorum, ad fraudulentas quorundam parochianorum versutias evitandas, & animarum pericula evitanda.

XX. *De mortuo, de cujus confessione infra annum facta non constat.*

Adjicimus etiam huic statuto, quod si parochianum alicujus mori contingat, de cujus confessione facta infra annum non constat proprio sacerdoti, non tradatur ecclesiasticæ sepulturæ absque diœcesani episcopi licentia speciali.

XXI. *De infirmantium confessionibus.*

Et quoniam parochialibus presbyteris curam animarum habentibus specialiter & præcipue cura commissa est animarum: statuimus inhibentes, quod infirmantium confessiones, non nisi per ipsos parochiales presbyteros, si haberi potuerint, vel per alios presbyteros sæculares vel religiosos, de ipsorum licentia, audiantur: quam licentiam dari volumus & præcipimus ab eisdem liberaliter & libenter, cum fuerint requisiti.

XXII. *Ut presbyteri ecclesias suas non dimittant.*

Statuimus etiam, ut prædicti parochiales presbyteri, ecclesias quarum curam habent, usque ad synodum post festum B. Lucæ, non dimittant, nec ad alias se transferant, nec curam deferant animarum, donec de cura sibi commissa coram prælato suo reddiderint rationem.

Actum Arelat. in ecclesia B. Trophimi, ibi generali concilio congregato.

G. COSS. OBSERVATIO.

Concilium Insulanum anno MCCLXXXVIII. ab ejusdem provinciæ præsulibus celebratum, c.8. refert hujus concilii canonem, quem nonum vocat, eumque totum describit. Absque hoc esset, quis eorum fuerit numerus, & a quo archiepiscopo celebratum concilium, ignoraremus: ignoramus certe, quo anno.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1279.

** CONCILIVM AVSCENSE

In quo actum, inter cætera, de juribus episcopi & ecclesiæ Vasatensis defendendis ab invasione senescalli Vasconiæ, anno Christi MCCLXXIX.

HVius memoriam concilii sola nobis tuetur epistola synodalis ad Eduardum Angliæ regem, qui & Aquitaniæ dux idem erat. Cuius epistolæ hoc est exemplum.

Epistola synodalis ad regem Angliæ, eundemque Aquitaniæ ducem.

Serenissimo principi domino Eduvardo, Dei gratia regi Angliæ, domino Hiberniæ & duci Aquitaniæ, Amanenus divina permissione archiepiscopus Auxitanus, G. Lectorensis, C. Elorensis, H. Vasatensis, A. Aquensis, P. Adurensis, & D. Coseranus, eadem episcopi eius suffraganei, salutem, & paratam ad ejus beneplacita voluntatem.

VEnerabilis frater noster episcopus Vasatensis, & discreti viri capitulum ejusdem ecclesiæ, nobis exponere curarunt in provinciali concilio apud Auxim, quod licet ipsi opem dederint & operam efficacem, ut exortæ discordiæ ab antiquo inter vestros & suos prædecessores, per viam pacis & compositionis amicabilis sopirentur, prout in compositione tractata & ordinata in quorumdam nostrum præsentia, inter episcopos & Senescallum vestrum Vasconensem, quam vos non credimus ignorare, plenius dicitur contineri. Cum autem episcopus & capitulum supradicti, ex compositione præfata pacem vestram perpetuo sperarent & gratiam obtinere, & grata sibi & ecclesiæ suæ commoda provenire: in contrarium eveniens, tam ipsi quam eorum subditi gravius solito molestantur: & quando fortius scribitis litteras Senescallo de non molestando eosdem, tunc durius proceditur contra eos. Nam idem Senescallus & ejus ministri, jura ecclesiæ & subditorum ejus occupant, episcopum & capitulum ad curias sæculares convocant, bona Vasatensis ecclesiæ indebite rapiunt & invadunt. Cumque a prædecessoribus nostris in provincialibus conciliis diversa emanaverint statuta, contra rerum ecclesiasticarum raptores & invasores: qui statim factis invasionibus & rapinis talibus, excommunicationis & interdicti sententiis percelluntur, & quamdiu bona rapta vel invasa alicubi detinentur, cessatur in loco ubi sunt a Divinis: ob reverentiam tamen vestræ majestatis regiæ, quam caram semper habemus, Senescallo & ministris vestris deferimus, nec latas sententias exequimur, aut exequi facimus contra ipsos, ut in statutis prætactis provincialibus continetur. Cum igitur ex injuncto nobis officio teneamur alter alterius onera supportare, & gravatis ecclesiis de opportuno remedio providere: celsitudinem vestram regiam ex parte nostra & totius provincialis nostri concilii, ex corde requirimus & rogamus, quatenus pro Dei amore & nostra reverentia, ecclesiam, episcopum, & capitulum Vasatenses recommendatos habentes, eos in rebus & bonis suis non sinatis amplius molestari. Super quibus latorem præsentium ad vos mittimus, cui super iis fidem adhibere velitis: per quem nobis voluntatem vestram mandabitis, quam parati sumus & erimus adimplere. Augeat vobis Dominus gratiam in præsenti, & gloriam tribuat in futuro. Dat. apud Auxim, Non. Februarii, anno Domini MCCLXXIX.

ANNO CHRISTI 1279.

G. C. Diuturna fuit hæc controversia inter regios ministros, & episcopum atque ecclesiam Vasatensem: sed composita anno MCCLXXXIII. a P. Adurensi episcopo, & Pontio de Insula decano Santonensi, quos arbitros ex compromisso utrinque sumpserant. Cujus compositionis instrumentum ipsum longiusculum, cum multis Aquitanicarum rerum monumentis in eodem MS. codice continetur, ex quo synodalem epistolam descripsimus. Quod, ut alia multa, beneficium agnosco v. cl. Vioni Herovallii.

** SYNODICVM NICOSIENSE.

Codicem nacti sumus optimum, Nicosiensium constitutionum: quo quia concilia nonnulla continentur, multorum annorum, & jam editis moxque edendis, partim priora, partim posteriora, hoc eum loco edendum censuimus.

INCIPIVNT CONSTITVTIONES ECCLESIÆ Nicosiensis.

I. *Vt synodus bis in anno celebretur.*

QVoniam sacris est canonibus institutum, ut bis in anno episcopi synodum, seu episcopale concilium, celebrent, in quo honestati morum & correctioni excessuum præcipue intendatur: quia sicut scriptum est, sive plectendo, sive ignoscendo, hoc solum bene agitur ut vita hominum corrigatur: præcipimus omnibus presbyteris, diaconibus & subdiaconibus Latinis, in Nicosiensi civitate vel diœcesi commorantibus, ut quolibet anno, sine alia citatione, in sexta feria post octavam Epiphaniæ, & in feria quarta post octavas Pentecostes, veniant ad synodum: quod concedente domino in Nicosiensi ecclesia celebrabitur diebus prædictis. Si quis autem venire contempserit, vel impeditus legitime, & se per litteras aut certum nuncium non excusaverit, acriter punietur.

II. *Vt honeste veniant ad synodum.*

Venientes vero, in incessu, habitu, & conversatione, honeste se habeant: suspecta hospitia & consortia evitantes, si canonicam voluerint effugere ultionem.

III. *De ordine servando in synodo.*

Die vero synodi, mane ad majorem ecclesiam conveniant, ita quod nullus desit pulsatione finita. Si quis vero tunc defuerit, punietur. Intrent autem omnes in honesto habitu, videlicet in hyeme in superpellicio vel capa clausa aut chorali; in æstate vero, in superpellicio tantum. Sedeant etiam in locis, suis ordinibus & personis decentibus, in quiete & silentio auscultantes ea, quæ ibidem dicentur aut statuentur, nullum strepitum in loco benedictionis facientes, quia hoc non possemus æquanimiter tolerare. Nec audeat aliquis exire synodum ante finem; nisi hoc fecerit corporis necessitate pulsatus.

IV. *De moribus & vita clericorum.*

Et quia clericorum moribus corrigendis & reformandis præcipue intendere nos oportet, ut pote qui debent

debent esse speculum seu vivendi regula laïcorum: A sacris canonibus concordantes præcipimus, ut continenter cuncti vivant, & maxime in sacris ordinibus constituti, ab omni libidine præcaventes, & præcipue ab illo nefando vitio pro quo ira Dei in filios diffidentiæ venit: quatenus in conspectu Dei omnipotẽtis puro corde ac mundo corpore valeant ministrare. Alioquin, prout in eadem constitutione sequitur punientur. Dignum est enim, ut quos Divinus timor a malo non revocat, temporalis saltem pœna cohibeat a peccato.

Later. IV. cap. 14.

V. *Ut clerici abstineant a crapula.*

A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter B abstineant, unde vinum sibi temperent & se vino, nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incendium. Si quis vero super his se culpabilem exhibuerit, ut in hac * constitutione legitur, punietur.

* Later. IV. cap. 15.

VI. *Ut non cohabitent cum mulieribus.*

Sed nec cum mulieribus aliquibus commorentur, aut eisdem cohabitent: quia non solum suspecta est ejusmodi cohabitatio, verũ & periculosa. Non enim, (ut ait beatus Hieronymus) tutum est vicino serpente dormire: nam etsi non mordeat, solicitat tamen. Si quis autem contra fecerit, aut incontinen- C ter vixerit, vel de hoc diffamatus fuerit, sive conversari vel confabulari repertus cum ea, de qua antea per superiorem monitus extiterat & correctus: pœnis scriptis in canonibus subjacebit, vel aliis in legatorum constitutionibus declaratis, prout secundum delicti quantitatem & qualitatem, locorum & temporum congruentiam, superiori visum fuerit expedire.

VII. *Ut non eant ad moniales sine licentia.*

Monasteria etiam sanctimonialium si quisquam D clericus sine manifesta & rationabili causa, & de nostra licentia speciali, adire præsumpserit: pœnæ canonis subjacebit, & alii superioris arbitrio infligendæ.

VIII. *De vita & honestate clericorum.*

Item clerici commercia vel officia sæcularia non exerceant, maxime inhonesta, mimis, joculatoribus, & histrionibus intendentes: & tabernas prorsus evitent, nisi causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Coronam & tonsuram habeant congruentem, & se in ecclesiasticis officiis & aliis bonis studiis E exerceant diligenter. Clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda, pannis rubeis vel viridibus, necnon manicis aut sotularibus consutitiis vel rostratis, frenis, sellis, pectoralibus & calcaribus deauratis, vel aliam superfluitatem gerentibus, non utantur. Capas manicatas ad Divinum officium intra ecclesiam non gerant: sicut nec alibi qui sunt in sacerdotio vel personatibus constituti, nisi justa causa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omnino non ferant, nec corrigias, auri vel argẽti ornatum habentes, sicut nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis.

Later IV. cap. 16.

IX. *De iis qui ministrare possunt Divinis.*

Sacerdotum præterea filii patribus in Divinis officiis non ministrent: nec cum eisdem curam animarum habentibus, vel nostræ ecclesiæ assisiis existentibus, commorentur. Insuper omnibus sacerdotibus prohibemus districte, ne laïcos vel mulieres ad ministerium altaris admittant: sed clericum habeant in tonsura & habitu condecenti.

X. *Ut servetur canon,* Omnis utriusque sexus.

Quia vero sententia a non suo judice lata non tenet, prohibemus districte, ne quis sacerdos non curatus, aut nostram non obtinens licentiam, in civitate Nicosiensi, aut diœcesi, confessiones audiat, solvat, aut liget, nisi necessitatis inevitabilis articulus hoc exposcat. Ex hoc enim decipi contingit fideles, præsumptiones crescere atque scandala, & clavium provenire contemptum. Itaque omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti: & injunctam sibi pœnitentiam pro viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ sacramentum: nisi forte de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ex ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti justa de causa voluerit sua confiteri peccata: licentiam prius postulet & obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit solvere vel ligare. Sacerdos autem sit discretus & cautus, ut more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati: quibus prudenter intelligat, quale ei debeat præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandũ ægrotum. Caveat autẽ omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo, prodat aliquatenus peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat. Quamobrem qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decrevimus: verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.

Later. IV. cap. 21.

XI. *De iis, quibus clerici confiteri debent.*

Volumus etiam, ut omnes clerici tam civitatis quam diœcesis Nicosiensis, exceptis personis, canonicis, & aliis clericis majoris ecclesiæ, confessori uni vel pluribus quos ad hoc deputabimus, sua confiteantur peccata: & ut cura diligens adhibeatur, circa illos qui saltem semel in anno sua neglexerint confiteri peccata, & ut circa eos servetur pœna constitutionis prædictæ.

XII. *Ut infirmi prius provideant animæ, quam corpori.*

Cum corporalis infirmitas sæpe proveniat ex peccato, dicente Domino, languido quem sanaverat: *Vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*: moneantur subditi, ut statim in principio infirmitatis, cum infirmus compos est mentis, advocetur medicus animarum, & facta confessione de peccatis integre, recipiatur salus mentis & corporis Eucharistiæ sacramentum. Vocatus autem sacerdos ad infirmum, sine mora vadat ad eum: quia si propter ejus moram aut defectum, aliquid sinistrum contingat

Later. IV. cap. 22.
Ioan. 5.

contingat, gravissime punietur. Moneantur etiam laici ut, tempestive, de die videlicet, & antequam multum gravetur infirmus, sacerdotem requirant, ne eorum culpa infirmus sine confessione aut viatici perceptione decedat: quia qui in hoc culpabilis fuerit, gravissime peccat, & acrius punietur.

XIII. *Ut pro corporali salute nihil suadeatur ægroto in periculum animæ.*

Later. IV. cap. 22. Cum autem anima sit multo preciosior corpore: sub interminatione anathematis prohibetur, ne quis pro corporali salute aliquid ægro suadeat, quod in periculum animæ convertatur. Vnde qui Christianus videri & esse voluerit, sortilegos fugiat & divinos, ne esse de schola diaboli comprobetur.

XIV. *Ut nemo utatur medico infideli.*

Prohibemus etiam districte, ne quis Christianus sanus aut infirmus medicum advocet infidelem, Iudæum videlicet aut Saracenum: sed nec ab eo, vel de ejus consilio medicinam aliquam recipiat, quia hoc pia consideratione in sacris canonibus prohibetur. Nam ex hoc contingit nostram fidem haberi despectui: cum ipsi Iudæi vel Saraceni, hujusmodi Christianorum uti ministerio dedignentur, & reputent propter hoc offendere suam legem.

XV. *Ut hæretici omnes denuncientur excommunicati.*

Denuncientur etiam frequenter excommunicati ipso jure omnes hæretici, quocumque nomine censeantur: & quod hæretici sunt omnes illi, qui de sacramentis ecclesiasticis aliter credunt aut prædicant, quam Romana ecclesia prædicat & observat; & qui Romanam ecclesiam non credunt esse omnium ecclesiarum caput atque magistram, ac dominum papam successorem esse beati Petri, & in terris vicarium Iesu Christi. Insuper & hi Christiani, qui vendunt ferrum vel lignamina Saracenis, vel qui in Saracenorum piraticis navibus aut aliis vasis regimen aut curam gubernationis exercent, vel quocunque officio utuntur in eis.

XVI. *De contrahentibus clandestina matrimonia.*

Illi etiam denuncientur frequenter qui clandestina matrimonia contrahunt, vel eis intersunt, vel consilium aut auxilium ad hæc præbent, defraudant decimas, assumptam religionem propria autoritate dimittunt, ut caveant ne propter hoc, vinculum excommunicationis incurrant. Sacerdotem præterea qui clandestinum matrimonium celebraverit, Missam cantaverit, aut benedictionem, immo verius maledictionem fecerit: decernimus perpetuo carceri mancipandum: quem capiendi & ad nos ducendi, sine verberibus aut corporis læsione, cuilibet Christiano autoritatem concedimus. Denuncietur & publice & frequenter, quod laïci qui in hujusmodi matrimoniis contrahendis, vel contra interdictum ecclesiæ, culpabiles inventi de cætero fuerint, quod ex quo Dei timor aut pœnæ pecuniariæ ipsos a malis hujusmodi non compescit, pœnis gravioribus punientur.

A XVII. *De pueris a laicis in necessitate baptizandis, & quod Confirmationis & Extremæunctionis sacramentum recipiant.*

Doceantur præterea laïci, ut cum necessitas occurrerit, vir vel mulier, qui præsens fuerit, præponat nomen puero & dicat: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Et post hæc verba, si supervixerit puer, ad presbyterũ deferatur, qui supplebit alia sicut decet. Item moneantur laïci, ut sacramentum Confirmationis recipiant, & cum infirmi fuerint, extremam recipiant unctionem.

B XVIII. *Ante matutinas & Primam dicta vel audita sacerdos non celebret: sed nec nisi unam in die Missam dicat.*

Item districte præcipimus, ne quis sacerdos Missam celebret, nisi prius audiat aut dicat matutinale servitium atque Primam, excepto die nativitatis Dominicæ: & nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solumodo celebrare.

XIX: *De reverentia in elevatione hostiæ, & cum ad infirmum defertur.*

C Item sacerdos quilibet frequenter doceat plebem suam, ut cum in celebratione Missarum elevatur hostia salutaris, se reverenter inclinent.

Idem facient, cum eam portat presbyter ad infirmum, quam in decenti habitu, supposito mundo linteamine, ferat manifeste ac honorifice ante pectus cum omni reverentia & timore: & ipse sacerdos dicat aut cantet aliquos psalmos, ita quod audiatur, & clericus respondeat semper lumine præcedente, cum sit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur. Hujus autem mandati puniri debent graviter transgressores. Item quod omnis qui fidelis & catholicus vult reputari, ante quorum domus Eucharistia portatur, accendat candelas ante domos ipsorum, donec sacerdos transitum fecerit. Item monemus & inducimus ob salutem animarum D suarum, & nihilominus in honore fidei Christianæ præcipiendo mandamus, quod omnes Græci & prælati seu sacerdotes aliorum nationum quæ Christianæ religionis nomen colunt, moneant & inducant eorum plebem & populum, cum in ecclesiis Latinorum elevatur in altari hostia Eucharistiæ, reverentiam exhibere inclinando se, & capita eorum discooperiendo: & quod idem faciant quando per sacerdotem ad infirmos portatur, & quando legunt evangelium.

XX. *Contra tibicines & cantatrices pro mortuis.*

E Cæterum quia morbus quidam pestifer & infidelitati vicinus valuit in his partibus, ut videlicet in exequiis mortuorum, in domibus, ecclesiis & cœmeteriis, tibicines quæ lugubre canunt, quas cantatrices vocant, advocentur, quæ non solum turbant Divina, verum etiam provocant seu excitant alias verbis vanis ac cantibus, & paganorum ac Iudæorum ritui consonis, ad plorandum, verberandum, & lacerandum se ipsas: hoc ne fiat de cætero districtissime & sub excommunicationis vinculo prohibemus, inhibentes omnibus tam presbyteris quam aliis clericis, ne hujusmodi funeris sepulturæ intersint, nec officium celebrent, aut crucem deferri faciant, postquam intellexerint, in domo ubi funus fuerat, vel in ecclesia cantatrices hujusmodi extitisse: quas, si de cætero

hanc

hanc nostram prohibitionem fecerint, faciemus capi, verberari, & poni in scala, & demum in carcerem detrudi, donec pœna docente discant quantum deliquerunt, & de cætero ab hujusmodi abstinere. Mulieribus etiam aliis omnibus atque viris prohibemus, ne eas advocent, aut eis dent aliquid propter hoc, & ne mulieres in cœmeteriis aut domibus ad plorandum conveniant: quia hic mos est infidelium, & paulatim ad infidelitatem adducit, dum contra Apostolum tristantur sicut cæteri, qui de resurrectione spem non habent, cum in morte fideles deberent consolationem suscipere & gaudere cum domino nostro Iesu Christo.

XXI. *Vt constitutiones legati serventur.*

Et ne acta agere videamur, ordinationes seu constitutiones venerabilis patris nostri Odonis Dei gratia Tusculani episcopi, apostolicæ sedis legati, quas idem in nostra ecclesia edidit, in quibus continentur multa, quæ ad ecclesiæ honestatem ac morum, & salutem pertinent animarum, præcipimus inviolabiliter observari.

XXII. *Vt omnes habeant has constitutiones scriptas, & ante præstitam obedientiam nullus celebret.*

Vt autem transgressores presbyteri nullam excusationem habere valeant circa prædicta & sequentia ignorantiam prætendentes, præcipimus omnibus presbyteris qui in nostra civitate vel diœcesi ubicumque cantant vel cantaverint: ut has constitutiones infra mensem in scriptis habeant, & ut sibi eas semel quolibet mense legant. Sed nec aliquis presbyter in civitate aut diœcesi audeat celebrare, qui nobis aut prædecessoribus nostris non præstiterit obedientiam prout decet.

XXIII. *De pœna eorum qui se eodem tempore ad duo servitia obligant.*

Sacerdotum insuper avaritiam refrænantes, inhibemus, ne quis presbyter qui recipit pro uno, anniversario stipendia, vel pro alio servitio assidue exequendo interim ad simile vel aliud se obliget in parte temporis vel in toto: quod si fecerit, & id quod male accepit restituet, & ad eleemosynam solvet tantumdem.

XXIV. *De sacerdotibus qui cantant militibus aut dominabus.*

Sacerdotibus etiam qui militibus cantant aut dominabus, præcipimus ut dies quibus jejunia Christianis ab ecclesia indicantur, eis annuncient, & ipsi jejunent, & non jejunantes acrius reprehendant, & quod in prima septimana Quadragesimæ de solvenda decima integre inducere debeant & monere sub pœna excommunicationis.

XXV. *De pœna eorum qui in exequiis aliquid recipiunt, & finem non expectant.*

Eos vero presbyteros aut clericos qui in [a] obsequiis vel officiis pro defunctis cereos vel candelas recipiunt, præcipimus finem servitii expectare: alioquin & quod acceperint restituent, & tantumdem: & volumus inviolabiliter observari, quod nullus clericus audeat vel præsumat rapere candelas de manibus dantium in funere, seu ejus occasione, sub pœna nostro arbitrio inferenda.

[a] *Corr.* exequiis.

XXVI. *De pœna clericorum de nocte euntium.*

Quia vero qui male agit, odit lucem: omnibus clericis inhibemus districte, ne vadant de nocte, maxime post tertiam pulsationem: quod si inventi fuerint, licentiam damus custodibus civitatis, ut eos capiant salva manu, & detineant usq; mane, nobis quanto citius præsentandos. Et quia mulieres nihilo minus adhuc in domibus vel cœmeteriis ad carmen lugubre conveniunt, in contemptum Dei, & suarum periculum animarum: omnibus sacerdotibus districte præcipimus, ne præsente aliqua muliere, quam contra prædictam prohibitionem fecisse sciverit, aut pro certo intellexerit, Missam audeat celebrare: caventes attente, ne circa hoc prætendant crassam ignorantiam vel supinam, si districtam voluerint effugere ultionem.

XXVII. *Statutum legati Odonis.*

Venerabili patri H. Dei gratia archiepiscopo Nicosiensi: Odo miseratione Divina Tusculanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, salutem & sinceram in Domino caritatem. Vobis autoritate qua fungimur districte præcipiendo mandamus, quatenus in majori ecclesia Nicosiensi, & in omnibus aliis ecclesiis in regno Cypri constitutis, statutum quod nuper in Ioppe edidimus, publicari solemniter faciatis: cujus statuti tenor talis est.

Venerabilibus in Christo patribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, tam exemptis quam non exemptis, ecclesiarum rectoribus & capellanis tam exemptorum quam non exemptorum, in nostra legatione constitutis, Odo miseratione Divina Tusculanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, salutem in Domino sempiternam. Cum salus animarum omni lucro temporali & quæstui merito debeat anteponi: quidam tamen, sicut nobis innotuit, suæ avaritiæ consulere cupientes, impediunt vel impediri procurant quominus Saraceni, seu alii infideles, quos in captivitate detinent, vel qui eorum potestati seu dominio sunt subjecti, instruantur in fide, & regenerentur baptismatis sacramento: licet dicti Saraceni & alii, nondum adepti baptismatis sacramentum, fidem catholicam confitentes, instanter petant ablui lavacro salutari: quod sacramentum nulli fidem confitenti, & idem sacramentum postulanti, convenit denegari. Hinc est quod nos inhumanitati seu impietati eorum salubrem cupientes adhibere medelam, autoritate qua fungimur districtius inhibemus, & irrefragabili constitutione sancimus, ne quis in nostra legatione constitutus, de cætero impediat vel impediri procuret, quominus Saraceni sclavi, seu quicumque alii, nondum renati baptismatis sacramento, qui fidem catholicam confitentes, sacramentum baptismi sponte petierint, baptizentur: salvo in omnibus & per omnia debito servitutis, quod eorum dominis alias competit in eisdem. Quia per hoc non intendimus illis qui baptismum susceperint, libertatem aliquam indulgere. Quod si forte aliqui contra inhibitionem & statutum nostrum ausu temerario præsumpserint sclavum Saracenum, seu quemcumque alium, nondum baptizatum, per se vel per alium a sacramento hujusmodi prohibere, postquam baptizandorum voluntas super hoc fuerit patefacta: censemus eos ipso facto excommunicationis vinculo innodatos. Et ne in posterum aliquis prætextu ignorantiæ ab observatione hujusmodi statuti nostri se valeat excusare, & ut infideles ad fidem catholicam liberius & facilius attrahantur: volumus & mandamus

mus vobis in virtute obedientiæ firmiter injungentes, ut bis singulis annis, videlicet in ramis palmarum, & in epiphania Domini, vos & successores vestri hoc statutum nostrum in ecclesiis vestris publicetis, vel publicari solemniter faciatis. Tenorem nihilominus statuti ejusdem in libris ecclesiarum vestrarũ conscribi ad perpetuã rei memoriam faciẽtes. Dat. in Ioppe ann. Dom. MCCLII. Nonas Ianuarij.

Nihilominus tamen volumus & præcipimus ut in ramis palmarum, & in epiphania Domini, vos & successores vestri, sicut in antedicto statuto plenius continetur, statutum ipsum in ecclesia vestra, & in aliis locis vobis subjectis, publicari solemniter faciatis: tenorem nihilominus statuti ejusdem in libris ipsarum ecclesiarum conscribi ad perpetuam rei memoriam facientes. Datum in Ioppe, anno Domini MCCLII. quarto Nonas Martij.

Item anno Domini MCCLIII. decimo quarto Kalend. Iulij. In synodo ab eodem domino Hugone Nicosiensi archiepiscopo in Nicosiensi ecclesia publicatæ fuerunt infra scriptæ duæ constitutiones & postea populo sequendæ.

XXVIII. *Statuta duo Hugonis archiepiscopi.*

1. Ne laïcorũ insolentia invalescat, quæ jam in tantam prorupit audaciam, ut pluries intrantes Nicosiensem ecclesiam dum celebrantur Divina, vel fit aliqua executio officii pastoralis, publice conclamantes, prælato, sacerdotibus, & aliis clericis ecclesiæque ministris, ipsique loco & Divino cultui, non modicas injurias importarint: statuimus, ut quicumque laïcus aut clericus de cætero prædictam Nicosiensem ecclesiam, aut aliam quamcumque nostræ civitatis sive diœcesis, in quibus cum pace & quiete vota competit reddere, ac celebrari Divina, intrans, aliquid injuriæ importaverit prælato, sacerdotibus, aliisque ipsarum ecclesiarum clericis ac ministris, seu ipsis locis aut Divino cultui, vel conclamationibus, seditionibus, aut tumultu, fuerit usus ibidem: ipso facto vinculum excommunicationis incurrat. Nos enim ipsum, quicumq; fuerit ille, cum omnibus sibi assistentibus, vel ad hoc dantibus auxilium, consilium, vel favorem, autoritate Dei omnipotentis excommunicamus, & excommunicatum usque ad satisfactionem condignam præcipimus publice nunciari, pœnas quas secundum jura civilia tales incurrunt suis judicibus relinquentes.

2. Non fine admiratione referimus, quod aliqui religiosi, & utinã non omnes, civitatis Nicosiensis, falcẽ in alienã messem mittentes, parochianos Nicosiensis ecclesiæ, quæ unica est in civitate parochialis ecclesia Latinorũ, passim recipiunt ad Divina. Quos etsi non reprimit regula naturalis, videlicet, ut quod sibi fieri nolũt, non faciant aliis: saltẽ jura canonica ab hujusmodi eos revocare deberent, quæ prohibent alienos parochianos ad Divina recipi diebus Dominicis & festivis, & ne in religiosorum cœnobiis missæ publicæ, id est publice celebrentur, nec in servorũ Dei secessibus & eorũ receptaculis ulla popularis conventus occasio præbeatur: quia eorum non expedit animabus. Nos autem volentes eorum providere saluti & etiam honestati, & ne Nicosiensis ecclesia, diebus saltem Dominicis & Festivis, debito honore privetur, aut sicut tugurium in cucumerario relinquatur, ne hoc de cætero fiat districtius inhibemus.

XXIX. *Contra usurarios.*

Sacrorum canonum conditores summo studio usque hodie vigilarunt extirpare ab agro Dominico zizaniam usurariæ pravitatis, claris & apertis constitutionibus usurariorum perfidiæ ac fraudibus obviantes. Sed quia hominum vitiata natura, prona est ad malum, & semper ad sua scelera palliãda formas novas properat invenire: jã eo res devenit, ut publice usurarii fiant cõtractus sub palliatione simulatæ venditionis: dũ is qui mutuo indiget pecunia, fit emptor pannorum, ceræ, serici, cujuscumq; alterius rei, pro precio longe majori quam res tunc valeat, quam in cõtinenti, quia pecunia numerata indiget, vel venditori vel alii vendere cõpellitur, precio quod tũc valeat longe minori: sicque dum is qui indiget fit emptor ac venditor, in utroque decipitur contractu, ut ad eum præter usuras quæ ultra statutum terminum, sub ficto pœnæ nomine currunt, vix perveniat precii dimidium emptæ rei, aut rei venditæ simulate. Crevit etiam in tantum fraus hujusmodi, ut alioquin nulla res vendatur aut ematur: sed tantum verbalis fiat contractus, nominatis mercibus, quæ nec videntur, nec etiam habentur, aut traduntur. Compellitur etiam quandoque is qui pecunia indiget, confiteri se recepisse mutuo centum, solvenda usque ad talem diem sub pœna: cum revera non nisi octoginta receperit. Et alioquin coram persona publica fit totius summæ nominatæ traditio: cum tamen ex pecunia debitor illi correcipiens partem restituat ex condicto. Et ut dicamus breviter, semper hic agitur ut solummodo tempus vendatur. Nos vero, prout ad nos pertinebat, volentes morbo tam pestifero obviare, qui quorumdam faciente malitia serpere cœpit ut cancer in Cypro, & præsertim in civitate Nicosiensi: jam dudum publice contractus hujusmodi fieri nihilominus [a], & sub pœna excommunicationis omnibus notariis, & aliis scriptoribus, ne eos scriberent, atque militibus & aliis omnibus ne in contractibus prædictis, quos ut vulgariter loquamur, barrattas appellant, fidejussores se constituerent aut debitores pro aliis. Similiter & mediatoribus, quos sensales appellant, ne tractarent aut promoverent conventiones contractuum prædictorum. Cæterum curantes Babylonem, non est curata: fiunt etenim & vigent fraudes hujusmodi sicut prius, propter quod compellimur contra pestem hanc manu insurgere graviori. Quare inhibemus districte, ne de cætero tales vel similes in civitate & diœcesi Nicosiensi fiant contractus: eos qui contrafecerint, sive principales, sive mediatores aut scriptores, seu fidejussores aut debitores, excommunicationis vinculo innodantes: nihilominus contractus prædictos, ipso jure nullos esse pronunciantes, ut nec agi nec excipi valeat ex eisdem: nec judex ecclesiasticus, etiamsi se contrahentes ecclesiasticæ jurisdictioni subjiciant, aut jurent, ex eisdem audiat conquerentes aut excipientes, aut judex etiam sæcularis.

[a] *f.* vetuimus

Edita est & recitata publice hæc constitutio, in ecclesia sanctæ Sophiæ, populo post sermonem, a reverendo patre dom. Hugone Dei gratia Nicosiẽsi archiepiscopo, ann. Dom. MCCLVII. prid. Kal. Octobr.

XXX. *Contra avaritiam clericorum.*

Ad reprimendam avaritiam ministrorum ecclesiæ, tam scriptura Divina, quam sacrorum canonum instituta, attentius vigilarunt. *Scientes quod a minore usque ad majorem omnes avaritiæ studebant; a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciebant dolum, curantes contritionem populi cum ignominia, & dicentes, pax, pax, cum tamen non esset pax.* Sed heu! ex medicina invaluit morbus, ut recte dicatur: *Lex subintravit, ut abundaret delictum.* In tantum enim in nostris ecclesiis invaluit ista pestis, ut rectissime de iis dicatur: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens:*

Ierem. 6.
Rom 5.
Isa. 1.

mœrens: a planta pedis usque ad verticem, non est in A *eo sanitas: vulnus, & livor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota* Ierem. 51. *oleo. Curavimus* enim *Babylonem, & non est curata:* quin potius ipsius plaga facta est desperata. Ecce enim, quod de nostris subditis cum cordis amaritudine referimus, jam adeo devenere effrontes, ut etiam in loco & de loco sacro, cum pro mortuis exequiæ celebrantur, oblationes de manu laïcorum ipsas ad altare deferentium, in conspectu populi, rapaces lupi non recipiant, sed rapiant impudenter, non verentes crimen sacrilegii incurrere sic aperte. Cumque ad domum alicujus defuncti cum cruce processio debeat proficisci: tot illuc, non propter Deum, aut devotionem aliquam, sed propter candelas, cruces undique deferuntur, quod laïci non sufficiunt deferentium extinguere sitim, nec possunt eorum molestias tolerare ingerentium se tam ardenter, ut eos quasi opprimant & seipsos, ut etiam, quod est horribile auditu, præter eorum clamores validos, cruces ipsæ adinvicem collidantur.

Quidā etiam presbyteri, & alii clerici, dū defuncto commissarii seu executores fuerint cum sociis, aut soli: quæ committuntur eisdem, infideliter distribuunt, negligenter aut nullo modo requirunt: quodque pessimum est, aliquando retinent sibi ipsis. Nos autem etsi prædictorum incurabiles æstimemus excessus: nihilominus tamen si forte possimus proficere pœnæ metu, volumus experiri: statuentes, ut quicumque presbyter, vel clericus, in nostra diœcesi, in ecclesia, aut cœmeterio, circa res oblationi deputatas violentiam aliquam cōmiserit, præter crimen sacrilegii quod ipsum ex hoc incurrere declaramus, tribus mensibus ab officio & beneficio, ipso facto, suspensionis pœnam incurrat; & quod sic abstulit, in duplum restituere teneatur. Cum autem processio petita fuerit, ut ad domum eat defuncti: omnibus laïcis districte inhibemus, ne pro aliquibus crucibus, ut ita loquamur, alicui tradant aliquid, nisi duobus presbyteris assisiis ecclesiæ nostræ, quibus volumus ea quæ consueta sunt dari: ita tamen, quod nominatim exprimant quot crucibus, & pro quibus etiam dant. Inhibemus etiam, aliquid pro aliqua cruce dari, cum qua non venerint clericus & sacerdos: qui nihilominus funus prosequatur cum sua cruce, usque ad locum ubi fuerit tumulandum. Expletis vero exequiis, duo prædicti assisij reddant fideliter ea quæ acceperunt tradenda: ita quod de hoc, nullum scandalum oriatur. Ad hæc inhibemus quibuscumque commissariis, seu executoribus presbyteris, aut clericis nostræ diœcesis, ne corpore tradito sepulturæ, de commissaria seu executione, sine nostra scientia vel successorum nostrorum, se in aliquo intromittant. Hæc autem non ex eo dicimus, quod inde velimus aliquid, nisi solum obviare malitiis, & ut fidelius ac celerius pareatur voluntatibus defunctorum.

Lata & recitata in scriptis in palatio archiepiscopali, a reverendo patre domino Hugone Dei gratia Nicosiensi archiepiscopo, præsentibus dominis, Guillelmo archidiacono, & Roberto cantore Nicosiensi, & universo clero civitatis ejusdem, anno Domini M. CC. LIII die nono intrante Ianuario.

Editio concilii generalis ad dictam constitutionem celebrati per reverendum patrem dominum patrem Heliam, Dei gratia archiepiscopum Nicosiensem: quod si quis contrarium fecerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat: ad hoc ut commissariorum malitiis obvietur, & celerius impleantur decedentium voluntates.

XXXI. *De Assisiorum officiis.*

Statuimus ut assisius, qui de aliquo sibi ascripto defectum fecerit, in tribus denariis pro vice qualibet puniatur. Assisius vero ante ascriptus, qui in diebus novem lectionum, Matutinis, majori Missæ, vel Vesperis defuerit, pœna simili puniatur. Item Assisius non ascriptus, si in diebus profestis, Matutinis, majori Missæ, vel Vesperis defuerit, in duobus denariis puniatur. Similiter pro singulis aliis horis minoribus, præter quam pro una, in duobus denariis puniatur. Cujus pœnæ medietatem percipiat, qui defectus scripserit, & aliam habeat qui supplebit defectum. Item lecta epistola majoris Missæ, nullus intret chorum. Item nullus de choro stet prope ecclesiam, vel intret eam, dum cantatur in choro, in suo habitu sæculari. Item illi qui solummodo intrant chorum, cum aliquid ibidem dandum fuerit, tunc non recipiantur ibidem. Item Assisius qui defectum fecerit, die facti defectus, vel saltem in crastinum, proponat & ostendat excusationem, si quam habet legitimam: alioquin nullatenus ulterius audiatur.

XXXII. *Constitutio de horis officii Divini.*

In nomine Domini, amen. Anno Dom. MCCLV. die decima intrantis mensis Ianuarii. Cum nos Hugo miseratione divina Nicosiensis archiepiscopus, nostram ecclesiam visitantes, invenerimus ipsam & ipsius personas in pluribus reformatione ac correctione indigere: volentes super hoc providere, prout pertinet ad officium nostrum, imprimis quia invenimus quod clerici ecclesiæ, officium beatæ virginis & servitium defunctorum quasi omnino negligunt, cum prædicta fiunt non intrantes chorum, vel si ibi fuerint, exeuntes: præcipimus eis districte in virtute obedientiæ, ut hoc de cætero corrigant & emendent, ad prædicta servitia veniendo, & in choro, quousque finita fuerint, permanendo. Si quis autem hujus præcepti nostri transgressor fuerit, pro certo teneat, quod si ad nos pervenerit, non pertransibit impune. Et hoc idem præcipimus de hora Prima, ad quam paucissimi veniunt aut consueverunt venire. Horam autem completorii inter canonicas reputantes: volumus & mandamus, ut quicumque de cætero eidem horæ defuerit, scribatur in defectum, & contra eum exigatur pœna, prout de horis aliis est statutum. Quia vero invenimus, quod aliqui, dum sunt in choro, rixantur, clamant, & strepitum faciunt, & adinvicem colloquuntur in contemptum Dei, & cultus Divini turbationem: hujusmodi de cætero fieri prohibemus, prædicentes ei quem invenerimus transgressorem, quod pœna docebit, quam gravis sit excessus turbatio Divinorum.

CONSTITUTIO INSTRUENS GRÆCOS & alios, per diversa capitula, ut infra.

Esse hoc provinciale cōcilium, cujus hac præfatio est, ad quod sequentia deinde capitula pertinent, eique præfuisse Raphaëlem Nicosiensem archiepiscopum, patet ex sequentibus.

Ecce isti de longe venient: & ecce illi ab aquilone & mari: & isti de terra australi. Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vivo ego dicit Dominus: quia omnibus his velut ornamento vestieris: & circumdabis eos tanquam sponsa. In Isaïa 49. verba sunt Dei Patris ad Filium, vel ad ecclesiam, de diversis mundi partibus, linguis & ritibus, in unitate fidei congregandam, ne se videlicet oblivioni reputet traditam, consolantis eandem: unde ibidem aliquantulum supra dixit Sion, id est, ecclesia: *Dereliquit me Dominus, & Dominus* Isa. 49. *oblitus*

Ibid. *oblitus est mei:* sic respondet ei Dominus: *Numquid potest oblivisci mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te*, dicit Iesus ad ecclesiam, cum fuerint cruci affixæ, non possum ergo tui oblivisci, sicut nec id quod in manibus habetur: quia videtur frequenter. Ibid. Vnde subditur: *Muri tui*, id est, apostoli & alii prælati qui te muniunt, *coram me sunt.* Sed timendum valde quod sequitur: *Venerunt structores tui, destruentes te*, seu, mali prælati qui te construere debebant: quia ad construendum te sunt positi, & te destruunt, Hebr. 13. & dissipant pravæ vitæ exemplo, & *doctrinis variis ac peregrinis*, ut ait apostolus ad Hebr. 13. B videlicet fideles ab unitate ecclesiæ separantes, docentes eos traditiones hominum & non Dei, & contra legem Dei suos perversos ritus, & justitias etiam statuentes. Dominus ergo non obliviscitur suæ ecclesiæ: sed eam destruunt, & quasi derelinquere faciunt, & in oblivionem venire, qui eam ædificare tenentur. Alloquitur autem Dominus suam ecclesiam de diversis mundi partibus, linguis, & ritibus, Act. 2. & *ex omni natione quæ sub cœlo est:* ut in actibus apostolorum legitur, congregandam: Isa. 1. dicens ei. *Ecce isti de longe venient*: ipsam monens ad fidei unitatem: Act. 4. & ut *multitudinis credentium*, quanquam diversarum nationum, *sit cor unum & una anima*, ut in actibus apostolorum habetur: C Rom. 10. *& non sit distinctio Iudæi & Græci*, ut legitur ad Romanos 10. nec una natio 1. Cor. 1. dicat: *Ego sum Pauli; alia, ego Apollo; alia, ego sum Christi:* ut sic dividatur Christus: ut legitur ad Corinthios 1. & inter fideles schismata fiant, & efficiantur aliqui pejores militibus crucifixoribus Christi, qui Domini tunicam inconsutilem scindere noluerunt. Non igitur insultet in ecclesia Dei Græcus Latino, vel e contra: sed pari voto, tanquam veri adoratores, glorificent patrem communem omnium qui in cœlis est, 1. Tim. 2. qui *vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem sui venire*, ut legitur ad Timotheum: & qui audit, dicat veni, cuilibet indistincte, ne cum Pharisæo pereat cæteros aspernante, Psal. 44. & se non esse sicut cæteri homines existimante. *Assistit itaque regina*, id est sancta ecclesia, erecta per D spem, non curva per timorem, & prompta ad serviendum, *a dextris Dei*, seu in potioribus bonis æternis, jam in spe, licet non adhuc in re. Assistit autem non nuda, sed *in vestitu*, id est, in connexu & ornatu virtutum; *deaurato* per sapientiam, quæ est æternorum contemplatio, & prægustatio: *deaurato*, per aurum enim intelligitur illa sapientia, qua sapiunt nobis æterna. Vel assistit in vestitu deaurato, id est, in operibus caritatis. Opera enim vestimenta Apoc. 16. dicuntur in Apocalypsi: *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.* Per aurum vero intelligitur caritas, quæ optima est inter virtutes, sicut aurum inter metalla. Hæc autem regina, E id est ecclesia, est *circumdata varietate* multiplici, videlicet linguarum. Idem loquebantur variis linguis apostoli. Item varietate diversarum consuetudinum, quæ non sunt contra fidem, aut contra bonos mores. Nil enim, ut sacri canones attestantur, officit in ecclesia Dei consuetudo diversa in ejusdem fidei unitate. Virtutum etiam varietate hæc regina ornatur: 1. Cor. 15. quia, ut ait apostolus, *Stella differt a stella in claritate.* Item varietate personarum diversarum facierum, sive diversorum officiorum. Unde apostolus: Ephes. 4. *Quosdam dedit apostolos, quosdam prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores atque doctores.* Quæ omnia ad laudem hujus reginæ, sive ecclesiæ, non est dubium pertinere. Quibus omnibus varie-

A tatibus velut ornamento vestitur; easque, ut dictum est, sibi quasi sponsa circumdat.

Hæc & multa alia considerantes nos Raphael miseratione Divina Nicosiensis archiepiscopus, quia circa nationem Græcorum & Syrorum regni Cypri, quorum curam licet immeriti tenemur gerere ex susceptæ officio dignitatis, tum ignorantia, tum simplicitate, & quod est deterius, eorum qui eos instruere tenebantur faciente malitia, multa quæ divisionem sapiunt ab ecclesiæ unitate, & quæ nutriant pericula animarum plurima, inolevisse invenimus: ne sanguis eorum de nostris manibus requiratur, si videntes venire contra gregem, nostrum gladium, non B insonuerimus buccina, cum simus in specula constituti: convocatis,[a] &c. cogitavimus prout possumus contra morbos hujusmodi remedium adhibere. Scribentes aliqua breviter circa hæc, & ea tam Græcis episcopis, quam efforos[b], & aliis regni prædicti Græcis clericis, in Græca littera scripta tradentes, quorum tenorem inferius duximus annotandum.

[a] *Convocatis nimirum suffraganeis suis.*
[b] *An forte clerici aliqui ἔφοροι dicti?*

1. *Quatuor episcopi Græci sunt in Cypro relicti, & quod sit eorum officium.*

In primis volumus & mandamus episcopis Græcis, ut diligenter considerent, quod sit eorum officium: & causam quare, cum Latini episcopi sint per C Romanam ecclesiam in Cypri insula ordinati, ipsi in eadem insula sint tolerati: ut & ea ad quæ tenentur, securius & diligentius exequantur; & illa quæ ad ipsos non pertinent, non usurpent. Quæ duo habentur in concilio generali, cujus verba sunt hæc: “Quia in plerisque partibus, intra eandem civitatem atque diœcesim permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus & mores: districte præcipimus, ut pontifices hujusmodi, civitati sive diœcesi provideant viros idoneos, qui secundum diversitatem rituum & linguarum, Divina officia illis celebrent, & ecclesiastica sacramenta ministrent: instruendo eos verbo pariter & exemplo. Prohibemus autem omnino, ne una eademque civitas sive diœcesis, diversos pontifices D habeat, tanquam unum corpus diversa capita, quasi monstrum: sed si propter præscriptas causas urgens necessitas postulaverit, pontifex loci catholicum præsulem nationibus illis conformem provida deliberatione constituat sibi vicarium in prædictis, qui ei per omnia sit obediens & subjectus. Vnde si quis aliter se ingesserit, excommunicationis se noverit mucrone percussum: &, si nec sic resipuerit, ab omni ministerio ecclesiastico deponendum, adhibito si necesse fuerit brachio sæculari ad tantam insolentiam repellēdam. Circa hoc, salvum moderamen sedis apostolicæ post secutum.” (Later IV. cap. 9.) Ex prędicta cōstitutione liquido patet, quod sit episcoporū Græcorū officiū, sub illis quorū sunt obsequio deputati, E Divina officia celebrare, & ministrare ecclesiastica sacramenta, eosque instruere verbo pariter, & exēplo: & quæ sit causa quare sint instituti, scilicat urgēs necessitas in prædictis. Patet etiā, a quibus sint instituendi, quia videlicet a pōtifice loci illius qui* taliter se ingesserit ad prædicta. Monemus igitur ac requirimus Græcos episcopos, & eos sub interminatione Divini judicii attestamur, ut eos quorum sunt obsequio deputati, secundum sibi a Deo traditam scientiam, ut dictum est, verbo pariter & exemplo[c]; sic vivendo, ut Christi fideles videntes eorum bona opera, glorificent, juxta verbum Christi, qui in cœlis est Deum patrem, & ut eorum comparatione cæteri Græci dicantur, sicut beatus Petrus Iesu Chri-

[c] *Deest adjuvent.*

sti vicarius attestatur. Et ut eisdem frequenter Dei verbum proponant, ostendendo ipsis, a quibus abstinere debeant, & qualia agere; quæ sint mortalia peccata, & quam sit mortalis peccati pœna crudelis, quantaque bona per mortale peccatum perdantur. Doceant etiam eos super observatione mandatorum sive decem præceptorum decalogi: quæ videlicet sint illa, & quod sine illis non est salus. Ait enim
Matth. 19. Christus in evangelio de eisdem, cuidam: *Hoc fac & vives.* Item, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* De fornicatione autem, quam solutus cum soluta committit, quin sit mortale peccatum, non est aliquatenus ambigendum: cum tam fornicarios, quam adulteros, a regno Dei apostolus asserat alienos: sicut Dominus papa determinavit.

2. *Quod furtum sit damnabile, & quod restitutio fieri debeat.*

Furtum quoque esse damnabile eis ostendant. Scriptum quippe est, non furaberis; non enim remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si tamen reddi potest. In quo Græci quasi communiter dicuntur peccare, & in quo etiam errore eorum confessores eos dicuntur fovere, pro furto nullam vel modicam pœnitentiam imponentes, nec furibus restitutionem aliquam injungentes.

3. *Quod sunt septem Sacramenta.*

Instruant insuper eos super ecclesiasticis sacramentis, ostendentes eis quæ sint: videlicet, Baptismus, Confirmatio in fronte cum chrismate per episcopum, Eucharistia, Pœnitentia, Ordo, Extrema unctio per sacerdotem de oleo sancto, & Matrimonium. Denuncient etiam eis, quod qui aliter de his septem sacramentis sentit, quam Romana ecclesia docet & servat, est hæreticus judicandus, prout constitutio Domini papæ dicit.

4. *De Baptismo.*

Instruant itaque sacerdotes vel alios, dum in necessitate baptizant, servare in baptismo verborum formam, a Iesu Christo & sanctis patribus institutam: & ut sciant, quod in baptismo fit remissio omnium peccatorum: & ut omnino caveant, ne pueri sine baptismo decedant. Qui enim in hoc negligentes fuerint aut remissi, gravissime delinquunt, & sunt acerrima pœnitentia corrigendi. Præcipimus etiam eis, ut sacerdotes instruant, quod in unctionibus quæ circa baptismum fuerint, morem Romanæ ecclesiæ teneant & observent: videlicet, ut antequam puer baptizetur, inungat eum sacerdos oleo sancto cum pollice, crucem faciens inter scapulas & in pectore.

5. *De Confirmatione.*

Postea vero puer repræsentatur episcopo vel archiepiscopo, ab eodem confirmandus in fronte chrismate cruce facta, quia de his unctionibus fecimus rationem. Volumus & præcipimus, quod quilibet episcopus Græcus, quolibet anno in die cœnæ Domini, in civitate in qua est Latinus Episcopus, chrisma conficiat balsamo & oleo olivarum: similiter faciat oleum sanctum per se, & oleum infirmorum per se de oleo tantummodo olivarum: quæ omnia per totum annum diligenter conservent in locis tutissimis atque mundis, taliter ut ad ea contrectanda manus temeraria extendere se non possit. Quibus inter presbyteros distributis utantur, tam in baptismo, quam in Confirmatione, & extrema etiam unctione.

A De quibus si anno finito aliquid superfuerit, eadem die cœnæ qua nova conficiuntur, vetera comburantur, ipsorum pulveribus in sacrarium reconditis & projectis. Ad quæ facienda si in libris suis formas non habent scriptas, secundum quas præmissa fieri statuuntur: volumus, ut eas de pontificalibus nostris accipiant, & habeant penes ipsos. Aliam autem, vel alio modo unctionem nolumus fieri de cætero circa puerum baptizandum, vel etiam baptizatum. Indecens enim est, totum puerum inungi, tam per presbyterum, quam per laïcos: & superstitiosum ac onerosum, & quod nulli innititur rationi. Et hoc etiam nuper Dominus papa inter alia præcepit eisdem, quod si non habeant circa hujusmodi doctri-
B nam, sive Romanæ ecclesiæ observantias, eas a nobis non differant postulare.

6. *De Eucharistia.*

Admoneant etiam ipsos circa Eucharistiæ sacramentum, quod sive in fermento sive azymo pane conficiant, dummodo per sacerdotem fiat secundum ecclesiæ formam, non refert, cum Dominus papa dicat: dummodo credant, quod utroque modo est verum corpus Christi, quod de beata Virgine tra-
C xit, sine quo non est salus, & per quod salvati & liberati sumus: & quod qui manducat digne, ut ipse Christus ait, habet vitam æternam: ideoque a Christi fidelibus haberi debet in omni reverentia & honore. Quapropter districte præcipiant, tam clericis, quam laïcis, ut cum ad infirmos Eucharistia portatur, præsentes flectant genua, & eidem reverenter inclinent, dicentes hæc verba, quæ eos doceri volumus: Ave salus mundi, caro munda, caro sancta, caro immaculata verus Deus, verus homo.

Episcopis autem injungimus, ut ipsi tantum hoc sacramentum Confirmationis conferant, prout etiam Dominus papa determinavit. *Hæc clausula sine dubio pertinet ad caput præcedens.*

Domini papæ etiam circa Eucharistiam determi-
D nationem eis præcipimus observare, qui ait: Sed Eucharistiam in die cœnæ Domini consecratam, usque ad annum, prætextu infirmorum, ut de illa videlicet ipsos communicent, non reservent. Licet tamen eis, pro infirmis ipsis corpus Christi conficere, ac per 25. dies, & non longioris temporis spacio, conservare, ne per diutinam ipsius reservationem, alteratis forsitan speciebus, reddatur minus habile ad sumendum, licet ejus veritas & efficacia semper eadem omnino remaneat: nec ulla unquam diuturnitate, seu mobilitate temporis, evanescat. Et ut qualibet die, maxime in Quadragesima, quilibet parochialis sacerdos Missam cantet integram, secundum morem sancti Basilii, & sancti Ioannis osaurei, nisi fuerit legitime impeditus. In diebus vero, in quibus
E opera fiunt servilia, mane cantent presbyteri Missas suas: nullus tamen sacerdos Missam cantare præsumat, nisi prius cantaverit aut dixerit Matutinas. Examinentur etiam presbyteri circa Divinum officium diligenter: quia, ut intelleximus a fide dignis presbyteris, Græci communiter parum aut nihil sciunt de horis canonicis, & maxime matutinis: & quod periculosius est, nesciunt etiam, ut dicitur, Missas suas. Volumus etiam & præcipimus, ut quilibet sacerdos, qui potest, calicem habeat aureum vel argenteum, vel saltem stanneum, ad conficiendum corpus Christi, honorabilem & decentem: calicibus ligneis aut terreis penitus derelictis. Corporalia vero linea decentia & munda, ac pallas altaris habeant, & alia sacerdotalia indumenta: tela etiam linea alba & munda tergant calicem interius & exterius, similiter

liter & involvant. Mulieres vero ad altaris servitium non admittant. A

7. *De Pœnitentia.*

Quia vero circa pœnitentiæ sacramentum nationem Græcorum & Syrorum in pluribus inordinate invenimus se habere; videlicet, quod aliqui nunquam, aut rarissime, confitentur; item nec proprio sacerdoti; item & quod aliqui obedientes Romanæ & Nicosiensi ecclesiæ evitantes, inobedientes & de hæresi notatos sibi eligunt confessores, quos non est dubium cum eisdem infectos esse hæretica pravitate; & quia contingit interdum, quod sacerdotes infirmis vel non confessis, vel confessis similibus, vel dubitantes an sint confessi, præbent Eucharistiæ sacramentum: circa hoc volentes apponere remedium salutare, statuimus, ut quolibet anno, circa initium Quadragesimæ, in qualibet parochia legatur & exponatur populo constitutio concilii generalis; cujus tenor talis est. B

Conc. Later. IV. c 21. » Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata » saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sa» cerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis vi» ribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad » minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum: nisi forte » de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabi» lem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit » abstinendum. Alioquin & vivens ab ingressu eccle» siæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. » Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis » publicetur, ne quisquam ex ignorantiæ cæcitate ve» lamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sa» cerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, » licentiam prius postulet, & obtineat a proprio sacer» dote, cum aliter ipse illum non possit absolvere vel » ligare. Sacerdos autem sit discretus & cautus, ut » more periti medici, superinfundat vinum & oleum » vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & pecca» toris circumstantias, & peccati, quibus prudenter » intelligat quale debeat ei præbere consilium, & cu» jusmodi remedium adhibere, diversis experimentis » utendo ad salvandum ægrotum. Caveat autem omni» no, ne verbo aut signo, aut alio quovis modo, aliqua» tenus prodat peccatorem: sed si prudentiori consilio » indiguerit, illud absque ulla expressione personæ cau» te requirat, quoniam qui peccatum in pœnitentiali » judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non » solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, » verum etiam ad agendam pœnitentiam perpetuam » in arctam monasterium detrudendum. C D

Quam constitutionem tam ab episcopis, quam a presbyteris * efforos, magistris, capellanis, & laïcis, Græcis & Syriis, sub pœna excommunicationis præcipimus inviolabiliter observari. Adjicientes, quod nullus sacerdos alicui infirmo det Eucharistiam, & alia ecclesiastica sacramenta, nisi ei constiterit, quod confessus fuerit alicui sacerdoti, qui ad hoc potestatem habuerit. Qui autem contra fecerit, nostro arbitrio acrius punietur. Inhibentes sub eadem pœna omnibus monachis & presbyteris Græcis, ac Syriis, ne aliquo modo confessiones audiant, & tam clericis quam laïcis, ne aliquibus confiteantur, nisi iis qui nobis in nostra civitate & diœcesi ad audiendas confessiones fuerint deputati. Si quis vero contra hoc fecerit, vel semel in anno, ad hoc deputato, ut dictum est, sacerdoti confessus non fuerit: & vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. E

8. *Quod animarum medicus, antequam corporalis, advocetur.*

Et cum corporalis infirmitas sæpe proveniat ex peccato, dicente Domino languido quem sanaverat: *Vade & amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat*: moneantur fideles, ut statim in principio infirmitatis, donec infirmus compos est mentis, advocent medicum animarum, videlicet confessorem, & facta confessione integre de peccatis, recipiat infirmus Eucharistiæ sacramentum: ac demum, si opus fuerit, advocetur medicus corporalis, & si necesse fuerit, ipsum infirmum ungat oleo quod dicitur infirmorum, omni alia unctione penitus interdicta. Ibid. c. 22. Ioan. 5.

9. *Quod sacerdos ad infirmum vocatus cito vadat: & laïci ipsum advocent tempestive.*

Vocatus autem sacerdos ad infirmum, sine mora vadat ad eum: quia si propter ejus moram aut defectum aliquid sinistrum contingat, gravissime punietur. Moneantur etiam laïci, ut tempestive de die videlicet, & antequam multum gravetur infirmus, sacerdotem requirant: ne eorum culpa infirmus sine confessione aut viatici perceptione decedat: quia qui in hoc culpabilis fuerit, gravissime peccat, & acrius punietur. Adjicimus tamen, quod si medicus prius ad infirmum vocatus fuerit, inducere debeat & teneatur infirmum, quod ante omnia advocet proprium sacerdotem, cui sua confiteatur peccata, sub excommunicationis pœna.

10. *Nil ad medicinam sumendum, quod in periculum vertat animarum: nec eundum ad sortilegos, vel divinos, nec ad medicum infidelem.*

Cum autem anima sit multo preciosior corpore, sub interminatione anathematis prohibetur, ne quis pro corporali salute aliquid infirmo suadeat, quod in periculum animæ convertatur. Vnde qui Christianus videri & esse voluerit, sortilegos fugiat & divinos, ne esse de schola diaboli comprobetur. Prohibemus etiam districte, ne quis Christianus, sanus aut infirmus, medicum advocet infidelem, Iudæum scilicet aut Saracenum; sed nec ab eo, vel de ejus consilio, medicinam aliquam recipiat: quia hoc pia consideratione in sacris canonibus prohibetur. Nam ex hoc contingit, nostram fidem haberi despectui, cum ipsi Iudæi vel Saraceni in hujusmodi Christianorum uti ministerio dedignentur, & reputent propter hoc offendere suam legem. Ibid.

11. *Quomodo se habeat sacerdos in confessionibus.*

Confessores etiam diligenter ac benigne audiant peccatores, infundentes, ut dictum est, vinum & oleum vulneribus sauciati; hinc perterrentes, hinc per spem & veniæ fiduciam erigentes: quam graviter deliquerint, quantamque pœnam incurrerint, quantaque bona perdiderint, quantumque Deum offenderint, ipsis discretione debita ostendentes; & investigantes caute, ut dictum est, de circumstantiis aggravantibus culpas, loco videlicet & tempore, frequentia, studio, & personis; & ne aliquo modo, ut supra dictum est, confessionem revelent, omni diligentia præcaventes: alioquin pœnam prædictam poterunt non immerito formidare.

12. *De Pœnitentia injungenda.*

Qui etiam satisfactiones injungant peccatoribus secundum qualitatem delictorum & quantitatem, prout decuerit: & non inunctio quædam solummodo injungatur, ad instar imperiti medici, qui uno collyrio, omnium oculos vult curare: prout etiam Dominus papa determinavit. Confessores autem, pro simonia, furto, & usuris, pro damnabili & mortali peccato teneantur injungere pœnitentias: qui[*] tales peccatores absolvant nisi restitutionem promittant, si habeant, vel cum habuerint, unde reddant. Pro simplici vero fornicatione, tanquam pro mortali & damnabili, peccatoribus injungant pœnitentiam salutarem. Et ut tollatur quidam abusus, qui invaluit hactenus in populo antedicto, quod videlicet conjugato sacerdoti vel [*] Latinus confitentur: volumus eis ad memoriam revocare, vel potius ad eorum notitiam devenire, qualiter nuper Dominus papa circa hoc duxerit statuendum: ait enim: Sacerdotes quoque conjugati, & alii quibus parochiarum cura, vel ecclesiarum parochialium regimen, per episcopos suos committitur, licite ac libere possint parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque pœnitentiam injungere pro peccatis.

[*] *f.* nec tales.

[*] *Mendosa hæc.*

13. *De sacramento Ordinis.*

Ad hæc volumus, & districte præcipimus episcopis Græcis prædictis, ut ordines conferant prout Dominus papa eis mandavit, cujus verba sunt hæc: Ad hoc volumus & expresse præcipimus; quod episcopi Græci septem ordines, secundum morem ecclesiæ Romanæ de cætero conferant: cum huc usque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse, vel prætermisisse, dicantur. Septem vero ordines sunt ij: hostiarius, lector, exorcista, acolytus, subdiaconus, diaconus, & presbyter: quos sequitur ordo episcopalis. Item in ordinatione presbyteri, & episcopi consecratione, utantur oleo & chrismate secundum formam in nostris libris episcopalibus ordinatam. Quod si formam non habent, quam servat Romana ecclesia: volumus ut eandem a nobis postulent, obtineant, & observent obtentam. Item sciendum quod in compositione inita sic habetur: Si aliquis, sine licentia Latini episcopi & domini temporalis, a Græco episcopo in regno Cypri se fecerit ordinari: Græcus episcopus, qui taliter eum promovit in regno, ab officio conferendi ordines a Latino episcopo suspendatur: & taliter ordinatus, ad consuetum Domini sui servitium reducatur. Item præcipimus eisdem episcopis, ut sacerdotibus injungant, quatenus juxta verbum apostoli Iacobi, & domini papæ mandatum, infirmis extremam conferant unctionem.

14. *De Matrimonio.*

Doceantur præterea tam clerici, quam laici, ut circa matrimonia contrahenda credant & observent ea, quæ dominus papa super his ordinavit, cujus verba sunt hæc: Quia vero secundum Apostolum, mulier mortuo viro ab ipsius est lege soluta, & nubendi cui vult in domino liberam habet facultatem: secundas & tertias, ac ulteriores etiam nuptias, Græci non reprehendant aliquatenus, nec condemnent; sed potius illas approbent inter personas quæ alias licite ad invicem matrimonio jungi possunt. Secundo tamen nubentes, presbyteri nullatenus benedicant. Et quoniam apud eos consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se, juxta eorum computationem, octavo gradu, qui secundum A computationem & distinctionem graduum, quam nos facimus, apud nos quartus habetur: ne id præsumatur deinceps, firmiter prohibemus, districte præcipientes, ut cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in prædicto quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu copulari, ulterius non præsumant: statutum in hoc generalis concilii observantes. Illos tamen, qui jam in gradu hujusmodi contraxerint, dispensative permittimus in sic contracto matrimonio remanere. Dum vero inter homines prædictarum nationum matrimonia fuerint contrahenda, banna sive bannos fieri volumus in ecclesiis, secundum quod ecclesia Romana præcipit & observat ecclesia Latinorum: cum eadem sit ratio pro- B hibitionis, ne aliter matrimonia contrahantur apud Latinos & Græcos. Qui vero clandestina matrimonia contrahunt, aut consilium vel auxilium ad hoc præbent, secundum consuetudinem ecclesiarum regni Cypri excommunicationis se noverint vinculo innodatos; similiter & sacerdos qui clandestinum matrimonium celebrat, missam cantat, aut benedictionem, immo verius maledictionem fecerit, vinculum excommunicationis incurrit, præter gravissimam aliam pœnam, qua nihilominus punietur.

C 15. *Qui sint ipso jure excommunicati, & quod tales frequenter denuncientur.*

Denuncientur etiam frequenter excommunicati ipso jure omnes hæretici, quocumque nomine censeantur, & quod hæretici sunt omnes, qui de sacramentis ecclesiæ aliter credunt aut prædicant, quam ecclesia Romana prædicat & observat; & qui Romanam ecclesiam non credunt esse omnium ecclesiarum caput, atque magistram, ac dominum papam successorem esse beati Petri, & in terris vicarium Iesu Christi. Item hi Christiani qui vendunt ferrum, aut lignamina, vel alias res prohibitas Saracenis, vel qui in Saracenorum piraticis navibus, aut aliis vasis, D regimen aut curam gubernationis exercent, vel quocumque officio utuntur in eis. Item denunciamus excommunicatos omnes presbyteros & diaconos Græcos, qui non fecerunt, nec facere volunt obedientiam ecclesiæ Romanæ & ecclesiæ Nicosiensi. Item denunciamus excommunicatos omnes usurarios manifestos: item omnes sortiarios & sortiarias, divinos & incantatores. Item omnes caoetos & caoetas. Item omnes qui publice in domibus suis manutenent & sustinent ludum azardi. Item omnes illos, qui aliquo modo domos suas concedunt publicis meretricibus ad commorandum in eisdem, vel postquam intellexerint eas tales, ipsas in suis domibus esse permittunt. Item denunciamus excommunicatos omnes piratas, seu cursarios, qui scilicet in mari, vel flu- E minibus, vel etiam in terra, mercatores & alios Christianos spoliant bonis suis. Item receptatores seu defensores eorumdem: & qui eis in suis maleficiis præbent consilium, auxilium, vel favorem. Item omnes apostatas nostræ diœcesis, masculos aut feminas, qui scilicet dimisso vel abjecto habitu religionis, seculariter viventes, ad sæculum sine licentia ecclesiæ redierunt. Item omnes qui sponsalia vel matrimonium clandestine contrahunt, vel etiam contraxerunt, vel qui his præsumpserint interesse.

16. *De disciplina abbatum & monachorum.*

Volumus etiam & præcipimus, quod tam abbates Græci, quam monachi, regulam sancti Basilii quam observare promiserunt, teneant inviolabiliter & observent, maxime circa obedientiam, continentiam

tiam, renunciationem etiam propriorum, dormiant etiam insimul in una domo, & simul comedant in refectorio, & non exeant septa monasterii, sine sui abbatis licentia vel prioris. Monachi vero vagabundi ad sua monasteria revocentur: nec se intromittant de cætero de balliis seu negotiis laicorum, nec vadant venatum, nec canes vel aves habeant ad venandum, nec teneant in suis domibus mulieres, servilia opera non exerceant, nisi de præcepto sui abbatis vel prioris, si necessitas vel utilitas hoc concedat. Presbyteri vero, de balliis, scriptoriis, seu negotiis aliis laicorum, se nullatenus intromittant. Volumus siquidem, ut monachi in abbatiis recipiantur libere, monachorum pactione vel cōventione aliqua non adjecta.

17. *Ut sacramenta & similia sine pactionibus conferantur.*

Volumus etiam & præcipimus, quod ordines, beneficia, sepulturæ, officia, atque alia sacramenta ecclesiastica, omnino libere conferantur, nullis pactionibus vel conventibus interjectis.

18. *Iterum qui sint excommunicati*

Item, denunciamus excōmunicatos omnes qui non restituunt vel restitui faciunt integre & plenarie decimas ecclesiæ Nicosiensi de omnibus possessionibus, animalibus, apaltibus & redditibus suis: & qui inde semina, expensas vel angarias ante earum restitutionem deducunt, vel qui in ipsis solvendis fraudem aliquam committunt. Item denunciamus excommunicatos autoritate domini papæ, omnes qui in clericos vel religiosas personas, manus injiciunt, aut injicere faciunt, violentas; vel eos incarcerant, aut incarcerari procurant, sine licentia prælati sui. Et ne aliqui per ignorantiam se excusent: quoddam statutum domini legati præsenti capitulo duximus inserendum; quod inviolabiliter præcipimus observari. Cujus tenor talis est.

Venerabili patri Hugoni Dei gratia archiepiscopo Nicosiensi, Odo miseratione Divina Tusculanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, salutem, *&c. ut supra, pag.* 2382. *usque ad hæc verba*, conscribi ad perpetuam rei memoriam facientes. Datum in Ioppe anno Domini MCCLII. Nonas Ianuarii.

Sed & ne laicorū insolentia invalescat, quæ jam in tantam prorupit audaciam, ut pluries intrantes Nicosiensem ecclesiā, dū celebrantur Divina, vel fit aliqua executio officii pastoralis, publice conclamantes, prælato, sacerdotibus, & aliis clericis ecclesiæq; ministris, ipsique loco & Divino cultui non modicas injurias importarint: statuimus, ut quicumque laicus aut clericus de cætero prædictam Nicosiensem ecclesiam, *&c. ut supra, p.* 2383. *usque ad hæc verba*, suis judicibus relinquentes.

Capitulum vero quoddam a nobis & fratribus & coepiscopis nostris editum in provinciali concilio, similiter duximus inserendum ad extirpandam hæreticam pravitatem, cujus tenor talis est.

Et quia a pluribus annis quamplures presbyteri Græci, & monachi, in Insula Cypri fuerunt suspicione notabiles de hæretica pravitate, & pluries admoniti ut omnes hæreses abjurarent, & maxime illam quæ damnat confectum in azymis Eucharistiæ sacramentum, ac redirent ad obedientiam Romanæ ecclesiæ: quoniam hoc facere contempserunt, latitantes per loca diversa ac fugientes, & nonnullos veneno pestifero corrumpentes, fuerunt per prædecessores nostros publice annis singulis excommunicationis

A vinculo innodati: in qua non tantum per annum sed per plurimos annos perstiterunt facie indurata. Nos etiam eosdem pluries admonuimus ut redirent: quod similiter facere contempserunt. Ne igitur circa pestem hujusmodi negligentes inveniamur aut remissi: jam dictos autoritate concilii hæreticos judicamus.

19. *De commerciis & negotiationibus prohibitis clericis.*

Item prohibemus, sicut in sacris canonibus continetur, ne quisquam clericus vel laicus, sine manifesta & rationabili causa, monasteria sanctimonialium adire præsumat: clericus vero aut laicus qui contrafecerit, pœnæ debitæ subjacebit. Item prohibemus clericis, & præcipue presbyteris & diaconibus, ne com-

B mercia vel officia sæcularia exerceāt, maxime inhonesta: & ne sint casalium aut redditūum apaltatores, balivi, aut procuratores militum: quia hoc est contra eorum ordinum honestatem, & ex hoc contingit eos capi per milites, in foveas mitti, & alias tractari turpiter contra ecclesiasticam libertatem: ipsosque milites propterea incidere in canonem latæ sententiæ, nosq; etiam oportere contra eos procedere: unde tam contra nos, quam contra ecclesiam, moventur, licet injuste.

20. *De Missa & Divinis officiis.*

Item prohibemus, ut, excepto die nativitatis Do-

C minicæ, & nisi necessitas suadeat, non nisi unam Missam sacerdos cantet in die.

Præcipimus etiam, prout dominus papa statuit, ut sacerdotes dicant horas canonicas more suo: sed Missam celebrare, priusquam officium matutinale compleverint, non præsumant. Nam promovendi ad sacerdotium, & presbyteri qui præficiendi fuerint ecclesiarum regimini, debent examinari antea diligenter: sed præcipue de horis canonicis, & Missarum officiis, secundum distinctionem temporum exequendis, sint sufficienter instructi: quia ad hoc non sunt, nisi digni & idonei, admittendi. Cæterum unusquisque sacerdos in aureo vel argēteo solum, aut saltem stanneo calice, sacrificet, habens corporale de lino candidum

D & nitidum, & altare mundis vestimentis opertum, vel decentibus paramentis. Mulieres autem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino.

21. *De Chrismate.*

In chrismatis vero confectione, statutū domini PP. districte præcipimus observari: cujus tenor talis est.

„ Singuli quoque episcopi in suis ecclesiis, in die cœnæ Domini, possunt secundum formam ecclesiæ chrisma conficere ex balsamo quidem & oleo olivarum. Nam Spiritus sancti donum in chrismatis unctione

E confertur: & columba utique, quæ ipsum designat Spiritum, olivæ ramum ad arcam legitur retulisse. Intelligant vero hanc esse formam inter alia, ut singulis annis novum chrisma conficiant: ad quod si doctrinam non habent, a nobis postulent prout debent.

22. *De Purgatorio & aliis quæ sequuntur.*

Item præcipimus, clerum & populum Græcorum & Syrorū, instrui prout dominus papa determinavit, sic dicens: Deniq; cum veritas in Evangelio asserat, „ quod si quis in Spiritum sanctum blasphemiā dixerit, „ neque in hoc sæculo, neque in futuro dimittetur ei; „

per

» per quod datur intelligi quasdam culpas in præ-
» senti, quasdam vero in futuro posse sæculo relaxari;
» & Apostolus dicat, quod *uniuscujusque opus quale*
I. Cor. 13. » *sit, ignis probabit: & cujus opus arserit, detrimen-*
» *tum patietur; ipse autem salvus erit, sic tanquam*
» *per ignem*; & ipsi Græci vere ac indubitanter crede-
» re & affirmare dicantur, animas illorum qui susce-
» pta pœnitentia, ea non peracta, vel qui sine morta-
» li peccato cum venialibus tantum & minutis dece-
» dunt, purgari post mortem, & posse suffragiis eccle-
» siasticis adjuvari. Nos, quia locum purgationis hu-
» jus dicunt non fuisse sibi ab eorum doctoribus cer-
» to & proprio nomine indicatum: illum quidem jux-
» ta traditiones & autoritates sanctorum patrum, pur-
» gatorium nominantes, volumus quod de cætero
» apud ipsos isto nomine appelletur. Illo enim transito-
» rio igne peccata utique, non tantum criminalia, seu
» capitalia, quæ prius per pœnitentiam non fuere re-
» missa, sed parva & minuta purgantur, quæ post
» mortem etiam gravant, si in vita non fuerint rela-
» xata.

» Si quis autem absque pœnitentia in peccato mor-
» tali decedit: hic proculdubio æternæ gehennæ ardo-
» ribus perpetuo cruciatur.

» Animæ vero parvulorum, post baptismi lavacrum,
» & adultorum etiam in caritate decedentium, qui nec
» peccato, nec ad satisfactionem aliquam pro ipso te-
» nentur, ad patriam protinus transvolant sempi-
» ternam.

23. *De Simoniacis.*

Omni præterea districtione qua possumus præcipimus, tam episcopis quam aliis sacerdotibus Græcis, sepulcrum & sepulcra * terra: omniaque denique ecclesiastica sacramenta omnino libere conferant, cessantibus conventionibus, & omnibus quæ in fraudem possent fieri circa hæc. Qui enim contrarium perpetrat, non est dubium ipsum simoniam committere, & esse cum Simone mago æterna pœna damnatum.

24. *Ut prædicta publ centur.*

Prædicta omnia per episcopos volumus in suis locis, tam clericis, quam laïcis, saltem quater in anno exponi: congregatis ipsis in loco aliquo ad hoc apto. Hoc idem præcipimus, essores* in suis locis, item magistris, capellanis Græcis, qui sunt in civitatibus vel alibi constituti.

*f. ephoris.

25. *Casus episcopo reservati.*

Volumus & statuimus, quod, sicut hactenus observatum est, majora ad archiepiscopum, & ad episcopos in suis diœcesibus reserventur, ut sunt, homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam, incestus, ut est cum consanguineis, vel monialibus commisceri, stupra virginum, injectiones manuum in parentes, suffocationes parvulorum, perjuria, incendia, restitutio ablatorum & illigitime acquisitorum, in solemnes pœnitentias imponenda. Item excommunicatos absolvendos. Item mutationes votorum peregrinationis vel abstinentiæ. Item perjurium solemniter factum in omni curia.

26. *Bonifacius Papa.*

Est pars Clementinæ Dudum, *de sepulturis.*

Si vero iidem prælati præfatis fratribus ad confessiones ut præmisimus, audiendas electis, hujusmodi exhibere licentiam recusaverint: nos ex nunc ipsis, ut confessiones sibi confiteri volentium libere liciteque audire valeant, eisque pœnitentias imponere salutares, atque eisdem absolutionis beneficium impertiri, gratiose concedimus de apostolicæ plenitudine potestatis. Per hujusmodi autem concessionem nequaquam intendimus, personis seu fratribus ipsis, ad id taliter deputatis, potestatem in hoc impendere ampliorem, quam in eo curatis, seu parochialibus sacerdotibus est a jure concessa: nisi forsan eis ecclesiarum prælati uberiorem in hac parte gratiam specialiter ducerent faciendam. Hujusmodi quoque statuto & ordinationi nostris adjicimus, ut fratres dictorum ordinum, in ecclesiis & locis suis ubilibet constitutis, liberam, ut sequitur, habeant sepulturam: videlicet, quod omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis, & in ecclesiis memoratis. Verum ne parochiales ecclesiæ, ac ipsarum curati sive rectores, qui ministrare habent ecclesiastica sacramenta, quibus noscitur de jure competere prædicare, seu proponere verbum Dei, & confessiones audire, fidelium debitis & necessariis beneficiis defraudentur, cum operariis mercedis exhibitio debeatur: autoritate statuimus & ordinamus eadem, ut fratres ordinum prædictorum, de obventionibus omnibus, tam funeralibus, quam quibuscumque, & quomodocumque relictis, distincte vel indistincte, ad quoscumque certos, vel determinatos usus, de quibus etiam quarta seu canonica portio dari, sive exigi non consuevit, vel non debet de jure, necnon de datis, vel qualitercumque donatis in morte, seu mortis articulo, aut infirmitate donantis vel dantis, de qua decesserit, quomodocumque, directe vel indirecte, fratribus ipsis vel aliis pro iisdem quartam partem quam autoritate apostolica taxamus, & etiam limitamus, parochialibus sacerdotibus, & ecclesiarum rectoribus, seu curatis, largiri integre teneantur: facturi & curaturi, quod nec alii, nec aliis a quibus quarta hujusmodi minime deberetur, ad ipsorum fratrum utilitatem vel commodum, hujusmodi fiant relicta, aut in eos taliter data vel donata procedant; seu quod in morte vel ab infirmis hujusmodi, dandum, vel donandum fratribus ipsis existeret, in eorumdem dantium vel donantium sanitate, sibi dari vel non donari procurent. In quibus per ipsos vitandis, eorum intendimus conscientias onerare: ut si, quod absit, per fratres ipsos dolo vel fraude quicquam in hac parte agi fortasse contigerit, præter id quod eos propterea dictis sacerdotibus, rectoribus, & curatis teneri volumus, etiam districta ratio in extremo judicii requiratur examine ab eisdem. Ultra portionem autem hujusmodi nil valeant parochiales sacerdotes, rectores, curati, & prælati exigere supradicti: neque illis amplius dicti fratres impendere sint astricti, neque ad id a quoquam possint aliquatenus coërceri.

27. *Hoc congruit sacerdotibus ecclesiæ, episcopis & presbyteris, qui grave pondus pœnitentiæ imponunt, ipsi vero minime agunt de peccatis suis.*

Talis ergo pœnitentia imponenda est peccatori, quam possit ferre. Accipe exemplum. Si posueris super humeros innocentis, onus, quod non possit bajulare: necesse, est ut aut onus rejiciat, aut sub onere confringatur. Similiter si peccatori grave pondus pœnitentiæ imposueris: necesse est, aut ne pœnitentiam faciat in desperationem cadens, aut ipsi oneri succumbat. Melius est namque, ut de misericordia arguatur sacerdos in die judicii, quam exhibuit erga pœnitentes, quam de nimia crudelitate.

CON-

CONSTITVTIO

Qua declarantur & denunciantur excommunicati, Recitata ann. M. CCLI. in magno cœmeterio ecclesiæ Nicosiensis.

A Vtoritate domini papæ denunciamus excommunicatos omnes hæreticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur. Item fautores, receptatores, & defensores eorũ. Item omnes qui de ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana ecclesia prædicat & observat. Item omnes qui de cætero servari fecerint statuta & consuetudines introductas contra ecclesiasticam libertatem. Item scriptores dictorum statutorum & statutarios: necnon rectores & consiliarios locorum, ubi de cætero statuta, & consuetudines hujusmodi editæ fuerint vel servatæ: & illos qui secundum illas præsumpserint judicare, vel in publicam formam scribere judicata. Item præcipimus districte, & sub pœna excommunicationis universis Græcis qui sacramenta confirmationis & matrimonii juxta morem ecclesiæ Romanæ, & ecclesiæ Nicosiensis, receperunt, & etiam iis qui ex prædictis sunt procreati; ut de cætero, semel saltem in hebdomada, die scilicet Dominica, in majori ecclesia Latinorum Nicosiensi ad audiendum Divinum officium conveniant, & ibidem confiteantur Latino presbytero, saltem semel in anno, sua peccata, & ab eadem ecclesia juxta morem Latinorum omnia ecclesiastica recipiant sacramenta eadem de cætero, nisi forte in necessitate, juxta mores & ritus Græcorum nullatenus recepturi. Quod si aliqui, quod Deus avertat, contra fecerint, sententiam excommunicationis, & pœnam etiam aliam, non immerito poterunt formidare. Item denunciamus excommunicatos universos qui Romanam ecclesiam dicunt & asserunt non esse caput omnium ecclesiarum, & eidem tanquam capiti obedire recusant. Item omnes qui deferunt arma, ferrum, lignamina, vel alias res prohibitas, Saracenis, vel regimen exercent in eorum navibus vel galeis. Item omnes presbyteros & diaconos Græcos, qui non fecerunt, nec facere volunt obedientiam ecclesiæ Romanæ, & ecclesiæ Nicosiensi. Item omnes usurarios manifestos. Item omnes sortiarios & sortiarias, divinos & incantatores. Item omnes caoetos & caoetas. Item omnes qui publice in domibus suis manutenent & sustinent ludum hazardi. Item omnes illos qui aliquo modo domos suas concedunt publicis meretricibus ad commorandum in eisdem: vel postquam intellexerint eas tales, ipsas in suis domibus esse permittunt. Item denunciamus excommunicatos omnes piratas seu cursarios, qui scilicet in mari, vel fluminibus, vel etiam in terra, mercatores & alios Christianos spoliant bonis suis. Item receptatores, seu defensores eorumdem, & qui eis in suis maleficiis præbent consilium, auxilium vel favorem. Item omnes apostatas nostræ diœcesis, masculos aut feminas, qui scilicet dimisso vel abjecto habitu religionis, seculariter viventes, ad sæculum sine licentia ecclesiæ redierunt. Item omnes qui sponsalia vel matrimonium clandestine contrahunt, vel etiam contraxerunt: vel qui his præsumpserint interesse. Item denunciamus excommunicatos omnes, qui non restituunt vel restitui faciunt integre & plenarie decimas ecclesiæ Nicosiensi de omnibus possessionibus, animalibus, apaltibus, & redditibus suis, & qui inde semina, expensas, vel angarias, ante earum restitutionem deducunt: vel qui in ipsis solvendis fraudem aliquam committunt. Recitata sunt prædicta populo in magno cœmeterio Nicosiensis ecclesiæ, in die Palmarum, tempore domini Hugonis Nicosiensis electi, consecrati, anno Domini MCCLI. nono Id. April. & eodem modo anno sequenti.

CONSTITVTIO HELIÆ ARCHIEPISC.

De canonicis supernumerariis.

In nomine Domini, amen.

NOs frater Helias, Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Nicosiensis, vigilantes attente circa honores & utilitates nostræ Nicosiensis ecclesiæ: considerantes quod propter jamdudum canonicos in eadem nostra ecclesia expectantes, ipsam nostram ecclesiam intolerabilia oportuit supportare: volentes itaque prædictis, & indemnitati ipsius nostræ ecclesiæ providere: de voluntate, beneplacito, consilio, & assensu venerabilium virorum dominorum Leodegarii de Nabinalis decani, Baliani Guecii, Antonii Marbre, & Bernardi Coste, canonicorum & capituli nostræ Nicosiensis ecclesiæ, ibidem præsentium, & ad hoc specialiter convocatorum, cum plures tunc non essent in eadem nostra ecclesia canonici residentes, nec in loco, ubi citari vel vocari deberent: præsenti nostra constitutione sancimus, statuimus, & ordinamus, quod de cætero nullus canonicus, quantumcumque sit in sacris ordinibus constitutus, sub expectatione præbendæ vocem in capitulo & stallum in choro sibi debeat vendicare: nec amucias deferre de vario, seu profestis duplicibus aliquid de secreta nostra, vel aliunde, vel exenia aliqua recipere, nec in aliquo se tanquam canonicus intromittere, donec præbendam fuerit pacifice assecutus. Et prædictam nostram constitutionem mandamus, & volumus debere de cætero inviolabiliter observari: non obstantibus quibuscumque consuetudinibus ipsius ecclesiæ, retroactis temporibus observatis.

ORDINATIONES SEV INSTITVTIONES domini Odonis Tusculani episcopi apostolicæ sedis legati in regno Cypri, an. M. CC. XLVIII.

Odo miseratione divina Tusculanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, universis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino.

COnsiderantes quod dispensatio nobis credita est, unde væ nobis si tacuerimus, vel si non sparserimus, ad Nicosiensem ecclesiam personaliter accedentes, ibidem visitationis officium impensuri. Quia juxta canonicas sanctiones, visitationis officium exercentes, prædicationi & exhortationi, correctioni & reformationi debent intendere: post prædicationis & exhortationis a nobis verbum propositum, prout Dominus ministravit, tam venerabilem patrem E. archiepiscopum in verbo sacerdotis, quam personas & alios canonicos & clericos ejusdem ecclesiæ astrinximus juramento, quod super his quæ correctionis vel reformationis bono in capite, aut in membris, ac statu ipsius ecclesiæ, indigent, nobis quam scirent dicerent veritatem.

I. Itaque quia circa statum ecclesiæ quædam per inquisitionem factã invenimus reformanda, & quædam etiam corrigenda; in primis quoniam quod salubriter a sanctis patribus extitit diffinitum: ut videlicet synodus seu episcopale concilium bis in anno certis tem-

temporibus ad correctionem excessuum, & morum informationem, necnon & provinciale concilium annis singulis celebretur, in quo de his quæ pertinent ad totius provinciæ bonum statum communiter ordinetur, majoresque insuper audiantur querelæ, in tota Cypri ecclesia, non sine culpa maxima invenimus omnino neglectum: districte præcipimus, ut tam episcopalis synodus, quam provinciale concilium, in ecclesia regni Cypri de cætero annis singulis habeantur: in quibus ea diligenter & devote tractentur, quæ in sacris ordinibus continentur, & ad pacem & salutem pertinent animarum. Caveant autem tam archiepiscopus, quam episcopi regni Cypri, ne nostrum præceptum negligant in hac parte: quia si in hoc eorum aliquem amplius culpabilem inveneri- B mus, poterunt non immerito formidare, ne ab eis exigamus culpam tam præteritam quam præsentem.

II. Et licet fuerit in Lateranensi concilio salubriter ordinatum, ut in singulis cathedralibus ecclesiis, de grammatica, & in metropolitanis similiter, & nuper, de theologia, habeantur magistri, qui alios instruant ignorantiam effugere in seipsis, quæ est mater cunctorum errorum, & imbuere alios scientiæ margarita; & hoc tamen statuto tam utili nullus aut modicus in regno Cypri fructus provenerit hactenus, cũ, sicut dolentes referimus, illud ibidem vix aut nunquam extiterit observatum: propter quod præter tantæ transgressionis culpam, qua graviter offenderunt C oculos majestatis Divinæ, timendum valde est hoc negligentibus, quod procul dubio ab eis ratio districtissime exigetur pro animabus, tam illorum, quam suorum subditorum, cum essent cæci & cæcorum duces, cum his quos duxerint lapsi sunt in foveam infernalem; quam illorum etiam quos duxerint. Quos etiam tanto minus constat excusabiles esse in hac parte, quanto a locis in quibus super prædictis habetur studium, remotiores existunt, cum vel paupertate coacti, vel locorum distantia, aut difficultate viarum territi, vel maris periculo, illuc ubi studetur, pauci, vel nulli, de his partibus ire audeant sive possint. Volentes igitur morbo tam gravi ac periculoso celeri remedio subvenire, ne & nos etiam hoc negli- D gentes cum negligentibus condemnemur: districte & sub interminatione Divini judicii præcipimus archiepiscopo Nicosiensi, quatenus omni mora, excusatione, aut difficultate postpositis, magistros de theologia & grammatica in civitate Nicosiensi de cætero esse faciat & docere, quibus provideatur juxta statuta concilii antedicti Et nihilo minus, si opus fuerit, ut omnis impedimenti tanti boni tollatur materia, amplioribus beneficiis inducantur, quos gratis docere volumus, ne aliquo exactionis timore scholares se subtrahant a discendo: & hæc eadem præcipimus suffraganeis ecclesiæ Nicosiensis circa magistros grammaticæ facultatis.

III. Ad hæc, tam archiepiscopo quam episcopis, aut vicariis eorumdem, districtissime prohibemus, ne ad E excommunicandum sint faciles, aut ex levi causa excommunicationis sententias fulminent in subjectos: quia ex hoc subrepit contemptus clavium, & multa pericula proveniunt animarum.

IV. Cæterum quia totum quicquid agimus ad hoc debet tendere, ut animarum provideatur saluti: præcipimus tam archiepiscopo, quam episcopis, ut in suis ecclesiis magistros capellanos, qui curam teneantur agere animarum, non sicut hactenus omnino illiterato instituant, sed potius tales qui alicujus saltem litteraturæ existant, ut artium artis, curæ videlicet animarum, aliquam peritiam habeant, & tanquam dociles ad studium excitentur: quos perpetuo volumus in suis remanere officiis, nisi justa causa quocumque ipsos exigat amoveri. Quibus etiam volumus in Nicosiensi ecclesia quadraginta, & in aliis viginti quinq; Bysantios albos, ultra id quod nunc de more percipiunt, ut honestius ac libentius serviant, exhiberi: & etiam ut propter victus tenuitatem non compellantur extendere ad illicita manus suas.

V. In aliis etiam parochiis, tam civitatum quam diœcesum, idonei & perpetui instituantur presbyteri: quibus, ne in opprobrium cleri mendicare cogantur, & se propter inopiam a suis parochiis absentare: præcipimus, ut cuilibet consueti redditus, sine diminutione aliqua aut difficultate, debitis temporibus persolvantur: & ut quælibet parochia, ornamenta decentia, & libros, & calicem argenteum habeat, jubemus districte. Et quia intelleximus a pluribus fide dignis, quod paucæ sunt parochiæ Latinorum in diœcesi Nicosiensi, propter quod nonnunquam plura proveniunt pericula animarum: volumus, & præcipimus Nicosiensi archiepiscopo, ut ad præsens unam de novo statuat parochiam in casali suo de Fandia, vel ibi prope, ubi magis cognoverit expedire.

VI. Vt autem tam personæ, quam canonici, assisi, & alii clerici, propter moram aut difficultatem solutionis eorum quæ percipere debent, occasionem nullam habeant se a Divinis, seu ecclesiæ officio subtrahendi: districte præcipimus, ut ea quæ consueverunt percipere, ipsis integre suis temporibus & sine difficultate qualibet persolvantur: quia non est minima pœna, non solum frequenter, sed vel etiam quotiescumque, respicere ad manus alienas.

VII. Quia vero ex eo quod cedentibus vel decedentibus ecclesiarum prælatis, vix invenitur aliquis qui possessiones, redditus, aut jura noverit ecclesiarum, nonnunquam contingit ecclesiis circa sua jura multa pericula provenire: ut contra morbum hujusmodi salubriter provideatur ecclesiis, ordinamus atque præcipimus tam archiepiscopo, quam episcopis, & aliis prælatis ecclesiarum regni Cypri, quatenus infra duos menses, omnes possessiones, redditus, atque jura ecclesiarum suarum investigent diligenter, & fideliter atque distincte conscribant, tradantque suis capitulis unam scripturam suo sigillo munitam, in suis archivis diligentius conservandam; aliamque ejusdem tenoris ipsi conservent similiter sigillatam.

VIII. Adjicimus etiam antedictis, ut tam archiepiscopi, quam episcopi, solicitius & libentius, quam huc usque fecerint, Divinis atque spiritualibus rebus intendant, & his quæ ad salutem pertinent animarum: spiritualia temporalibus præponentes, & non e converso, ordine perturbato. Quia si hoc fecerint quod jubemus, juxta veritatis verbum hæc omnia adjicientur, dum primo tam sibi quam suis subditis quæsierint regnum Dei.

IX. Ad hoc, quia aliquando, sicut dicitur, decanus fuit in Nicosiensi ecclesia, licet hoc in dubium revocetur, & præcipue quia invenimus quod dicta ecclesia maxime indiget hujusmodi personatu: statuimus, ut in Nicosiensi ecclesia de cætero sit dignitas decanatus, percipiatq; decanus quantum duo canonici, & habeat curam animarum, personarum, canonicorum, & clericorũ ecclesiæ memoratæ. Iurisdictionem tamen aliquam contentiosam non habebit. Sitq; major persona post archiepiscopum, tam in capitulo, quam in choro: vigiletq; circa bonũ & honestũ statũ, tam spiritualium, quam temporalium omniũ, ecclesiæ supradictæ. Volentes, ut idem decanus in Nicosiensi ecclesia ad residentiam continuam teneatur: & ut super hoc in sui receptione præstet corporaliter juramentum. Si vero qui electus fuerit in decanum, sacerdos non fuerit: in institutione sua jurabit, quod infra

infra annum in sacerdotem se faciat promoveri. Cum vero decanus receptus fuerit, archiepiscopo Nicosiensi homagium facere teneatur. Decani vero electio ad capitulum pertineat, ita quod de ipsius gremio ecclesiæ fiat: confirmatio vero & institutio, ad archiepiscopum pertinebit.

X. Verum quia invenimus, quod antiquitus, quando longe minus abundabat in redditibus eadem ecclesia, sexdecim fuere in ea canonici, licet postea paulatim per negligentiam hujusmodi numerus multũ extiterit diminutus, quanquam multum excreverint, sicut comperimus, redditus ecclesiæ memoratæ: statuimus, ut in eadem ecclesia de cætero XII. canonicorum numerus habeatur; qui si non resideant, nihil percipiant de eadem, nisi de licentia archiepiscopi, cum consensu capituli, fuerint absentes causa studiorum, aut captivi ab hostibus teneantur, vel pro negotiis ecclesiæ, aut capituli, si cum archiepiscopo causam habeant, absentes fuerint; & tunc solus consensus capituli exigatur. Poterit autem archiepiscopus unum aut plures secum habere de suis canonicis, & similiter episcopi, juxta canonicas sanctiones. Insuper ordinamus, ut post mortem canonici ejusdem ecclesiæ, alius canonicus substitutus eidem, & residens, integre percipiat omnia sicut suus perceperat prædecessor.

XI. Ad hoc ut pensum suum omnes jugiter in ecclesia, ubi beneficium percipitur, Deo reddant, nisi causa probabili excusentur: statuimus, ut canonicus qui de aliquo sibi ascripto defectum fecerit, in sex denariis pro vice qualibet puniatur. Assisius vero, qui secundum tabulam in defectu fuerit, vel horis defuerit, districtius corrigatur.

XII. Et quia Nicosiensis ecclesiæ ordinarium, prout intelleximus, in multis deficit, propter quod in eadem ecclesia frequenter contingit servitium fieri perturbate: præcipimus, ut ad * alicujus magnæ, & sæcularis ecclesiæ regni Hierosolymitani, dictum ordinarium reformetur; & ut in diebus profestis in matutinis lectiones legantur in medio choro, non in pulpito, de quo ab his qui sunt in choro parum auditur aut nihil.

* Deest forte exemplum.

XIII. Cumq; etiam invenerimus, aliquando fuisse ab ecclesia Cypri in provinciali concilio statutum, ut canonici Nicosienses in sua ecclesia, per se vel per vicarios, faciant septimanas, & hoc fuisse neglectum: nos justum reputantes & sanctum, ut qui sentit commodum, expers minime sit laboris, hoc idem in eadem ecclesia præcipimus de cætero inviolabiliter observari. Sed volumus, ut per vicarium non canonicum tunc servire possit canonicus, cum secundum consuetudinem Nicosiensis ecclesiæ, vel aliarum ecclesiarum regni Hierosolymitani, persona canonica alicui servitio specialiter deputetur.

XIV. Volumus etiam, ut persona duos clericos non assisios, & canonicus unum, in domo secum teneant: qui & eos associent, & ex quibus numerus servientium in ecclesia augmentetur.

XV. Inhibemus præterea, ne aliquis chorum ingrediatur post primum *Gloria patri* primi psalmi: & ne ingressus, ante finem illius horæ, sine causa rationabili exeat: vel in choro loquatur, nisi de his quæ pertinent ad officium, quod tunc fiet: sed nec discalceatus aut sine caligis quisquam in choro compareat, sive in habitu inconsueto, vel etiam inhonesto. Quod si quis, circa hoc quod de choro, vel ejus honestate statuimus, deliquerit: per cantorem, si fuerit in minoribus ordinibus, vel per Decanum, si fuerit in majoribus ordinibus, corrigatur: salvis tamen aliis juribus & honoribus cantori Nicosiensi,

A secundum consuetudinem in eadem ecclesia hactenus observatam.

XVI. Quia vero, præsertim secundum hæc mala tempora, maximam decet circa sigilli custodiam diligentiam adhibere: volumus, ut sigillum capituli sub duabus custodiatur clavibus, quæ aliquibus discretis de capitulo per ipsum capitulum committantur: quas sine difficultate, cum voluerit capitulum, repetere poterit aliis de capitulo committendas.

XVII. Insuper comperimus, quod tamen ægre ferimus, non sine præsumptione damnabili & scandalo laicorum, in Nicosiensi ecclesia iam pro consuetudine observatum, quæ dicenda est potius corruptela, ut cum processio pro mortuo petitur, ante omnia certa pecunia vel fidejussores, aut pignora exigantur; similiter pro campanarum pulsatione, & fossa

B pro mortuo facienda; & etiam tam in sponsalibus, quam in matrimoniis contrahendis, & dum pueri baptizantur, clericus unum bysantium vel plures, de cereo quem ad honorem portant laïci violenter aufert, sicut nobis extitit intimatum. Quæ omnia & singula, sive similia, tanquam perniciosa districtissime prohibemus: volentes, ut omnino nihil pro hujusmodi aut similibus exigatur. Sed præcipimus, ut omnia exhibeantur liberaliter atque gratis. Quod si contingat, laïcos circa hujusmodi laudabiles consuetudines non servare: ad illud compelli poterunt, juxta statutum habitum super hoc, ut fuerit rationis.

XVIII. Quanquam autem lumen luminum, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mun-* Ioan. I.

C *dum*, luce materiali non egeat: pia tamen fuit statutum devotione, ut dum nostri redemptoris corpus ad infirmatum deportari contingit, ipsum ob sui reverentiam lumen materiale præcedat: nec tamen ad hoc tam modicum, in ecclesia Nicosiensi est aliquis certus redditus deputatus. Unde, quod non sine rubone referimus, contingit ut pro hujusmodi habenda candela, pro ecclesia mendicetur. Nolentes itaque in hac parte Iesu Christi ignominiam sustinere: præcipimus, ut antequam cera, quæ provenit ecclesiæ, dividatur, tantum ad hunc usum accipiatur de ea, ut ei qui dat omnia detur aliquid, quod commode sufficiat, usque ad partitionem sequentem.

XIX. Invenimus etiam, quod canonici Nicosiensis ecclesiæ in sui receptione jurabant, secreta capitu-

D li, & jura ecclesiæ conservare. Sed quia jamdudum id neglectum extitit: præcipimus, ut qui non juraverunt jam recepti, & qui recipiendi deinceps fuerint, præstent hujusmodi juramentum. Non tamen intelligimus, ut in expensis propriis canonicus jura ecclesiæ suæ prosequi teneatur, vel solus: sed ut majori & saniori parti capituli, cum oportet, in his consentiat bona fide.

XX. Cum autem, sicut accepimus, novi panni serici, qui in lectis mortuorum apud Nicosiensem ecclesiam sive in ejus cœmeterio sepeliendorum ponebantur, cedebant ad ipsius ornatum ecclesiæ, & hoc fuisse a paucis temporibus immutatum: volumus,

E ut de cætero, prædicto usui sine diminutione aliqua deputentur.

XXI. Licet autem sancti Dei sint a tota ecclesia honorandi, super quos post Christum sua jecit fundamenta: specialiter tamen ibidem eorum est habenda memoria veneranda, ubi vitam finiere temporalem, adipiscentes æternam. Cum igitur non " multos apud Cyprum sanctos legamus ad dominum migrasse, videlicet Barnabam, Epiphanium, Hilarionem, Nicanorem, Triticum, Iasonem, & Spiridionem, Aymonem & Alexandrum, Potamium & Nemesium; & pro tribus illorum tantum in Nicosiensi

¥. nonnullos.

Kkkkkkk ij ecclesia,

Ecclesia, intellexerimus novem fieri lectiones: nolentes, ut aliis honor debitus subtrahatur, præcipimus, ut per omnes ecclesias Latinorum in Cypro, in die festo cujuslibet prædictorum fiant novem lectiones de martyribus sive confessoribus, prout decet.

XXI. Et ut quantum possumus provideamus, ne quid desit cum sacerdotes oportet offerre hostiam salutarem, quando maxime offerentem cor decet habere pacatum: volumus ut cum capellanum, quem venerabilis E. Nicosiensis archiepiscopus instituit, ut tam pro se quam pro suis prædecessoribus celebret, & Assisium qui tempore vicis suæ in ecclesia Nicosiensi celebrat pro defunctis, oportebit cantare, utrique ad serviendum sibi in Missa, aliquis de subdiaconis, vel acolytis, per septimanas vicissim per tabulam sive matriculam deputetur.

XXII. Ne autem prædicta per ignorantiam aut oblivionem aliquatenus negligantur: volumus, ut tam archiepiscopus, quam capitulum, sub nostro sigillo ea recipiant duplicata: quorum unam scripturam archiepiscopi, qui pro tempore fuerint, custodiant; altera vero penes capitulum conservetur. Et nihilominus in aliquo magno ipsius ecclesiæ libro, in fine vel in principio transcribantur ut eorum copia & notitia ab omnibus de ecclesia facile habeatur.

Actum anno Domini MCCXLVIII. mense Martio.

CONSTITVTIO ODONIS LEGATI

Contra Simoniacos.

Lata in concilio provinciali Syriæ an. M.CC.LIV.

Venerabili in Christo patri H. Dei gratia archiepiscopo Nicosiensi, vel ejus vicariis: Odo miseratione Divina Tusculanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, salutem & sinceram in Domino caritatem.

NOverit paternitas vestra, nos zelantes animarum providere saluti, volentesque tollere scandalum laïcorum, & quasdam consuetudines abusivas, quæ per partes cismarinas invaluerunt, & per quas decoloratur honestas ecclesiæ, de consilio & consensu prælatorum Syriæ nuper edidisse quædam statuta, quorum tenor talis est.

Legitur quod primus gradus innocentiæ, est odisse nefanda: nec prodest alicui non puniri proprio, qui puniendus est alieno peccato. Hinc est quod propheta petens mundari ab occultis propriis, precatus est ut ei parcatur ab alienis peccatis: quæ habenti potestatem corrigendi, fiunt propria, si ea corrigere negligat vel omittat. Nos igitur præcavere volentes, ne nobis aliena crimina imputentur, cum nobis, licet indignis & insufficientibus, ex injuncto officio incumbat evellere & destruere, disperdere & dissipare vitia, & ædificare & plantare virtutes: quædam quæ non plantavit pater cœlestis, intendimus evellere ex agro, cujus custodia nobis a Domino est commissa.

Frequens necnon & assidua nos querela circumstrepit, & in tantum clamor ascendit contra clericos cismarinos, quod ipsum dissimulare ulterius sine scandalo non valemus, nec sine periculo tolerare. In multis siquidem casibus deformatur & decoloratur honestas ecclesiæ cismarinæ, derogaturque statutis sanctorum patrum, per quasdam abusiones, & perversas consuetudines, quæ debent dici potius corruptelæ. In nonnullis enim ecclesiis cismarinis delinquunt clerici contra ecclesiastica sacramenta, exponendo ea venalia: quod fieri non potest sine vitio simoniacæ pestis; quæ sicut sua magnitudine alios morbos vincit, ita sine dilatione, mox ut ejus signa claruerint, debet de Dei ecclesia eliminari radicitus & propelli. Dicitur enim, quod cum quis elegerit sepulturam in cœmeterio sancti Nicolai Acconensis, vel alibi in cœmeteriis in cismarinis partibus constitutis: canonici seu clerici processionaliter prosequi nolunt corpus defuncti, nisi pro processione certum stipendium habeant, quod postmodum inter se dividant: societatis humanæ vinculum contemnentes & fidei, quæ quadam fraternitate nos unit, & mutua servitia nos admonet gratis ad invicem impartiri. Item cum propinqui defuncti faciunt fieri aliquod monumentum lapideum in cœmeterio subtus terram, coguntur solvere unam litram olei, quæ continet IV. quarteronos, vel aliud precium, clericis ecclesiæ ad quam spectat illud cœmeterium, nec aliter sine precio possunt super hoc licentiam obtinere. Item cum in cœmeteriis monumentum, sive ædificium fit per aliquem, qui quandoque alicubi ad hoc est specialiter constitutus, vel alium: ipse certum pretium recipit pro labore, de quo duas partes recipit pro labore, & tertiam recipit ecclesia cujus est cœmeterium: & quandoque aliam portionem. In quibus duobus articulis proximis terram sanctam ministri ecclesiæ, in qua talia fiunt, videntur vendere: immemores ejus, quod dum Abraham ab Ephron sepulcrum ad humandum corpus suæ conjugis precio postularet, Ephron primo precium accipere renuit, ne commodum ex cadavere videretur consecutus. Si ergo tantæ considerationis vir paganus fuit, quanto magis nos sacerdotes & clerici, qui fideles sumus, hoc facere non debemus? Item quidam, ut dicitur, pro puero baptizando, cum portatur ad fontes, certum precium exigunt: & pro alba, sive veste candida, quæ sacra vestis est, si indigenti vel non habenti pro puero baptizando accommodetur, certum similiter precium exigunt, licet postmodum restituatur eisdem. Item & cereum, qui propter honorem baptizati ac parentum ad domum eorum cum puero accensus deportatur, exigere, nec aliter deportare permittunt, nisi prius cautione recepta quod restituatur eisdem, licet neutrum istorum inter oblationes necessarias numeretur. Item pro sponsalibus contrahendis exiguntur a prælatis quibusdam tres solidi, sive raboinus unus, vel aliud precium: nec volunt aliter suam præsentiam exhibere. Item & cum matrimonium volunt contrahentes in facie ecclesiæ solemnizare, quadraginta tres denarij, vel aliud precium primitus extorquetur ab eis: nec aliter volunt prælati quidam ad ea suum officium aut ministerium exhibere, vel facere solemnitates, vel concedere ut fiant. Item & pro officio circa celebrationem nuptiarum impendendo, quoddam ferculum & duas phialas vini, vel aliquod simile precium, a nubentibus exigunt & extorquent. In quibus prædictis multum offendunt canones, & ecclesiasticæ derogant honestati: cum secundum beatum Gregorium, dignum sit, ut sicut ordines, prælaturas, & beneficia ecclesiastica gratis accipiunt, ita ea quæ ad eorum spectant officium, gratis distribuere petentibus teneatur.

Item asseruntur quidam sacerdotes, & alii in sacris ordinibus constituti, sub colore servitii tenere secum in domibus propriis quasdam mulierculas, cum quibus inhoneste, ut dicitur, aliqui conversantur; vel per ipsarum ministerium, aliarum subintroductio aliquibus procuratur. Item & aliud vitium irrepsit apud quosdam, quod quando aliqui contrahere volunt per verba de futuro sponsalia, pœna pecuniaria

cuniaria de matrimonio contrahendo apponitur: & quandoque certum tempus præfigitur, infra quod contrahi matrimonium debeat; & plerumque fit sine temporis præfinitione. Et cum certum tempus apponitur, si non contrahant infra illud, quamvis postmodum velint contrahere, pœna propterea præfixa petitur a prælatis ecclesiæ, compelluntque partes ad solvendum sibi ipsam, in utilitates proprias convertendam. Item si post contracta sponsalia de futuro, pœna apposita de matrimonio contrahendo, contrahentes se ad invicem velint absolvere: petitur a prælatis pœna apposita, & ab utraque parte in solidum extorquetur. Et si unam dissentire contingat, altera consentiente: petitur pœna a dissentiente, & compellitur ad solvendum. Et plerumque etiam ab illo qui contrahere consentit, licet alter dissentiat, pœna solita, vel pro parte exigitur: quod satis crudele & avarum est, ut innocens puniatur. Et in his casibus nituntur infringere sacras constitutiones, quæ matrimonia debere esse libera decreverunt: cum nihil sit, in quo magis consensus liber & pacificus debeatur; nec locum habeat consensus, ubi metus vel coactio intervenit, quæ quodammodo partibus ingeritur, cum hujusmodi exactio intercedit; & ubi consensus cujusquam requiritur, oportet quod omnis coactionis materia repellatur. Si enim timore cogente dicat contrahens, sibi placere quod displicet: sæpe sequitur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire. Et in hoc casu responsum est de quadam, quæ contrahere recusabat, quæ monenda est potius quam cogenda: cum coactiones, difficiles soleant exitus frequenter habere. Quare patet, quod pœnæ exactio circa matrimonia, odiosa & inhonesta est, & in avaritiæ radice fundata, & ideo reprobanda: cum ea quæ ecclesiastica provisio ordinavit ad pacem & concordiam, & pro periculis evitandis, clerici trahant ad noxam. Et abominabile est & absurdum, ut quod in aliis condemnat ecclesia, sibi ad compendium trahat. Et videntur tales qui hujusmodi pœnas exigunt, ex fidei ruptione ac perjuriis gratulari, propter emolumentum quod consequuntur ex eis; vel malos exitus nuptiarum appetere, ad quas compellunt per coactiones hujusmodi renitentes, & etiam plerumque volentes, quod est iniquum. Insuper quod aliis prohibemus ut malum & illicitum, indecens est, ut illud licere nobis clericis existimemus: & in eo quod ab aliis exigere tenemur, nobis parcere non debemus.

Item & a quibusdam inolevit quoddam abominabile & horribile: videlicet quod celebratis solemnitatibus nuptiarum, statim quidam clericus ecclesiæ, in qua solemnizatum est matrimonium, portans aquam benedictam, cum pervenerit ad portam domus in qua debent se recipere nubentes, tenens quandoque candelas accensas in manibus, ponit eas sub conjugatorum pedibus, & accipit pro hujusmodi tam improbando officio XII. denarios, vel aliud precium: quod sortilegii vitio carere non dubitatur, quod improbatum est & canonibus inimicum, cum secundum canonicas sanctiones, arioli, aruspices, incantatores, sortilegi, atque cæteri sectatores hujusmodi abusionum quæ a zabulo inventæ dicuntur, eliminandi sint ab ecclesia, quæ sine macula & ruga est.

Nos igitur attendentes, quod hoc solum quod irreprehensibile est sancta defendit ecclesia, item quod cito sequitur lepra mercedem, & pecunia male acquisita corpus animumque commaculat, & quod inexpiabilis est venditi culpa mysterii: considerantes etiam, quod licet frequenter prohibitum sit a sanctis patribus, ne pro sepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, chrismatis oleique perceptione, baptizandis consignandisque fidelibus, seu quibuscumque aliis sacramentis ecclesiasticis, precium aliquod exigatur, nondum tamen cessatur, nec proficiunt statuta sanctorum apud quosdam, putantes hoc sibi licere, quia ex longa consuetudine extitit hoc obtentum, nec attendentes, quod tanto sunt graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam: cum scire debuerint, quod gratia, si non gratis datur vel accipiatur, non est gratia. Idcirco nos eorumdem sanctorum patrum sequentes vestigia, autoritate domini papæ qua fungimur, statuimus, decernimus, & irrefragabiliter sancimus, & in virtute obedientiæ præcipimus, ut de cætero pro sepulturis, processionibus mortuorum, & exequiis ac monumentis eorum, benedictionibus nubentium, chrismatis oleique perceptione, baptizandis consignandisque fidelibus, alba, cereo, seu aliis quibuscumque sacramentis ecclesiæ, nihil penitus per personas ecclesiasticas, pacto aut conventione præcedentibus, exigatur; sed gratis accepta dona Christi, gratuita dispensatione donentur: & consuetudines prædictas, quæ potius corruptelæ sunt, reprobamus. Si tamen ex postfacto gratuitum aliquid offeratur, vel ex devotione fidelium: sponte oblatum recipi non vetamus. Volumus tamen & præcipimus, ut albæ solicite requirantur (ne per malitiam hominum & astutias diaboli, in usus illicitos convertantur) & in usus ecclesiasticos applicentur. Et id quod de quinque candelis fit, in perpetuum reprobamus.

Circa exactionem vero pœnarum pecuniarium quæ vulgariter appellantur repetailles, vel aliorum, quocumque nomine censeantur quæ in matrimoniis & sponsaliis apponuntur, quia usitatum est malum, & a majoribus inolitum, majorisque quæstus, & ob hoc difficilius evelli timetur: statuimus & sancimus, ut si quis de nostra legatione, postquam præsens statutum ad notitiam ipsius pervenerit, contraire præsumpserit, vel fraudem aliquam circa hoc adhibuerit, ex eo tempore se noverit ipso facto ab officii executione suspensum. Sed ne crimina remaneant impunita, volumus ut parti resilienti, pro perjurio vel fide rupta, per prælatum loci pœnitentia competens imponatur. Interdicimus etiam, ne quis infra terminos nostræ legationis constitutus, pro sponsalibus faciendis, vel solemnizandi matrimonium licentia concedenda, exigat raboinum, seu aliquod aliud precium. Inhibemus etiam, ne pro celebratione matrimonii quadraginta tres denarii, vel aliquod aliud precium exigatur. Quod si quis ausu temerario contra aliquam duarum istarum inhibitionum aliquid exigere præsumpserit, ipso facto ab ingressu ecclesiæ usq; ad XX. dies continuos noverit se suspensum.

Verumtamen ut animarum periculis occurramus, venerabilibus patribus, patriarchis, archiepiscopis & episcopis infra terminos nostræ legationis constitutis, vel eorum vicariis, si præsentes non fuerint, concedimus potestatem absolvendi a sententiis antedictis eos, qui in suis civitatibus & diœcesibus incurrerint sententias antedictas. Ita tamen, quod antequam eis absolutionis beneficium impendatur, præstito juramento caveant, quod de cætero talia non attentent: & precium exactum restituant iis, a quibus exegerint, si eos potuerint invenire: si vero inveniri non potuerint, precium exactum restituant diœcesano episcopo, per provisionem ejus in usus pauperum applicandum. Si vero aliqui ex iis, qui propter exactiones prædictas inciderint in aliquam sententiam prædictarum, restituere non possint quod sic exactum est: talis eis pœnitentia in-

injungatur, propter cujus terrorem, tam ipse, quam A alii, a similibus arceantur.

Item districte inhibemus sub pœna amissionis beneficiorum suorum ecclesiasticorum, ne presbyteri, & alii in sacris ordinibus constituti, mulierem aliquam, cohabitandi vel serviendi causa, secum in domo teneant, nisi de illis personis sint quæ a canonibus permittuntur. Vbi enim est virorum & mulierum cohabitatio, stimuli carnis non desunt. Si qui vero contra hanc inhibitionem nostram fecerint, si moniti a superiori suo super hoc, desistere noluerint, ipso facto suis beneficiis sint privati, si qua habent; & illi ad quos spectat beneficiorum illorum collatio, ex tunc liberam habeant potestatem illa beneficia B personis idoneis conferendi. Si vero beneficia ecclesiastica non habuerint, per suos superiores pœna suspensionis vel excommunicationis ab hujusmodi flagitio arceantur.

Statuimus etiam, ut singuli patriarchæ, archiepiscopi, & episcopi, ad minus semel in anno, in diœcesibus suis synodum celebrent: & in illa synodo statutũ hujusmodi faciant publice recitari: & in libris matricis ecclesiæ conscribi ad perpetuã memoriã faciant.

Hujusmodi autem statutorum copiam vobis mittimus, mandantes, vestramque exhortantes in domino caritatem, ut ea publicari solemniter faciatis, in majori ecclesia Nicosiensi, convocato clero C civitatis ejusdem: & ita fieri faciatis per episcopos, vel eorum vicarios, in civitatibus vestræ jurisdictioni subjectis, necnon & per alia loca regni Cypri, quibus videbitis expedire: & circa eorum observantiam, adhibeatis & adhiberi faciatis curam & diligentiam efficacem. Actum in Accon[a], an. Dom. MCCLIV. VIII. Idus Augusti.

[a] *hoc est, Ptolemaide.*

CONCILIVM NIMOCIENSE

Ann. M.CC.XCVIII.

INcipiunt constitutiones sacri provincialis concilij celebrati apud Nimocium, per reverendos patres dominos, Gerardum archiepiscopum Nicosiensem, Nicolaum Paphensem, Berardum Nimociensem, episcopos: episcopo Famagustano tunc in remotis agente. Anno Domini MCCXCVIII. vigesima secunda die Septembris.

Gerardus Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Nicosiensis, dilectis in Christo universis ecclesiarum ministris per Cypri provinciam constitutis, salutem & paternæ caritatis affectum.

QVia labilis est humana memoria, idcirco ut quæ ad ædificationem pertinent & doctrinam, fortius & firmius observentur, si fuerint scripturæ officio animis impressa (quia quæ solo capiuntur auditu, potest ex facili solicitudo superveniens exsufflare: nos præcepta provincialia, ut melius sciantur, sanius intelligantur, & sine calumnia firmius & efficacius observentur, per hanc nostram scripturam volumus plenius declarare.

I. *De Baptismo.*

In virtute Domini nostri Iesu Christi districte præcipimus sacerdotibus & clericis universis, quatenus cum honore & reverentia, & devotione debita, singula ecclesiastica sacramenta, utpote Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam &c. populo exhibeant: & ut reverenter a subditis, & devote suscipiantur, ab iis sæpius in ecclesiis instruantur, dictos subditos admonentes, ut singulis diebus Dominicis in parochiali ecclesia conveniant, præcepta ecclesiastica audituri.

In baptismo vero adhibeatur discretio & cautela, & maxime in forma verborum quæ talis est: P. Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Et licet a solis sacerdotibus infantes debeant baptizari: tamen cum mortis vel infirmitatis maxima necessitas ingruerit, alii clerici & laïci, nisi adsint presbyteri, & etiam pater vel mater, si aliæ personæ defuerint, parvulis exhibeant sacramenta, ter mergentes in aqua, & non in alio liquore, dicentes prædictam formam. Et si laïcus nesciat Latinum, sententiam prædictorum verborum in suo vulgari dicat P. io te baptizo ou nom dou Pere, & dou Fis, & dou saint Esperit, amen. vel in alio idiomate suo. Cum vero contigerit, puerum ab alio quam a sacerdote baptizari, deferatur presbytero ad chrismandum: qui primitus diligenter inquirat antequam ipsum chrismate liniat, quod dictum vel factum fuerit. Et si præmissam formam invenerit observatam, ipsum chrismet: alioquin sub prædicta forma ipsum baptizet. Si vero probabiliter dubitetur de aliquo, an fuerit baptizatus: baptizetur dicendo, ego non rebaptizo te puer, sed si non es baptizatus, ego baptizo te, &c. ut prius.

II. *De fontibus sacratis.*

In ecclesiis in quibus de consuetudine baptizatur, fontes fiant lapidei & honesti, & ad sortilegia vitanda claves fontium penes sacerdotes sint. Pro eadem causa, chrisma & oleum similiter sub clavibus observentur. Ad levandum de fonte infantem, tres patrini tantum utriusque sexus admittantur: videlicet duo viri, & una mulier, cum masculus baptizatur; & e contra duæ mulieres & unus vir, cum femi- D na baptizatur: qui doceant puerum, aut docere faciant tempore suo *Pater noster, & Credo in Deum.* Et hoc omnibus patrinis post baptismum a sacerdotibus injungatur. Item propter vitanda pericula præcipimus, ne baptismus periculose differatur. Et frequenter a sacerdotibus populo hoc prædicetur. Et ne parvuli a parentibus vel nutricibus in lectis aliquatenus, sed diligenter in cunabulis collocentur. Et quia quædam nefandæ mulieres consueverunt proprios filios projicere: communiter instruantur, ut si quandoque istud, quod absit, contigerit, in signum baptismi non suscepti iuxta projectos sal apponatur, vel in collo ligetur. Item statuimus, ut sacerdotes patrinos & matrinas instruant, quod ipsi vel filii sui, E vel filiæ, non poterunt cum persona levata, matrimonialiter copulari: & hoc filiis suis & filialibus sæpissime protestentur.

III. *De Confirmatione.*

Volumus, quod presbyteri sæpe moneant populum suum, ut si adulti fuerint confirmandi, prius confiteantur peccata sua, & postmodum confirmentur. Pueri vero qui intelligere possunt, ad Confirmationem veniant. Si vero de aliquo, an confirmatus sit, dubitetur, & nulla possit haberi super hoc certitudo, confirmetur, sicut superius dictum est de baptismo: & dicant laïcis sæpius sacerdotes, quod istud non negligant sacramentum, cum in susceptione ipsius gratia roboretur.

IV.

IV. *De confessionibus.*

In confessionibus magnam adhibeant diligentiam sacerdotes, & confessiones audiant in ecclesia, ut ab omnibus valeant intueri: & ubi non erit ecclesia, utputa in casali, non in camera vel gardaroba, sed in capella, si fuerit, vel in palatio, seu in alio loco non suspecto, nisi necessitas aliud suaderet: usitata peccata diligenter inquirendo, & eorum circumstantias, puta, locum, dignitatem, scientiam, ordinem, votum, & ætatem. Si enim in loco sacro perpetratum fuerit peccatum, vel si aliquis dignitatem habens, ut prælatus, vel scientiam, ut clericus, vel ordinem, ut subdiaconus, diaconus & sacerdos, vel votum, ut religiosus, vel ætatem, ut senex, cum sit venus in sene ridiculosa, peccatum perpetraverit: tunc est major & gravior pœnitentia injungenda Et sic de aliis circumstantiis, quæ peccatum aggravant, decernimus faciendum. De gravioribus vero peccatis & inusitatis, & qualiter viri contractant cum uxoribus suis, nullatenus quærant. Et si peccatum carnale fuerit, puta, luxuria, gulositas, & his similia: jejuniis, disciplinis, & peregrinationibus pœnitens castigetur. Si autem spirituale fuerit, ut superbia, ira, acedia, invidia, avaritia, odium, & his similia: tunc pœnitenti orationes devotæ, eleemosynæ, obedientia, & alia quæ ad humilitatem faciunt, injungantur. Ita tamen, quod injungens arbitretur provide nihilominus & discrete, juxta qualitatem delinquentis, & quantitatem delicti: ut tam pro peccatis carnis, quæ videntur esse minora, quam pro spiritualibus quæ majora sunt, major pœnitentia injungatur. Nequaquam autem confitentes, & præcipue mulieres, intueantur faciem confessoris, nec confessor faciem confitentis: & ut omnia peccata integra confiteantur, in spiritu lenitatis hortentur, non dimidiando, vel alteri confessori partem alteram reservando. Admoneant etiam ne erubescant soli homini confiteri, quod teste Deo committere præsumpserunt, pro quibus coram ipso, & sanctis omnibus, & dæmonibus, & malis hominibus, damnabuntur, si aliquid voluerint occultare. Volumus & statuimus, sicut hactenus observatum est, quod majora peccata ad archiepiscopum, & episcopos in suis diœcesibus reserventur, ut sunt, homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam, incestus, ut est cum consanguineis vel monialibus commisceri, stupra virginum, injectiones manuum in parentes, suffocationes parvulorum, perjuria, incendia, restitutio ablatorum & illegitime acquisitorum, falsarii episcopalis sigilli seu ejus curiæ, defloratores virginum, stupratores viduarum, raptores mulierum, votorum fractores, venefici, qui in mortem conjugis est machinatus, luxuriam in ecclesia committens, coiens cum Iudæa vel Saracena, coiens cum ea quam baptizavit, vel cujus confessionem audivit, celebrans in altari non consecrato, vel sine sacris indumentis, celebrans non jejunus Absolutiones excommunicationum, quæ excommunicationes solent in Ramis palmarum per totam provinciam recitari, quasque multi ignorare se dicebant, singulis diebus Dominicis Nicosiæ mandavimus publicari: & sunt hæ. Nos denunciamus excommunicatos omnes hæreticos, quocumque nomine censeantur: & receptatores, seu defensores eorum. Item omnes illos, qui faciunt statutum contra libertatem ecclesiæ, vel jam factum faciunt observari. Item omnes illos qui deferunt arma, victualia, & quascumque alias merces, Saracenis. Item usurarios manifestos. Item sortilegos & divinos coa-

A vetos & coavetas, & cantatrices in funeribus defunctorum, sive in ecclesia, sive in cœmeteriis, seu alibi. Item illos qui publice tenent ludum taxillorum in domibus suis. Item omnes cursarios & piratas, & receptatores eorum, sive in terra, sive in mari. Item illos omnes qui non permittunt sclavos, sive sclavas, sine suo præjudicio baptizari volentes. Item omnes illos qui clandestine contrahunt, seu contrahi faciunt matrimonia, vel sponsalia, vel fieri procurant. Item omnes illos qui non solvunt, seu solvi faciunt integre & plene ecclesiis, quibus tenentur, decimas, de omnibus possessionibus, animalibus, appactis, ceterisque redditibus, & qui inde tollunt semen, expensas seu angarias, ante decimam persolutam, vel

B qui solvunt de viliori, vel aliquam fraudem adhibent in solvendo. Et qui semel in anno non veniunt, vel mittunt, ad reddendam legitimam super dicta decima rationem. Item omnes illos qui semel in anno non veniunt ad confitendum peccata sua omnia proprio sacerdoti: & qui saltem semel in anno non recipiunt Eucharistiæ sacramentum, nisi de consilio superioris duxerint abstinendum. Item omnes illos qui violentiam inferunt ecclesiis, & eorum consiliarios, & consentientes iisdem. Item omnes illos, qui dimissis propriis uxoribus suis tenent focarias seu concubinas manifeste. Et vice versa uxores, quæ dimissis propriis viris, adhærent suis adamatoribus aut ribaldis. Item omnes illos qui invadunt res, seu possessio-

C nes, in quarum possessione fuit ecclesia, seu qui invasoribus favent. Item omnes illos qui naufragantes impediunt, & eorum bona diripiunt. Item omnes apostatas nostræ diœcesis, masculos & feminas, qui scilicet dimisso & abjecto habitu religionis, sæculariter viventes, ad sæculum sine licentia ecclesiæ redierunt.

V. *De confessoribus & pœnitentiis injungendis.*

Interroget etiam confitentem, si de peccatis præteritis pœniteat, & utrum habeat propositum non peccandi de cætero mortaliter: sine quo non est ei pœnitentia injungenda, nec absolutio facienda, cum nec facta proficiat in his casibus, sed consilium dan-

D dum, scilicet ut faciat quidquid boni poterit interim, ut Deus illustret ad pœnitentiam cor illius. Secundum quantitatem culpæ & possibilitatem confitentis pœnitentiæ quantitas debet esse: ne facilitas veniæ, delinquendi provocet incentivum, vel in desperationem mittat austeritas confessorum. In rapina, furto, usura, fraudulentis emptionibus & venditionibus, & aliis dolosis contractibus, & in iis quæ in ludo per fraudem, vel ab illis qui detentores non domini sunt, infideliter acquiruntur, confessor diligens insistat, ut restitutionem damni faciendam præcipiat confitenti: quoniam non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si facultas adsit. Si

E vero per inopiam ad tempus excusetur, indicenda est restitutio, si quando ad fortunam venerit pinguiorem. Injuriam passo, si appareat, vel ejus legitimo heredi, est semper restitutio facienda: alioquin juxta arbitrium superiorum, quod restituitur, est in pios usibus convertendum. Ad confessiones faciendas sæpius subditos moneant & inducant, nec perquirant cum quibus personis peccatum commissum fuerit nominatim: dicantque eis sæpius capellani, quod licet sæpe confiteri sit eis saluberrimum, ad minus tamen in anno semel est necessarium & præceptum.

VI. *De sacramento altaris: & primo de linteaminibus.*

Quoniam specialis reverentia circa sacramentum altaris est adhibenda: volumus, ut in quolibet altari in quo celebrantur Divina, sint ad minus tria linteamina, munda & benedicta, quæ laventur quater in anno, scilicet, in Natali, in Pascha, in Assumptione beatæ Mariæ virginis, & in festo omnium Sanctorum.

De corporalibus.

Corporalia vero mundissima sint & honesta, & semel in mense, & a presbyteris vel diaconibus, quoties necesse fuerit, abluantur: & aqua in piscinam jactetur. Sed si fuerint infusa vel intincta sanguine Domini nostri Iesu Christi, extunc cum eis minime celebretur, sed in sacrario cum reliquiis reponantur: nec ille cui contigerit, prius accedat ad altare, donec per nos vel vicarium nostrum, sive ab ordinario suo, pœnitentiam receperit competentem.

De calicibus.

Calices mundi sint & integri & argentei, & tersoria quibus presbyteri post communionem manus tergunt, sint candida & honesta: & semel in mense quolibet abluantur: vel sæpius, si opus fuerit.

De ampullis.

Ampullæ ad opus vini & aquæ, sint mundæ & integræ, & continue coopertæ, propter muscas & araneas, & alia pericula evitanda.

De pyxidibus.

Pyxides autem in quibus ad opus sacramenti hostiæ servantur, mundæ sint, & clausæ teneantur: ne a ligni vermibus sint corrosæ.

De indumentis sacerdotum.

Indumenta vero sacerdotum, vel aliorum ministrorum, abluantur sæpius, & decenter parentur: & si inhonesta fuerint, aut nimis vetera, in eis nullatenus ministretur. Et clericus serviens ad altare, superpellicium semper habeat candidum & honestum: & tonsuram habeat decentem, & coronam.

De Sacerdotibus.

Caveant sacerdotes, ne stolam, manipulum, vel amictum dimittant, sed omnibus ornamentis induti, reverenter ad altare accedant, dictis prius Matutinis canonicis atque Prima. Cum vero omnia quæ dicuntur in Missa cum devotione & intentione debita sint dicenda: tum maxime tota diligentia est adhibenda cum venitur ad verba, quorum virtute conficitur sacramentum: *Hoc est enim Corpus meum. Hic est enim Calix sanguinis.* Præcipimus præterea sacerdotibus universis, quod quando voluerint celebrare, ponant hostiam mundam & integram in patena, & vinum, & aquam in calice, & tergant calicem tali modo, quod aqua vel vino in extremitatibus ipsius remanentibus, corporalia non valeant maculari. Et si contigerit, quod absit, quod in confectione sacramenti vinum & aqua deessent in calice, ob negligentiam ministrantis, statim apponantur, & appositis, ut omnis dubitatio & opinio disputantium amputetur, sacerdos caute reincipiat: *Te igitur clementissime Pater*: non inclinando se ad altare ut prius, nec elevando manus, sed verba canonis continue proferendo secrete, & signa super sacrificium, ut celatius poterit, propter scandalum populi faciendo, nec elevet hostiam ad populum, si tamen prius ab ipso fuerat elevata: & sic perveniat ad illum locum: *Simili modo posteaquam cœnatum est:* ut sic appareat totum dictum, & totum pariter consummatum, non accedendo amplius ad altare, donec per nos, vel vicarium nostrum, vel suum ordinarium, sibi pœnitentia sit injuncta, pro tanta negligentia: cum sit certum, eum in hoc casu graviter deliquisse. Item si casu contigerit, quod aranea vel musca, vel aliquid reptile, caderet in sanguinis sacramentum: tunc sacerdos in calice de stanno, vel alio metallo mundo, omnia illa sic clausa, & bene cooperta, in loco reliquiarum recondi faciat diligenter. Vnde præcipimus, quod ad opus hujusmodi, si necesse esset, & ad tenendas reliquias, & chrisma, & alia quæ ibi debent reponi, sacraria sive armaria in ecclesiarum parietibus habeantur. Et quia indigne sumentes Eucharistiam, judicium sibi manducant & bibunt: caveant sacerdotes, ne peccatoribus notoriis eucharistiam administrent, seu illis de quibus constiterit quod peccata reliquerint confitentes. Et notandum, quod istud sacramentum corporis Christi nullo casu contingente administrari debet, nisi a solo sacerdote.

VII. *De Extrema unctione.*

Volumus quod presbyteri subditos suos utriusque sexus a XIV. annis & ultra, ad sacramentum extremæ unctionis recipiendum frequenter moneant & injurent: & cum periculum mortis, seu gravis infirmitas evenerit, cum honore & debita reverentia infirmos inungant oleo infirmorum, solemnitatem debitam adhibentes. Et licet istud sacramentum valeat iterari: non tamen in eadem infirmitate reiteretur.

VIII. *De oleo sacro.*

De oleo vero sacro, sicut de chrismate, volumus ne in vasis vitreis teneatur propter periculum fractionis. Vasa vero in quibus tenebuntur, sint munda: & cuilibet vasi proprius titulus inscribatur. Volumus etiam, quod per sacristam, seu per thesaurarium, vel alium qui habeat custodire in ecclesia cathedrali, non ministrentur prædicta, præterquam subditis nostris omni suspicione carentibus, & quorum interest habere prædicta.

IX. *De clandestinis matrimoniis.*

Quoniam clandestina matrimonia consueverunt mala plurima generare: volumus & mandamus, quod matrimonium semper in facie ecclesiæ, inter personas legitimas, & hora debita celebretur: extunc excommunicantes omnes qui matrimonia clandestina de cætero contrahere præsumpserint, & qui talibus matrimoniis consilium, vel auxilium dederint: & illorum absolutionem loci diœcesano episcopo reservamus. Insuper clericos atque sacerdotes qui talibus matrimoniis clandestinis, opem vel operam dederint, ab officio & beneficio duximus suspendendos, usque ad tempus a canone præfinitum. Clandestina autem matrimonia intelligimus, quæ fiunt sine licentia priorum, seu curatorum sponsi & sponsæ, sive in eadem diœcesi, sive habeant habitationes suas in diversis. Cum autem de matrimonio inter aliquos

aliquos fuerit prolocutum, seu contracta fuerint sponsalia, volumus, quod in parochiali ecclesia sponsi & sponsæ, tribus diebus Dominicis, publice & solemniter prædici debeant, dum sacra Missarum solemnia celebrantur, quod tales personæ debent matrimonialiter copulari: & si quis sciat impedimentum quare contrahere non possint, surgat & dicat in publico, & ad judicium veniat, fidem faciens de impedimento: sin autem, de cætero nullatenus audietur.

X. *De ordinibus.*

Statuimus, quod presbyteri qui non sunt oriundi de Cypro, non admittantur in civitatibus vel diœcesibus istius provinciæ ad celebrandum Divina, ut sacerdotes. Novimus enim & pro certo didicimus, quosdam in sacris ordinibus constitutos, culpis propriis exigentibus, a prælatis suis excommunicationis vel suspensionis vinculo innodatos, cum litteris suæ ordinationis ad peregrinas ubi sunt incogniti nationes migrasse, & ibidem ausu temerario in susceptis ordinibus ministrasse. Et nonnullos alios qui mentientes se promotos, cum non sint, cum falsis litteris nonnunquam ab indiscretis ecclesiæ prælatis admissos fuisse, & ibidem de facto ministrasse ecclesiastica sacramenta: quod quam grave & ridiculosum sit, nullus sanæ mentis ignorat. Vnde volumus quod nullus talium admittatur omnino, nisi sui ordinatoris, vel successoris illius ostendat litteras omni suspicione carentes, suscepti ordinis mentionem expressam, & causam peregrinationis idoneam continentes: vel alias de bona vita & fama, & conversatione antiqua, & quod in terra de qua venit sacerdotio fungebatur in habitu sæculari, faciat plenam fidem. Alioquin tam recipiens, quam receptus, puniatur ad arbitrium concilii subsequentis.

XI. *Quod clerici non sint officiales laicorum.*

Prohibemus, ne sacerdotes vel clerici, cujuscumque linguæ vel nationis existant, justitiarii vel officiales aut baillivi laicorum existant, aut eorum officia exerceant, seu negotia gerant, per quæ, seu propter quæ, ad ratiocinia obligentur: ne occasione talis administrationis, eorum personæ impetantur vel impediantur, seu eorum bona capiantur. Quod si fecerint ab hac nostra prohibitione post quatuor menses, ab officio suspendimus, & volumus manere suspensos & inhabiles ad habendum beneficium ecclesiasticum, quousque per subsequens concilium, si meruerint, fuerit cum eis misericorditer dispensatum. Quod si quis de cætero hoc attentare præsumpserit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

XII. *De iis qui clericos capiunt.*

Statuimus, quod quicumque canonicum, seu assisium, alicujus ecclesiæ cathedralis de provincia ista, ceperit injuriosa captione, seu captum tenuerit, seu mutilaverit, vel capi seu mutilari mandaverit, usque in quartam generationem inclusive nullus de posteritate ejus recipiatur ad dignitatem vel canoniam, seu ad aliquid aliud ecclesiasticum beneficium; & qui tali scienter beneficium contulerit, conferendi potestate sit privatus, & collatio ad concilium devolvatur, nec cum istis possit, vel debeat, nisi per sedem apostolicam dispensari: cujus potestatem cum debita reverentia volumus in omnibus esse salvam.

XIII. *De prædone vel præda.*

Statuimus & sacri approbatione concilii diffinimus, quod loca in quibus possessiones, domus, aut res unam marcham argenti valentes, ecclesiæ aut personarum ecclesiasticarum, captæ, raptæ, invasæ, vel occupatæ detinebuntur, nisi monitione præmissa reddantur vel recredantur, pro jure faciendo vel capiendo coram superiore suo, ecclesiastico subjaceant interdicto. Et si forte alibi transferatur prædo vel præda, ut aliquando comperimus esse factum, loco illo in quem facta est translatio subjacente denuo interdicto, donec ibi fuerint vel prædo vel præda, primum interdictũ nihilo minus in suo robore perseveret, & facta satisfactione læso de damnis, & ecclesiæ de interesse, evanescat interdictum sine alia solemnitate.

XIV. *De officio judicis.*

Quoniam non quicquid officio judicis committitur, juris necessitati subjicitur; sed habet judex discretus considerare quid deceat, liceat, vel expediat, ut sic nec desit justitiæ, nec offendat justitiam; & aliquando petitur ab episcopo, seu ejus vicario, vel officiali, ut puta, in absolutionibus & administrationibus sacramentorum, & dispensationibus, & cæteris consimilibus, quod ipse ex officio suo faciat, quod æstimat ipse de jure fieri non debere, & sana conscientia, sine offensa Dei & juris injuria credit se non posse, vel debere facere quod petitur ab eodem: evenit aliquando, quod capiuntur domestici, familiares, & servientes eorum, aut consanguinei, aut propinqui, & sic non sine offensa Dei, & bonorum virorum ignominia, puniuntur indebite, qui culpabiles non existunt. Ne igitur talia vel similia de cætero attententur, sacro approbante concilio, prædicta & prædictorum singula prohibemus: in contrarium facientes, mandantes, & procurantes, excommunicationis sententiam proferendo.

XV. *Ut sacerdos debeat Missam celebrare.*

Quoniam, secundum canonicas sanctiones, non alibi quam in locis Deo dicatis, Missa debet aliquatenus celebrari, nisi summa necessitas hoc exposcat: sacri approbatione concilii, sub pœna suspensionis, quam in contra facientes ferimus in his scriptis, prohibemus, quod ubi habetur ecclesia, nullus, alibi Missam audeat celebrare, nisi a sede apostolica aut ab episcopo loci habuerit licentiam specialem.

XVI. *De decimis ecclesiæ persolvendis.*

Contumacia non plene solventium decimas, vel non computantium de iisdem, exigit vel requirit, ut sola prædecessorum nostrorum excommunicationis sententia per eos lata in non plene solventes decimas, seu etiam semel in anno ad plenum computantes, contenti non simus, sed ipsam quam multi vilipendere non formidant, nostris constitutionibus renovando, juvare cogimur pœnæ adjectione vallatã. Volentes itaque, prædictam prædecessorum nostrorum sententiam in suo robore permanere, ac ab omnibus & singulis in nostra provincia

provincia constitutis, inconcusse & inviolabiliter observari, quoniam funiculus triplex difficile rumpitur, sacri approbatione concilii excommunicamus omnes & singulos, qui ecclesiis nostris debitas decimas absque deductione expensarum non solvunt, ut tenentur, de omnibus possessionibus, terris, animalibus, appaltis, & de aliis redditibus, seu qui de decimis per se vel per suos non reddunt, infra tempus consuetum, legitimam rationem, id est, a crastino Epiphaniæ Domini, usque per totum Februarium: districte præcipientes, ut quicumque in nostram prædictam sententiam inciderit, debitas decimas integre non solvendo, vel non reddendo debitā rationem sicut superius est expressum, extunc autoritate concilii nominatim denuncietur excommunicatus, ab omnibusque tanquam membrum putridum evitetur. Domos etiam, & maneria eorum, sive in civitatibus, sive in casalibus in quibus habitabunt, usque ad satisfactionem plenariam, seu velle diœcesani, cui decima debetur, ecclesiastico supponimus interdicto.

XVII. *De iis qui seligunt sepulturam extra ecclesiam.*

Si de parochianis nostris aliquis apud aliam ecclesiam elegerit sepeliri: morte nunciata ipsius, duæ tantum campanæ pulsentur, & non plures, quia processio non vadit, sed sacerdos cum clerico, cruce, thuribulo, & aqua benedicta, ad deferendum funus ad ecclesiam: ibique officio mortuorum expleto, modo debito & honesto sacerdos societ corpus cum clerico, ut superius expressum est, ad locum in quo sepeliri elegit. Nullusque canonicus, seu assisius, vel clericus, de choro, pro sociando corpore, seu pro faciendo honore amicis, egrediatur ecclesiam vel dimittat: quia pro certo didicimus, quod aliquando contentio orta est inter clericos, & aliquos religiosos, qui quandoque tollunt corpora in quibus jus non habent, & præter hæc ecclesiis nolunt restituere canonicam portionem.

Hæc autem universa & singula, sicut superius sunt expressa, ac sacri concilii provincialis ad hoc specialiter congregati approbatione statuta seu diffinita, vel etiam ordinata, ab omnibus integre, inconcusse, & inviolabiliter volumus, & præcipimus observari. Salva in omnibus, & per omnia debita reverentia sedis apostolicæ. Mandantes sub pœna excommunicationis, quod nullus addere, detrahere, seu diminuere audeat vel præsumat: nisi quæ per subsequens provinciale concilium visa fuerint salubria, & etiam opportuna.

Actum, lectum, & publicatum per nos prædictum Gerardum Nicosiensem archiepiscopum, apud Nimocium in ecclesia majori: præsentibus prædictis fratribus & coepiscopis nostris, & cæteris bonis viris ad dictum concilium evocatis: ac etiam multis aliis probis viris. Anno Domini millesimo ducentesimo, nonagesimo octavo, die XXIII. mensis Septembris. In quorum omnium supradictorum testimonium & munimen, sigillum nostrum præsenti scripturæ duximus apponendum.

CONSTITUTIONES D. PETRI miseratione divina Ruthenensis episcopi, apostolicæ sedis legati,

Ann. M. CCC. XIII. in Nicosiensi synodo publicatæ.

I. PEtrus[*] miseratione divina Ruthenensis episcopus, apostolicæ sedis legatus in partibus cismarinis, ordinamus ad evitandum otium, viris spiritualibus quam maxime inimicum, quod omnes clerici regni Cypri se occupent in aliquo utili opere, quod clericalem deceat honestatem, ut habeant, maxime pauperes, unde possint commode vivere, necnon & divites cum cæteris occasionem validam, quæcumque animæ contraria evitandi. *Nam qui operatur terram suam fideliter, saturabitur panibus*, ut ait Sapiens, *& qui sectatur otium, replebitur egestate.* Quicumque vero his contrarians, otiositati vacaverit: de malis omnibus, & non immerito, est suspectus & accusatus, ad probationem facilem tanquam culpabilis puniendus.

[*] al. Nos frater Petrus.

Prov. 18.

II. Item quod omnes clerici semper deferant habitum clericalem: nisi talis necessitas immineat, quod ad tempus juste possint apud Deum & homines excusari. Et qui contrarium attentare præsumpserit, timeat verbum Domini crudeliter increpantis omnes illos, qui vestem induunt peregrinam. Si quis vero repertus fuerit culpabilis in prædictis: toties, quoties per prælatum, cui subjectus fuerit, inventus fuerit deliquisse, in XX. bysantiis dandis pauperibus condemnetur, vel alia pœna, si ei visum fuerit, pro culpæ debito graviori.

III. Item quod quilibet episcopus conscribi faciat perfecte omnes clericos suæ diœcesis ad tardius ab ista synodo infra mensem: ut melius cognoscat oves suas proprias nominatim, & clare merita sive demerita prædictorum. Et ut facilius possit eos corrigere, dicat eis in synodo sua, quod ipse scit bene vitam & mores diu est singulorum, qui reformatione magna indigent, ut est notum. Et quamvis *perversi difficile corrigantur, & stultorum sit numerus infinitus:* sciant firmissime, quod excessus eorum publicos non posset ultra æquanimiter sustinere. Unde præcaveant de cætero ultricem vitii scandalizantis Dominum & populum manum suam. Quicumque autem vult gaudere privilegio clericali, post terminum prædictum provideat sibi, quod reperiri valeat in hoc scripto, seu in quaterno ecclesiæ Nicosiensis.

Eccles. 1.

IV. Item quod nullo modo clerici mercationes aliquas exerceant indecentes officio clericali, nec teneant bailivias, nec pertractent odiosa negotia quorumlibet laicorum, & specialiter quæ possent lites sive scandala in patria generare. Nam secundum Apostolum; *Nemo fidelis Deo militans, implicat* se pompis & *sæcularibus negotiis, ut ei placeat cui se probavit.* Qui vero fecerit contrarium, ut dyscolus a clericali tramite, secundum scita canonum puniatur, & privetur lucro tali pecuniæ acquisitæ per proprium episcopum, & per eundem mendicantibus erogetur. De aliis vero, quæ non sunt minus gravia, prout culpa exegerit, in persona & in officio, si quod habet, ac in rebus, per illum ad quem pertinet, gravissime distringatur.

2. Tim. 2.

V. Item quod laicis quibuslibet non tradantur bailiviæ, nec alia officia prælatorum, nec etiam quorumlibet clericorum. Nam ex hoc multa scandala, damna magna & vituperia, ecclesiæ & prælatis ac clericis in istis partibus sunt exorta: & ni caveant, forte majora iis quæ dicta sunt adhuc processu temporis orientur.

orientur. Quicumque autem id quod dictum est evitare noluerit, officium suum & ministerium vituperans contra sententiam Apostoli: accusatus, a suo superiore gravissime puniatur, & de damnis ecclesiæ, datis per laicos officiales prædictos nullam adversus eosdem habeat actionem.

VI. Item quod omnes clerici addiscant expedite legere qui nesciunt & cantare, necnon grammaticæ facultatem: ut sciant & intelligant saltem ad litteram grosso modo illa quæ dicunt in ecclesia & audiunt, ad differentiam laicorum: ne sacerdos fiat ut populus, sculptæ imaginis idiota. Nam sæpe quærit Dominus, nec invenit in istis partibus ut deceret, *Ubi litteratus? ubi est verba legis ponderans?* per prophetam. *Isa. 33.*

VII. Item quod omnes clerici præcaveant dum cantatur, vel legitur officium intra ecclesiam, vel extra in processionibus, quod non sint actibus vel gestibus dissoluti, sed maturi, devoti, simplices, & quieti, ac Divinis intenti laudibus, ad Dei gloriam & honorem, necnon ædificationem omnium fidelium qui assistunt. Quia *inter vestibulum & altare plorabant sacerdotes ministri Domini, & dicebant, parce Domine, parce populo tuo*, cum volebant placare Deum de offensis suis, & populi anxiati. Qui autem fecerit contrarium, intendens vanis dissolutionibus: statim in publico per illum qui processioni præerit, sive choro, de aliorum ordine ut dyscolus expellatur: & nunquam, nisi per archiepiscopum, vel vicarium ipsius, ad gradum pristinum reducatur. *Ioël 2.*

VIII. Item quod nullus clericus ecclesiasticis vacans officiis, deferre audeat tortos crines, cum secundum Petrum apostolum talis cultus sit habitus mulierum; nec coronam lineam, ut miles laicus, seu vayletus, sed juxta morem curiæ debitum clericis, a prædictis abstineat, cum sint manifeste contra decentiam clericalem. Quicumque vero fecerit contrarium, non recedens a tali habitu muliebri, & ornatu solis laicis debito: ecclesiam & ejus beneficium, si quod in ea percipit, sibi pro pœna noverit interdictum: & repertus portare cofiam, solvat pro pœna II. solidos, & perdat cofiam.

IX. Item quod nullus clericus ad sacros ordines venire audeat, sub interminatione Divini anathematis, & maledictionis æternæ, qui non sit fama publica de legitimo matrimonio procreatus: vel cum quo saltem non fuerit expresse in defectu natalium, per dominum summum pontificem, vel alium habentem super hoc potestatem, servato juris ordine dispensatum: bonæ utique famæ, honestæ ac laudabilis vitæ, sufficiens, vel ad minus competentis litteraturæ, ac ætatis congruæ secundum gradum ordinis quem requirit: qui etiam titulum habeat in re certa, & litteram ad hoc illius domini vel dominæ firmam & stabilem, qui, vel quæ sibi titulum assignavit. Multi enim victum promittunt pariter & vestitum de novo accedentibus ad ordines, & postea cum ordinati repetunt, reddere contradicunt; & oportet eos in vituperium Dei & ordinis quem acceperunt, sub eorum confidentia, vilissime, ut est notorium, mendicare.

X. Item quod nullus clericus, maxime intra sacros ordines constitutus, suspectam mulierem teneat, vel habeat in domo sua propria, de qua possit apud Deum vel homines, sicut incontinens diffamari. Quicumque vero fecerit contrarium, excommunicationis sententia sit ligatus, necnon privatus beneficio, & suspensus ab executione ordinum, quousque satisfactione prævia, per illum ad quem pertinet restitui mereatur. Hoc enim execrabile flagitium Apostolus in omnibus, & maxime in clericis, cum multis aliis detestatur. *Fornicatio, inquit, & omnis immunditia, vel avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet, sed magis actio gratiarum.* Unde si mulier suspecta, fuerit in domo clerici cujuslibet deprehensa, sclava vel ancilla: ipsam pronunciamus ex nunc liberam: & veniat quando sibi placuerit, gratis manumissionis suæ a nobis litteram receptura. Et est suspecta mulier, cum qua dudum talis concubuit, vel quia juvenis, vel quia dissoluta gestibus, vel quia etiam de malis procurationibus fœdis & turpibus palam, & publice diffamata *Ephes. 5.*

XI. Item quod nullus clericus, sine necessitate maxima, vel in itinere constitutus, bibat vel comedat in taberna, nec eandē vel alia loca intret quoquomodo suspecta. Quicumque autem fecerit contrarium, pro qualibet vice tribus diebus in pane & aqua debeat jejunare, & non intret ecclesiam, nec aliquid recipiat in eadem, quousque pœnitentiam compleverit supradictam. Et ultra hoc, accusatus legitime de re tali, solvat pro vice qualibet III. solidos dandos pauperibus per officialem archiepiscopi, vel ejus vicarium, in cujus civitate vel diœcesi facit moram.

XII. Item quod nullus clericus, tanquam suæ salutis immemor, furto rei notabilis se exponat. Quicumque autem fecerit contrarium, damnum passo restituat duas partes, licet quinque secundum legem Moysis restituere teneatur.

XIII. Item quod nullus clericus, arma quælibet de nocte portare audeat nec de die, nisi talis casus emergeret, quod hoc licite posset facere sine culpa. Quicūque autem fecerit contrariū, privetur armis omnibus per prælatum ad quem hoc pertinet; & ultra hoc, prout de jure fuerit, puniatur. Arma quidem nostræ militiæ non sunt carnalia, dicit Apostolus, sed potius spiritualia, quibus debemus nos defendere ab hostibus ecclesiæ, ac fidei, & totum populum Christianum.

XIV. Item quod nullus clericus ad otiandum diu sedeat in plateis, in quibus facile judicantur innoxii qui transeunt, per sedentes; sed potius in occulto despiciat, & judicet semetipsum: nam judicabitur a Domino, quia judicavit ignorans alios. Nec ludat publice vel occulte, nec lusores respiciat sive associet, recipiat, vel det eis, aut etiam malefactoribus quibuslibet, consilium, auxilium vel favorem. Nam *cum sancto sanctus eris, & cum perversis* necessario *perverteris. Quæ est participatio justitiæ cum iniquitate?* ait Apostolus: quasi dicat, nulla penitus debet esse. *Psal. 17.* *2. Cor. 6.*

XV. Item ad evitandum tumultum & deordinationem chori, detur pecunia canonicis & aliis pacifice tali hora in diebus solemnibus, quod Missam celebrans non turbetur, nec alii circumstantes: ut sit cultus justitiæ silentium, & discursus indebitus per chorum & ecclesiam tunc temporis compescatur.

XVI. Item qualibet die Dominica, & festo solemni, semper in majori ecclesia fiat sermo, prout decanus provide ordinabit. Nam *vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum ac intentionum cordis*, ait Apostolus, *nec revertetur ad me vacuus* prædictus sermo, dicit Dominus, *sed faciet & prosperabitur in omnibus ad quæcumque* salubria *illum misi.* *Heb. 4.* *Is. 55.*

XVII. Item obsecramus in Domino, licet autoritatem habeamus super hoc imperandi, quoid inaltari majoris ecclesiæ Nicosiensis, soli canonic ecclesiæ administrent, tam in Missis quam in epistolis & evangeliis: & quod alternis vicibus per ordinem fiant hebdomadarii & cantores in diebus solemnibus propter sedis authenticum principatum. Honor tamen & reverentia fiat episcopis, & aliis superioribus, quando eis placuerit in prædicta ecclesia celebrare.

XVIII. Item quod nullus presbyter sine confessione prævia temere audeat celebrare: dum tamen possit commode habere copiam sacerdotis, & necessitatis articulus non emergat ut sine confessione faciem Dei præoccupet, ne irascatur Dominus contra eum, & subito ultionem recipiat de peccatis.

XIX. Item quod sacerdotes, quando celebrant, cum summa reverentia, & in silentio, ac devote se habeant in altari: & post ablutionem manuum, nihil omnino teneant in capite propter frigus vel aliud: nam facerent magnam irreverentiam, atque intolerabilem sacramento. Et quicumque contrarium attentare præsumpserit, loquendo scilicet impertinentia, seu clamose, vel tenendo quicquam in capite tanquam irreverens, indevotus, atque insipiens: a quolibet officio Missæ privatus sit per tres menses, & ultra; etiam quousque per judicium prælati sui proprii, ad statum celebrandi congruum & debitum reducatur. Et idem ordinamus penitus de ignorantibus presbyteris, qui defectus multos in Missa faciunt, dum celebrant coram Deo & populo, & facere nullatenus erubescunt.

XX. Item quod Divinum officium in choro melius recitetur, de die pariter & de nocte, ad Dei gloriam & honorem, necnon ædificationem populi, & debitum ministrorum ecclesiæ fidelius persolvendum. Nam si de die pauci nunc ad chorum veniunt, de nocte multo veniant pauciores: & cum pro labore suo recipiant bona stipendia & pinguia, debent ea fideliter & sine fraude qualibet promereri.

XXI. Item quod quilibet sacerdos, specialiter de propria licentia sui episcopi, discretum habeat suum confessorem: cui & non alii semper, quando commode poterit, confiteatur integre, humiliter, & devote. Necesse est enim, ait Gregorius, ut manus mundas habeat, qui aliorum tergere sordes curat. Nolumus tamen, nec approbamus, quod confessus, vice versa suum eodem tempore audire debeat confessorem.

XXII. Item quod omnes clerici de alienis partibus venientes, certificent episcopum in cujus eligunt diœcesi residere, de susceptis ordinibus, per litteras vel per testes: & aliter eos non ordinet, si requirant, nec permittat eos sacramenta ecclesiastica ministrare.

XXIII. Item quod informentur provide sacerdotes in synodis, cum diligentia & efficacia salutari, quod claves sibi traditas per sacerdotium ad aliqua illicita non extendant, excommunicatos videlicet absolvendo, & alios culpabiles, in casibus episcopis reservatis Nam sic eos deciperent, & seipsos, qui nullam super hoc habent potestatem.

XXIV. Item quod infra præsentem annum, canonici ecclesiæ Nicosiensis totum officium ecclesiæ perfecte corrigant, ut sit perpetuo uniforme, vel assumant ex tunc in posterum officium Romanæ curiæ, antiquitus cum magna diligentia ordinatum. Et ad hoc per obedientiam sacram dicti canonici teneantur, nec aliquid recipiant de suis juribus in prædicta ecclesia, ultra præfatum terminum, quousque ordinaverint de Divino officio ecclesiæ, ut dictum est.

XXV. Item quod sine necessitatis articulo nullus presbyter confessionem audiat cujusdam subditi, sive parochiani, magistri, capellani, sine sua licentia, & informatione utili & salubri, qualiter eum moneat plenissime confiteri & satisfacere integraliter, ut tenetur. Et etiam si est excommunicatus, quod primo faciat se absolvi: nam aliter nihil prodest sibi confessio ad salutem, nec absolutio potest dari.

XXVI. Item quod sine magna causa & notabili, ut est mortis articulus, vel etiam gravis infirmitas, & evidens periculum, nulli carnes comedendi licentia in Quadragesima, & aliis abstinendi temporibus, concedatur: quia non potest fieri, servato juris ordine, nec status ecclesiæ sanctæ, quem transgredi gravissimum peccatum est. Et si absque licentia ministrorum ecclesiæ, forsitan aliqui carnes comederint, præter modos qui dicti sunt: puniantur ecclesiastica disciplina, nec absolvantur leviter, nec etiam per quoslibet, sed solum per archiepiscopum, vel ejus suffraganeos, qui more infidelium ipso puniant, si publice deliquerunt: vel domino summo pontifici, si visum ei fuerit, tales mittant.

XXVII. Item quod omnes clerici vitent excessum quemlibet in vestibus, cibis, equis, sellis, & aliis quibuscumque. Non enim Christi pauperis collatum sibi patrimonium debent in excessu expendere, sed in suis necessitatibus moderatis: ut eorum modestia cunctis hominibus fiat nota, & specialiter in epulis: nam superfluitas in talibus notorium est peccatum. *Utere quasi homo frugi*, ait sapiens, *iis quæ tibi apponuntur: ut non, cum manducas multum, odio habearis.* Eccli 31.

XXVIII. Item quod dominus archiepiscopus, ac ejus omnes suffraganei episcopi, hæreses & errores contra fidem catholicam, bonos mores, & doctrinam sanam & salutiferam Christi, & ecclesiæ Romanæ, modis & viis quibus poterunt, de regno Cypri & provincia satagant extirpare: quia procreante diabolo, multo major [a] est ibi hodie infidelium, ut intelleximus a pluribus fide dignis, quam sit fidelium. Et hoc esse non potest sine magna negligentia prælatorum: quia non carent scrupulo societatis occultæ, qui sic manifesto facinori patenter desinunt obviare.

[a] Deest numerus.

XXIX. Item quod omnia sacramenta ecclesiæ sanitate vigente corporis recipiantur in ecclesia, & publice, non occulte: nec aliquis extra ecclesiam illa sine necessitate maxima, ut est mortis articulus, administret. Quicumque vero fecerit contrarium, pœna canonica gravissime puniatur.

XXX. Item quod discrete provideant episcopi & prælati, ut quilibet ecclesiæ suæ in scripto manu publica redditus omnes faciat annotari: & in tribus aut quatuor locis fideliter & integre conservari ad majorem memoriam futurorum.

XXXI. Item quod ecclesiæ ornamenta sint multa, numerosa, & varia, sicut decet: ac plures etiam servitores, libri boni & utiles, ac calices argentei & aurei, campanæ multæ insuper, prout facultates ecclesiæ commode poterunt sustinere: ita quod laus Divina valeat honorabiliter in qualibet ecclesia episcopali fieri sicut decet.

XXXII. Item quod solemnes fiant ecclesiæ per prælatos, ubi factæ non sunt, secundum loci exigentiam cujuslibet, de opere bono & solido, tamen nullatenus cimoso, & alia similiter ædificia, utilia & necessaria pro habitationibus prælatorum: & in locis suis episcopi resideant continue ut tenentur, quando alibi

alibi facere pro arduis negotiis ecclesiæ non habebunt.

XXXIII. Item quod quilibet episcopus & prælatus, sicut pater, subjectos suos, & maxime clericos, ut filios carissimos, erudiat & nutriat in moribus & disciplinis, specialiter legis Dei atque cœlestium mandatorum: & super eos vigilet diligenter, ne devient per errorem a recto tramite veritatis ac fidei, quæ viam aperit fidelibus ad salutem.

XXXIV. Item quod nullus clericus, in publico vel occulto, prælato suo audeat iniquo animo detrahere, vel falso eum apud aliquem diffamare. Nam hoc esset magnum periculum & peccatum, præter damnum ecclesiæ, quod non posset de facili reparari; nec non & animæ diffamantis occisio, & pacis perturbatio morum. *Vir enim peccator turbabit amicos*, ut ait Sapiens, *& in medio pacem habentium immittet inimicitias*. Quare *susurro & bilinguis, a Deo est maledictus, multos enim turbat pacem habentes*. Quicumque vero taliter inventus fuerit falso prælatum suum, vel episcopum diffamasse, causa suscitandi litem atque discordiam inter ipsum & populum, vel dominum temporalem, aut clerum suum, seu capitulum: ab omnibus beneficiis & officiis sit suspensus, quousque satisfecerit de offensa ecclesiæ, ac prælato, prout de jure fuerit faciendum.

Eccli 28.

XXXV. Item quod festum de corpore Domini, secundum ordinationem felicis recordationis Urbani papæ, fiat solemniter in tota provincia Nicosiensi, feria quinta post octavam Pentecostes, cum octava.

XXXVI. Item quod corpus Domini extra ecclesiam, quando necesse fuerit, cum magna reverentia deferatur, & infirmis cum devotione, ut decens est, ministretur. Quicumque autem in itinere sibi occurrerint dum portatur, adorent eum flexis genibus, humiliter, nudato capite, ac junctis manibus, reverenter. Et omnibus qui per XL. passus eum associaverint, vel vestes pedibus portantis eum straverint in via, vel lumina sibi accenderint, XL. dies de indulgentia elargimur. Et si equitantes portanti corpus Domini occurrerint, debent statim descendere, ac regi regum Domino devotam reverentiam cordis & corporis humiliter exhibere.

XXXVII. Item quod omnes clerici, tam juvenes quam alii, qui chorum intrare voluerint, capis nigris in hieme dum dicetur officium, sicut canonici, de cætero induantur.

XXXVIII. Item quod omnes clerici, ut consuetum est, diebus Dominicis singulis ad processionem omnino veniant: & nullus audeat remanere, de illis specialiter qui sunt ad hoc per statutum ecclesiæ obligati. Et quicumque remanserit sine licentia speciali, & causa valde necessaria, nihil ex tunc recipiat in eadem: quousque fuerit per mandatum archiepiscopi, vel vicarii ejusdem, voce vel littera restitutus.

XXXIX. Item quod nullo tempore utantur clerici servitio ecclesiæ deputati, maxime in choro, vel locis aliis sacris, ineptis novitatibus, nec cantu aliquo dissoluto, contra usum laudabilem ecclesiæ Nicosiensis.

XL. Item quod omnes clerici contra nostram sententiam focarias retinentes, excommunicentur nominatim & publice: ac conferantur aliis eorum beneficia, nec audeant in susceptis ordinibus ministrare.

XLI. Item quod omnes clerici servitio ecclesiæ deputati, has omnes constitutiones habeant, & alias per legatum cardinalem, & Nicosienses archiepiscopos, dudum factas: quas omni mense legant semel ad minus, tam provide, quam distincte: ut melius sciant quid habent facere circa ecclesiam, & non possint de ignorantia excusari.

XLII. Item quod bacularii nostri, & etiam ecclesiæ, omnes illos qui contra dictas constitutiones facient, vel aliquam prædictarum, ex nunc aperte potestatem habeant citandi eos personaliter coram nobis, ut pro demeritis in corpore vel in pecunia puniantur.

Lectæ & recitatæ fuerunt constitutiones seu ordinationes prædictæ in majori ecclesia Nicosiensi, Anno Domini millesimo trecentesimo tertio decimo, Indiction. XI. die XV. mensis Iunii, in qua fuit synodus celebrata.

CONSTITUTIONES IOANNIS *archiepiscopi Nicosiensis.*

Ann. M. CCC. XX.

In nomine Domini, amen.

Infra scriptæ sunt constitutiones, & ordinationes factæ per reverendum in Christo patrem & dominum, dominum fratrem Ioannem archiepiscopum Nicosiensem, super emendatione & correctione ac reformatione majoris ecclesiæ Nicosiensis, ipsius capituli, ac clericorum Nicosiensium.

PROOEMIUM.

Quia pastoralis curæ solicitudo esse debet, & ad hoc illam Deus præordinavit, ut evellat, dissipet, plantet, & ædificet: & nos frater Ioannes archiepiscopus prædictus ex debito nobis incumbentis officii nostram matricem ecclesiam Nicosiensem visitaverimus, secundum modum, & formam ecclesiasticarum traditionum, & invenerimus nonnulla emendatione ac eradicatione digna, nonnulla egere reformatione, & aliqua ibi necessario fore ædificanda seu plantanda: quantum cum Deo possumus volentes ea emendare, corrigere, ædificare, seu plantare.

I. *Ut assisi & alii beneficiati quotidie per se officium celebrent in ecclesia.*

Ordinamus, statuimus, & mandamus, quod omnes assisii, & alii beneficiati in dicta ecclesia, continue debeant horis consuetis ad dictam ecclesiam accedere, ad officium celebrandum per se tantum, & non per hebdomadas, & ad serviendum in ordine suo. Contra facientes autem pœna dupli ejus quæ ante consuevit solvi, debeant de facto mulctari, nisi infirmitate excusarentur.

II. *De punctatione deficientium.*

Item ordinamus & mandamus, quod omnes canonici percipientes præbendam, debeant interesse Divino officio diebus singulis, nisi justa de causa excusarentur: de qua eorum conscientias oneramus. Et tunc clericos suos, quos tenent & debent tenere, mittere teneantur. Alias autem si contra fecerint, pœna denariorum sex puniantur, & punctentur sicut cæteri, & pro eorum clericis ipsorum domini teneantur.

III. *De habitu intra ecclesiam portando.*

Item præcipimus & mandamus, quod canonici omnes, & assisii & alii beneficiati dictæ ecclesiæ, nullo modo debeant intrare ecclesiam, nisi habitu honesto induti: videlicet in hieme canonici capis, & assisii & alii beneficiati capis; in æstate, superpellicio sive cotta, & canonici cum almutiis. Et in hoc nullam excusationem seu exceptionem prætendant: pœna duorum bysantiorum, canonici; & unius bysantii, assisii.

IV. *De habitu extra ecclesiam.*

Item præcipimus ut tam canonici, quam alii clerici beneficiati, sive majoris ecclesiæ, sive nostræ diœcesis, in habitu corporis & statu mentis, & Deo, hominibus studeant placere: ut nec in superstitiosis vestibus, aut tonsura, intuentium, quorum forma & exemplum esse debent, offendant aspectum: scilicet ut nullus extra domum suam portet guarnachiam deante scissam, seu apertam per terram; nec maspillos de argento seu auro, nisi de panno tantum aut osse; nec capillos habeant descendentes ultra extremitatem ultimam auris. Et qui post octo dies a die præsentis monitionis inventus fuerit in tali habitu prohibito, pœna duorum solidorum pro vice qualibet puniatur.

V. *De anniversariis pro defunctis solemniter celebrandis.*

Item statuimus & ordinamus, quod anniversaria quæ pro defunctis celebrantur, debeant solemniter celebrari, ad hoc ut viventes inducantur exemplo
2. Mac. 12. pro defunctis oblationes offerre: cum *salubris sit cogitatio, pro defunctis exorare.* Deficientes autem & contra facientes, per illum qui regit chorum, debent ad hoc moneri. Quod si se non correxerit, seu emendaverit: parte sibi de anniversario contingenti privatus sit ipso facto, & aliud tantumdem perdat.

VI. *De Missa pro defunctis.*

Item quod, sicut scriptum est, omnes morimur; & alibi, quia pro obeuntibus Deus placandus est sacerdotum oblationibus, aut carorum eleemosynis: ideo statuimus & ordinamus, quod continue in dicta ecclesia majori post Missam de beata Maria virgine, dicatur Missa pro defunctis in altari beati Martini, per illos per quos consuevit fieri.

VII. *Ut exeuntes de choro, punctentur.*

Item quia multi sunt de assisiis, & aliis beneficiatis, qui seipsos decipiunt, & aliis detrahendi de eis præbent exemplum, exeuntes chorum, quasi volentes Missam celebrare, & non celebrant: volentes huic morbo, salubri remedio providere, volumus quod ille qui punctat defectus in ecclesia, punctet omnes exeuntes de choro; & ille qui est in sacristia, punctet omnes celebrantes Missam: ita quod si punctatus in choro, non reperiatur punctatus in sacristia, pœna dupli sicut de aliis defectibus puniatur.

VIII. *Ut in choro cessent profana colloquia.*

Psal. 92. Et quod scriptum est, *Decet domum Domini sanctitudo, & domus mea, domus orationis vocabitur,*
Luc. 19. sicque in ea debet esse quieta conversatio, Deo grata, inspicientibus placida, quæ considerantes non solum instruat, sed reficiat. Idcirco volumus & mandamus, quod cessent in choro vana, & multo fortius fœda & profana colloquia, & confabulationes quælibet, sive inter se clericos, sive ipsi clerici cum aliis. Qui autem contra fecerit, secreto accusatori stabimus: & pœna XII. denariorum vice qualibet puniatur.

IX. *Ut inducantur confitentes in morte, relinquere aliquid pro fabrica ecclesiæ.*

Quia ecclesiam fraudare, sacrilegii instar obtinet; & lucrum unius, alii in damnum verti non debet: monemus omnes & singulos confessores, deputatos & deputandos per magistrum capellanum, & ipsum magistrum capellanum, quod decedentes inducant ad relinquendum ecclesiæ nostræ de bonis suis ad opus ecclesiæ; & quod in hoc fraudem non committant, in faciendo sibi relinqui seu tacite dari. Ad quam fraudem expellendam & evitandam, volumus & mandamus, de omni eo quod tali confessori relictum, seu aliter datum fuerit, medietatem esse debere dictæ ecclesiæ Nicosiensi, & dictæ ecclesiæ ad restitutionem teneri, nisi tandumdem dictæ ecclesiæ fuerit per dictum testatorem relictum. Quod si quis repertus fuerit fraudem committere, occultando tacite datum: in duplo ejus quod acceperit, puniatur.

X. *Ut pro confessione, baptismo, extrema unctione, nihil petatur.*

Item statuimus, ad hoc ut pauperes non retrahantur a confessione suorum peccatorum ob verecundiam, quia non habent aliquid posse dari, quod sacerdotes deputati ad confessiones audiendas, nil ab ipsis pœnitentibus, & confiteri volentibus, in festivitatibus anni principalibus percipiant, etiamsi sponte offeratur. Quod si secus factum fuerit, eidem a quo percepit, quadruplum, tanquam male ablatum, restituere teneatur. Idem in baptismo, nisi offeratur in altari a dictis confitentibus, & nomine baptizatorum. In extrema unctione nil petatur: sed si sponte offeratur, licite possit percipere.

XI. *Ut qui venerunt ad exequias, stent usque ad finem sepulturæ.*

Et quia non videtur venisse, nisi qui usque ad finem steterit: idcirco monemus & hortamur, quod omnes clerici qui venerint ad obsequias alicujus defuncti, usquequo corpus traditum fuerit sepulturæ, stare debeat; & quod ille qui habuerit solvere clericis pro ipsa processione, solvere debeat in fine sepulturæ; & non reperto usque ad finem sepulturæ nil dare debeat, pœna dupli ejus quod solverit sibi imminenti.

XII. *De iis qui fraudant suffragia defunctorum.*

Cum gravius sit illos fraudare qui eorum suffragio indigent: idcirco cum defuncti suffragia vivorum expectent, monemus ac etiam mandamus, quod nullus assisius recipere debeat pecuniam pro Missis defunctorum, nisi pro quot crediderit vere se posse Missam celebrare. Contra facientes autem Divinum expectent judicium, & nihilo minus nostro arbitrio puniantur.

XIII. *Ut clerici existentes in choro respondeant Missam celebranti.*

Item statuimus, volumus, & mandamus, ut clerici

A rici omnes in choro existentes sursum corda ad Deum dicantur habere, tam canonici quam clerici alii existentes in choro, respondere debeant sacerdoti celebranti Missam, dum celebrat, & ei qui cantat primo in choro, seu locum cantoris tenet. Contra facientes autem punctentur, sicut de aliis defectibus, & pœna quatuor denariorum pro vice qualibet puniantur.

XIV. *Ut omnes canonici, clericos suos teneant.*

Item ordinamus & mandamus, quod canonici omnes, tam personales, quam alii, suos clericos tenere debeant, sicut fuit alias constitutum: B dummodo tales teneant qui alias in dicta ecclesia non sint beneficiati, nec intitulati, seu aliquid certum pensum de ecclesia, seu pro ipsa percipiant. Contra facientes autem, in tantum de suo beneficio puniantur, in quantum clerici quos tenere deberent, possent commode sustentari.

XV. *Ut punctator legaliter officium exerceat.*

Item monemus illum qui habet seu habebit in futurum punctare, legaliter suum officium exercere, si Dei & nostram indignationem vitare voluerit.

XVI. *De lusoribus ad azardum.*

C Item monemus omnes & singulos clericos, cujuscumque conditionis & status, fugere tabernas, loca inhonesta, & ludum azardi. Contra facientes autem nostro arbitrio puniantur.

XVII. *Ut clerici abstineant a mercimoniis.*

Item quia Dominus vendentes, & ementes de templo ejecit, & *nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*: idcirco monemus omnes & singulos clericos, abstinere a mercimoniis, & à negotiationibus seu lucris illicitis: nisi quæ pro vita tantum ipsorum suffecerint. Contra facientes autem pœna canonica puniantur.

2. Tim. 2.

XVIII. *Ut servientes ecclesiæ, adsint hora congrua.*

D Item ordinamus, quod tam sacerdotes, quam diaconi & subdiaconi, & alii clerici, qui per hebdomadas servire debent, interesse debeant ad celebrandum & serviendum in sua hebdomada in hora congrua. Quod si repertus non fuerit, alius pro eo servire debeat in ordine absentis: & habeat & habere debeat a tali absente VI. denarios, nisi justa causa fuerit impeditus, quam ante horam Missæ decano debeat notificare.

XIX. *Ut sacerdos in serviendo diaconis præponatur.*

E Item quod quoties Missa celebratur in ecclesia, & aliqui defecerint, qui deberent sacerdoti in altari diaconi seu subdiaconi loco servire, ita quod aliquis sacerdos haberet tunc substitui, quod non celebret sacerdos in officio subdiaconatus, nisi fuerit sacerdos qui deberet servire loco diaconi: aliter sacerdos semper in serviendo diaconibus præponatur. Qui contra fecerit, renuendo celebrare post sacerdotem, puniatur in VI. denariis: nisi aliquis ex subdiaconibus, seu aliis diaconibus, fuerit in ecclesia supradicta.

Lectæ & publicatæ & pronuntiatæ fuerunt prædictæ constitutiones in majori ecclesia Nicosiensi, præsentibus, audientibus, & intelligentibus, canonicis, assisiis, & clericis ecclesiæ prædictæ, ad prædictas constitutiones audiendas de mandato supradicti domini archiepiscopi vocatis, & in ipsa ecclesia specialiter congregatis. Quas quidem constitutiones dictus dominus archiepiscopus mandavit inviolabiliter observari, & exinde confici præsens publicum instrumentum, in præsentia venerabilis viri domini Guillelmi de Antio canonici plebis sanctæ Mariæ civitatis ejusdem, dicti domini archiepiscopi officialis, religiosorum virorum fratrum Benedicti de Burgo sancti sepulchri, & Iacobi de Urbeveteri ordinis fratrum Prædicatorum, sociorum domini archiepiscopi supradicti, ac sapientum virorum dominorum Iacobi de Ancona juris utriusque periti, & Michaëlis de Antio medicinæ artis professoris, testium & sociorum assistentium domino archiepiscopo supradicto. Ann. Dom. a Nativitate ejusdẽ M.CCC.XX. Indictione III. tempore domini Ioannis papæ XXII. die septima mensis Aprilis.

Et ego Theodinellus magistri Bernardi de Aquasparta, imperiali autoritate judex ordinarius, atque notarius, & prædicti reverendi in Christo patris & domini, domini fratris Ioannis archiepiscopi Nicosiensis familiaris, & scriba publicus, prædictas constitutiones, de mandato dicti domini archiepiscopi, legi & publicavi, & in hanc publicam formam redigens, meo solito signo signavi.

IOANNIS ARCHIEP. NICOSIENSIS

Constitutiones editæ, ann. M. CCC. XXI. & consequentibus.

I. *De ingressu in monasteria monialium.*

NOs frater Ioannes permissione Divina archiepiscopus Nicosiensis, monemus & hortamur in Domino omnes & singulas personas, tam clericos quam laicos, cujuscumque conditionis existant, ne infra claustra, seu septa monasteriorum monialium de Nicosia intrare debeant, sine nostra licentia speciali: exceptis dominabus reginis, & earum comitiva, ac etiam sororibus domini Regis, quibus propter specialem prærogativam eis deferimus in hac parte: & exceptis confessoribus ipsarum per nos deputatis, quibus intrare liceat tempore necessitatis. Alias, tam intrantes, quam etiam introducentes easdem, pœnam excommunicationis incurrere volumus ipso facto. Datum Nicosiæ in nostra majori ecclesia Nicosiensi, die XVII. Iunii, Indictione IV. ann. M. CCC. XXI.

II. *De non celebranda Missa nuptiali sine licentia.*

Item statuimus & ordinamus, quod nullus sacerdos debeat, vel præsumat Missam nuptialem celebrare, sine nostra licentia speciali, aut magistri capellani ecclesiæ Nicosiensis, cui constiterit ipsum matrimonium, ut est moris, esse legitime proclamatum. Qui vero contra fecerit, nostro arbitrio puniatur.

III. *Ut assisius qui celebrat pro mortuis, non se obliget ad aliud officium.*

Item inhibemus, quod nullus ex assisiis nostræ ecclesiæ supradictæ, qui Missam assidue debet pro mortuis celebrare, ad aliquod servitium seu officium celebrandũ se obliget, nec faciat quoquo modo. Qui autẽ contra fecerit, acriter nostro arbitrio puniatur.

IV.

IV. *Vt altari serviat, qui vivit de altari.*

Cum ad hoc sint ecclesiastica beneficia deputata, ut idonee in Divinis officiis ecclesiæ serviatur, & ad ipsum ministerium talis quæri persona debeat, quæ per se ipsam illud valeat exercere: quare unusquisque in ea vocatione manere debet in qua extitit evocatus, ac jure debet altari servire, qui de altario victum quærit.

V. *Vt assisius per seipsum serviat in Divinis.*

Sane nobis fratri Ioanni archiepiscopo Nicosiensi innotuit, quod nostra Nicosiensis ecclesia quibusdam ex servitoribus & assisiis ejus absentibus, & quibusdam præsentibus, diversis negotiis se implicantibus, aliis per eos minus dignis substitutis, circa Divinum cultum plurimum destituitur, & quod ipsorum officium ac nomen requirunt, scilicet continuam assistentiam vix saltem per mensem adimplent. Nos volentes statui nostræ ecclesiæ providere circa ecclesiasticum ministerium, quod semper disposuimus augmentare, & ipsorum assisiorum saluti consulere: statuimus & ordinamus hac constitutione inviolabiliter valitura, quod omnes & singuli assisii nostræ ecclesiæ, in eo ordine cujus beneficium obtinent seu præbendam, serviant in Divinis per seipsos, & non per alium substitutum, non obstante, si alium titulum sub expectatione habeant in ecclesia memorata: nisi infirmitate aut justæ absentiæ causa, a nobis etiam obtenta licentia, valeat excusari. Contra facientes autem volumus pœnis canonicis subjacere.

In nomine Domini, amen. Anno Domini a Nativitate ejusdem M. CCC. XXIII. Indictione VI. tempore domini Ioannis papæ XXII die ultima Augusti, prædicta proxima constitutio edita contra assisios ecclesiæ Nicosiensis, ad eorum doctrinam publicata fuit & lecta in auditorio, ubi jus redditur apud archiepiscopatum juxta capellam, præsentibus omnibus assisiis ecclesiæ prælibatæ, & dominis Baliano Guezi, & Roberto Turcheti, canonicis ecclesiæ antedictæ, præsentibus etiam Andrea Gallioti, Ioanne Gualterij, Fectono Tabarani, magistro Petro Anselmi, & Constantio baculario, cum pluribus aliis testibus vocatis ad prædicta.

VI. *Contra falsos testes.*

1. Pet. 4. *Quia tempus est, ut judicium a domo Dei incipiat*, testante scriptura, ut quos Dei timor a malo non revocat, saltem ecclesiasticæ cohibeat severitas disciplinæ: licet nos frater Ioannes archiepiscopus Nicosiensis, tempore quo fuimus in Cypro, relatione quamplurium audiverimus, morbum pestiferum falsorum testium pullulasse, & etiam adhuc vigere: considerantes aliqua a nostris prædecessoribus contra prædicta fuisse statuta, non de facili credere poteramus aliquos tam insanos, quam etiam hebetes mente, qui se tanto crimine irretirent, ut Deum contemnerent, judicem fallerent, ac offenderent innocentem: quæ omnia perpetrant, cum falsum testimonium proferunt, ac proferri procurant. Sed quia nos ipsi experimento didicimus, multos prædicta postponere in delusum, in animarum suarum periculum, & damnum non minimum aliorum: cogimur ferro abscindere vulnera putrefacta.

Idcirco nos frater Ioannes prædictus, monemus & hortamur in Domino, pro prima, secunda, & tertia monitione, omnes & singulos, tam clericos quam laicos, masculos & feminas, cujuscumque conditionis & status existant, & nihilo minus sub pœna excommunicationis mandantes, qui in nostra curia tulerunt testimonium falsum, seu ferri tractaverunt, seu procuraverunt, unde sententia fuerit subsequuta, quod ipsi, quantum in ipsis est, revocent dictum suum, ut ex sententia tam damnabili, perniciosa executio sequi non possit, seu nobis secreto manifestent. Multo magis, si adhuc sententia lata non fuerit, dictum suum revocent, vel nobis pandant: & hoc infra IX. dies, quorum tres pro primo, tres pro secundo, & tres pro tertio termino peremptorio assignamus. Contemptores autem hujusmodi nostræ monitionis, ex nunc prout ex tunc, in his scriptis excommunicationis vinculo innodamus: mandantes, omnes & singulos prædicta committentes, seu aliquid de præmissis, ipso excommunicationis vinculo innodari, quorum absolutionem nobis solummodo reservamus: non intendentes, per commissionem aliquorum casuum per nos factam prædictos includi, nisi specialiter in commissione denominaremus eosdem.

VII. *Vt religiosi non habeant advocatos & procuratores perpetuos, nec dent eis perpetuas assisias.*

Item statuimus & ordinamus, quod nullum monasterium, prior, abbas, vel conventus, vel quicumque alius administrationem habens, ipsius civitatis, seu diœcesis Nicosiensis, possit advocatum, procuratorem, seu patronum, vel defensorem, clericum vel laicum, ad eorum servitium perpetuo deputare, pro patrocinio, procuratione & defensione eis imposterum præstandis, nec eorum alteri possint perpetuam assisiam seu pensionem annualem constituere in futurum; sed liceat eis advocatum, procuratorem, seu defensorem quærere in causis de novo emergentibus, quibus convenienter possint, considerato labore, providere de eorum salario & mercede, revocantes, cassantes, & annullantes omni modo, jure, & forma, quibus melius possumus, omnes perpetuas assisias, seu pensiones, hactenus per quoscumque abbates, conventus, priores, seu quoscumque alios administratores monasteriorum ipsorum, quibuscumque advocatis, procuratoribus & defensoribus concessas, ordinatas & factas. Mandantes ex nunc tenore præsentium, abbatibus, prioribus, conventibus, & quibuscumque aliis administrationem ipsorum monasteriorum habentibus, quod hinc ad XV. dies ex nunc in antea computandos, dictas assisias, seu pensiones perpetuas, studeant effectualiter ad jus ipsorum monasteriorum revocare; nec dent, nec dare debeant easdem, sub pœna excommunicationis, & sub pœna L. bysantiorum de Cypro, & alia pœna nostro arbitrio infligenda.

VIII. *Vt religiosi & clerici non contrahant ultra certam summam.*

Item statuimus & ordinamus, quod nullum monasterium, abbas, prior, vel conventus, vel quicumque alius clericus, Latinus vel Græcus, civitatis vel diœcesis Nicosiensis, suo nomine proprio, seu nomine suæ ecclesiæ, mutuum contrahere, emptionem seu venditionem, affictationem, seu quemcumque alium contractum excedentem summam C. Byzantiorum alborum de Cypro; & alius quivis clericus cujuscumq; alterius ecclesiæ, ultra quantitatem XXV. bysantiorum, sine nostra seu superioris sui speciali licentia & mandato, debeat. Et si contraxerit, ipsa obligatio

obligatio seu contractus, ecclesiam seu monasterium non valeat obligare: ita quod ipsa ecclesia seu monasterium, ad dictum debitum reddendum nullatenus obligetur, nec etiam compellatur. Et quicumque contra fecerit, punietur pœna nostro arbitrio inferenda.

Prædictæ constitutiones lectæ & promulgatæ fuerunt per dominum archiepiscopum supradictum, in sacristia seu thesauro suæ ecclesiæ Nicosiensis, præsentibus venerabilibus viris dominis, Nicolao de Camilio, Henrico de Biblio archidiacono, Philippo Alamanno, Elia Anselmi, Laurentio de Berico, & Baliano Guezi, canonicis, & capitulo ecclesiæ supradictæ, cum plures canonici in capitulo tunc non essent, expresse consentientibus in prædictis. Anno Domini a nativitate ejusdem M. CCC. XXIV. Indictione septima, tempore domini Ioannis papæ XXII. die XXII. mensis Ianuarii.

IX *Vt ecclesiæ Nicosiensis jura & honores a nemine usurpentur, & usurpata restituantur.*

Nos frater Ioannes, permissione Divina archiepiscopus Nicosiensis, monemus pro prima, secunda, & tertia monitione, de consilio & consensu capituli & canonicorum nostræ ecclesiæ Nicosiensis, omnes & singulos tam mares quam feminas, cujuscumque status, ordinis & conditionis existant; & nihilo minus eis & cuilibet eorum sub pœna excommunicationis districte præcipiendo mandamus: quatenus jura, honores, & bona ecclesiæ Nicosiensis prædictæ, deinceps non usurpent, nec usurpare audeant scienter: immo, jura, honores, & bona jam dictæ ecclesiæ dudum usurpata, occupata, seu subtracta, taliter usurpantes, occupantes, seu etiam subtrahentes, infra sex dies a die datarum præsentium computandos, quorum duos pro primo, duos pro secundo, & duos pro tertio & peremptorio termino, eis & cuilibet eorum, tenore præsentium assignamus, ipsa jura, honores, & bona restituant ipsi ecclesiæ, & restituere teneantur cum effectu. Alioquin, in usurpantes imposterum scienter jura, honores, & bona prædicta, & jam usurpata, occupata, seu subtracta, infra dictum terminum non restituentes, seu emendantes, sententiam excommunicationis, contra ipsos & ipsorum singulos, de consilio & consensu canonicorum & capituli ecclesiæ supradictæ, proferimus in his scriptis, quam ipsos & ipsorum singulos incurrere volumus ipso facto. Ad denunciationem & aggravationem ipsius sententiæ nihilo minus procedemus, ipsorum inobedientia exigente. Datum Nicosiæ die penultima mensis Martii, Indictione octava, anno Domini M. CCC. XXV. tempore Domini Ioannis papæ XXII.

X. *De eligentibus sepulturam extra suam ecclesiam.*

Si de parochianis nostris aliquis apud aliam ecclesiam elegerit sepulturam: morte nunciata ipsius, duæ tantum campanæ pulsentur, *&c. ut supra cap. ult. concilii Nicosiensis, an. M. CC. LXXXVIII.*

HELIÆ ARCHIEPISCOPI NICOS.

CONSTITVTIO

Qua prædecessorum constitutiones innovat.

CVm laudandæ diffinitionis intentio, pastoris sit semper studiis adjuvanda: cura est solicitudinis adhibenda, ut ea quæ pro cultu Divino, quiete ecclesiasticæ conversationis, sunt disposita & ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare. Quia nos frater Helias, Dei & apostolicæ sedis gratia Nicosiensis archiepiscopus, multas scimus constitutiones & leges, tam a legatis sedis apostolicæ, quam a nostris prædecessoribus, emanasse ad decus cultus Divini, & honestatem ordinis clericalis, quas, nostram ecclesiam visitantes invenimus, ut plurimum datas in neglectum, & sic potius membranas occupasse, quam in aliquo fructum salutiferum attulisse: idcirco omnes constitutiones legatorum sedis apostolicæ, editas ad cultum Divini nominis & honestatem ordinis clericalis, tanquam validas, firmas præsentialiter denunciamus: ac constitutiones prædecessorum nostrorum, in quantum non sint primæ posterioribus contrariæ vel adversæ, approbamus & ratificamus, ac etiam innovamus: mandantes, ipsas pro diffinitione nostræ visitationis debere inviolabiliter observari.

CONCILIVM NICOSIENSE ab Helia archiepiscopo, cum suffraganeis, celebratum.

Anno Domini M. CCC. XL.

PRÆFATIO.

In nomine Domini Iesu Christi, amen.

COngregato & convocato provinciali concilio regni Cypri in aula archiepiscopatus Nicosiensis per reverendum in Christo patrem & dominum, dominum fratrem Heliam, Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopum Nicosiensem, metropolitanum regni prædicti, una cum suffraganeis suis, reverendis in Christo patribus, dominis, Odone Paphensi, Lambertino Nimociensi, & fratre Marco Famagustano, & Anteradensi, episcopis, & præsentibus & eidem concilio intercessentibus venerabilibus in Christo patribus, dominis, fratre Leondio de Solia, Nicosiensis; fratre Matthæo de Larlino, Paphensis; fratre Clemente de Lescara, Nimociensis; & fratre Michaële de Carpasio, Famagustanæ, diœcesum Græcorum episcopis; & fratre Georgio, Maronitarum; & fratre Gregorio, Armenorum, præsulibus & episcopis; & aliarum nationum, videlicet, Nestorinorum & Iacobitarum rectoribus, & aliorum clericorum Latinorum & Græcorum, & dictarum nationum multitudine copiosa: præfatus dominus archiepiscopus, præmissis Romano more orationibus consuetis, Spiritus sancti gratia primitus invocata, proposito verbo Dei, clare, distincte, & explicite declaravit, aperuit, & exposuit fidem catholicam, quam de articulis & ecclesiasticis sacramentis, ac aliis quæ possent forte ex ignorantia in errorem aliquos declinare, sacrosancta Romana ecclesia tenet, docet, & prædicat, dictis nationum prælatis eorumque subditis audientibus, & intelligentibus, liquido, singulariter & distincte per infra scriptos fideles viros interpretes autoritati, & linguarum quarum erant interpretes, plenam & veram habentes notitiam, quidquid per eundem dominum archiepiscopum verbo extitit declaratum: & scripto de unanimi consilio Latinorum pontificum publice ibi lecto, ad nationis cujuslibet intellectum, mediantibus interpretibus infrascriptis. Cujus scripti series, de verbo ad verbum, nil addito vel minuto, tenor talis est.

CONFESSIO FIDEI.

Quoniam in regno Cypri, in singulis civitatibus & diœcesibus, permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide, sicut experimento didicimus, varios ritus & mores, qui a suis episcopis & præsulibus, juxta diversitates rituum & linguarum, verbo instituendi sunt pariter & exemplo: ut in salubri doctrina præfati præsules, expulsa omni errorum caligine, possint in lumine veræ lucis, quæ catholicos professores illuminat, ambulare, & suos subditos, seu populos commissos eisdem, clarius informare: decrevimus fidei professionem explicite declarare, quam sacrosancta Romana ecclesia firmiter tenet, docet, & prædicat: ut ipso veræ lucis lumine mediante queant veritatis semitam imitari, & varios errores expellere.

Quicumque autem cupit salvus fieri & catholicus reputari, firmiter credere debet & simpliciter confiteri, quod unus solus, verus est Deus, æternus, immensus, & incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino. Pater a nullo, Filius a Patre solo, & Spiritus sanctus ab utroque: non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio; non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedens. Hoc professa est hactenus, prædicavit, & docuit; hoc firmiter tenet & prædicat sacrosancta Romana ecclesia, mater omnium fidelium & magistra. Hoc habet orthodoxorum patrum atque doctorum, Latinorum pariter & Græcorum, incommutabilis & vera sententia.

Tenet insuper, docet & prædicat eadem sancta mater ecclesia, sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: totamque in Trinitate deitatem, coëssentialem & consubstantialem, coæternam, coomnipotentem, unius potestatis, voluntatis, & majestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, quæ sunt sub cælo & in terra, visibilia & invisibilia, corporalia & spiritualia.

Singulam quamque in sancta Trinitate personam, unum verum Deum & perfectam existere, ipsumque Dei unigenitum, Verbum Dei, æternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem & coæqualem per omnia Patri in Divinitate, a tota Trinitate communiter incarnatum, ex Maria semper virgine Spiritus-sancti cooperatione conceptum cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram temporalem ex matre; Deum verum & hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum; non adoptivum neque phantasmaticum, sed unum & unicum filium Dei, in duabus & ex duabus, Divina scilicet & humana, naturis, sed in unius personæ singularitate; impassibilem & immortalem Divinitate, sed in humanitate, pro nobis & pro salute nostra passum vera carnis passione, mortuum & sepultum, & descendisse ad inferos, ac tertia die resurrexisse a mortuis vera carnis resurrectione; die quadragesima post resurrectionem, cum carne qua resurrexit, & anima, ascendisse in cælum & sedere ad dexteram Dei Patris, & inde venturum judicare vivos & mortuos, & redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala, tam reprobis quam electis, qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus quæ nunc gestant; reprobi vero cum diabolo, pœnam perpetuam recepturi, & electi cum Christo gloriam sempiternam.

A Credere etiam debet & tenere firmiter unusquisque catholicus, unam esse fidelium universalem ecclesiã, extra quam nullus omnino salvatur, in qua unũ datur baptisma, & vera omniũ remissio peccatorum.

Firmiter etiam credere, & simpliciter confiteri debet quicumque fidelis, novi & veteris testamenti, legis, ac prophetarum, & apostolorum, unum esse autorem Deum Et hæc est vera fides catholica, quam super dictis articulis tenet & prædicat sacrosancta Romana ecclesia, mater omnium fidelium & magistra.

Sed propter diversos errores, a quibusdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia adinventos, dicit, tenet, docet, & prædicat, quod secundum communem Dei ordinationem, animæ sanctorum hominum, qui de hoc sæculo ante Domini nostri Iesu Christi passionem B decesserunt; necnon sanctorum apostolorum, martyrum & confessorum, virginum, & aliorum fidelium defunctorum, post sacrum ab eis Christi baptisma susceptum, in quibus nil purgabile fuit quando decesserunt, nec erit quando decedent, etiam in futurum, vel si tunc fuit aut erit purgabile aliquid in eisdem, cum post mortem suam fuerint purgatæ; aut quod animæ puerorum eodem Christi baptismate renatorum & baptizandorum, cum fuerint baptizati, ante usum liberi arbitrii decedentium, mox post mortem suam & purgationem præfatam, in illis qui purgatione hujusmodi indigebant, etiam ante resurrectionem suorum corporum & judicium generale, post ascensionem salvatoris nostri Domini Iesu Christi C in cælum, fuerunt, sunt, & erunt, in cælo cælorum, regno & paradiso cælesti, cum Christo sanctorum angelorum consortio congregatæ, ac post Domini Iesu Christi passionem & mortem, viderunt, vident, & videbunt Divinam essentiam, visione intuitiva, ac etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione objecti, nisi se habente secundum Divinam essentiam mediante se * videre clare & aperte eis ostendere; & quod sic videntes eadem essentia perfruantur; necnon quod ex tali visione, & fruitione, eorum animæ qui jam decesserunt, sunt vere beatæ, & habent vitam & requiem æternam; & erunt illorum, qui postea decedent, cum eandem videbunt Divinam essentiam, ipsaque perfruentur, ante judicium generale. Et quod postquam inchoata fuit, D vel erit, talis intuitiva & facialis visio & fruitio in eisdem: eadem visio & fruitio, sine aliqua intercisione, seu evacuatione prædictæ visionis & fruitionis, continuata fuit, & continuabitur usque ad finale judicium, & extunc usque in sempiternum.

Diffinivit insuper eadem sancta mater ecclesia, quod secundum communem Dei ordinationem, animæ decedentium in actuali peccato mortali, mox post mortem suam ad inferna descendunt, pœnis infernalibus, tamen disparibus, puniendæ; & quod nihilo minus in die judicii omnes homines, ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem.

E Tenet etiam & docet eadem Romana ecclesia, septem fore sacramenta ecclesiastica. Vnum, scilicet Baptisma, de quo supra dictũ est quod ad invocationẽ individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus sancti, consecratur in aqua, quod tam parvulis quam adultis in forma ecclesiæ a quocumq; rite collatum, proficit ad salutem: post cujus susceptionem baptismi, si quisquam prolapsus fuerit in peccatum, potest semper per veram pœnitentiam reparari, & suorum consequi veniã peccatorum. Aliud est sacramentũ Confirmationis, quod cũm ab apostolorũ tempore solis fuerit pontificibus reservatum, in fronte

chrismando

» chrismando renatos, soli debent episcopi per manus impositionem conferre. Cujus forma hæc est: Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Quod si simplices sacerdotes conferre præsumant, nihil agunt: cum ex eorum collatione, umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectum. Aliud est pœnitentia. Aliud est Eucharistiæ sacramentum, quod ex azymo conficit eadem Romana ecclesia, tenens & docens, quod in azymis verum conficitur & potest confici corpus Christi: cujus corpus & sanguis, in sacramento altaris, sub speciebus panis & vini veraciter continetur, transsubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem, potestate Divina. Quod utique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos rite fuerit ordinatus, secundum claves ecclesiæ, quas ipse concessit apostolis, & eorum successoribus, Iesus Christus. Aliud est Ordinis sacramentum. Aliud est extrema unctio, quæ secundum doctrinam beati Iacobi infirmantibus exhibetur. Aliud est matrimonium, de quo tenet sancta mater ecclesia, quod nec unus vir simul plures uxores habere permittitur, nec unquam licuit, nisi cui fuit Divina revelatione concessum, nec una mulier simul habere plures viros. Soluta vero lege matrimonii per mortem alterius conjugum, secundas, & tertias, & deinceps nuptias, successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum ex causa legitima non obsistat.

» Tenere debet insuper, fateri, & publice confiteri, quicumque vult reputari catholicus, quod ipsa sacrosancta Romana ecclesia est mater omnium fidelium, & magistra, & super universam catholicam ecclesiam plenum principatum obtinet & primatum, quem memorata ecclesia ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe seu vertice, cujus Romanus pontifex est successor, cum plenitudine potestatis recepisse, veraciter & humiliter recognoscit. Cujus Romani pontificis, si quæ subortæ fuerint quæstiones & causæ majores, suo debent judicio diffiniri: ad quem potest quicumque gravatus in negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus appellare, & in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest recurri judicium: & eidem omnes ecclesiæ sunt subjectæ, ipsarumque prælati obedientiam & reverentiam sibi debent, qui in partem sollicitudinis sunt vocati.

» Præscriptam igitur purissimam, certissimam, solidissimam Romanæ ecclesiæ & orthodoxæ fidei veritatem, evangelicæ doctrinæ consonam, a sanctis patribus traditam, & Romanis pontificibus in suis statutis, synodis, diffinitionibus, determinationibus, & constitutionibus roboratam, ab universis & singulis regni Cypri, cujuscumque nationis existant, firmiter teneri, & simpliciter absque varietatis inconstantia, & sine scrupulo cujuslibet dubietatis agnosci, præsentis constitutionis serie, autoritate præsentis concilii promulgatæ, præcipimus & mandamus, si omnipotentis Dei & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, necnon sanctissimi domini nostri, domini Benedicti papæ XII. cupiunt effugere ultionem. Per hoc autem non intendimus inhibere Græcis episcopis, & eorum subditis, quin ritus suos fidei catholicæ non adversos sequantur, juxta compositionē a felicis recordationis domino Alexandro Romano pontifice in regno Cypri inter Latinos & Græcos editā, & diutius observatam.

Memorati Græcorum, Maronitarum, & Armenorum episcopi, & præmissarum aliarum nationum majores, pro se & subditis suis, intellectis omnibus & singulis supradictis, & super singulis articulis fidei & ecclesiasticis sacramentis, ac aliis in dicta serie comprehensis, singuli singulariter, & universaliter universi, juxta relationem infrascriptorum interpretum, clare, aperte, distincte, & singulariter, & explicite recognoverunt, humiliter & devote, & spontanea voluntate, omni timore remoto, & quacumque coactione cessante, humili professione confessi sunt, & devota confessione professi, illa omnia & singula in dicti scripti serie comprehensa, vera esse; & quod illa omnia & singula firmiter credebant, prout superius explicite declarantur. Adjiciens rationes, quod ita erat ab omnibus catholicis absque dubietate credendum: & quod sacrosancta Romana ecclesia erat mater omnium fidelium & magistra, super omnes ecclesias plenum principatum obtinens & primatum: & quod sanctissimus in Christo pater, dominus Benedictus Divina providentia papa XII. successor beati Petri, & in terris vicarius Iesu Christi, erat cunctorum fidelium pater, & pastor, & dominus, cui singuli prælati ecclesiarum omnium debent reverentiam humilem; ipsique reverentiam eidem & obedientiam promittebant. Petentes humiliter, quod eis liceret in suis ritibus fidei non contrariis permanere, ac deprecantes dictum dominum archiepiscopum, ut devotionem eorum intimare domino summo pontifici dignaretur.

Acta sunt hæc Nicosiæ, in aula archiepiscopatus majori, præsentibus venerabilibus viris, dominis, Leodegario de Nabinalis decano, Baliano Guezii, Antonio Marbre, & Bernardo Coste, canonicis, & capitulo ecclesiæ Nicosiensis, Marino de Luca cantore, & Ioanne Benedicti, canonicis Paphensis ecclesiæ; Iacobo Paschalis thesaurario & canonico Nimociensi, linguarum Latinæ & Græcæ notitiam habentibus; Gofredo Spangiota archidiacono & canonico Famagustano, Iustino de Iustinis, milite & consiliario regio; fratre Francisco de Nimocio priore provinciali fratrum Prædicatorum in provincia terræ sanctæ, fratre Raymundo de Moragis, ordinis fratrum Minorum in dicta provincia ministro; Iacobo de sancto Prospero canonico Nimociensi, & dicti domini archiepiscopi officiali, inter Latinos & Græcos, & Ioanne Malie presbytero Tarsensi canonico, inter Latinos & Maronitas, Iacobitas & Nestorinos, & presbytero Petro de Ascalona, inter eosdem Latinos & Armenos, interpretibus. Fratre Iterio de Nabinalis, ordinis fratrum Minorum, ac domino de Parma, testibus ad hæc vocatis & rogatis, & quāpluribus aliarū ecclesiarū canonicis, & notabilibus viris, ac clericorū Latinorum & aliarum nationū multitudine copiosa.

Post hæc & instanti, in præsentia totius concilii lectæ, firmatæ, & publicatæ fuerunt, aliæ constitutiones infra scriptæ.

STATUTA CONCILII.

I. *De decimis integre solvendis.*

ITem approbatione ejusdem concilii cōfirmamus, innovamus, & ratificamus, ac etiam approbamus, constitutionē editam contra decimas non solventes in provinciali concilio apud Nimocium celebrato, quæ incipit, *Contumacia non plene.* Adjicientes eidem, sicut in constitutione bonæ memoriæ domini Hugonis Nicosiensis archiepiscopi continetur expresse, quod eandem excommunicationis sententiam ipso facto incurrant omnes & singuli, qui ecclesiis, Nicosiensi, Paphensi, Nimociensi, & Famagustanæ, integras decimas nō solverint, ut tenentur, de omnibus redditibus suis, possessionibus, terris, animalibus, appaltis, ac aliis quibuscumque, sine deductione seminis, taliæ, angariarum, vel aliarū quarumlibet ex-

pensarum, cum integre sine deductione aliqua, A decima sit solvenda. Quam sententiam incurrere debeant ipso facto omnes & singuli, qui annis singulis plene & perfecte non computaverint, & integre non solverint, ut superius est expressum, per totum Februarium cujuslibet anni. A qua sententia nullus possit absolvere, sine speciali licentia nostra, & aliorum prælatorum præmissarum ecclesiarum, vel eorum quibus nos in diœcesi nostra, & ipsi in singulis suis diœcesibus, specialiter duxerimus concedendum. Et quod illorum corpora, qui usque ad extremum vitæ exitum excommunicationem sustinuerint, occasione præmissa, animo indurato, licet eos in ipso mortis articulo absolvi contingat, usque ad B satisfactionem integram extra cœmeterium ecclesiasticum volumus detineri, cum vix unquam ecclesia valeat percipere quod est suum.

Cui constitutioni dictus dominus Odo Paphensis episcopus non consensit: immo, in quantum suam posset ecclesiam tangere, totaliter contradixit; maxime ubi incipit, *& quod illorum corpora &c.* & ab inde infra.

II. *Contra matrimonia clandestina.*

Item statuimus & mandamus autoritate ejusdem C concilii, quod matrimonium semper in facie ecclesiæ inter personas legitimas hora debita celebretur, excommunicantes ex nunc omnes & singulos, qui matrimonia clandestina de cætero inter se præsumpserint celebrare, & omnes & singulos qui talibus matrimoniis interfuerint, seu consilium dederint, auxilium vel favorem: quorum absolutionem, loci diœcesano episcopo reservamus, imposita prius dictis excommunicatis pœnitentia salutari, & aliis quæ de jure fuerint injungenda. Sacerdos autem vel clericus, qui matrimonio clandestino opem vel operam dederit, ab officio & beneficio sit suspensus, usque ad tempus a canone diffinitum. Clandestina autem ma- D trimonia intelligimus, quæ fient de cætero sine licentia nostra, vel diœcesanorum in eorum diœcesibus, vel illorum quos nos & ipsi singulariter duxerimus deputandos. Et in matrimoniis contrahendis proclamationes fieri debeant tribus diebus Dominicis successive, ut est fieri consuetum: quod tempus proclamationis ab aliquo nequeat coarctari: salvo quod hoc locum non habeat in regalibus & descendentibus ab eisdem. Et si contrahentes essent diversarum diœcesum, matrimonium intelligatur esse clandestinum, nisi tribus diebus Dominicis, ut præmittitur, fuerit publice more solito proclamatum in majori ecclesia, vel in capellis parochialibus illius cujuslibet civitatis vel diœcesis, in qua vel quibus quilibet ex contrahentibus consueverat habitare, seu E illo tempore habitabat. Pœnis aliis contra sacerdotes & clericos hujusmodi matrimonia clandestina celebrantes, per constitutiones prædecessorum nostrorum promulgatas, nihilo minus in suo robore duraturis: videlicet pœna perpetui carceris, juxta constitutionem bonæ memoriæ domini Hugonis prædecessoris nostri, quam autoritate præsentis concilii innovamus, ac etiam approbamus.

III. *De synodo bis in anno celebranda.*

Item statuimus & mandamus, quod singulis annis quilibet Latinus episcopus bis synodum debeat celebrare, videlicet IV. feria post octavas Pentecostes, & VI. feria post octavas Epiphaniæ: in qua personaliter debeat interesse, canonico impedimento cessante, vel per vicarium suum, legitime impeditus, instruendo clerum verbo pariter & exemplo, & faciendo legi constitutiones præsentis concilii, & alias in Nimociensi concilio editas, quas mandent a suis subditis observari.

IV. *Ut aliquo signo admoneantur fideles, perfectum esse corpus Christi.*

Item statuimus & ordinamus, ac etiam mandamus omnibus episcopis Græcis, & aliis præsulibus quarumlibet nationum, & sacerdotibus earumdem, quod debeant ordinare quoddam signum, quod possit omnibus audientibus Divinum officium notum esse, illa hora qua perfecerint corpus Christi, quando celebrant in altari: ita quod illo tempore corpori Christi exhibeatur reverentia, tam debita, quam devota.

V. *Ut constitutiones antehac editæ habeant autoritatem.*

Item autoritate præsentis concilii, omnes constitutiones, tam a prædecessoribus nostris editas, quam in provinciali concilio apud Nimocium promulgatas, necnon per nos factas, innovamus, ratificamus, approbamus, ac etiam confirmamus, in quantum sibi adinvicem minime contradicant: quas in dictis synodis, annis singulis celebrandis, publice legi mandamus, & ab omnibus observari, sub pœnis in eisdem constitutionibus comprehensis.

VI. *Ut non sint in ecclesiis cathedralibus canonici expectantes.*

Item cum propter canonicos in ecclesiis cathedralibus regni Cypri expectantes, ipsas ecclesias intolerabilia oportuit supportare: volentes prædictis occurrere, & indemnitatibus nostræ, & aliarum ecclesiarum dicti regni cathedralium providere: autoritate præsentis concilii statuimus & ordinamus, quod de cætero nullus canonicus, quantumcumque sit in sacris ordinibus constitutus, sub expectatione præbendæ vocem in capitulo, & stallum in choro sibi debeat vendicare, nec amucias deferre de vario, seu pro festis duplicibus aliquid de secretis ipsarum ecclesiarum, vel aliunde, seu exenia aliqua recipere, nec in aliquo se tanquam canonicus intromittere, donec præbendam fuerit pacifice consecutus. Et prædictam nostram constitutionem mandamus, & volumus autoritate præmissa, in quibuscumque ecclesiis cathedralibus dicti regni debere inviolabiliter observari: non obstantibus quibuscumque consuetudinibus ipsarum ecclesiarum, retroactis temporibus observatis. Salva semper in omnibus sanctæ sedis apostolicæ autoritate.

Cui constitutioni dictus dominus Odo Paphensis episcopus non consensit: immo totaliter contradicit, nec vult ipsam locum habere in sua Paphensi ecclesia.

VII. *Ut clerici de executione testamenti se non intromittant.*

Item constitutioni synodali editæ Nicosiæ per reverendum in Christo patrem, dominum Hugonem bonæ memoriæ archiepiscopum Nicosiensem, prædecessorem nostrum, in ea parte in qua cavetur, videlicet in fine ipsius constitutionis, quod presbyteri aut clerici diœcesis Nicosiensis, corpore tradito sepulturæ, de commissaria seu executione testamenti, sine licentia prælatorum, seu vicariorum Nicosiensis ecclesiæ

clesiæ, se in aliquo intromitt nt, quæ incipit: *Ad reprimendam avaritiam ministrorum ecclesiæ*: adjicimus autoritate præsentis concilii, quod si quis contrarium fecerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. Et ad hoc inducimur, ut fidei commissariorum & executorum malitiis obvietur, & celerius impleantur decedentium voluntates: quorum executorum officium non intendimus impedire.

VIII. *Vt clerici non sint officiales laicorum.*

Item constitutioni bonæ memoriæ domini Gerardi archiepiscopi Nicosiensis prædecessoris nostri, editæ in provinciali concilio regni Cypri apud Nimocium celebrato, in qua continetur quod clerici non sint officiales laicorum, & incipit, *Prohibemus ne sacerdotes aut clerici cujuscumque linguæ, vel nationis existant*, adjicimus, quod si quis de cætero hoc attentare præsumpserit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

Lectæ & recitatæ fuerunt dictæ constitutiones & ordinationes per reverendum in Christo patrem & dominum, dominum fratrem Heliam, Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopum Nicosiensem supradictum, assistentibus sibi reverendis in Christo patribus, dominis, Odone Paphensi, Lambertino Nimociensi, & fratre Marco Famagustano & Antheradensi, episcopis ejus suffraganeis supradictis, in præsentia totius concilii supradicti convocatis, in aula archiepiscopatus Nicosiensis.

Et scriptum per me Marcum notarium infrascriptum, sub anno a nativitate Domini M. CCC. XL. Indictione VIII. die Lunæ XVII. mensis Ianuarii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Benedicti papæ XII. anno VI.

Ego Marcus scilicet Rolandini de Parma, imperiali autoritate notarius, & nunc notarius & scriba publicus dicti domini archiepiscopi, prolationi & recitationi dictarum constitutionum, & omnibus & singulis supradictis, cum agerentur, in præsentia totius concilii supradicti interfui, & de ipsius domini archiepiscopi mandato & autoritate, scripsi & publicavi, meoque signo solito roboravi.

CONSTITVTIONES PHILIPPI *archiepiscopi Nicosiensis.*

Ann. Dom. M. CCC. L.

In Christi nomine, amen.

NOs Philippus permissione Divina, & sanctæ sedis apostolicæ gratia, Nicosiensis archiepiscopus, considerantes quod perversorum audacia exigit, ut præsentes nostras constitutiones ordinemus & faciamus, ad omne scandalum inter Francos & Græcos evitandum, de voluntate & assensu venerabilium virorum, dominorum, Salvi de Cypro decani, Alexãdri de Alexandria cantoris, Balduini de Clavaro, Adæ de Gentraco, & Iacobi Gazantis, canonicorum, & capituli nostræ Nicosiensis ecclesiæ, ad hoc in camera majori nostri palatii more solito specialiter vocatorum, & rogatorum, cum plures non essent tunc præsentes, nec in loco unde ad hoc vocari, vel citari deberent, de jure vel consuetudine ecclesiæ nostræ Nicosiensis præfatæ.

I. *De Franco contrahente cum Græca.*

Statuimus & ordinamus, & in nostris constitutio-

A nibus scribi mandamus, quod de cætero nullus Francus audeat contrahere cum Græca, vel Græcus cum Franca, nisi tribus edictis propositis more solito in ecclesiis Francorum, secundum formam per prædecessores nostros editam, cum adinvicem contrahunt Franci. Et quod teneatur mulier Græca, quæ contrahet, seu contrahere velit cum Franco, primo recipere sacramentũ Confirmationis, more Francorum: & e converso si sit Græcus qui velit cum muliere Franca contrahere, primo antequam ad contrahendum admittatur, confirmetur, & banna etiam proponantur juxta mores, ut supra: ita quod liberi ex eis procreati seu nati, pro Francis habeantur & teneantur, & more Francorum vivere debeant, super omnibus sacramentis recipiendis & perficiendis, & aliis quibuscumque negotiis per ipsos agendis & sciendis.

B

II. *Vt nec Græcus Franco, nec Francus Græco, ministrent sacramenta.*

Item statuimus & ordinamus, quod de cætero nullus presbyter Græcus, cujuscumque status & conditionis existat, audeat sacramenta ecclesiastica, vel eorum aliquod ministrare alicui Franco, nisi in casu necessitatis evidentis; & e converso, quod nullus etiam Francus eodem modo sacramenta ecclesiastica, vel aliquod eorum, ministrare audeat alicui Græco; nisi, ut præmissum est, necessitate cogente evidenti. Et quia præmissa consueverunt & solent inter Francos & Græcos plura scandala generare: viam quibuscumque scandalis & malitiis volentes præcludere, cum non simus sola præmissorum excessuum prohibitione contenti, una cum præmissis canonicis & capitulo nostro deliberavimus pœnam imponere, ut quos Dei timor a malo non retrahit, saltem coertionis pœna restringat: videlicet, ut sacerdotes & clerici omnes, qui ausi fuerint contra nostras prohibitiones præmissas matrimonia solemnizare, vel sacramenta ministrare, puniantur pœnis statutis, & declaratis in constitutionibus matrimonia clandestina prohibentibus; & laici excommunicationis sententiam incurrant ipso facto. Quam etiam (canonica monitione præmissa, videlicet sex dierum, quorum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos pro tertio & peremptorio termino, eisdem assignamus) sedentes pro tribunali in camera majori nostri palatii, in præsentia dicti capituli ad hoc specialiter vocati, & consentientis, contra quoscumque qui dictis constitutionibus & mandatis nostris non obedierint, proferimus in his scriptis. A qua nostra sententia nolumus, quod aliqui transgressores dictarum nostrarum constitutionum possint absolvi: nisi imposita sibi pœna, ad arbitrium nostrum imponenda. Non intendentes per hoc, viam prælatis includere, quin possint quoscumque Græcos confirmare, volentes se ad ritum Francorum transferre.

C

D

E

III. *De clericis manus injicientibus in clericos.*

Item statuimus & ordinamus, quod de cætero non absolvantur presbyteri rixantes, qui manus injecerint unus in alium, quantumcumque sit offensa levis: nisi solverint bysantios X. pro labore & satisfactione injuriæ, Nicosiensi ecclesiæ. Et idem de diaconibus. Subdiaconi autem, & alii in minoribus ordinibus constituti, priusquam absolvantur, solvere teneantur bysantios V. eodem modo, pro labore & satisfactione injuriæ, Nicosiensi ecclesiæ.

IV. *Vt in instrumentis manumissionum fiat mentio de sigillo curiæ ecclesiasticæ.*

Item statuimus & ordinamus, quod de cætero notarii non audeant publicare instrumenta manumissionum, nisi in ipsis instrumentis fiat mentio de sigillo curiæ ecclesiæ: & si facta fuerint instrumenta, quod eisdem non adhibeatur fides, & puniri possint notarii ad arbitrium nostrum, aut vicarii vel officialis nostri.

Lectæ, publicatæ, & recitatæ fuerunt prædictæ constitutiones & ordinationes, coram clero & populo, in cœmeterio sancti Michaëlis de Nicosia, congregatis die Dominica Palmarum, sexta decima mensis Martii, anno Domini M. CCC. LIII. Indictione VI.

EIVSDEM CONSTITVTIO

Edita anno Domini M. CCC. LIV.

Vt quilibet in suo ordine serviat.

Item statuimus & ordinamus, ut nullus in ecclesia nostra Nicosiensi existens in ordine sacerdotali, de cætero promoveatur ad assisias subdiaconales & diaconales. Item ut nullus habens seu obtinens in eadem ecclesia nostra Nicosiensi assisiam acolytalem, subdiaconalem, vel diaconalem, se faciat, quamdiu eandem assisiam obtinebit, ad sacerdotales ordines promoveri: sub pœna privationis ejusdem assisiæ quam ibi obtinet. Conveniens enim est, ut quilibet in gradu suo famuletur Deo, & serviat in eadem ecclesia, prout est seu fuit ab initio institutum; nec super hoc possit per aliquem dispensari, nisi solum per nos, vel per alios archiepiscopos, qui pro tempore fuerint in eadem ecclesia constituti.

Lecta, publicata, & recitata fuit dicta constitutio & ordinatio coram canonicis, & capitulo dictæ nostræ Nicosiensis ecclesiæ, in Thesauraria ipsius nostræ Nicosiensis ecclesiæ, M. CCC. LIV. Indictione VII.

G. C. Singulare hec habent ac proprium superiores constitutiones, ut multa doceant, alioquin ignota, de disciplina qua Græcorum ecclesias Latini regebant. Plurimum autem lucis accipient ex Alexandri IV. constitutione, quæ in hac ipsa Appendice ad annum M. CC. LX.

CONCILIVM NOVIOMENSE

Incerti temporis.

At sæculi, ut probabile est, decimi tertii.

Cl Hemeræus in Augusta Viromanduorum, hæc Noviomensia decreta, sive unius concilii, sive plurium, profert ex codice MS. Suessionensis episcopi.

TITVLI CAPITVLORVM.

CAPITVLA.

I. *De eo qui suam in alterum actionem cedere voluerit.*

Ad quarumdam personarum malitiam refrænandam, statuimus, ut si privatus in collegium, vel privatus in privatum, suam voluerit cedere actionem: hoc coram episcopo loci, vel archidiacono ordinariam jurisdictionem habente, causa cognita ab eo, faciat diligenter. Si vero aliter facta fuerit cessio, qui cessit cadat a jure suo; & is in quem fuerit cessio facta, commodum non reportet. Et si ex cessione tali agere tentaverit, & monitus ab ordinario suo, infra xv. dies non destiterit: extunc sciat se excommunicationis vinculo innodatum.

II. *De eo qui coram diversis judicibus, & de diversis querelis litigat.*

Adhuc statuimus, ut si quis coram diversis judicibus, & super diversis querelis, aliquem in causa traxerit, eligat coram quo judice suas simul velit prosequi actiones. Si vero coram diversis judicibus, & super diversis querelis, maluerit experiri: hoc faciat unam post aliam successive. Qui vero contra hoc statutum fecerint, modo prædicto sint excommunicationis vinculo innodati.

In hoc concilio continentur quæ prædicta sunt in synodalibus, scilicet quod cruce signati crucem deferant, & quod clerici conjugati tonsuram deferant, & habitum congruentem. Item quod sacerdotes & clerici negotiationibus sæcularibus se non immisceant. *Ex eodem MS. Suessionensi.*

Item de concilio Noviomensi, sine data.

III. *De usuris refrænandis.*

Ad refrænandas fœneratorum fraudes, quas jugiter meditantur, ut possint aliorum substantias exhaurire: remedium aliquod nos convenit invenire. Statuimus igitur, ut si quis super usurarum crimine graviter fuerit diffamatus, licet nullus accusator appareat, prælatus loci sola fama deferente descendat & inquirat: & si clamorem opere completum repererit, in criminosum canonicam exercere non differat ultionem. Si vero reus probatus non fuerit, fama autem ad hoc concrebrescat: ad sedandum scandalum, secundum discretum prælati sui arbitrium, taliter diffamato purgatio canonica indicatur, in qua si defecerit, canonice puniatur, secundum quod in primo Lateranensi concilio continetur.

Item

Item de eodem concilio.

IV. *De juramento ab aduocatis præstando in causis usurariis.*

Adhuc quia sæpe per advocatorum calliditates causæ hujusmodi prorogantur, & sic tales in suis criminibus defenduntur: præcipimus, ut in qualibet causa usuraria, statim porrecto libello, per quem futuræ litis species demonstratur, juramentum hujusmodi ab advocato quolibet exigatur, videlicet quod ipse credat se justam causam defendere: si non credat, non solum a patrocinio præstando in eadem causa desistat, sed ab omni consilio & auxilio, tam publico, quam privato. Si vero aliquis advocatus tantæ pompæ fuerit, quod ore proprio non proponat aliquid, sed proponenti assistat: præcipimus, ut ipse similiter præstet juramentum. Hanc autem constitutionem extendimus ad procuratores gerentes officium advocati. Qui vero præmissa jurare renuerit: quandiu eadem causa durabit, a curia judicis penitus excludatur. Si quis autem advocatus, fuerit detectus dejerare, infamia notetur: & non solum advocatione careat, immo foro.

V. *De puniendis iudicibus qui prædicta non obseruauerint.*

Vt autem hæc constitutio firmiter observetur: pœna suspensionis unius mensis a judicandi officio judices, qui circa præmissa negligentes extiterint, decrevimus puniendos.

VI. *De aduocatorum multitudine moderanda.*

Quia vero per advocatorum multitudinem effrænatam, & imperitiam causarum, multoties processus impeditur: præcipimus judicibus, ut ipsi provideant diligenter, ut eorum onerosa multitudo in causis omnibus refrænetur, & soli ad hoc officium digni admittantur.

CONCILIVM RAVENNENSE

ANNO CHRISTI 1280.

A Bonifacio archiepiscopo cum suffraganeis celebratum anno Dom. MCCLXXX.

Hieronymus Rubeus historiæ Ravennatis lib. XI. ad annum Christi MCCLXXX. ubi de Bonifacio archiepiscopo loquitur: Paucis, *inquit*, post diebus, concilium provinciale Forocornelii habuit suorum omnium episcoporum, extra Octavianum Bonomensem, qui cum interesse non posset, procuratorem suum VI. Id. Maii Bonifacium e Lohano canonicum Bononiensem eo miserat. *Hoc tantum Rubeus.*

A

G. C. OBSERVATIO

Ad Nugaroliense concilium, anni M. CC. XC.

ANNO CHRISTI 1290.

Quam festinantes operæ omiserunt ad pag. 1585.

Editum est a nobis hoc concilium, ut est in codice Ms. ex quo quidquam detrahere religio fuit: quanquam undecimum caput alterius cujusdam esse concilii, ex eo certissime constet, quod interpretetur statutum *olim*, ut ait, *editum in concilio Nogaroliensi*: quod statutum, est octavum hujus concilii caput. Quod ascititium est undecimum, vix certa esse potest duodecimi fides.

EIVSDEM ADDITIVNCVLA

B

Ad notam in concilium Romanum, Anno M. CCC. II.

ANNO CHRISTI 1302.

Pag 1477. *versu 18. post has voces*, nulla pluvia apparuit subsecuta, *adde quæ sequuntur.*

Idem habet diserte Bernardus Guidonis in Chronico, his verbis: *Anno Domini M. CCC. II. iii Kalendas Novembris, Bonifacius papa VIII. pontificatus sui anno VII. Romæ concilium celebravit, convocatis prælatis totius regni Franciæ, omnibusque doctoribus ejusdem regni, tam in theologia, quam in utroque jure, canonico & civili, contra regem Franciæ Philippum. In quo concilio verba quidem fuerunt & transierunt: sed nihil aliud notabile gestum apparuit in effectu.* Immo & id constat *&c. ut ibidem.*

C

CONCILIVM APVD PENNAM FIDELEM.[a]

[a] Peñafiel.

A Toletanæ provinciæ præsulibus celebratum Anno Dom. M. CCC. II.

ANNO CHRISTI 1302.

Ex codice Ms. bibliothecæ Vallicellanæ.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *Quod quilibet clericus recitet horas canonicas.*
2. *Quod nullus clericus teneat concubinam publice.*
3. *Quod migrantibus........*
4. *Quod nullus sacerdos suo parochiano tradat corpus Christi, donec....... .*
5. *Quod qui revelat sigillum Confessionis.......*
6. *Quod quilibet episcopus provinciæ Toletanæ publicet...... clericis.*
7. *Quod decimæ solvantur de omnibus.*
8. *Quod sacerdotes, vel per se, vel per idoneos ministros, faciant hostias de farina triticea.*
9. *De usuris.*
10. *De Baptismo.*
11. *De festo sancti Ildephonsi colendo.*
12. *De salve Regina cantanda.*
13. *De immunitate ecclesiarum.*
14. *De captione ecclesiarum.*
15. *De non emendis possessionibus ecclesiast.cis per certas personas.*

D

E

Concilium Domini Ægidii[a]

[a] Corr. Gundisalvi.

Apud Pennam Fidelem.

PRÆFATIO.

Cum testante Isidoro, pastorale officium, subditorum curam regens, eorum mores, velut speculator, prospicere debeat, atque vitam: proinde nos Ægidius[a] miseratione divina Toletanæ sedis archiepiscopus

[a] Corr. Gundisalvus.

chiepiscopus, Hispaniarum primas, ac regni Castellæ cancellarius, Alvarus Palentinus, Bernardus Segobiensis, Simon Seguntinus, Ioannes Oxomensis, Paschasius Conchensis, episcopi, licet immeriti ad ejusmodi assumpti officium, una cum nostrorum capitulorum procuratoribus, apud Pennam Fidelem congregati, pro subditorum commodo, animarumque salute, morum reformatione, & ecclesiarum nostrarum, inde de communi consensu salubriter duximus statuendum.

In primis, quia ministri Christi fulgent in ecclesia sancta Dei velut stellæ in firmamento, & in vita debent laici [*] speculari.

* f. laicis prælucere.

CAPITVLA.

I. *Quod quilibet clericus recitet horas canonicas.*

STatuimus & ordinamus, ut quilibet clericus in sacris ordinibus constitutus, vel alias beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, obtinens, legitimo impedimento cessante, quotidie horas canonicas recitet, ut tenetur. Si quis autem in eis negligens inventus fuerit, & monitus a suo prælato canonice, se non correxerit, per subtractionem fructuum beneficii, ad tempus, prout culpæ qualitas exegerit, arceatur. Quod si beneficio caruerit, in sacris ordinibus constitutus, per suspensionis sententiam puniatur.

II. *Quod nullus clericus teneat concubinam publice.*

Item quia quorum vita despicitur, restat, ut eorum prædicatio contemnatur: non solum verbo, sed exemplo tenentur ministri Christi suos subditos informare, (Ioan. 13.) qui dixit: *Exemplum do vobis, ut quemadmodum ego facio, & vos faciatis:* statuimus & ordinamus, ne subditorum animas pernicioso perdamus exemplo, ut nullus clericus teneat publice concubinam in domo propria, vel etiam aliena. Si quis autem suæ salutis immemor, hujus nostræ constitutionis transgressor extiterit, & monitus a suo superiore canonice, se non correxerit: ad tempus, per subtractionem fructuum sui beneficii arceatur. Quod si indurato animo in crimine perseveraverit: beneficio perpetuo spolietur. Cæterum si in sacris constitutus, beneficiatus non fuerit, & in hoc crimine reus extiterit, & monitus a suo superiore canonice, se non correxerit: ab officiis suspendatur. Quam sententiam si indurato animo sustinuerit: acrius, juxta sui superioris arbitrium, puniatur.

III. *Quod migrantibus.:..*

Item quia dominus noster Iesus Christus corpus suum discipulis tradidit manducandum, cum dixit: (Matth. 26) *Accipite, & manducate ex hoc omnes: hoc est enim corpus meum:* cujus exemplum secuta mater ecclesia pie statuit, & provide ordinavit, ut vere pœnitentibus & confessis, corpus Domini humiliter postulantibus, potissime ad patriam ab hoc sæculo migrantibus, tanquam viaticum præbeatur, & nonnulli, quibus animarum cura est commissa, in suæ animæ periculum, in officio sibi commisso adeo negligentes existunt, quod morientes, propter eorum culpam & negligentiam, sine pœnitentia & eucharistia recedunt (quod dolentes referimus) ab hac vita: statuimus & mandamus, ut quicumque reus in hoc inventus fuerit, suo beneficio perpetuo privetur.

IV. *Quod nullus sacerdos suo parochiano tradat corpus Christi, donec.......*

Item quia scriptum est secundum Apostolum, *probet se unusquisque, & sic de pane illo edat:* (1 Cor. 11.) ex quo manifeste docemur, quod nullus corpus Domini debet suscipere, nisi fuerit per cordis contritionem, oris confessionem, & operis satisfactionem, probatus, alias autem suscipiens judicium sibi manducat; & nonnulli verentes ruborem sacerdotis, potius quam Dei timorem, sua occultant scelera & peccata propriis sacerdotibus, dicentes cum non......... apud fratres vel alios se confessos, & sic corpus Domini indigne suscipiunt, fallentes semetipsos, cum sacerdotes decipiunt, qui in die judicii de eis tenentur reddere rationem: statuimus, & mandamus, ne aliqui sacerdotes corpus Domini suis parochianis præbeant, immo in eorum ruborem & verecundiam expresse denegent, donec de eorum confessione sibi fuerit... ut quos Dei timor a malo non revocat, eos rubor coerceat disciplinæ.

V. *Quod qui revelat sigillum confessionis,....*

Item quia juxta verbum Iacobi, qui ait, *Confitemini alterutrum peccata vestra,* quilibet (Iac. 5.) Christianus tenetur confiteri proprio sacerdoti, quæ confessio lapsis post baptismum tanquam secunda tabula conceditur in subsidium animarum; & nonnulli sacerdotes suæ salutis immemores, & suscepti officii ignari, peccata...... non ut hominibus, sed ut locum Dei tenentibus, confessa, quæ juxta verbum Augustini dicentis, Nihil in hoc mundo minus scio, quam id, quod in confessione scio, tanquam scita, cum vere juxta Domini verbum debeant dici non scita, propalant, & revelant: ne excessus tanti criminis transeat impunitus, statuimus & mandamus, quod, si qui tam nefandi criminis rei inventi fuerint, tanquam deportati

ANNO CHRISTI 1302.

portati, & in metallum damnati, perpetuo carceri mancipentur, pane & aqua pro vitæ sustentatione solummodo reservatis.

VI. *Quod quilibet episcopus provinciæ Toletanæ publicet .... clericis.*

Cap. clericis de immun. Eccl. in 6. * *Corr.* quæ incipit, *Clericis laicos oppido inf. tr. ant.* per quam &c.

Item cum sanctissimus papa dominus Bonifacius octavus, cupiens laicorum coërcere audaciam, & nocendi facultatem refrenare, constitutionem ediderit, * quam contra laïcos clericis oppido infestos tradit antiquitas, per quam ecclesiasticis personis, & eorum bonis salubriter providetur, & parum esset jura condere, nisi essent personæ, quæ ea studiosius exequantur: statuimus & mandamus, ut quilibet episcopus Toletanæ provinciæ, teneatur in sua diœcesi eandem constitutionem facere divulgare, ne quis crassam & supinam ignorantiam prætendere valeat, in animæ suæ periculum & jacturam.

VII. *Quod decimæ solvantur de omnibus.*

Ps. 23.

Item quia *Domini est terra, & plenitudo ejus*, in cujus dominij recognitionem, decimam partem, tanquam portionem Dominicam, omnium, tam frugum, quam fructuum ex terra, cultura hominum, vel sine cultura, nascentium, creator hominum sibi dari instituit, necnon & de omnibus aliis licite acquisitis; & nonnulli timorem Dei præ oculis non habentes; sed sui dominii recognitionem subtrahentes, hanc decimam minime dare ministris Christi satagunt, in grave sui dispendium, & periculum animarum: proinde qui in parte solicitudinis vocati sumus, saluti animarum providere volentes, statuimus & ordinamus, ut omnes parochiani, de suis prædiis & prædiorum cultis, ac arborum fructibus, hortis, & de aliis natura vel cultura humana ex terra nascentibus, necnon & de animalibus, insuper & de omnibus utilitatibus, utpote caseo, lana, cera, melle, & aliis inde provenientibus, & de omnibus aliis licite acquisitis, decimam, tanquam portionem Dominicam, ministris Christi sine qualibet diminutione persolvant. Si qui vero Dei timore postposito, a ministris ecclesiæ canonice moniti, Dominicam decimam integre dare renuerint: excommunicationis vinculo innodentur, & nisi satisfecerint, ecclesiastica sepultura careant, etsi excommunicati non fuerint nominatim.

VIII. *Quod sacerdotes, vel per se, vel per idoneos ministros, faciant hostias de farina triticea.*

ANNO CHRISTI 1302

Item quia dominus noster Iesus Christus, *qui est panis vivus, qui de cælo descendit*, grano frumenti se comparavit, cum dixit: *Nisi granum frumenti cadens in terram; mortuum fuerit, ipsum solum manet*: ideo tradunt sanctorum patrum decreta, quod panis, qui consecrandus est, non fiat nisi ex farina * alias & ex granis frumenti, id est tritici, elicita, & ex aqua pura & limpida aspersa. Verum quia propter simplicitatem hominum, & juris ignorantiam, conficiendo massam ex qua fit Deus panis, posset periculum imminere: statuimus & ordinamus, ut sacerdotes per se, si commode possint, vel saltem per alios idoneos ministros ecclesiæ, ipsis tamen præsentibus, massam ex farina triticea tantum, & aqua pura * .... fermenti, vel alicujus alterius rei appositione, conficiant, & inde hostiam faciant, quæ debeat in corpus Domini consecrari.

Ioan. 6.
Ioan. 12.
* *f.* farina alba.
* *Deest forte* sine ulla.

IX. *De usuris.*

Item quia ad compescendum usurarum voraginem, quæ animas devorat, & facultates exhaurit, Lateranense * & Lugdunense concilia, salubria statuunt; tam contra manifestos usurarios, quam contra domos eis locantes, cujuscumque dignitatis conditionis, aut status existant, pœnas debitas infligendo: ne nos, qui executores dictorum conciliorum sumus in Toletana provincia, favente Domino, deputati, possimus de negligentia reprehendi: statuimus & ordinamus, ut quilibet episcopus in sua diœcesi, per suas * publice pecuniam, atque ei domos ad * domos exercendum, locantes puniat, prout dicta concilia statuunt, atque damnant.

Later. III. cap. 25. Lugdun. cap. 26.
* *f.* personas.
f. atque domos ad fœnus.

X. *De Baptismo.*

Item quia nonnulli, tam Iudæi, quam Agareni, cœcitatem sui erroris attendentes, ad fidem converti desiderant orthodoxam * scilicet, mundus eos ..... bona timentes quæ habent perdere universa: ne propter hoc hostis antiquus animas perdere cupiens, bonum propositum revocet, quod Dei spiritus inspiravit: statuimus & mandamus, ut quicumque Iudæus, vel Agarenus, baptizari voluerit, propter baptismi sacramentum bona, quæ ante habuit, ut jura præcipiunt, non amittat.

* *f.* orthodoxam, sed mundus eos revocat, bona &c.

ANNO CHRISTI 1302.

XI. *De festo sancti Ildephonsi colendo.*

Item quia mater Verbi & salvatoris nostri, domini Iesu Christi, gloriosa ac semper virgo Maria, capellanum ac suæ virginitatis specialem præconem, beatum Ildephonsum, patriarchalis Toletanæ ecclesiæ præsulem ac rectorem, post sui assumptionem descendens de cælo empyreo, corporaliter visitavit, ac donis & muneribus specialibus decoravit, in signum specialis dilectionis & amoris, & quos mater Dei diligit & honorat, nos teneamur diligere ac etiam honorare: statuimus & ordinamus, ut per totam Toletanam provinciam, ejus festivitas, tanquam præcipuæ, seu duplici officio solemniter celebretur.

XII. *De Salue Regina cantanda.*

Item cum humana fragilitas propter sui corruptionem vivere nequeat absque culpa, & testante Hieronymo, res contra naturam pene sit, ut sine peccato aliquis vivat, & lapsi per peccatum, solum, post Dominum, recursum habeant ad vitæ dulcedinem, sanctam Virginem gloriosam, quam tenemur omnes requirere tanquam matrem misericordiæ, cum hymnis & canticis gloriosis: ideo inde suæ laudis præconium duximus taliter ordinandum, ut singulis diebus post completorium cantetur *Salue Regina* in qualibet ecclesia, alta voce, cum versu, *Ora pro nobis*, & orationibus, *Concede nos famulos tuos*; item, *Ecclesiæ tuæ*; & pro summo pontifice oratio, *Deus omnium fidelium*; & pro Rege nostro oratio, *Quæsumus omnipotens Deus.*

XIII. *De immunitate ecclesiarum.*

Item, cum ea, quæ Divini juris, sæculari non subjaceant potestati, & nonnulli potentes, nescimus quo ducti spiritu, vel odii fomite, vel cupiditatis radice, ecclesias infringere, & earum libertates & privilegia imminuere moliuntur, eis exactiones indebitas & onera gravia imponendo: proinde nos, qui ex officii nostri debito, tanquam murum pro domo Israël opponere nos debemus hujusmodi excessibus, quantum cum Deo possumus, resistere cupientes, statuimus & ordinamus, ut si Regina fuerit quæ hoc facere acceptaverit, vel prandia indebite exegerit, vel filii regum, episcopus in cujus diœcesi attentari, vel etiam perpetrari contigerit, eis penitus denunciet, ut satisfaciant de commisso; & si re-

A quisiti satisfacere noluerint infra mensem, juxta modum & qualitatem culpæ, vel damni dati, cujus æstimatio diœcesani arbitrio relinquatur, prout viderit expedire, terra eorum, si qua in sua diœcesi habuerint, ecclesiastico subjaceat interdicto. Quod interdictum ponere cæteri episcopi in terris, quas in suis diœcesibus habuerint, postquam eis denunciatum fuerit, teneantur.

Verum quia domini Henrici, filii illustrissimi domini Ferdinandi* quondam regis B Castellæ & Legionis (qui ab ecclesia Toletana Ponadicilam, & ab ecclesia Segoviensi, Riacan. aldeas, indebite detinet occupatas, necnon & episcopo Seguntensi quædam mobilia, postquam fuit de eo provisum Seguntensi ecclesiæ, usurpavit) excessus est notorius: statuimus & ordinamus, ut nominatim requiratur, quod prædicta loca restituat, Seguntino episcopo satisfaciat de ablatis. Idem penitus statuentes de infantissa Portugalliæ, super restitutione C pœnarum de Viana, Conchensi ecclesiæ facienda. Cæterum si alii potentes a prænominatis, in præmissis deliquerint: secundum canonicas sanctiones, terræ eorum, quas habent in eorum diœcesi, supponantur ecclesiastico interdicto. Et præter hoc, si moniti, usque ad mensem non satisfecerint, ab eisdem excommunicationis vinculo innodentur, tẽperantes, si sibi videbitur expedire. Quam excommunicationem archiepiscopo, & cæteris suffraganeis denuncient, ut & ipsi a suis subditis eos tanquam excommunicatos faciant evitari. Quod si in diœcesibus, in quibus deliquerint, terras D non habuerint, si* in aliis diœcesibus provinciæ Toletanæ: illi episcopi ubi deliquerint, eos excommunicent, sed alii episcopi ubi terras habuerint, teneantur, postquam ad eos pervenerint, & eos excommunicatos facere in suis diœcesibus denunciari, & terras eorum supponere interdicto. Verum si in diœcesi archiepiscopi aliquod commissum fuerit de prædictis: teneatur idem facere, quod episcopis est superius ordinatum. Simile penitus statuentes, si de-E linquentes, tale delictum commiserint, propter quod incurrant excommunicationis sententiam ipso facto.

Quod si religiosæ militares personæ fuerint, qui talia perpetraverint: contra tales duximus taliter procedendum; ut si fuerit magister alicujus ordinis, vel magnus cõmendator, vel prior Hospitalis S. Ioannis, ab episcopo in cujus diœcesi deliquerit, per se, vel per aliũ moneatur, ut satisfaciat secũdũ quod jura præcipiũt de commisso. Quod si hoc facere renuerit, ille episcopus in cujus diœcesi delictum commiserit, ejus terras subjiciat

Scilicet Ferdinandi III.

* *Cor.* sed

ANNO CHRISTI 1302.

subjiciat ecclesiastico interdicto; quod si terras in ejus diœcesi non habuerit, fiat, ut præcedenti paragrapho est notatum. Sed si inferiores a prænominatis fuerint, ut simplices commendatores, & deliquerint in loco vel in re non exemptis: per episcopum in cujus diœcesi talia perpetraverint, si moniti non satisfecerint, & excommunicentur, & nihilo minus eorum commendæ supponantur ecclesiastico interdicto, & si in sua perfidia perseveraverint, denuncientur suo majori: & si ipse non correxerit, & satisfacere noluerit, vel corrigi & satisfieri non fecerit, a die requisitionis infra mensem, omnes ecclesiæ & villæ sui dominij similiter ecclesiastico subjiciãtur interdicto, in quacumque fuerit diœcesi Toletanæ provinciæ, eo modo, quo superius est expressum. Si vero simplex frater sine commenda aliqua, deliquerit in loco & re (ut præmissum est) non exemptis, & monitus non satisfecerit: per diœcesanum excommunicetur, ubi delictum fuerit perpetratum. Et si indurato animo in rebellione perseveraverit, suo commendatori denuncietur. Quod si nec ille commendator correxerit, & emendare non fecerit: procedatur, ut superius est notatum.

Item si similes, vel quævis alia persona, in aliquo deliquerit, episcopus in cujus diœcesi deliquerit, eum excommunicet, & excommunicatum denunciet domino archiepiscopo, ut eum faciat ab omnibus suffraganeis evitari: & nihilo minus si terram in aliqua parte provinciæ habuerit, episcopus in cujus diœcesi fuerit, eam subjiciat ecclesiastico interdicto. Hæc constitutio, quantum ad hujusmodi personas, juxta arbitrium episcopi ad præterita extendatur.

Item si communitas aliqua vel concilium deliquerit: episcopus diœcesis locum subjiciat interdicto. Et nihilo minus officiales aliquos de majoribus nominatim excommunicent; excommunicatos, archiepiscopo denuncient, ut superius.

Item si Alcales, vel Majorini, vel alii rectores civitatum, vel aliorum locorum, deliquerint: per diœcesanum excommunicentur, & excommunicati denuncientur domino archiepiscopo, ut superius Et si universitas vel concilium loci ubi hoc acciderit, in hoc inventa fuerit culpabilis: locus supponatur ecclesiastico interdicto.

XIV. *De captione ecclesiarum.*

Item cum rex pacificus Christus Iesus, qui pacem venit docere in mundum, ecclesiam suam in petra fidei solidatam, pacis

A vinculo firmavit, & in ea episcopos vel prælatos, & alias personas, quas instituit, & suam pacem dedit, atque reliquit, quorum anima, secundum Ambrosium, sunt fletus & lacrymæ, & pro Dei populo noscuntur solum orationi & jejunio deputati, & nonnulli de sua potentia confisi, instigante diabolo, in Dei opprobrium & contemptum, jam dictos prælatos & Christi ministros non solum injuriis afficere ...... est tanquam * jus mortis, diffidare in personis propriis non verentur: nos attendentes quam ignomi-

B niosum eis existat, si bene adverterent, arma contra tales assumere, quibus armis uti, veritate eis in persona...... prohibente, cum dixit: *Converte gladium tuum in locum suum*; & alibi: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Matth. 26. Rom. 12. Ideo nos tranquillitatem & pacem in ecclesia Dei servare volentes, ne concussis columnis ædificium corruere censeatur: statuimus, & mandamus, quod si aliquis, cujuscumque dignitatis, conditionis, vel sta-

C tus existat, diffidaverit, vel diffidatum tenet vel tenuerit, episcopum præsentem, vel canonicum ecclesiæ cathedralis, aut sociũ, & admonitus diffidationem non revocaverit, excommunicetur, & denuncietur domino archiepiscopo, ut supra. Et nihilo minus terra ejus, ubicumque eam habuerit in provincia Toletana, per diœcesanum loci subjiciatur ecclesiastico interdicto.

Item quia nonnulli ecclesiarum vassalli, terras ex munificentia regum vel principum largitate ecclesiis acquisitas, vel quovis alio justo titulo obtentas & possessas,

D calliditate propria, vel alterius fallacia decepti, in potentes & duros adversarios, venditionis alteriusve alienationis titulo, transferre nituntur, unde ecclesiæ in rebus & juribus damnificantur, & earum ministri rixas incurrunt & odia graviora: ideo nos ..... ecclesiarum providere, & ministrorum quietudinem fovere prout cum Deo possumus cupientes.

XV. *De non emendis possessionibus ecclesiasticis per certas personas.*

E Statuimus & mandamus, quod si aliqui milites, vel alii privilegiati, domos vel possessiones emerint, vel emerunt, in dominio ecclesiæ; & eas moniti infra duos menses dimittere noluerint, vel vendere personis non privilegiatis minime curaverint, per diœcesanum, in cujus diœcesi sunt, excommunicentur; & nihilo minus, si terras habuerint, subjiciantur ecclesiastico interdicto. De qua sententia debet facere fidem archiepiscopo, ut ipse contra eum procedat eo modo, quo superius est notatum. Statuentes nihilo minus, ut hæc constitutio ad præterita extendatur.

ANNO CHRISTI 1302.

Ego Petrus ..... de Cailla, notarius curiæ domini archiepiscopi Toletani, præsens interfui, quando supradicti reverendi patres & domini, videlicet archiepiscopus Toletanus, & cæteri episcopi, & procuratores suarum ecclesiarum, & alii canonici cathedralium ecclesiarum, fuerunt congregati apud Pennam Fidelem, & ipsi omnes suprascriptas constitutiones, quas ibidem composuerant, & ordinaverant, fecerunt in mei præsentia legi, mandantes insuper mihi, ut eas manu propria scriberem, & in publicam formam redigerem, atque earum transsumpta supradictis dominis, vel procuratoribus suarum ecclesiarum, qui in prædicta congregatione cum eis interfuerant, exhiberem, cum ab eis fuero requisitus.

Actum est apud Pennam Fidelem, tertio Idus Maii, anno Domini M. CCC. II. præsentibus supradictis dominis. Et ego ad mandatum eorum hoc transsumptum ex prædictis constitutionibus propria manu scripsi, & in earum fine apposui hoc meum assuetum signum.

Ordinatio episcoporum in concilio Toletano disponitur isto modo.

Ex parte dextera.	*Ex parte sinistra.*
Episcopus Palentinus.	Episcopus Segoviensis.
Episcopus Oxomensis.	Episcopus Seguntinus.
Episcopus Cordubensis.	Episcopus Conchensis.

G. COSS. OBSERVATIO.

Concilium hoc Ægidio archiepiscopo tribuitur in eo quo sumus usi Ms cũ tamen certo constet esse Gundisalvi III. qui prius Conchensis episcopus fuerat Id autem constat ex anno quo est habitum: tunc enim non Ægidium, sed Gundisalvum, Toletanæ ecclesiæ præfuisse, ex rerum Hispanicarum scriptoribus, & antistitum illius ecclesiæ catalogis, discimus. Constat id quoque ex cap. 2. concilii Complutensis, anni M. CCC. XXVI. in quo Ioannes Toletanus archiepiscopus, ait a Gundisalvo prædecessore suo concilium apud Peñam Fidelem esse celebratum, ejusque citat constitutionem quæ incipit: *Item cum ea quæ Divini juris*: quam constitutionem in hoc nostro concilio legimus, cap. 13. Satis igitur mirari non possum historicorum aliquot incogitantiam, qui concilium hoc ab Ægidio Albornotio celebratum dixerunt: qui sedere cœpit, anno M CCC. XXXVII. totis nimirum XXXV annis post concilii hujus nostri tempus; annis vero XI. postquam ejus est facta mentio in concilio Complutensi. Errorem hunc puto Hispanis librariis tribuendum, qui cum reperissent scriptum *G. archiepiscopi*, prima tantum expressa nominis littera (quod in actis hujusmodi fieri solitum esse norunt eruditi) putarunt designari Ægidiũ qui Hispanico vocabulo *Gil* vocatur: præsertim cum celebritas illius nominis faceret, ut de hoc potius Toletano archiepiscopo cogitarent, quam de aliis, quorum fortasse ne nomina quidem sciebant. Vtut est, multos in errorem prava eorum scriptura impulit: at non Marianam nostrum, qui libro historiæ suæ XV cap. V diserte ait Gundisalvum huic consilio præfuisse.

ANNO CHRISTI 1309.

CONCILIVM POSONIENSE

IN HVNGARIA

A Gentili Cardinale S. A. L. tempore Clementis PP. V.

Anno Domini M. CCC. IX. celebratum.

A Clemente VI. anno Domini M. CCC. XLVI. confirmatum.

Edidit Odoric. Raynald. tomo XVI. Annal. Eccles. ad ann. 1346. num. 72.

TITVLI CAPITVM.

PRÆFATIO.

In nomine Domini, amen.

ANno ejusdem M. CCC. IX. Indictione VII. pontificatus domini Clementis papæ V. anno IV. Incipiunt constitutiones editæ per reverendum patrem, dominum Gentilem, Dei gratia tit. S. Martini in Montibus presbyterum cardinalem in regno Hungariæ, Poloniæ, ac partibus illis conterminis, apostolicæ sedis legatum. Et primo prooemium super statu regni.

Frater Gentilis miseratione Divina tit. S. Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, ad futuram rei memoriam.

VArietati morborum diversa medici medicamenta propinant, & ipsorum morborum qualitatibus, secundum artis peritiam, efficacibus remediis exquisitis, aliquibus gravioribus ferrum adhibent, quibusdam ignem adjiciunt, aliis vero qui levi possunt fomento sanitatem recipere, facilia medicamentorum antidota subministrant. Sic & dominus noster Iesus Christus, sub figura Samaritani, medici formam assumens, vulneribus infudit vinum & oleum sauciati. Nos itaque ad regnum Hungariæ, ab eo, qui pacifici regis & summi medici locum tenet in terris, cum pleno legationis officio, licet immeriti, destinati: attendentes, regnum ipsum infirmitatibus variis & gravibus laborare, ac præterea informati exemplo domini Iesu medicorum præcipui, diversitati infirmitatum hujusmodi, etsi non omnibus, magis tamen letalibus, cupientes diversas & congruas adhibere medelas: infra scriptas constitutiones de prælatorum dicti regni, ac per nos concilii congregati, consilio & assensu, autoritate qua fungimur, duximus promulgandas.

CAPVT PRIMVM.

De non offendendis prælatis.

CVm apostolicam sedem, in qua Christus catholicæ fidei posuit fundamentum, Christianorum matrem esse voluerit & magistram: non est dubium, quin Christus ipse graviter offendatur, si matrem filius, & magistram discipulus dehonorat. Quia igitur ipsi apostolicæ sedi non est possibile, cunctos filios & devotos, materno affectu, & suo magisterio præsentialiter confovere: debitum apostolicæ servitutis explere

explere nititur, modo per episcopos, immo per archiepiscopos, nonnunquam, & per legatos a latere suo missos; quos, quia ejus privilegio gaudent, cujus legatione funguntur, a cunctis Christi fidelibus tanquam apostolicam sedem, immo Christum qui in eis se recipi prædicat & audiri, honorari convenit & foveri. Verumtamen fuerunt & sunt nonnulli, quos termini nostræ legationis includunt, sicut fide digna relatione percepimus, qui licet glorientur nomine Christiano: ad ipsum tamen Christum & apostolicam sedem, debitam reverentiam non habentes, episcopos, archiepiscopos, & legatos hujusmodi, doctores catholicæ fidei & magistros, ipsius Christi vero vicarios & legatos, hostiliter insequi, ausu sacrilego capere, & percutere, quandoque nequiter carceri mancipare, nonnunquam inhumaniter perimere, non verentur. In quo quantum Christi fidei devotio minoratur, evidenter intelligit qui prudenter attendit. Proinde nos qui ex injuncto nobis legationis officio sedem apostolicam, licet immeriti, repræsentamus: cupientes omnes & singulos nostræ legationi commissos de tam nefandis excessibus coërcere, præsenti decreto statuimus, ut nullus de cætero in Dei offensam, apostolicæ sedis contemptum, & catholicæ fidei læsionem, præsumat tantum facinus attentare. Si quis autem propriæ inimicus salutis, reverentia religionis rejecta, Divinis & humanis legibus incivili damnatione calcatis, præmissum scelus exercere præsumpserit, per se vel per alium, publice vel occulte: eum, excommunicatum & a totius Christianitatis consortio separatum publice nunciantes, qua fungimur autoritate, privamus omnibus privilegiis, indulgentiis, feudis, gratiis, & beneficiis quibuscumque, ei ab ecclesia quacumque concessis: omnibus ad quos pertinet eorum ordinatio, seu dispositio, disponendi potestatem liberam concedentes: terram suam nihilo minus, & quamlibet aliam quæ sibi adhærere præsumpserit, interdicto ecclesiastico supponentes. Et ne minus vindictæ quam excessus memoria prorogetur, decrevimus ut filii talium, in clericorum collegium nullatenus admittantur; nec in domibus regularibus, alicujus prælationis assequantur honorem: quod contra factum fuerit, irritum decernentes, nisi cum eis per sedem apostolicam, vel legatum de latere, fuerit dispensatum. Et quia dignum est, ut is, qui tot præsumit offendere, pœna multiplici castigetur: omnes eorum vassallos, castellanos, comites, jobagiones, & officiales alios, quovis nomine censeantur, a fidelitate, homagio, & qualibet, alia præstatione, qua eis tenebantur astricti, qua fungimur autoritate, absolvimus: donec ad gremium sanctæ matris ecclesiæ humiliter redeuntes, absolutionis beneficium meruerint obtinere. Quod si eis in prædicta excommunicatione manentibus adhærere forte præsumpserint: illos eadem cum ipsis pœna statuimus excommunicationis involvi. Cæterum ut dictorum sacrilegorum pœna, sit aliorum cautela: inhibemus venerabilibus in Christo archiepiscopis, & episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis, eorumque vicem gerentibus, & ecclesiasticis personis, sæcularibus & religiosis, necnon ecclesiarum capitulis & conventibus, exemptis & non exemptis, Cisterciensis, Præmonstratensis, S. Benedicti, Minorum, Prædicatorum, sancti Augustini, & aliorum ordinum, necnon magistris, præceptoribus, & fratribus militiæ Templi sancti Ioannis Ierosolymitani hospitalis, & B. mariæ Theutonicorum, sub nostra legatione manentibus, non obstantibus aliquibus privilegiis, indulgentiis, & litteris, eis vel eorum aliquibus, aut ipsorum ordinibus, a præfata sede concessis, ne ipsi, vel aliorum aliquis, vel aliqui, corpora illorum, qui sine digna & debita satisfactione decesserint, tumulare, aut tumulationi eorum quoquo modo interesse, præsumant. Si quis autem prædictorum, contra præmissam inhibitionem nostram venire tentaverit: excommunicationis vinculo se noverit innodatum, majori pœna pro tanta inobedientia puniendum; & loca nihilo minus, in quibus talium corpora sepulta fuerint, ecclesiastico supposita interdicto. *Publicata Posonii IV. Idus Novembris.*

II. *Ut nulla ecclesiastica persona præbeat auxilium, consilium, vel favorem, alicui laico contra ecclesias ecclesiasticasque personas.*

Illi procul dubio sunt majori pœna plectendi, qui nituntur offendere, quod totis suis viribus defendere tenebantur. Cum igitur personæ ecclesiasticæ singulariter teneantur tueri ecclesiam, a qua suam tuitionem recipiunt: præsenti decreto statuimus, ut nulla ecclesiastica persona, exempta vel non exempta, cujuscumque præeminentiæ, status, aut dignitatis existat, etiamsi pontificali fulgeat dignitate, præbeat alicui laico, cujuscumque dignitatis aut conditionis existat, contra ecclesias ecclesiasticasve personas, consilium, auxilium, vel favorem, publice vel occulte. Si quis autem, ecclesiastico honore postposito, contra tam salubre statutum venire præsumpserit: ipso facto sententiam excom-

ANNO CHRISTI 1309.

municationis incurrat. Et nihilo minus si A inferior episcopo fuerit, episcopus suus contra eum ad privationem ecclesiastici commodi & honoris procedere; si vero episcopus metropolitanus, sui suffraganei excessum hujusmodi teneantur, quam cito commode poterunt, sedi apostolicæ nunciare. *Public. Posonii* IV. *Id. Nouembris.*

III. *Ne quis recipiat ecclesiasticum beneficium de manu laici.*

Præsentis constitutionis autoritate, sacro approbante concilio inhibemus, ne B quis archiepiscopatum, episcopatum, dignitatem aliquam inferiorem, personatum, parochialem ecclesiam, cum cura vel sine cura, beneficium aliquod ecclesiasticum, seu alicujus prædictorum administrationem vel detentionem, de manu laicali recipere, vel jam recepta tenere, sub quovis colore præsumat. Si quis autem contra fecerit, vel sic receptum beneficium, eo ipso, & nisi locum, quem sub crimine tantæ inobedientiæ tantæque ambitionis C taliter jam recepit, vel in futurum recipiet, resipiscendo deseruerit liberaliter, infra duorum mensium spatium a publicatione constitutionis præsentis quoad jam recepta, a receptionis vero tempore quoad ea quæ deinceps continget sic recipi, numerandum: ad quolibet aliud inhabilis ipso facto reddatur, ita ut ad dignitatem vel beneficium ecclesiasticum nullo unquam tempore, absque dispensatione apostolicæ sedis vel nostra, eligi valeat vel assumi. Insuper, ut quantum excesserit, D pœna docente recognoscat: si quam dignitatem, personatum, vel beneficium aliquod cum cura vel sine cura, sic recipiens vel detinens, &, ut præmittitur, non dimittens, canonice forsan obtineat, ea vel eo sit præsentis constitutionis vigore ipso facto privatus. Indignum enim fore censemus, ut ecclesiastico beneficio gaudeant, qui eam tam nefandis ausibus despectui habuerunt. Injungimus quoque, ac in virtute sanctæ obedientiæ, necnon sub excommunicationis pœna, præcipiendo mandamus E omnibus & singulis, tam clericis quam laicis, rusticis, jobagionibus, vasallis, castellanis, comitibus, & officialibus aliis, quocumque modo subjectionis astrictis dignitati, personatui, vel beneficio taliter occupatis, quod occupatori vel detentori prædictis in nullo pareant vel intendant. Qui vero temere contra fecerit, si universitas fuerit, interdicti; si autem singularis persona, excommunicationis sententiæ se noverit subjacere. *Publicata Posonii IV. Id. Nouembris.*

IV. *De non occupandis, & occupatis restituendis bonis ecclesiasticis.*

Cum multa providentia fuerit olim a felicis recordationis Benedicto PP. XI. apostolicæ sedis legato, dum in his partibus fungeretur legationis officio, constitutum, quod nullus invadere, occupare, illicite detinere præsumeret decimas, tributa, castra, villas, munitiones, possessiones, & bona ad ecclesias, & pia ac religiosa loca, & ecclesias ac personas ecclesiasticas spectantia ac pertinentia quoquo modo, sententia excommunicationis prolata in hujusmodi invasores, occupatores, & illicitos defensores. Sed quia propter præsumptiones, & quorumdam cupiditates, nullus fructus hactenus aut rarus ex prædicta constitutione provenit: nos tantis animarum periculis præcavere volentes, ne tam salubre statutum videatur in desuetudinem abiisse, & ab hujusmodi præsumptoribus ejus ignorantia prætendatur, prædictum statutum duximus innovandum. Et ipsum in suo robore permanere, ac inviolabiliter observari volentes, adjicimus, ut quicumque propter invasionem, occupationem, & illicitam detentionem dictarum rerum, excommunicatione autoritate prædicti statuti ligatus, infra trium mensium spatium, invasa, spoliata, occupata, & detenta hujusmodi non restituerit spoliatis, omnes eorum vassalli, iobagiones, castellani, comites, & officiales alii, quocumque nomine censeantur, homagio & qualibet præstatione qua eis juramento, pacto, consuetudine, vel qualibet alia firmitate vallata, tenebantur astricti, sint absoluti & liberi, præsentis autoritate decreti: donec ad cor humiliter redeuntes, satisfactionem debitam impenderint de præmissis. Quod si perseverantibus in hujusmodi contumacia & contemptu adhæserint: qui eos in peccatis fovere satagunt, excommunicationis vinculo sint ligati, & terra quæ eis medio tempore obediens fuerit, ecclesiastico supposita interdicto: quod interdictum omnes & singuli archiepiscopi & episcopi, & alii ecclesiarum prælati, capellæ & conventus, tam regulares quam sæculares, exempti & non exempti, Cistertiensium, Præmonstratensium, sancti Benedicti, ac Prædicatorum & Minorum, Eremitarum sancti Augustini, aliorumq; approbatorum ordinum, necnon magister, & præceptores, milites Templi & hospitalis sancti Ioannis Ierosolymitani, ac B. mariæ Theutonicorum, in virtute S. obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, servare inviolabiliter teneantur. Et nihilo minus si sine debita

Conc. Bud. an. 1279. cap. 52. 53.

bita satisfactione decesserint, prædictorum omnium corpora perpetuo ecclesiastica careant sepultura. Non enim debet illi ecclesiæ beneficium subvenire, qui dum viveret, ecclesiam hostiliter impugnavit. *Publicata Posonii IV. Id. Novembris.*

V. *De pœna publicorum concubinariorum.*

Almæ matris ecclesiæ, quæ plerumque rationabiliter ordinat & consulte, quæ suadente subjectorum utilitate, postmodum consultius ac rationabilius revocat, aliquando subtrahit, addit quandoque pariter & commutat in melius, imitantes exempla: constitutionem[a] bonæ memoriæ Philippi quondam Firmani episcopi, in regno Hungariæ ac partibus aliis nostræ jurisdictioni subjectis apostolicæ sedis legati, contra publicos concubinarios editam, a felicis recordationis Benedicto PP. XI. tunc in regno & partibus supradictis legato sedis apostolicæ, confirmatam, quibusdam additis & subtractis, juxta infra scriptam modificationem, in posterum observari præcipimus. Ad ipsius quidem temperandum rigorem, animarum zelus, quas ex illius contemptu quasi continuo, peccatorum sordibus fœdari conspicimus, nos inducit, spes recuperationis hortatur. Confidimus enim, quod spirituali pœna, excommunicationis videlicet, quæ quavis sine comparatione periculiosior, minus tamen peccatis exigentibus formidatur, in temporalem mutata vindictam, subditorum mutabuntur & mores. Decreto igitur præsenti statuimus, ut quicumque clericus contra ipsius constitutionis vigorem deinceps deliquerit, excommunicationis pœna in ea contenta, propter causas prædictas, cessante, quartæ partis redditũum beneficiorum suorum, præsentis constitutionis autoritate, damnationi subjaceat. Quia vero nihil prodesset jura condere, nisi foret qui ea executioni mandaret: omnibus episcopis, eorumque superioribus, necnon singulis ecclesiarum prælatis, de jure vel antiqua consuetudine jurisdictionem habentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna, quam, si ad hujusmodi constitutionis observantiam negligentes fuerint vel remissi, ipso facto incurrant, districte præcipimus, quatenus a subditis suis, qui contra ipsam constitutionem excesserint, pœnam præfatam integraliter exigant: ipsius quidem parte dimidia in exigentis, reliqua vero parte in pauperum usus, seu ecclesiæ exigenti commissæ commodum, convertenda. Prædicta autem condemnatio tandiu cum exactione debita repetatur: quousque mores suos & vitam, quoad præmissa, curaverint emendare. Ad quod etiam corporalis pœna, si superior suus expedire crediderit, indicatur. *Publicata Posonii IV. Id. Novembris.*

[a] Conc. Bud. an. 1279. c. 47.

VI. *De prohibita deprædatione.*

Cum Christus vera pax; de summis cælorum descenderit, ut quam mundus dare non potest, suis fidelibus pacem daret: profecto non est membrum Christi, nec ejus ecclesiæ, qui pacem suam non recipit, vel qui, ne alii recipiant, suis perversis actibus causam præstat. Cum itaque in regno Hungariæ, olim in pulchritudine pacis æmulus, & discordiæ seminator, diu procuraverit optatæ pacis exilium, immittendo guerrarum discrimina, & deprædationes seu disturbationes per perversos homines membra sua inhumaniter exercendo, propter quæ pax & concordia extra dicti regni terminos diu, quod dolenter referimus, exulavit: nos qui præfati regni & incolarum ejus specialem curam suscepimus, ipsorum pacifico statui providere desiderabiliter affectantes, statuimus sacro approbante concilio, ut omnes & singuli, cujuscunq; dignitatis, conditionis, aut status extiterint, qui in regno Hungariæ præfato deprædationes seu disrobationes publicas, per quas pax & tranquillitas dicti regni ut plurimum impeditur, per se vel per alium publice exercere, vel qui aliter ipsius regni statum pacificum impedire præsumpserit, nisi per episcopum proprium monitus, ad quod ipse episcopus in virtute obedientiæ teneatur, infra octo dies vitam suam melius consulte correxerit, etsi clericus fuerit exemptus vel non exemptus, beneficiis privatus, ipso facto excommunicatione, qua Deus iratus animas percutit, sit ligatus. *Publ. Posonii IV. Id. Novembris.*

VII. *De his qui contumaciter sustinent excommunicationem.*

Cum peccata tanto gravius deprimant atque laboriosus extirpentur, quanto invaluerint consuetudine longiori: præsenti constitutione, sacro approbante concilio, duximus statuendum, quod si quis clericus vel laicus, cujuscumque status aut conditionis existat, aliquam de constitutionibus nostris transgrediens, quas contra recusantes dictum Carolum pro rege naturali Hungariæ recipere & habere, vel alium advocantes vel nominantes, seu recusationi, advocationi, vel nominationi hujusmodi consentientes seu faventes, ac etiam contra occupatores regalium generalium, vel ecclesiasticorum bonorum, contra eos quoque

que qui in regum prædictum, archiepiscopos, episcopos, vel legatos, manus injecerint violentas, necnon contra occupatores & detentores sacræ coronæ, eorumque fautores, edidimus, majoris excommunicationis sententiam, in præfatis constitutionibus, seu aliqua earum contentam, quod absit, incurrerit, quam citius commode poterit, cum debita instantia, illius absolutionem efficaciter obtinere procuret. Qui vero concepta malitia, sive damnosa negligentia, excommunicationem hujusmodi per annum sustinuerit animo indurato: contra eum, per prælatum ad quem de jure pertinere dignoscitur, seu per inquisitores hæreticæ pravitatis, bonis pro facto jure confiscatis ipsius, tanquam contra hæreticum procedatur. *Publicata Posonii IV. Id. Novembris.*

VIII. *Ne aliqua fidelis alicui infideli matrimonialiter copuletur.*

Vt fides catholica, quæ scissuram erroris cujuslibet aspernatur, nullius schismatis, vel fermento pravitatis hæreticæ maculetur: de consilio & assensu præsentis concilii, perpetuo prohibemus edicto, ut nullus nostræ legationi subjectus, qui vult reputari & haberi catholicus, præsumat de cætero, hæretico, Patareno, Gazano, schismatico, vel alteri fidei Christianæ contrario, maxime Ruthenis, Bulgaris, Rasciis, Lituanis, in errore manentibus (qui, sicut fide dignorum testimonia præstantur, in diminutionem catholicæ fidei, opprobrium Iesu Christi, & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, quæ est veræ fidei fundamentum, non solum sacri baptismatis reiterant sacramentum, verum alia catholicæ ecclesiæ salutifera sacramenta damnabiliter contemnentes, habent despectui, fidei veritatem, in qua fidelibus salus datur, abnegant, & eis, diversis modis & variis injuriam irrogare conantur) filiam, neptem, consanguineam suam connubio tradere, vel eas eis modo aliquo copulare, cum hoc sit in prædictæ fidei Christianæ detrimentum non modicum & jacturam. Nam sicut didicimus ab experto, viri ab unitate fidei catholicæ separati, uxores suas, quantumvis catholicas, instigante diabolo, ad infidelitatis errorem trahunt potius, quam trahantur. Qui vero contra inhibitionem præsentem, filiam, neptem, vel consanguineam suam, prædictis pestiferis hominibus, qui, quantum in eis est, catholicam fidem, sine qua nullus omnino salvatur, nituntur confundere, dederit, aut danti consenserit, vel ex proposito & scienter hujusmodi scelestis nuptiis astiterit, (mulier etiam data vel tradita, quæ eisdem consenserit) cum per hoc in Christiana religione scissuram, & maculam ponere satagat, ac per hoc hæreticæ pravitati favere: eo ipso excommunicationis mucrone percussum se noverit, & ecclesiastica sepultura privatum. Volumus autem, & in virtute obedientiæ districte præcipimus archiepiscopo vel episcopo, in cujus diœcesi contemptor hujusmodi moram trahit, quod eum excommunicatum denunciet, & ab omnibus evitandum; & si infra mensem corde contrito & humiliato non redierit ad ecclesiæ unitatem, de tanta injuria irrogata nomini Christiano & fidei orthodoxæ, condignam satisfactionem & debitam impensurus, ex tunc contra eum, tanquam contra fautores hæreticorum & inimicos fidei Christianæ, procedatur juxta sanctiones canonicas & civiles. *Publicata Posonij IV. Idus Novembris.*

IX. *De observantia mandatorum apostolicæ sedis, & legatorum ipsius.*

Cum apostolica sedes ad obedientiam omnibus singulari privilegio proponatur: dolemus quod quidam, quos termini nostræ legationis includunt, bonum obedientiæ pervertentes, ipsius apostolicæ sedis, vel etiam legatorum ejus, qui in decreta sibi provincia secundum in obedientia & reverentia locum tenent, ipsius obedientiæ debito reverenter subtracto, mandatis, sive in recipiendis canonicis, sive in custodiendis sententiis, sive in quibusvis præceptionibus observandis, aliorum damnabiliter voluntatem præponunt: & non attendentes, quod *quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere*, pœnæ inobedientiæ debitæ se supponunt. 1. Reg. 15. Quod in terra Poloniæ (maxime per nonnullos episcopos & capitula, quæ, præsertim pro aliquibus recipiendis canonicis, nisi de suorum superiorum voluntate procedat, ab eadem sede vel legato ipsius directis litteris obedire contemnunt) factum esse frequentius, nostris auribus est relatum. Proinde nostro commissos regimini in bono perfectæ obedientiæ, sine qua infidelis quisque convincitur, etiamsi fidelis esse videatur, observari ferventi desiderio affectantes: monemus omnes & singulos, archiepiscopum, episcopos, electos, abbates, priores, ecclesiarum quoque capitula prædictæ terræ Poloniæ, ut non obstante suorum superiorum voluntate contraria, dictæ sedis legatorumque ipsius mandata sic reverenter recipiant, & obedienter adimpleant, quod meritum obedientiæ non amittant: scituri, quod si mandata hujusmodi per inobedientiæ vitium non duxerint adimplendum, eos taliter

taliter puniemus, quod pœna docente cognoscent, quam grave sit eorum jussionibus contraire. *Publicata, ut supra.*

Dat. Posonii IV. Idus Novembris Pont. domini Clementis PP. V. an. IV.

EIUSDEM CONCILII CONFIRMATIO Per Clementem VI. anno Dom. M. CCC. XLVI.

Petitio pro parte venerabilis fratris nostri Apetaconis, episcopi Lubucensis, nobis exhibita, continebat, quod dudum bonæ memoriæ Gentilis, tit. S. Martini in Montibus presbyter cardinalis, in regno Hungariæ, ac provincia Poloniæ, infra quam B ecclesia Lubucensis existit, ac quibuscunque aliis terris eidem regno adjacentibus, autoritate sedis apostolicæ, plenæ legationis fungens officio, in concilio videlicet per eum, apud Posonium Strigomensis diœcesis, constitutum in dicto regno Hungariæ, celebrato, nonnullæ constitutiones pro libertate ac utilitate ecclesiarum, ac earum prælatorum, & aliarum personarum ecclesiasticarum, infra fines legationis suæ consistentium, edidit utiles & salubres, inhibitiones, prohibitiones, decreti interpositiones, ac excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, & nonnullas pœnas alias, continentes, C prout in litteris præfati cardinalis inde confectis, ipsius sigillo munitis (quarum quidem constitutionum certa capitula de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus) continetur. Quare pro parte dicti episcopi nobis extitit humiliter supplicatum, ut capitula prædicta, & omnia in eis contenta, cum præfatæ litteræ timeantur vetustate consumi, fulcire apostolico munimine dignaremur.

Nos igitur ecclesias, & earum prælatos, ac personas ecclesiasticas prædictas, in suis libertatibus ac utilitatibus, quantum cum Deo possumus, confovere volentes, ipsius episcopi supplicationibus inclinati, capitula prædicta rata & grata habentes, illa au- D toritate apostolica ex certa scientia confirmamus. Tenores autem dictorum capitulorum, tales sunt.

In nomine Domini, amen. Anno ejusdem M. CC. IX. &c. *ut supra.*

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere &c. Datum Avinione IV. Non. Septemb. pontificatus nostri anno V.

ARTICULI A PRÆLATIS ANGLIÆ oblati Eduardo II. regi, una cum regis ad eosdem responsionibus.

Ex Tomo II. Concilior. Britann.

Casus, in quibus judex ecclesiasticus potest cognoscere, regia prohibitione non obstante, concessi per chartam regiam. E

Edvvardus Dei gratia rex Angliæ, &c. Omnibus, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem.

ANNO CHRISTI 1316. Sciatis, quod cum dudum temporibus progenitorum nostrorum, quondam regum Angliæ, in diversis parliamentis nostris, per prælatos & clerum regni nostri, plures articuli continentes gravamina aliqua ecclesiæ Anglicanæ, & ipsis prælatis & clero illata, ut in eisdem asserebatur, porrecti fuissent, & cum instantia supplicatum, ut inde apponeretur remedium oportunum: nuper in parliamento nostro apud Lincoln. anno regni nostri nono, articulos subscriptos, & quasdam responsiones, ad A aliquos eorum prius factas, coram consilio nostro recitari, ac quasdam responsiones corrigi, & cæteris articulis subscriptis per nos & dictum nostrum consilium, fecimus responderi. Quorum quidem articulorum, & responsionum tenores subsequuntur, in hunc modum. ANNO CHRISTI 1316.

I. Imprimis laici impetrant prohibitiones in genere, super decimis, & oblationibus, obventionibus, mortuariis, redemptionibus pœnitentiarum, violenta manuum injectione in clericum, vel in conversum; & in causis diffamationis, in quibus agitur ad pœnam canonicam imponendam.

Rex ad istum articulum respondet: quod in decimis, oblationibus, obventionibus, mortuariis, quando sub istis nominibus proponuntur, prohibitioni regiæ non est locus, etiamsi propter detentionem istorum diutinam, ad æstimationem pecuniariam veniatur earundem. Sed si clericus, vel religiosus, decimas suas in horreo suo congregatas, vel alibi existentes, vendiderit alicui pro pecunia, si petatur pecunia coram judice ecclesiastico, locum habet prohibitio: quia per venditionem res spirituales fiunt temporales, & transeunt decimæ in cartalla.

II. Item, si sit contentio de jure decimarum, originem habens ex jure patronatus, & earumdem decimarum quantitas ascendat ad quartam partem bonorum ecclesiæ: locum habeat regia prohibitio, si hæc causa coram judice ecclesiastico ventiletur.

III. Item, si prælatus imponat pœnam pecuniariam alicui pro peccato, & repetat illam: regia prohibitio habet locum. Verumtamen, si prælati imponant pœnitentias corporales, & illi sic puniti velint hujusmodi pœnitentias per pecuniam sponte redimere: non habet locum regia prohibitio, si coram prælatis pecunia ab eis exigatur.

IV. Insuper, si aliquis manus violentas injecerit in clericum: pro violata pace, debet emenda fieri coram rege; pro excommunicatione vero, coram prælato, ut imponatur pœnitentia corporalis, quam si reus velit sponte per pecuniam redimere, dandam prælato vel læso, potest repeti coram prælato, nec in talibus regia prohibitio habet locum. In diffamationibus vero, corrigant prælati supradicto modo, regia prohibitione non obstante.

V. Item, si aliquis in fundo suo molendinum erexerit de novo, & postea, a rectore loci exigatur decima de eodem: exhibetur regia prohibitio sub hac forma. Quia de molendino tali hactenus non fuerunt decimæ solutæ, prohibemus &c. & sententia excommunicationis, si quam hac occasione promulgaveritis, revocetur.

Responsio. In tali casu nunquam exivit prohibitio de voluntate principis, qui & decernit talem perpetuo non exire.

VI. Item, si aliqua causa, vel negotium, cujus cognitio spectat ad forum ecclesiasticum, & coram ecclesiastico judice fuerit sententialiter terminata, & transierit in rem judicatam, nec per appellationem fuerit suspensa, & postmodum coram judice sæculari super eadem re, inter easdem personas, quæstio moveatur, & probetur per testes, vel instrumenta: talis exceptio in foro sæculari non admittitur.

Responsio. Quando eadem causa diversis temporibus, coram judicibus ecclesiasticis & sæcularibus ventilatur, ut supra patet de violenta manuum injectione in clericum: dicunt, quod non obstante ecclesiastico judicio, curia regis tractat ipsum negotium, ut sibi expedire videtur, ecclesiastico judicio non obstante.

VII. Item, littera regia ordinaria dirigitur aliquando

Anno Christi 1316.

aliquando, qui aliquos suos subditos excommunicationis vinculo innodarunt, quod eos absolvant, infra certum diem: alioquin, quod compareant responsuri, quare eos excommunicarunt.

Responsio. Rex decrevit, quod talis littera nunquam exire in posterum permittatur, nisi in casu, in quo possit inveniri, regiam libertatem per excommunicationem lædi.

VIII. Item, barones de Scaccario domini regis, vendicantes sibi ex privilegio, quod non debent extra locum illum conquerenti respondere, extendunt illud privilegium ad clericos commorantes ibidem, vocatos ad ordines, seu ad residentiam; & diœcesanis inhibent, ne aliquo modo, aliquave ex causa, dum sunt in Scaccario, & in servitio domini regis, ipsos trahant ad judicium quoquo modo.

Responsio. Placet domino regi, quod clerici suis obsequiis intendentes, si delinquant, per ordinarium, ut cæteri, corrigantur. Sed tempore, quo occupantur circa Scaccarium, ad residentiam in suis faciendam ecclesiis non tenentur.

His additur sic de novo, per concilium domini regis. Rex & antecessores sui, a tempore cujus contrarii memoria non existit, usi sunt; quod clerici, suis immorantes obsequiis, dum obsequiis illis intenderent, ad residentiam in suis beneficiis faciendam minime compellantur: nec debet dici tendere in præjudicium ecclesiasticæ libertatis, quod pro rege & republica necessarium invenitur.

IX. Item, ministri domini regis, & vicecomites, & alii, ingrediuntur feodum ecclesiæ ad districtiones faciendas, & aliquando capiunt animalia rectorum in via regia, quando non habent nisi terram, ac ecclesiam pertinentem.

Responsio. Placet domino regi, ne districtiones de cætero fiant hujusmodi, nec in via regia, nec in fundis, quibus olim ecclesiæ sunt dotatæ. Vult tamen, districtiones fieri in possessionibus, de novo a personis ecclesiasticis adquisitis.

X. Item, quandoque aliqui confugientes ad ecclesiam, abjurant terram, secundum regni consuetudinem: & persequuntur eos laici, vel inimici eorum, & a publica strata per eosdem abstrahuntur & suspenduntur, vel statim decapitantur: & dum sunt in ecclesia, custodiuntur per armatos infra cœmeterium, & quandoque infra ecclesiam, ita arcte, quod non possunt exire locum sacrum, causa superflui ponderis deponendi; nec permittitur eis necessaria victui ministrari.

Responsio. Qui terram abjuraverint, dum sunt in strata publica, sunt in pace regis, nec debent ab aliquo molestari: & dum sunt in ecclesia, custodes eorum non debent morari infra cœmeterium, nisi necessitas, vel evasionis periculum, hoc requirat: nec arceantur confugi dum sunt in ecclesia, quin possint habere vitæ necessaria, & exire libere pro obscœno pondere deponendo. Placet etiam domino regi, ut latrones, & appellatores, quandocunque voluerint, possint sacerdotibus sua facinora confiteri: sed caveant confessores, ne erronee hujusmodi appellatores informent.

XI. Item, petitur, quod dominus rex & regni magnates, non onerent domos religiosas, vel ecclesiasticas personas, pro corrodiis, pensionibus, vel perendinationibus faciendis in domibus religiosis, & aliis locis ecclesiasticis, carectis & equis sibi mittendis, cum per hoc prædictæ domus depauperentur, cultusque Divinus in hac parte diminuatur: & propter hujusmodi onera compellantur sæpissime presbyteri, & alii ministri ecclesiastici, Divinis officiis

A deputati, recedere a locis supradictis.

Responsio. Placet domino regi, quod super contentis in petitione, de cætero indebite non onerentur: & si per magnates & alios contra fiat, habeant inde remedium; juxta formam statutorum, tempore domini Edvvardi regis patris nostri, nunc editorum. Et fiat consimile remedium de corrodiis & pensionibus, per coërtionem exactis, de quibus non fit mentio in statutis.

XII. Item, si aliqui de tenura domini regis, vocati coram ordinario, extra parochiam ubi degunt, propter suam contumaciam manifestam, excommunicentur; ac, post XL. dies pro eorum captione scribatur: prætendunt se privilegiatos, quod extra villam seu parochiam suam non debent vocari: & sic

B denegatur breve regium pro captione eorumdem.

Responsio. Nunquam fuit negatum breve regium, nec negabitur in futurum.

XIII. Item, petitur, quod personæ ecclesiasticæ, quas dominus rex ad beneficia præsentat ecclesiastica, si episcopus eos non admittat, utputa, propter defectum scientiæ, vel aliam causam rationabilem, non subeant examinationem laicarum personarum, in casibus antedictis, prout his temporibus attentatur de facto, contra canonicas sanctiones: sed adeant judicem ecclesiasticū, ad quem de jure pertinet, pro remedio, prout justum fuerit, consequendo.

C Responsio. De idoneitate personæ præsentatæ ad beneficium ecclesiasticum, pertinet examinatio ad judicem ecclesiasticum. Et ita est hactenus usitatum, & fiat in futurum.

XIV. Item, si vacet aliqua dignitas, ubi electio est facienda: petitur, quod electores libere possint eligere, absque incussione timoris a quacunque potestate sæculari, & quod cessent preces & oppressiones in hac parte.

Responsio. Fiant libere, juxta formam statutorum, & ordinationum.

XV. Item, licet clericus coram sæculari judice judicari non debeat, nec aliquid contra ipsum fieri, per quod ad periculum mortis, vel mutilationem

D membri valeat perveniri: sæculares tamen judices, clericos ad ecclesiam confugientes, & reatus suos forte confitentes, faciunt abjurare regnum, & eorum abjurationes admittunt ex illa causa, quamquam illorum judices super iis non existant. Sicque datur laicis indirecte potestas hujusmodi clericos trucidandi, si ipsos, post hujusmodi abjurationem, in regno contigerit inveniri. Super quo, prælati & clerus petunt tale remedium adhiberi, ut immunitas ecclesiæ, & ecclesiasticarum personarum, conservetur illæsa.

Responsio. Clericus pro felonia fugiens ad ecclesiam, pro immunitate ecclesiastica obtinenda, asserens se esse clericum, regnum non compellitur abjurare: sed legi regni se reddens, ecclesiastica gaudebit libertate, juxta laudabilem consuetudinem regni hactenus usitatam.

E XVI. Item, quanquam confessio coram illo, qui non est judex confitentis, non teneat, nec sufficiat ad faciendum processum, vel sententiam proferendam: quidam tamen sæculares judices, clericos, qui de foro suo in hac parte non existunt, reatus proprios & enormes, ut puta furta, roboreas, & homicidia, coram eis confitentes, admittunt ad accusationem aliorum, quam ipsi communiter vocant Appellum, ipsosque sic confitentes accusantes, seu appellum facientes non liberant prælatis eorum post præmissa, quanquam super iis fuerint sufficienter requisiti, licet coram eis, per confessionem propriam, judicari vel

ANNO CHRISTI 1316.

vel condemnari nequeant, absque violatione ecclesiasticæ libertatis.

Responsio. Appellatori in forma debita, tanquam clerico per ordinarium petito, libertatis ecclesiasticæ beneficium non negatur.

Nos desiderantes statui ecclesiæ Anglicanæ, & tranquillitati & quieti prælatorum & cleri prædictorum, quatenus de jure poterimus, providere: ad honorem Dei, & emendationem status dictæ ecclesiæ, & prælatorum, & cleri, prædictorum, omnes & singulas responsiones prædictas, ac omnia & singula in eisdem responsionibus contenta, ratificantes & approbantes, ea pro nobis & heredibus nostris concedimus, & præcipimus in perpetuum inviolabiliter observari. Volentes & concedentes pro nobis & heredibus nostris, quod prædicti prælati & clerus, eorumque successores in perpetuum, in præmissis jurisdictionem ecclesiasticam exerceant, juxta tenorem responsionum prædictarum, absque occasione, inquietatione, vel impedimento nostri, vel heredum nostrorum, seu ministrorum nostrorum quorumcunque.

In cujus rei testimonium, has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso apud Eboracum XXIV. die mensis Novembris, anno regni nostri decimo.

Littera, super eandem chartam domini regis, justitiariis, & aliis ministris directa pro prohibitione.

Rex justitiariis salutem.

Circumspecte agatis de negotio tangente dominum Norvvycensem, & ejus clerum, non puniendo eos, si placitum tenuerint de iis, quæ mere sunt spiritualia; videlicet de correctionibus, quas faciunt prælati pro mortali peccato; videlicet pro fornicatione, adulterio, & hujusmodi, pro quibus aliquando infligitur pœna corporalis, aliquando pecuniaria: maxime, si convictus fuerit liber homo.

Item, si prælatus puniatur pro cœmeterio non clauso, ecclesia discooperta, vel decenter non ornata, in quibus casibus alia pœna non potest infligi, quam pecuniaria. Item, si rector petat a parochianis suis oblationes, decimas debitas & consuetas, vel rector agat contra rectorem de decimis majoribus, dummodo non petatur quarta pars alicujus ecclesiæ. Item, si rector petat mortuarium, ubi mortuarium dari consuevit. Item, si prælatus, advocatus ecclesiæ, petat a rectore pensionem sibi debitam.

Omnes hujusmodi petitiones faciendæ sunt in foro ecclesiastico.

Item, de violenta manuum injectione in clericum, & in causa diffamationis, concessum fuit alias, quod placitum inde teneatur in curia Christianitatis, dummodo non petatur pecunia, sed agatur de correctione peccati.

In omnibus prædictis judex ecclesiasticus cognoscere debet, non obstante regia prohibitione, licet porrigatur, quod non faciat, nisi prius habeat regiam consultationem.

ANNO CHRISTI 1321.

CONCILIVM LONDINENSE

A VValtero archiepiscopo cum suffraganeis celebratum, anno Dom. M. CCC. XXI.

Præceptum regis EduVVardi II. ne quicquam statuatur in concilio, in præjudicium dicti regis, vel regni.

Rex venerabilibus in Christo patribus VV.[a] eadem gratia archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ primati, ac cæteris episcopis & prælatis Cantuariensis provinciæ, ac concilium provinciale apud Londin. in proximo conventuris. Mandamus vobis in fide & dilectione, quibus nobis tenemini, firmiter inhibentes, ne in dicto concilio quicquam in nostri, aut status, coronæ nostræ, vel regni nostri præjudicium statuatis, faciatis, seu quomodolibet ordinetis. Teste Rege apud Pountfreyt super Thamesiam 30. die Novembris. Per ipsum regem.

[a] VValtero.

Constitutiones VValteri Reynaud, archiepiscopi Cantuariensis.

TITVLI CAPITVM.

Multa hujus concilii capita eadem fere sunt, atque Conc. Londin. ann. 1342.

CAPVT PRIMVM.

Ca. 6. Conc. Lond. ann. 1342.

Quantum pro insinuationibus testamentorum, ac compoti administrationis, in bonis defunctorum, acquietantiarum litteris, & labore, recipi debeat per quemcumque.

Adeo quorundam animos nostris temporibus, sæva cupiditas occupavit, quod quæstum reputantes pietatem, non curant quibus studiis, suæ cupiditatis sitim reficiant, dum venale exhibent nefando commercio, gratis impendere quod deberent. Sane licet bonæ memoriæ S.[b] archiepiscopus Catuariensis, prædecessor noster, provincialis concilii deliberatione statuit, quod pro insinuatione testamenti cujusvis defuncti, cujus bonorum inventarium C. solidos summam non excedit, nihil penitus exigatur: quia tamen circa testamentorum insinuationes defunctorum, quorum inventaria bonorum dictam summam excedunt, seu circa id quod pro acquietan-

[b] Simon.

ANNO CHRISTI 1321.

tiis calculorum, vel compotorum, administrationes bonorum concernentium hujusmodi testamenta, quid determinate debeat recipi minime providetur: locorum ordinarii, tam pro insinuationibus, quam acquietantiarum litteris, in hac parte sic immoderate ac excessive pecuniam exigunt, quod defunctorum exhaustis & consumptis facultatibus, per extortiones illicitas in præmissis, decedentium voluntates ultimæ, etiam in iis quæ relinquuntur in usus pauperum, vel alias pias causas, de residuo nequeunt adimpleri; quorum occasione laïci contra dictos ordinarios, veluti consumentes & usurpantes quæ tueri tenentur, exasperantur non modicum, necnon ad fraudes & superstitiosas inventiones quotidie provocantur. Vnde igitur, ut tantæ usurpationis contumelia depellatur, statuimus quod, pro probatione vel approbatione, seu insinuatione testamentorum quorumcunque, nihil per episcopos seu ordinarios alios recipiatur omnino. Per clericos tamen scribentes insinuationes hujusmodi, sex denarios recipi permittimus pro labore.

Quod si aliquod inventarium bonorum cujuscunque defuncti, in compoto triginta solidorum summam reperiatur excedere, quod ad centum solidos minime extendatur: pro compoto & agendis omnibus circa ipsum, acquietantiarumque litteris, seu aliis quibuscunque, episcopi, aut ordinarii, aut deputati ab eis ad audiendos compotus, vel ministri alii hujusmodi compotis intendentes, ultra duodecim denarios recipere non præsumant.

Si vero centum solidorum summam, aut ultra, minus tamen viginti librarum, hujusmodi contineant inventaria: trium solidorum perceptione penitus sint contenti. Sed si viginti aut ultra, citra tamen quadraginta librarum summam habeant: ultra quinque solidos, pro labore, litteris, & supradictis aliis, non admittant. Quod si sexaginta librarum, vel ultra, minus tamen centum librarum, summam attingant hujusmodi inventaria: decem solidos pro præmissis recipiant & non ultra. Si vero hujusmodi inventaria centum librarum & amplius, minus tamen quam centum & quinquaginta librarum, summam contineant: ultra viginti solidos pro prædictis recipere non præsumant. Sed si centum & quinquaginta librarum summam, vel amplius: pro singulis quinquaginta libris, quas ultra summam centum librarum contineri contigerit in eisdem, ordinarii pro prædictis, singulos decem solidos, cum prædictis viginti solidis, recipere valeant, & non ultra. Clericos tamen pro singulis acquietantiarum litteris, quas in hac parte scribunt, ultra præmissa, sex denarios recipere permittimus pro labore. Si vero quicquam in aliquo casuum præmissorum, ultra summam prætaxatam, quavis cautela, in pecunia numerata, seu rebus aliis, contingat recipere: fabricæ ecclesiæ cathedralis loci, infra mensem, reddere teneatur. Alioquin extunc episcopi, duplum ipsum ultra prædictum tempus restituere differentes, sibi esse ingressum ecclesiæ interdictum; inferiores vero, ab officio & beneficio, noverint se suspensos, quousque de hujusmodi duplo dictis ecclesiis cathedralibus, plenam satisfactionem impendant. In ipsa quidem probatione, vel approbatione, seu insinuatione testamentorum quorumcunque, vel postea, ante administrationis compotorum redditiones factas fideliter, litteræ acquietantiarum nullatenus concedantur, sub pœna suspensionis ab ingressu ecclesiæ per sex menses: quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto.

II. *De visitatione & procuratione archidiaconorum, ac aliorum ordinariorum.*

Quamvis lex naturæ, fructum laboris retribuat operanti: sic tamen æquitatem amplectitur, ut non laborantem, potissime circa ea quibus vacare tenetur ex debito, non manducare præcipiat negligentem. Sane nonnulli archidiaconi, & alii superiores & inferiores ordinarii nostræ provinciæ, lucris temporalibus inhiantes, & quæ Dei sunt projicientes a tergo, in suarum visitationum progressibus, venationibus & aliis vacantes insolentiis, ad loca visitanda multoties tales mittunt, quorum exhortatione, seu informatione, clerus & populus non instruitur: ab ecclesiis quas die visitationis non ingrediuntur nec inspiciunt, & a quibusdam per se vel alios nullatenus visitatis, necnon & à pluribus quas per alios perfunctorie visitari faciunt uno die, quarum quælibet ad procurationem unus diei consuetam, pro ipsis archidiaconis & suis ordinatis famulis competenter sufficeret, a singulis ecclesiis, rectoribus, seu vicariis eorundem, procurationes solidas in pecunia, contra sanctiones canonicas, exigere non formidant. Excogitata etiam superstitiosa quadam fraude, sæpius visitaturi ecclesias, dies visitationum hujusmodi faciendarum præveniunt, in noctibus ipsos dies præcedentibus, in domibus rectorum, seu vicariorum, ad eorum sumptus, cum excessivis & onerosis familiis & venaticis morantur: ac in crastino, impensa visitatione, procurationem plenam & solid m extorquent in pecunia pro dieta, tanquam in victualibus minime

Ibid. c. 7.

ANNO CHRISTI 1321

minime procurati; quamquam cum talibus dicto die prandeant visitatis. Nos præmissis, tam pro subditorum quiete, quam excedentium salute, cupientes occurrere: districtius inhibemus præsentis autoritate concilii, ne quis procurationem, ratione visitationis solvendam, aliquam recipere præsumat ab ecclesia, nisi visitationis officium eidem diligentius impenderit, scrutatis personaliter & inspectis per ipsum cum effectu quæ fuerint indaganda.

Si quis vero plures ecclesias visitare voluerit uno die: procuratione unica in victualibus, vel pecunia, ad quam omnes & singulas, sic unico die visitatas, proportionaliter faciat contribuere, prout tradunt canones, sit contentus. Et si nocte præcedente suam visitationem, in quavis ecclesia faciendam, ad sumptus rectoris seu vicarii visitandi, seu die visitationis, in prandio steterit cum eisdem, veram æstimationem sumptuum hujusmodi in procurationem, si eam in pecunia visitans licite duxerit exigendam, computare, seu allocare, vel pro ea, in toto vel in parte, studeat compensare: ita quod non ultra sumptus hujusmodi solidam procurationem in pecunia, nec amplius quam deductis eisdem sumptibus de procuratione in pecunia exsolvenda superer it, præsumat recipere vel exigere quovis modo. Si quis autem aliter fecerit: donec indebite percepta restituerit, ab ingressu ecclesiæ noverit se suspensum.

Verum quia plures archidiaconi & alii ordinarii, honoris prærogativa vel nobilitate generis decorati, in suis visitationibus incedentes, familiarium & vecturarum statutum in canonibus numerum sic excedunt, quod procurantes eos in victualibus, excessive & indebite onerantur, ultra æstimationem procurationis, quæ in pecunia solet solvi: nos visitatis hujusmodi, an in pecunia quantitatis solitæ, vel in victualibus, visitantes eosdem voluerint procurare, optionem liberam reservamus. Si visitata insuper ecclesia capellas habuerit dependentes ab ea: statuimus, quod pro ecclesiæ suarumque capellarum hujusmodi visitatione, procuratione unica, & quæ pro una ecclesia præstari solet in diœcesi cujus est ecclesia, visitantes archidiaconi, & alii ordinarii, sint contenti: sub pœna suspensionis ab officio & beneficio, quam ipso facto incurrant, donec duplum illius, quod ultra hujusmodi procurationem unicam receperint, fabricæ suæ solverint ecclesiæ cathedralis.

ANNO CHRISTI 1321.

III. *De inductionibus in beneficiis ecclesiasticis faciendis.*

Item ipsi archidiaconi & eorum officiales, aliique ministri ecclesiastici nostræ provinciæ, post collationem beneficiorum ecclesiasticorum, vel institutionem factam in ipsis, promotos in beneficiis hujusmodi, ad superiorum mandata inducere, ac inductionem certificatoriis litteris facere vel condere, differunt & recusant, nisi eis de immoderata summa pecuniæ satisfiat. Sacro statuimus approbante concilio, quod is, qui sic promotum tenetur inducere, pro labore, ac sui & suorum sumptibus universis, circa inductionem hujusmodi faciendam, quomodolibet impendendam, necnon pro certificatoriis inductionum litteris, perceptione dimidiæ marcæ penitus sit contentus. In illis tamen locis, quibus inducendi minus solvere consueverant inducentibus pro præmissis, gravius solito, constitutione præsenti, non intendimus onerare. Si quid vero ultra hæc inductores, occasione præmissorum, recipere, seu ut recipiant quicquam amplius, inductionem faciendam per ipsos, vel inductionum certificatorias litteras facere, & inductis tradere, exquisitis coloribus differre, aut ratione constitutionis præsentis, in locis quibus inducti minus dimidia marca pro iis præstare consueverant, solito plus exigere illos contingat indebite: culpabiles in hac parte pœnam suspensionis ab officio & ingressu ecclesiæ tamdiu incurrere volumus ipso facto, donec contra hæc recepta solventibus restituant, & læso sua culpa satisfaciant debite de præmissis. Ibid. c. 3.

IV. *Ne instituti in beneficiis ecclesiasticis, vel promoti ad sacros ordines, pro suis habendis litteris prægrauentur.*

Nova insatiabilis ambitio adinvenit, ut clericis institutis in ecclesiasticis beneficiis, seu ipsis collatis eisdem, vel ad ordines sacros promotis, pro litterarum super iis habendarum scriptura, labore, ac sigillis, fiant multoties exactiones immensæ, id reprobante canone & dicente: quod sicut non decet episcopum manus impositionem vendere, ita nec ministrum, vel notarium, calamum venundare. Archidiaconorum etiam, & suorum officialium, necnon aliorum clerici, certificatorias litteras inquisitionum, super vacationibus beneficiorum factarum, renuunt tradere præsentatis: nisi summam nimis excessivam pecuniæ habeant pro scriptura. Nos tantum abusum abolere volentes, præsentis deliberatione Ibid. c. 2.

ANNO CHRISTI 1321.

concilii, duximus ordinandum; quod pro scriptura singularum litterarum, inquisitionum, institutionum, vel collationum & commissionum, ad inducendum in beneficiis hujusmodi, vel certificatoriorum ipsarum, ultra singulos XII. denarios sterlingorum; pro litteris vero singulis sacrorum ordinum vel dimissarum, ultra singulos sex denarios, dicti clerici, per se vel per alios, non recipiant quovis modo. Cæterum quia ordinarii suis tenentur ministris stipendia constituere, quibus debeant merito contentari: pro sigillatione litterarum hujusmodi, nihil omnino exigi volumus vel persolvi, ne cujusvis specie velaminis, solutio pro sigillo litterarum hujusmodi in prædæ quæstum damnabilem convertatur. Et ne temeritas, provisa remedia violans, prætereat impunita, si contra præmissa quicquam recipiatur ab aliquo: duplum sic recepti reddi præcipimus solventibus, infra mensem. Alioquin extunc clerici beneficiati, sic receptorum inique, duplum reddere differentes, ab officio & beneficio tamdiu se noverint suspensos. Clerici vero non beneficiati, ingressum ecclesiæ sibi noverint interdictum, quousque de duplo hujusmodi satisfactionem impendant solventibus competentem.

V. *De bigamia.*

Frequens habet multorum querimonia, quod captis & incarceratis pro sceleribus, judices sæculares & alii, contra clericos ad forum ecclesiæ petentes remitti, objiciunt bigamiam, super qua cognitionem usurpantes, indebite habentes eam, jurata laïcorum assertione aliquotiens pro probata, clericos laqueo suspendere non formidant: quamvis bigamiæ, quæ ex matrimonii dependet juribus, cognitio & discussio, ad forum ecclesiæ debeant pertinere, cum de matrimonio & iis quæ sumunt ab ipso efficaciam, ut in causa dotis & bastardiæ cura sæcularis utitur, sæcularis pietas [a] nequeat judicare. Viduam insuper aut duas feminas in uxores ducens solemniter, ex iis frequenter non contrahit bigamiam, & quidam revera bigami, apud ipsos pro talibus non habentur: sicque fallens laicos oculorum judicium, ipsos cogit æstimare bigamos, qui nunquam contraxerant bigamiam Interdum etiam clerici, licet in sceleris facto deprehensi non fuerint vel convicti, tanquam facinorosi, vel suspecti de crimine, sine injuria personali, capiuntur per potentiam laicalem, & in carcere detinentur vincti: nec suis redduntur ordinariis, ipsos requirentibus, secundum canones libere judicandi. Ex quibus ecclesiæ libertas confunditur, dum clerici a laicis judicantur, & ipsi super hujusmodi abusione judicant, quæ ab eis penitus ignorantur. Vnde statuimus, quod si capti & incarcerati, se clericos asserentes, propter bigamiæ objectum; seu si clerici alii incarcerati noti fuerint, & in possessione clericatus reperti, detentores eorum, ad ordinariorum requisitionem illis eos reddere recusantes, per locorum ordinarios excommunicati publice nuncientur. Civitates, & castra, villæ, seu loca nostræ provinciæ, in quibus clerici prætextu bigamiæ adjudicati neci fuerint, & in quibus detenti fuerint clerici, post requestam ordinariam minime liberati, necnon terræ ipsos detinentium, ecclesiasticum sustineant interdictum, donec hujusmodi ordinariis reddantur, & processu in præmissis competenter fuerit satisfactum. Imponentes insuper clericis falsa crimina, & malitiose confingentes commenta vel fraudes, propter quæ clerici capiuntur & detinentur injuste, similiter excommunicati, sicut sunt, publice nuncientur.

[a] Cor. potestas.

VI. *Ne in privatis oratoriis Missarum solemnia celebrentur.*

Cap. I. Côc. Lond. an. 1342.

Quam sit inhonestum & Divinæ reverentiæ contrarium, in privatis oratoriis seu capellis, pro Divinorum celebratione non deputatis antiquitus [a] vero dotatis, aut in domibus minime consecratis, Missarum celebrare mysteria: sanctiones canonicæ, sæculariumque traditiones principum, debitæ considerationis judicio prospexerunt. Quas sacerdotes regulares & sæculares nequiter contemnentes, nulla necessitate cogente, Divina celebrantes in eis, varia discrimina pariunt animabus, dum ecclesiarum parochiani, a suis ex hoc se retrahentes parochialibus ecclesiiis, ac sic informationibus salutaribus, quæ in eis solent fieri, frequenter carentes, nonnullis prohibitis, & communioni quorundam illicitæ, temere se ingerunt; & contra doctrinam, qua præcipitur, iniquam conditionem alteri per alterum non afferri, plurimis ex hoc malis emergentibus, parochialium ecclesiarum detrahitur honori & commodo consueto. Nos de fratrum nostrorum & totius concilii assensu decrevimus, quemcunque in oratoriis, capellis, aut domibus hujusmodi, seu in loco minime delibato [b]. Missarum solemnia, diœcesani non obtenta licentia, contra canonum prohibitionem, de cætero celebrantem, suspensionem a Divinorum celebratione, per mensem incurrere ipso facto: nisi forte locus in quo Divina taliter absque licentia diœcesani celebrantur, aut ipsius

[a] f. antiquitusve dotatis.

[b] f. dedicato.

Anno Christi 1321

ipsius loci dominus, sedis apostolicæ autoritate, seu speciali privilegio, super hoc fore prætenduntur inimici*. Quo casu, in locis illis hujusmodi celebrantes, autoritates vel privilegia, & eorum tenores, locorum ipsorum diœcesanis infra duos menses a publicatione præsentis statuti, exhibere efficaciter teneantur. Alioquin extunc Divina celebrantes in eis, indictam suspensionis pœnam ipso facto incurrant. Sacerdotes tamen, quos in oratoriis vel capellis regum, seu reginarum Angliæ, aut liberorum suorum, erectis, vel etiam erigendis, Missas celebrare contigerit, pœna prædicta nolumus coartari. Cæterum quia diœcesani in concedendis super iis licentiis, exhibentes se nimis faciles, ex sua lenitate, cum ecclesiarum parochialium injuria, jacturam inferunt animabus: omnes & singulos nostros suffraganeos exhortamur, ut ad celebrandum Divina in locis hujusmodi, non nisi personis indigentibus, & ex causis magnis & probatis, licentiam de cætero non concedant.

* Corr. muniti.

Ibid. c. 8.

VII. *De capitulis archidiaconorum.*

Excussis subditorum oneribus, in eorum quiete superiores quiescunt suaviter, & foventur in pace. Sane considerantes, quod officiales archidiaconorum, sua capitula de tribus in tres septimanas annis singulis celebrantes, per varia loca decanatuum nostræ provinciæ, illuc frequenter, quo vitæ necessaria difficulter obtineant, declinantes, ad ea rectores & vicarios ecclesiarum, in quibus hujusmodi celebrant capitula, sumptibus onerant excessive, scandali & calumniæ materiam suscitari: eo gravius facientes, quod si diebus illis per rectores & vicarios hujusmodi splendide non procurentur ad votum, ipsos vexant laboribus, quæsitisque coloribus, & causis confictis, infestant graviter & molestant. Unde præsentis statuimus deliberatione concilii, quod hujusmodi singula capitula, in loco cujuslibet decanatus dictæ provinciæ, magis insigni, & in quo communiter victualia valeant reperiri venalia, de cætero celebrentur. Quodque officiales & cæteri ordinariorum ministri, sumptibus dominorum, tam in hujusmodi celebratione capitulorum, quam in aliis actibus, quos pro suis exercent dominis, quibus ad hoc ecclesiastici deputantur redditus, peragant exercenda. Citationes autem & præfixiones ad capitula hujusmodi, locis aliis quam magis insignibus, decanatuum celebranda, & processus, quos in eis fieri contigerit in posterum, ipso jure decernimus fore nullos: ac officiales prædictos pro suorum

A negotiis dominorum expediendis, sumptus a dictis subditis exigentes indebite, seu ipsos occasione non præstationis hujusmodi sumptuum infestantes, eos ipso facto ab officio suspensos volumus remanere.

Anno Christi 1321.

VIII. *Pro apparitorum regulatione.*

Ibid. c. 9.

Apparitorum turba pestifera, subditis cumulant gravamina excessiva, dum archidiaconi locorum, in archidiaconatuum suorum singulis decanatibus apparitores B ponunt equites, qui in decanatibus hujusmodi, sub se habentes alios pedites, cum garcionibus ad malum deditis naturaliter incedentes, ad sumptus rectorum & vicariorum hujusmodi, ad quos nimis frequenter declinant, cum ipsis diutine commorantur. Quibus etiam non contenti apparitores prædicti, pecuniarum collectas in quatuor anni capitulis generalibus faciunt inter eos, agnos nihilo minus, & lanam, suis temporibus colligendo: & non conferentes C eis in collectis hujusmodi, per fas & nefas infestare procurant & malitiose vexare. Unde sacri approbatione concilii statuimus, quod singuli nostri suffraganei unum apparitorem equitem, & alium dumtaxat habeant peditem, per diœcesim eorundem: locorum vero archidiaconi nostræ provinciæ, pro suorum archidiaconatuum singulis decanatibus, unum habeant apparitorem & peditem incedentem; qui cum rectoribus, aut ecclesiarum vicariis, ultra unam noctem & diem unicam in anno, ipsorum sumptibus non morentur, nisi per ipsos invitati fuerint ad moram specialiter D ampliorem; nec in capitulis generalibus collectas in pecunia, seu aliter, de lanis vel agnis, faciant aliquales: gratis tamen eis data, cum gratiarum recipere valeant actione. Quod si plures apparitores contra hæc fuerint deputati, vel eorum aliqui præmissa temere præsumpserint violare: ipsos ab officio apparitorum perpetuo suspendimus ipso facto.

CONCILIVM AVENIONENSE anno 1326. habitum, & superius a nobis editum, in multis emendari potest E ex concilio Vaurensi anni 1368 in quo canones multi ex illo Avenionensi concilio ad verbum sunt descripti. Quæ dicta quoque velim pro Avenionensi altero anni 1337. cujus multi canones ex eodem priore Avenionensi petiti sunt.

Anno Christi 1326.

CONCILIVM LONDINENSE

A Simone Mephamo Cantuariensi archiepiscopo cum suffraganeis celebratum, anno Domini M. CCC. XXVIII.

Anno Christi 1328.

ANno Domini M. CCC. XXVIII. archiepiscopus Cantuariensis tenuit concilium provinciale Londiniis, in quo ordinavit, quod in die Parasceves, & in commemoratione animarum, ab omni servili

Ex vet. Mss. editum tomo II Côcil. Britan.

Anno Christi 1328.

servili opere cessaretur: ubi ipse & omnes episcopi A præsentes excommunicarunt, & excommunicatos esse denunciarunt, omnes illos & singulos, qui VValteron de Stapelton Exoniensem episcopum occiderunt, seu in eum manus violentas injecerunt.

Item idem archiepiscopus, de consensu concilii statuit, quod festum conceptionis beatæ Mariæ, deinceps solemniter celebraretur.

Constitutiones venerabilis patris, dominis Simonis Mepham, Cantuariensis archiepiscopi, editæ in concilio provinciali, apud sanctum Paulum Londin. mense Februarii, Anno Domini M. CCC. XXVIII.

B

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *De observatione festivitatis diei Parasceves.*
2. *De festivitate beatæ Mariæ conceptionis celebranda.*
3. *De immunitate bonorum, ad ecclesias, seu personas ecclesiasticas pertinentium.*
4. *De testamentis nativorum non impediendis.*
5. *De probationibus testamentorum.*
6. *Vt ante sententiam diffinitivam, non obstante statuto Oxoniensi, possit appellari.*
7. *De impedientibus oblationes consuetas fieri, & decimas colligere, & asportare, absque alicujus doni exactione.*
8. *De matrimonio non solemnizando, absque bannorum editione.*
9. *De defectibus domorum, ad beneficia ecclesiastica spectantium, reparandis.*

PRÆFATIO.

Zelari oportet pro Domino Deo suo ecclesiarum prælatos, qui non de sola sua sunt perditione damnandi, verum etiam de suis manibus requiret Dominus, sicut ipse ait, sanguinem subditorum, adversus eos præcipue, quos nominis Christiani titulis insignivit, & tamen professioni suæ, damnatis operibus, non desinunt adversari: ut quicquid legi Divinæ corruptis eorum moribus contraire cognoverint, gladio Spiritus, quod verbum Dei, & doctrina salutis interminant [a], & ecclesiastico sarculo disciplinæ, velut providi cultores, extirpent, virtutes inserant, moresque reforment; ut appetitus noxii, honestatis debitæ limites non excedant, sed Christiana professio libentius, magis ac magis, salutaribus semper proficiat incrementis.

[a] f. exterminent.

Hujus rei gratia, nos Simon, permissione Divina Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, in nomine sanctæ Trinitatis & individuæ, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, necessarium fore duximus statuendum, autoritate præsentis concilii, de fratrum suffraganeorum consensu, ad reformationem status ecclesiastici, in nostra Cantuariensi provincia, statutis conciliorum prius editis, ad ipsorum observationem pœnas adjicere, & quædam nova statuere, quibus jura delinquentium & salutis ubique profectus ducatur.

CAPITVLA.

I. *De observatione festivitatis diei Parasceves.*

Animarum saluti prospicere cupientes, initium ordinū * de fontibus salvatoris, ut dies illa sancta Parasceves, qua salvator noster, Dominus noster Iesus Christus, pro salute hominum, preciosam animam suam, post multa flagella, posuit in cruce. secundum ritum ecclesiæ [a], in lectione cum silentio, in oratione cum jejunio, in compunctione cum lacrimis: autoritate præsentis concilii, districtius inhibemus, ne de cætero quispiam servilibus, ipsa die, intendat operibus, vel quævis alia exerceat, quæ a pietatis cultu fuerint aliena. Per hoc tamen, legem pauperibus non imponimus, nisi [b] divitibus prohibemus, quin ad agriculturam pauperum promovendam, suffragia consueta, caritatis intuitu, subministrent.

[a] Deest celebremus, aut aliquid simile.

[b] Corr. nec divit.

C II. *De festivitate beatæ Mariæ conceptionis celebranda.*

Ad hoc, quod inter omnes sanctos, memoria beatissimæ Virginis & matris Domini, eo frequentius agitur atque festivius, quo majorem gratiam apud Deum, qui ejus conceptionem prædestinatam, ad unigeniti sui temporalem originem, & omnium salutem ordinavit, creditur invenisse: ut per hoc, salutis nostræ quamvis remota, primordia, in quibus devote D cucurrit mentibus spiritualium materia gaudiorum, devotionem in omnibus * vigeant [a] & salutem; & venerabilis Anselmi, prædecessoris nostri, qui, post alia quædam ipsius antiquiora solemnia, conceptionis solemne superaddere dignum duxit, vestigiis inhærentes: statuimus, & firmiter præcipiendo mandamus, quatenus festum conceptionis prædictæ, in cunctis ecclesiis nostræ Cantuariensis provinciæ, festive & solemniter de cætero celebretur.

[a] Corr. augeant.

E III. *De immunitate bonorum ad ecclesias, seu personas ecclesiasticas pertinentium.*

Item, omnes, qui de domibus, maneriis, grangiis, ac locis aliis ad archiepiscopos, episcopos, vel alias personas ecclesiasticas, & ad ipsas ecclesias pertinentibus, quicquam, præter voluntatem dominorum, aut permissionem, vel eorum, qui sunt hujusmodi custodiis deputati, abstrahere, consumere, vel contractare præsumpserint, abstrahi, consumi, vel contractari fecerint, vel hujusmodi abstractionem, consumptionem,

ANNO CHRISTI 1328.

sumptionem, aut contractionem, suo nomine, vel a familiaribus suis factam, ratam habuerint, sacri approbatione hujus concilii provincialis, pronunciamus, & declaramus ecclesiasticæ libertatis & immunitatis existere violatores, * in concilio Oxoniensi latam incurrere, ipso facto. Et ne hujusmodi ecclesiasticæ immunitatis violatores, occasione difficultatis citationis, evitent, sicut hactenus fieri consuevit, ne procedi valeat contra ipsos: de fratrum nostrorum, & totius concilii, consilio & assensu, decernimus, quemcunque violatorem hujusmodi, si personaliter inveniri, & tute adiri valeat, personaliter evocandum. Si vero, inveniri, vel non tute adiri valeat, tunc in domicilio suo, si quod habeat, quo tute citari possit; si vero in domicilio, quod habet, tute citari nequeat, tunc in ecclesia cathedrali ipsius domicilii; & si nullum habeat, vel non constet eum habere domicilium, tunc in ecclesia cathedrali ejusdem loci; &, si tute fieri poterit, citationem decernimus fore publice faciendam. Hujusmodi quoque citationem, in domicilio, vel in ecclesia, publice, ut præmittitur, factam, volumus, non solum in casibus prædictis, sed etiam in omni casu constitutionis domini Ottoboni, quodam apostolicæ sedis legati in Anglia, quæ incipit, Ad tutelam, sic artare citatum, ac si esset per citationem personaliter comprehensus ejusdemque citationis virtute, posse contra eum procedi ad omnem effectum, ad quem posset, si citatus personaliter extitisset. Præfatos etiam quoscunque ecclesiasticæ libertatis vel immunitatis violatores, decernimus in loco delicti, etiamsi ibidem non inveniant[a], posse tam ex officio judicis, quam ad partis instantiam, conveniri. Utrum autem hujusmodi violatores ecclesiasticæ libertatis vel immunitatis, inveniri ac tute adiri valeant, domiciliumne habeant, vel non, volunt[b] in dubio stare certificatorio illius, cui mandatur citatio facienda. Et ut in præmissis casibus, & in aliis, injuriam passi, justitiam debitam facilius consequantur: districte, hoc sacro approbante concilio provinciali, præcipimus, quod omnes judices ordinarii nostri Cantuariensis provinciæ, se invicem, sine qualibet difficultate, juvent in citationibus & executionibus faciendis, ac quibuscunque mandatis licitis exequendis.

[a] Cor. inveniantur.

[b] Corr. volumus.

IV. *De testamentis natiuorum non impediendis.*

Item, omnes illi, qui ascriptitiorum, vel aliorum servilis conditionis testamenta, vel ultimas voluntates, quovis modo im-

A pedierint, contra consuetudinem ecclesiæ Anglicanæ hactenus approbatam, per excommunicationis sententiam compescantur.

V. *De probationibus testamentorum.*

Item, quod locorum ordinarii, insinuationem testamentorum, & commissionem administrationis bonorum defunctorum, per cautelas exquisitas, contra hujusmodi executores testamentorum, ut ab eis eo citius pecuniam extorqueant, seu, ut dicitur[a], reddiderunt hactenus onerosos: statuimus, B quod, pro insinuatione testamentorum pauperis, cujus inventarium bonorum centum solidos sterlingorum non excesserit, nihil penitus exigatur.

[a] Corr. sicut dicitur.

VI. *Ut ante sententiam diffinitiuam, non obstante statuto Oxoniensi, possit appellari.*

Item, quia in concilio Oxoniensi, quoddam dicitur statutum emanasse, quo, inter cætera, prohibetur, quod a nullo gravamine judiciali, ante diffinitivam sententiam, C frivole appelletur, quod omnes advocati, & procuratores ejusdem consistorii, ad observationem hujusmodi statuti, astringi debeant vinculo juramenti; pœnis etiam aliis ipso statuto contentis, si contra id venerint, affligendi: nos hujusmodi statutum, quod, etsi colore verborum superficialiter pallietur, ad auferendum tamen expressis appellationis remedium, realiter extitit introductum, & quicquid ex eo, vel ob id fuerit subsecutum, penitus reprobamus: & omnes, qui ad observationem statuti præstiterint juramentum, absolvimus ab eodem. D

VII. *De impedientibus oblationes consuetas fieri, & decimas colligere, & asportare, absque alicujus doni exactione.*

Item, quia quidam maledictionis filii, in nubentium solemniis, mulierum purificationibus, mortuorum exequiis, & aliis, quibus ipse Deus, in ministrorum suorum personis, solebat oblationum libamine populariter honorari, ad unius denarii, & al- E terius modicæ quantitatis oblationem, populi devotionem restringere sunt moliti; residuum oblationis fidelium, pro suis libitis, vel alienis usibus, multoties applicantes: alii vero non attendentes, quod noster omnipotens, cujus est terra, & plenitudo ejus, & universi qui habitant in ea, decimas, in signum universalis dominii, sibi reddi præcepit, & pro suo cultu easdem clericis assignavit, aliquando malitio-

ANNO CHRISTI 1328.

se impediunt, impedirive faciunt vel procurant, viros ecclesiasticos, ad quos spectat perceptio decimarum, eorumve servitores, quo minus liberum ingressum, vel egressum, in prædia, & a prædiis, de quibus hujusmodi decimæ proveniunt, habere possint, pro ipsis decimis colligendis, custodiendis, vel quo voluerint, abducendis: alii etiam, nisi prius chirotecæ, vel caligæ, seu quicquid aliud, eis dentur, vel promittantur, decimas hujusmodi asportant & consumunt, asportari consumive faciunt, seu aliquod damnum inferunt, inferive faciunt in eisdem. Alii insuper, viros ecclesiasticos, ea occasione, quod in foro ecclesiastico prosequuntur, vel antea fuerint prosecuti, malitiose attachiant, vel indicant attachiari, indictari, judicari, aut eis alia gravamina inferri faciunt, vel procurant. Nos igitur, perversorum damnabilibus consiliis salubre remedium apponere cupientes, nihil novum statuentes, sed antiquorũ canonum statuta in medium deducentes, universos & singulos hujusmodi instigatores, & impeditores, & alios supradictos, per quorum nefandas machinationes, ecclesiæ, vel ipsarum rectoribus, vel vicariis, aut ministris quicquam damni infertur, aut subtrahitur honoris, & commodi consueti, præsentis declaratione concilii, pronunciamus universos & singulos, in præmissis vel eorum aliquo in posterum delinquentes, vinculo excommunicationis involvi; reservata loci diœcesano absolutione eorum, præterquam in mortis articulo, quousque ipsorum ministerio in contrarium laborante, ecclesiis fuerit popularis devotio efficaciter restituta, ac viris ecclesiasticis sic læsis, de hujusmodi excessibus plenarie satisfactum.

VIII. *De matrimonio non solemnizando, absque bannorum editione.*

Item, quia ex contractibus matrimonialibus, absque bannorum editione præhabita initis, nonnulla pericula proveniunt, & manifestum est in dies provenire: omnibus & singulis suffraganeis nostris præcipimus statuendo, quod decretalem inhibitionem, qua prohibetur, ne qui matrimonium contrahant, bannis non præmissis, in singulis ecclesiis parochialibus, sive diœcesibus pluribus, diebus solemnibus, cum major populi affuerit multitudo, exponi faciant in vulgari, ipsamque faciant firmiter observari, quibusvis sacerdotibus etiam parochialibus, qui contractibus matrimonialibus, ante solemnem editionem bannorum initis, præsumpserint interesse, pœnam suspensionis ab officio per triennium infligendo; & hujusmodi contrahentes, etiam si nullum subsit impedimentum, pœna debita percellendo. Quivis etiam sacerdos sive sæcularis, sive regularis extiterit, qui solemnizationi matrimonii, extra ecclesiam parochialem, absque episcopi loci diœcesani speciali licentia, celebrari præsumpserit, aut interesse, per annum integrum, ab officio sit suspensus.

IX. *De defectibus domorum, ad beneficia ecclesiastica spectantium, reparandis.*

Item statuimus, quod mala inquisitio, super defectibus domorum, vel aliorum ad beneficium ecclesiasticum spectantium, de cætero facienda, valeat in alterius præjudicium, nisi fiat per viros fide dignos, in forma juris juratos, ipso ad hoc primitus evocato: integram vero æstimationem defectuum in domibus, & aliis ad beneficium spectantibus, repertorum, sive per inquisitionem, vel per viam compositionis facta extiterit, loci diœcesanus, in reparationem ipsorum defectuum, converti faciat, infra competentem terminum, ipsius arbitrio moderandum.

CONCILIVM EBORACENSE

ANNO CHRIST 1367.

A Ioanne archiepiscopo, cum suffraganeis celebratum, anno Domini M. CCC. LXVII.

TITVLI CAPITVM.

PRÆFATIO.

Ioannes permissione Divina Eboracensis archiepiscopus, Angliæ primas, &c.

Officii nostri debitum exequimur, dum ea quæ decus ecclesiæ provehunt, & salutem respiciunt animarum, necnon excessus & abusus subditorum restringunt & reprimunt, salubriter ordinamus.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

De negotiationibus, placitis ſæcularibus, & ludis, in eccleſia non faciendis.

VOlentes itaque quibuſdam erroribus & abuſibus, quos in eccleſia invaleſcere cernimus, pro viribus obviare: in primis exemplo Chriſti, qui ſanctam eccleſiam, domum ſuam peculiarem, non negotiationis ſed orationis domum voluit nominari, nolens negotiationes, in quibus quilibet nititur proximum ſuum decipere, ibidem exerceri, ementes & vendentes ejecit de templo, ne domum ſuam facerent domum fraudis & ſpeluncam latronum: firmiter inhibemus, ne quis in eccleſiis, aut earum porticis, ſeu cœmeteriis, vel aliis locis ſacris, diebus Dominicis & feſtivis, forum rerum venalium teneat, vel mercatum, nec ullam in eis negotiationem exercere præſumat; nec etiam placita ſæcularia teneantur in eiſdem, nec in ipſis fiant luctactiones, vel ludi, qui cauſam vel occaſionem patrare poterunt peccati, diſſenſionis, odii, ſive pugnæ; ſed quilibet catholicus illuc reverenter accedat ad orandum, & peccatorum veniam humiliter implorandã.

II. *De vitandis in eccleſia exceſſibus, tum in vigiliis ſanctorum, tum in defunctorum exequiis.*

Et quia ſæpe contingit, quod quidam in ſanctorum vigiliis conveniunt in eccleſiis, qui Divinis ibidem deberent vacare obſequiis, vel in exequiis defunctorum oraturi, converſi in ſenſum reprobum, ludis noxiis, & vanitatibus, & quandoque pejoribus, intendunt, Deum & ſanctos, quos ſe venerari ſimulant, graviter offendentes; & in defunctorum exequiis de domo luctus & orationis, domum riſus faciunt & exceſſus, in animarum ſuarum periculum per quam grave: diſtrictius inhibemus, ne aliqui venientes ad hujuſmodi vigilias, & exequias, præſertim in eccleſiis, hujuſmodi ludos aut turpitudines, vel alia in errorem vel peccatum ducentia, faciant vel exerceant quovis modo; ſed ſtudeat quilibet ſic veniens humiliter & devote facere, propter quod hujuſmodi vigiliæ & exequiæ fuerunt ordinatæ. Omnibus & ſingulis rectoribus, vicariis, & aliis quibuſcunque beneficia eccleſiaſtica obtinentibus, firmiter injungentes, quatenus inſolentias & exceſſus hujuſmodi, in ſuis eccleſiis, cœmeteriis, & locis condedicatis, per ſuſpenſionis & excommunicationis ſententias, fieri & exerceri canonice inhibeant & compeſcant, ſub pœna viginti ſolidorum, quos ab ipſis rectoribus, vicariis, & beneficiatis, quoties & quando circa executionem hujuſmodi conſtitutionis, in præmiſſis vel aliquo præmiſſorum, ipſos

A contigerit negligentiam commiſiſſe, fabricæ eccleſiæ noſtræ cathedralis volumus applicari: ac perpetratoribus dictorum exceſſuum, ingreſſus eccleſiæ, cujus honeſtatem polluere nitebantur, ſit eo ipſo penitus interdictus: & ipſis ad audiendum Divina officia, & ſacramenta eccleſiaſtica percipiendum, aditus non pateat in eadem, quouſque ſatisfecerint de commiſſis.

III. *De ſtipendiis presbyterorum.*

Item quia in caſibus, quibus per jura
B prius edita ſufficienter providetur, promulgatione novarum conſtitutionum, ſeu juriũ non eſt opus: nos ſtatuta ſynodalia temporibus prædeceſſorum noſtrorum promulgata, recenſentes, invenimus in eiſdem, per conſtitutionem quæ incipit: Item ſtipendia presbyterorum unius anni taxanda quinque marcarum, in ditioribus tamen eccleſiis, juxta ipſorum facultates ſibi volumus uberius provideri; & per conſtitu-
C tiones bonæ memoriæ VVilhelmi de la Zouche, immediate prædeceſſoris noſtri, de presbyterorum ſtipendiorum ſalariis, de capellanis ad ſerviendum curæ animarum, de aliis miniſtris aſſumendis, bene & rationabiliter provideri: ipſas ordinationes, ſeu conſtitutiones, ex abundanti innovamus, diſtricte præcipientes, quod ſecundum vim, formam & effectum earumdem, inviolabiliter obſerventur; & ut conſtitutiones ſynodales veras habeant in futurum, quarum tenores tales ſunt.

1. VVillelmus, permiſſione Divina &c. Paſtora-
D lis officii tunc debitum credimus exercere, dum ſubditorum noſtrorum utilitati, vigilanti ſtudio proſpicimus, pariter & quieti. Sane conſiderantes nuper, & diligentius attendentes, difficultates & exceſſus, quos capellani ſtipendiarii, ſuper convectione & perceptione ſtipendiorum ſuorum annualium, propter defectum & caritatem capellanorum hujuſmodi, & exiſtentium his diebus, & impediverunt hactenus & fecerunt, ac impediunt & faciunt in præſenti; volenteſque & diligentius affectantes, difficultates & exceſſus hujuſmodi refrænare, ac etiam moderare, quantum cum Deo poterimus in hoc caſu, ut ſic utilitati ſubditorum noſtrorum, capellanos hujuſmodi ſtipendiarios conducere volentium,
E valeat provideri; ac exceſſus & difficultates hujuſmodi, quatenus nobis poſſibile fuerit, extirpentur: de juriſperitorum conſilio nobis aſſiſtentium, ac deliberatione præhabita pleniori, ordinandum duximus, & etiam ſtatuendum, quod omnes & ſinguli capellani, tam retroactis temporibus ordinati, quam etiam in poſterum ordinandi, infraſcriptis ſtipendiis, ſub pœna annotata inferius, ſint contenti. Videlicet, quod quilibet capellanus, etiamſi parochialis eſſe debeat, ultra ſummam ſex marcarum, in pecunia numerata, vel valore ejuſdem ſummæ in aliis rebus, pro ſtipendio ſuo annuali, a quoquam non percipiat quovis modo. Quæ quidem ſtipendia, conſideratis conſiderandis, præſertim caritate capellanorum ſic durante, ſufficientia exiſtere dinoſcuntur. Inhibentes univerſis & ſingulis capellanis hujuſmodi, ordinatis & ordinandis,

ne quisquam eorum, sub pœna suspensionis a celebratione Divinorum, per unum annum, ultra summam sex marcarum prætaxatam, pro suo annuali stipendio, percipere præsumat aliqualiter in pecunia, vel valore. Si fecerit, dictam suspensionem, ipsum sic percipientem incurrere decrevimus ipso facto.

2. Vniversis insuper rectoribus, & singulis ecclesiarum prælatis, vicariis, & aliis quibuscunque personis ecclesiæ, capellas, cantarias, oratoria, hospitalia, seu beneficia ecclesiastica quæcunque, infra nostram diœcesem obtinentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna quadraginta solidorum, eleemosynæ nostræ applicandorum, similiter inhibemus, ne in ecclesiis, capellis, cantariis, hospitalibus, seu aliis beneficiis suis hujusmodi, quenquam capellanum stipendiarium Divina celebrare permittant, nisi nomine stipendii sui annualis de summa V I. marcarum hujusmodi contentaret. Quibus omnibus & singulis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna consimili, inhibemus, ne quenquam capellanum hujusmodi stipendiarium, de cætero ad celebrandum Missas, anniversarias, seu peculiares in ecclesiis, capellis, cantariis, oratoriis, hospitalibus, aut locis ecclesiasticis quibuscunque dictæ nostræ diœcesis, aliqualiter admittant, seu celebrare permittant, priusquam ecclesiis parochialibus locorum hujusmodi, de capellanis parochialibus, pro stipendiis prætaxatis, primitus sit provisum. Et, ne ordinationes, inhibitiones, & statuta nostra hujusmodi, per non usum, sed abusum, effectu careant & vigore: volumus & ordinamus in his scriptis, quod in singulis synodis Paschæ, & S. Michaelis, in ecclesia nostra Eboracensi celebrandis, ac aliis temporibus opportunis, annis singulis, inquisitio fiat & habeatur diligens & exacta; ad effectum, ut præmissa non observantes, pœnis infrascriptis, & aliis, prout expedire videbitur, canonice puniantur. Per præsentes tamen ordinationes & statuta nostra, quæ, propter instantem caritatem capellanorum, emittimus, & facimus publicari, constitutioni synodali, super perceptione stipendiorum capellanorum conductitiorum, pridem editæ & promulgatæ, non intendimus, nec volumus derogare.

IV. *De nutricibus parvulos suffocantibus.*

Item, cum ex eo, quod mulieres, & nutrices parvulorum, quos enutriunt, in lectis suis incaute juxta se collocant, provenit frequens & dolenda nimis oppressio, seu suffocatio hujusmodi parvulorum, & sic inde procedit mortis occasio, unde vitæ consumptio sperabatur: inhibemus, ne patres, vel matres, nutrices, aut alii quicunque custodiam parvulorum habentes, ipsos secum in lectis ponant, vel cubiculis suis, sed seorsum in cunabulis, vel aliis locis securis, ubi timor suffocationis hujusmodi non superit, illos collocent, vel faciant collocari; seu lac ipsis parvulis ministrando, somnum super ipsorum cunabula arripiant quoquo modo.

V. *De persoluendis decimis.*

Item, licet Deus & Dominus, cujus est terra & plenitudo ejus, gratiosa dispensatione universa disponens, plebi suæ terram colendam concesserit & regendam, reservando decimas frugum, & operum suorum ...... pro sacerdotibus & Levitis ad ministrandum in ecclesiis, in sortem Domini prælectis; virtute cujus Divinæ reservationis, rectores ecclesiarum & personæ ecclesiasticæ, decimas garbarum, & rerum aliarum, infra commissas sibi parochias existentium, libere percipiunt, & eas per eadem loca, de quibus & per quæ Domini prædiales novem partes hujusmodi garbarum cariant, libere & licite cariarunt, & per alios cariari fecerunt, & in possessione, vel quasi, libertatis hujusmodi, fuerunt dicti rectores & personæ ecclesiasticæ per tempus, cujus contrarii memoria non existit, pacifice, continue & quiete. Quidam tamen sanctæ matris ecclesiæ filii degeneres, & ingrati, factam eis cælestem gratiam de novem partibus minus debite ponderantes, per exquisitas malitias & impedimenta nituntur personas ecclesiasticas, Christi ministros, in libera perceptione decimæ partis diversimode impedire. Quidam enim ipsas decimas libere percipere, & eas per vias & itinera, per quæ cariari consueverant, "abduci, & per longos circuitus & nocivos, eos malitiose cariari compellunt: quidam etiam garbas expositas, & signatas pro decima, non permittunt a suis terris cariari, quamdiu in illis quicquam de bladis remanet eorumdem, ac ipsas decimas a suis & aliorum bestiis scienter & fraudulose conteri tolerant & consumi; ac ipsos rectores ad ordinandum de hujusmodi decimis non permittunt, in Divinæ majestatis offensam, violationem notoriam ecclesiasticæ libertatis, ac dictorum rectorum & personarum ecclesiasticarum damnum non modicum & gravamen, ac aliorum perniciosum exemplum. Cupientes igitur, prout ex officii nostri debito astringimur, contra malitias & injurias hujusmodi, in Dei & ecclesiæ suæ contemptum nequiter irrogatas, salubriter providere: præsenti oraculo firmiter inhibemus, ne quis, cujuscunque fuerit conditionis, status, aut gradus, ecclesiarum rectores, seu alias personas ecclesiasticas, eorumve servientes & ministros, quo minus decimas garbarum, fœni, & aliarum rerum quarumcunque, sibi & ecclesiis suis pertinentes, ubicunque & quandocunque obvenientes, absque consumptione animalium, & alia quacunque diminutione earumdem

" Deest prohibent.

rumdem voluntaria & damnosa, integraliter & libere possint percipere, apprehendere, & per omnia loca, per quæ novem partes cariantur, & consueverant cariari, & vehiculis commodius cariari, abducere, & de illis, pro suæ voluntatis arbitrio, disponere impediant vel perturbent, nec impedire vel perturbare faciant, vel procurent, sub pœna excommunicationis majoris, contra omnes & singulos contravenientes, quam ipsos incurrere volumus ipso facto.

VI. *De alienationibus & donationibus non faciendis in præiudicium ecclesiæ, regis, & creditorum.*

Item, corruptela pessima, per quorumdam versutias & calliditates adinventa, in nostris diœcesibus & provincia........ quod quidam viri ecclesiastici, prælati, & alii quos ordo clericalis includit, & nonnulli laici, dum mortis periculum approximare recogitant, universa bona sua, seu quotam eorum, tam immensam inter vivos donare, seu aliquo modo alienare præsumunt, quod nedum ecclesia, sed rex, & C alii creditores, quibus hujusmodi alienantes, dum vixerint, fuerunt ex variis causis astricti, & efficaciter obligati, suis actionibus & persecutionibus sunt exclusi: uxores & liberi de portione bonorum, de consuetudine seu jure eis debitorũ, irremediabiliter defraudantur. Nonnulli etiam talibus ægrotantibus in extremis assistentes, hujusmodi alienationes fieri malitiose suadent, & temere inducunt, eosque a libera voluntate testandi, versuta sapientia, nequiter & callide avertunt. Ex quibus solita & legitima testamenti factio transiit ut D plurimum in abusum ecclesiarum, juribus & persecutionibus aliorum prædictorum indebite seu malitiose derogatur. Vnde provida deliberatione provincialis concilii, in domo capitulari ecclesiæ nostræ Eboracensis celebrati, prohibitum extitit sub præcepto, ne hujusmodi alienationes seu donationes, quocunque colore vel ingenio, fierent in futurum. Et quia, ut docet experientia, generalis prohibitio legis, malitiæ deditos a mali ..... executione non revocat, nisi specialis pœnæ formidine propensius compescantur: nos præsentis autoritate synodi, omnes & singulos hujusmodi E donationibus seu alienationibus consilium præbentes, auxilium, vel favorem, in nostra diœcesi, ingressum ecclesiæ interdicimus ipso facto. Donantes insuper, & sua bona in nostra diœcesi prædicta taliter alienantes, propter sui gravitatem excessus, ecclesiastica careant sepultura. Fraudis seu mali-

A tiæ in hoc casu eo facto probatur intervenisse conventum, quoties aliqui omnia bona sua, quocunque titulo, ut præmittitur, alienant inter vivos; vel tam immensa quantitate, quod ecclesiis, regi, creditoribus, uxori & liberis, satisfieri non poterit de residuo, sicut juris ratio exigeret, & consuetudo, si hujusmodi alienatio facta taliter non fuisset.

VII. *De habitu ecclesiasticorum.*

Item cum omnis jactantia lasciviæ corporalis, a sacro ordine fieri debeat aliena: penitus a B sacris canonibus & sanctis patribus provide prohibetur, sub pœnis gravibus & censuris, ne viri ecclesiastici, in sacris ordinibus constituti, potissime sacerdotes, quorum gestus laicis, quibus esse debent exemplum & forma vivendi, facile trahitur in exemplum, vestes deferant non nimia brevitate ridiculosas, vel notandas, nec in calciamentis quærant gloriam, vel decorem: sed in statu mentis, & habitu corporis, Deo & hominibus studeant complacere, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestas intrinseca valeat ostendi: dum tamen nihil in eis pateat, quod oculos vel aspectum intuentium offendat. Nam, secundum scripturas, incompositio corporis, qualitatem indicat mentis: & ex habitu forte indecenti, is qui gestat, vilis apparet, ac corda videntium pro facilitate judicii scandalizat. Nonnulli tamen, ut famæ & facti evidentia manifestat, & clerici in sacris ordinibus & sacerdotio constituti, propriæ dignitatis immemores, & officii, ac ordinis clericalis honorem temere prosequentes, contra sacras constitutiones & pœnas in eisdem ordinatas, vestes publice deferre præsumpserunt deformiter decurtatas, medium tibiarum suarum, seu genua nullatenus attingentes, ac contra decentiam, & clericalis seu sacerdotalis ordinis honestatem, ad jactantiam, & suorum corporum ostentationem, & morum dissolutionem, absque rationabili causa & honesta, sic deferre, & eis uti publice & communiter in dies non desistunt, in animarum suarum periculum, ordinis clericalis & ecclesiæ Dei grave scandalum, aliorumque Christi fidelium exemplum perniciosum. Volens igitur hoc sacrum provinciale concilium, insolentiis hujusmodi, & animarum periculis obviare: pœnas quascumque sive censuras in hujusmodi constitutionibus, canonibus, & statutis, quomodolibet ordinatas, contra hujusmodi delinquentes decrevit & statuit quomodolibet exequendas.

VIII. *De causis matrimonialibus.*

Item, quia nonnulli archidiaconi, decani, abbates, & alii viri ecclesiastici, jurisdictionem ecclesiasticam & cognitionem causarum matrimonialium se habere prætendentes, causas matrimoniales, quæ inter cæteras causas per discretos judices diligentius tractari deberent, & maturius terminari, personis simplicibus & imperitis examinandas & diffiniendas, modernis temporibus indistincte, contra canonicas sanctiones, & sanctorum patrum instituta, committere non verentur; hujusmodique personas insufficientes, & quandocumque laicos, in officiales, commissarios, seu custodes, cum potestate de hujusmodi causis matrimonialibus cognoscendi, præficere præsumunt, in animarum suarum grave periculum, & reipublicæ præjudicium, perniciosius deputare; ipsique officiales seu custodes, ut præmittitur, deputati, personis aliis insufficientibus & imperitis, interveniente nonnunquam notabili pecuniæ quantitate, ad cognoscendum inter certas personas de causis matrimonialibus hujusmodi, & easdem terminandum, committunt indebite vices suas, ut sic, tam officiales, quam custodes prædictos, per se & suos insufficientes commissarios, ut præfertur, in & de causis matrimonialibus, & divortii, nedum cognoscere, sed etiam sententias injustas, & multipliciter indiscretas, quas diffinitivas sententias asserunt...... præsumunt & periculosius promulgare, ex quibus nedum gravia scandala, sed etiam plurima in dies provenire pericula animarum comperimus. Nos Ioannes archiepiscopus, de consilio suffraganeorum nostrorum, & cleri nostri, in concilio nostro provinciali congregatorum, volentes hujusmodi scandalis viam præcludere &, in quantum cum Deo possumus, periculis obviare, sanctorum patrum vestigiis, & sacris canonibus inhærentes, universis & singulis archidiaconis, decanis, abbatibus, præpositis, & aliis viris ecclesiasticis quibuscunque, nostrarum civitatis, diœcesis, & provinciæ Eboracensis, jurisdictionem ecclesiasticam obtinentibus, & eorum officialibus, spiritualitatum hujusmodi custodibus deputatis, seu deputandis, interdicimus, & firmiter inhibemus; ne videlicet, ipsi archidiaconi, decani, abbates, præpositi, seu alii supradicti, aliquos in officiales, seu custodes hujusmodi, cum potestate de causis matrimonialibus, vel divortii quoad fœdus, cognoscendi, præficere vel deputare, seu eis vices suas in hac parte committere præsumant; vel ipsi officiales, seu custodes, ad cognoscendum in vel de causis hujusmodi, aliquibus vel alicui, aliis seu alii, quam viris idoneis, providis & fidedignis, habentibus juris peritiam, vel saltem competens exercitium, de causis hujusmodi judicandis, committant, seu aliquis eorum committat quomodolibet vices suas, seu per seipsos alibi, quam in capitulis per eosdem celebrandis hujusmodi causas diffinitivas decidant: sed publice in eisdem capitulis pronuncient, quod duxerint statuendum, vel sub pœna, quoad ipsos archidiaconos, decanos, abbates, præpositos, & alios viros ecclesiasticos, quocunque nomine censeantur, jurisdictionem seu potestatem sibi vendicantes, hujusmodi officiales sive custodes deputandos, suspensionis ab officio; & quoad hujusmodi officiales, vices suas in præmissis aliis insufficientibus committentes, & quoad hujusmodi commissarios insufficientes, & eas scienter admittentes, & de causis hujusmodi cognoscentes, majoris excommunicationis sententiam. Quas quidem pœnas præsenti constitutione, ut præmittitur, promulgatas, omnes & singulos qui præsenti constitutioni vel statuto, scienter, ignorantia affectata & crassa seu supina, contraire præsumpserint, & eam cum effectu non observaverint, prout superius distinguitur & plenius declaratur, incurrere volumus ipso facto.

IX. *De matrimoniis clandestinis.*

Item quamvis matrimonia clandestina, ex quibus animarum & corporum pericula solent sæpissime provenire, sacri canones, utpote sic contrahentibus & reipublicæ damnosa, prohibeant, & ea fieri sub pœnis gravibus interdicant: nonnulli tamen illicita pluries matrimonia occulte contrahere callide machinantes, ut non arguantur eorum opera mala, lucem fugiunt, tenebras affectantes, absque editione bannorum rite & licite præmissa, matrimonia per capellanos, Dei timorem & legum prohibitionem temere contemnentes, solemnizare facere, non absque gravi ecclesiæ scandalo, & periculis animarum, procurant damnabiliter & præsumunt: pœnitentias contra hujusmodi matrimonia contrahentes, celebrantes, & interessentes, latas & promulgatas, minime formidantes. Nos igitur, archiepiscopus prælibatus, de consensu suffraganeorum nostrorum, & cleri nostri prædictorum, hujusmodi capellanorum ac personarum sic contrahentium, & aliorum solemnizationem hujusmodi indebite procurantium, temeritatem & audaciam, pœnarum aggregatione reprimere cupientes: prohibemus, sub pœna excommunicationis

municationis majoris, ſuperius annotatis, quam omnes noſtrarum civitatis, diœceſis, & provinciæ prædictarum, qui huic noſtræ conſtitutioni contraire præſumpſerint, incurrere volumus ipſo facto, ne quis presbyter ſæcularis vel regularis, cujuſcunque conditionis extiterit, matrimonium clandeſtine celebrare, vel eidem intereſſe præſumat; ſed, quotieſcunque matrimonium ſolemnizandum fuerit inter aliquas perſonas, in eccleſiis, ſeu capellis parochianorum ipſorum contrahentium, fiat editio bannorum, & publice proponatur edictum per tres dies ſolemnes, competenti termino præfinito, ut infra illum terminum, qui voluerit & valuerit, impedimentum opponat; & presbyter nihilo minus inveſtiget, utrum aliquod impedimentum obſiſtat, aut quiſquam appareat reclamans in hac parte, ſeu quomodolibet contradicens. Quod ſi apparuerit contra copulam contrahendam contradictio, vel probabilis conjectura: contractus nullatenus celebretur, ſed interdicatur expreſſe; donec quid fieri debeat ſuper eo, per judicem in hac parte competentem legitime fuerit declaratum, vel alias de ſuperiore ordinare * licentia, cum contrahere volentibus, quoad temporũ interſtitia & bãnorum editionem, fuerit diſpenſatum. Quorum omnium abſolutionem, quos in pœnas hujuſmodi, vel earum aliquam incidere contigerit, præterquam in mortis articulo, quoad impedimentum hujuſmodi, nobis in noſtris civitate, diœceſi, & perſonis earumdem, & noſtris ſuffraganeis in ſuis civitatibus, & diœceſibus, vel ſuperioribus noſtris, ſpecialiter reſervamus. Sententias vero, ſeu pronunciationes, in cauſis quibuſcunque matrimonialibus, vel divortii, contra præſentis conſtitutionis tenorem quomodolibet promulgatas, decernimus irritas & inanes: eaſque omnino ſuis viribus vacuamus, ut nulla ſententia, ab hujuſmodi perſonis prolata, nomen habeat ſententiæ vel effectum. Salvis ſemper conſtitutionibus bonæ memoriæ Otonis, apoſtolicæ ſedis dudum in Anglia legati, de hujuſmodi cauſarum cognitione provide promulgatis, & aliis quibuſcunque conſtitutionibus, canonibus & ſtatutis, ſuper præmiſſis editis, quibus non intendimus in aliquo derogare, ſed ea volumus & cupimus obſervare.

X. *Vt præmiſſæ conſtitutiones promulgentur & obſeruentur.*

Et ne ordinationes, conſtitutiones, & inhibitiones noſtræ ſuper omnibus præmiſſis, per non uſum, ſeu abuſum, effectu, quod abſit, careant: volumus, ordinamus, & omnibus ſubditis noſtris, ſub pœna prædicta mandamus in his ſcriptis, quod in ſingulis capitulis, in ſingulis decanatibus celebrandis, in civitatibus, & aliis locis, & temporibus opportunis, præmiſſa omnia & ſingula legantur, & ſolemniter publicentur per decanos; & quod annis ſingulis, ſuper præmiſſis inquiſitio fiat & habeatur diligens & exacta; ad effectum, ut præmiſſa non obſervantes, pœnis ſupraſcriptis, & aliis, prout videbitur expedire, canonice puniantur. Et, ne rectores, vicarii, & alii ſubditi noſtri de clero & populo, præmiſſorum ignorantiam prætendere valeant in futurum: injungimus omnibus & ſingulis rectoribus & vicariis, in virtute obedientiæ, & ſub pœnis prædictis, quod ipſi, & eorum ſinguli, veras copias de omnibus præmiſſis, infra duos menſes a tempore primæ publicationis earumdem eis factæ, habeant & recipiant, & ea omnia & ſingula in omnibus & ſingulis articulis obſervent, ac parochiis & ſubditis ſuis, ſingulis diebus Dominicis, publice intiment & exponant, ſicut pœnam ultionis canonicæ voluerint evitare.

In quorum omnium teſtimonium, ſigillum noſtrum fecimus his apponi. Datum apud Thorp juxta Eboracum, quoad conſignationem, penultimo die menſis Septembris, Anno Domini M. CCC. XLVII*. & conſecrationis noſtræ XV.

*Cor. LXVII

G. C. Provinciale hoc eſſe concilium, conſtat ex cap. 7. 8. 9. Eſſe autem celebratum anno Chriſti M.CCC.LXVII. ex eo habemus, quod adſcriptus ſit annus XV. conſecrationis Ioannis archiepiſcopi, qui ſedere cœpit anno M. CCC. LII. Itaque levi mutatione litterarum pro LXVII. in Anglicana editione ſcriptum erat XLVII.

Ad finem concilii additur modificatio capitis X. in hunc modum.

Statutum modificatum in concilio provinciali.

SCiendum eſt, quod iſtud ſtatutum poſtea in uno alio concilio provinciali fuit modificatum, & reſtrictum, ut non incurratur excommunicatio, niſi in certis caſibus: videlicet quod contrahentes, ſcientes legitimum impedimentum, etiamſi in bannorum editione nihil objiciatur, ſunt excommunicati. Item contrahentes, abſque editione bannorum, matrimonium ſolemnizari facientes ſunt excommunicati, ac etiam presbyter ſolemnizans. Item, ubi contrahentes faciunt ſolemnizari matrimonium, ubi objectum eſt impedimentum in editione bannorum, ipſo impedimento prius non diſcuſſo, ſint excommunicati. Item, compellentes capellanum per metum ſolemnizare matrimonium clandeſtinum. Item capellanus, non edens banna per tres dies ſolemnes, & matrimonium ſolemnizans, vel poſtea apparet impedimentum. Item, contrahentes contra interdictum eccleſiæ. In iſtis caſibus ſunt excommunicati ipſo facto, & non in aliis.

CONCILIVM NARBONENSE

A Petro archiepiscopo cum suffraganeis & aliis celebratum, die XV. April. anno Domini M. CCC. LXXIV.

Illustrissimi Bosqueti Monspeliensis episcopi beneficientiam, qui nobis hujus concilii copiam faciebat, Baluziana editio anteveitit.

INDICTIO CONCILII.

Petrus miseratione Divina sanctæ primæ sedis Narbonensis archiepiscopus & primas, venerabili fratri A. eadem gratia Electensi episcopo suffraganeo nostro, vel ejus vicariis generalibus in ipsius absentia, salutem & sinceram in domino caritatem.

INter assiduas curas & solicitudines, quæ ministerio nostro incumbunt, de salubri statu ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum piorum locorum, nostrarum civitatis, diœcesis, ac provinciæ, necnon & gregis Dominici nobis commissi: solicite cogitare nos convenit, ut in ipsis vigeat tranquillæ beatitudo quietis; pacisque, salutis, & libertatis gratia nutriatur: & quæ in eisdem, non absque dispendio ministrorum, & cultus detrimento Divini, servari novimus, per appositionem congrui moderaminis in melius reformemus. Et tandem * officii nostri debitum, in actibus dirigendis veritatem imitantes, lucem amantes, libenter evitare nodosæ ambiguitatis volucrum * anhelamus: illamque semper in nostris ordinationibus servare cautelam intendimus, ut de ipsis proveniat commodum, adeo quod aliis non immineat detrimentum.

*f. Et secundum off. n. d.

*f. involucrum.

Cum igitur pro observatione sacrorum canonum, corrigendis excessibus, & reformatione vitæ & morum cleri & populi, ac quibusdam aliis arduis negotiis, civitatem, diœcesim, & provinciam, nostras, necnon & libertatem ecclesiasticam tangentibus, super quibus ad debitam provisionem una vobiscum & aliis suffraganeis nostris intendimus, concedente Altissimo, interponere solicitudinis nostræ partes, præsertim cum tangatur communiter status ecclesiarum & monasteriorum, aliorumque piorum locorum, nostrarum civitatis, diœcesis, ac provinciæ prædictarum, provinciale concilium ordinavimus & determinavimus convocandum, videlicet die xv. mensis Aprilis proxime futuri, apud civitatem nostram, & in ecclesia sancta nostra metropolitana, scientes quod super hoc sumus per sanctissimum in Christo patrem ac dominum nostrum summum pontificem, dominum Gregorium papam XI. per suas apostolicas & patentes litteras exhortati, immo ab eodem mandatum habuimus speciale & expressum. Eapropter vos tenore præsentium monemus, & etiam exhortamur, ut una nobiscum die & loco prædictis, in dicto provinciali concilio, Deo prævio, celebrando, ad quod præfatos diem & locum, cum diebus sequentibus quos ad hoc continuare vel prorogare contigerit, vobis præcise & peremptorie assignamus, personaliter comparere curetis: vosque ad id præsentium tenore citamus. Mandantes vobis insuper, quatinus interim citetis & peremptorie, autoritate nostra, & tempore congruo, omnes & singulos abbates, præpositos, decanos, archidiaconos, archipresbyteros, & priores ecclesiarum regularium & sæcularium, ac etiam administratores, procuratores, & negotiorum gestores aliorum piorum locorum, necnon alias personas ecclesiasticas regulares & sæculares, cujuscunque status, ordinis, religionis, & conditionis existant, qui debent & consueverunt in conciliis interesse de usu, consuetudine, vel de jure, ut personaliter; capitula vero, & collegia, & conventus vestrarum civitatis & diœcesis, per procuratores, syndicos, seu œconomos idoneos, ad hoc legitime & specialiter constitutos cum sufficienti & speciali mandato, in ipso provinciali concilio compareant dicta die: inibi continue moraturi, donec ea quæ in dicto concilio tractanda fuerint, ad honorem Dei, provisionem ecclesiarum & monasteriorum, profectum animarum, & utilitatem subditorum provinciæ antedictæ; per dicti concilii providentiam finem debitum sortiantur. Et ne ipsi seu alii quicunque, quos præsens tangit seu tangere potest negotium, ignorantiam quovis modo valeant prætendere de præmissis: præsentes nostras litteras, seu earum transsumptum in forma publica conscriptum, in vestra ecclesia, & alibi ubi expediens vobis videbitur, interim sæpius & frequenter publicare & denunciare curetis. Præcipientes vobis ulterius, & auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa, ut ante dictum concilium, synodum vestram loco & tempore debitis & honestis, celebretis, ad honorem Dei & ecclesiæ suæ sanctæ: in quâ de agendis in dicto concilio, super corrigendis excessibus, supplendis defectibus, ac utilitatibus ecclesiasticis promovendis, & aliis necessariis, prout expediens vobis visum fuerit, deliberare & tractare debite valeatis.

Vt autem superfluitatum & pomparum inanium jactantiam præcludamus: vobis tenore præsentium inhibemus, sub virtute sanctæ obedientiæ injungentes, ne ultra decem equitaturas, & duos saumerios sive gerulos, pro vobis & vestra familia adducatis, cum ad dictum provinciale concilium venietis; abbatibus vestræ diœcesis injungentes ex parte sedis apostolicæ atque nostra, quod ultra quinque equitaturas ad plus, & unum saumerium seu gerulum, secum adducere non præsumant; cæteri vero qui venire tenentur, cum paucis & moderatis expensis veniant: si vos, & abbates prædicti, & etiam alii, reprehensionis nostræ aculeos de inobedientia volueritis evitare. Reddentes præsentes litteras portitori præsentium sigillo vestro impendenti sigillatas in signum receptionis earum.

De omnibus vero & singulis præsentationibus, publicationibus, atque citationibus, quas fieri facietis, volumus quod faciatis recipi, & ex causa, unum vel plura publica instrumenta.

Datum sub sigillo nostro impendenti & signeto, in castro nostro de Montillis, die prima mensis Februarii, anno nativitatis Christi M. CCC. LXXIV.

Eodem modo scriptum est P. episcopo Elnensi & cæteris suffraganeis.

In eundem modum scriptum est capitulo ecclesiæ Narbonensis, capitulo ecclesiæ Magalonensis, capitulo ecclesiæ Elnensis, capitulo ecclesiæ Nemausensis, capitulo ecclesiæ Carcassonensis, archipresbyteris, & rectoribus, ac hospitalibus pauperum civitatis & diœcesis Narbonensis, & exemptis provinciæ Narbonensis.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

CONSTITVTIONES PROVINCIALES

editæ in concilio provinciali celebrato per reverendissimum in Christo patrem & dominum, dominum

minum Petrum miseratione Divina sanctæ primæ sedis Narbonensis archiepiscopum & primatem, cum suis suffraganeis, suoque Narbonensi & aliarum ecclesiarum cathedralium capitulis, abbatibus, collegiis, & aliis personis ecclesiasticis, præsentibus, etiam exemptis totius provinciæ vocatis & legitime citatis secundum bullas apostolicas, prout infra, aut eorum procuratoribus legitimis, die xv. mensis Aprilis, cum x. diebus sequentibus & continuis; anno Domini M. CCC. LXXIV. Indictione duodecima, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Gregorii, Divina providentia papæ XI. anno quarto, in ecclesia sancta sua Narbonensi.

COPIA PRIMÆ BULLÆ

Super concilio provinciali celebrando.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Narbonensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Licet pro observatione sacrorum canonum, corrigendis excessibus, & reformatione morum, præsertim cleri, sit a sanctis patribus institutum quod metropolitani cum suis suffraganeis non omittant provincialia concilia celebrare: quia tamen celebratio hujusmodi fere ubique terrarum, quod dolenter referimus, longis temporibus est negligenter omissa, propter quod idem clerus ab honestate sui primævi status non modicum excidit, multipliciterque in devium declinavit: nos de opportuna reformatione illius cogitantes, non videmus quod hujusmodi reformatio possit citius & efficacius fieri, quam per novas celebrationes conciliorum provincialium prædictorum: ut super observatione antiquorum institutorum, novisque casibus in clero sæpius evenientibus manifestis, in eisdem conciliis opportuna remedia præbeantur. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatinus provinciale concilium tuæ provinciæ, in quo conveniant tecum suffraganei tui, & alii ecclesiarum & monasteriorum prælati dictæ provinciæ, ad id soliti convocari, infra sex mensium spatium, post præsentationem præsentium tibi seu publice apud ecclesiam tuam factam, studeas in ipsa ecclesia tua, vel alibi infra dictam provinciam, celebrare, ubi per te ac eosdem suffraganeos, de iis quæ erunt ad laudem Dei, ac pro reformatione vitæ & morum cleri & populi, necnon pro necessitatibus & commodis ecclesiarum, aliorumque piorum locorum, provida examinatione tractetur & etiam statuatur, prout tu & iidem suffraganei videritis expedire: ad apostolicam sedem pro ejus autoritate ac favoribus, ubi opportunum fuerit, recursuri. Et ut dicti suffraganei venientes ad hujusmodi concilium, de agendis in eo sint plenius informati: volumus, quod eis mandes ex parte nostra, quod ante ipsum concilium studeant suas synodos celebrare, in eis super corrigendis excessibus, supplendis defectibus, ac promovendis utilitatibus ecclesiasticis, plenius tractaturi. Secuturis vero annis hujusmodi concilium convoces & celebres, prout in sacris canonibus est statutum. Nobis de convocatione & celebratione hujusmodi, cum eas feceris, ut sciamus si hujusmodi mandato nostro parueris, rescripturus.

Datum Avinioni II. Kal. Iulii, pontificatus nostri anno tertio.

COPIA SECUNDÆ BULLÆ

Ut venire compellantur exempti ad concilium provinciale.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Narbonensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Dudum tibi scripsisse recolimus, ut pro observatione sacrorum canonum & moribus reformandis, provinciale concilium tuæ provinciæ celebrare deberes. Attendentes itaque statui dictæ provinciæ expedire, ut ad dictum concilium etiam exempti ipsius convocentur, fraternitati tuæ convocandi autoritate nostra ad dictum concilium, hac vice duntaxat, omnes & singulos prælatos exemptos ecclesiarum & monasteriorum omnium ejusdem provinciæ; cujuscunque dignitatis, status, & ordinis existant, dilectis filiis abbatibus, prioribus, & prælatis aliis Cisterciensis & Carthusiensis ordinum, duntaxat exceptis, contradictores quoque autoritate prædicta, appellatione postposita compescendi, non obstantibus exemptionibus, & quibuslibet aliis privilegiis & litteris apostolicis, ac statutis & consuetudinibus monasteriorum & aliorum ordinum quorumcunque contrariis, juramento, confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, etiamsi de eis eorumque totis tenoribus plena & expressa esset in præsentibus mentio facienda, aut si eisdem prælatis, vel alicui seu aliquibus ipsorum, a sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu extra vel ultra certa loca ad concilia hujusmodi evocari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem, plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem.

Datum Avinioni XVI. Kal. Ianuarii, pontificatus nostri anno tertio.

COPIA BULLÆ TERTIÆ.

Quod exempti, etiam ordinis Cisterciensis, ad concilium nostrum provinciale venire compellantur.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Petro archiepiscopo Narbonensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum tu una cum venerabilibus fratribus nostris tuis suffraganeis, ac aliis prælatis & personis ecclesiasticis tuarum civitatis, diœcesis, & provinciæ Narbonensis, tibi & eisdem suffraganeis subjectis, concilium provinciale de speciali mandato nostro, prout jam incepisti, debeas celebrare, & in hujusmodi concilio de utilitate & bono communi exemptorum, sicut de aliis, tractare debeas & etiam ordinare: nos de circumspectione tua plurimum in Domino confidentes, convocandi ad hujusmodi concilium quoscunque prælatos, & alias personas ecclesiasticas, sæculares & regulares, etiam Cisterciensis ordinis, exemptas, civitatis & diœcesis ac provinciæ prædictarum, ipsosque ad veniendum ad concilium ipsum per censuram ecclesiasticam compellendi, exemptionibus, privilegiis, ac litteris apostolicis, ipsis, aut eorum locis sive ordinibus a sede apostolica vel alias qualitercunq; concessis, etiãsi de ipsis &

& totis eorum tenoribus esset præsentibus specialis & expressa mentio facienda, & aliis contrariis non obstantibus quibuscunque, fraternitati tuæ autoritate apostolica plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem. Per hoc autem ipsis prælatis & aliis personis exemptis, eorum exemptionibus & privilegiis nullum alias volumus præjudicium generari.

Datum Sallonii Arelatensis diœcesis, xv. Kal. Iulii, pontificatus nostri anno quarto.

COPIA LITTERÆ CLAUSÆ

Missæ per dominum nostrum papam super concilio provinciali.

Quod exempti omnino venire teneantur & etiam interesse.

Venerabili fratri nostro Petro archiepiscopo Narbonensi Gregorius &c.

VEnerabilis frater, vidimus &c. Quantum autem ad congregandum provinciale concilium, de quo tuis in scriptionibus subjungebas: placet nobis & quod ad illud exempti quicunque de dicta tua provincia venire & interesse debeant, legitimo impedimento cessante: super quo tibi fieri jussimus litteras opportunas. Quævis tuæ fraternitatis beneplacita semper nobis notificans confidenter.

Datum Avinioni, die xvi. Decembris.

TITULI CANONUM.

1. *De episcopis, qualem procuratorem ad concilium mittere debeant, si juste fuerint præpediti.*
2. *De janitoribus concilii, ubi debeant permanere.*
3. *Qualiter supplicans concilio exire debeat, quousque vocetur.*
4. *Qualiter abbates subditi, vocati ad synodum, venire teneantur.*
5. *Ut falsi & ficti, qui se asserunt apostolos, evitentur.*
6. *Qualiter ad requisitionem ordinariorum, excommunicati debeant in aliis diœcesibus publicari.*
7. *Baillivia, & scribania ad prælatos spectantes, ad voluntatem non ad vitam conferantur.*
8. *Ne quis bona quæcunque in ædem sacram deposita, sub banno deponere, seu alias intromittere se præsumat.*
9. *Prælati, in vita vel in morte, ecclesia cui præsunt, vel præfuerint, certam capellam relinquant, ad summam designatam.*
10. *Quam portionem curati ecclesiarum habere debeant in deposito funere, quousque in electa sepultura tumuletur.*
11. *De pœna inflicta personis capientibus vel detinentibus clericos, libere non restituentibus eosdem.*
12. *Pœna impedientium episcopum & suos, quin de causis ad forum ecclesiasticum quovis modo spectantibus cognoscat, & super ipsis informationes in quacunque parte diœcesis faciat.*
13. *Ut clerici negotiationes illicitas non exerceant.*
14. *Ut beneficiati animarum curam habentes, Missas celebrare teneantur.*
15. *De blasphematoribus.*
16. *Pœna contra non revelantes blasphematores Dei, beatæ Virginis, & sanctorum, infra xv. dies.*
17. *Pœna contra usurpantes, invadentes, & detinentes bona & jura ecclesiastica, & personarum ecclesiasticarum.*
18. *Licitum sit presbytero, cuicunque sacerdoti idoneo, etiam curam animarum non habenti, confiteri.*
19. *De indulgentiis concessis corpus Christi associantibus cum infirmis portatur.*
20. *Qui nuncios curiarum nostrarum ecclesiasticarum impediunt, quo minus mandata curiæ libere exequantur, gravissime puniantur.*
21. *Contra diffidantes personas ecclesiasticas & earum bona, sive guerram eisdem hostiliter facientes.*
22. *Clandestinum matrimonium extra diœcesim contrahentes sine licentia rectoris parochialis ecclesiæ, excommunicentur, & alias extraordinarie puniantur.*
23. *Quod quæstores quicunque, sine litteris ordinariorum minime recipiantur, nec ad prædicandum admittantur.*
24. *De eligendis personis idoneis ad audiendam rationem de pecuniis receptis a clero.*
25. *Quod puniantur facientes donationes in fraudem laicorum.*
26. *Ut nullus excommunicatum seu interdictum aliquem ad sepulturam admittat.*
27. *Indulgentia orantibus pro domino nostro papa & rege concessa.*
28. *Confirmatio constitutionum a prædecessoribus nostris editarum.*

PRÆFATIO.

INter cunctas solicitudines, quæ insident cordi nostro, pastorale officium nos astringit, ut super gregem Dominicum superna dispositione specialiter nobis commissum, illam quæ ars est artium habeamus præcipuam, videlicet curam & regimen animarum: ne illum lupus rapax, serpens antiquus, humani generis inimicus invadat; ejusque sanguis, quod absit, de nostris manibus exquiratur. Quantum enim nobis ex alto permittitur, debemus virtutes inserere, pacem quærere, scandala evitare, jurgiorum materiam amputare, juraque illibata servare, & intelligere super egenum & pauperem, quia oblivio eorum non erit, & patientia pauperum non peribit in finem. Voluntarios siquidem labores amplectimur, curis solicitamur continuis, & assidua meditatione pensamus, ut juxta creditæ nobis dispensationis officium, subditorum commodis, in quorum prosperitate utique lætamur, jugi, quantum est nobis possibile, solicitudinis studio intendamus: ut in extremo & tremendo examine, ante tribunal æterni judicis Iesu Christi filii Dei duplicatum talentum & creditum reportemus, & ad regnum Patris ejus, cum benedictis & grege nobis commisso, pervenire feliciter valeamus.

Igitur nos Petrus miseratione Divina sanctæ primæ sedis Narbonensis archiepiscopus & primas, Sicardus Biterrensis, Petrus Carcassonensis, Ioannes sancti Poncii Tomerarium, Arnaldus Electensis, & Hugo Agathensis, episcopi præsentes, & procuratores venerabilium fratrum nostrorum absentium Petri Magalonensis, Bernardi Uticensis, Ioannis Lodovensis, Petri Elnensis, & Ioannis Nemausensis, episcoporum, cum venerabili capitulo nostro Narbonensi, in ipsa sancta nostra metropolitana Narbonensi ecclesia provinciale concilium, ut juris & moris est, & antiqui patres statuerunt & sanxerunt, celebrantes, cum procuratoribus aliorum etiam venerabilium capitulorum nostrorum absentium, abbatibus, capitulis, prioribus, collegiis,

legiis, & aliis plurimis personis ecclesiasticis, exemptis & non exemptis, etiam mendicantibus, & aliorum ordinum quorumcunque nostræ Narbonensis provinciæ, ad hæc invitatis, vocatis, & legitime citatis, tam autoritate apostolica, quam nostra metropolitana, constitutiones nostras infra scriptas pro subditorum nostrorum salute animarum, & profectu & quiete ecclesiasticæ libertatis, de ejusdem concilii unanimi consilio & assensu, ad laudem, honorem, & gloriam Divini nominis, facimus, ordinamus, promulgamus, & ducimus promulgandas: quas, & contenta in eis, per omnes subditos nostros, & alios quoscunque in jurisdictione nostra, & cujuslibet civitatis & diœcesis provinciæ nostræ Narbonensis, habitantes vel existentes, nunc & in perpetuum teneri volumus irrefragabiliter & servari.

CANONES.

I. *De episcopis, qualem procuratorem, ad concilium mittere debeant, si juste fuerint præpediti.*

Prov. 11. CUm, testante Sapientis sententia, *salus sit ubi multa consilia*, & copiam sani consilii nequaquam coartari expedit, sed extendi: idcirco sub virtute sanctæ obedientiæ episcopis suffraganeis nostris injungimus, ut cum venire * ad ipsa concilia, fuerint legitime impediti quo minus ad ea personaliter venire possint, procuratores speciales viros discretos & habiles destinare procurent. Et idem faciant alii, qui ad dicta concilia consueverunt, debent, & possunt evocari.

* *f.* vocati

II. *De ianitoribus concilii, ubi debeant permanere.*

Item statuimus, quod quandocunque provinciale concilium infra nostram provinciam celebrari contigerit, janitor aut quisvis alius officialis, cujus præsentia in concilio memorato nequaquam necessaria seu opportuna existit, extra januam maneat: qui per præsidentem eidem concilio deputetur.

III. *Qualiter supplicans concilio exire debeat quousque vocetur.*

Item si contingat aliquem prælatum, vel canonicum alicujusvis metropolitanæ, cathedralis, aut collegiatæ, ecclesiarum de dicta provincia, seu alium quemcunque, circa negotium aliquod nobis supplicare vel requirere: idem supplicans vel requirens, supplicatione vel requisitione sua proposita, recedere ac de concilio exire teneatur, dum concilium super petitione hujusmodi discutiet atque deliberabit.

IV. *Qualiter abbates subditi vocati ad synodum venire teneantur.*

Cum non passim quicunque sint ad-

A mittendi vel deputandi ad ardua, sed industria in talibus sit diligentius exquirenda: præsentis autoritate concilii duximus statuendum, ut episcopi, abbates eis subjectos, ad synodos suas per censuram ecclesiasticam venire compellant. Vel si forsan legitimo impedimento detenti fuerint, quo minus personaliter ad illas accedere possint: procuratores destinent speciales, expertos, idoneos, & discretos, & de ipsorum ordinibus, si ibi sufficientes existant, cum patentibus & apertis litteris eorundem.

B

V. *Ut falsi & ficti, qui se asserunt apostolos, evitentur.*

Cum quidam, qui se dicunt apostolos, & religiosos se fingunt, extiterint suis exigentibus demeritis per sanctam sedem apostolicam excommunicationis vinculo innodati; & post, dum per orbem incedunt vagabundi, in multis malis fuerint deprehensi, sintque periculosi homines circa fidem: volumus, & etiam ordinamus, quod ubicunque infra nostram provinciam inventi fuerint, capiantur, & diœcesanis, in quorum diœcesibus capientur, remittantur examinandi, corrigendi, & etiam puniendi, ut juris fuerit & etiam rationis.

C

VI. *Qualiter ad requisitionem ordinariorum, excommunicati debeant in aliis diœcesibus publicari.*

Item statuimus, quod ex quo per episcopum, vicarium, seu ejus officialem, aut alium per eos seu eorum alterum deputatum, contra aliquem vel aliquos, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententia fuerit promulgata & publicata; & exinde exigente rebellione ac inobedientiæ duritia per decem dies, extiterit solemniter & publice aggravata: licitum sit eisdem, & ipsorum cuilibet, hujusmodi autoritate concilii, cæteros episcopos & prælatos, vicarios & officiales eorundem, requirere, ut ipsius sententias, quarum tenores & clausas declarent in scriptis, in suis districtibus & diœcesibus servent, & faciant diebus ad hoc congruentibus publicari. Et prælati, vicarii, & officiales alii, super hoc requisiti, obtemperare teneantur.

D

E

VII. *Bailliviæ & scribaniæ ad prælatos spectantes, ad voluntatem, non ad vitam, conferantur.*

Statuimus quod nullus, nostrum, nec prælatus quisvis alius, seu capitulum vel conventus alicujus ecclesiæ cathedralis vel collegialis, provinciæ nostræ, vel aliqua

ANNO CHRISTI 1374.

aliqua alia singularis persona, etiam de ipso capitulo, vel collegio, seu conventu, baillivias, scribanias, seu alia officia ad nos seu dignitates, vel beneficia nostra, vel aliarum personarum ecclesiasticarum, spectantia, possit de cætero alicui personæ concedere ad ejus vitam. sed ad beneplacitum duntaxat concedentis, vel concedentium eorumdem. Concessio vero in contrarium facta, nullius valoris existat.

VIII *Ne quis bona quæcunque in ædem sacram deposita sub banno deponere, seu alias intromittere se præsumat.*

Item universos & singulos dominos temporales, senescallos, officiarios, judices, & alios quoscunque, cujuscunque status, præeminentiæ, vel dignitatis existant, qui bona apud ædes sacras deposita vel reposita receperint, arrestaverint, saisiverint, vel occupaverint, seu banniverint, & qui scienter recipi, arrestari, & saisiri mandaverint, & qui scienter talia occupata, saisita, seu arrestata receperint, & qui in prædictis scienter dederint publice vel occulte consilium, auxilium, vel favorem, autoritate præsentis concilii excommunicamus, & excommunicatos ex nunc, ut ex tunc, haberi volumus ipso facto, & excommunicatos præcipimus publice nunciari.

IX. *Prælati in vita vel in morte, ecclesiæ cui præsunt, vel præfuerint, certam capellam relinquant ad summam designatam.*

Cum ob honorem Dei & cultus Divini, ecclesiæ, maxime cathedrales, pulcris pollere debeant ornamentis: idcirco sacro approbante concilio statuimus, quod quilibet nostrum, scilicet nos archiepiscopus & episcopi suffraganei nostri, in vita unam capellam integram de pulcris pannis nobilibus, ecclesiæ cathedrali, cui præfuerint vel præsunt, conferre & dare, vel centum florenos auri pro eadem emenda relinquere, teneantur: & ad hoc sint ejus bona quæcunque obligata.

X. *Quam portionem curati ecclesiarum habere debeant in deposito funere, quousque in electa sepultura tumuletur.*

Desiderabiliter affectantes, ut parochiales ecclesiæ, quæ maternos imitantur affectus, piis in Domino suorum defunctorum parochialibus juribus non priventur: declarando statuimus, quod per illos, apud quorum ecclesias seu cœmeteria, defunctos ipsos extra loca obitus transferendos deponi continget, de funeralibus & legatis eisdem parochialibus ecclesiis respondeatur, ac si in ipsis in quibus corpus est depositum sepulturam perpetuam elegissent.

XI. *De pœna inflicta personis capientibus vel detinentibus clericos, libere non restituentibus eosdem.*

Cum de jure dubium non existat, quin capientes & detinentes clericos, & mandantes capi absque licentia sui judicis ecclesiastici, sint eo ipso majori excommunicatione ligati; & mandantes seu detinentes hujusmodi, peccato peccatum accumulent, cum ipsos captos relaxant, suo judici ecclesiastico remissione non facta: volentes peccata hujusmodi cohibere, & indemnitati libertatis ecclesiasticæ & jurisdictionis ecclesiæ providere, inhærentes vestigiis & statutis antiquis prædecessorum nostrorum, & statuta eorum renovantes, volumus & statuimus, quod si dominus temporalis, aut quivis alius jurisdictionem temporalem exercens, requisitus per curatum ecclesiæ, in cujus parochia clericus capietur, vel etiam detinebitur, seu per alium ecclesiastici judicis nomine, libere, nulla facta financia seu compositione, & nil in persona vel habitu hujusmodi clerici immutato, clericum ipsum in habitu & tonsura clericali existentem non restituerit judici ecclesiastico, seu deputato ab eo, ex tunc, absque alterius expectatione mandati, cessetur a Divinis in parochia in qua hujusmodi clericus capietur; & etiam in qua captus detinebitur, tamdiu & quousque idem clericus plene, decenter, & libere, fuerit judici ecclesiastico restitutus.

XII. *Pœna impedientium episcopum & suos, quin de causis ad forum ecclesiasticum quovis modo spectantibus cognoscat, & super ipsis informationes in quacunque parte diœcesis faciat.*

Item cum episcopus in quacunque parte suæ diœcesis jurisdictionem spiritualem habeat, quæ esset delusoria, si non posset in loco quolibet ipsius diœcesis, non exempto, libere exerceri: nihilo minus tamen nonnulli domini temporales, suique judices, ac etiam alii jurisdictionem exercentes temporalem, judices ecclesiasticos impediunt, quo minus jurisdictionem exerceant super causis tam criminalibus quam civilibus ecclesiasticis, quorum correctio, punitio, & cognitio, ad ipsum judicem ecclesiasticum, tam de jure, quam etiam de antiqua & approbata consuetudine, noscitur pertinere, contra salutem animarum suarum jurisdictionem ecclesiasticam impediendo:

ANNO CHRISTI 1374.

diendo: propter quod sententias contra tales a jure & etiam a statutis provincialibus promulgatas incurrunt. Volentes saluti animarum suarum, & etiam libertati ecclesiasticæ salubriter providere, antiqua statuta superiis alias edita renovantes: excommunicamus tales, ut præmissum est, jurisdictionem ecclesiasticam impedientes, & in præmissis, seu aliquo præmissorum, delinquentes, ac in iis publice vel occulte dantes consilium, auxilium, aut favorem: præcipientes, eos excommunicatos publice nunciari, donec impedimenta hujusmodi amota fuerint cum effectu, & beneficium absolutionis meruerint obtinere.

XIII. *Vt clerici negotiationes illicitas non exerceant.*

Item cum indecens & inhonestum sit, & periculosum existat, personis ecclesiasticis, officium negotiationis exercere, & eidem inhærere: statuimus & ordinamus, ut personæ ecclesiasticæ a negotiationibus illicitis quibuscunque desistant. Quod si non fecerint, ad arbitrium ordinarii sui puniantur: pœnis contra tales in jure expressis, in suo robore permanentibus quibuscunque.

XIV. *Vt beneficiati & animarum curam habentes, Missas celebrare teneantur.*

Item cum secundum jus, ratione officii detur beneficium, & ratione beneficii quilibet Deo servire teneatur; &, ut intelleximus, sint nonnulli presbyteri, etiam curam animarum habentes, qui in anno vix unam Missam celebrant, in grande ipsorum animarum periculum & gravamen: idcirco volumus, & præsentis concilii autoritate statuimus, ut quicunque beneficium cum cura animarum obtinens, & qui in posterum obtinebit, ad minus in mense quolibet semel Missam celebrare teneatur, nisi ex causa sufficienti & legitima excusetur. Per hoc autem non intendimus dispensare cum illis, qui ex institutione suorum beneficiorum, seu ordinatione, ad plurium Missarum celebrationem sunt adstricti.

XV. *De blasphematoribus.*

Item cum peccatum sit laxare linguam in blasphemiam Dei, & redemptoris domini nostri Iesu Christi, sancti Spiritus, beatæque Mariæ semper virginis, & sanctorum; & sint nonnulli, ut intelleximus, qui in Deum Patrem, & in unicum ejus Filium dominum nostrum Iesum Christum, ac Spiritum sanctum, beatamque Mariam semper virginem, seu sanctos ejus, blasphemiam proferre non verentur. quod cedit in

A ipsorum blasphemantium animarum non modicum periculum & gravamen, & scandalum audientium: idcirco hoc sacro approbante concilio statuimus & ordinamus, ut curati infra nostram provinciam constituti, diebus Dominicis parochianos suos utriusque sexus moneant & exhortentur, ut a blasphemiis abstineant, si indignationem Dei Patris, & ejus Filii domini nostri Iesu Christi, & beatæ Virginis gloriosæ, & ultionem nostram voluerint evitare. Quod si prædictis monitionibus non obtemperaverint, sed in blasphemiam in Deum Patrem, seu ejus Filium, & Spiritum sanctum,
B beatam Mariam semper virginem, seu sanctos Dei, linguam laxare præsumpserint: ex tunc autoritate præsentis concilii pœnis juris subjiciantur, quæ per ordinarium ecclesiasticum executioni demandentur. Et si clerici fuerint, ad arbitrium ordinarii acrius puniantur.

C XVI. *Pœna contra non revelantes blasphematores Dei, beatæ Virginis, & sanctorum, infra* XV. *dies.*

Item cum secundum sanctorum patrum traditiones, juris ordo confundatur, quando sua jurisdictio cuique non servatur; & cum secundum jus commune ad nos & suffraganeos nostros in nostris civitatibus & diœcesibus spectet & pertineat cognoscere de blasphemiis, & blasphemos secundum canonicas sanctiones vel alias, prout expediens fuerit, punire: hinc est, quod præsenti sacro concilio approbante, statuimus
D & ordinamus, ut curati nostræ provinciæ diebus Dominicis moneant & exhortentur omnes parochianos suos utriusque sexus ad Divina congregatos, ut quicunque qui audiet aliquem seu aliquos, aliquam seu aliquas, linguam suam publice laxantem seu laxantes in blasphemiam Dei, ejusque filii domini nostri Iesu Christi, Spiritus sancti, & beatæ Mariæ semper virginis, & sanctorum, blasphemiam & nomen blasphemantis, infra xv. dies a die prolationis blasphemiæ officiali illius diœcesis, seu ejus
E locum tenenti, in qua blasphemia dicta fuerit, revelet & revelent. Quod si non fecerint, contra scientes & non revelantes, & contra blasphemantes prædictos, & eorum quemlibet, procedetur ut juris fuerit & etiam rationis.

XVII. *Pœna contra usurpantes, invadentes, & detinentes bona & iura ecclesiastica & personarum ecclesiasticarum.*

Item recolentes, nos dudum in generali & provinciali concilio nostro pridem celebrato Biterris statutum fecisse subscriptum, negligentiam suffraganeorum nostrorum & Vide supra ann. 1251.

ANNO CHRISTI 1374.

& eorum vicariorum & officialium redarguentes in hac parte: id præcipimus & mandamus universis & singulis suffraganeis nostris, & eorum vicariis & officialibus, autoritate præsentis concilii, ut dictum statutum, quod etiam in præsenti nostro sacro concilio renovamus, executioni demandent, & demandari faciant & publicari per capellanos eis subjectos, quilibet in suis civitate & diœcesi, saltim bis in anno, & circa observantiam ejus invigilent. Cujus statuti tenor sequitur, & est talis.

Côc. Biterr. an. 1351. c. 5. » Item conciliorum provincialium, per » prædecessores nostros Narbonenses archie» piscopos eorumque suffraganeos olim fa» ctorum, vestigiis inhærentes, & certa in » aliquibus eorundem contenta, pro qualita» te & conditione temporum, prout melius » nobis visum est expediens, temperantes, » & etiam moderantes: hoc sacro approban» te concilio statuimus, & etiam ordinamus, » quod quicunque, cujuscunque conditionis » aut status existat, qui scienter & temere » quascunque res, bona, possessiones, aut » jura mobilia & immobilia aut se moventia, » quæ tamen mobilia, seu se moventia valo» rem xx. solidorum monetæ Turonensis » communi æstimatione excedant, ecclesia» rum sæcularium seu regularium, aut quo» rumcunque religiosorum seu piorum loco» rum, sive personarum ecclesiasticarum, in» vadere, occupare, rapere, aut personas ec» clesiasticas, seu earum domos quas inhabi» tant, invadere, ferrare, seu violenter ex» pugnare vel aperire præsumpserint, nisi in» fra VI. dies a tempore invasionis, occupa» tionis, rapinæ, clausuræ, ferraturæ, expu» gnationis, & aperturæ hujusmodi, satisfa» ctionem & emendam plenariam fecerint » de præmissis: si persona singularis fuerit, » tam ipsa persona, quam quæcunque alia in » præmissis dans auxilium, consilium, vel fa» vorem, excommunicationis; si vero uni» versitas fuerit, interdicti sententias autori» tate præsentis concilii ipso facto incurrant. » Quod si prædicti infra dictos VI. dies satis» factionem de præmissis non fecerint com» petentem: ex tunc nos ordinarii prædicti, » vicarii, seu officiales nostri, & nostrum qui» libet in sua civitate & diœcesi, ubi præ» dicta attentata fuerint, postquam eis con» stiterit de præmissis, ubi ea notoria non fue» rint, super quo quilibet nostrum ordina» riorum, vicariorum & officialium, cogni» tor & executor legitimus censeatur, pote» statemque habeat cognoscendi, summarie » etiam & de plano, absque strepitu judicii » & figura, ubi ex mero officio procedetur. » Si vero notoria extiterint: procedendo in » eis sicut est de jure in notoriis proceden» dum, denuncient seu faciant excommunicatos publice nunciari, & etiam interdi« ctos. Et nihilo minus ad requestam diœce« sanorum, vicariorum, vel officialium suo« rum, in quorum diœcesi prædicta commis« sa fuerint, cæteri ordinarii & officiales di« ctæ provinciæ nostræ, præfatos excommu« nicatos & interdictos & aggravatos, si ag« gravati fuerint, in locis suarum civitatum « & diœcesum de quibus requisiti fuerint, « faciant publice nunciari. «

ANNO CHRISTI 1374.

XVIII. *Licitum sit presbytero, cuicunque sacerdoti idoneo, etiam curam animarum non habenti, confiteri.*

Vt Missæ & alia Divina officia cum puritate conscientiæ celebrentur, & ne propter defectum confessorum ea omitti contingat: indulgemus, quod quilibet presbyter possit, quotiens indigebit seu opportunum fuerit, cuilibet sacerdoti idoneo, etiam non curato, sua confiteri peccata, & absolutionis beneficium recipere ab eodem: præterquam de casibus ordinariis reservatis.

XIX. *De indulgentiis concessis corpus Christi associantibus, cum infirmis portatur.*

Si propter Christum sanctis ejus reverentia impendi præcipitur: quanto magis colendum est veneratione præcipua sacratissimum corpus ejus, qui sanctos sanctificat, ac caput est sanctorum omnium & corona! Hoc utique corpus, quod ipse solus pro nostra reconciliatione in ara crucis hostiam obtulit Deo Patri, quotidie in ecclesiasticis aris pro vivis & mortuis in illius passionis memoriam immolatur. Statuimus igitur & jubemus, quatinus omnes & singuli priores, rectores, atque vicarii ecclesiarum, nostrarum civitatis & diœcesis ac provinciæ, parochianos suos, præsertim in Missarum solemniis, inducere studeant, ut hujusmodi sanctissimo corpori, cum per presbyterum defertur infirmo in viaticum ministrandum, reverenter assurgant, illudque devote sequantur, ac cum luminarium adhibitione honorent. Et ut ad hoc alliciantur vehementius spiritualium stipendiis præmiorum: omnibus qui sanctissimum corpus ipsum sequentur sine lumine, diurno tempore vel nocturno, xx. dies; omnibus vero cum luminaribus dictum sacratissimum corpus sequentibus, vel luminaria mittentibus, de die, xxx. de nocte vero, XL. dierum indulgentiam de injunctis eis pœnitentiis, dummodo vere pœnitentes & confessi fuerint, vel infra quindecim dies inde tunc sequentes existant, misericorditer in Domino relaxamus.

XX.

XX. *Qui nuncios curiarum nostrarum ecclesiasticarum impediunt quo minus mandata curiæ libere exequantur, gravissime puniantur.*

Cum justitiæ jus suum cuique tribuenti & ministris ipsius ac reipublicæ plurimum detrahatur, si processus ipsorum ministrorum contingat iniquorum machinationibus impediri: nos volentes talium justitiæ cultum impedire nitentium ausus temerarios timore disciplinæ ecclesiasticæ cohibere, provisione præsentis concilii duximus statuendum, quod si quis, cujuscunque conditionis aut status existat, delegatos, subdelegatos, commissarios, nuncios, aut executores nostros vel suffraganeorum nostrorum, officialium & vicariorum, seu eorum loca tenentium, vel vices gerentium, aut litteras vel alias scripturas judiciales, nostras, vel suffraganeorum, vicariorum, & officialium prædictorum, deferentes, hac occasione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, vulnerare, aut interficere, mutilare, seu litteras vel scripturas prædictas auferre, seu eas rumpere, cancellare, aut alias destruere quoquo modo, vel ablatas celare, seu deferentes compellere ad frangendum, vel, ut eorum verbis utamur, ad manducandum litteras hujusmodi vel scripturas, aut qui prædicta vel aliquid prædictorum fieri procuraverint, aut facientibus dederint auxilium, consilium, vel favorem, autoritate præsentis concilii excommunicationis sententiæ subjaceant ipso facto: a qua, nisi prius judici juriæ, cujus autoritatem contempserint, & passo injuriam, ac cæteris quorum interest, prout excessus exegerit atrocitas, satisfecerint, nullatenus absolvantur.

XXI. *Contra diffidantes personas ecclesiasticas & eorum bona, sive guerram eisdem hostiliter facientes.*

Ad reprimendam audaciam perversorum clericos & personas ecclesiasticas diffidantium, seu procurantium diffidari, eorumque homines vel loca eorum, seu guerram facientium: præsenti sacro approbante concilio statuimus, & etiam ordinamus, quod omnes & singuli clericos aut personas ecclesiasticas diffidantes, seu diffidari procurantes, aut eorum homines, vel loca, seu * prædictos clericos aut personas ecclesiasticas, præcedente vel non præcedente diffidamento quocunque, guerram facient, seu eosdem clericos aut personas ecclesiasticas, vel homines, sive dicta bona ipsorum, per modum guerræ, seu hostiliter, aut alias cum turba, seu hominibus coadunatis, ex proposito invaserint, damnificaverint, necnon omnes & singuli qui

* *f. addendum*, in

A eis circa prædicta dederint auxilium, consilium, vel favorem, autoritate præsentis concilii excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. Et si præfatam excommunicationis sententiam per xv. dies a diffidatione guerræ, & hostili impugnatione, & damnorum datione, satisfactione condecenti non facta, animo sustinuerint seu sustinuerunt indurato: ex tunc autoritate præsentis concilii, in eorum terris cessetur a Divinis, si quas habent in provincia nostra.

XXII. *Clandestinum matrimonium extra diœcesim contrahentes, sine licentia rectoris parochialis ecclesiæ, excommunicentur, & alias extraordinarie puniantur.*

B Statuimus, quod quæcunque persona, quæ pro matrimonio clandestino solemnizando parochiam suam exiens, ipsum matrimonium solemnizaverit sine licentia judicis, vel proprii sacerdotis, & qui in præmissis præsentiam suam associando exhibuerit, ipso facto excommunicationis sententiam incurrat, & tamdiu ut excommunicatus evitetur & etiam publicetur, donec ad arbitrium judicis ecclesiastici, C presbytero ecclesiæ parochialis satisfecerit, in cujus injuriam hoc attentare præsumpserit, & absolutionem meruerit obtinere.

XXIII. *Quod quæstores quicunque sine litteris ordinariorum minime recipiantur, nec ad prædicandum admittantur.*

De quæstoribus autem ecclesiarum, hospitalium, vel pontium, & aliorum quorumcunque, alias duximus statuendum, & statuimus præsentis concili autoritate: D quod sine nostris vel episcoporum litteris, aut vicariorum, aut officialium nostrorum, non recipiantur: & tunc ad prædicationem non admittantur, sed ad expositionem ipsorum tantum quæ in nostris vel eorum litteris continentur. Et si prædicare præsumpserint: taliter corrigantur, quod cæteris transeat in exemplum.

XXIV. *De eligendis personis idoneis ad audiendum rationem de pecuniis receptis a clero.*

E Item statuimus, & autoritate præsentis concilii ordinamus, quod in singulis diœcesibus provinciæ nostræ, in hiemali synodo eligantur duo viri ecclesiastici, quibus in sequenti synodo hiemali ratio reddatur de receptis & levatis per thesaurarium episcopi, vel quemcunque alium, ad recipiendum & levandum pecuniam debitam per clerum suæ diœcesis, ratione legatorum

ANNO CHRISTI 1374.

torum, nunciorum sedis apostolicæ, vel alia quavis causa, per ipsum episcopum deputatum, seu etiam deputandum.

XXV. *Quod puniantur facientes donationes in fraudem laicorum.*

Item ad nostrum pervenit auditum, quod nonnulli clerici soluti, & tam in minoribus quam in sacris ordinibus constituti, & etiam religiosi aliqui, sibi procurant donationes rerum immobilium fieri in fraudem, ut bona sic eis donata, ad contributionem talliarum laicorum pro rata non teneantur. Nos igitur talibus fraudibus obviare volentes: hoc sacro approbante concilio prohibemus, ne hujusmodi donationes in fraudem, ut præmittitur, recipiant. Quod si fecerint, volumus & ordinamus, ut per judicem suum ecclesiasticum, cum de prædicta fraude sibi constiterit, ad solutionem talliarum pro rebus eisdem donatis compellantur.

XXVI. *Ut nullus excommunicatum seu interdictum aliquem ad sepulturam admittat.*

Item statuimus, quod quicunque presbyter, cujuscunque conditionis existat, etiam religiosus, nullum tam per statuta provincialia aut synodalia, quam per litteras nostras seu suffraganeorum, vel alias excommunicationis sententia innodatum, seu interdictum, postquam sibi de excommunicatione seu interdicto constiterit, admittat ad ecclesiasticam sepulturam sine sui superioris licentia & mandato: vel probetur, ipsum ab hujusmodi excommunicationis seu interdicti sententia fuisse absolutum.

XXVII. *Indulgentia orantibus pro domino nostro papa & rege concessa.*

Item statuimus, quod per quemcunque Christi fidelem provinciæ nostræ, pro statu domini nostri summi pontificis & ecclesiæ universalis conservando, ac etiam domini nostri regis, dicantur singulis diebus duo *Ave Maria*, & unum *Pater noster.* Omnibus autem & singulis dicentibus, vere pœnitentibus & confessis, x. dies de injunctis sibi pœnitentiis in Domino misericorditer relaxamus.

XXVIII. *Confirmatio constitutionum a prædecessoribus nostris editarum.*

Cum multa sit diligentia per nostros prædecessores provisum casibus, qui solent in civitatibus & diœcesibus nostræ

A provinciæ evenire, per constitutiones legitimas provinciales, quæ ab aliquibus minus debite observantur: hinc est, quod nos omnes constitutiones provinciales alias per prædecessores nostros & per nos editas, approbamus, easque de fratrum suffraganeorum nostrorum consilio unanimi & assensu, ex certa scientia confirmamus, ac ipsas præcipimus inviolabiliter observari: nec per ista præcedentia statuta in præsenti concilio facta, aliis statutis observatis provincialibus & synodalibus intendimus in aliquo derogare, nisi in quantum prædictis essent contraria vel adversa.

ANNO CHRISTI 1374.

B

Lectæ fuerunt & publicatæ suprascriptæ constitutiones Narbonæ, in hujusmodi provinciali concilio, quadam die Lunæ, quæ fuit dies XXIV. mensis Aprilis, anno, Indictione, & pontificatu prædictis. In quorum testimonium nos P. archiepiscopus memoratus, præfato nostro concilio approbante, suprascriptas constitutiones per notarium publicum infrascriptum in hanc publicam formam redigi mandavimus, & sigilli nostri appensione muniri. Præ-

C sentibus venerabilibus patribus, dominis, Guidone Crassensi, Embrino de Caunis, Stephano de Quadraginta, Pontio sancti Tiberii, Petro Iuncellensi, Arnaldo sancti Aniani, ordinum sanctorum Benedicti & Augustini monasteriorum abbatibus, Carcassonensis, Narbonensis, Agathensis, Biterrensis, & sancti Pontii Tomeriarum, diœcesium; necnon & venerabilibus ac discretis viris, Guillermo Sigerii Baccallario de Pintiano, Petro de Mesergua licentiato in decretis, vicario perpetuo de Faberzano, Raymundo de Franchis in ecclesia sancta nostra, Stephano de Fruinhaco de Fictorio, Raymundo de Colunhacio vicario perpetuo de Perignano nostræ Narbonensis, Raymundo Palomerii de Prata, El-

D nensis diœcesis, parochialium ecclesiarum presbyteris rectoribus, Bernardo de Brolio presbytero beneficiato in ecclesia sancta nostra Narbonensi, & pluribus aliis, ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Ioannes Nigri, presbyter Morinensis diœcesis, publicus apostolica & imperiali, ac ipsius domini mei domini archiepiscopi Narbonensis & primatis, ac ipsius autoritate scriba & notarius: suprascriptarum constitutionum ordinationi, lectioni, editioni, publicationi, & omnibus aliis suprascriptis, per prænominatum dominum archiepiscopum & primatem factis, ejus sacro approbante concilio, una cum suprascriptis testibus præsens fui: ipsasque

E de ejus mandato & præfati concilij in notam recepi, publicavi, & manu propria scripsi in duobus pergamenis simul conglutinatis: & signo me signavi in fidem & testimonium præmissorum, una cum ipsius domini mei, domini archiepiscopi & primatis, appensione sigilli.

Sic verum est prout continetur. *Manu propria* ✠ P. Narbonensis.

Datum ut supra.

ANNOTATIO G. C.

Hujus concilii canones ferme omnes sumpti sunt ex concilio Vaurensi trium provinciarum, anno M. CCC. LXVIII. celebrato.

CONCILIUM

ANNO CHRISTI 1394.

CONCILIUM PARISIENSE

Ad ſedandum ſchiſma, a rege Carolo VI. convocatum IV. non Febr. anno Domini M. CCC. XCIV.

Ex hiſtoria Mſ. Caroli VI. Francorum regis, editum a D. Luca Dacherio Tomo VI. Spicilegij.

DUm ſic ad habendum pacem in eccleſia ſancta Dei, tempus legatos mittendo & remittendo teritur: Rex non immemor promiſſorum, ex cunctis oris Franciæ prælatos eccleſiaſticos, & de ſtudiis ſolemniores doctores, apicibus regiis evocavit, ad feſtum inſtantis purificationis beatæ Mariæ diem dicens, ut ſciretur qualiter horrendum ſchiſma ſopiretur. Ad latius conferendum ſuper hujuſmodi negotio tam arduo, regale palatium aſſignavit, ſtatuens ut ſpectabilis vir dominus Arnaudus de Corbeia cancellarius ſuus, cæterique alii notabiles de conſilio ſuo, quoties poſſent, ibidem intereſſent.

Quamvis ad centum & quinquaginta prælatos, qui omnes jure tituli, reſidentiæ, domicilii principalis, vel juriſdictionis ſpiritualis, in regno conſiſtebant, mandatum regium perveniſſet: multi tamen antiquitatis, vel infirmitatis cauſa, aut occaſione penuriæ rei familiaris, excuſationem miſerunt.

Qui autem mandato regio paruerunt, hic ſequuntur: videlicet patriarcha Alexandrinus, Carcaſſonæ, & Hieroſolymitanus, ſancti Pontii Thomeriarum, eccleſiarum adminiſtratores perpetui, ac Lugdunenſis, Senonenſis, Remenſis, Rotomagenſis, Turonenſis, Bituricenſis, & Biſuntinenſis, archiepiſcopi, qui in congregatione primi merito nominandi ſunt. Interfuere & Eduenſis, Matiſconenſis, Lingonenſis, Cabilonenſis, ſuffraganei dicti archiepiſcopi Lugdunenſis; epiſcopi etiam, Pariſienſis, Carnotenſis, Aurelianenſis, Autiſſiodorenſis, Trecenſis, Meldenſis, dicti archiepiſcopi Senonenſis; Catalaunenſis etiam, Tornacenſis, Morinenſis, Atrebatenſis, Ambianenſis, Noviomenſis, Silvanectenſis, Laudunenſis, Sueſſionenſis, dicti archiepiſcopi Remenſis; Bajocenſis iterum, Abrincenſis, Ebroicenſis, Lexovienſis, Conſtantienſis, dicti archiepiſcopi Rotomagenſis: Cenomanenſis, Andegavenſis, Redonenſis, Nannetenſis, archiepiſcopi Turonenſis; Mimatenſis, Anicienſis, archiepiſcopi Bituricenſis, ſuffraganei; Pictavienſis, Malleacenſis, Lucionenſis, Condomenſis, Petragoricenſis, Xantonenſis, de provincia Burdegalenſi; Aquenſis, Lectorenſis, Conſeranenſis, de provincia Auxitana; Magalaunenſis, Nemauſenſis, Vacenſis*, de provincia Narbonenſi; Appamienſis, Rivenſis, de provincia Toloſana; Valentinenſis, Gratianopolitanus, de provincia Vienneñſi; & Bethlemenſis epiſcopus.

* Cor. Vcceienſis.

Necnon Ciſtercienſis, ſancti Dionyſii, ſancti Benigni Divionenſis, montis ſancti Michaëlis, Reſbacenſis, Fiſcanenſis, de Lira, ſancti Victoris prope Pariſius, ſancti Georgii prope Rotomagum, ſancti eligii Noviomenſis, abbates. Interfuerunt etiam cum prænotatis abbatibus, & prior ſancti Martini de Campis, & Rotomagenſis, Andegavenſis, Remenſis, & capellæ Divionenſis decani; magiſtri, Petrus de Alliaco, Guillelmus de Iardino, Ægidius de Campis, Petrus Plo, Ioannes Brevis Coxæ; fratres etiam Michaël Picquier, & quidam alter, de ordine Minorum, Ioannes de Huſſaria Prior Auguſtinienſis Pariſienſis; Petrus de Conne prior de Carmelo, Dominicus Herboly de Arragonia, dicti Ordinis de Carmelo, in ſacra pagina & decretorum, magiſtri & doctores. Necnon magiſtri, Radulphus de Caradoc, Ioannes de Matiſcone, Geraldus Vagoul, Vitalis de Caſtro Morono, & ejus ſocius, ac Petrus Ianuti de ſtudiis Aurelianenſis, Toloſanenſis, & Andegavenſis, decretorum & legum doctores ſolemnes; Iacobus Boüy, Iacobus Coſſon, Guillelmus de Canteriis, Robertus de Doms, in curia parlamenti conſiliarii regii. Andreas Grangeri, Ioannes de Milliaco, Radulphus de VI.monte, etiam in curia parlamenti cauſarum patroni. Magiſtri, Robertus de Freta, Amelius de Brolio, auditores ſacri palatii Apoſtolici, & Guillelmus Bourracery licentiatus in legibus, ſocius domini epiſcopi Anicienſis Prior Carthuſienſis prope Pariſius, prior Celeſtinorum Pariſienſium; necnon Ioannes Capitis, Biterrenſis, Ioannes Placius, Agathenſis, prior prioratuum ſanctæ Columbæ de Sanardino & Volvento, Caſtrenſis, Guillelmus Chat, Lemovicenſis, Guillelmus Mimeti, Abrincenſis, Iacobus de Mauſo Guichardo, Ambianenſis, cum quodam alio, Mimatenſis, epiſcoporum vicarii & nuncii. Officialis Lugdunenſis, Bertrandus Geneſte archidiaconus Conſtantienſis, & quidam religioſus Alemannus de ordine Minorum, viri utique circumſpecti, & eminentis ſcientiæ, etiam præſentes interfuerunt.

Omnes prælati præfati, conſenſu unanimi, antequam concilium inchoarent, dominum patriarcham Alexandrinum, Simonem Cramandi vocatum, elegerunt, qui pro congregandis conſiliis, audiendis rationibus hinc & inde, determinandiſque concluſionibus, autoritate præſideret. Is decretorum doctor famoſiſſimus, ſubtilis ingenio, clarusque eloquentia exiſtens, libenti animo peragendum ſuſcepit negotium: quod tamen antequam inchoari præciperet, magiſter Petrus de Alliaco, quem Rex ad Papam miſerat, reverſus eſt: & ſuper legatione reſponſionem reportavit. Hanc, quia eſſet ſecreta, ignoramus: ſcimus tamen, quod ad requeſtam Univerſitatis, Februarii menſis prima die, in aula regali ſancti Pauli publicam audientiam adeptus, prolixe elegantiſſimoque ſermone protulit quæ in ſubſtantia ſequuntur.

Primo namque Regem, & proſapiam regalem multis laudibus extollendo, allexit ad audientiam. Et cum vias & motiva epiſtolæ Univerſitatis venerandæ ſerie tenus recitaſſet: concluſit in finalibus, quod via ceſſionis erat non modo a ſuppoſitis Univerſitatis, immo & a cunctis fidelibus, tamquam brevior, lucidior, & expedientior, eligenda. His peractis, jubente domino patriarcha, quotquot prælati Pariſius convenerant, die ſequenti in capella regalis palatii Miſſam ſolemnem celebrari fecerunt: ibique Spiritum ſanctum, in arduis ſemper coadjutorem optimum, dignum duxerunt devotiſſime inchoare.

Sequenti igitur die, cum dominus patriarcha Alexandrinus præſidens, requiſiviſſet omnibus aſſiſtentibus, quatenus per juramenta ſua jam præſtita, Deum ſolum habendo præ oculis, dicerent in hac parte quæ ſibi conſcientia dictaret: interrogati ſuper hoc ſigillatim & ſingula-

ANNO CHRISTI 1394.

singulariter fuerunt octoginta & septem ex illis qui convenerant, qui per viam cessionis eundum, & non aliter, concluserunt. Inde abhinc & usque ad diem XVIII. sua colloquia continuantes, multa ad instructionem nunciorum mittendorum tetigerunt, quæ scriptis & sub instrumento publico redigi mandaverunt, & quæ sequenter dignum duxi litteris commendare.

Quæ tacta fuerunt in concilio prælatorum.

IN instrumento prædicto habebatur: Sequuntur illa, quæ pro instructionibus dominorum ducum & aliorum consiliariorum suorum, quos Rex intendit mittere in Avinionem ad dominum Papam & dominos cardinales, quæ unanimi omnium consensu conclusa & deliberata fuerunt.

Habeantur primo pro repetitis excusationes, protestationes, & correctiones dominorum: præsupponantur inde orationes, processiones, Missæ, prædicationes, cum aliis piis operibus, quæ tamen non sufficiunt. Supponatur etiam credentia exposita mense Octobri per nuncios apostolicos domino Regi missa, & responsio tunc eis facta, & causa propter quam Rex mandavit prælatos regni sui, plures abbates, doctores, magistros, religiosos, & alios nobiles viros, ut Regi præberent consilium super requisita per Papam. Tangatur in brevi, qualiter de præcepto Regis, ante dictum tempus prælatis assignatum, materia per plures dietas fuit notabiliter & diffuse cum magna maturitate pertractata, tangendo vias omnes quæ reperiri poterant ad unionem, cum motivis ad easdem, dubiis in contrarium respondendo, & solutionibus eorum, & quæcunque in præsentia domini cancellarii Franciæ, & quorumdam notabilium de consilio Regis, & deputatorum universitatis Parisiensis.

Post adventum prælatorum recitata fuerunt eis in effectum, quæ prius disputata, prolocuta & tractata fuerant: ut quilibet eorum clarius deliberaret. Et inde de præcepto Regis examinatæ sunt opiniones singulorum per juramentum. Opinio modica loquentis fuit, & est hæc in effectu: quod primo ad viam facti nullatenus est procedendum, quoniam in infinitum periculosas induceret guerras, & dissensiones regum & regnorum, per quam etiam forsan jus habens in papatu succumbere posset: & si per hanc viam altera partium obtineret, de facto non esset finis schismatis, neque catholicorum corda sedata essent. Non enim propter hoc crederent, illum qui victoriam obtinuisset, esse verum papam. Via reductionis intrusi, regum, principum, prælatorum, & populi suæ obedientiæ, ad obedientiam domini Benedicti, non videtur possibilis, propter istorum obstinationem, schismatis diuturnitatem, promotiones prælatorum, & aliorum ecclesiasticorum virorum: & quod credendum est, principes partis adversæ in hac materia æqualitatem velle servari, maxime cum jam sit notorium ubique, tres vias per Universitatem apertas, esse satis æquales ad honorem utriusque partis. Et si Romanus intrusus simpliciter renunciare vellet (quod non est credendum) non ob hoc præfati obedientiæ suæ vellent obedire domino Benedicto: sicut si dominus Benedictus solus renunciaret, Rex & ejus subditi non obedirent intruso.

Quantum ad tres vias per Universitatem apertas, quia aliqui duxerunt sufficere de præsenti consulere Regi, quod eas notificet Papæ, sic quod unam earum eligat, vel aliam viam meliorem, aut æque bonam: videretur loquenti, quod ad præstandum Regi per suos prælatos fidele consilium, & per Regem Papæ, si una via illarum trium, vel aliqua altera, inter cæteras melior, expedientior, & brevior appareat, illa sit Regi consulenda, & per Regem, si melius in suo consilio non reperiat, Papæ exhortando est consulenda: quoniam aliter consilium esset incertum, & frustra forent prælati congregati, quoniam per epistolam Universitatis illæ tres viæ satis sunt notoriæ. Si Papa, qui vult uti consilio Regis, interrogaret ejus nuncios, quæ via de tribus aut quatuor sibi consuleretur, & consiliarii Regis non eligerent unam viam: verisimile videtur, quod illos oporteret ad Regem remitti, vel ad ipsum remittere pro certificatione viæ per ipsum consulendæ, per quæ sequeretur circuitus, in hac materia requirente celeritatem, propter animarum periculum, & alia inconvenientia tollenda, summe vitandus. Licet via concili generalis de jure præcedere videatur: non est tamen de præsenti consulenda, propter ipsius difficultatem nimiam & prolixitatem, sicut patet per rationes communes: specialiter, quoniam oporteret vocare partes & audire, dominus Benedictus haberet omnes prælatos suspectos partis adversæ, quos reputat schismaticos & excommunicatos, similiter intrusus de prælatis obedientiæ domini Benedicti: jura partium nunquam essent discussa. Et si papatus adjudicaretur uni, non ob hoc sibi jus adjudicaretur, nec crederetur esse talis per subjectos partis adversæ, sicque non haberemus unionem.

Similiter & fortius, per viam compromissi, licet per commissarios uni adjudicaretur papatus, sequerentur etiam inconvenientia supradicta. Esset etiam difficultas maxima super consiliariis eligendis & conveniendis. Videretur etiam, quod hæc materia tam spiritualis de vicariatu Iesu Christi, potestate clavium solvendi atque ligandi, & cura cunctarum fidelium animarum, in compromisso vel arbitrio cadere non potest. Et si Benedictus & intrusus compromittentes, cederent ex nunc prout ex tunc si compromissarii mediarent: talis cessio conditionalis non valeret. Quoniam sicut consensus papatui post electionem canonicam debet esse purus & simplex, non recipiens conditionem extrinsecam: sic etiam renunciatio debet esse pura ac libera, sine conditione quacunque, specialiter extrinseca: quia si apponeretur, vitiaret actum cessionis, & esset Regi verecundum, prælatis, & concilio, viam unam offerre domino Benedicto & collegio, vel etiam intruso, sive via illa esset sola, sive cum aliis viis, quæ via non esset rationabilis, & de jure sustinenda. Nec est verisimile, quod dominus Benedictus, aut intrusus, viam cessionis ponerent in compromisso: quia magis esset eis honestum libere cedere, quam per arbitrorum sententiam. Item arbitrorum sententia non parit actionem, nisi fuerit omologata, nec esset superior eorum quo[a] posset executio* finem requiri. Et licet aliqui dicerent, viam istam compromissi per aliquas rationes posse sustineri: tamen quia posset in dubium revocari (materia vero celeritatem desiderat) omnes viæ dubiæ resecari debent, exclusis disputationibus & argumentis, amplectendo

[a] Cor. a quo.

amplectendo viam claram, brevem, schismatis sedativam, conservativam æqualitatis utriusque partis, per quam conscientiæ valeant pacificari.

Sane super eo opinatur quidam, quod eligatur aliqua via differendi, donec dominus noster Benedictus nunciis regiis exposuerit unam bonam viam per ipsum deliberatam, quæ regi & toti mundo placere debebit. Nec est verisimile, dominum nostrum propter electionem melioris sibi consulendæ debere turbari, consideratis suis sanctis propositis, virtutibus, intentionibus, juramentis, per ipsum & alios de collegio in sua creatione præstitis: immo commendatos habere debebit, tanquam fideles, prælatos & alios in isto concilio congregatos.

Est etiam notandum, universitatem per modum consilii, non determinationis, unam viam elegisse: si vero prælati non eligerent & regi consulerent viam saniorem, jam videretur inter prælatos & universitatem divisio quædam. Et si, quod absit, ex fideli consilio, secundum conscientias, & per juramentum regi præstito, vel præstando, dominus noster moveretur, vel permitteret scandalum sequi aut inconveniens, quod nullatenus credi vel dubitari debet: maximum onus esset suis conscientiæ & honori. Tendimus enim ad redintegrationem & conservationem status & honoris summæ dignitatis papatus, & universalis ecclesiæ, sicut in nostris consecrationibus juramus: ad quæ tenetur astrictus plus sine comparatione, quam homo vivens. Nos enim prælati suæ personæ sumus obligati solum ratione suæ dignitatis, per consequens magis dignitati quam personæ: quia propter quod unumquodque tale, & illud magis est. Debemus igitur honorem & commodum dignitatis præferre personæ.

Concludendo & eligendo per modum oppositionis & consilii, solum attenta deliberatione religiosorum ordinis Carthusiensis & Celestinorum, & universitatis Parisiensis, & quia necesse est ecclesiæ sanctæ Dei, sub periculo desolationis ejusdem, istud detestandum schisma brevius quam fieri poterit extirpari, & ecclesiam uniri; nec viæ prætactæ, vel aliæ quæ imaginari valeant, sunt sufficientes ad veram unionem, pacem firmam, & concordiam animarum: præter viam cessionis utriusque partis, istam viam satis congruam quasi instinctu Spiritus sancti elegit, & regi consulit, per nuncios solemnes domini regis, domino Benedicto consulendam, ipsum & ejus collegium ad hanc omnibus modis cum honore & reverentia decentibus exhortando. Exponendo tamen domino nostro primitus alias vias prætactas, causas propter quas non approbantur de præsenti, & causas propter quas cessio cuilibet videtur eligenda.

In casu vero quod sic dominus rex cum dominis de genere suo, & aliis de consilio suo, sic deliberaverit: modus persequendi & procedendi posset esse talis; videlicet, quod in consistorio publice nuncii regis regratiarentur domino nostro & cardinalibus de bonis intentionibus suis, de nunciis solemnibus per papam missis domino regi, significarent etiam in genere bonam intentionem domini regis, diligentiam per ipsum adhibitam circa materiam, convocando suos prælatos & alios nobiles viros, & quod cum universitate habuit consilium, & quod nuncios misisset ad papam ad sciendum ipsius intentionem, & viam per ipsum deliberatam, prout ipse se daturum per suos nuncios regi significavit. Demum aperte & secrete nuncii regis poterunt loqui cum domino nostro, relinquentes ejus arbitrio, si prius voluerit eis viam per ipsum deliberatam aperire, vel

A audire viam ex parte regis consulendam. Et quicunque primus aperiat viam, si viæ sunt concordes, in nomine domini: si vero clare pateat nunciis regis, viam papæ, non ita convenientem sicut viam regis, vel quia eligere vellet viam compromissi, seu concilii generalis, ipsas vias impugnent secundum suas instructiones, per media prætacta, & alia satis congrua. Sed si via per papam exponenda, quæ foret alia de tribus prætactis, concilii, compromissi, vel cessionis, revocaretur in dubium, an esset melior vel æque bona (quod est incredibile, seu multum difficile) super hoc rex esset consulendus, & ejus beneplacitum expectandum.

B Restat modus executionis & prosecutionis, in casu, quo dominus noster viæ renunciationis consentiret, scilicet significare per ipsum dominum nostrum & regem regibus & principibus obedientiæ suæ, deinde per ipsum regem & alios reges principes prædictos, non autem per D. Benedictum, regibus & principibus partis adversæ, quoniam ipsius significationem gratam non haberent. Nec primo via cessionis est intruso significanda: quia principibus obedientiæ suæ malignari posset. Credendum est autem, principes & prælatos suæ partis tantum unionem desiderare, & quod ad ipsam toto posse præfatum inducent: qui si consentire refutaret, censeretur notorie fovere causam injustam, possentque contra ipsum remedia reperiri subtractionis obedientiæ,
C vel alia remedia juridica, tunc principibus consulenda. Nec videntur principes illius obedientiæ congregandi, donec aliqua via certa sibi significetur.

Non est enim verisimile, quod ipsi sub incerto convenire vellent, & etiam congregarentur. Credendum est, quod ipsi non deliberarent, nisi postquam forent ad sua regna reversi, consilium habituri tunc cum suis prælatis, clericis, & notabilibus viris, prout observat rex dominus noster.

Si diceretur, quod alii principes nuncios suos mittere possent ad regem, ut scirent deliberationem ipsius, & suis dominis referrent, &c. Respondeo quod attenta magnitudine materiæ, securius expo-
D neretur principibus aliis per nuncios regis, quam per alios, brevius etiam posset factum expediri.

Postquam principes alterius obedientiæ viæ prædictæ consenserint, & ad consentiendum eundem intrusum & suos anticardinales induxerint: appropinquarent se partes in duabus civitatibus convicinis, in limitibus duarum obedientiarum situatis, & illuc convenirent aliqui domini temporales potentes utriusque partis, cum prælatis & litteratis viris, tam ad conservandum partes & collegia libere & secure, quam etiam ad pertractandum ea quæ pro complemento negotii complenda restabunt: videlicet de absolutionibus, dispensationibus, re-
E vocationibus, confirmationibus, & creationibus de novo, in quantum fuerit opus, cardinalium, prælatorum, & aliorum beneficiatorum; necnon bona reconciliatione & pacificatione partium, cum dependentiis & connexis. Quibus omnibus concordatis, convenirent ambæ partes cum collegiis in eadem civitate completuræ pertractata: nec fieri possent ista per procuratorem, propter causas multas quæ satis patere possent intuenti.

Tractetur etiam ante renunciationem de modo & forma electionis summi pontificis. Videtur autem scribenti, ad vitandum odia cardinalium utriusque obedientiæ, qui sunt partes contrariæ, minus affe-

ANNO CHRISTI 1394.

Mendosus locus.

ctato, quælibet pars pro capite suo, cum aliis pluri- A bus causis magis expediens, & populo cujuslibet partis placens, quam pro ista vice Benedictus & intrusus de consensu collegiorum ordinarent VII. vel IX. compromissarios, probos viros, non suspectos, extra collegia, qui sine præjudicio cardinalium pro hac vice potestatem haberent eligendi, præstarent fortissima juramenta de fideliter eligendo de collegio vel extra, favore vel odio quibuscunque seclusis: & quod pro hac vice sufficeret, electum voces majoris partis compromissariorum habere. Sin autem ad hoc cardinales induci non possent, expediret eligere numerum certum utriusque collegii: qui ad electionem omnes admitterentur, & recluderentur B in conclavi secundum formam juris; hoc addito, quod sufficeret majorem partem convenire.

Nec obstat si dicatur, per istam viam conjunctionis collegiorum, plures erunt Italici, quam aliarum nationum, sicque habebimus papam Italicum, & sic Italici ex suo delicto, videlicet intrusione, præmium reportabunt. Quoniam apud Deum non est acceptio personarum: & est similiter comparatione melius habere Italicum (utinam sanctum) quam ecclesiam manere laceratam. Et si percipiant Italici, quod cæteræ nationes * ad habendum unum de suis: ipsi nitentur in contrarium, ex quo schisma novum posset suboriri.

Dubitaverunt quidam, quod si via cessionis pu- C blicetur, dicent adversarii, dominum Benedictum hanc viam consentire propter dubium sui juris: & quod Rex non tantum sibi favet, quia non est regnicola, sicut favebat domino Clementi cum multis aliis, &c. Respondeo, quod in quacunque via supervenient multa, quæ non omnes prævidere valent: sed ex quo fere per omnes hæc via cessionis reputatur sanctior, & utilior, est prosequenda, sub spe quod omnibus ecclesiæ pacem diligentibus placebit, & quod optatum sortietur effectum, quod annuat Altissimus. *Hæc monachus S. Dionysii.*

ANNO CHRISTI 1404.

CONCILIUM PARISIENSE

De privilegiis exemptorum tempore schismatis XXI. Octobr. ann. Dom. M. CCCC. IV. celebratum.

Ex Tomo VI. Spicilegii Dacheriani.

Isti articuli sequentes pro exemptis fuerunt conclusi, & deliberati per concilium ecclesiæ Gallicanæ, XXI. mensis Octobris, anno M. CCC. IV.

I. Cistercienses, Cluniacenses, & alii exempti omnes, tam regulares, quam sæculares, cujuscunque status & religionis existant, in suis absolutionibus, dispensationibus, visitationibus, correctionibus, electionibus, confirmationibus, causarum processibus & terminationibus, conservatoriis privilegiorum suorum, & aliis quibuscunque, ordines & regimina singulorum concernentibus, procedant secundum privilegiorum, statutorum, & exemptionum tenorem, & laudabiliter hactenus observatam consuetudinem, & alias prout ante modernam neutralitatem in suis regiminibus processerunt. Illi vero exempti, qui citra papam, superiorem non habent, nec privilegium super confirmatione recipienda, per diœcesanos suos confirmabuntur, cum protestationibus prout in alio quodam articulo supra continetur. Transivit in forma.

ANNO CHRISTI 1404.

II. Item eliguntur ex nunc quatuor judices Parisius residentes, cum potestate delegandi & committendi, videlicet domini, sancti Germani de Pratis, & sanctæ Genovefæ, abbates; & domini ecclesiæ Parisiensis, & sancti Germani Autissiodorensis, decani: per quos eorum tres, vel duos ad minus, quorum alter sit ipse S. Germani decanus, exemptorum omnes causæ, tam agendo quam defendendo, etiamsi prius pendebant in Romana curia, quæ per judices eorum citra sedem apostolicam terminari non solent, appellationes etiam a conservatoribus privilegiorum eorumdem interpositæ vel interponendæ, pro totius litigii consummatione, autoritate hujus concilii terminabuntur. Proviso quod in eisdem causis usque ad tres instantias, prout de jure fiunt, procedi valeat. Illi tamen exempti, qui conservatorias perpetuas non habent, in agendo procedant secundum jus commune. Transivit in forma.

III. Item dicti judices teneantur causas dictorum exemptorum, ad petitionem utriusque partis, vel alterius earum, in provincia unde causa ortum habuerit, committere juxta formam capituli, ut litigantes nec compellant partes invitas Parisius litigare. Transivit in forma.

IV. Item Mendicantes gradatim, ut cæteri religiosi, per judices suos procedant, derelictis vehementer suspectis de fautoria schismatis, & de capitulo eorum provinciali, ad judices superius nominatos recurratur. Transivit in forma.

VI. Item in casibus reservatis absolventur & dispensabuntur exempti a pœnitentiario majori, si possit ad eum recursus haberi: sin autem, a suis superioribus absolventur & dispensabuntur autoritate hujus concilii, in casibus, ac modo, & forma, quibus episcopi circa suos subditos eadem autoritate hoc possent adimplere. Qui vero superiorem citra papam non habent, ab eisdem judicibus, etiam in foro conscientiæ, poterunt modo & forma prædictis absolvi & dispensari. Transivit in forma.

VII. Item exempti habentes jurisdictionem ec- D clesiasticam, episcopalem, vel quasi, poterunt autoritate hujus concilii, suos subditos a sententiis juris & hominis, & peccatis, in foro pœnitentiali & contentioso absolvere, & cum ipsis dispensare in omnibus casibus, & sub eisdem modo & forma, quibus episcopi circa suos subditos hoc possunt autoritate prædicta adimplere, ac prout in capitulis super hoc conscriptis plenius continetur. Transivit in forma.

VIII. Item quod in monasteriis, seu abbatiis exemptis, pendente neutralitate electi, possint & teneantur, confirmationes & benedictiones suas recipere a diœcesanis episcopis, sine præjudicio exemptionum suarum pro futuro tempore: & quod hoc E expresse ponatur in litteris super hoc conficiendis ante confirmationem & benedictionem, * ex privilegio eis concesso ab aliis recipere possint. Transivit in forma.

ANNO CHRISTI 1408.

CONCILIUM PARISIENSE

De tollendo schismate.

XX. Octobr. anno Domini M. CCCCVIII. celebratum.

Hujus concilii nihil omnino superest, præter instrumentum quod subjicio, petitum ex Tomo VI. Spicilegii Dacheriani.

ANNO CHRISTI 1408.

Declaratio nominatim facta contra certos fautores Petri de Luna, super privatione beneficiorum suorum, per concilium ecclesiæ Gallicanæ.

In nomine Domini, amen.

TEnore præsentis publici instrumenti cunctis pateat evidenter, quod anno ejusdem Domini millesimo quadringentesimo octavo, Indictione secunda, mensis Octobris die vigesima, hora decima ante meridiem, ab electione Petri de Luna, ultimo in papam electi, qui dudum Benedictus XIII. nuncupabatur, anno decimo quinto, in concilio sive in congregatione reverendissimorum in Christo patrum, dominorum archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, ac per universitates, metropolitanas, & cathedrales ecclesias regni Franciæ, & Delphinatus Viennensis, deputatorum, per dominum nostrum regem mandatorum ad interessendum personaliter Parisius, die prima mensis Augusti anni præsentis, concilium ecclesiarum Gallicanæ & Delphinatus celebrandum, & tenendum super ulteriori prosecutione unionis sanctæ matris ecclesiæ, ac regimen dictarum ecclesiarum, pendente neutralitate, pro nunc in dictis regno & Delphinatu currente, cum continuatione dierum, usquequo super omnibus in deliberatione proponendis receptæ & factæ essent certæ & finales conclusiones, prout de vocatione & ordinatione nobis notariis infrascriptis fuit facta fides per organum magistri & potentis domini, domini Arnaldi de Corbeia, militis, & cancellarii Franciæ, qui pluribus diebus præsedit in concilio supradicto, præsidente tamen pro nunc reverendissimo in Christo domino Simone miseratione Divina patriarcha Alexandrino, administratore perpetuo ecclesiæ Carcassonæ, per ordinationem dicti domini nostri regis Francorum, prout nobis notariis publicis infrascriptis, per litteras patentes, sigillo suo in cera alba sigillatas, constabat.

Ipsis dominis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, universitatibus, & aliis deputatis, qui tunc aderant & interesse volebant, concilium ecclesiarum Gallicanæ & Delphinatus Viennensis celebrantibus, & ipsas ecclesias facientibus, & merito repræsentantibus, ut dicebatur: præfatus reverendissimus in Christo pater, dominus Simon patriarcha Alexandrinus, ad domini rectoris, deputatorumque universitatis Parisiensis requisitionem instantem, pluribus ante diebus in præsentia totius concilii iteratis vicibus repetitam, & ut adversus credentes, fautores, participes, & defensores, manifeste notorii expressis & explicatis nominibus dici debeant & vocari.

Et quia in præsentia & conspectu præfati concilii ecclesiæ Gallicanæ & Delphinatus, per eundem dominum rectorem quædam patens cedula lecta fuit, quæ continebat nomina & cognomina omnium illorum, quos dicta venerabilis universitas studii Parisiensis super hoc solemniter congregata, indicta congregatione generali ejusdem, reputaverit indiciis evidentioribus, & tunc reputabat veros credentes, fautores, participes, defensoresque notorios & manifestos ipsius Petri de Luna, quæ etiam pluribus ante diebus fuerat repetita: idem reverendissimus pater, volens singulorum super hoc exquirere singulariter votum, opinionem, & mentem, in deliberatione & opinionum interrogatione, posuit & sigillatim expressit, petens qui de nominatis & cognominatis prædictis in eadem cedula & scriptura pro manifeste notoriis, credentibus, fautoribus, participibus, adhærentibus & defensoribus sæpe dicti Petri de Luna schismatici & hæretici tenendi sint ex tunc, & legitime reputarentur.

Quorum omnium intentione opinionibusque discussis, Ioannes qui se facit archiepiscopum Auxitanum nominari, Petrus qui se sancti Poncii episcopum facit appellari, Ioannes quondam Cabilonensis episcopus, nunc dictus Mimatensis, abbas sancti Saturnini Tolosani dictus Condomiensis, Bertrandus de Maumont nuper Vaurensis, dictus Biterrensis, Guigo Flandrini lator, & in parte compositor damnati libelli sub nomine epistolæ Tolosanæ, præsentati Parisius cardinales, quondam Auxitanus, de Flischo, de Chalento, generales Prædicatorum & Minorum, in præfata cedula & deliberatione universitatis Parisiensis annotati, suis exigentibus demeritis, & culpis urgentibus actibusque, præfatis criminibus perseverantiæ longioris, a præfato ecclesiæ Gallicanæ concilio reputati sunt ipsius Petri de Luna schismatici, & hæretici credentes, fautores, participes & defensores notorii, manifesti, & pro talibus habiti atque tenti, ab ipsoque concilio, & domino Patriarcha, collectis opinionibus omnium declarati: de & super omnibus & singulis præmissis præfatus dominus Patriarcha, & alii quamplures, a nobis notariis publicis infrascriptis sibi fieri petierunt publicum instrumentum, unum, vel plura.

Acta fuerunt hæc in aula alta supra Sequanam regalis palatii Parisius, sub anno, Indictione, mense, die, hora & electione prædictis: præsentibus ad hæc venerabilibus & discretis viris, magistris, Guillelmo Benedicti, Nicolao Gauffrido de Perusia, Guillelmo de Brossis, Nicolao Goc, Nicolao de sancto Clario, & Guillelmo Roussellì, tam doctoribus in jure, quam magistris in artibus, cum quoque pluribus aliis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Et ego Ioannes Bourrileti, &c.

CONVENTUS FRANCOFURTENSIS

ANNO CHRISTI 1409.

Prælatorum & procerum, ubi & Robertus rex Romanorum, circa Epiphaniam, anno Domini M. CCCC. IX. celebratus in causa schismatis.

HAbetur ejus mentio a *Theodorico Niemo, lib. III. cap. 39. his verbis*: Anno Domini M. CCCC. IX. circa festum Epiphaniæ, venit dominus Landolphus cardinalis Barensis, ad Francofordiam Maguntinensis diœcesis, missus in Germaniam per dominos cardinales utriusque obedientiæ, qui tunc residebant Pisis, ad convocandum ecclesiasticos prælatos, & principes Alemaniæ, ad veniendum aut mittendum ad generale concilium Pisis celebrandum: & multum honorifice ubique locorum, per quæ in Germaniam transivit, per clerum & populum receptus fuit. Et tunc etiam ad Francofordiam, Maguntinensis & Coloniensis archiepiscopi multum potenter accesserunt. Fuit & tunc ibi rex Rupertus cum suis consiliariis, necnon Henricus dux Brunsvicensis, Hermannus Lantgravius Hassiæ, Fridericus marchio Misnensis, & Fridericus Burgravius Nurenbergensis, & multi episcopi, abbates, comites, barones, ac proceres, & plerique curiales; necnon regis Francorum, & regis Anglorum, atque de

ANNO CHRISTI 1374.

* *Antonius cardinalis nepos Gregorii Papæ, quem Errorium vocat infensus ipsi Niemus.*

de diversis provinciis & terris, insignes legati illic convenerunt ad tractandum de unione prædicta. Sed postquam ibi per sex dies steterunt: venit etiam ibi suprascriptus Antonius *, nepos & camerarius dicti Errorii, cui modica reverentia in Alemania impendebatur, quia dicebatur de ipso, quod venisset illuc ad turbandam unionem: unde communis populus Germaniæ ipsum habere videbatur exosum, salvo quod ipse rex Rupertus cum per iter quod egit cum securitate duci procuravit, & multum honoravit. Ipse autem Antonius in propria ejus persona, in præsentia aliquorum eorumdem principum & aliorum magnatum, intrando prætorium Francofordiense, in quo etiam tum ipse rex Rupertus erat præsens, valde prolixum & tædiosum fecit sermonem, in quo dictum Errorium & ejus factum justificando, dictorum cardinalium tunc Pisis existentium, & præfatum cardinalem Barensem, satis scandolose & opprobriose in publico impugnavit: adeo quod hoc ipsis principibus & aliis præsentibus, exceptis forsan eodem rege Ruperto & qui cum eo erant, displicuit vehementer, & postea infra duos dies, Rex & Antonius prædicti, & paulatim etiam alii, ad propria redierunt, concludendo finaliter, quod rex Rupertus suos, & Maguntinensis & Coloniensis archiepiscopi & marchio Misnensis prædicti, eorum ambasiatores, ad Italiam mittere vellent ad solicitandum factum unionis. Ipse vero rex Rupertus eundem Antonium secum ad Heydelbergam duxit, & ibidem multis diebus in suis expensis procuravit: & pertinaciter partem dicti Errorii fovit in omnibus.

APPENDICVLA

AD TOMVM XI.

Post editum hunc Tomum ejusque appendicem, venerunt in manus meas, illustrissimi Francisci Bosqueti Monspeliensis episcopi beneficio, concilia Bituricensia duo, alterum anni M CC. LXXXVI. auctius sub finem, quam a nobis editum est; alterum anni M. CCC XXXVI de quo nihil prius audieram Alterius additamentum, (cujus & recens mihi copia facta est ab illustrissimo Sevino episcopo Cadurcensi) alterius corpus totum, hic repræsento.

ADDITIO

AD BITVRICENSE CONCILIVM

Anni. M. CC. LXXXVI.

ANNO CHRISTI 1286.

Post canonem 35. adde sequentes duos.

XXXVI. *Vt hæc & antiqua statuta serventur.*

Hæc siquidem, quæ superius præmittuntur, inviolabiliter volumus observari: statutis utilibus antiquis hic non transfusis, in suo robore nihilo minus duraturis.

XXXVII. *Vt nonnullæ pontificum constitutiones firmiter observentur.*

Item præcipimus firmiter observari constitutiones antiquas, illas: videlicet. extr. de accusat. & inquisit. cap. *Sicut olim*, editam per Innocentium III. in concilio generali. Item aliam extr. de simonia. cap. *Quoniam simoniaca labes*, editam per dominum Innocentium III. in concilio generali. Item aliam extr. de præbendis. cap. *Grave nimis est*, editam in concilio generali per dominum Innoc. III. Item aliam extr. de statu monach. cap. *Cum ad Monasterium*, ab eodem domino Innocentio editam. Item aliam extr. de censib. exact. cap *Cum Apostolus se ac suos*, editam

A in concilio Lateranensi. Item & aliam domini Alexandri IV., contra jurisdictionem ecclesiasticam impedientes & turbantes. cap. *Quam sit gravis.*

Ad præmissorum autem omnium fidem, & majoris roboris firmitatem habendam, his statutis & ordinationibus per totum concilium factis, nos Simon Dei gratia Bituricensis archiepiscopus, Aquitaniæ primas, in provinciali Bituricensi concilio constituti, una cum venerabilibus fratribus & suffraganeis nostris G. Lemovicensi R. Rutenensi, B. Albiensi, gratia ejusdem episcopis, sigillum nostrum una cum sigillis suffraganeorum nostrorum duximus apponendum. Nos vero prænominati episcopi sigilla nostra, cum sigillo reverendi patris domini Simonis Dei gratia Bituricensis archiepiscopi primatis Aquitaniæ,
B ipsi concilio præsidentis, præmissis duximus apponenda.

Actum & datum in provinciali concilio Bituricensi, die Iovis post octavam B. Mariæ virginis, anno Domini M. CC. LXXXVI. pontificatus domini Honorii papæ IV. anno secundo.

G. C Additamentum hoc reperio quoque in summa conciliorum Ludovici Bailli, in qua quod hoc concilium non viderim prius, sed illud ex Ms. nostro codice ediderim, nescio qua mea sit ἀβλεψία factum, qui cætera operis illius observare non edita prius concilia, atque in rem meam transferre non neglexerim.

CONCILIVM BITVRICENSE

ANNO CHRISTI 1336.

C A Fulcrando archiepiscopo, cum suffraganeis celebratum, XVI. Kal. Novemb. Anno Domini M. CCC. XXXVI.

TITVLI STATVTORVM.

1. *Vt religiosi servent decretales quæ ipsos spectant.*
2. *De clericis conjugatis, dimittentibus habitum & tonsuram.*
3. *Vt sacerdotes bis aut ter in mense celebrent.*
4. *Vt religiosi & alii ecclesiastici abstineant a mercimoniis.*
5. *Vt servetur cap.* Statutum *in 6. de rescriptis.*
6. *Vt moniales non comedant aut bibant extra monasteria.*

D 7. *Vt clerici & religiosi in curiis sæcularibus non advocent ecclesiastices.*
8. *De religiosis extra religionem morantibus.*
9. *De litteris* derogamus, *aut* in juris subsidium.
10. *Ne religiosi & clerici teneant focarias.*
11. *Ne ecclesiastici ecclesiasticos ad judicium evocent sæculare.*
12. *Contra violantes ecclesiasticam jurisdictionem & libertatem.*
13. *A quibus absolvi possint turbatores libertatis & jurisdictionis ecclesiasticæ.*
14. *Vt hæc statuta publicentur, & sacerdotes curati eorum copiam habeant.*

E

PRÆFATIO.

NOs Fulcrandus Dei gratia Bituricensis archiepiscopus, una cum venerabilibus fratribus & suffraganeis nostris R. Lemovicensi, B. Caturcensi, A. Tutelensi, gratia ejusdem episcopis, Bituricense concilium provinciale tenentes, & prædecessorum nostrorum Bituricensium archiepiscoporum vestigia prosequentes, constitutiones & statuta per ipsos prædecessores nostros retroactis temporibus in suis provincialibus conciliis edita & salubriter ordinata, ne quis prætextu tardæ publicationis eorum, forte crederet,

ANNO CHRISTI 1336.

* Corr. de suetudinē.

crederet ea in consuetudinem * abiisse, & ne qui prætextu ignorantiæ, observantiæ ipsorum se valeat excusare, una cum dictis nostris suffraganeis, de voluntate totius concilii pariter & assensu, innovamus, approbamus, & ea perpetuis futuris temporibus irrefragabiliter observari volumus & mandamus: quædam alia statuta, ad utilitatem, pacem, & tranquillitatem totius provinciæ, de novo salubriter ordinamus.

STATUTA.

I. *Ut religiosi servent decretales quæ ipsos spectant.*

Clem. de statu monac.

IN primis statuimus, præcipimus, & ordinamus quod religiosi, cujuscunque status fuerint, capitulum *Ne in agro*, & alias decretales editas super regularibus institutis, & constitutiones, inviolabiliter custodiant & observent: vel contra eos procedemus taliter, quod cæteris cedet in exemplum. Circa quorum statutum & reformationem aliter procederemus: sed quia intelleximus per nonnullos dignos fide, quod sufficienter per sanctissimum patrem & dominum nostrum, dominum papam Benedictum XII. ordinatum est, super sedimus quantum est de præsenti.

II. *De clericis conjugatis, dimittentibus habitum & tonsuram.*

Cæterum ordinamus de clericis conjugatis dimittentibus in fraudem habitum & tonsuram, quod taliter puniantur per suos ordinarios, quod imposterum talia non committant.

III. *Ut sacerdotes bis aut ter in mense celebrent.*

Porro sacerdotes curam habentes animarum, bis aut semel ad minus Missas celebrent in mense quolibet, ubicunque fuerint: sin autem, superiorum arbitrio graviter puniantur, nisi per causam necessariam excusentur.

IV. *Ut religiosi & alii ecclesiastici abstineant a mercimoniis.*

Rursus religiosi, sacerdotes, & alii in sacris ordinibus constituti, præsertim sufficienter beneficiati, a mercimoniis, & mercaturis, & aliis sæcularibus negotiis, abstineant, sub pœna excommunicationis.

V. *Ut servetur cap.* Statutum *in 6. de rescriptis.*

Insuper prohibemus, ne conventus, collegia, vel quæcunque personæ singulares, litteris apostolicis abutantur: potissime ne adversarios suos in ecclesiam trahant quoquo modo, quocunque colore, contra te- A norem illius constitutionis, *Statutum*, libro sexto, titulo de rescriptis. Si qui vero contra fecerint: tum * in partes, si sint collegia vel conventus, suspensionis; in singulares vero personas, judices, & consiliarios, si scienter & malitiose fecerint, excommunicationis sententiam proferimus in his scriptis, pœnis in dicto capitulo contentis, in suo robore valituris.

ANNO CHRISTI 1336.

VI. *Ut moniales non comedant aut bibant extra monasteria*

B Præterea ordinamus, quod moniales non comedant nec bibant extra septa monasteriorum seu prioratuum suorum, sive sint civitates, villæ, burgi, suburbia: nisi necessitas immineat, aut de licentia superioris: alias contra ipsas, & earum majores seu superiores, durissime procedemus.

VII. *Ut clerici & religiosi in curiis sæcularibus non advocent ecclesiasticos.*

C Sane quod promoti in sacris, & alii beneficiati, & religiosi, in curiis sæcularibus non advocent publice vel occulte contra ecclesiam aliquam, aut personam ecclesiasticam, nisi pro ecclesia aut alia persona ecclesiastica, seu aliis casibus a jure permissis: si vero contra fecerint, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto.

VIII. *De religiosis extra religionem morantibus.*

D Item declaramus, prælatos, religiosos & religiosas recipientes actu expresse, quod post receptionem morentur, usque ad certum tempus extra religionem sumptibus amicorum, fore simoniacos, & tanquam simoniacos puniendos.

IX. *De litteris* derogamus, *aut* in juris subsidium.

Siquidem præcipimus, quod unus officialis alterius, litteras *derogamus*, aut *in juris subsidium*, tam in civilibus, quam in crimi- E nalibus casibus, recipiat & exequatur. Quod si scienter aut malitiose denegaverit, ingressum ecclesiæ per mensem sibi noverit interdictum. Per abusionem vero vel falsitatem litteras, *derogamus*, aut, *in juris subsidium*, per se aut per alium impetrantes, si usi fuerint hujus concilii autoritate, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto.

X. *Ne religiosi & clerici teneant focarias.*

Item excommunicamus omnes sacerdotes, religiosos & clericos quoscunque, qui focarias

focarias vel alias mulieres, de quibus mala A suspicio possit oriri, in domibus propriis vel alibi, unde populus & ecclesia scandalizentur, duxerit retinendas.

XI. *Ne ecclesiastici ecclesiasticos ad judicium evocent sæculare.*

Præsertim juribus statutis antiquis inhærere volentes, prohibemus ne persona ecclesiastica aliam personam ecclesiasticam clericaliter viventem, pro aliquo crimine ad judicium evocet sæculare, vel evocari procuret clam vel palam. Quod si secus fe- B cerit: in capitula, vel conventus, suspensionis; & in singulares personas super hoc culpabiles, excommunicationis sententiam ferimus in his scriptis.

XII. *Contra violantes ecclesiasticam jurisdictionem & libertatem.*

Cæterum quia nonnulli temporale dominium obtinentes, vel sæcularis judiciariæ potestatis gerentes officium, jurisdi- C ctionem, libertatem, immunitatem sanctæ matris ecclesiæ subvertere nituntur, vel lædere fraudulenter, & astutiis variis exquisitis violare, maxime in casibus qui sequuntur; videlicet, quod in suis territoriis aliquotiens palam & publice, aliquotiens seorsum ad partem, proclamaverunt & inhibuerunt, in judicio & extra, seu proclamari & inhiberi fecerunt & faciunt quotidie, vel * aliquis subjectorum suorum alter alterum ad forum vetitum ecclesiasticum reputantes trahere quoquo modo præsument seu præsumant, seu quod ad illud D judicium præter suum, alter alterum non præsumant, & super causis super quibus ipsi possint cognoscere, sic indirecte nitentes impedire volentes recurrere ad forum ecclesiasticum desuper casibus & causis, super quibus ad forum ecclesiasticum spectat cognitio, tam de consuetudine & privilegio, quam de jure; & a causis inchoatis & inceptis in curia ecclesiastica, litigantes, ad desistendum compulerunt pluries & compellunt; ac etiam proclamari & inhiberi fecerunt & faciunt modo simili, ne E ipsi subditi, aliquive ipsorum, super recipiendis contractibus ab eis de cætero inhibendis, ad juratos seu notarios curiæ ecclesiasticæ recurrerent, nec recursum haberent; & quod ipsi jurati seu notarii, contractus ipsos ex tunc recipere nullatenus essent ausi, cum gravium temporalium adjectione pœnarum in contrarium facientes; & insuper creditores, ad quorum instantiam debitores excommunicati sunt auctoritate dictæ curiæ ecclesiasticæ, nunc per preces armatas, nunc aliter & aliter, directe & aliquatenus indirecte, compellunt ad consentiendum absolutionibus debitorum; & litteras excommunicatorias seu originales, aut alias sibi ab invitis creditoribus faciunt exhiberi, & exhibitas quandoque lacerant, & faciunt lacerari, aliquando ipsas per se aut alium retinent contra voluntatem hujusmodi creditorum; aliquando acta, maxime citationes, ponunt carceribus, & eas ibidem custodiunt, donec dies assignata in eisdem, sit elapsa, asserentes quod personas portantes non capiunt, sed litteras, & quod detestabilius est, portitores ipsos interdum capiunt, verberant, & compellunt comedere litteras & sigilla; ut quamplures ex ipsis creditoribus hac de causa, videlicet, quod sibi fecerunt debitores suos sub sigillo dictæ curiæ ecclesiasticæ obligari ad emendam, traxerint, & nituntur trahere omni die. Et quod deterius est censendum, sacerdotes, clericos, & personas ecclesiasticas, quam pluries, quæ ipsorum uxores, parentes & amicos, fraudulenter retroactis temporibus ceperunt, arrestaverunt, incarceraverunt, capique, arrestari, & incarcerari fecerunt, mandaverunt, & procuraverunt, ac bona etiam eorumdem. Item impediunt & impedire conantur, ne in ipsorum districtu extra loca sacra judicia ecclesiastica exerceantur, quod est contra jura expresse, cum in quolibet loco suæ diœcesis non exempto valeat exerceri. Rursus conantur impedire in curia ecclesiastica, ut citationes fieri non valeant viva voce. Præterea nolunt, quod sigillum curiæ ecclesiasticæ, quamvis sit authenticum, plenam fidem faciat coram ipsis. Necnon cum ceperunt & incarceraverunt personas ecclesiasticas, licet moneantur, nolunt restituere: sed quandoque de loco in locum extra diœcesim transferunt, ut personas afficiant & affligant. Quandoque ab ipsis pecuniam exigunt: & sic abire permittuntur. Et quod pejus est, fovent ipsos postmodum, & sustinent ne puniri possint de suis delictis per suum judicem, maxime committentes in curia ecclesiastica falsitatem. Cæterum si personæ ecclesiasticæ, vel quarum punitio & correctio ad judicem ecclesiasticum noscitur pertinere pro suis favoribus, a suis judicibus capiantur, si ad forum sæculare provocent, aut appellant, cogunt sæculares judices ecclesiasticos quod sibi restituantur occasione appellationis frivolæ & interjectæ; & nihilo minus compellunt judices ecclesiasticos ad satisfaciendum sibi de custodia, carcerario, castellagio, seu geolagio, & expensis superfluis factis occasione personarum prædictarum; rursusque quando restituunt, ipsos vituperose remittunt,

* f. ne aliquis

Merè f. h. e. multa.

ANNO CHRISTI 1336.

remittunt, bonaque mobilia cum eisdem capta retinent, & restituere contradicunt, ac nonnunquam clericos per ipsos captos cum habitu clericali, & tonsura, in carceribus suis tradi faciunt, & indui vestibus radiatis, compellentes eosdem & fraudulenter inducentes, ad cognoscendum se non esse clericos, & ad negandum de facto privilegium clericale. Item personas ecclesiasticas per bonorum suorum captionem, & quandoque arrestum corporum & carcerem, si sub eorum sigillis per arresta corporum vel alias fuerint obligatæ, suis creditoribus satisfacere cōpellunt. Et si in casu aliquo tales personas per arresta corporum obligatas ad ecclesiasticos remittunt judices: nisi judex ipsas in carcere vel arresto detineat, judicem ipsum, per captionē temporalis * principalis debitoris recusantis interdum, & etiam personas ecclesiasticas compellunt ad contribuendum talliis. Et nihilo minus ipsarum ecclesiasticarum personarum domorum hostia aperta ad parietem seu murum in fraudem sigillant, aut filum ex transverso hostii ipsarum, cum sigillo in utroque fili capite apponūt, ne domos valeant intrare, ut sic fatigati, respondeant coram ipsis judicibus sæcularibus, in actionibus personalibus, & aliis in quibus ad ipsos sæculares judices non spectat cognitio,* respondere recusant, ipsas de facto ponunt in contumaciam & defectum. Et deinde compellunt easdem præmissis modis & aliis ad solvendum emendas occasione prædicti defectus. Et insuper cum prædicti judices sæculares requiruntur per ecclesiam imminente necessitate, auxilium suum denegant. Sunt etiam nonnulli laici & clerici, qui impediunt & perturbant, quandoque per se, quandoque per alium, seu alias personas & viles & ignotas, collationem & ordinationem domorum Dei & sancti Lazari, in quibus de jure & consuetudine aut privilegio nullum jus pertinet eisdem. Admittunt siquidem judices sæculares coram se judicialiter excommunicatos, ad agendum, testificandum & patrocinandum, licet ut tales repellant legitime requirantur: ac exercent jurisdictionem in ecclesiis, seu in earum porticu, & forum seu mercatum tenent in eisdem. Item pilorium seu postellum in cœmeteriis & locis sacris affigunt & apponunt. Clericos quidem, & super criminibus per judicem ecclesiasticum absolutos vel punitos, interdum coram se, super & de eisdem criminibus respondere faciunt & compellunt. Et ipsos clericos & personas ecclesiasticas, coram ipsis securitatem & assecuramentum præstare compellunt. Quin & incarceratos clericos in carceribus sui ecclesiastici judicis saysiunt, & manum suam apponunt, & processum suum canonice finire non sinunt. Insuper & personas ecclesiasticas in criminalibus & personalibus actionibus coram se respondere compellunt, & quod gravius est, punire, bannire, & relegare præsumunt. Cumque indicitur cessatio per judicem ecclesiasticum in aliquo loco, ideo quia persona ecclesiastica per judicem sæcularem detinetur: ponitur temporalitas ecclesiæ ad manum sæcularem, & sic posita detinetur cum saysina viva, quousque dicta cessatio sit amota. Item personas ecclesiasticas, seu earum bona mobilia, per judices ecclesiasticos capi, cum casus exigit, in suis territoriis seu jurisdictionibus non permittunt, nec ibidem arma portari per servientes ecclesiasticorum judicum, cum illuc accedunt pro jurisdictione ecclesiastica exercenda. Præterea judicem ecclesiasticum impediunt in cognitione novalium & vacantium decimarum. Denique non solum modis prædictis, sed etiam pluribus aliis, ubi fuerunt, nituntur quotidie jurisdictionem, libertatem, & immunitatem ecclesiasticam turbare & impedire, & etiam impediunt & perturbant adeo quod judices ecclesiastici jurisdictione sibi notorie competenti, tam de antiqua, & pacifice observata consuetudine, quam de jure, uti non possunt sicut prius. Quapropter jurisdictionem & libertatem ecclesiasticam nolentes negligere, sed in sui juris plenitudine quantum cum Deo possumus conservare: statuentes, talia vel similia de cætero fieri prohibemus. Si qui vero, quod absit, contrarium fecerint, aut in futurum facient, in præmissis aut aliquo præmissorum, per se aut alium, palam vel occulte, directe vel indirecte, mandaverint, consilium, auxilium, præbuerint vel favorem: licet in multis præmissorum casibus excommunicationis sententia a canonibus lata damnabiliter sint ligati: omnes tamen tales & similes & singulos, autoritate hujus sacri concilij, excommunicamus in his scriptis, eorumque familiam, seu conductum, ecclesiastico supponimus interdicto. Quibus omnibus ecclesiastica sepultura denegatur. Quos omnes & singulos postquam de præmissis constiterit, aut altero eorumdem, nominatim & expresse, sin autem, tacitis nominibus, in generali & vulgari, per curatos totius provinciæ, omnibus diebus Dominicis in Missa excommunicatos denunciari sub pœna excommunicationis præcipimus alta voce.

* f. Quod si resp. rec.

Anno Christi 1336.

XIII. *A quibus abſolui poſſint turbatores libertatis & juriſdictionis eccleſiaſticæ.*

Et quamvis a prædictis omnibus & ſingulis ſententiis volumus quemlibet ſuffraganeum poſſe ſuum ſubditum, per ſe vel per alium, abſolvere: turbatores tamen libertatis & juriſdictionis eccleſiaſticæ præfatos & ſimiles, per ſe dumtaxat poſſit abſolvere, aut per ejus officialem vel commiſſarium ſuper hoc ſpecialem: ita tamen & non alias, ſi tam judici cujus cognitio fuerit impedita vel juriſdictio uſurpata, quam parti læſæ in ſui juris proſecutione turbatæ, de injuriis, damnis, expenſis, & intereſſe, prius integraliter fuerit ſatisfactum: nulla ſibi per abſolventem libertate, remiſſione, ſeu gratia, quantum ad jus partis, valitura. Verum ne ſupradicti juriſdictionis eccleſiaſticæ turbatores, in ſuis malitiis inveniant defenſores: prohibemus, ne quis clericus, vel perſona eccleſiaſtica, dictis turbatoribus ſuper turbatione hujuſmodi ad judicium eccleſiaſticum evocatis, quos culpabiles crediderint veriſimiliter, patrocinium præſtare præſumant, vel conſilium ſeu favorem. Quod ſi fecerint, in ipſos excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis.

XIV. *Vt hæc ſtatuta publicentur, & ſacerdotes curati eorum copiam habeant.*

Item volumus & ordinamus, quod omnia & ſingula ſtatuta præmiſſa, quilibet ſuffraganeorum noſtrorum in ſuis diœceſibus faciant in prima vel ſecunda ſynodo publicari: ne ex tunc prætextu ignorantiæ aliquis ſe valeat excuſare. Item volumus, quod in ſynodis prædictis præcipiatur ſacerdotibus curatis, quod eorum quilibet penes ſe tam in vulgari, quam in Latino, præſertim de ſtatuto edito contra juriſdictionis & libertatis eccleſiaſticæ turbatores, copiam habeant, ut ſibi injuncta fidelius exequantur. Hæc ſiquidem quæ ſuperius præmittuntur inviolabiliter volumus obſervari: ſtatutis antiquis in ſuo robore nihilo minus duraturis.

Ad præmiſſorum autem omnium fidem & majoris roboris firmitatem habendam his ſtatutis & ordinationibus per totum concilium factis: nos dictus archiepiſcopus Bituricenſis, in provinciali concilio prædicto conſtituti, ſigillum noſtrum una cum ſigillis dictorum noſtrorum ſuffraganeorum apponi fecimus & appendi. Nos vero præfati R. Lemovicenſis, B. Caturcenſis, A. Tutelenſis, epiſcopi, ſigilla noſtra, una cum ſigillo reverendi patris domini Fulcrandi Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopi, concilio prædicto præſidentis, præſentibus duximus apponendum.

Actum & datum in provinciali Bituricen. concilio, die Iovis ante feſtum beati Lucæ evangeliſtæ, continuata a die Lunæ præcedenti, prima die concilii ſupradicti. Anno Domini M. CCC. XXXVI. Indictione v. Pontificatus ſanctiſſimi patris & domini noſtri, prædicti domini Benedicti, Divina providentia Papæ XII. anno ſecundo. Sit nomen domini noſtri Ieſu Chriſti benedictum, Amen.

G. C.

Dum hæc ſub prælo ſunt, prodit ecce nonus Dacheriani Spicilegii tomus, in quo concilii Rotomagenſis provinciæ ad Pontem Audomarum anno M. CC LXVII. cel·biati conſtitutio edita eſt. Nihil in ea eſt, quod non iiſdem prope verbis extet in alio Pontaudomarenſi concilio anai M CC. LXXIX. quod ſupra edidimus. Sed nimirum ejuſdem provinciæ diverſa concilia idem perſæpe ſtatuunt.

CONCILIVM AD PONTEM AVDOMARI.

Anno M. CC. LXVII. celebratum.

SAcri approbatione concilii Rotomagenſis provinciæ, nuper apud Pontem Audemarum, in craſtino decollationis B. Ioannis Baptiſtæ anno Domini M. CC. LXVII. favente Domino celebrati: vobis univerſis & ſingulis diſtricte præcipimus & mandamus, quatenus in ſingulis parochiis & locis publicis, vobis ſubditos moneatis, diebus Dominicis, aut feſtivis ſolemnitatibus, tribus a ſe diſtantibus, clericos non uxoratos, & etiam uxoratos, ut a negotiationibus ſæcularibus exercendis abſtineant & maxime inhoneſtis: quodque tonſuram deferant & habitum clerico congruentem, autoritate noſtra ſolemniter ac publice nunciantes.

Quod ſi tertio a vobis moniti, ab hujuſmodi non reſipuerint: clericos non conjugatos, dum his ſe immiſcuerint, quo minus de ſuis facultatibus, ſtatutis & conſuetudinibus patriæ ſubjaceant, eccleſia non defendet. Circa conjugatos ſiquidem æquanimiter tolerabit, quod domini ſæculares ab ipſis juſtitias debitas, velut ab aliis, exigant, & ſervitia conſueta.

Denique ſi poſt præmiſſas monitiones, aliqui clerici in apoſtaſia tonſuræ & habitus clericalis permanſerint, ac ſævis enormitatibus ſe immiſcuerint, & contingat quod pro ſuis exceſſibus a ſæcularibus judicibus, capiantur in criminibus comprehenſi: non præcipiemus eos per cenſuram eccleſiaſticam liberari.

Item præcipimus, ut per ſingulas eccleſias moneantur clerici & cruceſignati, ne litteris apoſtolicis, vel legatorum ſedis ejuſdem, aut aliorum judicum, aliquatenus abutantur: ſcituri, quod nos & alii prælati, ſolicitudine qua convenit vigilabimus contra hujuſmodi abuſores, ut exceſſus eorum non remaneant impuniti.

Actum & datum, ut ſupra.

Anno Christi ....

G. COSS. OBSERVATIO.

Galonis cardinalis legati constitutiones, item & alias Guillelmi Parisiensis episcopi, ediderat Binius ad annum M C VI. Nos cur Galonem in annum M. CC VIII. rejecerimus, caussam attulimus. Guillelmum vero tempore posteriorem fuisse necesse est: cum ejus statuta, subjungantur Galonis constitutionibus, quasi appendix quædam, atque idcirco additiones inscribantur. Quapropter vel Guillelmo de Siliniaco tribuendas putem, qui anno M. CC. XXIII. sedebat; vel Guillelmo Arverno, qui anno M. CC. XXX. Nam ad consecutos ejusdem nominis episcopos ne differendas censeam, facit eadem ratio, quod additiones sint ad Galonis statuta, quæ idcirco recentiora esse oportuit. Tamen cum nihil omnino certum hac in parte sit, in Tomi calcem eas distuli.

VVILLELMI PARISIENSIS EPISCOPI ADDITIONES*.

*Additiones nimirum ad constitutiones Galonis, quæ supra pag. 32.

TITVLI CAPITVLORVM.

CAPITVLA.

I. *De tonsura clericorum.*

PRæcipitur presbyteris, ut clericos, cujuscunque sint ordinis, in parochia sua commorantes, moneant, quod tonsuram congruentem, & honestum habeant habitum, juxta canones: & si aliqui in hoc inobedientes vel rebelles fuerint, monitione præmissa ab ingressu ecclesiæ arceantur. Quod si aliquis de hujusmodi præsumptoribus tantæ sit potestatis, quod sine scandalo, a presbytero, prædicto modo coërceri non possit, episcopo nuncietur.

II. *Ne sacerdotes frequentent mercata.*

Prohibetur sacerdotibus, ne mercata frequentent: sed si ex aliqua causa necessaria eos ad mercata ire oportuerit, in habitu honesto incedant, & quam breviorem poterunt ibi moram faciant.

III. *Ne faciant comessationes.*

In mercatis non faciant comessationes, nec etiam alibi.

A

IV. *Ne exerceant officium advocationis, nisi in certis casibus.*

Prohibetur sacerdotibus, ne officium advocationis exercere præsumant, nisi forte in causa ecclesiæ suæ, vel pro miserabilibus personis, pupillis, & viduis, parochianis suis, quibus honeste deesse non possunt: & hoc absque precii receptione, præter expensas moderatas.

V. *Ne bis celebrent, nisi in necessitate, nec mortuorum corpora detineant super terram.*

Presbyteri uno die Missas duas non celebrent, nisi in necessitate: nec detineant corpora mortuorum B super terram, occasione pecuniæ extorquendæ.

VI. *Vt bis in anno confiteantur confessoribus deputatis.*

Præcipitur sacerdotibus, quod bis in anno ad minus, videlicet in Adventu Domini, & in Quadragesima, peccata sua confiteantur confessoribus per singulos decanatus constitutis.

VII. *Vt nomina confitentium deferant ad episcopum.*

Confessores, nomina confitentium scribant, & ad episcopum ad synodum deferant.

C

VIII. *Vt moneant omnes, quod veniant ad confessionem ante Pascha floridum.*

Presbyteri parochianos suos moneant, & frequenter in ecclesiis suis denuncient, quod omnes, saltem patresfamilias & matres, ad confessionem veniant ante Pascha floridum: & qui in hoc negligentes fuerint, in pœnam, usque post octavam Paschæ, ad confessionem non admittantur: sed usque ad illud tempus a carnibus jejunabunt, sicut in Quadragesima.

IX. *De publicis pœnitentibus.*

D Presbyteri parochianos suos solemniter pœnitentes, faciant venire in capite jejunii ad ecclesiam cathedralem, ut per episcopum solemniter ab ecclesia ejiciantur, & similiter in die Iovis proxima ante Pascha, ut per episcopum ecclesiæ reconcilientur.

X. *De restitutione facienda ante testamentum.*

Presbyteri injungant parochianis suis confitentibus, quod omnia ablata, antequam testamentum vel legata faciant, plene restituant.

XI. *De iis qui absfuerint ab ecclesia tribus Dominicis continuis.*

E

Præcipitur quod presbyteri, parochianos suos, qui tribus Dominicis continuis se ab ecclesia sua absentaverint, sine causa justa & necessaria, interdicant, & ad episcopum mittant interdictos. Militibus discurrentibus defertur.

XII. *De eleemosynis & legatis ad fabricam ecclesiæ procurandis.*

Præcipitur sacerdotibus, quod diligentes & soliciti sint in monendo parochianos suos de eleemosynis &

ANNO CHRISTI ......

& legatis ad fabricam ecclesiæ B. Mariæ faciendis: & legata fideliter quærant, & reservent. Scribant etiam nomina eorum qui legaverint, & ad episcopum ad synodum afferant: & sic eis appareat, qui fuerint in hoc diligentes & negligentes.

XIII. *De matrimoniis clandestinis.*

Presbyteri in ecclesiis frequenter denuncient, eos qui matrimonia clandestina contrahunt, & qui eis faciendis assistunt, esse excommunicatos.

XIV. *De commodationibus carrucarum.*

Præcipitur, quod commodationes carrucarum, quæ fiunt in festivis diebus, quibus fieri solent per sacerdotem, fiant, ne in hoc inter commodantes interveniat confusio.

XV. *Ut in elevatione corporis Christi campana pulsetur.*

Præcipitur, quod in celebratione Missarum, quando corpus Christi elevatur, in ipsa elevatione, vel paulo ante, campana pulsetur, sicut alias fuit statutum: ut sic mentes fidelium ad orationem excitentur.

XVI. *Ut qui matrimonium contrahunt, prius peccata confiteantur.*

Presbyteri injungant parochianis suis, quod quando matrimonium inter aliquos erit contrahendum, illi qui debent contrahere, confiteantur ob reverentiam sacramenti peccata sua presbyteris suis, priusquam fidem præbeant de contrahendo, vel saltem antequam contrahant per verba de præsenti. Presbyteri vero tunc soliciti sint de inquirendo, maxime super impedimentis matrimonii.

G C.

Huc quoque adjicere visum est, petita ex Tomo IX. Dacheriani Spicilegii, qui modo in manus meas venit, statuta ecclesiæ Lugdunensis, anni M CC. LI cum ante annum M. CCC. diœcesana quæ occurrunt statuta non neglexerimus.

Tam Radulphi Lugdunensis archiepiscopi, & Hugonis episcopi Eduensis ordinationes de administratione illarum ecclesiarum vacante sede, addemus, depromptas ex ejusdem Spicilegii Tomo VIII.

ANNO CHRISTI 1251.

STATVTA SEV CONSTITVTIONES ecclesiæ Lugdunensis.

Anno Domini M. CC. LI.

NOs Philippus Dei gratia primæ Lugdunensis ecclesiæ electus, notum facimus Universis præsentes litteras inspecturis, quod oblatis nobis in scriptis, ab A. decano & capitulo dictæ ecclesiæ nostræ, quibusdam statutis seu constitutionibus ecclesiæ memoratæ: cum easdem pias & laudabiles invenerimus, ad instantiam & requisitionem dicti capituli eas approbamus & confirmamus: præcipientes, eas inviolabiliter custodiri, easque sub sigillo nostro & capituli de verbo ad verbum inseri fecimus in hunc modum.

I. Statutum est ut omnes canonici in sua institutione jurent, quod servent statuta & consuetudines ecclesiæ, & permutationem comitis Forensis: & quod nullo modo consentiant ut terræ ecclesiæ a commutatione fratrum Deo & sancto Stephano in propriis personis servientium abstrahantur: & quod nulli dentur, nisi clericis in eadem ecclesia continue

ANNO CHRISTI 1251.

A residentibus: & quod nullus admittatur in canonicalem societatem, nisi ista juraverit.

II. Iurent etiam, quod in nullum clericorum de corpore ecclesiæ manus injiciant violentas, vel in habitationem, aut familiam ipsius.

III. Iurent etiam, quod eleemosynam pro posse suo adimplebunt.

IV. Pro residente autem habetur, qui procurationē continuam in propria domo vel aliena fecerit, & in ecclesia fecerit septimanam. Alii vero, qui de bonis ecclesiæ tantum non habent, quod procurationem facere teneantur secundum statuta ecclesiæ, & habent certum hospitium proprium vel alienum, & in ecclesia faciunt septimanam, & pro majori parte B anni serviunt in propriis personis, pro residentibus habentur.

V. Sunt autem in eadem ecclesia majores canonici, & alii minores præbendarii, & iterum duodecim capellani: quorum nullus in sua institutione percipit beneficium temporale, præterquam quotidianam refectorii distributionem.

VI. Bona vero canonicorum cedentium vel decedentium in commune reservantur: donec tantum de bonis vacaverit, quod inde possit commode fieri divisio inter fratres.

VII. Statutum est, & perpetua inhibitione firC matum, ne successiones in ipsa ecclesia de cætero fiant, & ne refectoria in divisione terrarum alicui in beneficium assignentur.

VIII. Item statutum est & juramento firmatum, ut canonico habenti in ipsa ecclesia ccc. solidos reditus, si de vavassoribus fuerit, nihil amplius in divisionibus faciendis de cætero detur, nisi infra annum a complemento redituum prædictorum convivium continuum fecerit, & perseveraverit. Si vero de minoribus fuerit castellanis, habens ab eadem reditus viginti libras, supradictæ subjacebit obnoxius conditioni. Si autem de majoribus fuerit, videlicet comitibus, ducibus, sive baronibus, habens ab ipsa ecclesia reditus triginta libras, præfatæ conditioni subjacebit. Hoc idem statutum est de præD bendariis, si VII. libras in reditibus ab ecclesia habuerint; & de duodecim capellanis, si centum solidos in reditibus habuerint: quod videlicet nihil amplius percipiant, nisi infra annum a complemento redituum prædictorum, convivium continuum faciant & perseverent.

IX. Item statutum est, ut canonici, & omnes alii qui in ipsa ecclesia habent præbendas, si ad scholas profecti fuerint, quamdiu ibi studere voluerint, plenam & integram refectorii præbendam habeant: nisi tales fuerint, qui ab ipsa ecclesia XV. libras reditus sint consecuti, quibus prædicta non erit concessa præbenda.

X. Statutum est, ut decanus, & custos sancti Stephani, sacrista, & magister officium presbyterorum, & archidiaconus, officium diaconi faciant, E postquam fuerint officia dignitatum adepti.

XI. Item statutum est, ut nullus in numero duodecim sacerdotum admittatur, qui ecclesiam habeat vel teneat per se, sive per vicarium perpetuum vel temporalem: & eo ipso quod in prædicto numero admittitur, amittat ecclesiam, si quam habet, & patronus illius ecclesiæ de ea statim valeat ordinare: & si postea ecclesiam receperit, eo ipso videatur renunciasse capellaniæ nostræ.

XII. Statutum est de morientibus, ut reditus suos, a tempore mortis suæ usque ad annum percipiant. De transeuntibus vero ad religionem idem est constitutum. Quod si in archiepiscopū vel in episcopum

pum aliquis fuerit promotus: reditus suos amittit, postquam dignitatem illam pleno jure fuerit assecutus.

XIII. Uni personæ duo personatus non concedantur.

XIV. In refectorio cibaria & denarii, qui pro cibariis dantur, æqualiter dividantur.

XV. Electus ad sacros ordines, a quibus eligi debet, quadragesima die ante ordinationem vel eo amplius præmonitus, si recipere contempserit, donec satisfaciat, in choro & refectorio non recipiatur.

XVI. Supra chorum antequam subdiaconus fiat, nullus recipiatur: & ante nec vocem habet in capitulo, nec aliquid percipit in divisione terrarum. Cum autem aliquis levandus fuerit supra chorum, habito super hoc tractatu in capitulo & licentia obtenta, si fuerit de dextro choro, levatur a præcentore, si de sinistro fuerit, a cantore. Ordo diaconatus levat omnes canonicos supra chorum, & quatuor de præbendariis ecclesiæ, scilicet dapiferum, panetariũ, pincernam refectorii, & magistrum scholarum. Ordo sacerdotalis leuat omnes supra chorum.

XVII. Item in choro Lugdunensis ecclesiæ nullus admittitur, nisi de legitimo matrimonio natus, nec qui de religione exierit: nullus etiam clericus admittitur, nisi habeat dominum de ecclesia, in cujus domo continue procuretur, qui a domino suo per se vel aliquem de clericis suis per jus præsentandus est ecclesiæ sanctæ Crucis, & ibi debet per duos menses vel amplius deservire. Postea vero ecclesiæ sancti Stephani debet præsentari, & ibi per quatuor ad minus deservire. In quibus duabus ecclesiis, videlicet sanctæ Crucis, & sancti Stephani, quæ contiguæ sunt majori ecclesiæ, & officia sua inchoant simul cum ea, per dictos VI. menses debet instrui in modo legendi, psallendi, cantandi, supplicandi, intrandi, & egrediendi, & aliis pertinentibus ad ecclesiæ religionem. Postmodum vero introducitur in majori ecclesia per cantores ejusdem ecclesiæ, & magistrum, quibus est præsentandus.

XVIII. Post quartum versum primi psalmi cujuslibet horæ vel officii nullus debet intrare chorum, nisi in diebus qui non habent invitatorium: scilicet in Epiphania cum suis octavis, die cœnæ Domini, Parasceves, & Sabbato sancto; in quibus ad totum primum psalmum matutinum potest intrari. Postquam autem intraverit, non debet ibi sedere, cujuscumque sit dignitatis vel ordinis, nisi dum leguntur lectiones & responsoria, & officium mortuorum: nec aliqua occasione debet exire, nisi sanguinem naso stillaverit, vel alia gravi infirmitate, vel necessitate proprii corporis urgente: quæ nisi fuerit exterius manifesta, manu naso supposita, & deguttatione sanguinis simulata, exire licet: & si fuerit de supra chorum, exire debet post eum aliquis clericus de sub choro, causa societatis & servitii, si necesse fuerit, impendendi. Similiter a principio Missæ usque ad finem non debet aliquis in choro sedere, nec etiam dum epistola legitur: nisi cum secreta Missæ dicuntur: & tunc licitum cuilibet pro arbitrio vel sedere, vel stando versa facie ad orientem orare.

XIX. Canonici sacerdotes, & duo custodes sanctæ Crucis, debent Missas Dominicas & matutinales ad altaria sancti Stephani & sancti Ioannis: & nullus admittitur ad celebrandum in dictis altaribus, nisi canonicus ipsius ecclesiæ, vel archiepiscopus, sive episcopus cujuscumque loci vel ecclesiæ, vel abbas diœcesis Lugdunensis. Evangelium vero vel epistolam nullus debet legere ad Missas Dominicas, nisi canonicus. Singulis diebus Dominicis & festivis, sacerdoti canonico Missam Dominicam celebranti debent assistere duo minores sacerdotes, vicarii duorum canonicorum sacerdotum, unus a dextra parte altaris, & alius a sinistra. Similiter diaconus evangelium lecturus, debet habere duos minores diaconos sibi hinc inde assistentes, similibus dalmaticis revestitos. Similiter autem subdiaconus canonicus debet habere duos collaterales subdiaconos, duorum canonicorum vicarios, similibus tunicis revestitos. Si vero diaconus canonicus, vel subbdiaconus, evangelium vel epistolam lecturus defuerit, & officium suum per se, vel per alium canonicum non fecerit, vel qui vicarium habere tenetur non habuerit: quot vicibus defecerit, debet tres libras ceræ pro singulis defectibus, luminaribus ecclesiæ applicandas. Item in majoribus festivitatibus, scilicet beatæ Mariæ, & similibus, debent esse quinque sacerdotes, & quinque diaconi, & totidem subdiaconi. In præcipuis autem festivitatibus, videlicet natali Domini, Pascha, & Pentecoste, & natali sancti Ioannis euangelistæ, & die Cœnæ, si chrisma conficiatur, debent esse VII. sacerdotes, & VII. diaconi, & totidem subdiaconi, & totidem ceroferarii.

XX. A prima pulsatione quæ fit ad matutinas, usque dum finita fuerit Missa & hora meridiana, & conventus exierit de ecclesia; & iterum a secunda pulsatione quæ fit ad horam nonam, usque dum finitum fuerit completorium, & conventus exierit: non debet aliquis de clericis ecclesiæ in habitu sæculari transire ante ecclesiam, vel manere in plateis quæ sunt in facie, vel prospectu ecclesiæ, nisi transeat equitando. Ad ultimam quoque pulsationem cujuslibet horæ vel officii, non debent clerici sedere ante ecclesiam, vel infra ante chorum; sed in choro. Dum cantatur in ecclesia a conventu, nullus debet ante ecclesiam stare vel sedere. Finitis horis vel officiis, dum conventus exit de ecclesia, qui officiis non interfuerunt, non debent apparere in ecclesia vel extra in locis quæ prospici possunt ab ecclesia, stando, sedendo, vel aliquo modo; nec etiam in domibus ad fenestras. Eodem modo cavere debent qui processioni non interfuerunt, quando conventus in processione exit vel revertitur, ne a conventu videantur, vel aliquo de conventu. Ex quo nox fuerit, in domo cujusquam laici vel ante fores ejus clericus non moretur, nec per vicum incedat. Si necessitas coegerit, equo transeat & non solus. Qui autem contra fecerit, si bis vel ter commonitus se non correxerit, donec satisfaciat, in choro & refectorio non recipiatur.

Si quis de clericis ecclesiæ die festo extra villam fuerit, non debet claustrum vel ecclesiam intrare, nec procurationem habere ea die, nec eleemosyna pro eo.[a] Si vero præsens fuerit, & matutinis non interfuerit die festo: non debet per claustrum incedere, nec in publicum exire, nec ad fenestras se ostentare: & ea die procurationem amittit, & eleemosynæ applicatur. Si autem duobus profestis diebus continue defuerit matutinis, quorum utroque præsens extitit: posteriori die nec chorum intrare debet, nec in refectorio procurationem habere, sed iterum eleemosynæ applicatur, nisi infirmus fuerit vel minimus[b].

XXI. Statutum est etiam, ut quicumque honores ecclesiæ, quæ obedientiæ appellantur, vel habent vel habituri sint, quot diebus in refectorio ex obedientiæ debito fratribus refectionem debent, tot mensuras siliginis quæ mornantesii appellantur, minori eleemosynæ, quæ quotidie pauperibus erogatur, præstare debent: & totidem mensuras, omni postposita occasione, eleemosynario ab ecclesia communiter instituto, usq; ad festum sancti Michaelis annuatim solvere tenentur.

[a] adde detur.

[b] f. minutus, id est, cui vena incisa est.

ANNO CHRISTI 1251.

tur. Quam annonam dictus eleemosynarius fideliter A debet conservare, ut tempore famis pauperibus erogetur: & in alios usus vel ex parte vel ex toto non expendatur. Qui autem statuto tempore non solverit: ab ecclesia, & choro, & capitulo, exclusus sit.

XXII. Si quis clericus de supra chorum pro delicto fuerit verberandus, a decano debet in capitulo verberari: alii vero de sub choro a cantoribus vel magistro verberandi sunt in schola ecclesiæ.

Addimus etiam nos & dictum capitulum supradictis hoc statutum.

XXIII. Statuimus & juramento firmamus, quod quilibet canonicus, seu alius beneficiatus, non habeatur pro residente, nec aliquid capiat in divisione terrarum, nec quotidianas distributiones in scholis, nisi per dimidium annum primo fecerit residentiam in ecclesia nostra. Pro residenti tamen tenebitur, si teneat conductam continuum, & perseveraverit. Duo vero canonici, & unus de aliis beneficiatis, intelliguntur facere primam residentiam, si morantur cum domino archiepiscopo, vel jam morati fuerunt per dictum tempus.

In cujus rei testimonium, nos & capitulum præsentibus litteris sigilla nostra duximus apponenda. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, mense Iunii.

ANNO CHRISTI 1286.

ORDINATIONES

RADULFI EPISC. LUGDUNENSIS, ET HUGONIS EPISCOPI EDUENSIS,

Pro administratione archiepiscopatus & episcopatus sede vacante.

UNiversis præsentes litteras inspecturis, Radulfus miseratione Divina primæ Lugdunensis ecclesiæ archiepiscopus; Hugo ejusdem miseratione episcopus Eduensis; Lugdunensis & Eduensis ecclesiarum decani & capitula: salutem in Filio virginis gloriosæ.

Inter opera caritatis, illa præcipue considerari debent, per quæ omnis fraudis & deceptionis materia D evitatur, & sanctæ matris ecclesiæ .... ministris & servitoribus eisdem .... Igitur cum archiepiscopus Lugdunensis gerat administrationem episcopatus Eduensis, ipsius sede vacante; & versa vice episcopus Eduensis, gerat administrationem archiepiscopatus Lugdunensis, vacante sede ipsius: nos pro communi utilitate, & evidenti commodo utriusque ecclesiæ, necnon & ministrorum earumdem super dictis administrationibus diligenti deliberatione inter nos habita, ordinavimus in hunc modum.

Primo, quod sede Eduensi vacante, archiepiscopus Lugdunensis qui pro tempore fuerit, habeat administrationem in temporalibus & spiritualibus civitatis E & diœcesis Eduensis; & e converso sede Lugdunensi vacante, episcopus Eduensis qui pro tempore fuerit, habeat administrationem in temporalibus & spiritualibus civitatis & diœcesis Lugdunensis: quia hactenus ita de longa & approbata consuetudine extitit observatum. Salvo jure capitulorum & canonicorum, & aliorum qui habent jurisdictionem in civitate & diœcesi supradictis.

Actum etiam est inter nos, quod sigilla curiæ sedis archiepiscopalis, vel episcopalis, quæ vacaverit, castraque & fortalitia, necnon & domus civitatis & diœcesis prædictarum ad earum sedem pertinentium, archiepiscopo vel episcopo viam universæ carnis ingresso, incontinenti sine difficultate tradantur, reddantur, & deliberentur archiepiscopo vel episcopo ecclesiæ non vacantis, vel ejus mandato, secundum quod hactenus extitit consuetum.

ANNO CHRISTI 1286.

Cæterum de bonis mobilibus archiepiscopi & episcopi decedentium inter nos extitit ordinatum: quod si archiepiscopus vel episcopus moriantur testati, eorum ordinatio servabitur de bonis prædictis, & sua ultima voluntas adimplebitur de iisdem, & per manus executorum deputatorum ad hoc distribuentur, secundum quod testator archiepiscopus vel episcopus in testamento suo seu ultima voluntate sua duxerit ordinandum. Et hoc casu blada & vina B a solo separata, licet in horreo vel doliis reposita non fuerint, mobilia censebuntur, & cedent in utilitatem prælati mortui: & de dictis bonis inventarium facient dicti executores, & de iisdem reddent in capitulo rationem. Si vero archiepiscopus vel episcopus, intestatus decedat: tunc de dictis bonis mobilibus procuratores, & hoc per capitulum ecclesiæ vacantis, deputandi, facient restitutiones quæ fuerint faciendæ, & solvent debita ipsius defuncti. Si quid vero de dictis bonis residui fuerit, de dicto residuo facient solutiones & satisfactiones familiaribus ejusdem, & residuum conservent futuro pontifici, & de dictis bonis inventarium facient, & reddent C dicti procuratores de prædictis bonis in capitulo rationem: retentis tamen de dictis bonis expensis competentibus. Si quis autem dictorum procuratorum, a capitulo ecclesiæ vacantis deputandorum, aliquid fecerit in præjudicium prædictorum: per subtractionem beneficiorum suorum a capitulo ecclesiæ vacantis satisfacere compellatur.

Actum est etiam inter nos, quod si dictarum ecclesiarum archiepiscopus vel episcopus, intestatus decedat, * quæ ipsum pontificali dignitate honoravit, ornamenta remanebunt, quæ sequuntur: alba cum amictu, stola cum manipulo, tunica cum dalmatica, infula cum capa meliori quæ in capella archiepiscopi vel episcopi defuncti poterit inveniri.

* *Deest forte* ecclesiæ.

Si ille archiepiscopus vel episcopus prædictus contra prædicta aliquid attentaverit, & executores prædictos, seu bonorum distributores quoquo modo impedierit, aut contra tenorem præsentium aliquid fecerit: post trinam monitionem, ab ipsis executoribus, seu bonorum distributoribus prædictis, nisi..... restituerit, & prædicta observaverit, excommunicatus sit ipso facto.

Cæterum actum est inter nos, quod utensilia domorum coquinorum archiepiscopatus & episcopatus prædictorum, sede vacante, reservabuntur futuro pontifici: & archiepiscopus seu episcopus, qui dictam sedem tenebit, inde faciet inventarium, quod custodietur a capitulo ipsius ecclesiæ vacantis: ita quod, cum prælatus fuerit in ipsa ecclesia constitutus, dicta utensilia secundum inventarium valeat rehabere.

Porro actum est inter nos, quod archiepiscopus vel episcopus qui pro tempore fuerit, durantibus dictis administrationibus, jura archiepiscopatus vel episcopatus pro posse defendet, domos & tecta in bono statu tenebit, terras, vineas excoli faciet, & omnia alia quæ fuerint facienda. Fructus autem receptos durante administratione suos faciet, & illos quos a solo levaverit sine fraude. Nemora vendere non poterit, nisi esset silva, nec pisces stagnorum vendere seu alibi transferre, nisi solum pro hospitio suo ad usum ipsius & familiæ suæ. Et si mortuo archiepiscopo vel episcopo, aliquod stagnum esset quod piscatum non fuisset per triennium: pisces illius stagni

ANNO CHRISTI 1286.

ſtagni archiepiſcopus vel epiſcopus poſſit vendere in fine triennii, vel clauſo triennio, ſi de ſua proceſſerit voluntate.

Actum etiam inter nos, quod ſi caſu fortuito ſedes Lugdunenſis & Eduenſis inſimul uno concurſu vacarent, quod abſit: dictis ſedibus vacantibus, procuratores ad hoc per capitula deputandi recipient & levabunt fructus, & fideliter conſervabunt ad reddendum & deliberandum proximo futuro archiepiſcopo Lugdudenſi, vel proximo futuro epiſcopo Eduenſi: retentis ſibi tamen expenſis competentibus. Et ſi dicti procuratores reſtitutionem dictorum fructuum archiepiſcopo, vel epiſcopo eccleſiæ non vacantis, vel ejus mandato, diſtulerint faciendam: ad id compellantur per eccleſiæ vacantis capitulum. De quibus fructibus ſeu bonis inventarium facient, & facere tenebuntur.

Inſuper autem actum eſt inter nos, quod in creatione uniuſcujuſque canonici, cum in dictis eccleſiis primo creatus fuerit, hujuſmodi ordinationem juret ſe inviolabiliter ſervaturum.

Nos autem archiepiſcopus, epiſcopus, decani & capitula ſupradicta, dictam ordinationem, quam utriſque eccleſiis Lugdunenſi & Eduenſi eſſe credimus fructuoſam, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris bona fide promittimus obſervare, nec contra venire tacite vel expreſſe, & eam pro poſſe noſtro procurabimus per ſedem apoſtolicam confirmari.

In quorum omnium teſtimonium Radulphus archiepiſcopus Lugdunenſis, & nos Hugo epiſcopus Eduenſis, prædicti, ſigilla noſtra; & nos dictarum eccleſiarum decani & capitula, ſigilla capitulorum noſtrorum, præſentibus litteris duximus apponenda.

Datum & actum menſe Martio, anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſexto.

FINIS

Appendicis ad Tomum undecimum.





LVTETIÆ PARISIORVM.

Impensis
GEORGII IOSSE,
DIONYSII BECHET,
GVILLELMI LE BE',
GABRIELIS & NICOLAI CLOPEIAV,
PETRI LE PETIT,
EDMVNDI MARTIN,
LVDOVICI BILLAINE,
GODEFRIDI MARCHER,
IOANNIS DVPVIS,
SEBASTIANI MABRE-CRAMOISY,
IACOBI PIGET,
viâ Iacobæâ.

M. DC. LXXI.

